PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT.

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES LATINA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CXC.

S. THOMAS CANTUAR. ARCHIEP. HERBERTUS DE BOSEHAM, S. THOMÆ CANTUAR. CLERICUS. GILBERTUS FOLIOT. EX ABBATE GLOCEST. PRIMUM EPISC. HEREFORD., DEINDE LONDON. ALANUS TEWKESBERIENSIS ABBAS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208.

1893

Clichy. — Ex typis PAUL DUPONT, 12, viâ dictâ Bac-d'Asnières. 208.11.93.

SÆCULUM XII.

S. THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

NEC NON

HERBERTI DE BOSEHAM

CLERICI EJUS A SECRETIS

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM V. CL. J. A. GILLES, LL. D., ECCLES. ANGL. PRESBYTERI
ANNO 1845 OXONII DATAM

ACCEDUNT EX EJUSDEM RECENSIONE

GILBERTI FOLIOT

EX ABBATE GLOCESTRIÆ EPISCOPI PRIMUM HEREFORDIENSIS, DEINDE LONDONIENSIS

NEC NON

ALANI TEWKESBERIENSIS ABBATIS

EPISTOLÆ

ACCURANTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1893

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXC CONTINENTUR

EPISTOLA DEDICATORIA

Viro spectatissimo et reverendo fratri Willelmo Whewell, *collegii Sanctæ Trinitatis Cantabrigiensis magistro, cæterisque amicis suis qui in eodem collegio socii conversantur, Joannes A.* Giles, *humilis eorum servus et consacerdos, salutem et debitum grati animi obsequium.*

Magnorum virorum vitam et acta posteritati tradere, eorum præcipue est, qui æquales illorum sive ætate sive familiaritate, omnia certo sciendi quæ scripto exararent occasionem nacti sunt. Inter illos tot tantosque viros quos Anglia celeberrimos protulit, pauci sunt qui cum Thoma Becket, sancto Cantuariensi archiepiscopo et martyre possint comparari. Cujus Vitam et gesta cum quindecim haud minus, imo fortasse plures, plene descripserint, mirari possumus hæc scripta jam pluribus sæculis in codicibus manuscriptis latere nec jam in lucem prolata esse. Horum ego scriptorum opera edendi et quam accuratissima in mundum proferendi aggressus laborem, intra muros vestri collegii, viri egregii, subsidium nactus sum, quod susceptum laborem lenivit, expedivit et jam ad finem perduxit. Cujus subsidii liberrime mihi commodati, gratam mentem habens, ad pedes vestros librum meum depono, obnixius deprecans ne sine patrocinio vestro post septingentos annos fama Thomæ, quæ diu sopita est, reviviscat et iterum reflorescat. Valeat fraternitas vestra !

Dat. London. Kal. Jul. A. D. 1845.

EPISTOLA DEDICATORIA

ALTERA

VOLUMINI EPISTOLARUM S. THOMÆ CANTUARIENSIS PRÆFIXA

Venerabili patri et domino Ashurst Turnero, *Cicestrensi episcopo, Joannes Allen* Giles *humilis ejus parochianus, salutem et obedientiam canonice debitam.*

Mos, Pater, fuit patribus nostris, ut is, qui scriptis suis mundo se commendare vellet, nequaquam suis innixus viribus, sed secundum ordinem jam multis sæculis observatum auctoritate diœcesani sui fultus sic in publicum prodiret. Quem ordinem servare volens, etsi in episcopatu tuo satis brevi tempore constitutus, ad pedes paternitatis tuæ librum meum depono; librum sane, si ad materiam spectas, quovis pretio pretiosiorem, quippe qui epistolas continet sancti Thomæ Cantuariensis, in illa Ecclesia, pro qua martyrium passus est, nunc primum vulgatas. Cujus vitam et merita, quoniam in alio libro a me nuper edito satis patent, in præsentiis discutere supersedeo; nec enim verba mihi libet nunc multiplicare: satis fuisset epistolas illas me primum inter Anglos edere, nisi id accessisset, sub paternitatis tuæ prælatione edidisse.

J. A. Giles.

East Dene, juxta Eastbourne,
in com. Sussex. Id. Sept. A. D. 1845.

J. A. GILES PRÆFATIO

I.

RECENSENTUR VARIORUM ELUCUBRATIONES DE VITA ET REBUS GESTIS S. THOMÆ.

Thomæ Cantuariensis archiepiscopi Vita ex variis coætanorum colligitur testimoniis, quæ eo ordine recenseri possunt :

Primo loco, Epistolæ, tum archiepiscopi ipsius quum variorum ejusdem ætatis, de quibus infra ;

Secundo, memoranda quæque ex coævorum Chronicis, Matthæi Parisii scilicet, Bromptoni et cæterorum, collecta ;

Tertio, Vitæ ipsæ ad tunc temporis etiam exaratæ, de quibus prolixius in tomi primi principio disseritur.

Nunc brevius satis erit meminisse complures etiam Thomæ Vitas a coætaneis esse descriptas, quarum :

I. VITA SANCTI THOMÆ, AUCTORE EDWARDO GRIM. — Monachus erat ille Grim, qui Thomæ ab exsilio Cantuariam redeunti obvius fuit ; ejusdem tunc primum cum scelestis illis, qui mox eum necaturi erant, colloquentis assecla ; occumbenti etiam testis et fidelis utique, sed eheu ! inutilis adjutor. Opus quod sub nomine ejus hic datur in tribus Britannici Musæi codicibus inventum est [Ar. 27, Vesp. E. X. Vitell. c. XII] ; quorum quidem unius exemplar, a Galeo exscriptum, in Cantabrigiensi Sanctæ Trinitatis Collegio nunc asservatur. Quam Vitam ab Edwardo Grim descriptam esse declarant hæc verba quæ martyris historiæ præfixa sunt : *præciso eodem ictu brachio hæc referentis*. A Surio quidem abbreviabatur et edebatur in *Actis Sanctorum* ; cujus etiam fragmenta nonnullas *Passionum* illustraverunt.

II. VITA EJUSDEM, AUCTORE ROGERIO DE PONTINIACO. — Accipitur ex ms. codice quodam regiæ bibliothecæ Parisiensis [nº 5615] cujus exemplar etiam, inter Galei mss. codices, in Sanctæ Trinitatis Collegii bibliotheca, Cantabrigiæ invenitur. Quis fuerit auctor ex opere ipso omnino latet ; in prologo vero refertur archiepiscopo, tunc Pontiniaci degenti vitam, monachum quemdam ministrasse, quum ex alias præmissis Rogerium quemdam, monachum nempe, et Thomæ Pontiniaci ministrantem, exstitisse videamus, qui non multo post, domini sui, jam de medio sublati, ipse scripturus erat historiam. Rationi ideo admodum consentaneum ducimus suum auctori opus restituere. Videres quoque ad calcem Parisiensis ms. codicis, sub rubrica *Hæc quæ sequuntur in alia legenda sunt* : « Quis quod sequitur sine lacrymis, etc., » nisi ad aliam Vitam, auctore Joanne Sarisberiensi, referenda essent. Quæ excipit *Prologus in visiones*, breve scilicet compendium de miraculis Thomæ, alias quoque et multo prolixius enarratis. Et in his verbis explicit tomus : *Explicit Vita et passio, miracula et signa sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto per me Lodewinum Confluentiæ fratrem hujus domus, in crastino Luciæ virginis et martyris*.

III. VITA EJUSDEM, AUCTORE WILLELMO FILIO STEPHANI. — Pretiosissima inter omnes, a Sparkio evulgabatur in *scriptoribus Historiæ Anglicanæ*, fol. Lond., 1723. Quis nomine ac dignitate fuerit et quomodo ad plenam nefarii hujus certaminis, in quo Thomas oppressus est, notitiam auctor pervenerit, ipse nos in procemio commonitos esse voluit. In parte prima laudatur ea Londini urbis sub Henrico II descriptio, quæ doceat lectorem simul et magnopere alliciat. Idem opus in *Lelandi Itinerario* multo splendidius excusum, sed copiosius minime. Utrumque nos equidem unum cum altero collatum, ad usus nostros, accuratissime redegimus : compluribus insuper additis, quæ ex dato a Dulci [*Douce*] Oxoniensi universitati ms. codice omnia deprompta sunt.

IV-V. VITA EJUSDEM, AUCTORIBUS ALANO DE TEWKESBERIA ET JOHANNE SARISBERIENSI. — Duæ archiepiscopi Vitæ in Bodleianæ bibliothecæ mss. codicibus exstant, ita compositæ indeque typis excusæ, ut nil propositi in Alano esse constet, nisi quæ desunt in brevi nimis compendio Joannis Sarisberiensis, omnia ipse sufficiat. Quod quidem Joannis opus non tantum ad collectionem fol. quamdam, pervetustam sane, quæ *Acta sanctorum* nuncupatur, pro parte accedit ; sed et in compluribus mss. codicibus inseritur in integrum. Quamobrem nos illud accuratius, collatis inter se Bodleianæ ms. cod. [nº 937], Dulcis [nº 287], nec non variis locis e Quadrilogo depromptis, typis mandare voluimus. Cum autem Bodleiano illi nº 937 copiosa epistolarum series innectatur, concedas necesse est, si modo illis consentias quæ in Alani Vita principio Epistolarum præmittuntur, Alanum, non Joannem, ut dicunt, has collegisse epistolas, veluti a Thoma et coævis ejus descriptas. Quod semel admissum tuetur et confirmat singularis illa Bodleiani ms. cod. nº 937 vetustas, nec pluribus equidem impar, talis saltem, quæ post Alani tempora initium sumpsisse non habeatur.

VI. VITA EJUSDEM, AUCTORE WILLELMO CANTUARIENSIS. — Desideratur nimis, vel unum quodlibet, Vitæ hujus exemplar. Quapropter pro virili sua enixus est Editor ut, quæ loca passim in Quadrilogo usurpata fuerant, ipse colligeret et collecta ita recenseret ut argumento omnia consentirent. Contextum vero ut reviseret emendaretque, fragmenta illa contulit codici ms. Duacensi nº 810 : citius quidem, sed attente satis, ut scriptorem transcriptoremve in recensendis nominibus auctorum et operibus minime fidum invenerit. Inde lectorem ipse admonitum velit plura equidem sub Willelmi hujus Cantuariensis nomine fuisse laudata quæ ad eum nullo pertinere modo comprobantur. Auctoris ipsius nulla quasi memoria. Utrum sit idem ac ille Cantuariensis prior qui litteras quasdam ad Gilbertum Foliot direxisse dicitur [vol. II, p. 171], hoc etiam incertum.

Unum fortasse restat certi ac singularis pretii, inter tot levia verba, monumentum, id est specimen quoddam sermonis, prout ratio temporum rerumque ferebat, Anglice instituti.

VII. VITA EJUSDEM AUCTORE E. DE EVESHAM. — Præfatis exceptis et de translatione martyris [a. 1220] capitulo quodam superaddito idem est Vitæ hujus atque Quadrilogi secundi argumentum. In Britannici Musæi ms. codice, unico et perantiquo illo [Cott. Vesp. B XIV, fol. 33], opus continetur ab E [lia] Eveshamensi exscriptum et Henrico Croylandensi abbati dicatum, ad id temporis, ut apparet, quum de translatione martyris quam maxime ageretur (1). Veniam igitur condonet mihi lector, si totum ipsum corpus operis omisisse videar, qui omne quod desiderandum foret admisi, præfata scilicet et cætera omnia quæ in capitulo superaddito digesta sunt.

VIII. VITA EJUSDEM, AUCTORIBUS HENRICO ABBATE ET ROGERIO MONACHO CROYLANDIÆ. — E folio ms. codice copioso vere, in Regia Bibliotheca Parisiorum, nº 5372. Præmittitur præfatio una, quam altera excipit : illa quidem, auctore Henrico Croylandensi abbate, ad opus Langtoni Stephano dicandum ; hæc autem Croylandesi quodam monacho, nomine Rogerio, qui, et si ab Henrico eodem, ut opus iterum jam typis mittendum castigaret atque augeret se jussum esse dicat, nil novi tamen, se ipso auctore additum fuisse profitetur, nisi verba quædam, pauca nimirum et in id unum argumenti intenta ut Epistolas quarum hic etiam pars magna accedit, temporum ordine recenseret. Quod opus, sic descriptum, haud aliter nos evulgandum esse curavimus ; quippe cui cum Lupi Quadrilogum ac Vitam auctore Eveshamensi contulerimus, idem, quasi verbatim adeoque ex tribus constare invenimus, ut exceptis epistolis et colligentis Rogerii verbis, nihil omnino supersit. Causa est igitur cur totius libri summam, nisi præfata ejus et quasi specimen quoddam sermonis, in quantum à Lupi editis maxime distat, dimiserimus. In præfatis autem videres, ad calcem,

(1) Nescitur equidem collector iste : nisi ego in vetusto quodam libro cujus nomen me fugit id compertum habuerim. Vitam scilicet quamdam archiepiscopi ab Elia Eveshamensi esse descriptam.

primum hoc opus ad ultimos Richardi regis annos excusum fuisse ; idemque iterum a. D. 1213, Joannis regis 14.

IX. VITA EJUSDEM, AUCTORE ANONYMO, QUI SE DECIMUM APPELLAT. — Seu ex variis excerpta, ut fatetur collector ipse. Præfata insunt quæ in historias illustrando et qui sint earumdem auctores demonstrando haud minoris quam priora momenti apparent. Vita autem ipsa brevis, in duodeviginti scilicet capitibus descripta. Occurrit duobus Regiæ Bibliothecæ Parisiorum mss. codicibus nos 5371 et 5373 ; sed a Quadrilogo quamvis multum in dicendo discrepet, non nobis tamen, quæ huic nostræ collectioni suppeteret, digna satis inventa est.

X. VITA EJUSDEM, AUCTORE BENEDICTO ABBATE PETRIBURGENSI. — Ex Cantuariensi monacho Petriburgensis abbas, ille Benedictus omnibus ipse quæ digessit, Thomæ ideo passioni, testis oculatus evasit. Cujus autem argumentum cum totum singillatim non exstiterit, sed ex variis quæ in Quadrilogo passim habentur locis depromendum esset, textus igitur Quadrilogi ms. codici in Oxoniensi C.C.C. bibliotheca præservato a nobis collatus est. Benedictus de Vita Henrici II regis luculenter egisse videtur. Idem de Thomæ miraculis. Quod ultimum opus in illam miraculorum collectionem, refertissimam vere, immergendum ivit quæ in Lotnithisense bibliotheca, in Parisiensi, Bruxellensi superest, nec non in Bodleiana, nisi copiosa multo minus. Cæterum ista miracula, quia ad historias authentice probandas minime pertinent, nullo negotio dimittimus, quippe quæ quo magis inquiras, eo magis a proposito dissonant (2).

XI. PASSIO EJUSDEM, AUCTORE ANONYMO LAMBETHIENSI. — In Lomithisensis bibliothecæ ms. codice fol. sæculo XIV exarato. Inest eidem illa Miraculorum amplissima collectio de qua modo disserebatur. Deest vero auctoris nomen : deest etiam argumenti principium ut ex abruptis ejusdem apparet. Quo tempore absoluta fuerit nulla ratione posita, nullo die vel anno, statuat quisque ut sibi libuerit. Opus ipsum, ut ut sit, ad hanc illam ætatem, cujus judicia et sensus de vita moribusque martyris tam diserte amplexum est, pulchre pertinere videtur. Quod etiam auctor, quisquis sit confirmat et ipse, quum occumbenti martyri testem oculatum se esse declaraverit.

XII. PASSIO EJUSDEM, AUCTORE ANONYMO. — Tractatus brevis, e ms. cod. Bedleiano no 509, fol. 15, quem Parisiensi ms. cod. no 5278 collegimus, excerptus.

XIII. PASSIO SECUNDA. — Alia *Passio* brevis, primum in *Gregorii* (sancti) *operibus*, ad calicem edita, *Voss.* 4o, *Mogunt.* 1604, *e cod. ms. lectionario Basilicæ S. Petri in Urbe.* Colligebatur textus Par : ms. cod. no 5308.

XIV. PASSIO TERTIA. — Duobus prioribus non absimilis. Edebatur e Paris. ms. cod., [no 3414].

XV. PASSIO QUARTA. — Item e Paris. cod. ms. [no 5269].

XVI. PASSIO QUINTA. — Edidit primum (dom.) Martenius in *Thesauri anecdotorum*, t. III, p. 1737. Quam utique auctore Edwardo Grim, descriptam esse concludas necesse est, si modo rubricæ ad calcem positæ assentias, ubi supra laudati hujus hæc verba : *præciso vero eodem ictu hæc referentis brachio*. Sed quicunque in his animadvertendis sese, vel leviter, implicari permiserit, is admodum contraria admittet : passionem videlicet istam non tanta vetustate antiquissimam esse quanta faciebant ; imo nihil aliud esse ac congeriem quamdam, quæ, lectionaria, ut dicunt ad usum Ecclesiæ, sicut alia ejusdem pretii opera, undecunque inconsulte nec indigeste minus exaggerata fuerit. Nos excudimus, collato textu Martenii cum ms. codice Valencenensi et Parisiensi no 5281. Sed et alia ejusdem invenias exemplaria, Bruxellense scilicet, no 7959, Montense et Londinense e Mus. Britan.

Duo accedunt ad illas quinque Passiones : una, v. g. in Burgundiana Bruxellorum bibliotheca asservata, quæ incipit : *In Anglia*, etc. ; altera inter Fulmani transcripta, in C.C.C. Oxoniensis. Sed cum ne minimi quidem momenti sint, satis est, et plus quam satis fortasse dices, ea vel pauca, de passionibus istis explicuisse.

XVII. VITA EJUSDEM. [Quadril. I]. — Multo majoris est pretii illa collectio. Edebatur Parisii, 4o 1495 sub hoc titulo : *Vita et processus S. Thomæ Cantuariensis super libertate ecclesiastica;* sed ab omnibus fere *Quadrilogus* nuncupatur. Totum hoc opus ex variorum fragmentis constat ; quorum uno vel duobus exceptis, idem est ac Quadrilogus secundus. Cujus igitur, collatis inter se codicibus, illa tantum ex uno edidimus, quæ in altero desunt, nisi illa ipsa in aliis libri hujus nostri loci inventa fuerint.

XVIII. *Vita sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi et martyris, ab anonymo quodam scriptore ex aliorum scriptis compilata.* — Sub hoc titulo Vita inseritur jam a Lupo edita, seu Quadrilogus secundus. Nec mirum si auctori cuique fragmenta, quæ sua sunt, restituere nequeas, cum hoc tantum generatim collector ipse dicat ab Alano, Herberto, Willelmo Cantuariensi et Joanni Sarisberiensi materiam suam accepisse ; quibus addas Rogerium nam plurima ipse tertii libri argumento sufficit. Opus, nedum recentius, prius typis excusum fuisse quam Quadrilogum nomine primum nobis videtur. Sed ut liquidius res innotescat, dicam quo rerum ordine hæc opera omnia collecta fuerint.

Escriptoribus Vitæ archiepiscopi primus accedit, ut videtur, Guerneus de Ponte Maxentii, a quo poema quoddam anno post mortem Thomæ quinto de eadem re conditum est. Quod equidem, in Britannico Musæo asservatum, nos, ad veterem Normannicum sermonem illustrandum, mox typis mandaturi sumus. Sed quia perpauca nimirum poemata sunt qui in re historica enucleanda valeant, a præsenti proposito nostro illud ipsum secludere decernimus.

Constat suam navasse operam Herbertum anno post Thomæ obitum quinto. Ad quid vero temporis Joannes Sarisberiensis, Edwardus Grim, Rogerius Pontiniacus, Willelmus Cantuariensis, Benedictus Petriburgensis et Willelmus Stephani filius scripserint, suam quinque, Thomæ archiepiscopi Vitam subobscurum est, si non penitus in incerto. Hoc tantum animadvertas, Edwardum Grim scilicet quum prius vita functus esset quam Herbertus ipse rei litterariæ se immiscuerit, priorem idcirco in Vitam Thomæ archiepiscopi enarranda exstitisse.

Suum deinde breve compendium eo edebat Alanus Tewkesberiensis modo, ut Joannis Sarisberiensis desiderata suppleret qui et Epistolis Thomæ utrumque opus præmisit. Quæ omnia, si ad quasdam Herberti de Bosham animadversiones attendas, sic collecta sunt et descripta, auctore Alano e Joanne Sarisberiensi, a. D. 1185.

Sequitur Lomithisensis ille scriptor qui rebus gestis testis oculatus exstitit et quidquid descripserit, ex seipso descripsit. Hunc excipiunt alii duo : quorum unus, Lansdowniensis ms. codicis [398] auctor, etsi nil tanti ponderis exegerit ut a nobis restitueretur in integrum, ea tamen antiquitate se commendat quæ

(2) Subinfer *Anglicano*. Falso enim concluditur, quia præmittitur falso. Miracula equidem, etsi supernaturaliter, **tamen ut in oculis complurium perfecta, ad authentica pertinent, ergo ad propositum.** — ED. P.

eum ipsum Thomæ coætanum fuisse probet; alter vero. Paris. ms. cod. anonymus auctor, cujus præfata usurpamus, sibi, tum juveni. Edwardum Grim jam senescentem occurrisse asserit. Ipse ideo inter coævos Thomæ deputandus foret, nisi omnia quæ exscripsit a seipso ex Variorum historiis collecta esse fateretur. Quorum ideo nihil, præfatis exceptis, ad nos pertinere arbitramur.

Hæc de coætanorum scriptorum serie, quam sequitur altera, id est quasi coætanorum. Siquidem tempore translationis Thomæ [a. D. 1220] cum celebrasset martyrium Stephanus Langtonius, multis æmulantibus et scriptitantibus, pullulaverunt Thomæ Cantuariensis archiepiscopi Vitæ. Plurima equidem sunt istius generis opera, sed adeo similia, ut, prologo excepto et locis quibusdam in dicendi modo solum inter se discrepantibus, idem ubique invenias. Inde utrum temporis ordine præcesserit Ælias Eveshamensis an Croylandensis Rogerius; an collector Quadrilogi primi, an secundi, illud omnino ignoratur. Quod si absolvere contendas, res non parvi negotii est, momenti vero minimi. Quamobrem id nobis eo magis placet quo verisimilius esse videtur, omnibus idem, autographum scilicet vel exemplar, adfuisse; quod, ut quisque suum faceret, dum in præfatis et locis quibusdam vel etiam mendis desudaverint, frustra utique conati sunt. Nam si cunctis mens eadem furandi non deerit, nullus equidem voti sui compos exstitit. Cæterum, ut finem faciamus, lectorem volumus admonitum nos Quadrilogum primum in colligendis verbis semper secutos fuisse. Hunc autem excudendum ab omnibus locis illis disjungimus quæ sibi varii auctores tam sæpe laudati vindicabant. Ideo nihil apud ipsum hic invenies quod ad collectorem ipsum pertinere non videatur. Quamvis, si omnia sibi constarent et cuique suum redderetur, multo minoris etiam momenti haud dubie remaneret. Aliter, nil proprii habet Quadrilogus secundus, nisi forte totum illud opus quod *Gesta post martyrium* nuncupatur. Cujus autem sit istud, utrum collectores ipsius qui de rebus gestis post Thomæ obitum digressus est, an Herberti de Bosham qui in libro Melorum eadem ratione temporum nactus est argumentum idem? Sub judice lis est. Videas tandem excerpta omnia quæ, latente auctore vel codice, ad fontem referri non possunt, uncinis tamen esse insignita perinde ac si locum quempiam suum in mss. codicibus nunc deperditis vel ignotis haberent.

XIX. Hactenus de Vitis Thomæ; quas excipit Hymnus ex Atrebatensi ms. cod. [nº 557] excerptus et sic completur tota biographorum series.

DOCUMENTA HISTORICA :

XX. *Causa inter Cantuariensem archiepiscopum et episcopum Londoniensem.*—Accipitur a ms. cod. Cavei in Gilberti Foliot epistolis (Bodl. e Mus 249], ubi occurrit sub nº 176; sed neque ex titulo neque ex auctoris nomine constat. In quo agitur de Londoniensi episcopo excommunicato A. D. 1169.

XXI. *Capitula concilii Alexandri tertii habiti Turonis.* — Turonensis Concilii A. D. 1163 celebrati recensentur acta et decreta. Occurrunt in ejusdem Bodleianæ ms. cod. [e Mus. 249 fol. 231].

XXII. Qua jurandi formula juris se alligaverit Girardus Pucelle, antipapæ partes derelicturus, explanatur. Inest Lupi Epist. lib. xv, nº 176; sed hic melius Documentis historicis.

XXIII. Sequentia apud Lomithis. biblioth., in uno quodam Warthonii transcriptorum, ex antiquissimo ms. codice ed. Hæc animadvertit Warthonius :

Primus, inter Angliæ reges Henricus IV, sancto illo chrismate unctus est, quod de cœlo descendit *in ampulla lapidea, inclusa aquilæ aureæ* [sic]. De quibus ritibus disseritur satis in Walsinghamii Hist. 4º *ipso statim initio*, nec non in aliis hist. ab eodem laudatis (Vid. Selden. Tit. Hon. p. 153 ms. cod. in biblioth. Cott. Idem est, ut videtur, ac ille quem legas ad calcem tertii tom., in operibus Joannis Tinmuthicensis, apud Lomith. bibl. cod. ms. fº 12, de cujus infra.)

XXIV. Accipitur hoc fragmentum e vol. III novissimi Thomæ Epist. ms. codicis in quinque vol. fol. digesti, in Trin. Coll. Cantabr. bibl. nunc asservati. Duo transcripta ejusdem huic vol., insunt quæ argumento quidem concinunt usque ad verbum *apostolicam*, verum a proposito sub finem discedunt et in alienarum epistolarum sententias declinant. Unde translatorem erravisse et finem fragmenti ipsius deesse credere est.

XXV. Summa causæ, etc. E Dulcis ms. cod. [287] in Bodleiana bibliotheca asservatum. Videas, si modo Thomæ Vitæ, auctore Fitz Stephano hoc documentum conferas, Vitæ illæ ipsæ exerceptum quoddam inesse, ab argumento maxime dissonans. Quod mendum Editor ad calcem tomi cum animadverteret, ipse tamen excerptum ad suum referre locum minime potuit. Porro Summa causæ parte illa quæ *de prima* nuncupatur, occurrit sub nº 164 * in Epistol. Gilberti Foliot e Cavei ms. cod. [apud Mus. 249]; parte autem secunda, id est *de compromissione*, invenitur in Epist. 12, lib. i Thomæ epist. a Lupo ed. Verum Clarendonensia decreta sexdecim dimittebat, quia alias evulgata fuerant. Sic et nos. Tertia pars seu *De exsilio* etc., accedit nº 158 in Cavei ms. cod.

XXVI. De juramentis, etc. Invenitur in ms. cod. supradicto Trin. coll. Cantab.; item in cod. Brit. Mus., Tit. D, XI : art. 8.

XXVII. E Cavæi ms. cod. nº 178; Dulcis nº 64*.

XXVIII. E Lomithisensis ms. cod. [136] nº 5, cum Parisiensis cod. 5372 nº 47 coll.

XXIX. E Claud. B II, lib. ii, ep. 130; Bodl. 947, nº 176, part. iii.

XXX. E Paris. ms. cod. 5372.

XXXI. E Claud. B II. Epist. excipit illas quæ hisce verbis incipiunt : *Non ignorant.*

XXXII. Stephani Langtonii sermo, e Lupi ed. translatus.

XXXIII. *Tractatus de promissione beati Thomæ martyris, videlicet quod talis esset sibi successurus, qui ecclesiæ Pontiniacensi recompensaret pro liberalitatibus sibi tempore sui exsilii impensis.* E Martenii Thesauro, vol. III p. 1873, post B. Edmundi historias; parvi equidem pretii, sed numerus ipse.

XXXIV. Excerptum e cod. Mus. Britan. Reg. 13. E. VI.

XXXV. Hæc de documentis et completur tomus, edito ad calcem fragmento de quodam Vitæ archiepiscopi in Lansdownensi ms. cod. descriptæ. Asserit auctor eo tempore se vixisse vitam de quo deinde ipse disseruit.

Hactenus igitur hæc de variorum Vitis et Documentis historicis. De Heriberto Boshamensi dicendum nobis erit infra. Videas tantum, cum una typis ambo mandarentur, materiem cujusque eo digestam fuisse modo, quem, nisi colliget textus et elucidet, intelligi minime potest. Nunc ad epistolas Becqueti transeamus.

II.

EPISTOLÆ S. THOMÆ.

E testimoniis cunctis magni istius discidii, quo Henricum II inter et Thomam Cantuariensem archiepiscopum tam diu dimicatum est, plurimi sunt momenti virorum illorum Epistolæ, qui tam funestæ rei pars aliqua vel minima, ipsi fuerunt. Quarum utique autographa plura, ut ex ipsis passim accipias, ab archiepiscopo fidei Vaticanæ bibliothecæ nec non forte locorum aliorum demandata sunt. Earumdem vero epistolarum, cum plurima exemplaria inveniantur, nullum pretiosius quam illud quod in Vaticana bibliotheca quoque superest. Jamdudum equidem Epistolæ multæ in *Historia quadripartita* seu Quadrilogo, Parisii, a. 1495 ed. excusæ fuerant, cum vim totam, id est quingentas vel sexingentas epistolas, quas omnes in Vaticana invenerit, edidit Lupus, Bruxellis a 1682 sub hoc titulo *Vita et Epistolæ sancti Thomæ*. Nam sancti epistolis Vitam præmittebat editor ex Variorum scriptis depromptam et totum opus eo nuncupabat nomine quo prius, id est Quadrilogum. Omnia illa iterum in Lupi fol. editione invenies. Præterea exstant in *Rerum Gallicarum et Francicarum scriptoribus* trecentæ circiter Thomæ et coævorum epistolæ, quas ex duobus Regiæ Biblioth. Paris. primus vir clarissimus D. Bouquetus edidit.

Quod si ad nomen subscribentis cujusque attendas, occurrunt in primis Alexandri papæ epistolæ plurimæ ; Joannis Sarisberiensis deinde, nonaginta ferme ; Gilberti Foliot, quinque vel sex ; Arnulphi Lexoviensis, multo plures ; Henrici II regis, paucissimæ. Cum autem Arnulphi ac Gilberti Foliot epistolæ cum aliis eorumdem operibus singillatim ederentur, e re litteraria minime visum fuit bis in idem repetere. Item de Joannis Sarisberiensis epistolis. Verum, his exceptis, alia omnia hic invenies quæ ab editoribus cunctis hucusque collata fuerint. Videsis modo materiem sic ad argumentum fuisse redactam, ut pars una Epistolarum Gilberti Foliot Collectioni insereretur ; pars altera, Thomæ. Quod equidem in procemio ad Gilbertum jam notavi. Sed hic vere bis repetita placent, ne quid ex antehac editis apud nos desiderari existimes.

Sub finem tomi adest epistolarum index, ita ordine alphabetico digestus, ut hanc novissimam cum prius editis, imo cum mss. cod. conferre possis editionem ; nisi vero Arnulphi Joannisque Sarisberiensis epistolas, quippe quæ sigillatim editæ sunt, ad suum peculiarem locum requiras.

Sic colligebatur Epistolarum editio illa nostra, refertissima vere, ut pote quæ tam plurima tunc primum in lucem adduxerit : nullis exceptis, ut diximus, nisi quæ ad Arnulphi Joannisque Sarisberiensis opera pertinent et in hisce libris, a nobis quoque editis, inveniuntur.

Hanc seriem Epistolarum universam, ut Alanus Tewkesberiensis primum, sic deinde Lupus pro ratione temporum instituit ; verum difficultates plurimas, si non errores in eo chronologico ordine reprehendes. Quapropter, ut in Gilberti Foliot Epist., ita aliam secuti sumus viam. Quum enim quid scriptum sit et quo auctore scriptum præsertim inquiras, in eo dignitatis vel gradus ordine propalamus litteras, ut res tibi liquido innotescat. Legas igitur in utraque collectione Thomæ vel Gilberti Foliot primum, ut illius de quo agitur, epistolas ; deinde vero SS. Pontificum, cardinalium, archiepiscoporum, et sic deinceps usque ad ultimum in ecclesiastico ordine novissime positum. Quod si adsint plures ejusdem dignitatis vel gradus scriptores, tunc alphabetice, nomine sedis vel abbatiæ, vel prioratus, vel etiam parochiæ colligendi sunt : Cantuariensis, verbi gratia, Eboracensis, Moguntinensis, etc. Postponimus tandem, ut decet, laicos omnes scriptores, reges scilicet, reginas, primates, equites, etc. Et sic, simplici intuitu, quisquis es, epistolam quamlibet si appetas, cito nactus es. Qui fortasse, dum in minimis quidem, sed levius attendis, rem ad votum perfecte non deductam esse senties ; verum attentius intuere, quæso : videas enim idem, verbi gratia, nomen variis in locis posse usurpari. Quia autem adeo copiosissima est collectio, ut rudis nimirum indigestaque moles habeatur, nisi quo fuerint scripta eodem ordine omnia commemorentur, index annectitur secundus qui rem chronologicam ipsam pulchre patefacit.

Colligebatur opus cum plurimis mss. codicibus de quibus in notis largius disseritur. Qui sint et unde sint satis erit hic meminisse :

4 scilicet in Bodleiana Oxoniensi bibliotheca ;
2 in S. Joan. coll. bibl. Ox. ;
2 in C. C. C. bibl. Cant. ;
1 in Trin. cur. bibl. ejusdem loci ;
1 in Lomith. bibl. Londin. ;
6 in Mus. Brit.
3 in Reg. bibl. Paris.

VITÆ S. THOMÆ TABULA CHRONOLOGICA

1116. — In terra sancta captus Gilbertus Becket inservit Amurath, cujus filia christianum servum Mathilda deperit.
1117.— Fugit Gilbertus et Londinum repetit, comitante Mathilda ; quam, modo nuptam, deinde relinquit, iterum cruce signatus.
1118. — Natus est Thomas Becket. Eadem nocte Gilberti domus incenditur.
1121. — Redit Gilbertus.
1130-35. — Ad id temporis, Thomas prioris Mertonensis tutelæ demandatur alumnus.
1139. — Obiit Mathilda.
1140. — Apud Parisios studiis vacat Thomas Becket.
1141-43. — Osberni Octonumini [*sic*] clerico fungitur officio. Non multo post ad Theobaldi archiepiscopi curiam accedit, ubi diaconus, deinde archidiaconus ordinatus Otfordii et S. Mariæ ad rivos [*Strand*] beneficia, Beverleiacum dominium, nec non alia privilegia obtinet.
1155 [*al.* 58]. — In cancellarium eligit eum atque recipit rex Henricus. Pacem regni Thomas reformat.
1159. — Inter Tolosanum comitem et Francorum regem bellum desævit.
1160. — Ad Francorum regem delegatus accedit Becket.
1161. — April. 16, obiit archiep. Theobald.
1162. — In archiepiscopum eligitur Thomas. Westmonasterii, feria quinta ante *in albis* confirmata electione, Cantuariæ, *in albis*, ordinatur presbyter, mox a Vincestriensi Henrico in archiepiscopum consecrandus. Ipse dicat Readinensem abbatiam et præest S. Edwardi, cognomine confessoris, corporis translationi, quæ equidem, eo procurante, splendidissime celebrata fuit. Privilegia, non jure irrogata, revocantur.
1163. — Concilio Turonensi adest. Quia Ecclesiæ reformat pacem, regem a se alienat.
1163. — Kal. Octobris concilium usurpat Westmonasterii Henricus rex. Abest Joannes Sarisberiensis exsul.
1164. — Celebratur Clarendonense concilium. Ter fugæ consulit incassum Thomas Becket.
1164. — Pridie Non. Octobris seu feria tertia, usurpatur Northamtunense concilium ; aufugit archiepiscopus III Id. (feria tertia) ac Flandriis perlustratis papam Senonæ adit; quo jubente, Pontiniacum pergit, ibidem commoraturus.
1165. — Annum quiete perducit Pontiniaci.
1166. — Fautores quosdam regis excommunicat ; quam excommunicationem, Vezelæi, regi ipsi minatur.
1167, 68, 69. — Per hos tres annos, dum subdole undequaque conversantur et fide ficta ad Romanam sedem appellant, Londinensem et Sarisberiensem episcopos Thomas vinculis innodat excommunicationis. Tum rex, ad componendam pacem inter omnes, apud *Montmirail*, Montem Martyrum et alibi cum schismatico imperatore Frederico consilium init.
1170. Freitvillæ, tandem conceditur ut archiepiscopus sedem suam repetat; quod tamen per nonnullos menses, semper reluctancte rege, non efficit.
1170. — IV Non. Dec. cum denuo rediisset archiepiscopus, vix quatuor hebdomadis tum Londini quum Cantuariæ exemptis, a quatuor equitibus idem, in sua ipsa Cantuariæ metropolitana ecclesia, P. M. hora quarta, IV Kal. Januarii trucidatur, ac die sequenti in ecclesiæ ejusdem crypta tumulatur.
1221. — Translatio Thomæ, cujus reliquiæ, astantibus Henrici III rege, primatibus et totius regni clero, in splendidissima capsa deponuntur.

SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

VITA PRIMA

AUCTORE EDWARDO GRIM

PROLOGUS.

Professores artium sæculi proprios singuli conatùs habent, quibus ad altiora conscendant, et quid emolumenti ferat perfectio disciplinæ, quam professi sunt, infatigabili perpendentes intuitu, dum ex finis proventu conatus sui leniunt inclementiam, quasi quodam animati compendio viæ robustius ad proposita consurgunt. Et hi quidem, ut transitoriam quandoque coronam consequantur, quos labores, quæ certamina subterfugiunt, quibusve nonnunquam subduntur injuriis vel quid reputant impossibile? Sed horum profecto laboris industriam qui mundo militant, cum mundo perire nullus ambigat, nemo aliud affirmare conetur. Cum igitur nostra sit causa dissimilis, quibus Christus proponitur via, laborum finis æterna promittitur vita, quanta, quæso, inter varios ac multiplices mundi casus opus est vigilantia! Non nos a proposito vitæ remissioris lenocinia labefactent: non revocent a recto tramite laboris incommoda viæ, quibus felici commercio pro caducis æterna, pro terrenis cœlestia præparantur. Et ad hæc quidem ut alacrior aspiret Christiana devotio, sinistra perversorum æmulatione contempta, illorum gradiamur via, innitamur vestigiis, quorum astruit fidem conversatio sancta, commendat vitam consummatio felix et gloriam nobis virtutum insignia clamant. Neque enim Christianæ professionis est ab his vivendi formam contrahere, quos vel opus invalidum reddit infames, aut imperfecta voluntas compellit a proposito relabi. Verum si te quæcunque infirma anima ad correctioris vitæ vias temporis ut assolet interjectu veterum minus accendit auctoritas, ubique consulit, ac medetur indevotioni nostræ misericors providentia Salvatoris. Ut si veterum facta fastidimus, vel hunc pudeat imitari nolle quem licuit intueri. Auctor igitur humanæ salutis, dum multorum refrigescente charitate et abundante malitia, quasi minus curasse creditur temporalia, sicut semel assumptæ humanitatis exhibitione, visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, sic per suos invisibilis operatione majestatis quos redemit ad meliora incessanter invitat. Ac ne tanti muneris exsors videatur hic noster dies, novus in medium procedat A Christi miles, et martyr egregius beatus Thomas sanctitatis spectaculum, justitiæ norma, incentivum patientiæ, virtutis exemplar, assertor invictissimus veritatis. Sed quid mihi, inquis, cum martyrio? quid cum miraculis quæ non humanæ viribus efficaciæ tribuenda sunt, sed Deo? Bene: non nos tibi martyrium, nec miracula proponimus imitanda, sed vitam considera martyris plenius, contemplare mores, mirare hominem, inter omnes mundi divitias, et quidquid pretiosum æstimatio habet humana, tantam animi tenuisse constantiam, ut nec prospera illum ad amorem mundi mollescerent, nec adversa quævis ab amore Conditoris, ut primum sensibus ejus cognitio sese veritatis infudit, aliquatenus retardarent. Unde fundatus et ipse supra firmam petram, B jure cum Apostolo proclamabat: « Quis me separabit a charitate Christi? » Passus siquidem tribulationes multas et malas, exsilium dignitatis, privationem rerum omnium, proscriptionem et, quod altius insedit animo et vehementer afflixit, charorum lacrymas et desolationem; sed hæc universa alta mente transcendens, devotior in dies reddebatur, nequaquam similis insipienti cui psalmus improperat quoniam confitebitur tibi cum benefeceris ei. Pie igitur parere cupientes quorumdam devotioni, qui gesta martyris pretiosi plenius nosse solliciti sunt, quæ ad nostram pervenere notitiam, illorum scilicet relatu, qui viventi familiarius adhæserant, vel nos ipsi perspeximus, ipsius de quo loquimur patrocinantibus meritis stylo perstringere satagemus, C præmonentes lectorem, minime consonare veritati, quidquid hinc alii vel scripserunt, vel scripturi sunt, quod huic narrationi nostræ probetur esse contrarium. Plane ad hæc agenda, etsi minus dignos nos pro materiæ dignitate non levis nos addicat præsumptio, sensusque confundat inopia, sed rursus amor erigit trepidantem, invitat devotio, et animant non mediocriter ad loquendum profluentia ab ubertate domus Dei stillicidia gratiarum: quibus per hunc famulum suum Salvator faciem terræ non desinit irrigare. Etenim si sileamus nos, solutus in laudem martyris mutorum lingua, et quam accepta Creatori fuerit illius et vita et mors, virtutes lo-

quuntur. Nostræ igitur devotioni lineas rectitudinis A nunquam in scribendo excedere, per beati Patris nostri merita gloriosa, spiritus veritatis inspiret, ut pura ac fide plena prosequatur oratio quod pia aggredimur intentione.

Electus igitur ante mundi constitutionem in Christo sanctus Thomas ortu suo felici Britanniarum caput Londonias illustravit. Pater ejus Gilbertus, cognomento Beket, mater vero Mathildis fuit : ambo generis ac divitiarum splendore suis nequaquam concivibus inferiores; quibus e regione morum ingenuitate et piæ conversationis innocentia longe excellentius præeminebat. Justitiæ siquidem actionibus insistentes, sine crimine et querela, ut traditur, conversati sunt, ut ex iis tanquam Zacharia et Elizabeth novum se lætetur Anglia suscepisse Joannem. Nec B hunc immerito pro modo suo Joannem dixerim, cui quanta cum Joanne fuerit convenientia pœnitentiæ, labor et amor indicat veritatis, pro qua usque ad mortem decertans, nec sub gladio quidem trepidavit, quominus testimonium redderet veritati. Sed hæc sequens sermo loquatur. Nunc autem, ut paulo altius seriem repetamus historiæ, de visionibus breviter intuendum est, per quas futuram credimus sanctæ sobolis excellentiam præfigurari.

DE VISIONE MATRIS SUÆ.

Brevi ergo intervallo postquam concepit mater, vidit in somniis in sinum suum universam aquam Thamensis fluminis influxisse. Quo illa muliebri metu perfusa ac suspicata laborem quempiam peregrinum, quem vulgus consuevit interpretari per C aquarum exuberantiam, audivit econtra a sapiente interpretationem divinitus inspiratam : unde meruit non mediocriter consolari. « Nasciturus, inquit, ex te reget populos multos. » Et alter quidam, in nullo dissidens a prioris sententia, adjecit quod fluenta gratiarum esset accepturus, quibus natale solum instar fluminis irrigaret, commemorans illud evangelicum : « Qui credit in me, fluent de ventre ejus flumina aquæ vivæ. »

Secundo autem Cantuariam venisse se visum est mulieri. Ubi cum ecclesiam Christi cum cæteris, qui aderant, inciperet ingredi, in tantum ejus venter intumuit de puero quem conceperat, ut nullus ei ad aliquod ostiorum pateret ingressus. Qua visione mulier quasi quæ indigna videretur ingressu ecclesiæ, D tristis admodum et turbata permansit, usquedum evacuavit visio tertia mœstitiam præcedentis.

Instante etenim partus tempore, visum est matri de cœlo in suum gremium splendoris insoliti duodecim sidera cecidisse. Unde mulier magnifice confortata perpendit magnum quiddam de nascituro hac visione figurari. Sed et nos ex his, quæ per fidelem suum Dominus operatus est, dignitatis futuræ supereminentem gloriam æstimantes, ipsum in futuro examine cum illis duodecim electis cœli luminaribus, judicaturum esse orbem terrarum credimus et confitemur.

Rursum vero cum in cunis jacuisset infantulus, nudum hunc mater conspexit in somniis. Unde indignata adversus nutricem : « Cur, inquit, non tegis infantem ? » Cui nutrix : « Optime, domina mea, coopertus est purpura pretiosa et plicata. » Surgunt illico mater et famula, moliuntur explicare pallium, ut diligentius inde parvulum operirent. Cujus latitudinem cum nec thalami paterentur angustiæ, nec amplior aula, sed et platea longe angustior appareret, ad Smedefeld, qui locus amplus est in civitate, ut vel ibi suis satisfacerent votis, ambæ pariter, ut visum fuerat, festinarunt. Cumque de loci latitudine securitatem sibi promittentes cœptis insisterent, vox ad illas illapsa de supernis intonuit, dicens : « Incassum conamini, purpura hac Anglia tota minor est, nec ejus poterit comprehendere latitudinem. » Ad hanc vocem evigilat mater, memor quidem quid viderit, sed ad quid prorsus ignara. Nos vero, quibus intellectum fides oculata revelat, purpuram pretiosam sanguinem interpretamur martyris innocenter occisi, quo perfusus in passione jacuit et velatus, nunc vero per tot terrarum regna exterasque nationes extensum est, secundum quod præcedens visio figuravit.

Tradunt propinqui quod die, qua ad has mundi natus est tenebras hic noster parvulus, egressus ignis de domo paterna partem plurimam civitatis incendit. Et tu sane, si diligenter advertas, a die qua ingressum meruit æterni luminis martyr noster, quanta in ædificandis seu restaurandis ecclesiis, vestiendis altaribus ferveret devotione, quam liberalis in pauperes, quam prompta operibus injustitiæ renuntiare, punire peccata per pœnitentiam, quam denique prona ad omne opus pietatis exemplo martyris informata exstiterit, accensam de illo fateberis et in non solum Londoniarum urbem, sed universam plane civitatem Dei quacunque nomen illius auditum est. Jamque lucerna super candelabrum positum est, ut qui ingrediuntur lumen videant. Jam quod a Salvatore promittitur electis, in isto cernimus adimpletum : Qui vicerit sicut ego vici, faciam illum columnam ignis in templo meo. Et jam gratias supernæ providentiæ columnam tenemus, intueamur lucernam ; qua ivit ingrediamur, ne forte offendamus ad lapidem pedem nostrum, quia qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Sed jam nunc ad ordinem historiæ revertamur.

Ubi tenera admisit ætas, litterarum primordiis puer traditur imbuendus. Quibus decursis, ad artes missus multa in brevi comprehendisse memoratur. Quam docilis, quantæque fuerit etiam in teneris annis industriæ ac vivacitatis ætas fortior comprobavit : quin jam factus vir uberes messuit sapientiæ fructus, in quibus adhuc junior desudavit. Sed nequaquam diu scholis intendere sinebat variatio rerum. Parentes nimirum, ut prælibavimus, primi quondam inter suos divitiis et gloria sæculi, sed frequentibus incendiis cæterisque infaustis incursibus rerum non mediocriter attenuati, minorem noscuntur in instruendo filio diligentiam adhibuisse.

Quam profecto attenuationem [illegible] quamdam et honestam mediocritatem, ipsorum justificationi militasse nullatenus dubitare permittimur, cum dicat sermo divinus : Ego quos amo arguo et castigo. Ut videlicet caminus tenuitatis exureret, quidquid de mundi pulvere per opulentiam contraxerit. Sed et filii desolationem geminavit interitus genitricis, quæ eo tempore viam universalem ingressa, destitutum pene propriisque expositum consiliis filium dereliquit : pater quippe jam senuerat, nec ad filii sumptus sufficere poterat substantia quæ remansit. Sed nec ipse diutius matri fertur superfuisse.

In illius autem domo vir nobilis et dives admodum, Richerius de Aquila, veniens ad civitatem hospitio se suscipere consuevit. Cui Thomas associatus, aliquanto tempore illius consiliis et prudentiæ se commisit. Jam enim puerilibus annis evolutis, optimis cœpit pollere moribus, ingenio clarus, acceptus eloquio, vultu mista gravitate jucundus, venustus aspectu, forma satis elegans, gratum sese omnibus et amabilem exhibebat. Jamque commune videndi iter ingrediens, his animum dabat, quibus illa solet ætas intendere, canum cursu ac velocitate aviumque volatu ac rapina ludicra delectabatnr. Sed in his atque similibus mundi vanis ac variis oblectamentis, integrum et immune servatur vas electionis ab his quibus tenera præsertim solet juventus infestari. Ad præsagium vero futuræ constantiæ fertur adolescentis animo tam pertinaciter inhæsisse amorem veri, quamvis adhuc sæcularia sectaretur, ut vix aut nunquam joco vel serie quidquam protulerit contrarium veritati. Quam perfecte id ipsum impleverit postquam factus est vir, sequentia declarabunt. Itaque ad prænominatum divitem a scholis rediens, et varias sæculi sequens curiositates, nunc venatu, nunc avium captura, quibus maxime pascebatur animus juvenilis, pro libitu nunc domi cum patre, nunc rure cum divite morabatur. Factumque est ut in hunc modum dimissus sibi scholaribus studiis proponeret renuntiare.

Die vero quadam accidit ut ad ripas eunte Thoma simul cum divite, motam de flumine anatem accipiter insequeretur, secutusque divertentem in flumine cum ipsa pariter mergebatur. Quod videns adolescens, miseratus accipitrem jam periturum, equo desiliit, seque in gurgitem ut avem eriperet præcipitavit : sed priusquam avem contingeret, raptus ipse intra alveum fluminis, et nunc mersus sub aquis, nunc undarum vi impellente levatus periclitari cœpit, et penitus periisse putabatur ab intuentibus, dum nullus adesse potuit qui manum porrigeret pereunti. Denique ad molendinum, quod tunc forte molebat, aquæ tractu perlatus, ubi primo aquæ exitibus propinquavit, stetit rota nec se movit semel, quousque vivus quidem sed vehementer afflictus adolescens extractus est. Sed fovit afflictum medica manus Salvatoris, quem inter undas desperatum protexit ne exstingueretur lucerna futurus in Israel, cujus memoria pr[illegible] cia provenisse.

Rursus vero [illegible]bernus Octo-numini cognomine, vir insignis in civitate et multarum possessionum, cui carne propinquus erat, detentum circa se Thomam fere per triennium in breviandis sumptibus reditibusque suis jugiter occupabat.

Jamque pedem porrexit in semitas sæculi, jam ad honores aspirare, effundere animum in exteriora, et vanas mundi amplitudines ambire cœpit. Et ad hæc quidem consequenda multas illi occasiones et animi sapientia, qua pollebat, et honestas vitæ offerebat. Singularis namque et supra annos enituit in viro matura quædam senectus, sapientiæ canities, consiliorum ac morum quædam jocunditas, gravitas, ut merito in admirationem et amorem sui converteret universos. Sed didicit tunc, quod postmodum fatebatur, non esse in homine viam ejus sicut nec vitam, sed a Domino dirigi gressus hominis : aliud nimirum disponebat ipse, aliud atque aliter operata est in ipso divina dispositio. Siquidem, ut facilior ei ad honores pateret promotio, invitatus a quodam ministro domus archiepiscopi Theobaldi, illo ductu divinæ gratiæ adveniens, quali decuit honore susceptus est. Ubi ludis et levitate postposita seniorum sapientumque sermonibus ad meliora semper animum informabat. Cognitaque in brevi vivacitate viri per verba prudentiæ, ac si per scintillulas quasdam jugiter erumpente secundum quod Sapiens ait, sermo hominis annuntiat de eo, consiliis archiepiscopi negotiisque, et causis publicis et privatis interesse jubetur. Nam sensu pervigil, providus in consilio, in responsione prudens, sermone disertus ac temperatus, intrans et egrediens ad imperium domini sui verbis et opere nulli inferior, domino suo carus et gratus omnibus apparebat, ut malevolum se magis probaret quisquis in viro tanta dona gratiæ non diligeret. Denique tantam invenit gratiam in oculis archiepiscopi, adeoque illius animum sedulis sibi devinxit obsequiis, ut palam fateretur archiepiscopus quod neminem ante tam integrum sibi in omni negotio tantæque fidelitatis invenisset. Sed hostis humani profectus videns, nec sine invidia tabescente, tantam in adolescente industriam animi, ingenii acumen, in moribus honestatem, quibus facilem illi prævidit accessum ad summos honores, sit ut cœpit inoffenso curreret pede, æmulum ei suscitavit Rogerum archidiaconum Cantuariæ, quem de Ponte episcopi cognominabant, qui donet ultimum cœlo spiritum redderet Thomas, tunc quidem conceptum virus in ipsum, quibus potuit modis effudisse cognoscitur. Interim autem, ut a curia illum amoveret, nunc apertis conviciis, nunc jocis irrisoriis aggressus est ; denique clericum cum ascia sive securi faceta contumelia crebrius appellavit cognomento videlicet illius a quo ad curiam archiepiscopi fuerat invitatus, et revera Thomas securim accepturus erat opportuno in tempore, vel potius gladium Petri, quo ipsum Rogerum cum complicibus a cœtu sanctorum præcidit, quin nec cibum signandi facultatem habebant sicut regi con-

questi sunt, sed hæc alias. Interim vero vir prudentia præditus nequaquam his sive similibus movebatur, quominus obsequiis archiepiscopi pervigil inhæreret, audiens a sapiente quia melior est patiens viro forti, cum e diverso audiat, ille qui profert contumelias insipiens est, sed nec divinum poterit infirmare consilium humana malitia. Inter hæc autem venerandæ memoriæ Willelmo Eboracensi beatitudinis æternæ suscepto finibus, prælibatus Rogerius ope et industria archiepiscopi Theobaldi substituitur a quo secundum morem inungitur et consecratur, archidiaconatum vero Cantuariæ Thomæ donavit, cui, ut jam dictum est, nequaquam similem se crederet habiturum virum, per omnia bonum et fidelem in omni domo sua; nec mora intervenit, etiam præposituram Beverlaci archidiacono suo obtinuit ecclesias quoque et reditus alios multipliciter accumulavit. Vir autem liberalis animi secundum monita sapientis, melius esse arbitrans nomen bonum quam thesauros plurimos, ad augmentum famæ et nominis ampliationem divitias studuit detorquere, ne quando pecuniæ parcens parcitatis nævo splendorem nominis obfuscaret. Quid autem moras innectimus? nullas ipse passus est ad superiora progrediens, neque enim in humili potuit morari loco, flamma vivacitatis, quæ pectus illud impleverat sublimitas animi, et quod amplius est mirandum, in tanta sublimitate integritas vitæ.

Adducuntur igitur habitis ampliora, potiora prioribus, et cumulatius crescunt honores. Volens namque archiepiscopus sublimius munerare virum, regiæ illum majestati commendat, quanta polleret virtute retexens, animi sapientiam, providentiam consiliorum, et quæ his exellunt, fidum prædicat et veritatis amatorem, facile regi inspiratum et commendatum habere quem propria satis merita commendabant, cui et cancellariam suam sine mora concessit. Novus itaque erigitur super Ægyptum Joseph, præficitur universis regni negotiis post regem secundus, augentur honores, prædia, possessiones, et divitiarum splendor ac mundi gloria multiplicatur, sequuntur ex more innumeri mancipiorum greges, stipantur electorum catervæ militum, nec cancellario prorsus quam regi minor comitatus adhæsit, ita ut nonnunquam corriperetur a rege quod regis hospitium vacuasset. Larga nimirum ac liberali manu tam proprios quam regni reditus profudit in militum stipendiis et donariis profuturum, sed et regi fidus et integer animo actuque permanens, illius ad honorem et gloriam omnia reservavit. Rex econtra tantum illi honoris, tantum illi lectionis et libertatis quantum nemini unquam hominum impendisse cognoscitur, quod tempore posteriori rex ipse sæpenumero commemoravit. Quæcunque statuit, quæcunque mutavit, quæcunque sancivit, quocunque dominatio regis attingit, quasi pro lege tenebatur. Sed ut semel et secundo, væ seculo nequam, quanta ejus infelicitas, quam sit conditio miserabilis, quis confideret? videas si attentius intuaris, quia quanto pene in sæculo persona potentior, tanto pronior ad peccatum, quanto ditior tanto deterior, quanto sublimior tanto proclivior ad ruinam, et rursus quanto firmior in terrenis, tanto infirmius ad divina consurgit, et a vera sapientia remotior, quo prudentior in humanis, cum sapientia carnis inimica sit Deo, et prudentia mors; nam quanto quis mundum amplectitur, arctius eo mundi fumo cæcatus, delinquentiæ nocte vehementius astringitur, et fortius retinetur. Accedit hostis humanæ naturæ, amator mali, invidiæ auctor, innocentiæ præco, invidens homini locum beatitudinis, unde per propriam nequitiam irrecuperabiliter lapsus est: volens igitur innocentiam deperire, iter obsedit quo itur ad patriam sedens in insidiis sicut leo in spelunca sua, ut interficiat innocentem, tendit laqueos, compedes injicit, hamum operit esca, ut qui fuerit avidus escæ hamo juguletur, facile nonnunquam sternit iter ad honores favet ad fastigia concendenti, ut possessionis jure teneat in sublimi, cui in planioribus non poterat propinquare. Sanctus Thomas ante cancellariam quam innocenter, quam sine querela priora tempora transegerit in imo positus, sermo superior explanavit: nunc autem locatus in sublimi quantæ audaciæ, quantæ fuerit præsumptionis difficile dictu. Quantis enim necem, quantis rerum omnium proscriptionem intulerit quis enumeret: valida namque stipatus militum manu civitates aggressus est delevit urbes et oppida, villas et prædia absque miserationis intuitu voraci consumpsit incendio, et inimicis domini sui undecunque insurgerent, intolerabilem se exhibebat. Denique quem unquam timebat offendere ut regis satisfaceret votis, pareret imperiis? Sed in his omnibus (licet aliter aliqui æstimaverunt) corpore castus, corde humilis, sed inter humiles nam inter potentes potentior ipse ac sublimior apparebat: nullus eo discretior, nemo munificentior nec ipso prudentior habebatur, pauperibus absque æstimatione necessaria ministrabat, sed ita omnia dona gratiæ exteriori fastu velabantur, ut nemo nisi pro sæculi pompa hunc ipsum, etiam cum archiepiscopus esset, putaverit aceitasse. Tantam quoque gratiam adeptus est a rege et regno universo, ut hos solum beatos reputaret opinio, qui in ejus oculis complacere et regis consiliario cancellario obsecundare in aliquo potuissent. Ut hinc uberior Redemptori personet gratiarum actio, et vox laudis, quod tam misericorditer eripuit mundo quem tot nexibus novimus obligatum. Et hæc dicta sufficiant de vita qua mundo vixit; abhinc vero qualiter mundana omnia mente calcaverit ipso duce nostra dirigatur oratio.

Sortitus est interea finem temporalis vitæ Theobaldus archiepiscopus, et sedes vacavit a præsule. Rex autem arbitratus cancellarium suas per omnia sequi voluntates, ut ante, et imperiis obtemperare, ipsi archiespiscopatum dedit, sed aliquandiu differtur negotium, donec a conventu consensum extorqueat, qui liberam ab antiquo solet habere vocem in electione pontificis, nam illo reclamante nulli regum licuit intrudere quemquam propria auctoritate. Igi-

tur, ut conventus sibi inclinaret assensum tres episcopos destinavit Cantuariam, et cum eis Ricardum de Luci virum nobilem et præfectum patriæ. Cancellarium quoque misit in Angliam pro diversis negotiis, et præsertim ut filio suo, jam tunc coronando in regem, fidelitatem et subjectionem acciperet ab universis et juraretur in regem. Episcopi vero transmisso mari venientes Cantuariam salutaverunt conventum ex nomine regis, et in capitulo coram omnibus Ricardus vir magnæ facundiæ allegans causam pro qua missi sunt, «Hoc, inquit, mandat vobis rex, diutius hac Ecclesia orbata pontifice non mediocre ovibus imminere periculum, unde ipsius sciatis esse voluntatem, ut liberum etiam nunc sicut pridem habeatis in electione pastoris arbitrium, persona tamen talis provideatur, quæ tanto sufficiat oneri, digna sit honore et regi complaceat. » Ad quem prior, « Dominus, ait, universitatis auctor, qui suam Ecclesiam sibi proprii sanguinis effusione comparavit, acceptum sibi, utilem nobis, et qui universæ Ecclesiæ suæ forma sit virtutis, exemplum justitiæ, dignetur providere pastorem ; et regi gratias, qui Ecclesiam hanc dignitate, quam obtinuit tanto tempore, non privavit. » Responso autem ab omnibus adjungunt muntii. « Cum propria sit omnium vestrum voluntas regiis parere mandatis, consultius est ut talis eligatur qui libere causam Ecclesiæ nostræ tueatur, et qui nobis valeat in omnibus erga regiam majestatem, nam si talis eligatur qui regi non placeat, in schismate eritis et discordia, sub tali pastore dispersionem non refugium habituri, cum e regione non modicum promotionis vobis accessisse experiemini, si in quo regi complaceat eligatur. » Coacto igitur in partem saniori consilio, cum legatis cominus de electione tractatum est, et invocato spiritu Dei per quem rectores justa decernunt, cancellarius in pastorem eligitur et patronum, cum voto omnium acclamatione, ut divinitus inspiratum fuisse nemo dubitet. Approbant electionem nuntii regis, asserentes regem facile assensurum fore, nec esse in regno aptiorem sive honestiorem quempiam ad hunc honorem. Quid multa ? cogitur Londoniis solemne concilium, eligitur cancellarius a clero et populo, confirmatur electio, et placuit universis, solo Londoniensi episcopo reclamante ; sed clamante turba voce Dei et non hominis, siluit ille et digitum ori suo imposuit; præsentatur electio regis filio coronando adhuc, consensit ille et gratum habuit. Wintoniensis autem præsul vir grandævus et prudens, concionem et eos præsertim, quibus rex vices suas commiserat in hoc negotio, ut quidquid facerent, ratum foret, his affatus est verbis. « Vir iste, inquit, quem communi consensu eligimus in patronum, cancelliarius et primus patriæ thesauros regis et reditus regni in manu habuit, et ut diversa poscebant negotia tractavit. Verum ne cui in posterum pateat exactioni vel calumniæ, quasi pro libera magis voluntate quam regni commodo dissipaverit bona domini sui, liberum eum et absolutum ab omni

A reclamatione suscipimus. Incongruum enim videtur, ut patrem sibi faciat sancta Ecclesia vel patronum, qui pecuniæ probatur esse mancipium, et qui humanæ servitutis obnoxius sit necessitati. » Ad quem ministri regis ; « Ex ore, inquiunt, regis liberum eum clamamus ab omni calumnia et exactione nunc et in omne tempus. » Et ita contraxit ad tempus iniquitas os suum, et conticuit calomniator, videns et invidens ab ea se, quam conceperat, decidisse spe. Perducatus igitur Cantariam, solemni ut decuit devotione, a conventu et civitate susceptus, et inthronizatus, et more canonico consecratus est, Celebrata autem ordinatione, et singulis in sua reversis, venerabilis quoque archiepiscopus mox in seipsum reversus, et ad Dominum totus conversus

B est, et quod dictu mirabile est, non citius est sacramentabiliter sacra delibutus unctione, quam animus ipsius re ac virtute sacramenti multiplici videlicet Spiritus sancti gratia debriatus, ex integro etsi non habitum illico sed animum immutavit, imo non illius hoc fuit sed mutatio dextræ Excelsi. Processu vero temporis ne ex honore superbiret, onere et jugo Dei carnis insolentiam enervare diversis pœnitentiæ laboribus elegit, et tam ordinem quam habitum canonici regularis suscepit, et susceptum ita mirifice pariter cum officio archiepiscopi conservavit, ut quamvis quilibet de se præsumat, in alterutro tamen sæpe deficiat, cum ipse utrumque et quædam his difficiliora perfecte consummaverit. Interim autem vir altioris ingenii oculum mundi,

C qui semper nequam est, latere volens, quod in corde ipsius plantaverat divinus amor donec videlicet altius fixa radice mundi turbines non timeret, novella plantatio, nequaquam statim mutavit habitum. Sed orto inter monachos murmure quod contra morem in veste sæculari frequentaret chorum, corripiens illum ex domesticis quidam retulit astitisse sibi personam vultu terribilem, et verbis minacibus imperasse: « Vade, dic cancellario (tacito nomine archiepiscopi præ nimia indignatione) ut sine cunctatione commutet habitum, quod si contempserit, ibo illi in adversum omnibus diebus vitæ suæ. » Quod audiens venerabilis vir, amarissime lacrymatus est, et tunc quidem pauca locutus hæc dicenti, tacitus secum considerat quid egerit, qualis

D fuerit, et quod onus susceperit, onus plane in omnibus attendens potius quam honorem; videns nempe se animarum obnoxium rationi, divinitus inspiratus erexit se circa se, et tali secum deliberatione congreditur.

Anima mea, quid agimus ? quam pro commissis ovibus reddimus rationem, qui viximus negligenter, aut quid pro alienis dicturi, qui propriis gravamur excessibus ? Hactenus mundo viximus, militavimus pro terrenis, habes jam quas concupisti vanas celsitudines, perituram cum mundo divitiarum gloriam, jam potita cordis tui desiderio ; num his ampliora ambire, num altius conscendere niteris ? Ad inferni novissima nos potius ista celsitudo reducet,

si non consultius agamus, redimentes tempus et A dimidiantes dies, dum patientia Dei ad pœnitentiam nos invitat, ne sicut fur in nocte veniens dies illa terribilis secum rapiat imparatos, nec jam sit qui eripiat. Fuerit ignorantiæ et juvenilis animi quod anteriora tempora transegimus sub contemptu, sed abhinc nullum penitus residet excusationis umbraculum, ignorantiæ velamen aufertur. Nam si nos propria nequaquam coegit in melius, saltim commissorum nobis nos cura sollicitet, ne perdite viventes et ipsi pereamus, et multis simus materia mortis, perditionis causa. Igitur quod solum restat amplectamur refugium, salutiferam Salvatoris intenta aure percipiamus vocem, et pium imitemur exemplum dicentis : « Qui vult venire post me abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam et sequatur me. » B Quid enim proficit homo, si lucretur mundum universum, animæ autem suæ detrimentum patiatur, et seipsum perdat? Propterea ut ex nobis proficiant quorum nobis committitur cura, luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona et glorificent patrem. Et ut nobis prosit quod facimus, indefesso nisu contendamus per augustam portam cœlestis atrii latitudinem intrare, ne si tarde quæsierimus ingressum, jam clausa janua mereamur audire, « Nescio vos. »

His et similibus quotidie imo et continue ad congressum spiritualis militiæ vir sanctus armavit animum, et propositum solidavit. Præventus siquidem inspiratione divinæ gratiæ, et jam terrena omnia sub se videns et contemnens, animo ad cœlestia C conscendebat. Nec moratus arrepto spiritualis zeli mucrone secuit nodum necessitatis antiquæ, qua vinciri videbatur eatenus, et serius exactor sibi semetipsum mactavit Deo hostiam vivam, sanctam Deoque placentem. Siquidem attenuato victu gulæ jugulat appetitum, irrumpentes in animum illicitos motus sacræ lectionis et orationis assiduitate reverberat, repremit insolentiam naturalis incendii, sommo breviore, et vestis mollitiem asperiore commutavit cilicio, et ut multa prætercam, carnem suam crucifigens cum vitiis et concupsicentiis, totum se redegit infra metas necessitatis, et ab eo qui fuerat totus alter efficitur. Quidquid honestum, quidquid sanctum, quidquid justitiæ fuit, et fecit et docuit, et quæcunque his contraria a se funditus elongavit. Et quidem ab exordio ordinationis suæ, tantum divinæ D dilectionis et devotionis sanctæ, tantum etiam zeli contra omnem injustitiam concessit, ut nulli personæ, cujuscumque esset dignitatis, pepercerit, quæ quidquam contra traditam sibi a Domino justitiæ normam præsumpsisset, sed nec regis obsequiis seu voluntati contra Regis omnium voluntatem, nec minis nec amore victus obtemperare ulterius acquievit.

Quis autem hominum digne sufficit admirari inæstimabilem divinæ miserationis intuitum in tam subita et tam perfecta mutatione mentis humanæ? Prorsus mirabilis Deus in sanctis suis, commendat in homine divitias bonitatis suæ, qui cum sit peccator et inimicus justitiæ, reconciliat eum sibi secundum multitudinem misericordiæ suæ, non hominem sed vitia hominum insectatur, revocat recedentem, aversum redire facit, et ad se convertit contemptorem, inspirat affectum pœnitentiæ, odire facit quidquid amaverat, et facile efficitur quod impossibile videbatur. Undique sanctorum exempla nos excitant, hinc quidem lapsorum pœnitentium, hinc vero justorum qui lapsi non sunt. Et quidem ut surgere conetur qui forte ceciderit, sanctorum nobis proponitur casus, justorum vero perseverantiam legimus, ne quando a proposita professione labamur. Et ne deesse causemur exempla, proponitur nobis forma perfecta pœnitentiæ venerabilis archiepiscopus et martyr Christi sanctus Thomas. Qui quidem postquam graviter se deliquisse sequendo sæculi pompas, multa imo innumera contra Dei voluntatem et imperium, ut regi mortali servaret fidem, præsumpsisse consideravit, conversus pœnituit, et percussit femur suum. Quidquid videlicet carnale, quidquid fluxum senserat in se, largo lacrymarum imbre diluit, et pii amoris incendio amara cordis cremavit, et grave sibi bellum indicens, exegit a seipso per pœnitentiam, quidquid se meminit commisisse per culpam, et quæ prius tanto amplexus est desiderio, hæc conversus ad amorem Dei opportune importune prædicat contemnenda, et terreni regis postposita voluntate et obsequiis, summum sibi conciliare Regem vigiliis sacris, jejuniis et orationibus, et sanctarum meditatione lectionum, eleemosynarum quoque liberali largitione festinabat. Tot namque pauperibus necessaria vitæ, tam in cibis quam vestibus, quotidie ministrabat, ut licet multitudo infinita mendicantium ad eum confluerет, ex paucitate potius eorumdem quam voluntate cohibendi manum, largiri cessabat, reminiscens illius prophetici : Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Ut autem in hunc modum dispergere et pauperibus dare nullam dispersio frequens parturiret inopiam, possessiones Ecclesiæ studiosius retinere, et dispersas revocare satagebat. Prædia quoque Ecclesiæ a prædecessoribus suis minus juste donata, his qui vel sæcularis potentiæ favore seu affinitate aliqua conjuncti fuerant, auferre nisus est, et pristinum jus Ecclesiæ reformare. Clericorum etiam qui de curia regis erant, cum deprehendisset incuriam, ecclesias ac possessiones quæ ad ecclesiasticam jurisdictionem pertinent, tanta auctoritate vindicabat, et posmodum vindicabat ut sacrilegi et rerum Ecclesiæ invasores sociatis sibi quibusdam episcopis, regem et omnem ejus familiam adversus sanctum Dei exasperent, protestantes quod regias consuetudines ac donationes exinanire disposuisset, et secundum regulas canonum cleri pariter et plebis vitam coarctare et moderari.

Advertens quoque rex solito sibi indevotionem apparere archiepiscopum, et contemptum se suspicatus ab eo, quem supra omnes homines adamaverat, cre-

scente paulatim amaritudine, et subintrante odio, a cordis illum secreto et consiliis suis efficit alienum. Adfuit sine mora fratrum accusator, incentor odii, concordiæ persecutor, haud ignarus regiæ commotionis, quippe qui perambulat terram, et circuit eam quærens quem devoret, et in suam redigat possessionem. Itaque auget odia, præparat semina discordiarum, jugiorum ministrat fomitem, et comparatis viribus sanctum aggreditur archiepiscopum, ut vel eum dedecore ejiciat a proposito, si adversitate victus legi consentiat injustitiæ, vel si in sententia perstiterit, infami illum murmure maculet, et quod penitus evacuare non valet meritum, saltem illud minuat impatientia. Rursum vero regis animum tum per se occulta intrinsecus inspiratione, tum extrinsecus per nequitiæ suæ ministros, contra patrem spiritualem et pastorem animæ suæ accendit ira, armavit malitia, et lethali tandem odio induravit. Admovit deinceps odiorum materiam, et quasi ex ratione sufficientes composuit causas dissidii. Denique episcopos et principes regni, regisque ministros et domesticos venenosis infecit afflatibus, ut videlicet partem archiepiscopi sancti infirmiorem faciens, et ipsum facilius obrueret, dum solus in stadio decertaret, cæteras quoque, dum contra divinam justitiam regiis faverent præsumptionibus, traheret ad perditionem.

Hæc sunt astutiæ Satanæ, hi circuitus anguis lubrici, qui non lætatur nisi cum mala fecerit, et iter obstruit quo itur ad Dominum. Sed Christi miles invictus, ac si turris erecta in Jerusalem contra faciem Damasci, quamvis solus in certamine, non Satanæ, non satellitum ejus expavit assultus, confidenter canens cum propheta : Dominus fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus ; et Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Præmonitus autem a Salvatore, quoniam beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, modicum æstimabat quidquid pro justitiæ vel veritatis assertione posset mundus vel diabolus irrogare secundum apostoli sententiam dicentis : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. » Igitur ut ad narrationis ordinem revertamur, initium inimicitiarum inter sanctum Thomam archiepiscopum et regem, quantum creditur, hoc fuit.

DE CONSUETUDINIBUS QUAS REX VOLUIT CONSCRIBERE FISCO.

Commorante rege in prædio suo apud Wodstoke, præsente archiepiscopo et primis patriæ, inter alia movetur quæstio de consuetudine quadam quæ in Anglia tenebatur. Dabantur de hida bini solidi ministris regis qui vicecomitum loco comitatus servabant, quos voluit rex conscribere fisco et reditibus propriis associare. Cui archiepiscopus in faciem restitit, dicèns non debere eos exigi pro reditibus; nec pro reditu, inquit, dabimus eos, domine rex, salvo

A beneplacito vestro. Sed si digne nobis servierint vicecomites, et servientes vel ministri provinciarum, et homines nostros manu tenuerint, nequaquam eis deerimus in auxilium. Rex autem ægre ferens archiepiscopi responsionem, « Per oculos Dei, ait, dabuntur pro reditu, et in scriptura regis scribentur; nec dignum est ut contradicas, cum nemo tuos contra voluntatem tuam gravere velit. » Prævidens archiepiscopus et præcavens ne per ipsius patientiam consuetudo induceretur, unde posteri gravarentur : « Per reverentiam oculorum, quos jurasti, domine mi rex, non dabuntur de tota terra mea, et de jure Ecclesiæ ne unus quidem denarius. » Siluit rex, libera pontificis objectione repercussus, sed regis indignatio non quievit, nam tacito interim de laica-
B libus, quæ contra archiepiscopum minus facere viderentur, in clerum convertitur furor, et in Ecclesiæ ministros indignatio se dilatat, quorum contumelia in archiepiscopum specialiter redundaret.

DE NOVO NOCENDI GENERE ARCHIEPISCOPO.

Novo autem præmeditato nocendi genere subintroducitur contra clericum Philippum de Broii nomine ab olim consopita calumnia, siquidem de morte militis cujusdam fuerat appellatus, sed in audientia Lincolniensis episcopi cum ventilata fuisset causa ecclesiastico jure purgatur, et soluta controversia liber a parentibus clamatus est. Rursum vero minister regis, ad cujus providentiam illud pertinebat negotium, volens clericum deperire ex antiquo odio,
C causam revocavit in medium, et calumniam homicidii reiteravit. Clericus autem ut vir ingenuus, dolore tactus et indignatione, conviciis vicecomitem aggressus est, qui cum regi detulisset, illatam sibi a clerico contumeliam, gavisus, ut creditur, rex accepta occasione sæviendi in clericum, conceptam commotionem refudit in Philippum. Et facta quæstione de clerico in præsentia archiepiscopi, protestatur rex, quod plenaria fiet justitia et de homicidio pariter et de convicio, nec stabit penitus solutio facta. Archiepiscopus vero infra curiam suam et tuitionem Ecclesiæ clericum recepit, ut ibi pro se loquatur, et respondeat calumnianti. Missis igitur a rege episcopis aliisque ordinis utriusque, qui clericum judicarent, negat ille homicidium, asserens non
D debere cogi ulterius super eo responsum reddere, nec haberi in legibus causam revocari in medium, quam purgatio solemnis terminarat, et pax inita cum adversariis sepelivit : « Quod autem regis ministrum dehonestavi, animi victus amaritudine, fateor, inquit, sed plenam pro maledicto polliceor emendationem, tantum rationis metas correptio non excedat. — Et nos, inquiunt, decernimus ut biennio maneat sub manu regis præbenda tua, et possessiones, omniaque quæ in reditibus habes ad nutum ipsius eroganda pauperibus. » Adjungunt adhuc nuntii quod nudus astaret ministro regis, laicali more, et ipsi offerret arma pro injuria, et in illius viveret subjectione ; paruit clericus judicio, lætus quidem

evasisse se, quam rex minabatur, sententiam mortis. Rex ex adverso volens hominem mortis subisse judicium, injuriam causatur fieri sibi, et curiæ suæ præjudicari, episcopos quoque detulisse personæ propter archiepiscopum, nec secundum æquitatis considerationem judicasse calumniatur, et secutus per oculos Dei, ait, jam mihi jurabitis quod justum judicium judicastis nec pepercistis viro quia clericus est. Quibus jurare paratis, nescius quid ageret, vel quo se verteret præ furore, communicato tandem consilio cum filiis Belial, qui ipsum incitabant adversus sanctum archiepiscopum, alias atque alios exstruxit machinas, et palam faciens quod corde conceperat, convocatos ad se episcopos omnes, qui adfuerant, præsente archiepiscopo et principibus regni his eos sermonibus aatuffs ait :

« Ne nobis imperantibus tepescente justitia malorum insolentia se dilatet, voluntatis meæ est, et consilii, ratio quoque id ipsum astruit, ut consuetudines et legitima quæ traditurus sum, et quæ sancivit avus meus, a vobis confirmentur, ad pacem populi custodiendam, salva ordinis vestri professione. » Respondent una voce pontifices : « Vestris legibus obtemperamus. » Quibus ille : « Legibus, ait, regni volo obediatis, et eas confirmetis, quæ ad ordinis salvationem noscuntur institui. » Rursus episcopi idem quod prius responsum reddunt. Et rex in iram conversus, ut vel minis flecteret quos prece non potuit, jurat terribiliter, nullum eis patere diffugium, omnimodis oportere.ut leges regni, quæ pro pacis custodia traditæ sunt, espicopi quoque confirment et custodiant. Additque quoniam tempore avi sui et priorum regum istæ quas nunc traditurus erat leges, custoditæ sunt ab archiepiscopis et episcopis quos sanctorum numero novimus sociatos, ut nec mirum nec magnum videatur episcopis, qui nunc sunt, si prædecessorum suorum et sanctorum maxime sequantur vestigia. At venerabilis archiepiscopus suspectum habens pacis nomen, ne forte lateret sub melle venenum, sciensque non esse tutum in lubrico ponere pedem, et tenebris circumfusum proximare periculo, constanter respondet regi, nullis se vellet legibus obtemperare, quæ divinis perhibentur legibus adversari, cæterisque idem dicentibus, conventus ille inimica quadam hinc inde contentione solutus est.

Luxoviensis autem episcopus volens sibi conciliare regis animum, quem aliquandiu infensum habuit, de transmarinis ad regem per idem tempus advenit; pace vero redintegrata probans quo spiritu ductus est, loquitur placentia regi potius quam utilia, materiam ministrat decipiendi fratrem, vincendi archiepiscopum, modum describens quo id compendiosius efficeretur. » Domine, inquit, ut archiepiscopus a conceptu cordis sui facile reflectatur, prius episcoporum aliqui revocentur, qui vestras foveant partes et instituta confirment, et sic demum illius infirmata pertinacia, levare manum solus contra multitudinem non audebit, dum enim coepiscoporum constantia A roboratur et fulcitur assensu, invincibilis perseverat. » Factum est ut suggessit.

Tres statim de numero episcoporum absque arcu vel gladio, sine grandi ac gravi congressu capiuntur inermes, imo quod verius est, ipsi projectis in terram armis bellicis hosti dedere manus, et quod improperando scribit dominus papa, quasi arietes non habentes cornua, abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. Fuerunt autem qui traducti fuerant in partem regis, Cicestrensis episcopus Hilarius, Rogerius Eboracensis, et episcopus Londoniensis. Ab his error regis, etsi non initium forte, firmamentum tamen non mediocre et incrementum sumpsisse creditur. Ab his ergo disseminata sunt zizania, creverunt semina nequam horum industria in B cordibus cæterorum ; promittunt itaque observaturos se regias consuetudines, ut cæterorum nemo formidet idem facere, quod ab his qui inter cæteros eminebant initiatum est. Spondet rex quod non quæreret citra ordinem quidquam ; ut horum securitas alios inclinaret, quod absque cunctatione factum est. Horum igitur non consiliis sed insidiis et fallacia armatus, rex acrius insurgit in archiepiscopum ; siquidem et ipsi tanquam gladium exacuerunt linguas adversus Christum Domini, de pharetra malitiæ venenata in illum spicula contorquentes, et nunc minis nunc blanditiis pulsantes pectus validum ut interficerent innocentem. Unde et prænominatus Hilarius primo quidem familiariter monet sanctum, ut domini sui regis consentiat voluntati, et confirmet le- C ges, priorem illi promittens amicitiam et domesticum fieri regis, ut ante. Sanctus autem archiepiscopus ad hoc ait : « Me nunquam pervertes, non me latet dominum Eboracensem et te, frater Hilari, manus dedisse regiis traditionibus, ut exemplo vestri alii subsequantur, sed certus esto quoniam incassum conaris me vestri reatus participio maculare. » Itaque durius aggreditur sanctum, « Quid, inquiens, in sermonibus domini nostri regis intelligitis, ut caveamus et nos ? spondet rex quoniam nihil quæret quod ordinem dedeceat, et quis aliud audeat suspicari ? Sed et invitum te faciet observare statuta regni, si placuerit, dum subjectionis jure sub illius potestate vivis. » Archiepiscopus autem : « Vos, ait, videritis si expediat adimplere quæ spopondistis : ego nulla ratione consentio. »

D Veniens interea de transmarinis vir quidam magnæ apud omnes æstimationis, tunc quidem abbas de Eleemosyna missum se a domino papa Alexandro, cujus et apices secum deferebat, asseruit. Forma vero litterarum erat ut archiepiscopus regis consentiret voluntati, et sic sociarentur in pace. Abbas etiam in periculo ordinis monet ut quod dominus papa mandavit hoc faciat, et ipse in culpa sit, si in aliquo archiepiscopus oberraverit; tantum paci consentiat. Litteras quoque cardinalium abbas habuit, in quibus mandabant securitatem accepisse a rege, quod non quærat aliud ab archiepiscopo, nisi ut verbo tantum statutis assentiat quæ traditurus est, qnatenus publice

honoraretur coram potentibus regni cum simul A fuerint nec contra ordinem suum exigerentur ab eo consuetudini consentire. Adjunxit etiam abbas sicut erat potens in persuadendo, regem nullatenus velle vinci, nec decere, annuat ille regi et pax erit, regnumque illi subjicietur ut ante, et omnia quæ regis sunt illius erunt, nec veniet in memoriam omnis illa commotio. » Cæterum vestram, inquit, personam rex supra omnes homines honoravit, et tu ei quanta nemo unquam fidelitate servisti. Proinde ne per quem debuit sumpsisse fomentum, per te solvatur vinculum dilectionis, et ne quod tantis comparasti sudoribus tantaque devotione, commotione brevi depereat. » Quid plura? non cessavit abbas usque dum persuasibilibus humanæ qua pollebat sapientiæ verbis, seductum archiepiscopum secum duxit ad regem; B facile quippe creditum est viro, qui tantæ videbatur auctoritatis. Instante igitur abbate cum cæteris, qui ad idem convenerant, promittit archiepiscopus regi quod avitas consuetudines in fide servabit, nihil de eo ulterius auditurum se confidens, ut promissum fuerat, nec dolum suspicatus post factam securitatem Quod audiens rex: « Ut sponsioni, inquit, tuæ fidem demus dignum est ut publica audientia hæc fatearis, universis siquidem notum est, in quantis mihi contrarius extiteris, publicis regni legibus contradicens. Et nunc convocemus ad diem certum ego quidem optimates et primos regni, tu vero episcopos et clerum; ut te coram multitudine consentiente, cæterorum nemo legibus nostris audeat refragari. » Igitur castro regio Clarenduna coacto solemni conci- C lio, propositis capitulis tenendarum consuetudinum, super facta sponsione rex archiepiscopum convenit. Volo, inquiens, ut secundum pactionem publice profitearis quod pollicitus es. Sanctus vero archiepiscopus pœnitentia ductus, quod tenere consuetudinem concesserit, sub qua certum est Ecclesiæ libertatem periclitari, graviter ingemuit pro sponsione. Et considerans non levem hac occasione confusionem ecclesiasticæ paci emergere, elegit incidere in manus hominum et regis motum incurrere, quam derelinquere legem Dei; nec minas metuit cujusquam hominum, quo magis a recto tramite deviaret, postquam ab hoc lapsu resipuit. Adnimavertit nimirum vir sanctus hoc esse studium regis et molitionem, ut Ecclesiæ libertas in jus regium redigeretur. Et ut D palam fiat hoc fuisse consilium regis et voluntatem, sex tantum capitula tunc factæ et traditæ constitutionis huic operi inseruimus, quorum auctoritatem sanctus ipse in epistola sua condemnavit. Sunt autem hæc.

1. *Quod non appelletur ad sedem apostolicam sine licentia regis.*

2. *Quod non liceat archiepiscopo et episcopo exire de regno, et venire ad vocationem domini papæ sine licentia regis.*

3. *Quod non liceat episcopo excommunicare aliquem qui teneat de rege in capite, sine licentia regis, vel terram illius vel officialium suorum sub interdicto ponere.*

4. *Quod non liceat episcopo coercere aliquem de perjurio vel læsa fide.*

5. *Quod clerici trahantur ad sæcularia judicia.*

6. *Quod laici, seu rex, seu alii, tractent causas de decimis vel ecclesiis.*

Viderint hi qui adhuc hodie nimis pertinaciter restitisse regi calumniantur sanctum archiepiscopum, si justum fuit inter hæc et multa in hunc modum patientiam exhibuisse, et non magis illud exclamasse propheticum: « Zelus domus tuæ comedit me; » legerat profecto, quoniam qui consentit peccantibus et alium peccantem defendit, maledictus erit apud Deum et homines, corripieturque correptione severissima. Rex vero postquam vidit archiepiscopum pœnitere de promissis, et ab eo quod pepigerat resilire, seipsum ultra non ferens, præ nimia indignatione, minas jaculatur inordinatas, quod ipsorum videlicet curvabit cervices, et si facultas non defuerit extollentiam conquassabit. Sed nec minæ nec monita sanctum a sententia deducere, nec regiæ poterant humiliare voluntati, pulsatur tamen, ut quandoque vel tædio victus consentiat.

Duo siquidem ex his qui ipsum utcunque sequebantur adhuc, Salesbiriensis scilicet et Norvicensis episcopi in multa anxietate et mærore supplicant, ipsorum causæ compatiatur archiepiscopus. « Tanta, inquiunt, in nos innovato vestri causa antiquo odio regis indignatio inflammatur, ut in periculum nostri capitis tota hæc convertatur malitia, nisi hodie pacem feceris. » Idem hortantur qui de consilio regis erant consules duo, ut scilicet provideat sibi, misereatur Ecclesiæ, et de suis curam habeat. Adjungunt, terrentes quoniam nisi in ea die pacem faceret cum rege, in tantum se et tam inauditum prolapsuros fore piaculum, ut rex et regnum universum quasi gens sine consilio ut sine lege ab omnibus in circuitu subsannarentur. Sanctus vero archiepiscopus quasi miles invictus inter medios hostium cuneos festinans ad palmam, quem preces non moverant, nec minis cedere dignabatur, sed quoniam omnia in bonum cooperantur electis, iste tentandus erat adhuc ut post lapsum fortius insurgeret in adversarium.

Duo igitur milites Templi, magni ambo nominis, nec animi virtute, ut creditur, inferiores, videntes iram regis implacabilem fore, si regiæ voluntati non consentiat archiepiscopus, ipsum iisdem quibus anteriores; conveniunt verbis dicentes: « Quandiu sic agis, domine, quod Ecclesiæ, sanctæ, quam regendam suscepisti, non compateris? da honorem regiæ majestati, et sopitis irarum stimulis unum eritis sicut a principio; sin alias, gravi clerum et Ecclesiam universam ac lacrymabili exposuisti jacturæ. » Securos præterea et certificatos se astruunt, quod nihil exigit rex, quod archiepiscopum dedeceat vel contra ordinem sit, et quod ita futurum sit se consentiat, seipsos suamque legalitatem audacter interponunt. Denique ne incredulus existat promissis, conce-

duntut ipsi sine remedio et fine pereant si sit in conscientia regis fallacia aliqua sive dolus contra archiepiscopum, nisi ut in publica tantum audientia honoretur, et coram cunctis concedat quod contradixit. Asserunt regem nullo modo velle vinci, ne vilior appareret, et cæteri regis scita audacius præterirent quibus archiepiscopum cognoscerent refragari. Sanctus vero archiepiscopus fratrum lacrymis, quos veritatis ac fidei noverat æmulatores, non modice motus, et e regione sanctam Ecclesiam considerans præcipitio proximare, si non regis animum leniret assensus: « Vestris, inquit, cedo consiliis, et regis annuo voluntati. » Et spopondit cunctis audientibus quod in fide bona servaret leges et consuetudines regni. Rex confestim quasi rapto hoc sermone ex ore archiepiscopi: « Audistis, inquit, quid archiepiscopus sui gratia spoponderit, volo ut aliis episcopis injungat quod ipse concessit. — Concedo, » ait. Nec mora in medium assensere omnes. Rex igitur dicto ad archiepiscopum: « Semper mihi adversarius es, » ad optimates consequenter et consiliarios sic locutus, adjunxit: « Tenentes episcoporum sponsionem super legum regni custodia, provida tractemus examinatione negotium, ne quando opus sit de legibus inter nos iterare sermonem. Cum summa itaque diligentia leges avi mei Henrici regis recordatæ et conscriptæ puplice coram omnibus recitentur, ne novum aliquid tradidisse quisquam nobis præsumat imponere. » Consummato autem negotio secundum regis edictum: « Volo, ait, ut sigillo archiepiscopi signetur hoc scriptum et confirmetur. » Sanctus vero archiepiscopus tum primo dolum, quem fuerat suspicatus, advertens interposita fide quam Deo debuit: « Non hoc fiet, respondit, quandiu in hoc vasculo spirat hæc anima. » Nam domestici regis, dato consentiendi consilio, securum fecerant archiepiscopum, quod numquam scriberentur leges, numquam illarum fieret recordatio, si eum verbo tantum in audientia procerum honorasset, et quia rex ex toto cederet voluntati archiepiscopi, et omnis utrinque malevolentia conquiesceret. Nunc ficta se pactione seductum videns, ad animam usque tristabatur, et cautius providere sibi in posterum deliberabat. Rex autem et consiliarii, aliud schema excogitantes, partito instar chirographi scripto prænominato medium archiepiscopo contradunt. Quod accipiens invitus quidem, sed defensionis intuitu, suis ista locutus est: « Scio, inquiens, damnandum fore quod fecimus, si non opus reprobum sana intentio excusaret; hinc maxime illorum experiemur fallaciam, patebunt doli, et laquei nudabuntur, ut amodo frustra expandant rete suum coram oculis pennatorum, hactenus quidem funes extenderunt in laqueum, ut nos præcipitarent, sed nunc omnis illorum detegitur fraus, ut facile jam caveamus. »

Soluto tandem in hunc modum consilio, abiit vir sanctus in viam suam, tristis quidem et iratus supramodum sibi, quod tam enormi malitiæ consensum dedit. Nam regi quidem et ex parte paruit, et regis tamen irreparabiliter animum amisit. Errorem autem nequaquam passus impune præterire, seipsum ab officio missæ suspendit, et tenuit in sententia quousque a domino papa absolveretur. Interea Ebrensis episcopus de transmarinis ad regem venit ut regi archiepiscopum reconciliaret. Rex autem cum interminatione «: Verba, inquit, sunt: omnibus inde diebus quoad vixerimus ambo, loqui poteris, nex pax erit ulla, nisi a papa impetret archiepiscopus, ut sigillo suo leges regni mei consignet et sanciat autoritate. » Instante episcopo, per eumdem scripsit sanctus archiepiscopus domino papæ ut dignaretur sua auctoritate et sigilli impressione regias traditiones confirmare. Papa vero perpendens illico quod hanc petitionem archiepiscopus summa constrictus necessitate fecisset, scriptum cum indignatione quadam a se repulit et reprobavit. Quo cognito, rex ægre ferens irritum fieri consilium suum, ira vehementiori inflammatur in archiepiscopum, totum illi ascribens quod abusionibus suis dominus papa non consentisset.

Ab illo ergo die convocat consiliatores qui loquuntur quod libeat magis quam quod deceat, multiplicat ingenia et instaurat machinas, nec curæ fuit quo id fieret modo, tantum archiepiscopi curvaret constantiam et minueret auctoritatem. Hoc autem sensere domestici, ut si Eboracensi archiepiscopo posset impetrare a papa regni legationem, facile dominum Cantuariensem hoc modo quassaret. Transmissis ad papam duobus clericis, multa instantia laboratum est ut effectum consequeretur voluntas regis, sed hoc post alia legatis responsum est, quoniam Elboracencis inferioris omni tempore fuerit dignitatis et auctoritatis quam Cantuariensis Ecclesia; et « Erit, adjunxit, quoad vixero. » Referunt nuntii protestantes quia nisi regem postulata legatione placasset, archiepiscopus capitis sententia puniretur. Et papa quidem, hoc audiens ex animo suspiravit Considerans autem, ut vir sapientissimus, leviori nonnunquam consentiendum noxæ, ut perfecte gravior evitetur, legationem quidem transmittit regi, sed penitus potestatem interdicit gravandi quemquam sive promovendi Eboracensem contra dominum Cantuariensem. Instabant nuntii affirmantes non esse in conscientia regis hac occasione velle gravare quemquam, sed ut hac permissione contradicentem humiliet archiepiscopum, et devotiorem efficiat regiæ majestati. Super omnia autem ne in regis injuriam infames ordinatorum ausus actionesque insolescant, cum regii perspexerint non deesse facultatem gravandi archiepiscopum, sub cujus tuitione clerici temerare leges publicas non verentur. Sed nuntii aliam quam dictum est nulla ratione poterant extorquere legationem, quam tamen in publicis conventibus ostendens, divulgari fecit potestatem obtinuisse se a domino papa, qua posset archiepiscopi præsumptiones refrenare, cum, sicut dictum est, omnem cum permissa legatione nocendi sive promovendi aliquem auctoritas apostolica potestatem ade-

merit. Hinc sane cum nec ratione nec quasi apostolica auctoritate gravare posset archiepiscopum in propria persona, in subjectis persequitur, et vultu tristiori quod animo gerebat odium lethale prætendens minis fecit, quod opere non valebat ; ordinatos et Ecclesiam Dei quacunque potuit occasione, ut archiepiscopum irritaret, opprimere non cessavit. Quantas habuerit lites, quantas pertulerit a rege et ministris regiis injurias pro defensione ecclesiasticæ libertatis, quantas ab invasoribus rerum Ecclesiæ sub occasione regiæ commotionis contumelias passus sit, omittimus enarrare.

Sed et ordinatorum inordinati mores inter regem et archiepiscopum auxere malitiam, qui solito abundantius per idem tempus apparebant publicis irretiti criminibus, quos regis consilium et voluntas decrevit publicis regni legibus debere subjici, sed archiepiscopus libera auctoritate reclamavit. Voluntas siquidem regis erat ut secundum leges quas avitas appellavit, ordinati in furto, homicidio, vel etiam proditione deprehensi, primo quidem ordinibus exspoliati, postmodum privationi membrorum pro modo delicti traderentur ; fiebatque lethale spectaculum et lugendum omnibus sæculis. Cerneres de ordine sacerdotum, diaconorum, et inferioris gradus, trahi ad concilia, ibi contra sacros canones a laicis condemnandos morti, sive membrorum contumelia deturpandos, sive in carcere regis miserabiliter retrudendos. Sed sanctus archiepiscopus dolens conservos suos, pro quibus Christus mortuus est, tantis ascribi indignitatibus, et in hoc considerans libertatem Ecclesiæ deperire, ipsorum in se suscepit miserias, causam egit, et pro ipsis quibus potuit viribus repugnavit. Spondet regi quod in curia ecclesiæ pro clericis respondebit, et juri eos exhibebit pro quacunque calumnia. Rex autem perseverans in sententia, asserit neminem eorum qui in custodia sunt egressurum, nisi degradati et tortoribus traditi pœnas persolverint quas meruerant. Econtra vero archiepiscopus, quia non sic erit, respondit : « Nunquam, ait, degradabo, nunquam Dei ministros laicali justitiæ exponam, peccantes secundum Dei leges et Patrum decreta corripiam, nec quantum in me est, Ecclesiæ dignitates, quas per tot sæcula ad nos usque sanctorum transmisit auctoritas, deperire permittam. »

Cum itaque secundum quod mente tractaverat, ordinatos comprimere nequaquam liceret regi, renitente archiepiscopo, his sermonibus conquestus ad optimates causam suam contra archiepiscopum allegavit. « Juravi quod justitiam et pacem tenerem in regno commisso mihi, dispositione divina, eosque qui injuste viverent justo judicio secundum merita condemnare, et id quidem hactenus feci, faceremque pro viribus, si non archiepiscopus nos et regnum sua pertinacia perturbaret ; auctoritate namque sua protegit homicidas, tuetur fures et sacrilegos, et ad se refugientes suscipit inimicos justitiæ, pacem præstans his, qui regni pacem confundunt. Et quidem

A juste clericos insequimur, quibus in omni scelere et flagitiis nequiores vix quisquam invenietur, si diligenter attendatur, unde et ad majorem contemptum de custodia publica, de carceribus reos extrahit et absolvit, et sub interdicto Christianitatis curiæ meæ subducit, ne debita in eos exerceatur justitia. Denique quid nos, quid regnum universum valet, si justitiæ leges deperierint ? pereunt plane si pepercero. Sed nec parcam si prævaricati fuerint. Clerici et comprehensi tradantur mox justitiæ exactoribus, et ordinibus privati secundum leges justitiæ pœnis subjaceant. » Addidit quoque quomodo avus suus suo in tempore secundum communes regni leges corripuit ordinatos, quando et sancti fuerant archiepiscopi pariter et episcopi : « Eapropter prædico, inquit,

B malo suo et confusioni fore, si his archiepiscopus contradixerit, quæ tot sanctos patienter portasse cognovimus. » Quo dicto, cum ira et indignatione nimia sanctus archiepiscopus nihil subtrahens veritati consequenter ad regis objectionem respondit : « Si placuisset, domine rex, emendatius dixisses, nam ego nec homicidas nec fures tueri soleo, sed persequi. Verum nefas duxi et pro crimine reputo, mancipatos divino cultui laicis legibus ad contemptum sanctæ matris Ecclesiæ condemnari, ordinum videlicet privatione confundi et corporaliter perire. Nulla hoc docuit lex, nec ratio consentit ut simplex prævaricatio duplicem sustineat ultionem, nulla me ratio ab hac sententia revocabit. Cum prolapsi fuerint, et in lethali crimine comprehensi, tali condi-

C tione priventur ordinibus, ut deinceps a membrorum læsione immunes maneant ; si post degradationem ad suum vomitum denuo revertuntur, vivi si placet absorbeantur, affigantur patibulis et inaudita mulctentur pœna.

« Quod asseritur avum vestrum vel alium quemlibet in clericorum necem sævisse, subita quadam præsumptione et semel id factum fuisse cognovimus ; sed incongruum valde est, ab his sumi exempla justitiæ, qui quidquid propria elegerant libertate, pro legibus affirmabant. Denique cum in regem descripsisset Salomonem sanctus David, contra regis propositum coronando et consecrando Adoniæ interfuit sacerdos Abiathar, pro quo schismate et temerario ausu suspensum quidem ab officio, pristina ac paterna legimus dignitate privari, sed membrorum

D nequaquam pertulisse jacturam. Indignum proinde videtur ut pro simplici commisso duplicem judex homo exigat ultionem, cum judex omnium Dominus neminem, ut scriptum est, « bis judicet in idipsum. » Sed et quæ poterit unquam ordinato vehementior irrogari confusio, quam si fuerit degradatus ? nullum ei majus infertur opprobrium. Igitur cum ad hoc divina dispensatione assumptus sim, ut meo patrocinio et tuitione Ecclesiam Dei protegam et ordinatos, ab hoc proposito non me nisi mors separabit. » Viso itaque quod immobilis staret archiepiscopus in sententia, ut nec regiis in aliquo præsumptionibus acquiesceret, nec ordinatos sineret tractari cum de-

decore, rex totus incanduit ira, et rupto tandem A silentio in hæc verba prorupit: « Humiliabo, inquiens, superbiam archiepiscopi et ibi merito pertinaciæ consumam, unde ad tantum fastigium sublimavi.»

Plura sub hac lite tempora transierunt, conante quidem rege ad conculcationem ecclesiasticæ libertatis archiepiscopum a sententia revocare, archiepiscopo econtra pro defensione cleri modis omnibus repugnante. Et revera jam solus id agere visus est, episcoporum destitutus consortio ; qui omnes pene abeuntes retro regem secuti sunt, et qui remansisse credebantur, compressit timor regis ne libere loquerentur mala quæ fiebant, et sic solum in certamine reliquerunt, et sine solatio, sed humano ; nam solus esse non potuit, cum quo justitia dimicavit. Cæteri vero gloriam hominum diligentes non Dei, B dum terga verterent viso præliorum apparatu, hostibus auxere virtutem et cornu dederunt peccatori, gladium quippe verbi Dei nudare formidantes illic trepidaverunt timore, ubi non fuit timor. Sed Deus quoque dissipabit ossa eorum qui hominibus placent, quia qui hominibus placere volunt Christi servi non sunt. Cur autem archiepiscopum destituerint, dominus papa causam aperit, scribens ad episcopos quia scilicet majorem homini quam Deo reverentiam exhibebant. Viderint ipsi quid dicturi, quid acturi sint in judicio Dei, qui regi loquentes placentia, faventes errori ipsum faciunt deviare, quem præsertim corripere conveniret, ne ejus exemplo audacius cæteri deliquissent, quando autem vel errare se crederet, cum uno tantum recla- C mante, universitas aliorum consensisset errori, et factus est secundum prophetam, « sicut populus sic sacerdos ? » Quinimo ad sui ordinis contumeliam solus episcoporum consensus sufficeret, si non insuper adversus virum Dei consiliis nequam regis animum armavissent.

DE CONSPIRATIONE EPISCOPORUM CONTRA ARCHIEPISCOPUM.

Sanctus igitur archiepiscopus considerans episcopos unanimi pene omnes contra se conspirasse consensu, nec regis indignationem ulla posse ratione leniri, nec in his omnibus aliquod pacis apparere vestigium, suam ad tempus præsentiam subtrahere deliberavit, videlicet ut eo subtracto qui materiam commotionis ministrasse creditur, dum D regis usurpationibus non faveret, rex saltem desolatæ Ecclesiæ compateretur. Simul et alia causa egrediendum patria decrevit ut auctoritate et auxilio domini papæ, quem adire disposuit, oppresso regi in aliquo subveniret. Assumptis itaque paucis secum navem conscendit, et primo quidem prospere spirantibus auris, cum jam ducerentur in altum, nautæ mutuo loquebantur dicentes : « Quid agimus, transportantes de regno inimicum regis ? insipienter operamur ; nos et tota nostra progenies perpetua proscriptione exhæredabimur. » Ad archiepiscopum quoque locuti affirmant quia in tali vento nemo posset applicare quo jusserat, tum ille placide satis respondit : « Si etiam venti proposito nostro contrarii sunt, Domini voluntas fiat, et vos portum tenete quem dominus assignabit, » et statim in Angliam reduxere. Sanctus vero recognovit postea et suis confessus est, nec dum fuisse voluntatis Dei ut tunc transfretasset, adhuc illi certamen grave reservatum et tentationes per quas transiret ut probatior appareret ; quod factum est. Rex autem, audito quod navem conscendisset archiepiscopus, tristis mansit et anxius, donec reversum cognovit, timuit namque vehementer ne eunte illo ad dominum papam, regnum sub interdicto maneret.

DE CONCILO NORTHAMTONIÆ.

Castro igitur Northamtonia solemne statuens celebrare concilium, omnes qui de rege tenerent in capite, mandari fecit ; citatus est et archiepiscopus. Ante illud sane concilium quidam de domesticis regis et potens apud regem, clamabat in curia archiepiscopi possessionem, quæ de jure Ecclesiæ fuerat ab antiquo ; cum autem, reclamante justitia, calumniam suam miles prosequi non valebat, regi negotium intimavit conquestus quod jus suum archiepiscopus injusto tulisset judicio, et falsam fuisse curiam archiepiscopi, et in regis injuriam redundasse juratione interposita derogavit. Rex vero, qui occasiones quærebat adversus archiepiscopum, mandavit ut occurreret militi responsurus de violentia ; qui cum adesse non posset gravi retentus infirmitate, missis qui regi responderent, excusavit diem. Rex vero penitus nullam excusationem suscipiens, ipsum publicam audientiam subterfugisse suspicatus est, hac igitur causa quantum ad negotii superficiem spectat, sanctus præsul Northamtoniam, quasi super his judicandus, ante tribunal Cæsaris citatus est. Re autem vera et intentione, ut ex fine colligitur actionis, quatenus publice lacessitus et a sententia deductus, vel regi consentiat super legum regni susceptione et custodia, vel si pertinacius resistat, sententiam accipiat damnationis. Adfuit igitur, ut dictum est, et incontinenti regem adiit submissius, orans ut pro communi utrorumque commodo et salute, dominum papam adeundi licentiam dignaretur concedere, qua postulatione rex in iram versus respondit, quod nequaquam sicut speravit abiret : « Prius, inquit, responsurus es quod ad meam citationem supersedisti venire. » Ad quem archiepiscopus : « Non sic, ait, loquatur dominus meus, morbus detinuit et excusavit. » Sed nec humili rex excusatione delinitus nec morbo, jubet ocius judicium fieri et decerni quæ sententia feriatur pro contemptu. Judicatur quingentas libras dandas esse regi in satisfactionem supersessionis. Recitato judicio sanctus ingemuit, videns in loco judicii iniquitatem. Conanti autem contradicere judicio, reclamatur ab omnibus, suggeriturque ut ira postposita in hoc saltem studeat placere sibi regis animum. Annuit tandem, hac sperans via finiri posse motam controversiam. Exi-

gitur dare obsides qui respondeant pro pacta pecunia. Quibus inventis, revocatur in medium causa militis unde contentio orta est. Videns sanctus quia occasionen quærerent, unde illum in aliquo accusarent, asserit cum summa libertate, quod nemini inde respondere habeat extra curiam Ecclesiæ, cum nequaquam miles probare potuerit quod in curia archiepiscopi quidquam sibi contra justitiam judicatum sit, juratio siquidem qua falsare nisus est judicium Ecclesiæ, nec usitata fuit, nec legitima; unde intulit quod nulla cogeretur ratione extra curiam suam super hoc negotio respondere. Et miles quidem, qui sanctum archiepiscopum gravare non timuit, et manum mittere in christum Domini, eodem anno amissis duobus filiis quos disposuit de Ecclesiæ patrimonio hæredare, ipse quoque vitam perdidit et possessionem,

Rex autem, ut vidit hæc ad archiepiscopi accusationem non proficere, alia excogitavit. Jubet ut rationem reddat archiepiscopus eorum quæ tempore cancellariæ custodienda suscepit, et qualiter et in quibus ea dispensaverit non cunctetur edicere. Turbatus primo archiepiscopus inopinatæ quæstionis novitate, respondet tandem non decere talia revocari in causam, quæ pridem absolutione solemni fuerant terminata. Jurat ille oculos Videntis omnia, audire se velle pro omnibus his rationem in crastino. Causante archiepiscopo induciarum angustias ac dicente nec legitimum esse nec rationi consentaneum, ut sub tanta celeritate pro tali negotio respondeatur, jurat iterum rex, sicut ante, quod nulla fiet excusatio, nec longiores dabuntur induciæ, sed in crastino respondebit. Sanctus igitur, expensa in litibus die et jam advesperascente, receptus hospitio et gravi mox tactus dolore splenis, lecto decubuit, noctemque sine cibo et insomnem ducens, miserabili decoctus dolore vix diem præstolatus est. Solebat hoc modo vexari, sed nunc anxius solito, turbato nimirum sanguine post iras diurnas et litigia.

Adsunt ministri regis, qui sanctum urgerent ad concilium; excusat ille, prætendit morbum, et indicem anxietatis sudorem ostendit; ad curiam se iturum, cum transierit vehementia ægritudinis, pollicetur. Jurat rex terribiliter. Venire illum oportet, nulla erit excusatio; quantoque anxius querebatur archiepiscopus, eo plures rex nuntios misit qui ipsum curiæ præsentarent. Suspicatus denique ne forte aflectata esset infirmatas ut audientiam declinaret, duos mittit de nobilioribus et primis regni, consulem Leyecestriæ et Cornubiæ, qui renuntiarent regi, ne simulationis suæ archiepiscopus tempus conetur redimere. Astant comites viro sancto, dicunt oportere eum absque mora et excusatione curiæ præsentari. Sanctus vero quantis premeretur angustiis indicavit. Urgent comites, ille supplicat, illos adjurans per nomen Salvatoris, ut vel illius diei concedantur induciæ: « Cras, inquit, vita comite auditurus quid domino regi placeat, vel in sella portatus assistam. » Datis induciis, ea tamen

A conditione quam sanctus interposuit, comites reversi sunt. Die eodem dictum est ei pro certo quosdam ex regalibus in ejus necem conspirasse, et a rege prælocutum fuisse, quod si ad curiam iret, vel capite plecteretur vel redigeretur in carcerem. Expavit pro tristi nuntio, et toto contremuit corpore, ut postea confessus est, minus quidem mortem quam vincula metuens, ne videlicet libertas loquendi pro causa Ecclesiæ adimeretur, et hoc non solum tunc sed et semper timuisse eum certum est. Confessus vero timorum suum religioso ac timenti Deum, admonitus est, ut mane processurus ad curiam in honorem beati martyris Stephani hostiam salutarem offerat Salvatori, ne die illo noceret illi inimici malitia. Paruit ille, et expletis cum multa devotione et

B lacrymis salutaribus sacramentis, stolam sanctam circumdans humeris, sub habitu tamen exteriori, dextram sanctæ crucis vexillo munivit, crucem propriis manibus bajulans, ne a se passionis suæ elongaretur exemplum.

DE INGRESSIONE ARCHIEPISCOPI.

Martyr ergo nobilis solo Deo comitatus ingreditur ubi consedere pontifices et ex principibus nonnulli, rege residente cum domesticis in interiore conclavi, nam ea die sese mutuo non viderunt rex et archiepiscopus. Ingressus itaque sella remotiore consedit crucem tenens. Ad quem Londoniensis episcopus accedens, hortatur ut crucem deponat, ne quasi nudato ense videatur super dominum regem intrasse: « Hoc, inquit, modo accenditur ira, dis-

C cordia cumulatur, et exasperatur regis animus: » cui cum persuadere non posset verbis, vi crucem extorsisset ei de manu, si non utrisque manibus vi similiter eam vir Domini detineret. Eboracensis quoque, eadem repetens quæ a superiore objecta sunt, hortatur et ipse ut crucem deponat: « Tu, inquit, ingrederis armatus super dominum regem, sed certus esto quod dure incidit ensis regius, et jam contra te exsertus est, si non consultius egeris. » Tunc sanctus archiepiscopus humili usus affatus, ne daretur occasio insidiantibus: « Scio, ait, quod regis incidit gladius, sed carnem; nam crux ipsam pertransit animam, et spirituales transverberat potestates; absit a me quod objicitis! ne quando gladium portem contra dominum regem: crux enim

D pacem portat, non gladium, quæ in cœlis sunt, et quæ in terra pacificans, et ego pacem volo, nec crucem dimitto. »

Decrevit autem rex revocare in medium criminationes quæ superius motæ sunt contra clericos, ut inde arehiepiscopum accusaret; sed proceres dehortati sunt, ne forte si adversus ordinatos calumnia moveretur, episcopi cum archiepiscopo suos singuli tuerentur: « Alia, inquiunt, quæstio proponenda quæ specialiter ad archiepiscopum respicere videatur. » Interim nuntiatur viro sancto ab his qui consilio regis interfuerant, quod nisi consulat sibi, eadem die vel plecteretur capite vel in carcerem et vincula retruderetur, sicut hesterno audierat. At venerabi-

lis archiepiscopus pro se quidem intrepidus, sollicitus autem et anxius pro causa desolatæ Ecclesiæ et pauperum Christi, quibus qualemcunque videbatur protectionis umbram obtendere, si quod illi pateret evadendi refugium attentuis consideravit, et paululum deliberans, cum neminem prorsus videret, qui verbum loqueretur, quo regis erga ipsum defervesceret furor, stantibus circa se episcopis et proceribus, sedem apostolicam appellavit, quod solum videbatur reis esse remedium: « Nam hæc curia, adjunxit, qualiter Ecclesia gravetur inquirit. » Stupentibus illis ad subitam appellationem et frementibus in eum, Londoniensis, stimulante, ut creditur, conscientia, ut sibi remittatur appellatio, deprecatur. Ad quem sanctus archiepiscopus: « Nec te, inquit, absolvo nec quempiam cæterorum, sed in vi obediendiæ ex auctoritate Dei et domini papæ injungo omnibus in commune, ut plenariam justitiam exigatis de homine qui in me manum miserit, quicunque fuerit ille. » Et adjungens imperavit sub anathemate et in periculo ordinis et animæ ipsorum ne parcerent. Wintoniensis vero, commotis omnibus pro illata appellationis sententia, volens paci consulere, timensque lethale quiddam oriri circa archiepiscopum, his eum verbis adhortatus est. « Redde igitur archiepiscopatum, ait, in manum et misericordiam regis, si forte hoc modo adversum vos et nos pariter vestri causa regis indignatio detumescat, aliter vero mortiferum video tumultum, nec ullum paci locum vel concordiæ reservari. » Ille contra cum interminabili juratione protestatur quia nunquam archiepiscopatum redderet, donec ipse tenere potuerit: « Non ea, inquit, conditione suscepi ut reddam, sed ut pro eo meipsum impendam. » Exhinc nonnulli pontificum perpendentes quod necem archiepiscopi moliretur et maturaret consilium regis, tristes turbatique et præsertim pro facta appellatione, qualiter ipsum eriperent de manu regis et præsenti periculo collocuti sunt, et idcirco quos malitiæ ministros noverant exstitisse a principio et incentores discordiæ, Eboracensem videlicet, Londoniensem, Cicestrensem (necdum enim Salesbiriensem prænominati duo sociaverant sibi), his sermonibus allocuti sunt. « Novit universitas vestra quod ab initio ordinationis archiepiscopum fueritis insecuti, neque enim inter vos integer unquam fuerit amor vel societas; nunc ergo si, tacentibus vobis, occidatur, ad vestram specialiter infamiam respicit et opprobrium rex quoque perennem portabit maculam, universi nos ordinis et officii suspendium irreparabile sustinebimus. » Denique communicato invicem consilio idem omnes sensere, ut si permittente rege, contra archiepiscopum appellarent præsentiam domini papæ, hac ipsum arte a præsenti liberarent periculo et a sede depositum perpetuo silentio condemnarent. Adeunt regem ut sui ipsius et ipsorum necnon et totius regni misereatur, ne tanto ac tali facto, ipse et tota ipsius posteritas violetur opprobrio sempiterno. « Nostræ, inquiunt, committatur curæ ac sol-

A licitudini hæc causa archiepiscopi, ipsum vestræ humiliabimus voluntati, sempiternum illi de cætero silentium imponentes. » Annuit rex media conditione tali; pontifices nil cunctati, astantes archiepiscopo, præsentiam domini papæ appellabant et ipsi, quod jubente eo regias traditiones pro lege tenendas susceperint et confirmaverint quas ipse post factam sponsoniem contrarias ecclesiasticis institutis conabatur astruere. Sanctus vero archiepiscopus lætus quidem appellationem amplectitur, nihil æque desiderans quam ut audientia concederetur. Sed adhuc instabat commotio regis, et intantum exacuerunt illum membra Zabuli, consiliarii nequam, ut missis militibus mandaret, ut rationem redderet incontinenti triginta millium librarum quas tempore can- B cellariæ suæ, absque conscientia regis et eorum qui super negotia regni fuerant, profligavit. Vir autem Domini libere quidem respondit ad hæc, nequaquam decere super his facere quæstionem, quæ, teste populo, legitime terminata sunt: « Electus, inquit, ad hunc honorem ex ore domini mei regis, liberum me ab omni exactione in posterum clamavit potestas publica, quod nec vobis excidisse debet, sed nec latet dominum meum quod in regni negotiis et obsequiis illius universa expenderim, si dignatur advertere, unde et hinc in causam ingredi nulla me constringit ratio. »

Audita responsione hac, rex in iram versus et more suo Dei oculos protestatus: « Homo, inquit, meus est et subjectionem debet, et mihi rationem C non reddet? amplas de meo hæreditates habet et respondere contemnit; decernatur ocius cui subjaceat sententiæ pro contemptu. — Non hinc, aiunt, tantum judicandus est; nam gravior ejus præsumptio contemptusque intolerabilior est, quod curiam Domini sui falsitatis arguere contendit dum alterius interpellat judicium. » Et quidam de ordine episcoporum, qui hic nominandi non sunt, huic feruntur interfuisse consilio. Itur ad judicium, ubi justitia locum non habuit, ubi justus opprimitur, condemnatur innocens, addicitur æquitatis amator nemine resistente seu contradicente. Quid familia Pilati, quid milites Herodis, quid Neronis malitia nequius excogitavit? Nihil hic legi, nihil relinquitur æquitati. Denique ut libera daretur delinquendi D licentia, nemine reclamante decretum est, ut redactus in vincula, in carcerem retrudatur velut perturbator et proditor communis pacis.

DE DUOBUS CONSULIBUS.

Mittuntur mox consules duo, qui in superioribus jam tertio nominati sunt ad virum Dei venisse, qui ex ore regis et principum datam sententiam archiepiscopo recitarent. Sanctus vero archiepiscopus cum a multis et super multis causis impeteretur, ne stans sacerdotis personam inhonoraret, residendo, quod ei divinitus inspiratum est, mirifice respondit, majorem scilicet a minoribus non debere ad judicium vocari, neque eorum sententia ligari. « Ordo, inquit, confunditur, si pastorem ovis feriat, si dis

cipulus magistrum, si filius parentem verberet; neque enim ita pretiosius est aurum plumbo, sicut sacerdotalis dignitas regia potestate. » Ad legatos quoque dixit, quia nequaquam judicium audiret, post factam appellationem. Ad quem nuntii : « Quo, inquiunt, modo decretum publicum subterfugies, declinabis sententiam? hæreditates amplas de rege tenes, et in regis curia non respondebis, non auscultabis judicium? » Hæc autem omnia objicientes cum indignatione quadam respiciens sanctus: « Non est, ait, hæreditas, quod teneo, nec de rege, sed de Deo, cui in eleemosynam data sunt quæ possideo. Et vobis præcipio per reverentiam divini nominis et sacramentorum Christianæ fidei, ne in me hodie feratis sententiam, nec judicium faciatis. » Laici vero qui de concilio regis erant et circumsteterant, et suffraganei episcopi, imo refraganei, eum hæc dicentem et sedem apostolicam appellantem nihilominus condemnaverunt. Itaque athletam Domini a concilio malignantium recedentem aggrediuntur undique maledictis et conviciis clamantes : « Ecce proditor abit. » Denique cum in aulam venisset, ubi vulgus circumsedit et nonnulli ex regalibus ministris, adeo graviter offendit pedem, ut vix seipsum retineret a lapsu. Quid hunc animi habuerit, quando omnem evadendi perdidit confidentiam, nec ipse postmodum referre potuit qui hæc passus est, timens ne discerperetur. Continuo namque, secundum quod scriptum est: « Quia in adversis non se abscondit inimicus; » exclamavit Robertus de Broc: « Proditor regis abit proditor regis abit, » cæteris conclamantibus et, impetu facto, contorta stramina et levia quæque, quæ occurrebant, jacientibus ex omni parte. Clamor deinde probrosus insurgit et non minus tumultuosus, quam si quatuor civitatis partes ignis vel hostium insultatio invasisset. Ut autem suggestum est regi ad perpetuum illi futurum opprobrium, si infra curiam suam sineret conculcari archiepiscopum ac discerpi, clamatum est ex ore regis, ut liberum paterentur abire. Vir autem Domini nemini quidquam respondens, stupens vero ac tremens ne forte retineretur, declinata jam die ad vesperam hospitio se recepit, ubi cum de tam numerosa familia sua non amplius quam sex servientes invenisset, cæteris ob metum et minas regalium dispersis quo sibi quisque tutum putabat, introductis pauperum turbis cum ipsis refecit. Deinde servientibus qui aderant lectum suum in oratorium beati Andreæ (apud monachos enim hospitatus est) deportare jussit, et de retro majus altare componere ac si illic propter refugium quiescere disposuisset.

Profunda autem incumbente jam vespera sumptis secum duobus fratribus, quibus ante propositi sui secretum aperuerat, et famulo fideli, cum vehemens imbrium inundatio et tempestas hiemalis de illorum profectione neminem prorsus sineret esse sollicitum, per portam aquilonalem, cæteris omnibus diligentius obseratis, soli quatuor elapsi sunt. Nam pro certo accepit vir Domini a dicentibus, quod si diem crastinum exspectasset, absque retractione in carcerem truderetur. Tota autem nocte iter agentes, erumpente tandem aurora, Lincolniam ingressi apud civem, Jacobum nomine, notum fratribus, latitabat. Sed et sanctus sumpto habitu conversi et nomine mutato frater Dermannus appellatus est. Inde cymba brevi transvecti Semplingeham diebus aliquot pausaverunt. Inde quoque resumptis jam viribus grangiis Chikestrande recepti, optatas ibi latebras reperiunt. Et ut clarescat quam sancta, quam pia vir sanctus intentione illam inierit fugam, idem hospitium fidelis sui Salvator multis miraculis processu temporis illustravit. Inde etiam assumpto canonico sacerdote, noctibus ambulantes, diebus vero latitantes locis opportunioribus, donec demum ad portum Sanwicum perventum est, unde latenter in navicella transmissi, applicant in arena retracto mari, portum publicum devitantes. Incedentibus autem illis per arenam aliquandiu ac festinantibus corruit in terram sanctus archiepiscopus insolita vestium calceamentorumque grossitudine præpeditus, erectus vero manus elevans et inspiciens ingemuit graviter, magistra præmonitus experientia, quam non sit sperandum in incerto divitiarum, quam fallax, quam fugitiva sit omnis vitæ præsentis gloria. Pro copia namque, quæ illi pro voto aderat paulo ante, equorum fortium ac pretiosorum vix inventum vilissimum, jumentum conductum feno capistratum et sine sella, ut in Christi paupertate, et ipse jam pauper factus, pro Christo incipiat gloriari. Quanta autem trepidatio! quantave sollicitudo fugientes occupaverit! ne subito comprehensi reducerentur quis referet? Denique ad augmentum formidinis apud sanctum Audomarum cum jam ulterius occultari non possent, Ricardum de Luci reperiunt, qui pro responso quodam ad comitem missus est.

Miles igitur, ut cognovit, aggreditur archiepiscopum, hortatur ut secum redeat, reconciliabit eum regi. Excusat ille, negat reditum, nec se committere audet militi, sciens regis animum implacabilem cum semel amittitur; papam potius adibit, illius deinceps ope et concilio reversurus. Tumet miles et minatur, et ne in illum confidat interdicit ulterius, sed magis ut inimicum devitet. Ad hæc archiepiscopus : « Non minas, inquit, non improperia merui, sed fidem mihi et subjectionem debes. » Ad comitem mittit vir Dei ducatum postulans et liberum per Flandriam transitum. Minatur comes, et archiepiscopus ad dominum suum conversus, qui non deseruit sperantes in se, nec misericordiam amovit a genere justorum, ipso duce et episcopo Tavernensi auxiliante, nocte eadem liberatus est de ore leonis et de manu bestiæ, et regem declinavit et comitem et Flandriam pertransivit immunis. In crastino autem remandavit sociis ut properantes post ipsum, Suessionem venirent.

Cognita autem ac publicata fuga archiepiscopi, transmisit rex legatos suos ad regem Galliæ ne pateretur archiepiscopum in regno suo recipi nec habere

refugium. Astruunt sic convenisse ambobus in reconciliatione mutua, ut si cujus eorum fugitivus in regno alterius comprehenderetur, tentus mox redderetur domino suo, et nunc, inquiunt, potentissimus post regem nocturnus exiit et fugitivus. Rege autem dissimulante primo, et quasi quid vel unde loquerentur ignaro, dixerunt nuntii quoniam archiepiscopus Thomas, cum rationem super interrogatis reddere non valeret, ad indicium damnatæ conscientiæ, judicium domini sui subterfugiens, furtim de regno egressus est. Quibus rex ait: «Vidi Thomam archipræsulem, novi optime cancellarium, nec latet quanta cum devotione, nec ad oculum nec in facie sed in fide servierit regi, cui digna famulatus recompensatio redditur, ut nec cum ipso pacem nec hic patiatur rex invenire refugium. Digne, inquam, reddidit famulatum, quod de regno suo fugatum etiam in alieno persequitur. » Ad quem legati: « Hostis, inquiunt, et adversarius exstitit regno vestro archiepiscopus, quem tueris, et tuam ipsius non semel molitus est mortem, et de regno Franciæ non modicum domini sui subjecit imperio. » Rex autem interposita juratione: « Si mihi, inquit, ita ad votum deservisset, nequaquam ingratus existerem, et nunc si scirem ubi esset, festinus occurrerem venienti. » Orant nuntii ut hoc saltem faciat pro rege Angliæ vice dilectionis alternæ, scribat contra archiepiscopum papæ, ne et ipsum ad gravamen regis et regni totius circumveniat. Abeunt nuntii et rex illico per fidelem scribit domino papæ, quatenus paternam quam ipsi semper impenderat dilectionem, Thomæ quoque Cantuariensi archiepiscopo dignetur impendere, ipsumque tueatur, ne quavis occasione quemquam audiat adversus justitiæ sectatorem. Parat interim sanctus archiepiscopus ad papam proficisci appellationem suam prosecuturus, sed nuntii regis prævenerunt. Mox etenim rex audito responso regis Galliæ, direxit ad papam Eboracensem archiepiscopum, Wigorniensem, Exoniensem, Cicestrensem episcopos, aliasque personas nobiles et nominatas; porro astantes domino papæ causam regis argute satis et eloquenter allegant, existimantes posse se pectus illud sapientiæ plenum circumvenire sermone composito. At papa sanctissimus veritatis utrobique vestigia servans, inordinate et durius justo calumniantem sanctum archiepiscopum, unum de prælatis his arguit et confudit: « Frater, inquit, tempera te, ne maledicas proximo tuo, neque enim maledicentem archiepiscopo patienter ausculto. » Prosequuntur legati, dicentes ex nomine regis, ut ad pacis et concordiæ reformationem inter ipsum et archiepiscopum, et divinarum legum redintegrationem cardinales duo a sede apostolica mittantur in Angliam, quibus perfecta ligandi ac solvendi potestate concessa, nemo audeat refragari, nulla contra ipsos appellatio fiat, sed ratum sit quidquid fecerint, et per ipsos trangressio omnis emendetur. Papa autem sanctissimus considerans statim fraudem latere in verbis, respondet, hanc postestatem nulli concedendam cardinalium ut locum papæ obtineat, nec per ipsum, intulit, quidquam contra rationem cardinalibus concedetur. Tale reportantes responsum legati regis in Angliam reversi sunt, non exspectato archiepiscopo qui quarto abhinc die Senonas venit.

Advolutus autem ad pedes domini papæ causam adventus sui non ignoranti quidem exposuit, et oblationis vice chirographum regis utraque tenens manu extensum obtulit, et super genua erectus ait: « Domine Pater, hæc causa, hæc tota mea culpa est, pro qua ab Ecclesia mea pulsus exsilium patior. Istæ leges, quarum gratia implacabilem sentio iram regis, istæ traditiones quas in regno suo tenendas proposuit rex, et juramento confirmandas, ut ad posteros transmittantur; his ergo statutis contra divinas et apostolicas leges assensum præbere detestans, solum ac solitum præsentiæ vestræ refugium inventurus adveni. » Et ut mihi pro certo dictum est, jus archipræsulatus sui in manu domini papæ resignans expostulavit ut aliquem doctiorem et fortiorem de Anglorum Ecclesia in eorum metropoli episcopum constitueret cardinalem. Sanctus autem papa elevans filium, amplexatur, osculatur, lacrymas lacrymis immiscens, et Deo gratias referens, quod virum tam humilem spiritu, pastorem tam sollicitum in salute ovium, advocatum tam constantem in causa, imo in multis causis, Dei invenisset. Dignitatem ergo, quam refutaverat, quia neminem ad hoc onus fortiorem esse cognoscebat, dominus papa reddendam esse decrevit, renitenti etiam et invito.

Lecta autem in audientia scriptura, quam archiepiscopus obtulerat, quo tenderet, quem esset habitura finem, quam contraria foret divinis legibus et ecclesiasticis institutis si teneretur, evidenti ratione et eleganti eloquio per singula verba vir sanctus probavit. Sed causam regis tueri conatus est contrariis objectionibus Willelmus de Papia cardinalis, alii quoque de cardinalibus multa pro rege locuti sunt, cumque medium plene diei occupasset alterna contentio, nec haberet quid ulterius objiceret pars adversa, juxta dominum papam sanctus, ipso præcipiente, resedit, mirantibus universis qui adfuerant super prudentia illius, et constantia responsionum ejus. Imperat apostolicus animæquiorem esse, debitum tanto labori solatium repromittens. Scriptum quoque quod lectum est et auctoritatem illius, et quicunque illi assensum præberent, perpetuo condemnavit anathemate. Sanctus autem archiepiscopus post moram mensis unius circa apostolicum ab eo missus Pontiniacum abbatti commendatur et fratibus, qui curam illius habeant in omnibus quæ neccessitas deposcit humana, quod prona quidem mente compleverunt.

Rex autem postquam in tuto stationis portu locatum agnovit archiepiscopum, ubi nec illius feritate moveretur nec minis, in parentes fugitivi furor regius debacchatus est. Illi, dicit se Deus quorum

patrem et judicem, orphani, viduæ, pupilli, innocentes et ignari penitus discordiæ cujusquam viri inveterati, mulieres cum pendentibus ad ubera parvulis, clerici, laici, cujuscunque essent ætatis et sexus, de cognatione archiepiscopi, et quidam familiares ejus, ut ex hoc amplius contristaretur, miserabili proscriptione nudati facultatibus universis de toto regno jussi sunt exsulare, et servientes illius in vincula conjici ac teneri. Archiepiscopatus revocatur in manus regis, et Ranulfo de Broc ministro regis, ob veteres inimicitias quas exercuisse cognoscitur adversus virum Dei, traditur observandus. Qui totius inventor malitiæ et discordiæ fomes inter regem et archiepiscopum, omni hoste ferocior, clericos archiepiscopi cum parentibus absque ulla miseratione, ubicunque inventi fuissent, insecutus exterminavit. Igitur quid facerent miseri ? quo se verterent tantæ calamitatis inventuri remedium ? num archiepiscopum peterent, qui peregrinis mendicabat ovis desolatus et exsul? ipsum adiere tamen, qui materia exstitit miseriarum ut putabant. Sed martyr fortissimus quid animi habuisse creditur, cum suos cerneret advenire prius quidem opulentos et divites, nunc vero sui causa nudos et inopes ? Quos putamus fudit lacrymarum imbres? quæ suspiria traxit quum videret pendentes ad ubera matrum parvulos tam dira propter se et inaudita deportatione damnari? Grave quidem in mærore suorum creditur pertulisse martyrium, qui in barbarorum quoque afflictione et miseria compassionis et misericordiæ visceribus affluebat, auxit dolorem quod unde suorum relevaret inopiam, minime suppetebat. Nec quisquam nostram hanc dicat esse sententiam, multas potius elegisset mortes, quam tantam suorum cernere desolationem, cujus causa a principio ipse creditur extitisse. Sed humilium consolator Deus, humiliatum sui propter se et propter justitiam nequaquam deseruit, in hac desolatione, nam rex Francorum, inspirante Deo, et principes regni larga manu contulere viro sancto unde et sibi et suis omnibus abundabat. Sed nec ipse surdus auditor Domini acies suas cohortantis et dicentis : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam,» ad tolerantiam accendit animum. Totus denique ad divinum conversus et cœleste solatium, potuit e facili persuadere sibi, quod per multas tribulationes oportet introire promissam beatitudinem. Et consideratis sanctorum vestigiis, damna rerum temporalium, æternorum amore, patientor amplectitur, reminiscens quoniam Abrahæ dictum est: « Egredere de terra tua et de cognatione tua, » sicut terram, ita et cognationem suam postponendam Ecclesiæ honori penitus destinavit. Audiens interea rex quod episcopos Angliæ dominus papa mandasset, Clarenduniam coegit consilium, ubi juramentum exegit a pontificibus ne quis eorum pro quavis appellatione patria egrederetur, nemo mandatum domini papæ susciperet. Et quidem in hunc modum episcopi promiserunt, a laicis vero juratum est. Clamatum est

A ex ore regis quod si quis pro quocunque negotio sedem apostolicam appellasset, omnia quæ illius essent scriberentur ad opus regis et ipse traderetur in carcerem. Proh pudor ! ubi tunc timor Dei ? ubi reverentia legum ? ubi pontificalis honor ? omnes judicium regis et præsentiam appellabant. Causas Ecclesiæ tractabat populus qui ignorabat legem Dei. Nusquam decreta Patrum, nusquam audtum est Evangelium, silentium ibi sumpsit divina lex, conticuit ratio, præsumptio sola obtinuit principatum, pauperes spoliantur ecclesiis, vestiuntur nummosi. Oblatio illa fidelium, quæ *nummus Petri* dicitur, quia Petri specialiter debebatur hæredibus, detinebatur cum censu publico reponendus. Portus et littora maris arctius servabantur, ut si quis mandatum

B aliquod detulisset, suspendio statim vel aliqua dira morte periret. Plures tamen eo tempore dominus papa direxit epistolas quibus prælatorum arguebat errata, et suspensionem minabatur officii si non resipiscerent.

Per idem quoque tempus Eboracensi archiepiscopo scripsit hæc : « ALEXANDER, servus servorum Dei, Eboracensi archiepiscopo et universis Angliæ episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Illius dignitatis et,» etc. (*Vide indicem epistolarum alphabeticum.*)

Episcopi autem, si dicere licet, quod ipsi facere non formidabant, prævaricationi junxere contemptum. Nam cum filium suum coronari rex vellet, coronationis officium Eboracencis implevit, junctis

C sibi Gilberto Londoniensi, et Salesbiriensi Jocelino contempta auctoritate et postposita reverentia domini Cantuariensis ad quem de antiquo jure regum inunctionem certum est pertinere. Ubi nulla ex more de conservanda Ecclesiæ libertate mentio facta est, nulla cautio data est, sed juramentum potius interponitur, ut regni consuetudines quas avitas dicunt, sub quibus dignitas periclitatur Ecclesiæ, illibatas debeat conservare. Hæc in epistola domini papæ scripta sunt, in qua a pastorali officio suspendit episcopos, qui coronationi huic irregulariter interfuere. Et quidem plures interfuerant, sed in prænominatis tribus pendebat negotium et per ipsos operatum est. Hi præsumptionis hujus ministri, auctores erroris, ut regis satisfacerent voluntati, parerent

D prævaricationibus, non ordini suo honorem, non mandatis apostolicis obedientiam exhibentes, patienter ferebant divinæ legis proscriptionem. Imo ut quod verius est fateamur, ipsi libertatem Ecclesiæ subvertere nisi sunt, consiliis suis commoventes regis animum adversus virum sanctum ; concordiam persuadentes inutilem esse regno, inhonestam regi, nihil magis formidantes quam pacem, sicut sanctus ipse ad papam scribens testatus est.

Suspensi igitur ab officio et contemptus sui merito, quidem vinculo anathematis processu temporis innodandi, nec sic cessarunt sanctum in exsilio verborum spiculis, quem aperto quominus opere non poterant, irritare. Pari siquidem tres ipsi conspiratione

fœderati quæcunque de scripturis, quæcunque de exemplis præcedentium poterant prescrutari, coacervabant sibi, quibus suam ipsorum et regis causam coroborare contra sanctum archiepiscopum conati sunt, dicentes : Quæ vestro pater in longinquo, etc. (*Vide indicem epistolarum alphabeticum*).

Hæc inserere huic opusculo libuit, ut pauca de multis colligens lector intelligat illos in exsilio et desolatione sua sanctum archiepiscopum sensisse adversarios, a quibus debuit sperare solatium. Vir autem Domini in persona Londoniensis episcopi rescripsit hæc.

Mirandum et vehementer stupendum, etc. (*Vide indicem epistolarum alphabeticum*).

Plura sanctus prænominatis tribus scripsit in hunc modum multis : quoque et frequentibus illum pulsavere mandatis ut hinc inde perpendatur, illi quidem quantæ devotionis ad justificandum opera regis, sanctus vero quantæ constantiæ in assertione veritatis exstiterit. Tunc etiam ipsi pariter sicut cæteri omnes qui coronationi filii regis interfuerunt, missis a domino papa epistolis suspensi sunt.

DE COMMORATIONE SANCTI APUD PONTINIACUM.

Sanctus vero Thomas commoratus Pontiniaco, quo illum dominus papa commendavit, ut prælibatum est, corpori suo multas et graves ac soli Deo cognitas tribulationes indixit, memor quippe Dominicæ commonitionis : « Nesciat sinistra tua quid facia dextra tua, » quidquid sanctæ religionis, quidquid devotionis in se sensit, quantum in ipso fuit, teste conscientia occultavit. Ex eo igitur tempore olerum esu et grossioribus contentus epulis, et quæ levioris essent sumptus, delicatiora quæque furtim sibi subtrahere, nescientibus qui considebant, et indigentibus infirmis ministrare fecit. In amnem quoque, qui per officinas monasterii decurrit, latenter descendens, et supra virtutem fragilitatis humanæ moratus quantas cruces corpori ex illa frigoris injuria intulerit, ut concupiscentiarum stimulos, qui adhuc vivere videbantur, in eo contereret, sequens infirmitas declaravit. Nam non multo post una facierum in tumorem versa usque ad interiores fauces computruit, et in morbum quem fistulam dicunt tumor excrevit. Diutius autem hac passione laborans non sine multa molestia et dolore extractis inde duobus ossibus demum sanatus est. Nocte vero quadam orationis et genuum curvationis fatigatus instantia, ubi sopori traditur videt in somnis quasi, orta inter ipsum et regem contensione gravi, solus ipse in præsentia domini papæ et cardinalium causam suam expositurus astaret, cardinales autem qui causam regis tuebantur non mediocriter moti, quod contra regem tam constanter ageret archiepiscopus facto impetu in illum oculos illi effodere digitis ac discerpere moliti sunt ; clamavit papa, sed cardinalium clamor et tumultus invaluit, et clamantem apostolicum obmutescere fecit ; deinde egressis illis, alios ad se videt ingredi quasi carnifices destinatos ad ipsum cum solus esset, qui quidem terribiles aspectu et furore pleni archiepiscopum aggressi capitis ejus summitatem quantum occupavit latitudo coronæ gladiis extractis abraserunt, ita ut pars abrasa in frontem decideret. Turbatus vir Domini novitate visionis horrendæ, alta cordis consideratione non sine causa hæc ostensa fuisse perpendens, magis magisque se ipsum divinis mancipavit obsequiis, et ad omnium tolerantium injuriarum solidavit.

QUOMODO REX AMOVIT EUM A PONTINIACO.

Ut autem cognovit rex quod in tuto locatus archiepiscopus nullus egeret eorum quæ usus deposcit humanus, nec illi nec suorum cuiquam posset inferre gravamen, quandiu Pontiniaco consisteret, inde eum amovere molitus est ; sed quoniam id efficere per regem Galliæ non potuit, quippe qui veri ac totius bonitatis amator summo semper archiepiscopum venerabatur affectu, et contra adversarios suis sustentabat auxiliis, ad alias se convertit machinas. Scripsit ad abbatem Cistercii, cui subjectionis jure Pontiniacum sicut et ceteræ domus ejusdem ordinis obtemperant, quod suum in ordine et totius regni sui hostem publicum tenebat, certusque esset abbas quod si vel ibi remanere vel alias in ordine refugere permitteretur archiepiscopus, universos ejusdem ordinis monachos, qui in suo regno invenirentur, ad ipsum sine contradictione transmitteret. Sanctus vero archiepiscopus, ut hæc audivit, mandante Cisterciensis abbate placide ac benigne respondit : « Absit inquiens, a me transgressio hæc, ut mei causa patiar tot viros virtutis, tot animas innocentes in desolationem venire, tot loca, tot monasteria tantis conquisita sudoribus in solitudines redigi sempiternas, nam meam, inquit, levabit inopiam, « qui suscitat a terra inopem, et de pulvere erigit pauperem, » et vobis rependat vicem Pater misericordiarum et quæ mihi exhibuistis retribuat officia charitatis. »

Itaque mandavit regi Francorum, qua arte eum de Pontiniaco deposuisset rex Angliæ, paratum se suscipere dicens quæ pridem oblata fuerant. Siquidem cum primo fugitivus ab Anglia venisset ad regem Ludovicum, obtulit illi rex et multis precibus adjuravit, ut circa se maneret, quomodo vel ubicunque potius elegisset, quod tunc quidem renuit, ne quis objiceret quod ad injuriam domini sui regis Angliæ obligasset se regi Francorum, quasi potentiori ; consilio domini papæ Pontiniacum elegit, parciore victu et vita sobria delectatus. Rex vero mandatum archiepiscopi cum omni devotione suscipiens Pontiniacum festinus occurrit, ingressusque monachorum capitulum gratias abbati et fratribus egit qui Franciam honorarunt in tanti hospitis susceptione, et « Nunc, ait, ne pro beneficiis aliquio vestrum offensam regis odiumque pro subventione sustineat, me cum veniat. » Conversi ad lacrymas monachi singulorum patrem et solatium singulare querentur abire, et ad mentem revocantes quanta cum mansuetudine et humilitatæ inter ipsos et quari unus ex ipsi commoratus fuerit, quem præsentem dilexerant, abeun-

tem luctu et suspiriis prosequuntur. Inde profectus A cum suis postquam ibidem duos annos transegit, in ulteriores partes Galliarum, ad sanctam scilicet Columbam, cœnobium grande monachorum in vicino situm Senonis civitatis, transportatus est. Ubi officiosissime susceptus ab officialibus regis, qui præmissi fuerant, quatuor ibidem annos provisione regia sustentatus exegit; perfacile fuerat illi hoc spatio cum episcopis sive archiepiscopis, et offerebatur a plurimis, demorari, sed ignem supernæ dilectionis quem Salvator misit in ossibus illius, quod totus jam æstuabat, tutius in silentio fovere, cupiens vir sanctus vitabat publicum, et semotus a turbis et tumultibus utrumque tempus diei et noctis maxime sacris occupavit meditationibus, orationique et compunctioni lacrymarum, quibus abundantius exuberavit, nec B ab hoc studio cessavit, nisi cum familiaris rei cura cogeret vel negotium quod non posset vitari.

QUOMODO REX TENTAVIT CIRCUMVENIRE SANCTUM.

Sed hanc pacem et propositum venerabilis archiepiscopi videns, et invidens pacis adversarius, « per cujus invidiam mors intravit in mundum, » rursus adversus ipsum instigat regem consiliis impiorum, quibus ascribendam esse discordiam amplius quam regi, et sanctus scripsit, et nos credimus, suggerens indecorum et ignaviæ imputandum fore, si quietum permitteret remanere qui tantas in regno suscitasset inquietudines. Rex igitur cum in nullo nocere posset viro Domini, nisi consensisset rex Francorum, ipsum circumvenire tentavit hoc modo. Transmittit filium suum jam coronatum in Galliam, ut filio regis C qui patri successurus erat in regnum, homagium faceret et fidelitatem sponderet. Mittuntur munerum diversæ species, dantur domesticis et consiliariis regis pretiosa quæque, et tandem occurrunt sibi reges de pace et concordia in posterum locuturi. Ubi vero de his tractatum est, firmatis pactionibus, juratur in medio quod ex illa die firmam servarent amicitiam et fidem, et in hoc maxime quod neuter eorum alterius inimicum susciperet nec susceptum post hanc conventionem usquam in regno sineret demorari. Concessa in hunc modum conventione, aliud sine mora rex Angliæ ordinavit colloquium, quod sibi reges occurrerent. Cui cum rex Francorum a consilio suo non permitteretur adesse, irritos fieri videns conatus suos, rex Angliæ mandavit regi, quod violata conventione quam alterna juD rationem firmaverant et suum et regni hostem publicum detineret et tueretur. Ad quem remandavit rex Franciæ quod nulla in conventione de archiepiscopo mentio facta est, unde nec violatæ conventionis deberet nec posset argui. Ut autem cognovit vir Domini quod etiam de Francia eum expellere conaretur rex Angliæ, scripsit illi quatenus persequi desineret servum suum, et tantos incassum expendere labores, adjiciens sibi et suis omnibus multa plura suppetere, providente Deo, quam vitæ necessitas poposcisset, ut neminem jam præter omnium dominatorem formidare cogeretur, impleta in ipso promissione veritatis qua dicitur: « Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia subjicientur vobis. » Quam sollicite regnum Dei quæsierit, quale et a quo inter labores exsilii sui solatium habuerit subjiciendum putavimus, ut videat lector talem merito conversationem martyrio consummari.

In primis, ut accepimus, nullus eum dies reperit dormientem, raro quievit in lecto, nisi gravis infirmitas immineret. Deinde primus ei labor ecclesiam ingredi, divinis interesse laudibus, cum summa devotione et reverentia sanctorum mysteriorum celebrare solemnia, post expletionem vero horarum regularium solus in oratorium suum ingressus et clauso ostio intra cubiculum orans Patrem in corde contrito et humiliato, oratione et lacrymis, seipsum hostiam vivam, sanctam Deoque placentem quotidie obtulit Creatori. Sancti familiares, qui pia curiositate arcanum illius perscrutati sunt, quid inclusus et solitarius egerit, ex suspiriis et crebris gemitibus perpendebant. Inde circa horam refectionis egressus cum pauperibus et familia se refecit. A nullo quidem abstinuit cibo, humanum in omnibus favorem fugitans, sed revera de omnibus cum summa sobrietate sumpsit, sciens non esse cibum in vitio, sed concupiscentiam reprimendam. Surgens a mensa non otio, non fabulis, non levitate, sed lectione sancta pascebat esuriem animæ, sive de necessariis tractabat, sive de instructione loquens domesticos exhilarabat. Et hic erat ordo diei, nisi inevitabile negotium aliquid immutaret. Nocte vero cum lectus, ut archiepiscopum decuit, mundis et pretiosis componeretur vestibus, ipsum in eo quiescere suspicantibus universis, sanctus in oratorio suo solitudinem habens nocturnum silentium in oratione pernoctavit. Deinde suscitans capellanum, quem solum secum habuit in thalamo quo jacebat, cum totum sanctitati impendisset diem, ut dignior corona censeretur quam verbere, reverso cilicio quo induebatur, flagellum obtulit, et dorsum humili devotione flagellandum exhibuit, quod cum primo capellanus facere trepidasset, adjuratus in vi obedientiæ sanctum cædere usque ad sanguinem non cessavit, et ipse qui cædebat miseratione victus corpore nonnunquam lassaretur. Ubi autem capellanus ad lectum rediit, nequaquam ille a corporis injuria quievit, unguibus illud discerpens et lacerans, et in hæc verba inter singultus et suspiria prorumpens: « Miser ego et omnium infelicissimus miserorum, utquid natus sum? cur in hanc veni miseriam? » Post hæc autem tertiam plene noctis partem, secundum æstimationem ejus qui interesse meruit, in genuum curvatione et oratione expendit. Et cum jam nimia totius corporis fatigatio cogeret ad quietem, solo procumbenti, posito ad cervicem lapide, tantum molestiæ intulit vestis aspera ac vermium multitudo, ut sopor tenuissimus turbaret potius quam reficeret. Horum testi et relator exstitit venerabilis Robertus de Meritona capellanus sancti archiepiscopi, qui plene omnia vel ab eo didicit vel ipse vidit, quæ neminem

præter ipsum scire voluit, qui et fidem dederat, quod nulli hominum donec superesset archiepiscopus, horum aliquid revelaret. Testatus est idem, quod a die ordinationis suæ sanctus nullam sinebat præterire diem, quo non quinquies aut quater vel ad minus ter in die graviter cæderetur. His sanctæ conversationis exercitiis, hoc divino amoris stimulo, vir sanctus seipsum mundo mortificans carnis quotidie trucidavit affectus, concupiscentias jugulavit, et solam Salvatoris præsentiam perferre sitiens, cum Propheta cantabat : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei.

QUOMODO SALVATOR BONO THOMÆ APPARUIT.

Inter hæc autem, dum quadam die post missarum solemnia prostratus coram altari, præ nimio fervore spiritus supra se raptus, solito vigilantius intenderet orationi, manifesta ei visione Salvator apparuit dicens : « Thoma, Thoma, in tuo sanguine magnificabis Ecclesiam meam. » Cui ille : « Quis es, Domine, qui me visitasti ? — Ego, inquit, frater tuus sum, et Salvator, qui Ecclesiam meam glorificabo in tuo sanguine. » Tum ille : « Utinam autem sic fiat, ut locutus est Dominus ! » Hoc ille non mediocriter animatus oraculo, magis de die in diem ad amorem cœlestis patriæ suspirabat, cupiens dissolvi et esse cum Christo.

QUOMODO REX FRANCIÆ VOLUIT REFORMARE PACEM INTER REGEM ET ARCHIEPISCOPUM.

Rex vero Francorum instantius egit ut pacem inter regem et archiepiscopum reformaret, et frequentia inter reges super hoc colloquia fuerunt. Sed et domini papæ mandata in conciliis quibus reges convenerant lecta sunt, quibus regem corripuit, primo quidem patienter ac paterne satis, ad posterum cum nequaquam patientia leniretur, cum interminatione vindictæ mandavit, quatenus consopita omni malitia et remissis hinc inde querelis cum archiepiscopo suo rediret in pacem. Dissimulavit rex aliquandiu et statutum pacis diem mutando negotium prolongavit. Sanctus itaque scripsit hæc regi in concilio apud Chinum.

DE DESIDERIO LOQUENDI CUM REGE ANGLIÆ

« Desiderio desideravi videre faciem vestram, » etc. (*Vide indicem epistolarum alphabeticum.*)

Perlecta epistola venerandi pontificis rex, nec hinc quidem contradicere nec annuere volens, in diem certum terminavit responsum. Tandem vero convenientibus in unum rege et archiepiscopo, et per dominum papam et regem Francorum reformata pace ut putabatur, donatis alterutris querelis sine ira et indignatione et omni malitia, restiturum se promisit rex quæ ablata fuerant, et quæ ad archiepiscopatum pertinere probarentur. Ipsi quoque et suis omnibus redeundi licentiam, et pacem stabilem condonavit. Sanctus autem memor desolati gregis, qui per absentiam pastoris a via recta deviarat, ut sine offensa pacis osculum porrigeret universis, de clericis suis præmisit unum qui vice ipsius absolveret, si qui forte his qui in sententia fuerant in aliquo communicassent. Qualiter vero redierit, vel quid causæ exstiterit quod non statim rediit post pacem factam, sanctus ipse post reditum suum domino papæ scribens exponit.

Epistola beati Thomæ ad dominum papam.

« Reverendo patri et domino in Christo charissimo Alexandro, summo pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis salutem, et omnimodam cum summa devotione obedientiam. Quam justis, quam honestis conditionibus, » etc. (*Vide indicem epistolarum alphabeticum.*]

DE REVERSIONE BEATI VIRI AD CANTUARIAM.

Hoc igitur ordine sanctus Thomas, septima jam exsilii sui vertente bruma, reversus Cantuariam, tanto ferventius, tantoque devotius ad futuram et veram festinabat vitam, quanto in hac nil sibi præter tentationes et pericula restare certum habuit. Nam etsi pax illi fortassis arrisisset exterior, adeo jam pridem grave sibi ipse indixerat bellum, ut inter mundi delicias posito asperioris eremi molestia vel potius martyrium non deesset. Sed e regione, quod vehementius pie volentem vivere perurgebat, cum his ; qui oderunt pacem et veritatem, pacificus habitans in se expertus est Salvatoris sententiam, quoniam inimici hominis domestici ejus. Nam cui præ cæteris inniti ratione dictante debuerat, adversus ipsum archidiaconus suus legatione functus est, qui regis filio persuaderet quod coronam illi minuere moliretur archiepiscopus, vel penitus, si processus daretur audaciæ, proposuisset auferre. Ad palliandam quoque propriæ adinventionis malitiam, inimici justitiæ virum Dei calumniati sunt, leoninæ feritatis stimulis agitatum de exsilio repedasse, ut regis propositum et instituta dissolveret, cum ex fine claruerit agmina illum lenitate mitescere, quando instar agni non reluctans neque reclamans cervicem obtulit percussori. Interim vero vir magnanimus ad futurum in brevi certamen sanctæ devotionis exercitiis animum roboravit, instabat orationi, lectioni sanctæ, et prædicationi, adeoque intentus in his exstitit, et eleemosynarum erogatione profusus, ut quibus in transmarinis sancta illius conversatio innotuerat mirarentur.

Brevi autem intervallo ante Domini Salvatoris natale, regis filium, cui jam regis nomen imponebatur, adire volens super Ecclesiæ negotiis, inter sacras ferias familiarius locuturus, Londonias profectus est. Necdum urbem ingressus est, et ecce quidam de regalibus occurrit denuntians ei, ex regis nomine et mandato, ne procederet, nec civitates regias, villasque, vel oppida ulterius ingrederetur. Expavit primum vir sanctus et obstupuit, inopinata denuntiatione turbatus, et hæc regis nuntio respondit : « Quid promerui quod et te quoque experior inimicum ? quid peccavi quod mihi talia refers? a teipso hæc loqueris ? —Nequaquam, ait nun-

tius, de proprio ista corde composui, sed sic mandatur tibi a domino rege : pacem ille iniit tecum et tu primus rupisti fœdera pacis, et pactum prævaricatus es, qui domesticos regis et pontifices ab Ecclesia segregasti, et militum manu per urbes regias armatus incedis, unde tibi mandat rex, ut ad sedem tuam redeas, injuncto officio diligentiam adhibeas, nec usquam progrediaris. » Pluraque minis interpositis nuntio prosequente, sanctus ait : « Pacem ego putavi nec aliud suspicatus sum, sed video, non est pax in qua confidam. » Instabat nuntius sic omnimodis a rege fuisse mandatum affirmans. Sanctus igitur ex verbis et mandato regis certissime, quod postmodum accidit, notavit opus, et tanto quidem alacrior, tantoque ad omnem voluntatem Dei promptior factus est, quanto ex his quæ audierat jam proximare se præsensit ad palmam. Quanto autem fervore fidei, quanto desiderii cœlestis inflammatus amore redierit, ac si auditis quæ quidem poterant terrere consolatus, testem tenemus gratiam sanitatum quæ per illud iter cœlitus monstrabatur, postquam ad superos sanctus martyr ascendit. Nam ubi restitit parvulis imponens manus, diversa laborantibus ægritudine salus restituta est.

Reversus itaque cum summa animi devotione ac puritate sacram Salvatoris celebrat nativitatem, alacriter suis commemorans non esse in homine viam ipsius. Die vero nativitatis Dominicæ, finito jam sermone ad populum, terribili sententia damnavit unum de regalibus, qui pridie cæsis servientibus archiepiscopi, equos nihilominus ad ipsius contumeliam turpiter decaudavit, cujus etiam propinquum carne, nec mente quidem mitiorem Ranulfum de Broch, malitiæ totius incentorem, simili multavit pœna, qui in homines archiepiscopi ac parentes bestialiter debacchatus est. Tres quoque pontifices cui sententiæ subjacerent, ne quis communicaret talibus, populo palam fecit, qui ecclesiæ Christi Cantuariæ contra majorum statuta inunctionem regum subtrahere non formidarunt. Ad postremum autem : « A Jesu Christo, inquit, maledicti sint, et a cœtu sanctorum deleatur illorum memoria, quicunque inter me et dominum meum regem odium aut discordias seminabunt. » Sed quos semel armavit malitia adversus Christum Domini, nequaquam veriti sunt terribilis sententiæ prolationem. Denique pontifices prænominati cum se regis indignationi committere, quam Dei judicio et Ecclesiæ delegissent, ocius transmisso mari regem adeunt, et se regis inclinantes vestigiis, querula satis et quæ durum licet animum flecteret oratione sua, ipsorum suspensionem deploraverunt, allegantes qualiter cum ipsis egerit dominus Cantuariensis, cujus industria et ingenio ad regis et regni dedecus a sacerdotali penitus separantur officio, ut nec signandi panem habeant facultatem. Adjiciunt accusantes quod majus aliquid audebit adhuc, si istam rex patienter portaverit præsumptionem. Talibus circumventus rex, et velut amens effectus, nec se capiens præ furore, nescius quid objiceret, hæc iteratis vicibus dixisse fertur : « inertes ac miseros homines enutrivi et erexi in regno meo, qui nec fidem ferunt domino suo quem a plebeo quodam clerico tam probrose patiuntur illudi. » Dixit et e medio secedens colloquium pariter et locum familliarem petiit, si quod forte concepto furori daret solitudo solatium, ubi liberius sermo sævientis haustum virus evomeret. Quod verbum milites quatuor genere quidem conspicui et de domestica regis familia excipientes, funeste illud, et alia prorsus quam a rege prolatum fuerat intentione interpretati sunt. Nec moram passi, ipso nimirum excitante qui homicida fuit ab initio, in necem innocentis unanimiter conspirarunt, facilitatem quoque tribuit ad perpetrandum, qui facinus inspiravit. Egressi namque, rege penitus ignorante, navemque conscensi ad votum spirantibus auris transportantur in Angliam, portu Canum appulsi, canes ipsi extunc et miseri non milites appellandi. Ut autem innotuit regi milites abiisse, suspicatus malignum aliquod, post illos misit ut citius reverterentur. Sed tanta velocitate transvecti sunt ut minime revocari vel a nuntiis comprehendi possent ante piaculum perpetratum. Nam quod contra propositum regis ac voluntatem fuerit illa maledicta præsumptio, satis claruit ex consequentibus. Cum enim nuntiata fuisset passio venerandi pontificis, tanta ejus animum præoccupavit confusio, turbavit mœstitia, absorbuit pariter et possedit horror facinoris inauditi, ut nullus hæc sermo sufficiat explicare. Decrevit siquidem, ut post innotuit, aut carceris illum custodia aut alio quolibet modo corripere ut a sententia revocaret. Sed nonnunquam malis bene utens providentia Dei, inde sublimius dilectum suum honoravit, unde hunc humiliatum credidit humana malitia. Invalida et enim sunt hominis ingenium et calliditas contra consilium divinitatis. Placuit nempe Salvatori ab hac miseria per martyrium eripere quem dignum martyrio fecerat fidei plenitudo.

Igitur præfati non jam milites, sed miseri ac miserabiles, ubi primum applicuere, sociatis sibi regis officialibus jam ab archiepiscopo anathematis sententia prædamnatis, militum manum satellitumque de provincia contraxerunt, ex ore regis et nomine mentientes in dominum suum. Facile persuasum est scelus, illis affirmantibus quod ex mandato regis ad hoc negotium advenissent. Jamque coacervati in unum, promptique ad omnem impietatem, quinto demum die post Christi nativitatem, crastino autem sanctorum Innocentium, adversus innocentem conveniunt. Hora jam refectionis expleta sanctus quoque jam tunc cum domesticis in interiorem domum a turba secessit, de negotiis tractaturus. Turba autem foris in atrio præstolante, soli quatuor cum satellite uno ingressi sunt. Occurritur illis cum honore, quasi domesticis regis, et bene notis, invitantur ad mensam, edentibus adhuc qui archiepiscopo ministrarunt. Respuunt cibum, sanguinem potius sitien-

tes Igitur imperantibus illis, nuntiatur archiepiscopo A viros quatuor venisse qui vellent cum ipso loqui ex parte regis, quo innuente introducti cum diutius in silentio consedissent, sanctum archiepiscopum nec salutaverunt quidem nec allocuti sunt. Sed nec ipsos vir magni consilii statim ut ingressi sunt salutavit, ut secundum Scripturæ sensum : « Ex verbis tuis justificaberis, » ex ipsorum interrogatione internam animi discerneret voluntatem. Post moram vero conversus ad illos et dilligentius singulorum considerans vultum pacifice salutavit. Sed infelices, qui cum morte fœdus inierant, salutantem continuo maledictis aggressi, et ficte ut Deus illum adjuvet imprecati sunt, ad quod verbum amaritudinis et malitiæ vir Dei incredibili rubore perfunditur, haud ignarus jam nocendi studio venisse viros. Igitur qui B primus videbatur et cæteris promptior ad piaculum filius Ursi spirans furorem in hæc verba prorupit : « Habemus, inquit, aliqua tibi dicere ex mandato regis, si vis tibi coram multitudine recitari, dic. » Cognito autem archiepiscopus unde vel quid essent dicturi : « Hæc, inquit, non privatim, non in cubiculo, sed in publico proferenda sunt. » In tantum autem in necem pontificis arsere miseri ut, nisi clericos ostiarius revocasset (omnes enim egredi jusserat), archiepiscopum ipsum hasta crucis quæ propius stabat, ut postea confessi sunt, confodissent. Regressis autem qui exierant, ipse qui supra his verbis contra virum Dei calumniam exorsus est : « Rex ait, inter vos pace reformata liberum te, querelis omnibus consopitis, ad propriam sedem ut poposcisti C remisit, et tu econtrario prioribus injuriis contemptum adjiciens, violato pacis fœdere, superbe adversus dominum tuum tibi ipsi in malum operatus es ; nam quorum ministerio regis filius coronatus est, et regni sublimatus honore, pertinacis animi tumore ductus suspensionis sententia condemnasti, ministros quoque regis, quorum consiliis et prudentia tractantur negotia regni vinculo anathematis innodasti, ut ex his manifestum sit, quoniam filii regis coronam auferres, si facultas adesset ; jam enim molitiones tuæ et instantia, ut ad effectum perduceres quod contra dominum tuum excogitasti, omnibus innotuere. Super his igitur in præsentia regis responsurus si venire dignarii edicito, ad hoc enim missi sumus. » Ad quem archiepiscopus : « Voluntatis meæ, Deum testor, D nunquam fuit ut domino meo filio regis coronam auferrem, vel minuerem potestatem, cui tres potius coronas optarem, et amplissima terrarum regna conquirere cum ratione et æquitate juvarem. Sed nec indignari justum est dominum regem, ut objicitis, si me per urbes et oppida homines mei comitati sunt, et occurrunt, quos præsentiæ meæ solatio jam septem annorum proscriptio defraudavit. Et nunc quidem, ubi domino meo placuerit, satisfacere præsto sum, si in aliquo forte deliqui, sed urbes suas et oppida villas quoque ne ingrederer comminando denuntiavit. Cæterum nequaquam a me sed a domino papa pontifices ab officio suspensi sunt. » — « Per te, inquiunt vesani, illi suspensi sunt, et tu eos absolve. — Non nego, ait, quin per me factum sit, sed supra me est et meæ prorsus non congruit dignitati quos dominus papa ligavit absolvere, ipsum adeant in cujus redundat injuriam, quod me et matrem suam Ecclesiam Christi Cantuariæ contempserunt. — Nunc igitur, aiunt carnifices, hoc est præceptum regis, ut de regno et terra, quæ ipsius subjacet imperio, cum tuis omnibus egrediaris, neque enim pax erit tibi vel tuorum cuiquam ab hac die, qui pacem violasti. » Ad hæc ille : « Cessent, inquit, minæ vestræ et jurgia conquiescant, confido in regem cœli qui pro suis in cruce passus est ; quoniam ab hoc die nemo inter me et Ecclesiam meam mare videbit, non veni ut furem, hic me reperiet qui quæsierit. Sed nec dominum regem deceret mandare talia, sufficere contumelia quæ mihi et meis a ministris regis illata est, etsi non minaretur in posterum. Hæc, inquiunt, mandavit dominus noster rex et hoc probabimus, nam qui regiæ debueras majestati deferre et regis examini differre vindictam, ministros regis ac domesticos, furentis animi secutus sententiam, de ecclesia turpiter ejecisti. » Quibus athleta Christi in fervore spiritus erectus contra calumniantes ait : « Quisquis sanctæ Romanæ sedis instituta, vel Christi Ecclesiæ jura violare præsumpserit, et non venerit ultro satisfaciens, quisquis ille fuerit, non parcam, nec morabor ecclesiastica censura corripere delinquentem. » Prosiliunt milites hoc sermone perculsi, responsionis constantiam ulterius non ferentes. Accedentes vero propius : « Tibi inquiunt, denuntiamus quod in capitis tui periculum locutus es. — Num me, ait, venistis occidere ? universorum judici commisi causam meam, unde nec minis moveor, neque enim gladii vestri promptiores sunt ad feriendum quam animus meus ad martyrium ; quærite qui vos fugiat, me enim pede ad pedem in prœlio Domini reperietis. » Illis ergo in tumultu et contumeliis exeuntibus, bestialiter exclamavit quem Ursum merito cognominavimus : « Ex parte regis vobis edicimus tam clerici quam monachi, ut hominem istum comprehendatis et teneatis, ne fuga lapsus evadat, donec rex de corpore ejus plenam justitiam fuerit consecutus. Abeuntes igitur in hæc verba vir Dei ad ostium usque prosecutus exclamat et ipse : « Hic, hic reperietis, » posita super cervicem manu ac si locum præmonstrans ubi fuerant percussuri.

Reversus autem ad locum ubi sederat prius, suos consolabatur in Domino, et ne timerent hortatus est, et ut nobis visum est qui adfuimus, ita imperterritus residebat, qui solus quærebatur perimendus, tanquam ad nuptias illum invitaturi venissent. Nec mora, redeunt carnifices in loricis cum gladiis securibusque et bis acutis, et cæteris utensilibus commodis ad scelus quod animo conceperant peragendum. Cumque obserata ostia reperissent, nec pulsantibus aperiretur, secretiori quodam aditu per pomerium ad ligneum obstaculum divertentes scin-

dunt, cedunt, et diruunt. Quo fragore terribili ac tumultuoso tremefacti, servientes ac clerici fere omnes, velut oves ante faciem luporum, hac illacque dispersi sunt. Acclamantibus autem qui remanserint ut in ecclesiam fugeret, memor ille promissi prioris, metu videlicet mortis non se fugiturum carnis interfectores, fugam renuit, non enim in tali casu fugiendum erat de civitate in civitatem, sed dandum magis subjectis exemplum ut mallet unusquisque gladiis succumbere quam videre legis divinæ contemptum, et sacrorum canonum subversionem. Simul etiam, qui ab olim martyrii flagrabat amore, implendi illud occasione ut videbatur adepta, ne differret ipse, vel penitus auferret sibi, si in ecclesiam fugeret, formidavit. Insistunt monachi dicentes non decere ipsum vespertinis deesse laudibus quæ jam tunc celebrabrantur in ecclesia. Mansit ille immobilis minoris reverentiæ loco, felicem illam ac multis præoptatam suspiriis, multa devotione quæsitam, consummationis suæ horam exspectare deliberans, ne, sicut dictum est, ædis sacræ reverentia et impios arceret a proposito et sanctum cordis sui desiderio defraudaret. Certus namque quod ab hac miseria migraret post martyrium, postquam ab exsilio reversus est, multis audientibus dixisse fertur : « Habetis hic dilectum Deo ac vere sanctum martyrem Elfegum, alium vobis divina miseratio providere non morabitur. » O sinceram et securam conscientiam pastoris boni, qui in gregis sui causa ac defensione non propriam mortem differe voluit cum valeret nec vitare tortorem, ut pastoris sanguine satiata luporum rabies ovibus abstineret ! At ubi nec ratione nec precibus persuaderi potuit ut in ecclesiam refugeret, invitum ac renitentem arripiunt monachi, trahunt, portant, et impellunt, nec attendentes quanta conviciando opponeret, ut ipsum dimitterent, in ecclesiam usque perducunt; ostium vero per quod iter erat in claustrum monachorum multis ante diebus diligentius obseratum, cum jam tortores a tergo insisterent, omnem prorsus evadendi fiduciam abstulit : currens tamen unus, ubi primum seram contigit, non sine multa omnium admiratione tanta facilitate extraxit ac si glutino cohæsisset. Postquam autem intra fores ecclesiæ monachi se receperant, jam dicti milites quatuor cursu rapidissimo post terga secuti sunt. Adfuit inter illos subdiaconus quidam, eadem qua milites armatus malitia, Hugo Malus-Clericus merito suæ nequitiæ cognominatus, qui nec Deo nec sanctis reverentiam exhiberet, quod sequens factum probavit. Intranti vero monasterium sancto archiepiscopo omissis vesperis quas Deo libare incœperant, occurrunt monachi glorificantes Deum quod patrem suum, quem exstinctum audierant, vivum cernerent et incolumem. Valvas etiam ecclesiæ repagulando hostes a nece pastoris arcere festinant, ad quos conversus athleta mirabilis imperat ecclesiæ januas aperiri : « Non decet, inquiens, orationis domum ecclesiam Christi turrem facere, quæ, et si

A non claudatur, suis sufficit ad munimen : et nos patiendo potius quam pugnando triumphabimus hostem, qui et pati venimus, non repugnare. » Nec mora, gladiis evaginatis, ingrediuntur domum pacis ac reconciliationis, solo quidem aspectu et armorum strepitu non modicum horroris cernentibus ingerentes. Turbatisque qui aderant ac tumultuantibus, jam enim qui vespertinis intenderant laudibus ad lethale spectaculum accurrerant : in spiritu furoris milites exclamaverunt « Ubi est Thomas Beketh proditor regis et regni? » Quo non respondente, instantius vociferati sunt dicentes : « Ubi est archiepiscopus? » Ad hanc vocem intrepidus quidem et, ut scriptum est » Justus quasi leo confidens absque terrore erit, » occurrit e gradu quo delatus

B fuerat a monachis metu militum, et satis audibili sermone respondit : « Ecce adsum non regis proditor, sed sacerdos; quid me quæritis ? » et qui se eos non timere jam antea dixerat, adjunxit : « Ecce præsto sum in nomine ejus pati, qui me sanguine suo redemit, absit ut propter gladios vestros fugiam, aut a justitia recedam. » Quo dicto, divertit in dextram sub columna hinc habens altare beatæ Dei genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ; illinc vero sancti confessoris Benedicti, quorum exemplo et suffragiis crucifixus mundo et concupiscentiis ejus, tanta animi constantia ac si in carne non esset, quidquid carnifex inferebat, sustinuit ac superavit. Quem insecuti carnifices : « Absolve, inquiunt et communioni restitue quos excommunicasti, et cæteris officium

C redde qui suspensi sunt. » Quibus ille : « Nulla, ait, satisfactio præcessit nec eos absolvam. — Et tu, inquiunt, modo morieris suscipiens quod meruisti, » et « Ego, ait, pro Domino meo paratus sum mori, ut in meo sanguine Ecclesia libertatem consequatur et pacem, sed meis, sive clerico sive laico, in nomine Dei omnipotentis interdico ne in aliquo noceatis. » Quam pie suis, quam prudenter sibi providit martyr egregius, ne videlicet læderetur proximus, innocens opprimeretur, ne gloriam properantis ad Christum proximi casus tristior offuscaret. Decuit plane ducis sui militem martyrem Salvatoris inhærere vestigiis, qui cum quæreretur ab impiis : « Si me, inquit, quæritis, sinete hos abire. » Igitur facto impetu manus sacrilegas injece-

D runt in eum, durius illum contrectantes et trahentes, ut extra fines ecclesiæ aut jugularent aut vinctum inde asportarent, sicut postmodum confessi sunt. Sed cum facile a columna non posset moveri, unum ex ipsis acrius insistentem et accedentem propius a se repulit lenonem appellans, dicensque : « Non me contingas, Reinalde, qui fidem ex jure debes et subjectionem; insipienter agis cum tuis complicibus. » Miles vero pro repulsione terribili totus incanduit, ensemque vibrans contra sacrum verticem : Nec fidem, ait, nec subjectionem tibi debeo contra fidelitatem domini mei regis. » Cernens igitur martyr invictus horam imminere, quæ miseræ mortalitati finem imponeret, paratam sibi et promis-

sam a Domino coronam immortalitatis jam proximam fieri, inclinata in modum cervice orantis, junctis pariter et elevatis sursum manibus Deo et sanctæ Mariæ et beato martyri Dionysio suam et Ecclesiæ causam commendavit. Vix verbum implevit et metuens nefandus miles ne raperetur a populo, et vivus evaderet, insiliit in eum subito et summitate coronæ quam sancti chrismatis unctio dicaverat Deo abrasa, agnum Deo immolandum vulneravit in capite, eodem ictu præciso brachio hæc referentis. Is etenim, fugientibus tam monachis quam clericis universis, sancto archiepiscopo constanter adhæsit et inter ulnas complexum tenuit, donec ipsa quam opposuit præcisa est. Ecce simplicitatem columbæ, ecce serpentis prudentiam in hoc martyre, qui corpus percutientibus opposuit, ut in caput suum animam scilicet vel Ecclesiam conservaret illæsam, nec contra carnis occisores, quo magis hac necessitate careret, cautelam vel insidias machinatus est. O pastorem dignum, qui ne oves laniarentur, seipsum luporum morsibus tam confidenter opposuit! et quia mundum abjecerat, mundus eum volens opprimere nescius sublimavit. Deinque alio ictu in capite recepto adhuc quoque permansit immobilis. Tertio vero percussus martyr genua flexit et cubitos, seipsum hostiam viventem offerendo dicens submissa voce: « Pro nomine Jesu et Ecclesiæ tuitione mortem amplecti paratus sum. » At tertius miles ita procumbenti grave vulnus inflixit, quo ictu et gladium collisit lapidi, et coronam quæ ampla fuit ita a capite separavit, ut sanguis albens ex cerebro, cerebrum nihilominus rubens ex sanguine, lilii et rosæ coloribus virginis, et matris Ecclesiæ faciem confessoris et martyris vita et morte purpuraret. Quartus miles supervenientes abegit ut cæteri liberius ac licentius homicidium perpetrarent. Quintus vero non miles, sed clericus ille qui cum militibus intraverat, ne martyri quinta plaga deesset, qui in aliis Christum fuerat imitatus, posito pede super collum sancti sacerdotis et martyris pretiosi, horrendum dictu, cerebrum cum sanguine per pavimentum spargens cæteris exclamavit: « Abeamus hinc, milites, iste ulterius non resurget. »

Sed in his omnibus incredibilis constantiæ virtutem exhibens martyr insignis nec manum nec vestem, ut est infirmitatis humanæ, opposuit percussori, nec percussus verbum protulit, nec clamorem edidit, nec gemitum, nec sonum cujuscunque doloris indicem, sed caput quod inclinaverat gladiis evaginatis immobile tenuit, donec confusus sanguine et cerebro tanquam ad orandum pronus, in pavimento corpus, in sinum Abrahæ spiritum collocavit. Erectus nimirum supra se ad amorem Conditoris et supernæ dulcedini totus intendens, leve duxit quidquid doloris, quidquid acerbitatis inferre potuit cruentus carnifex. Et quam intrepide, ubi de sua salute principaliter et fide certaretur, esset iste martyr pugnaturus, qui pro aliorum tuitione ut videlicet secundum paternas traditiones, et Ecclesiæ scita, res ecclesiasticæ tractarentur, seipsum tam viriliter, tam devote obtulit occisioni. Ut enim pace martyrum loquar, propriam singuli principaliter agebant causam cum dæmoniis immolare et idola colere cogerentur, iste vero aliorum salutem pretioso sanguine suo mercatum venit, existimans majorem hoc non esse charitatem quam animam ponere pro amicis suis. Pro mirabili ergo constantia hunc ei honorem divinitus collatum credimus, quod non Judæos, non paganos, non ignobiles quosque sed Christianos nobilissimos ac potentes victoriosa morte triumphare concessum est. Denique cumulatur honor, quod militis sui martyrium, imo natale martyris, ita sui Salvatoris clementia continuavit, ut salva concivium suorum prærogativa, nec possit esse conjunctius nec ulterius protelari. Sed et loci martyrio deputati celsitudinem quis metiatur? ipsa domus Christi, cunabulum regis pridie nati, recenti martyris cerebro et sanguine depingitur, ut ex hoc facto et persecutorum immanitas, et martyris eminens dignitatis figuretur. Itaque Dei sacerdos a sæculo migrans cœlis nascitur quarto Kalendas Januarii, anno ab incarnatione Domini ac Salvatoris nostri 1171, die proxima post solemnitatem Innocentium, ut qui diu innocenter vixerat et innocenter occisus est, proximo post Innocentes tempus celebre sortiretur.

Consummato autem per martyrium venerabili pontifice, infelices illi et cæteris homicidis immaniores cum exsultatione et tripudio, quasi qui regis adversarium prostravissent, insigne regium conclamantes, ad palatium ecclesiæ reversi, et per ædes et officinas archiepiscopi discurrentes quiquid optimum in auro, argento, vestibus, et vasis pretiosis invenerant, libros etiam et ecclesiæ chartas et privilegia, cum cæteris quæ numerare longum est, non minus cupidi quam crudeles depredati sunt. Nec his satiata crudelis impietas, cum non haberet in quo per martyrium coronato noceret ulterius, ipsum in clericis et clientibus, parentibus quoque persequi non cessavit. Comprehendit quos potuit potestas publica et diversis contumeliis affectos facultatibus spoliavit, qui per ignotas provincias miseri ac mendici pastore percusso dispersi sunt. Quid Judæo, quic hic Christi crucifixoribus relictum sit, lector attendat. At ubi insonuit triste nuntium de morte pontificis, turbatur civitas, curritur ad spectaculum. Quis stupor intuentium, quis luctus? quanta fuerit lamentatio intuentium, quis explicet? Nemo tamen palam ausus est profiteri quia malum est, metu ministrorum regis qui discurrebant, tum quia nec monachorum maxima pars nec cæterorum quispiam de persona quidem, quam si unus quilibet cecidisset e turba, aliter opinati sunt præter quod in ecclesia gestum tam inauditum scelus horrorem intulit universis. De persona dixerim, nobis enim audientibus calumniatus est quidam habitus nostri ac tonsuræ, quod nequaquam loco martyris habendus esset, qui merito pertinaciæ suæ occisus est.

Sed fidelis sui providentia Salvatoris et vitæ puritatem, et causa quam fuerit justa, quæ sola martyrem facit non pœna, multimoda miraculorum gloria non distulit innotescere mundo, qui tanta cum sollicitudine quoad vixit in carne cognitionem sui negavit mundo. Siquidem die tertia postquam consummato jam non mortalitatis metu, subiit in Sancta sanctorum perenniter in cœlis victurus cum Christo venerandus Christi martyr et pontifex missa de supernis lux nova lumen mundi restituit nomen martyris invocanti.

MIRACULUM PRIMUM.

Uxor etenim militis cujusdam de Sussexia, cui oculorum cæcitatem vehementia diuturni languoris intulerat, audiens hoc modo occubuisse dominum Cantuariensem, divinitus inspirata in hos illico voces erupit : « Sancte martyr Christi Thoma, tibi me devoveo, si mihi subveneris in hoc periculo, cum devota oblatione locum tuæ requietionis abibo. » Vix verba complevit et optato diu lumine eadem hora potita in brevi de residuo morbo perfecte convaluit. Verum hoc, sicut alia nonnulla, tunc quidem sub silentio premebantur quasi non crederetur eis, quousque multiplicitate miraculorum omnis adversantium cessit impietas, et obstructum est os loquentium iniqua. Ipsa quoque nocte beatæ consummationis illius quasi missarum solemnia celebraturus pontificalibus indutus apparuit cuidam ex familiaribus, altaris conscendens gradum. Quod cum secunda ac tertia nocte eadem visio apparuisset, adjecit is qui hoc viderat sanctum interrogare, dicens : « Domine mi, nonne mortuus es ? » ad quem sanctus : « Mortuus, inquit, fui, sed surrexi. » Tunc ille : « Si vere surrexisti et inter martyres computandus es, ut credimus, quare teipsum non manifestas mundo ? » Tunc sanctus archiepiscopus : « Lumen, inquit, porto, sed non potest propter nebulam interpositam apparere. » Lumen plane ; nam ut taceamus interim lumen illud ineffabile, gaudium videlicet Domini sui in quod mox ut hinc exiit intrasse credendus est, lumen erant illa lucis opera, quibus vivens vir sanctus abundantius exuberabat, lumen fuit martyrium et illud maxime, quamvis adhuc nebula persecutionis interjecta non luceret. Sed hæc in testimonium tetigisse sufficiat, ut hinc lector intelligat quam pretiosa fuerit in conspectu Domini mors sancti archiepiscopi, quam sub tanta celeritate miraculorum gloria commendavit, quod raro de aliquo sanctorum legimus.

In crastino autem cum adhuc corpus sacrum in ecclesia servaretur humandum, matutinus adfuit quidam de regiis satellitibus et hæc ore sacrilego palam prosecutus ait : « Juste periit proditor iste, opus plane eximium et dignum præconio, quod de medio sublatus est, qui regis filio coronam præripere conabatur. » Deinde ad monachos conversus : « Tollite, ait, et hunc humo recondite quantocius A ne compareat, sed dispereat memoria illius de terra, qui sic operatus est adversus dominum suum regem, aut equis illum discerpere faciam, et in fetentem puteum projiciam, porcis et canibus devorandum. » Hinc turbati omnes ac perterriti ne forte faceret secundum quod minabatur impius ille et complices ejus, quorum impia et invida mens nec forte morte quidem sancti poterat satiari, si non etiam mortuus cum dedecore tractaretur, in crypta illum recondere festinarunt. Prius tamen ut moris est, corpus mundissimum martyris lavandum exspoliantes, sub habitu canonici regularis eum in habitu et ordine monachorum tam secreto diu reperiunt exstitisse, ut etiam hoc suos lateret familiares ; ad ultimum carni proximum inveniunt cilicium sic bestiunculis B obsitum, ut levius isto pristinæ diei fuisse martyrium quivis judicaret, et hostes majores minoribus minus nocuisse, et quod a nullo sanctorum præsumptum esse cognovimus, femoralibus cilicinis ita stricte cruribus insutis usus fuerat, ut alveolus a poplite supra in longum sub sutura cilicii vermiculis scaturiens extenderetur, quibus inspectis inopinatæ religionis compuncti miraculo monachi mox in hæc verba prorumpunt : « Videte, videte, quoniam hic vere monachus est, et nos nescivimus eum. » Qui gemitus, quæ suspiria, quam largi lacrymarum imbres omnium qui aderant interceperint verba, referri non potest. Quibus tamen jam tunc non modicum consolationis accessit, cum, qualis a nullo hominum præter paucissimos familiares credi potuit, C vitæ sanctitas et insolitus pœnitentiæ riger apparuit, ut ex eo jam nemini daretur ambigere martyrium promeruisse coronam, cujus vita martyrii merito non careret. Recondito igitur in crypta venerando corpore cum quo decuit honore et reverentia, sanguinem sacrum, quem de pavimento susceperant cum cerebro extra tumulum collocarunt, superna inspiratione præcaventes, ne cum corpore clauderetur, cujus haustu saluberrimo tanta in brevi beneficia collata sunt, ut si scriberentur per singula, fidem excederent infirmorum. Hic est enim fratrum amator et populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, et pro civitate sancta Jerusalem, cujus triumpho lætatur cœlum, cujus passionibus sancta in fide confirmatur Ecclesia, cujus meritis et interventu D cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, et pauperes resonant gloriam Christo, qui electo suo in prima vocatione dedit fidem, in passione constantiam, et tandem consummato per martyrium plenitudinem gratiarum et laudem et gloriam nominis sui qui est cum Patre et Spiritu sancto Deus benedictus in sæcula. Amen.

EXPLICIT PASSIO SANCTI THOMÆ MARTYRIS

Abhinc autem viduata pastore mater Ecclesia mœrens, et amaro animo, injustum patris diebus multis lugebat exitium, illi quidem congaudens qui ad sempiternum transivit gaudium, sed pro sui ipsius desolatione sollicita, quæ debita pontificis pro-

tectione careret. Denique per anni circulum, decem tantum exceptis inde diebus, conticuit in ea divina laus, et missarum solemnia cessaverunt, quousque per pretiosum martyris sui sanguinem visitavit plebem suam oriens ex alto, et fit ipse consolationis causa, cujus mors principium creditur ministrasse mœrori. Interim vero committitur cura archipræsulatus inimicis justitiæ ad conculcandum potius quam custodiendum, ad perdendas animas, non lucrandas. Hinc pauperes opprimuntur, violantur Ecclesiæ jura, contra vetitum coguntur sacerdotes tremenda celebrare mysteria, silebant canones, decreta Patrum nec audiebantur quidem, nullus rationi, nullus æquitati locus, id solum eligitur quod suggerit avaritia, et cui facultas major, hic melior æstimatur. Denique ne regi displiceret malitia ministrorum, de oblatione fidelium, de pauperum refrigerio census regius cumulatur, et quæ specialiter Dei sunt contra Salvatoris sententiam redduntur Cæsari : sed nequaquam impune feret, quisquis divinæ legis integritatem præsumpserit temerare. Veniet quandoque qui judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ, qui nunc clamant in tribulatione sua ad Dominum, et vide si non in ipsa præsenti ultione inæstimabilis quidam appareat circa genus humanum divinæ miserationis intuitus, ut dum videlicet exterius admonentur adversa mens interior facinoris commissi facilius admonentur, et sic redeat prævaricator ad cor secundum quod psalmus ait : « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine. »

Igitur cum de terra clamaret ad Dominum sancta mater Ecclesia dicens : « Vindica, Domine, sanguinem servi tui qui innocenter effusus est, » subito et contra spem omnium pax universa confunditur, suscitantur seditiones, et bellum oritur intestinum, filius insurgit in patrem, pater in filium, et regnum in seipsum divisum celerem sui ipsius desolationem minabatur, et quidem juste ubi prælocuta fuerat mors innocentis. Normannia hostili gladio traditur ferienda quam tantus mox belli furor invasit, ut non ecclesiis, non ministris ecclesiasticis etiam inter sacra missarum solemnia parceretur. Nam altaribus adstantem in veste sacra sacerdotem accepimus ab impiis jugulatum, multaque alia horrenda nimis et inaudita tunc temporis perpetrata fuisse relatum est. Anglia proinde contremuit et commota est a facie futuræ cladis, quam jamjamque suis cerneret cervicibus imminere. Obsessa siquidem hostibus circumfusis in gyro, intus vero mortiferis plena seditionibus, ut nusquam tuta fides, nulli crederetur amico, dum iste patris, alter filii causam contenderet justiorem ; nihil jam nisi generale quoddam discidium exspectabat. Sed ne martyris sui gloriam tristiorem redderet sanguis effusus ; pro cujus morte iram intulit, quod nulli venit in dubium, ejus denuo meritis pace reddita, liberavit populum suum de manu hostili, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. » Quis unquam crederet tanti sceleris auctores ad pœnitentiam reservari, nisi ut hinc quoque Christus sanctum suum magnificaret ? Unde jam nunc cernere est ipsos etiam ejusdem adversarios propensiori studio devotionis mortuum venerari, quam viventem fuerant persecuti.

Denique conscius sibi rex ipse sanguinis innocentis, etsi non ab ipso nec per ipsum, causa tamen commotionis quam in ipsum habebat, effusi, ostenso per visionem non esse aliud iter obtinendæ pacis, nisi placato et reconciliato martyre, in cujus ultionem tanta rerum confusio regnum jam universum præoccupavit, ut absque sanguine multo nemo pacem speraret, posita interim extollentia regali, corde contrito et humiliato, ad tumbam pretiosi martyris de præsumptione veniam postulaturus advenit. Quo dum properaret et jam civitati proximus esset, ut palam faceret quanta devotione fervebat erga sanctum Dei, quanto pro his quæ in ipsum commiserat pænitentiæ turbaretur affectu, ab ecclesia beati patris nostri Dunstani quæ prior occurrit ingredientibus urbem, ad ecclesiam majorem ubi beati martyris corpus quiescit, nudis pedibus et veste communi incedens et flens, ubicunque asperior apparuit via per medium civitatis ascendit, non itineris inclementiam, non pedum teneritudinem, non vulgi hinc inde spectaculum, sed animæ consideravit periculum, et conscientiæ læsionem.

Moris quidem fuerat conventum regibus festive procedere, et nonnulla reverentiæ obsequia solemniter exhibere, sed hæc universa sibi prohibebat impendi, qui magis luctu quam lætitia pascebatur dicens : « Versa est in luctum cithara mea, et organum in vocem flentium. » Veniens igitur ad ecclesiæ fores procedit et oravit, ingressus vero locum martyrii ubi sanctus occubuit : rigavit lacrymis et osculatus est. Dicta autem confessione astantibus coram episcopis cum tremore multo ac reverentia ad tumbam accessit, ubi totus prostratus corpore ac mora non modica, orationi intentus, quos singultus ediderit, quæ suspiria, quam largo lacrymarum imbre marmor ipsum perfuderit, æstimari non potest. Posquam vero diutius oratum est, monachis et multitudini quæ convenerat pro rege satisfaciens. Londoniensis episcopus his verbis exorsus ait : « Quoniam aliter opinari nonnullos notum est quam se habeat gestorum integritas ante Deum cui nuda et aperta sunt omnia, et coram Christo Domini quem hic veneratur in fide et veritate et in præsentia fraternitatis vestræ, pura confessione, recognoscit dominus noster rex quod nec ipso jubente nec sciente quidem, venerabilem archipiscopum maligni homines occiderunt, ut autem cognovit occisum, tantam animi contraxisse mœstitiam, quod prospeximus tunc præsentes, quantam nunquam pro quovis eventu passus est. Super verbo autem, quod ira præventus protulit, unde materiam ipsum occidendi sumpsisse creditur profana temeritas, et quia viventem adeo pertinaciter insecutus est, cui-

A pabilem sese clamat et veniam precatur pro vestro judicio per omnia satisfacturus. Ea propter universitatis vestræ adesse sibi suffragium supplicat, quatenus in conspectu Domini ac Salvatoris nostri qui « cor contritum et humiliatum » non spernit, et beato martyri Thomæ humilis illius accepta sit pœnitentia. In integrum hodie restituit dignitates et jura hujus ecclesiæ quæcunque a retroactis temporibus, sive in hoc, sive in aliis ubique terrarum regnis Ecclesia catholica liberius cognoscitur habuisse. Sed et de propria ratione triginta librarum reditus offert in munus martyri, quatenus vobis intercedentibus immemor injuriarum propitius fiat. Omnem insuper malevolentiam ex corde remittit omnibus, qui ipsum in causa venerabilis archiepiscopi offendisse viderentur et universos qui de ipsius advocatione erant, B sive clericos, sive propinquos, sive servientes, quos aliquando supra quam debuit, contristavit in aliquo, in priorem hodie gratiam recipit et dilectionem. » Talia prosequente episcopo, ut cessavit loqui, rex universa benigne concessit, et rata fore in posterum protestatus est. Post hæc autem exteriori exutus veste scapulis et capite inclinato in unam fenestrarum tumuli humili prorsus devotione, adeo ut in luctum converteret universos, primo quinquies cæsus a prælatis, postmodum a monachis LXXX et eo amplius, ter a singulis cæsus, et sic solemniter absolutus est. His ita gestis, nuda humo residens, nudis nec lotis saltem post lutum pedibus, jejunus quoque ut venerat, neque enim quidquam sibi pœnitentiæ dolor sinebat indulgere quietis, noctem orando totam C transegit, demisso vultu ac totius gestu corporis satis insinuans, hoc illius opus, hanc esse mentis immutationem qui respicit terram et facit eam tremere. Neque facile reperitur in aliqua historia Christiani temporis aut humilior isto principe in pœnitentia, aut devotior aliquis exstitisse. Et ne cui in dubium veniat per beati martyris Thomæ merita mutatam divinæ sententiam severitatis, quam inspiravit, regis satisfactione placari, evidens hujus rei jam tunc monstrabatur indicium. Nam quo die rex Cantuariam venit super his quæ in sanctum deliquerat satisfacturus, comes Flandrensis, qui cum immenso exercitu oram maris obsederat ut in Angliam repentinus irrumperet, mutato repente consilio reversus est. In crastino nihilominus, sicut postea D computatis diebus inventum est, comprehenso in acie Scotorum rege qui et ipse Northanhumbrales Anglos vastare aggressus est et prædari, omnes in brevi conticuere hostes, et pacem regni turbantes humiliati sunt. Et sicut in ultionem sanguinis innocenter effusi ira Dei in regem pariter et regnum regis interveniente reatu desævit, sic rursus humiliato regi, martyre mediante venerabili, repropitiata divinitas et hostes subegit, et uberiorem pacis gratiam reformavit. Hinc nos tibi, martyr insignis, fructum labiorum, et laborem manuum immolamus, orantes et sicubi nostra lineas veritatis excesssit oratio, tua sancta intercessione et meritis indulgentiam consequamur et vitam. Amen.

Insimulatione quorumdam, quorum est discordias serere inter fratres, antequam prioratum Cantuariæ suscepisset, dominus Benedictus offensam regis incurrit, adeoque in virum profecit perversorum malignitas apud regem, ut nisi beati Thomæ reverentia, cujus se monachus tuitione specialiter advocabat regis impetus infregisset, supra quam regiam deceret majestatem furor regis in hominem desæviret. Est nempe criminosæ mentis, cum ipsa virtutes non appetat viros virtutis si non datur opere vel sermonibus insectari. Quæ quidem invectio non regis animum odio habentis mala, sed eorum mordet malitiam quorum suggestione rex in Benedictum iracundiæ creditur concepisse calorem. Beatus igitur Thomas, cujus martyrium et miracula vir iste, de quo loquimur, eleganti stylo transmisit ad posteros, vice famulatus exhibiti purgatum infamia qua venerat in suspicionem, quasi secus incedens, quam se habeat professionis suæ norma, hac arte reconcidliavit regi. Cum enim adepto jam prioratu, compulsus a suis propter Ecclesiæ negotia, diu regem secutus nequaquam sesse auderet ingerere ob metum et minas regis, ostensa cœlitus visione, qua tumebat adversus innoxium regis feritas delinitur. Nam vidit in somnis quasi per pontem incederet magnum valde et elevatum, cumque ad medium fluminis pervenisset quod rapido subtus volumine decurrebat, soluto repente tabulatu cui pes regis innitebatur, ipse illico per medium lapsus foramen suspensus hærebat brachiis, mox totus in patentem inferius voraginem ruiturus, cui nullum prorsus solitudo loci suffragium spopondisset. Igitur post conatus plurimos cum jam viribus cœpisset destitui nec humanæ subventionis spes ulla resedit, memor quoniam Domini est salus mellifluum, Domini ac Salvatoris nomen crebius inclamavit, matris quoque Mariæ nomen ingeminans, et universos patronos invocans, cum nemo pereunti succurreret: « Subveni, inquit, martyr Christi, sancte Thoma, succurre, ne memineris injuriarum extremi temporis, quem in primordiis supra omnes homines adamavi. » Vix verba finivit et ecce Benedictus prior festinus accurrens, sciscitanti cur vel unde veniret, hæc regis respondit: « Quem invocasti in fide, sanctus archiepiscopus ut te eripiam misit me, et porrigens illi manum, ereptum de loco mortis et lacu miseriæ statuit super pontem, et visio non comparuit. » Evigilans autem rex et horrore turbatus visionis insolitæ reliquum noctis sine somno transegit, tantamque membris omnibus vexationem horrendus animi stupor infudit, ut vix circa medium dici præ nimio dolore de lecto surgeret. Igitur, ut prior adfuit, exponitur visio, nec minor prorsus Deo et pretioso martyri Thomæ persolvitur actio gratiarum a rege, quam si vita illi de vero periculo redderetur. Testatus namque est quod pro nullo quamvis inæstimabili pondere pecuniarum in eumdem recideret visionis

horrorem. Et ne quis hæc casu accidisse, et somnum non mirandum esse contendat, nos e regione tanto illud sublimius quanto subtilius est veneramur, tantoque magnificentius et majori fatemur attolendum præconio, quanto per hoc non a morbo quolibet caro mox moritura sed victura in perpetuum ab odii lethalis abysso anima suscitatur. Rex siquidem, quem pridie quam hæc videret tum per ministros publicæ functionis, tum per seipsum aperta verborum contumelia fuerat insecutus, hunc A correptus ab illo, qui respicit terram et facit eam tremere, in familiarem recipit gratiam, et pro quibuscunque postulavit prona mente largitus est; ut in hac mutatione dextræ Excelsi, ipse laudetur et adoretur, in cujus manu corda sunt regum, qui cum sit in sanctis suis mirabilis, ad laudem et gloriam nominis sui, cujus sit meriti martyr noster egregius, subtili admodum ac multiplici miraculorum indicio declaravit. Alter alii hinc dixerunt sed sic fuit visio.

SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

VITA SECUNDA

AUCTORE ROGERIO DE PONTINIACO.

PROLOGUS.

Quoniam apud omnium fidelium mentes pretiosissimi martyris Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, passio veneranda singularem obtineat reverentiam et devotionem, multorum tamen movet animos, quod de ejus vita et actibus nusquam plena reperiatur historia, maxime cum lucerna ista non sub modio latuerit, sed in evidenti super Ecclesiæ candelabrum posita, non tantum occidentalium partium angustias, verum etiam totius orbis latitudinem splendore suo irradiaverit. Pro ignorantia enim veritatis nonnullos de beato viro non solum diversa, sed etiam contraria sensisse cognovimus, quorum ignorantiæ necessaria quidem sed tamen temeraria et nimis forte præsumptuosa diligentia consulendum æstimavimus, ne et falsitas illis fiat in devotionis detrimentum et posteris in erroris seminarium.

Porro aliquid de beati viri vita et actibus pretiosæ que mortis ejus triumpho vir illustris, Joannes Salesberiensis claro quidem et fideli sed admodum succincto edidit eloquio; in quo, etsi devotioni fidelium plurium profuit, ad plenum tamen minime satisfecit, compendiario, ut ipse asserit, utens sermone, ne illa scilicet quæ tunc temporis notissima et vulgata habebantur diffusius et expressius prosequens, non tam necessarius quam superfluus videretur. Sane si hoc eidem Joanni facere placuisset, nullus procul dubio utilius vel melius illo id efficere potuisset, cui et dicendi facultas erat incomparabilis, et rerum gestarum certissima inerat notitia; quippe, qui ab ineunte ætate beato viro socialiter adhæserat, et in persecutionibus comes individuus B exstiterat. De his et quibus post mortem Dominus sanctum suum mirificavit, eumque non tantum cœlis sed et terris pretiosæ mortis merito vivere declaravit, vir venerabilis Benedictus Cantuariensis ecclesiæ prior copiosam texuit relationem unde evidenter agnoscitur quam sit pretiosa in conspectu Domini mors sancta ejus, quem tantis virtutum et miraculorum indiciis incessanter commendare non desinit.

Denique non etiam qui beato viro tempore exsilii sui ministravimus, quinque sacra manum ejus impositione officium sacerdotale suscepimus, ea, quæ de ipso minus dicta sunt, ne temporis vetustate penitus pereant a memoria, stylo quidem rudi et inculto, sed veritate plenissima adnotare curavimus C nihil omnino inserentes, nisi quod vel ipsi vidimus et audivimus, vel certissima ac fidelissima eorum, qui interfuerunt, relatione cognovimus. Si cui tamen vilitas forte et abjectio dictaminis sorduerit, veritas tamen lacinioso tecta schemate non vilescat.

Thomas igitur civitate Londoniarum parentibus secundum civilem statum eminentissimis oriundus fuit. Patri nomen erat Gilbertus, mater vero ejus Mathildis vocabatur. Quæ, quamvis ultra civilem conditionem generis excellentia claruisse visa sit, eam tamen multiplex morum honestas et religionis ac devotionis eleemosynarumque assiduitas multo magis venerabilem et commendabilem faciebant.

Hæc quodam tempore cum concepto fetu gravida D se de nocte sopori dedisset, visum est ei quasi Tamesis fluvius, qui Londonias præterfluit, totus in-

ventrem suum per os influeret. Expergefacta plurimum de visione mirata est, nec otiosum reputabat quod præter solitum ita sibi contigisset. Virum quemdam religiosum et litteratum super visione consultura adiit, qui licet somnia non curanda didicisset, nec muliebres visiones multi penderet, reverentiam tamen matronæ sciscitantis attendens respondit, quod in Scriptura sacra aqua populos significaret, mirarique se quidem sibi vellet quod aquas, hoc est populos, in ventrem influere vidisset, ignarus nimirum futurorum quæ hodiæ in Ecclesia Cantuariensi palam est videre. Correpta igitur a viro illo et edocta ne deinceps somniis, quæ multos errare fecerunt, crederet, reversa est ad propria.

Nec multo post elapso tempore, iterum visum est et quiescenti quasi Cantuariam orationis gratia advenisset: cumque ad ecclesiam quasi jam ingressura accederet, subito, ut si videbatur, ita venter ejus intumuit, ut vix per majoris ecclesiæ januas se ingredi posse putaret. Postquam tamen cum difficultate ingressa est, in tantam tamque diffusam magnitudinem venter illius, ut ei videbatur, intumuit et excrevit, ut totus ecclesiæ spatia occuparet. Evigilans et recordans somnii vehementer obstupuit et expavit; non tamen ad conjectorem suum supra memoratum redire præsumpsit, verita ne ab eo curiositatis argueretur. Siluit igitur conservans ista in corde suo. Impleto autem tempore pariendis peperit filium. Die festo beati Thomæ apostoli puer natus est, eodemque die post vesperas baptizatus Thomæ nomen accepit. Exinde diligenter enutritur, habens nutricem quæ maternis in puerili ministerio parceret laboribus, ut ipsa ejus mater interim orationibus et solitis pietatis operibus licentius insistere posset.

Quadam vero nocte cum mater de filio sollicita obdormiisset, visum est ei quasi puer nudus et absque operimento in cunabilis jaceret, unde, ut sibi videbatur, vehementer commota nutricem de negligentia et incuria vocibus asperioribus increpabat. Nutrix vero puerum et diligenter obvolutum et fascia curiose astrictum dicebat, quin imo et pallium holosericum rubrum, miri splendoris et operis, ei suppositum asserebat.

Visum est matri quasi festina accurreret, cognitura utrum nutrix tam de puero quam de pallio vera testaretur. Cumque secundum verba nutricis invenisset, mirata est plurimum pulchritudinem et splendorem pallii, volensque venustatem mirifici operis certius et plenius considerare, cœpit illud ex parte nutrice adjuvante velle explicare; sed brevitas ipsius cameræ explicare penitus non sinebat. Egrediuntur in majorem domum, quæ et ipsa sua brevitate hoc fieri non patiebatur. Inde in plateam exeunt, sed et ipsa nihilominus modica parte pallii explicata tota visa est occupari. Unde majori videndi desiderio anxie tandem extra civitatem in campum qui dicitur Smedhefell egrediuntur, ut vel saltem ibi in maxima campis patenti latitudine decorem

A et magnitudinem pallii pro voto inspicere possent. Cumque modis omnibus in explicatione pallii laborarent, et ipse etiam campus sua brevitate eas jam concludere et coarctare videretur, audiunt vocem dicentem frustra eas et incassum niti, quum nec tota Anglia pallii illius magnitudinem comprehendere sufficeret. Hæc non dicimus quasi per muliebres visiones viri magnificentiam velimus astruere; sed ne ea quæ contigisse constat, saltem in hujusmodi supprimere videamur.

Sed nec divinæ pietati indignum videtur, et piæ et religiosæ matri de filiis futura magnificentia et gloria hoc modo innotescere, cum de hujusmodi multa in Scripturis contineantur exempla.

Cum autem puer ad annos dociles pervenisset, B litterarum studiis a matre traditur. Jam enim etiam in tali ætate præ cæteris coævis suis quiddam splendoris et gratiæ in ejus vultu et moribus eminebat. Verum quia non prius quod spirituale sed quod carnale est, qualiter primævæ ætatis tempora transegerit, procuramus, nihil more laudantis vel aliquem commendare satagentis apponentes, sed semplicem veritatem simplici et fideli sermone breviter adnotantes. Crescente itaque corpore roboris augebatur simul et intelligentia mentis, tantaque ei inerat ingenii et memoriæ vivacitas, ut et facile audita caperet, et quæ semel didicisset, sine difficultate quando et quoties volebat, recoleret. In sententiis quoque difficillimis elucidandis et in quæstionum perplexarum enodationibus multos viros graves et doctos C acumine felicis ingenii præcedere videbantur. Sed et ipsorum corporalium sensuum mira ei inerat perspicacitas et subtilitas, quod nos quoque in majori ejus ætate multoties probavimus, ita ut vix aliquid ejus præsentia licet longiuscule et submisse dici posset, quod non audiret, si aurem apponere voluisset. Similiter etiam nihil quod odoratum irritare poterat, quod non statim quamvis remotum vel fetidum nares ejus offenderet vel odoratum demulceret: et unde ista nisi de gratia, quæ etsi necdum spiritualiter, corporaliter tamen in eo ista usque ad multorum admirationem operabatur?

Hospitabatur in domo patris sui miles quidam nomine Richerius de Aquila, vir quidem secundum sæculum nobilis et honorabilis, canum tamen et avium exercitationi fere semper intentus. Hunc D Thomas adhuc puer, cum per dimidium annum a scholis vacaret, ad talia negotia procedentem libenter frequenterque sequebatur, plurimumque talibus occupationibus delectabatur, indeque hujusmodi traxisse creditur consuetudinem, cui etiam in majori postea ætate, quoties vacabat, operam impendebat. Contigit autem ut memoratus miles quadam die ad simile negotium more solito exiret, et Thomas cum equo sedens sequeretur, eratque iis transitus per quemdam fluvium rapidissimum in quo erat pons parvus et arctus, qui tantum pedestres transmittere posset. Erat quoque non longe inferius molendinum, ad quod iste fluvius, ripis hinc inde

congestis efflueret, magno cum impetu præceps A vergebat. Miles autem compendii causa periculum contemnens transivit pontem prior : quem Thomas tutus et capuciatus, quippe quid nihil infortunii suspicabatur, e vestigio subsequitur. Et ecce, cum ad pontis medium venisset, subito pes equo labitur et puer cum ipso equo in medium fluminis prolabitur. Excipitur igitur ab aquis et violento undarum impetu ab equo disjunctus ad inferiora rapitur, jamque molendino, tam a rota conterendus, quem ab aquis suffocandus, approximabat. Dum hæc agerentur, et Thomas in confinio mortis constitutus videretur, homo, qui molendinum curabat, nihil penitus de his quæ agebantur sciens, aquam subito a rota exclusit. Miles autem et qui eum comitabatur, magnis et miserandis clamoribus puerum secus B ripam sequebantur, quorum vocibus molendino jam quieto et a strepitu cessante auditis, homo præfatus tandem de molendino admirans quid vollet egreditur, et Thomam in mediis fluctibus conspicatus, injecta celeriter manu semivivum eum et vix palpitantem ad terram extraxit. Nullus hoc casu contigisse crediderit, et non potius divinam providentiam tam subitam et inopinatam subventionem periclitanti puero et futuro Ecclesiæ suæ antistiti misericorditer procurasse.

Mater vero ejus, cognito quod acciderat, non tam de periculo doluit, quam de mirabili et inopinata ejus liberatione gavisa est ; exinde de futuris spem colligens, quod non frustra eum divino miseratio tali modo a morte eripuerit. C

Cousueverat autem ipsa ejus mater venerabilis certis temporibus filium suum ponderare, appositis ei panibus et carnibus et vestimentis, nummis etiam et aliis speciebus quæ usibus essent pauperum necessaria, et ea omnia egenis distribuere, per hæc eum divinæ pietati et beatæ semper virgini Mariæ protectione attentius satagens commendare. Nam et ipsa, inter opera pietati quæ et diligenter et indesinenter exercebat, præcipuam devotionem circa beatæ Virginis memoriam semper habebat, docebatque sollicite filium suum, sicut ipse referre solebat, timorem Domini, et ut beatam semper virginem Mariam speciali devotione amplecti et venerari satageret, eamque tanquam vitæ et actum suorum gubernatricem atque patronam incessanter invocaret, eique D post Christum spem suam committeret. Cum autem Thomas annum ætatis vicesimum primum implevisset, mater, quæ sola, ut erudiretur, instabat, defuncta est, et exinde circa studia Thomas se remissius cœpit habere.

Paternam igitur domum quasi vacuam et desolatam sublata matre fastidiens, ad quemdam Lundrensem cognatum suum, qui non solum inter concives, verum etiam apud curiales grandis erat nominis et honoris, se contulit, apud quem ferme per triennium consistens plurima bonæ indolis experimenta his qui tunc eum nosse poterant præstitit.

Luxuriam namque, scurrilitatem, et avaritiam tanto studio et exsecratione detestatur, ut illis, quibus talia placent, omnino se odibilem et ingratum fecisset, nisi superexcellens ejus mansuetudo et liberalitas etiam ipsis, quibus in hac parte displicebat, eum amore dignum præstitisset. Nihil enim ex hisquæ habere poterat curans aut reservans, universa in usus et voluntates sodalium suorum liberali munificentia dispertiebat, jam talibus præludiis informante eum gratia ad illum, qui postmodum in eo claruit, mundanarum rerum contemptum et erga pauperes miserationem.

Interdum autem cum inter sodales confabulationis fieret occasio, verba habebat communia et quasi amatoria, ne ab hujusmodi quoque hominum genere omnino extorris et inhumanus haberetur, cum tamen in castitatis puritate esset admirandus. Faciebat hoc ex industria, qua plurimum callebat, frontem juxta sapientis consilium prætendens aliis non dissimilem, cum intus essent vere omnia dissimilia.

Eo tempore vir reverendissimus Theobaldus de Beccensi monasterio assumptus, Ecclesiæ Cantuariensi et merito et dignitate præsidebat : vir quidem per omnia laudabilis et magnificus, et tam in sæcularibus quam ecclesiasticis negotiis experientissimus. Hujus quidam officialis, cum commissorum sibi causa agendorum Londonias frequentare et in domo patris Thomæ hospitalitatis gratia ex longo tempore divertere consuevisset, Thomamque ab infantia plenius cognovisset, videns eum jam juvenem elegantem et tam litteris instructum quam prudentia et moribus ornatum, cœpit ei suadere ut una secum ad domini sui Cantuariensis curiam proficisceretur. Sed Thomas reputans se non tam officiosum quam præsumptorem habendum si se non vocatus ingereret, iterum distulit ; donec supradicti viri suasione plenius certificatus, tandem cum competenti et honesto apparatu, ipso comitante, pontificis se reverendis aspectibus præsentavit. Quem vir altioris prudentiæ intuitus, et ex occursu faciei sensatum intelligens, grataner et honorifice suscepit : secumque manere præcepit. Exinde Thomas in curia familiariter conversatus, brevi tempore in tanta a pontifice habitus est gratia, ut ullum illi familiariorem, nullum, ut putabat, haberet chariorem. Siquidem vir sapiens, mansuetudinis illius et prudentiæ sinceritate celeriter cognita, eum consiliis suis indestinenter adhibebat : et negotia, ei sua frequenter committebat : experiensque illum et in consiliis prudentem et in negotiis strenuum ac fidelem, arctiori sibi eum dilectionis et familiaritatis vinculo conjungere satagebat, verumtamen non absque invidia.

Erat namque quidam tam pontificali familiaritate quam ecclesiastica dignitate sublimis, nomine Rogerius de Ponte, episcopi Cantuariensis archidiaconus, qui non æquanimiter Thomæ tantam in curia gratiam sustinebat. Hic non solum apud se intestina invidiæ peste tabescebat : verum aliquoties palam in contumelias et improperia erumpebat, ita ut Tho

mam clericum Baillehache plerumque vocitaret: si enim cognominabatur vir ille, cum quo ad curiam venerat. Nec fuit momentaneus et transitorius hujus livor invidentiæ, sicut postmodum rei probavit eventus. Thomas tamen nihilominus in solita se continens mansuetudine, gratia proficiebat apud Deum et homines. Interim autem, quantum licuit, juri civili et sacris canonibus studium adhibuit: ut per hæc in causis perorandis seu decidendis instructior haberetur, et ecclesiasticarum rerum notitiam plenius consequeretur. Exstitit causa, qua Cantuariensis antistes Theobaldus Romanam Ecclesiam visitare disponeret, profectusque est, ut dignum erat, cum honesto et copioso comitatu, assumpto etiam secum Thoma, de cujus prudentia et fidelitate præcipue confidebat. Nec immerito, nam in ipso itinere et negotio suo eum sibi in multis necessarium expertus est. Reversus autem prospere, et de Thomæ præstantia certior factus, majori eum dignum reputans, primo illi ecclesiam de Otforda contulit. Postea vero aliquoties ecclesiasticorum negotiorum causa eum Romam direxit, in omnibus ejus industriam merito collaudandam experiens. Ea tempestate Willelmus Eboracencis archiepiscopus vitæ termino et pontificali officio feliciter expleto, beato fine quievit.

Eboracensi itaque sede vacante, Theobaldus Cantuariensis antistes et totius Angliæ primas, modis omnibus sategit, qualiter archidiaconum suum Rogerium de quo paulo ante meminimus eidem sedi præficeret, quatenus per hoc et dignitati Ecclesiæ Cantuariensis et honori suo et in clerico suo prospiceret, et Thomæ ad majora viam aperiret. Nec frustratus est a proposito suo: nam memorato Rogerio cum conniventia regis in Eboracensi sede substituto et consecrato, absque mora archidiaconatum Cantuariensis ecclesiæ et præposituram Beverleiæ, quæ Rogerius obtinuerat, cum aliis ecclesiis pluribus Thomæ assignavit.

Thomas igitur, his adeptis, non jam privato morum genere contentus, ad majora atque clariora evidentioraque virtutum argumenta se sustulit: redditus suos in usus et necessitates indigentium misericorditer abundeque dispertiens: et reliqua quæque, nam et illud pro tempore omittere non oportebat, in quoslibet mira libertate et honorificentia profundens. Archiepiscopus vero cernens circa Thomam suum minime errasse judicium, imo spe majora provenisse, plurimum ejus magnificentia delectabatur. Ipse vero Thomas cum in omnibus et ab omnibus magnificus haberetur, nullam tamen inde concipiens insolentiam, solito majori humilitate et reverentia pontifici suo in omnibus obtemperabat.

Eo tempore, anno scilicet ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, Henrico Gaufridi Andegavensis comitis et Mathildis imperatricis filio in avitum regnum succedente, varii per Angliam tumultus et novarum rerum studia orie-

A bantur: eratque in Ecclesia regni illius non modica trepidatio: tum propter suspectam regis ætatem, tum propter collateralium ejus circa ecclesiasticæ, libertatis jura notam malignitatem. Nec frustra, sicut rei exitus indicavit. Cantuariensis autem antistes tam de præsenti sollicitus quam de futuro timidus, aliquod remedium malis, quæ imminere timebantur opponere cogitabat: visumque est ei, si Thomam regis posset inserere consiliis, maximam exinde quietem et pacem Anglicanæ Ecclesiæ posse provenire. Sciebat enim eum magnanimum et prudentem: qui et zelum Dei haberet cum scientia, et ecclesiasticam libertatem totis affectibus æmularetur. Ascitis igitur ad se Cantuariensis antistes Philippo Baiocensi et Arnulfo Lexoviensi episcopis, quorum consiliis

B rex in primordiis suis innitebatur, cœpit de Thomæ prudentia, strenuitate, et fidelitate, atque morum laudabili et admirabili mansuetudine inferre sermonem, memoratisque episcopis secundum voluntatem et suasionem archiepiscopi annuentibus, Thomas regiam ingressus curiam cancellarii nomen officiumque suscepit. Exinde qualiter geminum virum gesserit, ecclesiasticum scilicet et curialem, non est facile explicare. In primordiis tamen suis tantos æmulatorum assultus pertulit, tantaque delatorum lacessitus est protervia, ut sicut ipse pontifici suo et aliis amicis suis familiari conquestione fateri solitus erat, a curia recedere disponeret, si absque opprobrio et infamiæ nota id fieri posset. Verum rex fide illius et industria citius cognita, tanta eum

C dilectione charissimum habuit, ut neminem aliquando æque dilexisse putetur. Omnibus itaque ei creditis, rex juvenilibus exercitiis operam dabat, Thomas vero vices ejus et negotia strenue et potestative exsequens, nunc princeps militiæ loricatus exercitum præibat, nunc vacans ab expeditionibus jura populis dictabat. Solo namque nomine a rege differens regnum universum pro voluntate disponebat: principibus et magistratibus ad ejus nutum subjectis: certissimeque scientibus hoc solummodo regi gratum fore quod Thomas expedire judicasset. Et licet rex jam animo concepisset, quod postmodum opere declaravit, interim tamen Thomæ præsidio tutus et quietus manebat Ecclesiæ status: ipso in omnibus pravam regis voluntatem et collateralium ejus clandestinas machinationes caute et quasi ex occulto

D ne suspicioni pateret, frustrante. Neque enim facile erat eo tempore aliquid fieri, quod Thomæ sententia non approbasset. Ad ampliorem quaque dilectionis commendationem tradidit ei rex filium suum primogenitum Henricum, injungens ei ut hominia et fidelitates regni Anglorum ei fieri faceret: sciens procul dubio tantum negotium per nullum melius quam per illum effectui mancipandum: sicut et factum est. Nam rege in Normanniæ partibus commorante, Thomas, convocatis comitibus et omnibus majoribus regni, regis mandatum: nullo contradicente vel resistente, effectui mancipavit, mirantibus quamplurimis quoniam id non facile absque tumultu nec

ipso rege præsente posse fieri putabatur. Quamvis igitur in sæcularibus negotiis esset occupatissimus, non tamen ea quæ Dei sunt obliviscebatur vel negligebat. Nam circa pauperes ita pietatis et misericordiæ visceribus affluebat, ut in hac parte eum homines sæculares superstitiosum potius quam religiosum reputarent. Introducebatur ad mensam ejus quotidie pauperum magna multitudo : quibus tanta victualium apponebatur copia, quæ etiam divitibus sufficere posset. Quocunque vero transiret, numquam manus ejus vacabat a munere, dummodo esset qui peteret : omni namque occurrenti et eleemosynam postulanti manum misericorditer porrigebat. Patebat ad eum incunctanter accessus miseris et oppressis : et causa viduæ ingrediebatur ad eum, faciebatque studiose judicium inopis et vindictam pauperum. Sequebatur autem eum tanta militum et diversi generis hominum multitudo, ut in comparatione multitudinis aliquoties domus regia pene quasi vacua maneret, et rex ipse quasi vacuus degere videretur. Sed quanquam favori populari supra modum deditus videretur, fervebat tamen in eo fidei pietas et zelus ecclesiasticæ libertatis, castitatisque puritatem, quam ab ineunte ætate conceperat, vigilanti super studio conservabat ; sciens procul dubio quia, etsi omnia ei pro tempore et potestate licerent, non tamen omnia expedirent. Et licet ei mundus et quidquid mortalis vitæ lenocinia continent in omnibus applaudere videretur, nihil tamen eum aliquando fecisse constat, quod castitatem ejus in aliquo læderet vel minueret. Cognovimus certe ab his qui ei per viginti et eo amplius annos in ministerio familiariter astiterunt, quod nihil hujusmodi aliquando compperissent in eo ; quin potius medicis suadentibus ut in hac parte naturæ suæ condescenderet, asserentibus quod hoc et ætati ejus et complexioni congrueret, plurimumque si ad conservationem sanitatis conferret, respondere solitum, istiusmodi medicinam sibi penitus esse contrariam, quæ tam corpus quam animam potius fœdaret quam juvaret.

Per idem tempus defuncto Cantuariensi archipræsule Theobaldo, rex ei Thomam successorem dare disposuit : credens eum tanto honore dignissimum et ad suam utilitatem atque voluntatem in omnibus paratissimum. Thomas namque ex industria circa personas et res ecclesiasticas quasi severissimum se exhibebat ; ut tali occasione omnem a se suspicionis notam excuteret, et regis voluntati, quam intime noverat, melius sub hac palliatione conveniret. Credens itaque rex propositum suum adversus Ecclesiam per eum potissimum posse impleri, quippe quem sibi in omnibus fidelissimum et ad voluntates suas pronissimum expertus fuerat, irrevocabiliter disposuit ut Ecclesiæ Cantuariensi præficeretur antistes.

Missis igitur duobus episcopis et cum iis magnate quodam fidelissimo sibi, Richardo scilicet de Luci, dedit iis in mandatis ut Cantuariensem conventum super electione pontificis convenirent. Qui venientes Cantuariam, capitulumque ingressi, regis primum benignitatem et devotionem multiplicibus verbis extulerunt ; deinde Richardo de Luci, ut mandato regis iis proponeret, injunxerunt. Tunc Richardus, « Quoniam, inquit, sic placet dominis nostris episcopis, ut nos vobis regis voluntatem intimemus, noveritis certissime quod dominus noster rex, sicut ab ipsis melius audistis, studiosissimus est circa ea quæ Dei sunt, et circa sanctam Ecclesiam maximam et præcipuam gerit devotionem : præcipue autem circa Ecclesiam præsentem Cantuariensem, quam specialem in Domino matrem suam filiali dilectione humiliter et fideliter recognoscit. Quapropter, ne ex diutina pastoris absentia in aliquod forte turbetur vel gravetur, sciatis ab ipso liberam vobis electionis datam licentiam ; ita tamen ut personam tanto oneri et honori congruam eligatis. Non enim vos latet quod dominus noster rex in tali negotio nihil attendere consuevit, nisi quæ Deo credit esse placita et sanctæ Ecclesiæ utilia. Vobis itaque de cætero incumbit et omnino expedit, ut talem eligatis, cujus patrocinio secundum Deum et secundum homines gaudeatis. Si enim rex et archiepiscopus grato dilectionis vinculo sibi invicem cohæserint, seseque mutuo amicabiliter confoverint, non est dubium quin interim felicia sint tempora, quin status Ecclesiæ jucundus et quietus perseveret. Sin autem, quod absit ! res in contrarium cesserit, quot exinde sequantur discrimina, quæ perturbationes, qui labores et tumultus, quot denique damna rerum et pericula animarum vestram non puto latere sanctitatem ! Cumque Richardus finem dicendi fecisset, et ipsi episcopi ejus orationem laude dignam approbassent, prior Cantuariensis primum Deo gratias, deinde regi grates immensas pro sua erga se benevolentia et sollicitudine cum debita reverentia retulit : sicque ad nutum episcoporum nominatis et ad se vocatis quibusdam monachis natu et prudentia majoribus egressus est foras. Cumque consedissent et de verbo quod audierant tractare cœpissent, visum est iis nihil circumdici vel statui posse sine episcoporum et ipsius consilio Richardi, qui utique regis voluntatem optime noverant : ex qua totam electionis summam pendere oportebat. Vocaverunt itaque regios legatos, Bartholomæum videlicet Exoniensem episcopum, et Hilarium Cisestrensem, et Richardum. Qui cum venissent, et cum iis multum denique super proposito negotio contulissent, tandem omnes unanimiter, tam monachi quam episcopi, una voce eademque sententia cancellarium in pastorem et episcopum animarum suarum elegerunt. Monachi vero aliquandiu hæsitaverunt in electione, non quia Thomam virum esse virtutis ignorarent, sed quia religionis habitum non præferebat, cum usque ad illa tempora fere semper Ecclesia Cantuariensis viros vita et habitu religiosos habuerit pontifices. Sanctus namque Augustinus, beati et apostolici papæ Gregorii monachus, qui genti Anglorum fidem Christi prædicavit, Cantuariensem et alias plures in par-

tibus illis ecclesias sub regulari et monastica disciplina ordinavit et instituit, quoniam consuetudines maxime in electione pontificis Cantuariensis ecclesiæ præ cæteris diligentius hactenus observaverat. Verumtamen solum illud quod in electi sui moribus horrebant, cæterarum virtutum et gratiarum, quæ in eo clarius eminebant, consideratione compensantes, corde bono et animo volente eum unanimes elegerunt. Episcopi itaque, quos ad hoc rex destinaverat, diem apud Londonias priori et monachis Canturiæ assignaverunt, quo ea quæ de electionis celebritate restabant, publice coram omnibus episcopis et abbatibus regni totius in præsentia regis junioris consummarentur. Jam enim ei rex pater suus regnum disposuerat, et sicut superius dictum est, hominia et fidelitates regni per manum cancellarii sui ei fieri fecerat. Scripserat etiam ei rex de electione Cantuariensis ecclesiæ, significans quia, quidquid in ejus præsentia factum fuisset, ipse quoque concederet et confirmaret, ac per omne tempus ratum haberet.

Memorati igitur episcopi ex mandato regis universos episcopos et abbates regni ; sed et conventualium ecclesiarum priores, necnon et comites atque proceres, omnesque regis officiales, ad præfixam diem Londonias convocaverunt. Cumque die statuto simul omnes convenissent : prior Cantuariensis formam electionis apud Cantuariam ex voluntate et mandato regis, præsentibus episcopis, quos ad hoc ipsum rex direxerat, celebratam, in præsentia et audientia omnium episcoporum cum reverentia propalavit: seque sancto inspirante Spiritu, Thomam regni cancellarium in archiepiscopum concorditer et canonice elegisse. Episcopis quoque, qui apud Cantuariam missi a rege electioni interfuerant, tam electionis formam quam electi personam multipliciter commendantibus, assentiunt universi, et Deum tam votis quam vocibus consona gratulatione benedicunt.

Solus tamen inventus est Gilbertus Foliot, episcopus Londoniensis qui obloqueretur et submurmuraret, qui tamen videns unanimem omnium assensum suamque singularem malitiam nihil posse obtinere, et ipse pariter assensit. Eratque vir ille grandævus et multum litteratus, habituque monachus ; qui, ut ferebat opinio, ad archiepiscopatum ex diu aspiraverat. Accedunt igitur omnes simul episcopi ad regis junioris præsentiam, assensum illius, favorem et gratiam in sua electione postulantes ; quibus ipse cum multa exsultatione applausit, favit et assensit. Magistratus quoque officiales regni, nam et ad ipsos rex pater super electione scripserat : « Cum devotione et immenso gaudio electionem acceptaverunt et laudaverunt. » Henricus autem Wintoniensis episcopus non minus genere quam prudentia et religione clarus, ad regem puerum sic locutus est : « Dominus, ait, cancellarius electus noster multo jam tempore in domo regis patris vestri et in omni regno summum obtinuit locum, habituque in dispositione

A sua regnum, nec aliquid in tempore suo in regno actitatum est, nisi ad suum arbitrium ; unde eum liberum et absolutum ab omni nexu et ministerio curiali, ab omni etiam querela et calumnia, omnique penitus occasione, Ecclesiæ Dei et nobis tradi postulamus, quatenus ab hac hora et deinceps emancipatus et expeditus quæ Dei sunt libere exsequatur. Cognovimus enim regem patrem vestrum vices suas in hoc negotio vobis delegasse, gratumque et ratum habiturum, quidquid a vobis inde fuerit constitutum. Gratam habuit rex hujuscemodi petitionem, Thomamque gratanter, secundum postulationem Wintoniensis episcopi, liberum et absolutum ab omnibus ecclesiastico ministerio contradidit. Ipse vero Thomas a principio, ex quo sermonem B de sua promotione egressum comperit, modis quibus potuit, obviavit, ne res ad effectum veniret : sciens indubitanter duobus dominis concorditer non posse servire, quorum voluntates longe ab invicem discreparent ; et quisquis Cantuariensis episcopus fieret, cito Deum aut regem infensum esse habiturum. Verumtamen, Deo aliter disponente, et Henrico Pisano præsbyterum cardinali et apostolicæ sedis legato, monacho vero ordinis Cisterciensis procurante et modis omnibus instante, eumque ad susceptionem regiminis cohortante et animante ; tandem ejus electio qualem breviter memoravimus exitum habuit.

Episcopi igitur condicto inter se consecrationis die apud Cantuariam convenerunt : simulque cum C eis abbatum et religiosorum et clericorum nobiliumque terræ illius multitudo infinita : tanti pontificis consecrationi et missarum atque benedictionum primitiis cupiens interesse. Ipse quoque Thomas cum maximo virorum religiosorum et aliarum venerabilium personarum comitatu ad diem occurrit, processeruntque venienti obviam cum gaudio et honore multo episcopi cum monachis et clero, populique multitudine innumerabili : tantaque fuit occurrentium devotio et exsultatio ut verbis nequeat explicari. Cumque vox lætitiæ et exsultationis undique personaret, Thomas tamen ad ista animum non apposuit: sed cum magna humilitate et contritione lacrymis ubertim fluentibus pedes accessit, plus cogitans de onere sibi imposito quam de honore impenso. Ordinatus est itaque et consecratus pontifex, D imponente ei manum viro venerabili Henrico Wintoniensi episcopo. Is quippe inter coepiscopos tam religione quam genere eminebat ; erat enim monachus et frater Stephani Blesensis qui regnum Anglorum post Henricum regem seniorem ferme per viginti annos obtinuerat. Willelmo namque Notho successit filius ejus, cognomento Rufus, qui sanctum et illustrem virum Anselmum Cantuariensem archiepiscopum de regno suo expulit ; cui Willelmo Rufo, in venatione occupato, et a quodam milite sibi charissimo non tam casu quam divina, ut creditur, voluntate sagitta perempto, successit Henricus frater ejus, qui fuit pater Matildis imperatricis ;

huic autem Henrico magnifico et potentissimo regi A successit præfatus Stephanus Blesensis, frater Wintoniensis episcopi et illustrissimi comitis Theobaldi senioris. Stephano vero adhuc superstite et regnante, supervenit Henricus Matildis imperatricis filius, accepitque regnum. Cujus regni anno octavo Thomas est consecratus Cantuariæ antistes.

Consecratus autem studium et diligentiam propensiorem exhibere curavit, qualiter vita et moribus tanto gradui conveniret: moxque, divina cooperante gratia, mutatus in virum alterum, veterem hominem cum actibus suis exuit, novumqne induit in justitia et sanctitate, celans tamen iterum hominibus propositum suum soliti habitus honestate ; cilicio namque ad carnem indutus, lectioni et orationi indesinenter instabat : eripiens et subtrahens se B quantum poterat negotiis sæcularibus, ut spiritualibus studiis liberius et efficacius vacare posset. Quoties tamen causis aliquibus eum interesse officii necessita deposcebat, miram exhibebat in audiendo patientiam, in inquirendo seu discutiendo diligentiam, in judicando quoque justitiam. Tam munerum quam personarum acceptione prorsus postposita corripiebat cum magna libertate delinquentes, durius autem semper divites et potentes : paratum ad ulciscendum se omnem inobedientiam, non solum verbi sed et operis attestatione, quoties expediebat comprobans, opera autem misericordiæ et pietatis, quæ dum adhuc esset cancellarius diligenter exercuerat, multipliciter auxit et cumulavit: decimis omnibus, quæcunque eum aliqua ratione alicubi C contingebant, usibus pauperum debutatis. Viduis et orphanis atque infirmantibus lectoque decumbentibus egenis multa beneficia conferebat, eorumque quamplurimis quotidiana victus et vestitus stipendia perpetuo deputaverat. Prædecessor ejus piæ memoriæ Theobaldus predecessorum suorum elecmosynas pietatis studio duplicaverat ; Thomas vero liberali æmulatione etiam duplum illius studuit duplicare. Introducebatur ad mensam ejus quotidie pauperum magnus numerus ; et præter illos qui ad mensam ingrediebantur alios tredecim pauperes omni die circa vesperam faciebat secretius introduci, singulisque eorum post pedum ablutionem et deosculationem, post copiosam refectionem, quatuor argenteos largiebatur. Quod si quando forte propter D majorem aliquam occupationem manibus propriis perficere impediebatur, per servientes suos impleri faciebat. Inferebatur ad mensam ejus quotidie ferculorum et potionum varia copia, ut per hoc et patriis moribus congrueret, et de reliquiis abundanter solaretur egenos. Varia etiam auri et argenti supellex mensam ejus et onerabat et honestabat ; non quidem ad divitiarum ostentationem, sed pro more gentis et patriæ consuetudine. Ipse vero quantum ad se nihil nisi usum necessarium in hujusmodi reputabat : utens vasis aureis et argenteis quomodo fictilibus. Vestis adhuc ei erat in exterioribus ut prius, splendida scilicet, pretiosa et honesta. Unde monachi Cantuarienses qui in cæteris quidem omnibus de felicitate vitæ et actuum illius in Domino gaudebant et gloriabantur, de hoc solo scandalizari et submurmurare videbantur : unus autem ex ipsis habens familiaritatem cum illo, secreta eum allocutione super hoc reverenter convenit : referens ei visionem quam cuidam monacho religioso et servo Dominus super hac re demonstrare dignitus fuerat. « Apparuit, inquit, Dominus cuidam religioso et sancto viro, dicens ad eum : Vade, dic archiepiscopo ut absque dilatione vestes mutet, nam quandiu id facere distulerit, me sibi placatum habere non poterit. » Hæc audiens archiepiscopus motus est in lacrymas ; propositum tamen suum ista sibi referenti monacho minime revelavit. Parvo itaque interjecto tempore vestes pretiosas et coloratas cum pellibus variis et peregrinis penitus a se abjiciens, super cilicium quo ad carnem induebatur, pellicias agninas bysso tantum munda cooperta induit ; indesinenter satagens qualiter in conscientia apud Deum, et non in hominum æstimatione, religionis sibi meritum collocaret, et in exterioribus ecclesiastico ministerio conveniret. Amiciebatur quoque pallio pullo, id est nigro, parvi pretii solo tenus defluente. Quod agninis pellibus muniebatur. Vita igitur et veste religionisque et sanctitatis exemplo factus forma gregis ex animo, totum se ministerio, cui Deo vocante addictus erat, impendere firmiter apud se statuit. Quid autem venerandus antistes ageret et quomodo se haberet, regem latere non potuit : præsertim æmulis ejus, nam et ipsi non deerant, vitam illius curiosius explorantibus, et regi cuncta quamquam aliter renuntiantibus. Singularem namque eum et superstitiosum potius quam religiosum dicebant, tegisque animum subdolis et malignis delationibus vehementer sollicitabant. Rex autem callide dissimulabat : nolens eum inimicum lucrari gratis quem necdum in aliquo sibi contrarium expertus fuerat. Quoties vero occasio se offerebat, cum multa eum reverentia et honore excipiebat, multisque obsequiis et blanditiis demulcebat. Sciebat namque viri magnanimitatem et prudentiam, nolebatque ei propter clandestinas delatorum suggestiones præpropere adversari.

Contigit eo tempore in quodam celebri conventu ut Thomas ad clerum et populum, rege præsente, sermonem faceret : fuitque ei sermo de regno Dei Christi quod est ecclesia et de regno temporali : deque coronis eorumdem regnorum sacerdotali videlicet et regali : simul etiam de gladio spirituali et materiali. Cumque sub hac occasione de potestate ecclesiastica et sæculari multa mirabiliter disseruisset, erat enim facundissimus, rex ejus verba per singula notabat, intelligensque quod dignitatem ecclesiasticam cuilibet excellentiæ seculari longe immensum præferret, non æquo animo accepit. Sensit namque ex verbis illius quantum ab opinione sua archiepiscopus abesset ;

cum ecclesiam nihil prorsus habere vel posse, nisi quantum ipse ei indulgeret, persuasum haberet. Exhinc jam quæ in corde regis latuerant qualiter in apertum prodierint, qualiter etiam venerandus antistes pro domo Domini se murum opposuerit: quantave constantia regio furori se pro tuendo ecclesiasticæ libertatis jure objecerit consequenter dicendum est. Tyranni namque, qui regnum obtinuerant, jura ecclesiastica annihilaverant penitus: quorum adhærens vestigiis rex iste Henricus totius ecclesiasticæ dispositionis et ordinationis summam sibi usurpaverat, nam et episcopatus et abbatias quibus volebat conferebat, jamque ipse præcipiente et constituente, sicut populus sic sacerdotes et clerici indifferenter ad sæcularia judicia trahebantur.

Prima igitur occasio, qua archiepiscopi propositum et constantia regi innotuit, talis fuit. Erat consuetudo in partibus illis ut rex ad abundantiorem cautelam et custodiam regni sui, per singulos comitatus regni, vicecomitem unum de fidelibus suis constitueret, consueverantque comites et barones eidem vicecomiti, regio videlicet ministro, duos solidos de singulis dimensionibus terræ suæ quas patrio nomine hidas vocant, annuatim ab hominibus suis facere dari; quatenus tali servitio et beneficio eos a gravaminibus et calumniis hominum suorum cohiberent: videns autem rex quod duo illi solidi de singulis hidis si in unum conferentur immensum efficere possunt cumulum, sunt namque plura hidarum millia, voluit eos suis usibus et reditibus applicare. Quapropter convocatis apud Wodestocke episcopis et proceribus regni, cœpit rex de præfata pecunia suis reditibus connumeranda verbum in medium proferre. Cumque ad hunc sermonem universi obmutuissent, solus archiepiscopus cum magna libertate satis modeste respondit: « Domine, inquiens, non decet excellentiam tuam alienum beneficium ad tuos usus retorquere, præsertim cum duo illi solidi, non necessitate nec debito, sed gratia potius tuis ministris conferantur. Nam si vicecomites vestri pacifice et modeste se ad homines nostros habuerint, libenter quidem dabimus: sin autem, non dabimus, nec cogi jure poterimus. » Ad hæc rex cum furore: « Per oculos, ait, Dei, protinus irrotulabuntur; tali verbo usus propter rotulos illos, in quibus regii reditus annotati continentur, sed tu ipse bene super hæc meæ voluntati assentire deberes. » Tunc archiepiscopus: « Per oculos, inquit, per quos jurasti, nunquam de terra mea me vivente dabuntur. » Sentiens igitur rex archiepiscopum sibi palam adversari, ægre nimis accepit.

Nec multo post tempore facta est iterum inter eos contentio vehemens, pro quodam canonico nomine Philippo de Broc, qui super interfectione cujusdam militis, a quibusdam fuerat impetitus. Is enim cum coram episcopo suo super objecto sibi homicidio sufficienter respondisset, et deficientibus in causa adversariis, ipse ad innocentiam suam certius comprobandam se sacramento purgasset, iterum eum in causam revocare nitebatur quidam Simon, filius Petri, quem rex in partibus Pedefordiæ, ubi idem Philippus morabatur, judicem constituerat. Philippus autem de causa jam finita et ordine judiciario terminato, iterum respondere noluit, præsertim ante laicam justitiam: quinimo ipsum Simonem pertinacius instantem cum indignatione a se repulit, multis eum afficiens conviciis et contumeliis. Rege itaque apud Londonias constituto, accessit ad eum memoratus Simon, retulitque ei omnia quæ sibi Philippus intulerat. Quibus auditis, rex in furiam versus, solito suo more per oculos Dei terribiliter, jurabat, sic se habere convicia illa militi suo illata, ac si sibi ipsi intulisset Philippus. Quapropter absque mora eum judicari præcepit; archiepiscopus autem cum præsens esset, et hæc audiret: « Nequaquam, ait, ita fiet. » Nam clericorum judices laici esse non possunt. Quidquid autem iste vel alius quilibet de clero excesserit, in ecclesiastica debet emendari curia. Quapropter quidquid est illud quo rex læsum se queritur, vel miles ejus, Cantuariam veniat vel mittat, indeque plenam justitiam ex ecclesiastica auctoritate reportabit. Rex vero vehementer irascens et multa dicens, tandem, licet invitus quosdam episcopos et proceres ad diem sibi ab archiepiscopo constitutam Cantuariam transmisit, qui cum venissent, Philippum de veteri querela homicidii instanter impetebant. Cumque causam ecclesiastico judicio terminatam iterari non debere judicatum fuisset, ventum est tandem ad contumelias regio militi illatas. Quod cum Philippus minime inficiari dignaretur, erat namque vir magnus et de magno genere, adversarii ejus prosilientes im medium: « Judicium, inquiunt, de evidenti et non negata injuria postulamus. » Et cum Philippus se ad spontaneam satisfactionem offerret, nihilominus tamen eum judicari oportuit. Diffinitum est igitur ut Philippus per biennium præbendam suam in manu regis admitteret, et rex iterum de reditibus ejus quod vellet faceret; ipse vero ante militem, nudum se secundum morem patriæ satisfacturus offerret. Revertentibus autem qui missi fuerant et quod gestum erat conferentibus, rex honorem suum læsum sibique abjudicatum esse respondit. Episcopi vero cum se juste judicasse dixissent excepto quod Philippum ultra quam meruisset, pro pace et honore regis gravassent, rex magis inardescens: « Per oculos, ait, Dei, vos ipsi mihi jurabitis, quod verum expresseritis judicium. » Sed nimis longum erit, si per singula prosequi voluerimus, quæ vel a rege improbe vel ab archiepiscopo constanter dicta seu facta sunt: quapropter iis omissis, ad communem ecclesiæ causam accedamus.

Emersit igitur sermo super veterum regum abusionibus quas rex consuetudines regni dicebat, procurantibus et ad hoc ipsum regem enixius impellentibus archiepiscopi æmulis, Rogerio videlicet Ebora-

cense archiepiscopo; et quibusdam aliis filiis Belial, A quos ad perturbationem sanctæ ecclesiæ antiquus hostis suscitaverat; convocatisque rex universis regni episcopis exigere cœpit ab eis ut consuetudines regis Henrici avi sui perpetuo observandas confirmarent. Venerabilis vero antistes Thomas, qui verbum istud futurum quandoque jamdudum præsenserat, ad hæc regi respondit: « Ecclesia sancta a sanctis apostolis et apostolicis proceribus ab exordio fidei Christianæ edocta et instituta, consuetudines vitæ et disciplinæ Christianæ in eorumdem sanctorum Patrum canonibus et decretis plenissime habet expressas; præter quæ nihil novum, Domine mi rex, expedit tibi, imo vel licet exigere, nec nobis concedere. Si quidem nobis, qui licet indigni pro prioribus surreximus, non jam novas institutiones cre- B dere, sed veteribus humiliter obedire et reverenter indicitur. » — « Nequaquam, ait rex, expostulo; sed ea tantum quæ prædecessorum meorum regum temporibus in regno constat observata, mihi quoque volo concedi, meisque temporibus observari. » Exstiterunt et illis temporibus archiepiscopi te meliores et sanctiores; qui ista viderunt et consenserunt nullamque difficultatem vel controversiam de his aliquam regibus sui temporis intulerunt. Ad hæc archiepiscopus: « Si qua, inquit, a pristinis regibus contra ecclesiasticæ institutionis canonem præsumpta sunt, et aliquando tempore violenter timore regum observata, non consuetudines, sed abusiones dicendæ sunt: pravissimum usum abolendum potius quam propagandum Scripturæ testimonio edocemur. Quod C vero sanctos illorum temporum episcopos tacuisse et non declamasse asseris, viderint ipsi quare tacuerint; erat enim forte tunc *tempus tacendi;* nulla tamen nobis hoc eorum exemplo ingeritur auctoritas, qua in ecclesia nobis divina dispensatione commissa aliquid contra Deum et ordinem nostrum atque officium fieri minime assentiamus. Verumtamen in quibuscunque salvo ordine nostro voluntati tuæ et beneplacito concordare et consentire poterimus: paratos nos et obsequentes habebis. « Rex igitur furibundus et per oculos Dei suo more jurans: « Nulla, ait, penitus de ordine vestro fiet mentio, sed absolute et expresse meas mihi consuetudines consedentis et confirmabitis. » Archiepiscopus vero nihil nisi salvo ordine suo et jure ecclesiastico se aliquando concessu- D rum nihilominus constanter et libere asseruit. Rex igitur ad præsens ab intentione suo frustratus, post non multum temporis apud Northamtoniam positus archiepiscopum ad se vocavit, volens ejus animum tentare, si quo forte modo eum posset flectere, et ad suam voluntatem inclinare. Cumque archiepiscopus ad locum appropinquasset et ejus adventus innotuisset regi, nescitur qua calliditate rex quosdam obviam misit qui dicerent: « Rex in oppido cum multis est positus, et tu nihilominus cum maxima multitudine advenisti: ne sufficit locus ut ambos vos capiat, quapropter mandat rex, ut hic eum exspectes. Adest enim ipse tecum locuturus. » Cumque in agrum divertisset pontifex, statim sine mora rex advenit, cui occurrens debito eum salutationis honore prævenire curavit. Sed cum propter lascivientium equorum, quibus insidebant, hinnitus et recalcitrationem ad se invicem accedere non possent, tandem mutatis equis in parte seorsum simul ambo constiterunt. Tunc rex ad episcopum ita exorsus est: « Nonne, ait, ego te ex humili et paupere in maximum honoris et excellentiæ culmen extuli? Parumque id mihi visum est, nisi et patrem regni te constituerem, et etiam mihimet ipsi te præferrem. Quomodo ergo tot beneficia, tantaque meæ circa te dilectionis indicia, omnibus notissima, tam subito tibi a mente exidere potuerunt, ut non solum ingratus, verum etiam in omnibus contrarius mihi existas? » Et episcopus: « Absit! inquit, domine mi: non sum immemor beneficiorum tuorum, quæ non quidem simpliciter tu, sed Deus tribuens omnia per te mihi conferre dignatus est: quapropter absit ut ingratus vel aliquo voluntati tuæ contrarius existam, dummodo tu divinæ voluntati concordes. Scit enim dignatio tua quantæ fidelitatis tuæ exstiterim, a quo temporalem tantum præstolabar remunerationem: quanto magis omnipotenti Deo, a quo et temporalia bona accepimus et æterna speramus, fidele et sincerum ministerium nos exhibere necesse est. Tu quidem es dominus meus, sed ille et meus et tuus est Dominus, cujus voluntatem præterire ut tuæ acquiescam, nec tibi nec mihi expedit: in tremendo namque ejus examine ambo ut unius Domini servi judicandi sumus, ubi neuter nostrum pro altero poterit respondere, sed unusquisque secundum facta sua, excusatione cessante, recipiet. Est enim Dominis temporalibus obtemperandum, sed non contra Deum, dicente beato Petro: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* Tunc rex ad ista: « Nolo, inquit, mihi modo ut sermocineris; nonne tu filius fuisti cujusdam rustici mei? » Et archiepiscopus: « Revera, inquit, non sum atavis editus regibus, sicut nec beatus apostolorum princeps Petrus, cui Dominus claves regni cœlorum et totius Ecclesiæ principatum conferre dignatus est. » « Verum est, ait rex, sed ille pro Domino suo mortuus est. » Venerabilis vero antistes respondit: « Moriar et ego pro Domino meo, cum tempus advenerit. » Tunc rex: « Tu, inquit, nimis affigeris et inniteris scansilibus tuis. » Et archiepiscopus: « In Domino, ait, confido et innitor. Quia *maledictus homo qui spem suam ponit in homine.* Verumtamen quidquid tu mihi dixeris et ego tibi respondero: ad honorem tuum et beneplacitum, salvo ordine meo, sicut olim ita et nunc paratus sum. Sed et super his quæ ad honorem tuum et salutem animæ tuæ spectant, ego potius consulendus eram, quem toties tam fidelem et utilem in consiliis expertus es, quam illi qui quasi sub obtentu honoris tui de me, qui eos non læsi, gratuita succensi invidiæ flamma vindictam expetere satagunt. Quem enim infra sacros ordines adhuc constitutum fidelem tibi fuisse ut credo non negabis,

multo magis sacerdotii officio sublimatum me tibi in omnibus fidelem æstimare debuisti. » Cumque multa verba salubria dilectionis et fidei plena archiepiscopus perorasset, rex tamen vehementer instabat; ut verbum illud, scilicet salvo ordine nostro, penitus omitteretur. Quod cum minime obtinere potuisset, archiepiscopo inflexibiliter in sententia persistente, ab invicem discesserunt.

Per idem tempus Arnulfus Lexoviensis episcopus mari transito ad regem quem offenderat venit cupiens si quomodo posset eum sibi placabilem facere. Cumque per omnia eum demulcens ei placentia loqueretur, etiam contra archiepiscopum ei consilium dare non timuit; dixit enim ad regem : « Controversi quæ inter te et archiepiscopum vertitur difficilis est et vix finienda; impossibile namque est archiepiscopum tibi subjici, quandiu unamines et in eadem cum eo sententia suffraganei sui fuerint, quapropter si omnes ab eo avellere non potueris, saltem aliquos de numero eorum tibi quoquo modo applicare satage: quo facto non facile pars reliqua subsistere poterit. Faventibus enim tibi episcopis, si solus archiepiscopus in sententia pertinaciter perstare decreverit, non solum non obtinebit, verum etiam suspensionis litteras, procurantibus episcopis, facile incurrere poterit. « Tali igitur instructus rex consilio, vocavit ad se apud Glocestriam quos flexibiliores inter episcopos credidit, Rogerum scilicet Eboracensem et Lincolniensem episcopum, egitque cum eis quatenus ad confirmationem suarum consuetudinum parati essent, promittens se nihil ab eis exacturum, quod eorum ordini obviaret. Cesserunt itaque illi duo spondentes regi secundum quod voluit, Nec multo post rex Hilarium Cicestrensem episcopum suæ parti sociavit. Quo facto, venit idem Hilarius ad archiepiscopum apud Lentham; cæpitque ei suadere quod persuadere non potuit, quatenus scilicet regi ad voluntatem faveret, asserens ei multum hoc per omnem modum expedire. Erat namque mirabilis in litteratura, habens verba multa polita et suasoria. Archiepiscopus vero qui non quæ sua sed quæ Jesu Christi erant quærebat: « Absit, inquit, ut tali commercio terreni regis gratiam redimam, exponendo ei Ecclesiam quam rex cœlestis sanguine proprio comparavit: tu autem et Lincolniensis cum Eboracense, utinam non impune, venales, vel potius quantum in vobis est irritas feceritis ecclesiasticas sanctiones: promittentes regi vos ejus consuetudines servaturos, quæ sanctorum canonibus Patrum usquequaque noscuntur adversari. Verumtamem quidquid nos feceritis vel alii forte sint facturi, me in tam horrendam præsumptionem nunquam consortem habebitis. » Ad hæc Hilarius : « Rogo, inquit, te quod est hoc tam horrendum tamque grande malum; quod tu solus in hoc facto vides et intelligis : et nullus alius tecum ? Rogavit nos rex ut in hoc verbo ei deferremus, cumque honoraremus; promittens etiam ipse nobis, quod nunquam hujus concessionis causa aliquid a nobis exquireret quod

A ordini nostro resultet. Estne, quæso, hoc tam grande malum tamque enormis præsumptio dominum suum honorare ? » Et archiepiscopus : « Non est enim malum, quinimo bonum, dominum suum honorare, dummodo Deus non inhonoretur et Ecclesia sancta non perturbetur, neque periclitetur : illud autem certissime noveritis : quod rex a vobis exiget quidquid ei promisistis; vos autem ut stet in promissis eum cogere non potestis. »

Per idem tempus Alexander papa in Francia constitutus misit quemdam Cisterciensis ordinis abbatem, nomine Philippum de Eleemosyna, virum magni nominis et auctoritatis, qui inter regem et archiepiscopum pacem, si possibile esset, reformaret. Venit igitur abbas ille in Angliam et sociatis sibi episcopo
B Herefordense nomine Roberto de Melidino, et Joanne Windochinense comite, venit ad archiepiscopum apud Herges, porrexitque ei idem Philippus litteras apostolicas, et quorumdam cardinalium scripta, in quibus continebantur verba exhortatoria, quatenus se modestum et flexibilem archiepiscopus regis voluntati exhiberet. Commemorabatur etiam in litteris illis, quod status ecclesiæ propter schisma turbidus esset et nubilus; cavendumque summo opere ne tempestas, quæ caput Ecclesiæ occupaverat, etiam per membra diffunderetur et ita nulla esset requies. Esse interim necessariam dispensationem, nec expedire ad præsens ut ecclesiastici rectores debitam severitatem exercerent; sed multa dissimulanda, nonnulla etiam pro tempore essent toleranda. Multa
C in hunc modum continebantur in litteris illis quibus episcopus et abbas una cum comite socio viva voce addiderunt, quod rex eos in verbo veritatis certificasset se nunquam ab archiepiscopo quidquam requisiturum quod ordini ejus vel voluntati contrarium foret. Regem vere hac intentione tam pertinaciter egisse, eo quod turpe ei videretur ab archiepiscopo vinci, nec posse ab eo extorquere, ut saltem verbotenus eum honorare dignaretur. Rogabant igitur et suadebant memorati viri modisque omnibus instabant, quatenus una cum eis archiepiscopus ad regem veniret, et simplici tantum verbo ejus voluntati faveret, omisso verbo illo, scilicet *salvo ordine nostro*; quo facto, plenam apud regem pacem et gratiam tam ipse quam universa Ecclesia Anglicana con-
D sequeretur, et mentio quæ de consuetudinibus fuerat regni introducta, penitus in perpetuum aboleretur. Erat autem idem abbas de Eleemosyna tantæ opinionis et famæ, cui facile fides haberetur, unde archiepiscopus, tam domini papæ et cardinalium consiliis quam ipsius abbatis et eorum qui cum illo venerant verbis inductus et promissionibus credulus, una cum eis ad regem profectus est. Inventum autem regem apud Wodestoche venerabilis pontifex cum multa mansuetudine allocutus est, proponens ei in exemplum sanctos regni illius reges, quos non solum fides et pietas Deo fecit acceptos verum etiom plures ex eis martyrii corona reddidit gloriosos : exhortans et suppliciter rogans, ut et ipse eorum

exemplis et vestigiis inhæreret, tyrannorumque deletis et in perpetuum damnatis abusionibus sanctorum regum meritis et collegio sociari satageret. « Et ne quid, ait archiepiscopus, offendiculum bonæ voluntati tuæ, si eam tibi Dominus inspirare dignatus fuit, per me opponi videatur, scias quod consuetudines regni bona fide servabo, tibique de cætero, ut decet et justum est, per omnia in bono obtemperans ero. » Tunc rex ad eum : « Omnibus, inquit, notum est quam pertinaciter te in hoc verbo exhibueris, et quantum honorem meum in tua contradictione læseris ; quapropter, si ut decet me honorare decrevisti, coram omnibus emandari et recognosci necesse est, quod honori meo in hac parte detractum ab omnibus scitur. Mitte igitur et convoca episcopos et abbates et cæteros omnes qui in B ecclesiasticis honoribus sunt eminentiores ; et ego ex parte mea convocabo universos majores regni, quatenus in præsentia et audientia omnium ad honorem meum sermo iste recognoscatur. » Cum igitur tempore statuto universi apud Clarendonam convenissent, cœpit rex instanter exigere ut sermo prædictus de observatione consuetudinum ab archiepiscopo recapitularetur. Sentiens autem archiepiscopus rem longe distare ab eo quod ab abbate de Eleemosyna acceperat : regemque a pravo proposito in nullo mitigatum, sed magis stabiliendis et confirmandis consuetudinibus illis exsecrandis toto animo insistere, elegit potius de se solo regi occasionem calumniæ dare, quam ecclesiæ causam penitus in discrimen mittere. Dissimulavit itaque C et avertit se quantum potuit, ne aliquam ibi recognitionem seu concessionem faceret. Quod postquam regi innotuit, amens et furibundus effectus, non jam consilio sed gladio utendum decrevit, alterum Saulem se sacerdotibus Domini mox futurum comminans, nisi voluntas sua statim sine mora impleretur. Nec mora, fit nota regis indignatio : turbantur mox omnia : tumultuantur universi, discurrunt regii clientes ; prætendentes facies solito truculentiores : seseque jam ad facinus quasi præparantes. Fiunt illico omnia horroris et formidinis plena. Nec mirum ; ira enim regis sicut rugitus leonis. Stant interim sacerdotes Domini, quasi grex paratus ad victimam, pavidi nimis et tristes : solus archiepiscopus persistens vultu hilari et jucundo eos consolabatur, dicens talia decere veros D Ecclesiæ sacerdotes ; qui autem in clero qui convenerant obscurioris erant famæ et nominis, huc illucque diffugiunt subducentes se periculo quod jam jamque imminere timebant. Erant autem inter episcopos duo episcopi Joscelinus scilicet Salesberiensis et Rogerus Norwicensis quos rex diversis de causis exosos habebat. Norwicensis enim qui regem consanguinitatis propinquitate contingebat, licet ætate esset juvenis, religiosus tamen et ecclesiasticæ libertatis æmulator erat, regemque de excessibus suis liberius increpando ejus iram incurrerat ; Salesberiensis vero aliis de causis eum sibi infensum reddiderat. Hi duo ad archiepiscopum accedentes voce flebili ut eorum misereretur rogare cœperunt dicentes quod nisi ipsa die plenam cum rege pacem faceret, etiam si forte aliis parceret, sibi minime parcendum quin occiderentur. Archiepiscopus vero timiditati et pusillanimitati eorum blanda consolatione occurrens in sententia permansit immobilis. In ipsa hora accesserunt ad eum duo comites de majoribus et de nobilioribus regni, Willelmus videlicet Leicestrensis et Reinaldus Cornubiensis avunculus regis, monentes et rogantes obnixe quatenus sui ipsius et eorum qui cum ipso advenerant misereretur dicentes regem vehementissime iratum et commotum atque ad ultionem sui contemptus jam exerto gladio paratum. « Dum etiam, inquiunt, qui amici et fideles tui sumus ut miserearis obsecramus, quia nisi hodierna die regi plenarie satisfeceris, scelus inauditum propriis manibus necessitate inevitabili explere nos convenit. » Et archiepiscopus : « Non est, inquit, magnum nec inauditum si pro ecclesiasticis sanctionibus nos occumbere contingat, cum hoc nos innumera sanctorum turba et verbo docuerit et exemplo : Domini tantum voluntas fiat. » His itaque repulsis et recedentibus, accesserunt ad eum duo templarii qui et ipsi secundum modum suum magni erant nominis et opinionis, quorum unus dicebatur Richardus de Hastinges magister Templariorum totius regni, alter vero vocabatur Hostes nihilominus et ipse in curia nominatissimus. Isti duo ante archiepiscopum steterunt : et ita cum singultibus et lacrymis eum allocuti sunt : « Quare, domine, ita inexorabilis es in causa sanctæ Ecclesiæ, quæ hodie procul dubio grave et hactenus inauditum est passura discrimen, nisi voluntas regis fuerit adimpleta ? Certissime enim scimus quod rex nec artem nec dolum erga te cogitat, sed grave nimis et intolerabile ei videtur, si in hoc verbo visus fuit a te superari ; quapropter modis omnibus rogamus, et bona fide monemus et consulimus ut regi verbo tenus satisfacias : nunquam mentionem auditurus de cætero de consuetudinibus illis, quas quantopere refugis et detestaris, sed mox ut regem in communi audientia verbo tantum honoraveris, omnis indignatio et inimicitia obliterabitur ; et plena pax et dilectio inter te et ipsum reformabitur. Hæc tibi in verbo veritatis fideliter promittimus et de hæc re nosmetipsos fidejussores et obsides damus : animasque nostras æternæ damnationi obnoxias obtestamur, si rex a te deinceps contra voluntatem tuam vel ordinem tuum aliquid requisierit. » Motus itaque archiepiscopus eorum fletibus verbisque cum tanta protestatione prolatis, videns etiam regem cum suis ad sceleris cædisque patrationem paratum : collocutus prius cum episcopis super his quæ audierat : una cum ipsis ad regem accessit et ita ei locutus est : » Si de jure proprio, domine mi rex, inter nos controversia verteretur, statim absque ulla contradictione dicto citius me vestræ voluntati

cessisse noveritis ; nunc vero cum de ecclesiasticis negotiis nobis interim, Deo auctore, commissis sermo quidem gravis et periculosus mutuo ventiletur, non debet excellentiæ tuæ mirum vel indignum videri si in Dei causa aliquantulum scrupulosior fuerim, sciens quod redditurus sim ei rationem villicationis meæ, qui non parcit delinquenti. Jam vero de prudentia et mansuetudine tua spem habens meliorem libenter ad postulata consentio consuetudinesque regni bona fide me servaturum dico. » Vix verbum de ore pontificis exierat et rex alta voce respondit : « Audistis universi, quæ mihi archiepiscopus sui gratia concesserit, restat nunc ut episcopi, ipso imperante, idem faciant. » — « Volo, ait archiepiscopus, ut sicut ego ita et ipsi honori vestro satisfaciant. » Tunc surgentes episcopi annuerunt. Solus Jocelinus Salesberiensis episcopus communiter cum aliis non assensit, sed residentibus aliis, quæsivit ab archiepiscopo utrum idipsum facere deberet; dicente vero archiepiscopo sic oportere, assensit. Movens autem rex caput, improperavit Salesberiensi, qui semper contrarius sibi exstitisset. Archiepiscopus itaque, quamvis secundum quod a memoratis templariis audierat controversiam terminatam æstimaret, adhuc tamen trepidus et velut in pendulo constitutus, rei exitum præstolabatur incertus. Ait igitur rex : « Ad omnium credo pervenisse audientiam, concessum mihi esse ab archiepiscopo et episcopis ut leges et consuetudines regni mei de cætero firmiter teneantur et observentur. Ne igitur deinceps inter nos iteretur contentio vel contradictio ; surgant prudentiores et antiquiores procerum et foras cum clericis meis egressi recordentur legum et consuetudinum avi mei regis Henrici, easque diligenter conscriptas mihi cum omni celeritate afferant. » Nec mora factum est ut imperavit consuetudinesque descriptas et in medium allatas jussit rex legi. Quibus lectis, dixit iterum rex : « Ecce hæc sunt quæ mihi concessa sunt. Quapropter ne deinceps super his quæstio oriatur, vel nova forte emergant placita, volumus ut archiepiscopus his sigillum suum appendat. » Ad hæc archiepiscopus. « Per Deum, inquit, omnipotentem nunquam, me vivente, sigillum meum his apponetur. » Tunc ad aliud commentum se clerici et officiales regis convertunt. Chirographum, rege jubente celeriter conficiunt; quod per medium juxta morem scindentes: partem unam archiepiscopo porrigunt. Et archiepiscopus : « Accipio quidem, inquit, non tamen vel consentiens vel approbans, sed ad cautelam et defensionem Ecclesiæ, ut videlicet hoc indicio cognoscamus, contra quæ nobis agendum sit. Cognitis namque laqueis et muscipulis quæ nobis obtenduntur, cautiores Deo annuente erimus. » His dictis, iratus surrexit et abscessit. Et quamvis ad liberationem cleri qui convenerat, ita fieri necessarium fuit; archiepiscopus tamen de excessu suo, quo quidem deceptus deliquerat, consolationem non recipiens, gravissimam sibimetipsi pœnitentiam indixit; seque ab officio altaris suspendit,

A donec missis ad papam Alexandrum nuntiis qui ei regi gestæ ordinem et modum intimarent, ab eo absolutionem mereretur. Admiratus etiam dominus papa zelum illius et constantiam, litteras consolatorias honoris et dilectionis plenas ei transmisit.

Post hæc venit ad regem apud Porcestriam Rotroldus Ebroicensis episcopus, cupiens inter regem et archiepiscopum pacem et concordiam reformare. Rex autem, uno modo tantum possibile esse respondit, si videlicet tam ipse quam archiepiscopus impetrare possent quatenus dominus papa bulla propria consuetudines suas roboraret et confirmaret. Accessit itaque Ebroicensis episcopus ad archiepiscopum rogans instanter et consulens quatenus domino papæ super hoc negotio scriberet. Archiepiscopus
B vero, cavens ne aliquam justam malignandi occasionem daret regi, sciensque certissime preces suas quantum ad effectum nihil profuturas regis, scripsit et rogavit apostolicum super confirmatione consuetudinum juxta regis et episcopi voluntatem. Dominus vero papa, intelligens petitionem illam non voluntate sed de necessitate processisse, abnuit illico, et legatos qui ad hoc missi fuerant ab spe impetrandi repulit. Quod ubi regi innotuit, vehementiori indignatione accensus, crebra cum suis agebat consilia, quid sibi agendum esset: visum est ei tandem, quod si legationem Angliæ Rogerio Eboracensi archiepiscopo beati viri æmulo a domino papa obtinere posset, facile archiepiscopum posse subjugari et consuetudines suas firmius stabiliri. Duos igitur ex
C clericis suis, Joannem scilicet de Oxenefordia, et Gaufridum, cognomento Ridellum, pro obtinenda legatione ad dominum papam direxit, quos dominus papa nec auditu dignos æstimavit, dicens : « A tempore beatissimi papæ Gregorii, quo procurente gens Anglorum fidem Christi suscepit, nusquam legitur vel recolitur usque ad præsens Cantuariensem ecclesiam Eboracensi fuisse subjectam; et idcirco a nobis minime fieri debet, quod prædecessores nostros nec dum fecisse cognoscimus. Constat namque Cantuariensem Ecclesiam dignitate et primatia cæteras regni illius ecclesias antecellere ; justumque non esse ut quæ prima est secundaria efficiatur ; Joannes autem de Oxenefordia, magna fretus calliditate, flexis ante papam genibus, juravit quod nisi rex in
D reditu eorum de petitione sua gauderet, archiepiscopum procul dubio periclitari de vita. Timens autem dominus papa suspectamque nimis habens regis malitiam, necessaria usus pro tempore dispensatione, legationem ipsi regi contulit, ita tamen quod nec Eboracensi eam assignare, nec aliquem legationis auctoritate posset gravare. Litteras namque alias secreto direxit in Angliam : quæ mox regem legatione spoliarent, si potestate legationis uti vel quemquam gravare tentasset. Rex autem litteris, quibus ei legatio conferebatur, accipiens, hujusmodi legationem non multipendit ; litteras tamen ipsas multis ostendit, seque legatum innotuit, ut archiepiscopum de sua legatione terreret. Tandem vero cum aliquan-

diu litteras illas inutiliter detinuisset, missis nuntiis A legationem domino papæ cum indignatione reddidit, et litteras ipsas ei remisit. Post hæc rege Ecclesiam et ecclesiasticos viros solito acrius infestante, et archiepiscopo nihilominus constanter resitente intentor mali diabolus querelam gravem adversus Ecclesiam suscitavit, officialibus namque regis cuncta infatigabiliter pugnantibus et sollicitius investigantibus, reperti sunt quidam de clero diversorum criminum rei, quos tenentes vinculis et carceribus mancipaverunt. Erant autem quidam ex eis sacerdotes ; alii vero diaconi et diversorum ordinum clerici, quos constabat in furtis et homicidiis esse sceleratissimos. Sed nec tales laicæ justitiæ deferendos venerandus antistes arbitratus est, quinimo eos a rege constanter requirebat sub anathemate interdi- B cens, ne quis eos extra curiam ecclesiæ judicare præsumeret. Se autem paratum ut eos ad justitiam exhibeat, et de eis seundum canones et decreta judicet. Tandem necessitate rationis compulsus rex consentit ut redderentur quidem archiepiscopo, ita tamen ut et ipse eos meritis exigentibus exordinatos suis ministris condemnandos traderet. At vero archiepiscopus duplici modo non eos esse puniendos dicebat, sed sufficere eis ad pœnam si exordinarentur. Si autem postea in sceleribus deprehenderentur, tunc ad se non pertinere quo eos judicio condemnaret. Diu diversisque modis pertracta est hæc contentio, sed brevitatis causa plura narrare vitamus. Tandem cum rex et archiepiscopus cum multitudine episcoporum et procerum de ipsa querela cognituri C convenissent, intelligens rex beatum virum de jure ecclesiastico flecti omnino non posse, iratus minari ei cœpit, dicens : « Ego te humiliabo, et restituam te in loco ubi te inveni. »

Dumque in dies singulos vexationes et gravamina intolerabilia circa Ecclesiam Dei multiplicarentur, nec esset jam spes ulla quietis et pacis, necessarium æstimavit venerabilis pontifex dominum papam, qui tunc temporis in Francia morabatur, super his consulere. Et parata paucis scientibus profectione et navigio, apud Romenellum mare ingressus est. Et cum jam magnum maris spatium emensus fuisset, locuti sunt ad invicem seorsum nautæ, dicentes : Quid est quod agimus ? Inimicum regis, quem usque ad mortem odit et persequitur, de manibus illius educi- D mus, et putamus hoc regem posse latere ? Nequaquam ; quapropter certum est nos contra animas nostras agere. Accesserunt itaque ad archiepiscopum, dicentes difficilem nimis esse navigationem ventumque contrarium, nec posse se sine discrimine vitæ terram quam petebant attingere ; archiepiscopus vero, audiens imminere periculum, et non intelligens dolum, jussit se reponi ad littus unde exierat.

Nec multo post tempore, ut pervenit sermo ad regem quod archiepiscopus mare ingressus fuisset et pene transfretasset, vehementer anxiatus est, timebat namque ne forte, si ad dominum papam posset attingere, ipsum anathemati et regnum ejus interdicto supponeret. Quapropter ne simili de cætero casui subjaceret, edicto publico prohibuit, ne quis sine litterarum suarum testimonio transfretaret. Fecerat quoque rex novam constitutionem suis ut sibi videbatur utilitatibus profuturam ; unde universi proceres regni valde gravati submurmurando ingemiscebant. Erat autem hujusmodi quod constitutum fuerat : « Si quis in curia cujuslibet domini sui causam habens, videret post primam vel secundam placiti diem non sibi in negotio prospere nec pro voto succedere, licebat ei inde recedere et ad superioris domini curiam convolare, prius tamen tertia manu præstito sacramento : quod injuste a causa dilatus fuisset. » Contigit autem ut quidam ex proceribus terræ nomine Joannes Marescallus causam habens in curia domini sui archiepiscopi, hujus novellæ constitutionis auctoritate sacramento dato judicium declinasset ; et a curia recessisset, sacramentum tamen non secundum morem super textum evangeliorum vel sanctorum reliquias præstiterat, sed super libellum quem troparium vocant, quem ipse sibi ex industria exhiberi fecerat. Hic itaque Joannes, sciens omnem occasionem adversus archiepiscopum regi fore gratissimam, accessit ad eum asserens archiepiscopum sibi in justitia defuisse : « Et ideo, inquit, quia fidelis vester sum ; » rex igitur accepta occasione archiepiscopum vocari jussit, mandans ut responsurus occurreret de eo quod proceri suo justitiam in curia sua denegasset, sed archiepiscopus cum forte eo tempore infirmaretur et ad diem nullatenus occurrere posset, rationabilem, impossibilitatis suæ excusationem regi mandare curavit. Rex autem, qui occasiones malignandi adversus eum quærebat, nullam excusationem quin adesset se recipere respondit. « Adhærens igitur huic occasioni rex edicto publico convocavit episcopos et abbates, comites etiam et proceres, et omnes officiales suos, omnesque omnino qui alicujus essent auctoritatis vel nominis : die designato apud Northantonam. Mandavit etiam ut archiepiscopus occasione remota adesset. Vir igitur Domini, die præfixa instante, cum ad locum prænominatum appropinquasset, servientes sui qui cum illuc prævenerant obviam ei fuerunt dicentes regios ministros omnia hospitia illius occupasse. Siquidem et hoc ipsum rex fieri præceperat in contumeliam ejus. Substitit igitur venerandus antistes, mandavitque regi se ultra non progressurum, quo usque hospitia sua vacuari jussisset. Nec mora jubente rege supervenerunt servientes archiepiscopi, regiamque familiam cum festinatione de hospitiis suis expulerunt. Ipse vero archiepiscopus in monasterio Sancti Andreæ apud monachos hospitatus est. Facto mane, venit ad curiam ; capellamque ingressus ubi rex missam auditurus advenerat, eum cum debito honore salutavit. Sedensque juxta regem humiliter et reverenter ei suggessit quatenus ad dominum papam excurrendi sibi licentiam concederet : habenti multa de con-

silio animæ suæ ei intimanda. Abnuit illico rex, A impossibile fore dicens ut vel ipse vel alius transfretandi licentiam impetraret. Confestim itaque post missam jubet rex archiepiscopum respondere de eo quod ab eo vocatus ad diem non venisset. Respondit archiepiscopus ægritudine detentum se fuisse, excusationemque suam tempore competenti juxta morem regi denuntiasse : rex autem excusationem illam audisse quidem se non negavit, sed eam minime se recepisse respondit: quapropter eumdem contemptu statim judicari imperavit. Egrediuntur mox ad judicium, quos rex ipse judices ex nomine designabat, decernuntque ut archiepiscopus quingentas argenti libras hac de causa regi persolvat. Quod ubi relatum est archiepiscopo, judicium sprevit et irritum habuit dicens se neque a rege neque a quoquam eorum ju- B dicari posse, cum ipse judicandi de eis a Domino potestatem accepisset, non illi de ipso. Cum igitur quod injuste judicatum fuerat, juste dissolvere et cassare vellet, fregerunt eum sermonibus et suasionibus quidam ex amicis et familiaribus suis, dicentes : « Regem pro causa pecuniaria non esse gravius exacerbandum; si forte vel sic quod volebat assecutus quiesceret. » Aquiescens igitur vir Domini eorum consiliis, statim quod iniqua judicio exactum fuerat, fidejussoribus præstitis solvit, sed nihil ad mitigationem tyrannici furoris profuit. Nam statim incontinenti alia querela inducitur de supradicto Joanne Marascallo: cui incuria archiepiscopi justitia negata fuisse dicebatur. Respondit archiepiscopus se ei in justitia nequaquam defuisse, sed C ipsum Joannem in causa sua penitus defecisse, jusque suum probare non potuisse, præstitoque contra morem sacramento judicium subterfugisse. Cumque in hac causa se nihil obtinere posse rex intellexisset, ad alia se convertit. Tempora administratæ cancellariæ revocantur in medium, et ut rationem de reditibus regni archiepiscopus reddat, rex instanter exigit. Negat archiepiscopus ad ista respondere se debere cum ab iis omnibus liber prorsus et expeditus tempore electionis suæ a curia secessisset. Variis igitur querelis et contentionibus protrahitur dies in vesperum, rege satis improbe instante et a proposito non recedente. Tandem mandavit ei rex ut occasione cessante mane paratus esset ad objecta respondere; vir autem Domini præter jus esse et morem respondit ut quis in crastino de recenti querela placi- D tare cogeretur. Sed rex a proposito non recedens terribilibus vocibus et juramento negotium jam ultra differri non posse vociferabatur. Soluto tandem concilio revertuntur singuli ad propria. Sed et archiepiscopus in suo se recepit hospitio. Et ecce citra noctis medium cum vir Domini post anxietatem et laborem quieti se dedisset, vehemens dolor lateris eum arripuit, et tota nocte illa cum diei sequentis parte non modica graviter afflixit. Frequenter namque ita pati consueverat, sed et tunc propter anxietatem, quam die præterita pertulerat, dolor ejus renovatus est. Mane facto, mittuntur a rege qui archiepiscopum vocent ad curiam; responsum est quod infirmaretur et venire non posset. Quo audito, rex solito terribilius intonans oculos Dei crebro jurabat, nullam occasionem vel ægritudinem ei ad excusationem proficere, quominus sui præsentiam exhiberet. Iterum igitur mittuntur a rege duo comites, Robertus scilicet Leicestrensis et Rainaldus Cornubiensis, qui eum ad curiam venire compellant ; vel certe utrum vere ægrotet cognoscant. Putabat enim rex quod dilationis causa ægritudinem simulasset. Venientes autem ad eum præfati comites cum multa reverentia mandatum regis ei intimaverunt; sed cognoscentes eum gravi dolore vexari usque in crastinum ei inducias concesserunt. Quibus ait archiepiscopus « Ne quis me occasiones vel subterfugium ex industria quærere æstimet; cras, Deo volente, si vita comes fuerit, præsens adero; etiamsi feretro me gestari oportuerit. » Ipso autem die intimatum est beato viro a duobus proceribus qui amici et fideles ejus erant, occulti autem propter metum regis, quod si se in crastino curiæ committeret, procul dubio capiendus esset, et aut oculis erutis aut lingua abscisa carceri mancipandus, aut certe ex abrupto occidendus. Hoc audiens vir sanctus totus, nec mirum, intremuit, surgensque sine mora ante altare se prostavit, ibique cum multa devotione et lacrymis diutissime stratus permanens omnipotenti Domino causam Ecclesiæ suæ attentius commendavit. Inde consurgens misit et vocavit quemdam virum religiosum, cum quo diu super statu suo collocutus, tale ab eo consilium accepit. « Mane, inquit, consurgens antequam procedas ad curiam, missam de beato Stephano protomartyre solemniter celebrabis. Ibique ante sacrosancta Dominici corporis et sanguinis mysteria, causam sanctæ suæ Ecclesiæ Jesu Christo commendabis simulque etiam et beatæ semper Virgini Mariæ et ipsi beato Stephano necnon et beatissimo apostolico nostro Gregorio et sancto Elfego cæterisque sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ patronis : quod cum feceris confidens de Dei misericordia et sanctorum patrociniis securus procede, et fiducialiter age : neque enim tuum est negotium sed Dei, qui tibi in omnibus aderit. Scimus enim quam facillime te ab omni periculo eximere possis, si velis, et non solum regem non habere iratum, verum etiam placatum et ad omnes voluntates tuas paratum. Unde indubitanter credimus divinum tibi non defuturum favorem ; cujus intuitu humanam gratiam contempsisti. »

Fecit itaque vir Domini secundum quod vir ille religiosus eum docuerat: et celebrata summo mane cum devotione missa de beato Stephano pontificalibusque sicut erat indutus, ad curiam ire disposuit, sed dissuadentibus suis sacerdotalia deposuit ornamenta. Solito itaque modo indutus stolam tantum collo et humeris innexuit, sicque ascenso equo et cruce, quæ eum semper ex more præcedebat, in manu dextera sumpta, cœpit velle ire. Cumque multos haberet socios mensæ, habebat enim in comitatu ferme quadraginta clericos in litteratura nominatis-

simos : exceptis cappellanis suis et viris religiosis, A vix tamen in hoc articulo inventus est unus qui eum sequeretur. Egredienti itaque de hospitio suo et dextera manu crucem bajulanti, occurrit plebis innumera multitudo, quorum pars maxima ubertim lacrymas fundens benedictionibus illius se supplex humiliabat. Eratque videre pium et miserandum spectaculum, qualiter plebs devota pastoris sui quasi ad agonem properantis vestigia stipatim ejulando prosequeretur. Jam enim apud universos percrepuerat quod ipsa die esset occidendus; appropinquante itaque eo ad castellum, in quo rex erat, cum magna festinatione portæ patuerunt, nec minori celeritate eo ingresso iterum clausæ sunt, et vectibus immissis diligenter obseratæ. Prosilit mox et concurrit undique procerum et militum, diversisque gene- B ris hominum multitudo, quæ convenerat, spectatura virum inæstimabilis constantiæ; ipsi etiam qui ei inimicabantur, obstupescentibus et mirantibus ejus magnanimitatem atque confidentiam. Ad januas igitur regiæ equo desiliens, uno tantum se comitante clerico, crucem manu bajulans, aulam ingressus pertransiit, et in ulteriorem domum pervenit. Porro rex cum familiaribus suis in remotiori camera consistebat. Veneruntitaque ad archiepiscopum quidam ex episcopis, e quibus unus erat Gilbertus Folioth Londoniensis episcopus, qui sic locutus est : « Domine, inquit, archiepiscope, malum habes consilium quod ita evaginato gladio ausus fuisti ad regem ingredi. Noveris procul dubio et ipsum regem suum adversum te exemisse gladium, illumque in te C cum multa indignatione vibrare : quapropter quandiu ita vos ad invicem habueritis, spes nulla pacis esse poterit : meo igitur usus consilio, crucem de manu tua deponas. » Et archiepiscopus : « Crux, inquit, protectio fortis est, et signum pacis : et ideo eam minime depono. » Item Londoniensis ad eum : « Ego, ait, decanus tuus suum et debeo tibi ministrare : trade eam mihi. — Nequaquam, ait archiepiscopus, eam dimittam : non est enim mihi oneri. » Tunc Londoniensis, injectis manibus, voluit eam vi de manibus illius extorquere, sed archiepiscopo viribus prævalente, non potuit eam evellere. Tunc Wirgoniensis episcopus ad Londoniensem : « Cessa, inquit, ab irreverentia tua, et dimitte domino nostro archiepiscopo crucem suam, non est D enim nimis bonus qui portet crucem domini sui. » Et Londoniensis ad eum : « Et tu, inquit, contra teipsum locutus es ; nam verbum, quod ex ore tuo modo jaculatus es, graviter lues. » Eboracencis vero archiepiscopus qui his intererat et præsens astabat, ait ad Cantuariensem : « Ne dominus rex gravis adversum te inflammetur et exacerbetur, meo consilio gladium tuum, hoc est crucem tuam, de manu tua depones ; nam gladius regis multo acutior est quam hic tuus. » Cui venerandus antistes respondit : « Gladius regis carnali quidem viget acumine, meus autem spirituali, nec debet rex hoc indignari, si crucem Domini mei et sui in manibus tenuero, sed magis placari. » Ut autem cognovit rex archiepiscopum venisse, cœpit cum suis disponere quam ei calumniam primo objiceret, visumque est ei primo agendum de clericis quos in homicidiis et furtis aliisque sceleribus deprehensos superius diximus. Sed dictum est ei de consilio, quia si inde aggressionis faceret exordium, statim omnes episcopi, qui ei modo favebant, audito hoc verbo, ab eo resilirent et cum archiepiscopo starent : quippe cum causa clericorum omnibus episcopis esset communis. Quapropter aliunde agere statuit. Rex enim et archiepiscopus seorsum et non in uno loco constituti erant ; mediatoresque verbi inter eos erant episcopi, qui frequenter huc illucque discurrebant. Variis itaque querelarum et objectionum assultibus rex iniquus venerandum antistitem tota die appetere non cessavit ; at ille, sancto se confortante Spiritu, universas ejus objectiones et cavillationes validioribus rationum et assertionum responsionibus elusit et confutavit. Interim nuntiatur archiepiscopo a quibusdam amicis et fidelibus suis qui erant de consilio regis, quia rex jam de morte ejus tractaret. Ipsi etiam episcopi, cognoscentes quod rex agere disponeret, vultu lugubri et demisso ad virum Dei venerunt nihilque penitus dicentes velut stupidi et amentes eum circumsteterunt. Tunc vir venerabilis, ex eorum vultus immutatione certior factus de his quæ sibi nuntiata fuerant, ait ad eos : « Sentio me a curia ista, vobis tacentibus et non reclamantibus, modis inauditis prægravari, et causam Ecclesiæ in detrimentum vergi, qua necessitate magna coactus ad dominum papam appello. » Tum Londoniensis episcopus : « Me, inquit, rogo ut ab hac appelatione relaxes. » Cui archiepiscopus : « Nec te, inquit, nec alium absolvo ; sed in periculo animarum vestrarum et ordinis vestri in communi omnibus præcipio, quatenus, ut dicitur, si ego occisus vel captus fuero, nemini parcentes debitam justitiam faciatis. » Wintoniensis vero episcopus anxius nimis et pavidus archiepiscopo dixit : « Obsecro, domine, ut verbis meis, quæ tibi bona fide dicturus sum, acquiescas. Archiepiscopatum in manu et dispositione domini regis reconsigna ; hoc enim videtur necessitas inevitabilis ad præsens exposcere, donec ex gratia et indulgentia ejus honori tuo restituaris. » Archiepiscopus vero ad eum : « Frustra, inquit, tale mihi consilium dedisti ; nam episcopatum et vitam una dies eademque hora terminabit. » Ad ista Hilarius Cicestrensis episcopus subintulit : « Utinam, inquit, fieres et remaneres Thomas tantum absque alia dignitate ! » Igitur episcopi, quibus mens sanior erat, convocantes Eboracensem archiepiscopum et Londoniensem atque ipsum Cicestrensem episcopos dicunt eis : « Si contigerit archiepiscopum nobis præsentibus capi vel occidi, quid restat nobis, nisi ut ab officiis et honoribus nostris ignominiose projecti perpetuo anathemati et opprobrio quod nulla delebit oblivio, subjiciamur ? si autem nobis hoc timemus, quid de illis fiet, quibus ut dicitur

procurantibus et instigantibus tantum nefas patrari contigerit: monemus igitur ut pari consilio videamus et decernamus: qualiter eum ab instanti periculo valeamus eripere. » Cumque aliquandiu qualiter id fieri posset ad invicem tractassent, tandem simul omnes regem adeuntes, dixerunt ei: « Prospicientes, domine, honori tuo, quem in negotio isto periclitari timemus, rogamus ut nobis copiam agendi cum archiepiscopo concedas: habemus namque multa, quæ ei juste objiciamus: maxime illud quod cum in præsentia vestra apud Clarendonam præcepto obedierit, nos ad observationem consuetudinum vestrarum compulerit: nunc autem, sibi ipsi contrarius, ne eas observare debeamus contradicit. Quapropter si tibi videtur et si placet, ad dominum papam eum appellare decrevimus. » Et ait rex: « Placet. » Regressi igitur ad archiepiscopum ad dominum papam appellaverunt. Et archiepiscopus: « Audio, inquit. » Rex, etsi appellationem fieri permiserit a proposito tamen quo eum interficere decreverat, non destitit. Mittens namque ad eum milites suos, jubet ut rationem reddat de negotiis et reditibus regni, maxime autem de triginta millibus libris argenti quas tempore cancellariæ de pecunia regia minus caute expendisse a quibusdam deferebatur. Archiepiscopus vero regem sæpe de omnibus rationem audisse respondit: nec jam se ad ista quæ ad se non pertinebant respondere debere, præsertim cum tempore electionis suæ ex mandato regis coram filio ejus et officialibus regni ab omni ratione adminitrationis suæ, et ab omni omnino occasione quæ inde quoquomodo emergere posset, absolutus fuisset: « Sicut, inquit, vos ipsi vidistis et audistis. » Quæ ejus responsio postquam regi renuntiata est, furore et iracundia plenus, dixit ad suos: « Iste homo meus est; et rationem mihi reddere non dignatur! » Et dixerunt qui ei assistebant: « Est, domine, et alia causa qua eum jure gravare poteris: nam, cum homo tuus sit, ut dicis, et jure fidelitatis honorem tuum per omnia et in omnibus conservare teneatur, ipse tamen, spreto honore tuo et reverentia contemptoque judicio curiæ tuæ, ad aliam curiam appellare præsumpsit: unde si judicari meretur tuum est decernere. » — « Patet, inquit rex, quia de omnibus his vindicandus est. » Misit igitur statim cum festinatione qui eum judicarent. Relatum est autem de judicio quod capi debeat archiepiscopus et carceri mancipari, donec de objectis sive objiciendis regis voluntati omnibus satisfaceret. Jubente itaque rege, Robertus comes Leicestrensis et Rainaldus Cornubiensis archiepiscopum adeunt, formam judicii ei ex parte regis intimaturi; locutus est igitur comes Leicestrensis archiepiscopo, dicens: « Audi judicium quod tibi in curia regis judicatum est, quodque rex ipse per nos tibi mandat. » Tunc vir sanctus torvo eum intuens vultu: « Ego, inquit, nullius judicium audiam, quippe qui jam ad dominum papam appellavi. » Et comes ad eum: « Et quomodo, inquit,

A potest averti quin judicium regis audias? homo enim regis es; et villas atque castella possessionesque infinitas de eo in feodo et baronia tenes. Et idcirco judicium in curia ejus audire et sustinere te oportet. » — « Absit, inquit archiepiscopus: nihil prorsus in feodo et baronia de eo teneo, sed quidquid habet Ecclesia, in perpetua libertate possidet, non in feodo vel baronia, vel in aliqua terrenæ dominationis subjectione. » Nam quidquid Ecclesiæ Dei a regibus antiquis seu modernis collatum est perpetua eleemosyna est, libera prorsus et immunis ab omni terreni principatus nuncupatione vel subjectione, sicut etiam ipse rex in suis privilegiis declaravit et confirmavit. Quapropter auctoritate et paternitate qua nos vobis divina ordinatio lege Christianitatis prætulit et præfecit, interdicimus, ne de

B me judicium faciatis, vel factum retractetis. » Respondit comes Robertus: « Absit a me ut tantæ auctoritatis imperium contra animam meam transgrediar, sed potius silentium mihi indicens amodo taceo, teque quantum ad me liberum relinquo. » Et conversus ad comitem Rainaldum, dixit: « Audis archiepiscopali imo divina auctoritate silentium mihi impositum; amodo tu quæ restant prosequere, et quæ a rege definita sunt edicito. » Et ille: « Quod mihi, ait, injunctum non est non præsumam. Tu autem si qua dicere volueris, dicito; quia in hac causa ego tibi penitus deficio. » Dixit ergo iterum archiepiscopo comes Robertus: « Obsecro, domine, ut exspectes donec responsio tua renuntietur. » Et archi-

C episcopus ad eum. « Ergone, inquit, captus sum? » Et comes ad eum: « Nequaquam, ait, domine, per sanctum Lazarum; sic enim consueverat idem comes jurare. Recedentibus itaque comitibus et regredientibus ad regem, dixit archiepiscopus: « Recedo et ego, nam hora præterit; » et, elevata cruce quam manu tenebat, cœpit abire. Cumque aulam ingressus fuisset, multitudo militum et diversi generis hominum, quæ ibi convenerant, cœpit viso eo clamare et improperiosis atque contumeliosis vocibus ei insultare, garrula et injuriosa procacitate vociferantes. Cum vero paululum surda aure processisset, et ad ligna quæ ad præparationem ignis forte in medio jacebant pedem offendes paululum nutasset: vox insultantium vehementius extollitur, quæ

D etiam a procul positis posset audiri: occurrens quoque viro Dei quidam Randulfus de Broco: « Ut proditor, inquit, recedis. » Quem reverendus antistes responsione indignum reputans pertransibat. Comes quoque Humelinus frater regis nothus casu occurens ei, velut proditorem eum recedere dicebat. Cum vir sanctus: « Si liceret, inquit, ut miles essem, propria manu te mentitum probarem. » Tandem ascenso equo ad portam castelli pervenit, quam diligenter obseratam reperiens, stupefactus et perterritus substitit. Sed quidam e famulis suis, nomine Petrus de Mortorio, fasciculum clavium eminus dependentem conspiciens, celeriter claves arripuit; et quod quasi miraculum quibusdam

visum est, inter tam multas claves illam, quam A volebat et quæ necessaria erat, absque mora et impedimento reperiens portam cum celeritate nullo contradicente vel resistente aperuit. Exeuntem autem de oppido beatum virum populus, qui rei exitum præstolabatur, gaudens excipit: supplex benedictionem exposcit. Ipse vero dextera lævaque benedictionem incessanter fundens, retardantibus eum aliquantulum turbis, tandem ad monasterium, in quo hospitabatur, pervenit. Statim igitur ante altare in orationem se prostavit, ubi cum aliquandiu lacrymans orasset, mox quæsivit: audiens autem utrum adhuc nona esset quæsivit; audiens autem quod hora præterisset, nonam simul et vesperas decantavit, et illico mensam poni jussit. Cumque ex maximo suo comitatu vix decem præsto essent, B pavore namque territi universi diffugerant, imperavit iterum refectorium monachorum pauperibus impleri, eisque ciborum copiam apponi postea sedit ipse cum suis ad mensum satis morose, seque hilarem et affabilem eis exhibuit. Interim autem, dum adhuc sederet ad mensam, jussit lectum suum in ecclesiam deferri, ibique locum quietis sibi parari. Sublatus est itaque lectus ejus, cunctis videntibus, in ecclesiam, et ibi retro majus altare locum dormituro paraverunt. Positus est etiam ibi, ipso disponente, quidam minister familiaris, qui volentes accedere prohiberet, dicens archiepiscopum diurno labore fatigatum non esse inquietandum. Ipse vero vir Domini surgens a mensa in loco secretiori se cum paucis recepit; tractans diligenter C quid in articulo instantis necessitatis pro causa Ecclesiæ Dei commodius fieri posset. Constans enim erat quod, si crastinum exspectaret diem, procul dubio capiendus esset et carceri mancipandus: quatenus rex ita levius delinquere videretur si sub carceralis custodiæ mora aliqua occasione quasi rege nesciente jugularetur. Et quamvis vir sanctus pro libertate ecclesiastica mori paratus esset, ne tamen causa Ecclesiæ in suo casu pariter occumberet, non quidem evadere mortem sed interim differe consilium habuit. Mutabatur dies iterum in noctem, siquidem usque in crepusculum cœna protracta fuerat et vocavit ad se vir Domini duos conversos religiosos quos in comitatu suo habebat, quorum unus vocabatur Robertus de Caba, alter vero D Scailmannus, et quemdam famulum suum proprium, nomine Rogerium de Brai, strenuum valde et fidelem; et his tribus tantum consilium, quod de protectione sua inierat, secretius intimavit: præcipiens ut sine mora parati essent. Ad majorem quoque cautelam, ne scilicet de sua profectione suspicio aliqua saltem in suos oriretur, nullum de suis equis ducere secum statuit, sed quatuor equos aliunde sibi exhiberi fecit. Procurantibus itaque præfatis tribus quos ad hoc negotium quasi fideliores vir Domini prælegerat, adducti sunt statim quatuor dextrarii optimi et prælecti: et extra januam domus, ac si hospitum essent, usque ad horam competentem sub familiari custodia sunt detenti. Sed et ipsum tempus et hora beati viri fugæ quasi divinitus adminiculari et cooperari videbatur. Nam tanta imbrium vehementia tota nocte illa erupit, ut nullus ostium domus suæ egredi præsumeret. Tantus etiam tenebrarum horror tam ex nubium imbrium densitate quam ex naturali noctis caligine invaluerat ut nec in medio positus quis videri posset. Cum autem omnes portæ oppidi diligenter observarentur, exploratum est per quam portarum competentius et tutius vir Domini elabi posset. Inventum est vero quod nondum ad aquilonarem portam custodiæ adessent. Æstimantibus igitur universis quod archiepiscopus in loco quem ei in ecclesia post altare paratum cognoverant quiesceret, ipse cum præfatis tribus sociis ascensis equis per medium castri ad portam aquilonarem gressum dirigit: fueruntque ei divino nutu tenebræ noctis pro velamento: et aquarum vehemens inundatio equorum celabat strepitum sicque nullo penitus sentiente per portam septentrionalem egressus est.

Tota igitur nocte illa negotium fugæ accelerans tandem appropinquante die Lincolinum pervenit. Tantum autem laborem ipsa nocte ex abundantia pluviarum pertulerat, quod pondus aquarum non sustinens cappam suam allevationis causa bis antequam dilucesceret præcidi fecerit. Ingressus vero Lincolinum apud quemdam civem, cui nomine erat Jacob, qui fratrum qui eum comitabantur familiaris erat, hospitatus est. Mane autem facto Wintoniensis episcopus, ignorans quod acciderat, cum archiepiscopo locuturus advenit. Cui occurrens Osbernus beati viri camerarius, qui ipsa nocte lectum ejus in ecclesia custodierat et interrogatus ab eo quidnam ageret archiepiscopus: « Bene, inquit, agit, nam sero præterito a nobis recessit et nescimus quo abierit. » Quod cum episcopo in aure dixisset, ille altum trahens suspirium lacrymisque suffusis: « Cum Dei, inquit, benedictione! » Rex autem ut archiepiscopum recessisse cognovit, illusum se intelligens, internaque cordis anxietate tactus, ex nimia indignatione et furore obmutuit, sed post paululum respirans: « Nondum, ait, finivimus cum isto. » Tunc mittens celeriter jussit omnia ubique maris littora diligenter observari. Ipse vero Thomas apud Lincolinum in domo Jacob die ipso secreto permansit. Et ut melius tutiusque secundum quod imminens necessitas exposcere videbatur posset latere, tunicam conversi induit, et calceamenta grossiora pedibus suis aptavit, jussitque sociis ut eum de cætero non Thomam vocarent, sed Christianum. Et hoc quidem elegantissime, ut scilicet et mutatio fieret in nomine, et veritatis assertio maneret in nuncupatione. Circa crepusculum vero naviculam ingressus est, et tota nocte per fluvium navigando ad domum quamdam religionis quæ dicitur Sempignebam pervenit. Ibi aliquot diebus in granchiis ejusdem domus delitescens, tandem clam nocturnis horis ad mare properavit. In

transitu vero suo apud Chikesand reperit quemdam capellanum, nomine Gilebertum, virum religiosum; ejusdem videlicet ordinis cujus erant et fratres qui erant cum eo : quem secum venire præcepit. Cum autem ad mare pervenisset, et ibi circa littus paucis diebus latuisset, paratum sibi tandem a quodam sacerdote navigium nocte conscendit, et prospera divino nutu fretus navigatione, cum adhuc magna noctis pars restaret, in partibus Flandriæ, non quidem in portu aliquo sed in sabulo, propter cautelam applicuit. Exigebat igitur necessitas ut pedes iter faceret ; quem laborem insuetum et intolerabilem graviter ferens, sæpius in littore lubrico et arenoso vacillans corruebat. Comites vero itineris videntes tantum virum insolito labore fatigari, jam enim sæpius corruendo manus læserat et vulneraverat, non se facile a lacrymis continebant; die autem facto apparuit eis puer quidam, cui occurrentes rogabant ut equitaturam quamlibet eis salva mercede sua quæreret et adduceret. Qui currens in proximam villam, et multam ibi moram faciens, multum eos sollicitos ac pavidos reddidit, ne forte explorator esset aut delator. Tandem tamen rediit adducens in manu jumentum instratum, cui tantum pro freno funis ex feno confectus a collo dependebat. Sed quoniam necessitas non eligit, nec quod vult facit, superjecta eidem jumento cappa beatum virum desuper sedere fecerunt, talique equitatura per duo fere milliaria usus est. Tolerabilius vero et honestius æstimans, si pedes incederet, iterum cœpit cum suis ambulare, cumque quemdam vicum ingrederetur, videns eos quemdam mulier mirata est, venerabilemque virum dilligentius intuens, et nescio quid speciale magnificumque in ejus vultu perpendens, labori illius compatiens, et volens ei beneficium præstare, festina cucurrit in domum suam ut baculum quæreret, quem ei ad sustentandum porrigeret. Arripiens autem veru quoddam fumo et fuligine sordidum, nec non et adipe picium, qui ex eo dependerant, madidum atque confectum ei porrexit. Cujus ille circa se benevolentiam non spernens, quasi pro magno munere gratias egit. Et quod oblatum fuerat suscepit. Cum vero paululum processissent, stabat miles quidam in foribus domi suæ accipitrem manu tenens, qui videns quatuor viros religionis habitum præferentes præterire et dilligentius intuens eos, ait ad circumstantes : « Unus ex istis aut archiepiscopus est Cantuariensis, aut ei simillimus. » Cui respondit frater Scailmannus : « Verene aliquando tu vidisti Cantuariensem archiepiscopum ita gradientem ? » Pervenerunt autem ad fluvium, ubi reperta navicula usque Clarum Mariscum navigio pervenerunt. Abbas autem et fratres loci illius cognoscentes venerandum antistitem inestimabili gaudio repleti sunt, eumque cum omni honore et reverentia officiosissime susceperunt. Mansit igitur occultus apud eos paucis diebus. Interim quidam ex clericis suis quibus ipse a Northamptona fugiens ut se sequeretur mandaverat, ad eum venerunt.

A Interim venit Richardus de Luci ad Flandrensem comitem, missus a rege Anglorum. Hic audiens archiepiscopum apud Clarum Mariscum morari, siquidem jam de eo sermo circumquaque percrepuerat, accessit ad eum suadens diligenter quidem sed frustra, quatenus una secum in Angliam ad regem reverteretur, sed intelligens ex responsionibus beati viri se inaniter laborare, cœpit ei minari, dicens se de cætero futurum inimicum. Cui cum vir sanctus diceret : « Homo meus es, et talia mihi loqui non debes ; » ille contra : Hominium, inquit, meum tibi reddo. Cui iterum archiepiscopus : « Tu, inquit, illud a me mutuo non accepisti. » Misit itaque venerandus antistes duos abbates ad comitem Flandrensem, petens ut ei conductum præbeat, donec

B transeat terram ejus. Comes vero, qui regis Anglorum erat consanguineus et partes ejus fovebat, respondit consilium se supra hoc habiturum; addens etiam se satis potentem, qui unum archiepiscopum in sua dominatione et terra detineat. Quo audito, archiepiscopus suspectam habuit hujuscemodi responsionem ; timens ne forte comes aliquid erga se violenter ageret ut exinde gratiam sibi majorem apud regem pararet. Quapropter retulit verbum istud ad Milonem Carvanensem episcopum qui tunc forte visitationis gratia ad eum venerat. Erat enim idem Milo de Anglia oriundus, vir prudens valde et magnificus ; quique archiepiscopum summa devotione et intima dilectione colebat. Communi igitur amborum consilio et industria protractum est consilium inter eos usque in noctem, cumque jam

C nox esset, et tenebræ cuncta occupassent, surgens episcopus cœpit vel recedere ; quem archiepiscopus præeuntibus cereis usque ad portam persecutus est. Tunc jussit archiepiscopus luminaria admoveri et quasi aliquid secretius cum episcopo locuturus paululum a circumstantibus avulsus est, sicque ascenso equo albo quem ei episcopus præparaverat, una cum eodem Carvanium usque nocte ipsa pervenit : in crastino mandavit suis ut ei apud Suessionem occurrerent. Tali itaque modo Flandriensis comitis minas evasit et usque Suessionem sine impedimento cum suis, Deo protegente, pervenit. Cognito igitur rex Anglorum quod archiepiscopus in Franciam pervenisset, misit nuntios ad regem Francorum Lodewicum, Gilbertum

D videlicet Folioth Londoniarum episcopum, et Ricardum de Ivelcestria, qui erat clericus regis, et unum ex summis regni judicibus, Willelmum quoque illustrem comitem Arundelli, qui venientes ad regem Francorum apud Compendium invenientes ita ad eum locuti sunt : « Meminisse, inquiunt, potest excellentia tua, domine rex, quod cum pax inter te et dominum nostrum regem Anglorum postremo reformata esset, hoc inter cætera constitutum fuisse, ut si quis ex hominibus vestris tam hinc quam inde, aliqua occasione diffugiens, in regnum alterius devenerit , continuo sine contradictione requisitus domino suo redderetur. » Et ecce nunc Cantuariensis

archiepiscopus, judicium domini sui regis declinans, clanculo et de nocte furtivus aufugit et in terram tuam pervenit. Rogat itaque obnixe fidelis tuus et amicus dominus noster rex ne in sui contumeliam et pactionum injuriam, præfatum archiepiscopum in regno tuo recipias vel detineas. Ad hæc piissimus rex Francorum Lodewicus : « Pactiones, inquit, de quibus dicitis non recolo, quanquam etsi ista constitutum fuisse constaret, nihil hoc ad archiepiscopum quominus eum libenter videamus et gratanter suscipiamus et honoremus ; cum ipse inter homines regis vestri reputandus non sit, est enim potius dominus regis et patronus. Accedit etiam ad hoc imo et superexcedit quod mansuetudo regni nostri omnibus oppressis patet ad refugium, nam hoc nobis et pietas animi indicit, ut regnum nostrum libertatem quam sonat in nomine exprimere debeat operis attestatione. Pervenit enim ad nostram audientiam quam injuste et quibus de causis rex vester venerabilem virum oderit et persequatur, unde non miramur si vir discretus, tam vitæ suæ quam Ecclesiæ Dei causæ prospiciens, regis furorem declinaverit, et sub nostræ protectionis alas confugerit. Quapropter si scissem ubi inveniendus esset, jampridem ei cum debito honore occurrissem. » Tunc Willelmus comes Arundelli ad ista regi respondit : « Ignoras forsitan, o rex, quod archiepiscopus, quem tanto studio honorare decernis, semper tibi infestus fuit. Ipse enim est, cujus calliditate et ingenio multoties regnum tuum motum et turbatum est. Ipse namque terras tuas vastavit et oppida cepit, regnumque tuum et dominationem ex parte non modica detruncavit. » At rex ad eum : « Nihil, ait, dicis quominus mihi charus et honorabilis videatur ; fecit enim juxta tuam sententiam quod debuit, nam fidelitatem quam domino suo secundum tempus debuit, sinceriter in omnibus et per omnia adimplevit. Fecissetque mihi similia si meus fuisset. Sed ecce pro tantis beneficiis quæ mihi, ut dicitis, inferendo damna, regi vestro contulit, quali eum remuneratione dignum æstimavit. Nunquid ut redderet ei mala pro bonis ? Et a propriis effugaret qui ei aliena subjugasset ? » Item locuti sunt nuntii ad regem dicentes : « Rogat etiam rex Anglorum amicus tuus quatenus domino papæ mandare digneris, ne archiepiscopo ad gratiam et familiaritatem suam accessum indulgeat, neque mendaciis illius fidem adhibeat. » Indignatus autem rex super improbitate sermonum illorum : « Ego quidem, inquit, mandabo, sed non juxta petitionem vestram. » Voscansque rex fratrem Franconem domini papæ camerarium, qui forte tunc apud Compendium præsens erat : « Domino, inquit, meo papæ Alexandro mea ex parte dicito : quatenus si tanti sum apud ejus sanctitatem cui gratiam aut beneficium præstare velit, archiepiscopum Cantuariensem, cum in præsentiam ejus venerit, benigne suscipiat, nullamque adversus eum injustam querelam audiat vel admittat. » Regressis gitur nuntiis et quod gestum fuerat referentibus, illico rex Anglorum alios nuntios ad dominum papam sub celeritate destinare curavit, qui archiepiscopum in curia prævenirent et domini papæ cardinaliumque animos ab eo averterent. Hæc autem sunt nomina eorum qui missi sunt. Rogerus Eboracensis archiepiscopus, Gilbertus Foliot episcopus Londoniensis, Wirecestrensis quoque episcopus et Bartholomæus Exoniensis atque Hilarius Cicestrensis episcopi ; Richardus etiam de Ivelcestria et Joannes de Oxenefordia clerici regis ; Willelmus quoque comes Arundelli et Guido Rufus, Hugo etiam de Gundovilla et Rainaldus de sancto Valerico, atque Henricus filius Giroldi familiarissimus regis ; et alii etiam, quorum nomina ignoramus. Hi omnes Senonas venientes et præsentiam domini papæ adeuntes multa de beato viro quibus causam ejus deprimerent in medium protulerunt ; quæ quidem probare non potuerunt, fuitque eorum allegatio tam injuriosa et contumeliosa ut cuidam episcoporum acrius instanti papa diceret : « Frater, tempera te : palam est quod virum innocentem gratis oditis et prosequimini. » Fuit autem summa legationis eorum ut dominus papa ad petitionem regis duos cardinales cum plenitudine potestatis in Angliam dirigeret, qui inter regem et archiepiscopum appellatione remota dijudicarent. Asserebant etiam quod rex in multa humilitate et devotione ad satisfactionem paratus esset, si in aliquo forte excessisset ; porro rex hoc faciebat insidiose, sciens cardinalium judicia non esse gratuita, seque facile quod volebat mediante pecunia obtenturum si sub cardinalium judicio sibi agere liceret. Quod dominum papam non latnit : unde et hujusmodi petitioni minime acquiescere voluit, licet multum obnixe cardinales instarent, ut regis petitio effectum consequeretur. Willelmus namque Papiensis, qui unus erat ex majoribus cardinalibus, regi per omnia favebat cæterosque cardinales ut regi faverent induxerat, sed non gratis. Repulsi igitur ab spe impetrandi, regii legati celeriter regrediuntur. Nam episcopis, qui hac legatione fungebantur, non erat tutum archiepiscopum quem in proximo venturum audierant, in curia exspectare. Quarto deinde die venit Senonas archiepiscopus, convocatisque clericis suis, quisnam eorum causam ejus in præsentia domini papæ competentius posset explicare, cœpit inquirere. Et, quanvis essent inter eos decretorum legisque periti quamplures, et in perorando eloquentissimi et exercitatissimi, nullus tamen inventus est qui hoc negotium aggredi præsumeret. Timebant enim regem, scientes certissime cum latere non posse, quis eorum in curia pro archiepiscopo allegasset. In crastino vir sanctus, habens fiduciam in Domino, venit ad curiam tenens in manu chirographum illud, in quo regis consuetudines continebantur, quod eum apud Clarendonam in defensionem ecclesiasticæ libertatis de manu regis suscepisse prædiximus. Cumque in præsentiam domini papæ evnisset et ad pedes ejus se prostravisset, chartam

ipsam explicatam et expansam ante pedes ejus posuit, dicens : « Ecce, Pater sancte, consuetudines regis Anglorum, canonibus et decretis et etiam ipsorum terrenorum principum legibus adversæ, pro quibus exsilium sustinere cogimur ; ut eas sanctæ paternitati tuæ ostenderemus et consilium super eis haberemus, advenimus : Jubeat igitur, si placet, sanctitas tua eas legi et audiri. Quisquis enim ista audierit, mirum est si non tinniant ambæ aures ejus audiens a Christianis contra legem Christianitatis agi et damnatis sanctorum Patrum venerandis institutis novas et inauditas veterum tyrannorum præsumptas abusiones in Ecclesiam Dei introduci. » Hæc cum genibus flexis dixisset, jubente apostolico surrexit et stetit in medio circumstante eum turba clericorum suorum. Cumque ad præceptum domini papæ consuedines illæ legerentur, et qui legebat primum pronuntiasset capitulum, cœpit venerandus antistes contra propositum capitulum mirabiliter disserere, et regis in hoc intentionem plenius elucidare et detegere ; ostendens et convincens ex decretis et legibus, in quibus et quantis quod pronuntiatum fuerat, sanctorum Patrum canonibus obviaret, quantumque discrimen Ecclesiæ Dei immineret, si rex quod intendebat obtineret. Similiter fecit ad singula capitula domino papa eum libenter audiente et assertiones ejus diligenter per singula notante. Cardinales tamen, qui accepta a rege pecunia partes ejus fovebant, multam vexationem beato viro in sua causa præstiterunt, præcipue Willelmus Papiensis, qui præ cæteris regi erat amicior et familiarior ; hic enim beatum virum modis omnibus impedire satagens, ad singula insurgebat ; seque ei objiciebat multa proponens, et multa inquirens, quæ vir venerabilis sicut fila aranearum sine difficultate et hæsitatione vel solvebat vel convincebat. Putabat enim iste Willelmus quod archiepiscopus oratione uteretur aliena et non propria ; et quia si posset cum a tramite sui sermonis deflectere, continuo eum irrisioni et confusioni habendum. Sed et ipse intelligens Willelmum sibi ex directo obniti, aliquoties eum reciproco sermonis excursu ita suis intricavit et illaqueavit objectionibus ut omnibus manifestum fieret, quod non solum propriis uteretur viribus et disertitudine, verum quod insuperabilis esset ingenii et eloquentiæ. Cumque tam in expositione causæ suæ quam in contentione cum adversariis pars magna diei consumpta fuisset, erant enim sexdecim capitula consuetudinum illarum, ad quæ stando responderat, admirans tandem dominus papa ejus magnificentiam atque præstantiam, vocavit eum ad se, jubensque eum juxta se sedere, ait : « Bene veneris, frater charissime. » Cumque congaudens eum bene venisse sæpius repetisset, gratias ei agere cœpit, quod tantum onus tamque arduum negotium sibi assumpsisset, quod videlicet Ecclesiam Dei tam periculosis temporibus, contra tyrannorum assultus tueri præsumpsisset. Ipse quoque venerandus antistes cum debita humilitate et reverentia domino papæ multiplices gratias retulit, quod eum tanto honore dignatus fuerit. Tunc dominus papa consuetudines illas perpetuo damnavit, et observatores atque exactores earum æterno anathemati subdidit. Vir igitur Domini aliquanto tempore in curia demoratus tandem cum licentia et consilio domini papæ Pontiniacum se contulit, ibique per biennium ferme stetit. Pontiniacenses vero de adventu tanti hospitis supra modum gravisi sunt, gratias agentes ei quod ad eos declinasset, maxime autem domino papæ qui eos tanto hospite honorare dignatus fuerat : exinde in multo charitatis et devotionis fervore archiepiscopo et suis omnia necessaria tam in victu quam vestitu omni tempore quo apud eos mansit abundantissime procuraverunt. Ipse vero vir reverendissimus quam sancte, quam religiose se ibidem habuerit referre supersedemus, ne et fratribus nostris notum ingeramus et brevitatis metas excedamus. Illud tamen silentio prætereundum non est quod inter cætera sanctæ æmulationis studia etiam habitum monachilem ibidem concupivit et accepit. Misso autem ad dominum papam tunc temporis Senonis commorantem secretius nuntio et habitum religionis sibi ab eo fieri, benedici et transmitti postulavit et impetravit ; domino papa ita inter cætera rescribente : « Misimus tibi, frater dilecte, habitum, non qualem voluimus sed qualem habuimus. » Cognoscens vero rex Anglorum in quanto honore a domino papa venerandus pontifex susceptus fuisset et quod in Pontiniaco locum sibi mansionis delegisset, cum jam in ipsum desævire non posset, in suos inaudito crudelitatis genere debacchatus est. Præcepit namque ut ubicunque aliquis de cognatione ejus vir vel mulier inveniri potuisset, exhæreditatus et spoliatus bonis propriis a regno pelleretur, exacto prius ab eo sacramento quod Pontiniacum contristandi archiepiscopum gratia proficisceretur. Tunc expulsi sunt senes pariter et juvenes ad cognationem illius pertinentes, necnon et mulieres cum pueris et lactentibus in exsilium ire coactæ sunt. Reditus quoque archiepiscopales et totum archiepiscopatum rex propriis usibus addidit : constituto super negotia episcopatus quodam viro laico sceleratissimo, nomine Randulfo de Broc ; qui et ipse adversum virum Dei semper pro posse inimicitias exercuerat. Cum autem archiepiscopo hæc omnia innotuissent, in multa constantia magnanimiter accepit, parvipendens damna terrena, suorum exsilia, dummodo Ecclesia Dei quandoque pacem consequeretur. Igitur archiepiscopus lectioni et orationi cæterisque sanctæ conversationis studiis propensius insistens per biennium Pontiniaci quievit. Sed nec ibi eum diutius quietum manere regis Anglorum malignitas passa est. Excogitans namque callide qualiter etiam inde ejicere posset, misit quosdam abbates ordinis Cisterciensis ad generale capitulum ordinis improperans eis bona quæ ordini contulerat ; deinde eorum ingratitudinem exprobrans quod scilicet in contumeliam sui archiepiscopum sus epissent, et necessaria ei jam multo tempore minis-

trassent. Quo cognito, archiepiscopus præcavens ne A sui causa aliquod detrimentum ordo incurreret, ad regem Francorum Ludovicum qui eum multoties multis et instantissimis precibus ad se venire rogaverat, venit: Senonisque apud sanctam Columbam reliquum tempus exsilii sui rege omnia necessaria ministrante peregit. Igitur rex Anglorum, convocato concilio episcoporum et procerum apud Clarendonam, exegit ab eis sacramentum quod nullus eorum solatium aliquod archiepiscopo præstaret aut mandatum ei dirigeret, vel certe litteras ab eo missas susciperet. Addidit etiam ad sacramentum quod nullus litteras seu nuntios domini papæ susciperet, vel ad eum in aliquo negotio appellaret, sed ad regis præsentiam. Constituit quoque ne quis absque licentia ipsius et litteris transfretaret. Posuit etiam B ad singulos maris portus custodes qui neminem transire permitterent, et de transmarinis partibus venientes diligenter scrutarentur, ne quis litteras domini papæ vel archiepiscopi in regnum ejus inferret. Constituit præterea ut si quis cum litteris deprehensus fuisset, vetustæ quassatæque naviculæ impositus in altum pelagus duceretur ibique solus cum ipsa navicula sine remo fluctibus committeretur. Episcopis vero sacramentum modis quibus poterant præstare detractantibus, rex tandem multum diuque exoratus indulsit, ut verbo tantum promitterent, laici autem juraverunt: Tali calliditate usus est rex quoniam audierat quod dominus papa universos episcopos regni ad se vocare disposuisset. Clauso igitur regno iterum universos apud Londo- C nias rex adesse imperat; ubi cum convenissent cœpit rex agere de consecratione filii sui et cum murmurantibus episcopis et ad invicem colloquentibus et dicentibus illicitum hoc esse ut in absentia archiepiscopi tale quid præsumeretur, cum ad illius singularem dignitatem regis inunctionem pertinere nullus ambigeret, inventi sunt tres episcopi, Rogerius videlicet Eboracensis et Gilbertus Londoniensis atque Jocelinus Salesbiriensis, qui propter ejus absentiam minime differendum dicerent seque paratos esse ut in hoc voluntatem regis exsequerentur. Igitur rege dilationem non differente, consecratus et filius ejus memoratis tribus episcopis quæ ad celebritatem consecrationis pertinebant prosequentibus, cæteris nec subterfugere valentibus, nec manum apponere D volentibus. Exinde diversis modis agitata est causa Ecclesiæ Cantuariensis. Nec tamen ad effectum pacis venire potuit, licet rex Francorum Ludovicus, in pluribus colloquiis quæ interim cum rege Anglorum habuit multum institerit qualiter pax et concordia inter regem et archiepiscopum reformaretur; ipse etiam dominus papa mittens aliquoties legatos suos, regem ad pacem Ecclesiæ Dei paterna affectione et litteris provocabat et verbis; sed nihil proficiebat, intelligens quod nonnisi manu forti cum ipso agendum esset: scripsit ei tandem mandans et exhortans, rogans et præcipiens quatenus Ecclesiæ Cantuariensi, quæ jam multo tempore ex absentia pastoris laboraverat, pacem redderet et cum archiepiscopo concordiam faceret. Alias etiam litteras secretius misit posuitque in manu cujusdam episcoporum Franciæ in quibus de interdicto regni Anglorum expressa continebatur sententia, quatenus videlicet si rex contemneret admonitionem apostolicam, continuo regnum ejus interdicto supponeretur. Quod regem non latuit. Condixeruntque inter se reges colloquium de pace Ecclesiæ tractaturi. Occurrerunt autem ad colloquium fere omnes episcopi Franciæ et Normanniæ, maxime illi quibus pondus hujus negotii dominus papa specialiter imposuerat. Tandem igitur vix et post multa facta est pax inter regem et archiepiscopum rege omnes omnino querelas et jura ecclesiastica in libertate canonica dimittente. Verum tamen osculum pacis rex archiepiscopo porrigere recusavit. Dispositum est autem ut in crastino in celebratione missæ archiepiscopus a sacerdote pacem accipiens regi porrigeret; sed rex hujusmodi consilium callide illudens mox ut ingressus est ecclesiam præcepit ut pro defunctis missa ageretur in qua pacem minime dari sciebat. Hoc solum suspicioni patuit et argumento fuit, quod non in vero corde rex cum archiepiscopo pacem fecisset. Ipse vero archiepiscopus reversus Senonas cœpit disponere reditum suum ad propria misitque ante faciem suam Cantuariam magistrum Joannem Salesburiensem qui postea Carnotensis episcopus fuit ut synodum solemniter celebraret, et eos qui excommunicatis communicaverant injuncta pœnitentia absolveret. Igitur vir Domini primo die septimi anni exsilii sui egressus est de Senonensi urbe ad sedem propriam reversurus, accepto a rege Anglorum in conductu quodam clerico ejus nomine Joanne de Oxenofordia.

Cumque in finibus Flandriæ ad mare venisset in loco qui dicitur Witsand, cognovit ibi quod tres illi episcopi qui coronationem regis junioris sicut prædictum est sibi indebite usurpaverant, apud Doveram ei occurrissent ejusque ibi præstolarentur adventum; ipse vero citius accito puero nomine Osberno tradidit ei in manu litteras domini papæ præcipiens ut celeriter mari transito litteras ipsas tribus prædictis episcopis apud Doveram constitutis porrigeret. Quas cum episcopi accepissent et ex tenore earum se excommunicatos cognovissent, vehementer animo consternati reversi sunt; archiepiscopus vero paratis navigiis mare ingressus est prospereque navigans cum Angliæ appropinquasset, noluit apud Dorobierniam applicare ne forte excommunicati illi adhuc ibi essent quorum vitabat occursum; divertit autem ad alium portum qui dicitur Santwits qui locus suus erat proprius ibique applicuit. Tres vero proceres, Raynaldus scilicet de Garenna et Gervasius de Cornhilla et Randulfus de Broc, qui cum præfatis episcopis Doveram venerant, archiepiscopo apud Santwits occurrerunt habentes in proposito ut ei si forte in aliquo possent adversarentur. Conquesti sunt autem quasi ex parte regis quod clericos

Francigenas in regnum adduxisset, dicentes oportere eum fidejussores vel obsides pro eis dare ne quid forte mali in regno machinarentur. Ipse vero, quamvis eos responsione indignos reputaret, respondit tamen cum voluntate et licentia regis se eos adduxisse, nihilque ex iis quæ illi fieri exigebant se facturum. Spretis igitur verbis eorum et cavillationibus, profectus est Cantuariam. Processerunt autem ei obviam in lætitia et exsultatione monachi cum clero et populo universo, eumque gaudentes et Deum magnis vobis collaudantes in locum suum introduxerunt. Circa viginti vero dies ante nativitatem Domini Cantuariam ingressus est. Ipsisque diebus solito propensius orationi et eleemosynarum largitioni instabat, faciebat quoque justitiam iis qui iniquo oppressi fuerant judicio, personarumque acceptione prorsus postposita, nulli contra justitiam parcebat, sed in multa libertate spiritus juste quod justum erat prosequebatur. Clericos etiam regis qui laica auctoritate ecclesias occupaverant admonebat et eas pristinis possessoribus restituebat. Interim episcopi illi quos apostolica auctoritate apud Doroberniam excommunicatos paulo ante memoravimus, mare celeriter transeuntes regem adierunt prostratique pedibus ejus satis invidiosa et maligna relatione qualiter cum ipsis egerit Cantuariensis archiepiscopus insinuaverunt, asserentes non esse pacificum ingressum ejus in regnum; addentes etiam non tam eum fecisse ipsorum causa quam in contemptum regis. His auditis, rex furibundus in penetralia sua ingressus est circumstantibusque militibus et ministris ignaviam eorum vehementer eis cœpit improperare, quod scilicet illudi sibi a vilissimo clerico tanto jam tempore patienter tulissent. Erant autem inter astantes quatuor milites quorum hæc sunt nomina : Raynaldus filius Ursionis, Willelmus de Traci, Hugo de Maurevilla, et Richardus Brito, qui cognoscentes verbum regis ex multa animi indignatione prolatum credentesque quod quidquid de archiepiscopo fieret gratum ei foret, jam de animadversione in virum Dei cogitare cœperunt. Collocuti sunt igitur mutuo sicque pari consensu a curia, nemine sciente, recesserunt, iterque in Angliam cum magna festinatione direxerunt. Venientes autem in fines Cantuariæ congregaverunt turbam militum secum, dicentes regis esse voluntatem et præceptum ut archiepiscopus vel capiatur vel interficiatur. Milites vero veritatem ignorantes et regem timentes, simul cum eis Cantuariam profecti sunt; veneruntque illuc quinto die a nativitate Domini circa horam nonam cum jam archiepiscopus a mensa surrexisset ; quatuor autem milites qui cæteris ducatum præbebant, relictis aliis extra, venerunt ante palatium archiepiscopale ingressique aulam, servientes qui ad mensam ministraverant, adhuc comedentes repererunt. Videns autem eos et cognoscens quidam Willelmus filius Nigelli, occurrit eis, salutavitque eos et allocutus est ; qui cum audisset ab eis quod cum archiepiscopo

A loqui vellent, ingressus est cameram ubi archiepiscopus cum monachis et clericis suis colloquens sedebat, insinuans ei stare foras quatuor milites de familia regis, qui cum eo loqui desiderarent : et archiepiscopus : « Fac, inquit, eos venire ; » et statim iste Willelmus introduxit eos : cumque ingrederentur, vir Domini attentius loquebatur cum quodam monacho et non respexit eos : Ipsi vero nemini quidquam locuti directo gressu usque ante pedes viri Dei venerunt, ibique nec ipsi archiepiscopo aliquid sederunt dicentes. Ingressus fuerat cum eis quidam sagittarius nomine Randulfus, qui et ipse post eos in pavimento sedit. Expleto tandem vir Domini colloquio convertit se ad eos, et videns eos tacentes intentissime intuitus est eos. Tandem fertur eos salutasse. B Dicunt tamen quod non omnes, sed solum Willelmum de Traci expresso nomine salutaverit. Ipsi vero salutationem ejus non curantes, nec quidquam penitus respondentes, sese mutuo respexerunt; fertur tamen Raynaldus, filium Ursionis quasi ex contemptu dixisse : « Deus te adjuvet. » Vir autem Domini videns facies eorum alteratas ipsosque perseverantes in taciturnitate mirabatur in aspectu eorum. Tandem Raynaldus filius Ursionis irato vultu erupit in vocem, et ita locutus est : « Verba, inquit, mandat tibi rex per nos de partibus transmarinis ; dic utrum ea velis audire secretius an in omni audientia. » Et archiepiscopus : « Sicut, inquit, vultis. » — « Imo, ait Raynaldus, sicut tu vis. » Tunc præcipiente eo egressi sunt clerici extra domum in aliam cameram C nullusque suorum remansit præter ostiarium. Raynaldus itaque cœpit proponere quædam quasi mandata regis, sed statim in initio sermonis intelligens vir Domini quo tenderet et quid dicturus esset : « Verba, ait, ista non sunt occultanda. » Dixit ad ostiarium : « Dimitte ostium et revoca eos qui egressi sunt, neque enim debeo eos a consilio meo separare. » Dum autem solus esset in camera cum militibus, occasione solitudinis cogitaverunt eum interficere ; sed cum non haberent gladium nec aliud qui unde id perficerent, cum baculo crucis quæ ex more semper ante eum erat eum prosternere meditabantur. Hoc postea ipsis confitentibus ita fuisse innotuit. Regressis itaque clericis in cameram, cœpit iterum Raynaldus verbum proponere et dicere : « Mandat dominus rex se tecum D pacem bonam et plenam corde perfecto fecisse, te autem eam non bene servasse; nam per civitates suas et castella cum multitudine armatorum te transisse audivit : necnon et archiepiscopum Eboracensem cum episcopis qui in coronatione filii sui ei obsecuti sunt excommunicasse et alios plures de suis fideloribus de ecclesiis expulisse. Omnia ista non carent suspicione, quin potius manifestum est te filii sui coronam velle auferre, teque ei in omnibus et per omnia adversari. Scire igitur vult dominus noster rex utrum de his responsurus curiam illius ingredi velis. » Tunc archiepiscopus : « Habes, inquit, amplius aliquid dicere ? si habes dic : » — « Prius,

ait Raynaldus, audiemus responsum tuum. » — A « Non, inquit archiepiscopus, coronam filio regis auferre, vel honorem ipsius in aliquo deprimere volo ; sed potius regnum ejus et gloriam exaltare in omnibus desidero. Regnum vero ejus et Ecclesiam nostram cum licentia ipsius et conductu ingressus sum, nec debet mihi dominus rex inde calumniam præstruere, si homines Ecclesiæ nostræ honorem nobis debitum impedentes nos per aliquantulum itineris spatium comitati sunt; episcopos vero de quibus locutus es, non ego sed dominus papa excommunicavit, tuum quia quod suum non erat in coronatione filii regis usurpaverunt, tum quia post perpetratam præsumptionem ad satisfactionem vocati venire contempserint. Verumtamen si aliquo excessi, in curia domini regis vel ubicunque ei placuerit quod justum fuerit exsequi paratus sum. » Imo, ait Raynaldus, per te excommunicati sunt episcopi, et idcirco vult et mandat dominus rex, ut tu eos celeriter absolvas. « Non nego, inquit vir sanctus, per me id factum, sed non a me tamen. Unde nisi prius dominum papam qui sententiam dedit cum debita humilitate et satisfactione adierint, per me minime absolvi poterunt. » Tunc Raynaldus cum furore ait : « Mandat igitur rex quatenus de terra sua celeriter et sine mora exeas cum clericis tuis alienigenis et omnibus ad te pertinentibus ; ne unus quidem remaneat, quoniam de cætero nec teipsum tueri poteris. » Ad hæc archiepiscopus : « Nunquam, ait, ab hac hora et deinceps inter Ecclesiam meam et me mare interveniet, nisi per pedes illius tractus fuero ; neque enim ut fugerem veni, semper hic me invenire poteritis ; vos quoque talia mihi ex parte regis dicere non debuistis : cognosco enim ego prudentiam et modestiam illius quod ista mihi non mandaret. » Responderunt omnes una voce asserentes quod rex ita mandasset : « Item, ait vir sanctus, possem ego et deberem juste conqueri de hominibus regis qui multas mihi dehonestationes et gravamina postquam ingressus sum sedem meam intulerunt. Nam inter cætera homines meos percusserunt, summarium meum abscisa cauda dehonestaverunt; dolia quoque cum vino quod rex ipse mihi contulerat et huc advehi fecerat violenter rapuerunt. » Ad hæc Hugo de Maurevilla : « Si homines, inquit, regis erga te vel tuos in aliquo excesserunt, quare non hoc prius intimatum est regi, et non tu propria auctoritate in eos vindicasses, eosque excommunicasses ? » Et vir sanctus ad eum : » Hugo, inquit, quam erecto capite incedis ! Si quis in aliquo jura ecclesiastica temeraverit, et satisfacere contempserit, nullius exspectata licentia justitiam faciam. » Ad hæc Raynaldus : « Nimis, inquit, magnæ sunt minæ istæ. » His dictis, exsilientes cum impetu milites surrexerunt et stèterunt ante virum Dei, dixitque Raynaldus : « Thoma, ex parte regis te diffiducio. » Id ipsum et cæteri milites una voce conclamaverunt. Tunc dixit eis vir sanctus : « Scio quia ad me occidendum venistis, sed Deum facio clypeum meum. » Percutiensque manu sua crebro cervicem propriam : « Hic, ait, hic me invenietis. » Tunc egressi sunt milites archiepiscopo vehementer comminantes, et præcipientes ex parte regis ut diligenter servaretur ne forte effugeret. Ministris etiam quos in aula repererunt, ex nomine regis terribiliter comminati sunt dicentes quia quisquis cum archiepiscopo remaneret regis inimicus et morte dignus haberetur. Audiens autem vir sanctus minas eorum, surrexit et usque ad ostium cameræ secutus est eos, comminantique sibi militi dixit : « Quid dicis ? dic, dic. » Illi vero non attendentes verbum illius pertransierunt, Reversus itaque vir sanctus ad suos, sedit supra lectum suum. Cui Joannes Saresbiriensis : B « Hæc, inquit, consuetudo tua semper fuit et est, ut quod tibi soli videtur illud semper et dicas et facias. » Et vir sanctus ad eum : « Quid vis, ait, domine Joannes ? » et Joannes : « Consilium, inquit, tuum debuisses vocasse, sciens certissime quod milites isti nihil aliud quærant adversum te, nisi tantum occasionem ut te morti tradant. » Cui vir sanctus : « Omnes, inquit, mori habemus, nec timore mortis a justitia flecti debemus : paratior sum pro Deo et justitia Ecclesiæque Dei libertate ad mortem excipiendam, quam illi ad inferendam. » — « Nos, inquit Joannes, peccatores sumus et nondum ad mortem parati, neminemque video qui gratis mori velit præter te. » Et ille inquit : » Domini voluntas fiat. » Interim egressi milites armi se munierunt inermem C aggressuri. Cæteri enim milites, qui foris exspectaverant, dum illi cum viro Dei loquerentur, sub tunicis suis loricati venerant. Quod cum nuntiatum fuisset ei dixerunt monachi ad eum : « Domine, veni in ecclesiam, nam homines isti vel ad captionem vel ad interfectionem tuam se præparant. » Et ille ait : « Non timeo eos : hic exspectabo quidquid Deo placuerit. » Milites vero jam parati cum terrore et strepitu ad januas aulæ accesserunt, quas obseratas reperientes nulla vi, quanquam id totis nixibus tentaverunt effringere potuerunt. Erat autem cum eis quidam Robertus de Broco qui omnes aditus et diverticula domus noverat : qui ait ad eos : « Sequimini me, introducam enim vos alia via. » Eo igitur ducente venerunt per pomarium et usque ad cameD ram pervenerunt. Sed cum nec ibi ingressum invenirent, ascendit prædictus Robertus per deambulatorium, quod ibi de veteri tunc renovabatur, ut aperiret ostia ; quos adesse sentientes qui intus cum viro Dei erant, omnes fugerunt præter aliquot monachos et unum clericum cui nomen magister Edwardus. Hi apprehendentes venerabilem virum, adhuc enim sedebat, cœperunt eum reluctantem et renitentem atque contradicentem inter manus suas ad ecclesiam portare. Circumspicientes autem viderunt curiam plenam armatis et pomarium viasque quibus ad ecclesiam pergebatur, præoccupatas militibus et obstupuerunt. Tunc diverterunt ad aliud ostium secretius quod multo tempore clausum et

obseratum nulli transitum præbuerat. Præcucurrit autem unus ex monachis volens tentare si forte seram viribus effringere posset, sed mox ut eam tetigit, divino nutu, mirante ipso et omnibus qui aderant, ita in manus ejus collapsa est ac si ostio minime adhæsisset. Tunc monachus: « Apprehendite, inquit, eum et apportate. » Qui accipientes eum cœperunt portare nec dimiserunt donec in ecclesiam eum introduxerint. Substiterunt tamen antequam in ecclesiam venirent; bis in claustro, et semel in capitulo. Nam ipse irascens eis reluctabatur et elabebatur de manibus eorum molens se portari ab eis. Ingresso igitur viro Dei in ecclesiam, respicientes monachi viderunt milites jam ingredi claustrum: clauserunt contra eos januas ecclesiæ; videns autem vir Dei claudi januas dixit: « « Per sanctam obedientiam præcipio ut sine mora aperiantur: non enim debemus facere castellum de domo Dei. » Iterum arripuerunt monachi virum Dei, et cœperunt eum per gradus in chorum deducere. Quibus ipse ait: « Dimittite me, et recedite: nihil hic habetis facere: permittite Deum secundum voluntatem suam disponere de meo negotio. » Interim venerunt milites in ecclesiam terribiliter clamantes et vociferantes: « Ubi est Thomas proditor regis? » Vir autem Domini ad ista nihil respondit. Clamaverunt igitur iterum et dixerunt: « Ubi est archiepiscopus? » Tunc vir sanctus: « Et sacerdos, inquit, et archiepiscopus sum: et si me quæritis, ecce invenistis. » Hæc dicens descendit obviam eis de gradibus quos ascenderat, divertensque in partem ecclesiæ aquilonarem, ibi ad murum prope altare beati Benedicti substitit. Accedentes igitur ad eum quatuor milites memorati, et quidam clericus quem secum adduxerant cui nomen Hugo Malus clericus: dixerunt ei: « Absolve celeriter episcopus regis, quos excommunicasti. » Quibus ille: « Non faciam, inquit, aliud nisi quod jam dixi et feci. » Tunc cœperunt ei minari mortem. Quibus ille respondit: « Minas vestras non timeo, nam mori pro Deo paratus sum; verumtamen homines meos dimittite neque contingatis eos. » Injecerunt igitur manus in eum, cœperuntque eum fortiter trahere, nitentes eum imponere humeris Willelmi et de ecclesia ejicere. Sec vir sanctus firmiter stabat in gradu suo nec loco moveri potuit, magister namque Edwardus, qui solus ex omnibus suis cum eo remanserat, validissime eum contra eos retinebat. Cumque Rainaldus filius Ursionis qui primus injecerat manus in eum, vehementius instaret, excutiens se vir Dei impegit eum a se: ita quod fere corruit super pavimentum, dicens illi: « Recede hinc, homo meus es: contingere me non debes. » Et Raynaldus ait: « Nec fidem nec hominium tibi debeo, contra fidelitatem regis. » Videns igitur Raynaldus quod a loco moveri non posset, timensque ne a populo qui ad audiendas vesperas convenerat eriperetur, evaginato gladio jam percussurus appropinquavit. Videns vero vir sanctus martyrium suum imminere jamque cominus stare percussorem: junctis manibus, operuit oculos suos caputque inclinans percussori dedit. « Deo et beato Dionysio sanctoque Elfego me commendo! » hæc cum dixisset, accessit Raynaldus et percussit eum ex obliquo fortiter in capite amputavitque summitatem coronæ ejus pileumque dejecit. Lapsus est ensis supra lævam scapulam, inciditque omnia vestimenta illius usque ad nudum, Magister vero Edwardus qui juxta virum Dei stabat, videns ictum imminere, jecit brachium econtra quasi eum protecturus, quod fere penitus abscissum est. Tunc accessit Willelmus de Traci, grandique ictu percussit in capite, qui tamen adhuc minime cecidit. Item percussit idem Willelmus enixius, et ad illum ictum corruit vir sanctus pronus in pavimento. Richardus vero Brito jam in pavimento prostratum percussit, fregitque ensem suum per medium ad lapidem oppositum. Dum hæc agantur Hugo de Maurevillo in abigendo populo qui imminebat occupatus erat, et ita contigit quod manu sua non percussit eum. Hugo vero Malus clericus omnium hominum sceleratissimus accedens ad jacentem posuit pedem supra collum ejus, gladiumque defigens in capite spargebat cerebrum ejus supra pavimentum, clamans et dicens: « Eamus, mortuus est enim proditor. » His igitur gestis, egrediuntur milites de ecclesia per viam qua venerant, gladios habentes in manibus et vociferantes; « Regales, regales. » Dimiserant autem interim in camera archiepiscopali Robertum de Broco, et quosdam alios ad custodiam rerum quæ ibi erant. Quo iterum reversi, statim fregerunt arca et scrinia, accipientes aurum et argentum et vestes et libros, etiam privilegia et universa quæ ibi reperta sunt: diripuerunt quoque etiam equos omnes et universa omnino quæ in domibus archiepiscopalibus usui apta invenire potuerunt. Monachi vero emissa multitudine populi de ecclesia clauserunt ostia: colligentesque super pavimentum fusum sanguinem et cerebrum novi martyris reposuerunt in vasa. Tulerunt quoque corpus sanctissimum et exposuerunt ante majus altare ubi et pernoctavit, circumsedentibus monachis in magna tristitia et mœrore: subposuerunt autem et vasa ad susceptionem sanguinis defluentis: non ignorantes pretiosissimum esse martyris sanguinem qui pro Dei amore et Ecclesiæ libertate fusus fuerat. Mane facto, venit quidam ostiarius regis Robertus scilicet de Broco, missus a Randulpho de Broco qui convocatis monachis dixit: « Terra vacuata est a proditore, qui sicut vivus ita etiam et mortuus meruisset inhoneste tractari. Nunc igitur tollite eum de medio, et projicite in locum ubi nesciatur, alioquin noveritis eum vilissime per pedes extrahendum et per frusta discerptum porcis et canibus projiciendum. » Timentes igitur monachi acceperunt corpus sanctum et exuerunt illud vestimentis suis. Cumque vestimenta illa, quæ usus necessarius exigere videbatur, sustulissent: invenerunt subtus habitum monachi, id est cucullam, et sub cuculla ad carnem cilicium asperrimum, demum etiam sub femoralibus lineis femoralia cilicina nihilominus as-

perrima. Ipsa quoque vestimenta ita arte quadam et A nodis aptata erant ut facile possent exui et indui propter disciplinam. Crebro siquidem flagellabatur; ipsa etiam die qua passus est, tertio flagellatus asseritur. Passus est autem ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo primo, quinto die a nativitate Domini, feria vero tertia. Dicendum etiam quod feria tertia natus est et baptizatus idem vir beatissimus ; feria tertia de Northamptona fugit, feria tertia mare transiit, feria tertia nihilominus in reditu suo transfretavit, et feria tertia sicut prædictum est martyrio coronatus occubuit. Porro monachi videntes virum beatissimum omnia sanctitatis et religionis insignia in occultis suis habentem inæstimabiliter gavisi sunt, et admirantes dicebant mutuo : « Ecce vere monachum et vere eremitam ; ecce vere martyrem, qui non solum in morte sed et in vita tormenta passus est. « De dolore igitur quem de morte illius conceperant, inenarrabiliter consolati gaudentes et exsultantes in Domino securique de patrociniis ejus eum cum maxima honore et alacri devotione in crypta abditissima sepelierunt. Ubi crebra et imnumera sanitatum et miraculorum beneficia per ipsius merita fidelibus conferuntur. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu regnat sancto in sæcula. Amen.

SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS,

VITA TERTIA

AUCTORE WILLELMO FILIO STEPHANI (1)

PROLOGUS

Ad Dei omnipotentis gloriam, et perpetuam beati B Thomæ memoriam, et ad omnium legentium vel audientium profectum et ædificationem, ipsius boni archipræsulis et martyris Thomæ vitam et passionem, ego Willelmus, filius Stephani, scribere curavi : ejusdem domini mei concivis clericus et convictor ; et ad partem sollicitudinis ejus oris ipsius invitatus alloquio, fui in cancellaria ejus dictator ; in capella, eo celebrante, subdiaconus ; sedente eo ad cognitionem causarum, epistolarum et instrumentorum quæ offerebantur, lector ; et aliquarum, eo quandoque jubente, causarum patronus : concilio Northamtoniæ habito, ubi maximum fuit rerum momentum, cum ipso interfui ; passionem ejus Cantuariæ inspexi ; cætera plurima, quæ hic scribuntur, oculis vidi, auribus audivi, quædam a consciis didici relatoribus.

Plato rem publicam oratione formavit ; situm Africæ in historia sua Sallustius descripsit, occasione Pænorum Romanis rebellium, et Romanorum ad eos subjugandos sæpius transmissorum ; et ego situm et rem publicam Londoniæ occasione beati Thomæ.

(1) Libellis Ed. Grim et Rogeri Pont. e mss. Paris. et Lond. transcriptis et nunc primum vulgatis, nihil nec notarum nec variantium hic adjiciam. At Will. fil. Stephani textum, editum olim a Sparkio, totum contuli cum cod. ms. qui in biblioth. Bodl. [Douce sub n. 287] servatur : et pleraque quæ in eo codice habentur, in codice Sparkii omissa, ut suspectæ auctoritatis uncinis inclusi. Codex Doucianus C in initio imperfectus est, scilicet ubi occurit famosa ista urbis Londoniensis descriptio ; quocirca usus sum editione istius tractatuli, quæ in Lelandi Itinerario impressa est. Præter ea quæ codex Doucianus indubie meliora habet, pauca sunt quæ ne pereant, imo ne meo judicio nimis fidere cogantur lectores, textui subjeci.

DESCRIPTIO

NOBILISSIMÆ CIVITATIS LONDONIÆ

Inter nobiles orbis urbes [quas fama celebrat, civitas Londoniæ, regni Anglorum sedes, una est,

quæ famam sui latius diffundit, opes et merces longius transmittit, caput altius extollit. Felix est aeris salubritate, Christiana religione, firmitate munitionum, natura situs, honore civium, pudicitia matronali, ludis etiam quam jucunda et nobilium est fecunda virorum : quæ singula semotim libet inspicere.

Ibi siquidem emollit animos hominum clementia cœli, non ut sint in Venerem putres, sed ne feri sint et bestiales, potius benigni et liberales.

Est ibi in ecclesia Beati Pauli episcopalis sedes : quondam fuit metropolitana, et adhuc futura creditur, si remeaverint cives in insulam : nisi forte beati Thomæ martyris titulus archiepiscopalis, et præsentia corporalis, dignitatem illam Cantuariæ, ubi nunc est, conservet perpetuam : sed cum utramque harum urbium sanctus Thomas illustraverit, Londoniam ortu, Cantuariam occasu ; ipsius sancti intuitu, cum justitiæ accessu, habet altera adversus alteram, quod amplius alleget. Sunt etiam, quod ad Christianæ fidei cultum pertinet, tum in Londonia tum in suburbio, tredecim majores ecclesiæ conventuum, præter minores parochianas centum viginti sex.

Habet ab oriente arcem palatinam, maximam et fortissimam, cujus et area et muri a fundamento profundissimo exsurgunt; cæmento cum sanguine animalium temperato : ab occidente duo castella munitissima ; muro urbis alto et magno, duplatis heptapylæ portis, intercontinuante, turrito ab aquilone per intercapedines. Similiterque ab austro Londonia murata et turrita fuit ; sed fluvius maximus piscosus, Thamesis, mari influo refluoque, qui illac allabitur, mœnia illa tractu temporis abluit, labefactavit, dejecit. Item sursum ab occidente palatium regium eminet super fluvium eumdem, ædificium incomparabile, cum antemurali et propugnaculis, duobus millibus ab urbe, suburbio frequenti continuante.

Undique extra domos suburbanorum horti civium arboribus consisti, spatiosi et speciosi, contigui habentur.

Item a borea sunt agri, pascuæ, et pratorum grata planities, aquis fluvialibus interfluis ; ad quas molinorum versatiles rotæ citantur cum murmure jocoso. Proxime patet ingens foresta, saltus nemorosi, ferarum latebræ, cervorum, damarum, aprorum, et taurorum sylvestrium. Agri urbis sationales non sunt jejunæ glareæ, sed pingues Asiæ campi,

Qui faciant lætas segetes,

et suorum cultorum repleant horrea

Cerealis mergite culmi.

Sunt etiam circa Londoniam ab aquilone suburbani fontes præcipui, aqua dulci, salubri, perspicua, et per claros rivo trepidante lapillos : inter quos Fons Sacer, Fons Clericorum, Fons sancti Clementis nominationes habentur ; et adeuntur celebriore accessu et majore frequentia scholarium et urbanæ juventutis in serotinis æstivis ad auram exeuntis. Urbs sane bona, si bonum habeat dominum.

Urbs ista viris est honorata, armis decorata, multo habitatore populosa ; ut tempore bellicæ cladis, jubente rege Stephano, bello apti ex ea exeuntes ostentui haberentur, et viginti millia armatorum equitum, sexaginta millia peditum æstimarentur. Cives Londoniæ ubicunque locorum præ omnibus aliis civibus ornatu morum, vestium et mensæ lautioris spectabiles et noti habentur. Habitatores aliarum urbium cives, hujus barones dicuntur. Eis est finis omnis controversiæ sacramentum.

Urbis matronæ ipsæ Sabinæ sunt.

In Londonia tres principales ecclesiæ scholas célebres habent de privilegio et antiqua dignitate. Plerumque tamen favore personali alicujus notorum secundum philosophiam plures ibi scholæ admittuntur. Diebus festis ad ecclesias festivas magistri conventus celebrant. Disputant scholares, quidam demonstrative, dialectice alii ; hi rotant enthymemata, hi perfectis melius utuntur syllogismis. Quidam ad ostentationem exercentur disputatione, quæ est inter colluctantes ; alii ad veritatem, ea quæ est perfectionis gratia. Sophistæ simulatores agmine et inundatione verborum beati judicantur ; alii paralogizant. Oratores aliqui quandoque orationibus rhetoricis aliquid dicunt apposite ad persuadendum, curantes artis præcepta servare, et ex contingentibus nihil omittere. Pueri diversarum scholarum versibus inter se conrixantur ; aut de principiis artis grammaticæ, vel regulis præteritorum vel supinorum, contendunt. Sunt alii qui in epigrammatibus, rhythmis et metris, utuntur vetere illa triviali dicacitate; licentia Fescennina socios, suppressis nominibus, liberius lacerant; lœdorias jaculantur et scommata; salibus Socraticis sociorum, vel forte majorum, vitia tangunt ; vel mordacius dente rodunt Theonino audacibus dithyrambis. Auditores,

Multum ridere parati,

Indeminant tremulos naso crispante cachinnos.

DE DISPOSITIONE URBIS.

Singulorum officiorum exercitores, singularum rerum venditores, singularum operarum suarum locatores, quotidiano mane per se sunt locis distinctiomnes, ut officiis. Præterea est in Londonia supra ripam fluminis, inter vina in navibus et cellis vinariis venalia, publica coquina. Ibi quotidie pro tempore est invenire cibaria, fercula, assa, pista, frixa, elixa, pisces, pisciculos, carnes grossiores pauperibus, delicatiores divitibus, venationum, avium, avicularum. Si subito veniant ad aliquem civium amici fatigati ex itinere, nec libeat jejunis exspectare, ut novi cibi emantur et coquantur,

Dant famuli manibus lymphas, panesque canistris.

Interim ad ripam curritur, ibi præsto sunt omnia desiderabilia. Quantalibet militum vel peregrinorum infinitas intrari turbem, qualibet diei vel noctis hora, vel ab urbe exitura, ne vel hi nimium jejunent,

vel alii impransi exeant; illuc, si placeat, divertunt, et se pro modo suo singuli reficiunt. Qui se curare volunt molliter, acipenserem, vel Afram avem, vel attagenem Ionicum non quærant, appositis, quæ ibi inveniuntur, deliciis. Hæc equidem publica coquina est, et civitati plurimum expediens, et ad civitatem pertinens. Hinc est quod legitur in Gorgia Platonis, juxta medicinam esse cocorum officium, simulacrum et adulationem, quartæ perticulæ civilitatis. Est ibi extra unam portarum statim in suburbio quidam planus campus re et nomine. Omni sexta feria, nisi sit major festivitas præceptæ solemnitatis, est ibidem celebre spectaculum nobilium equorum venalium: spectaturi vel empturi veniunt, qui in urbe adsunt, comites, barones, milites, cives plurimi, Juvat videre gradarios succussatura nitente suaviter ambulantes; pedibus lateraliter simul erectis, quasi a subalternis et demissis: hinc equos, qui armigeris magis conveniunt, durius incedentes, sed expedite tamen, qui quasi a contradictoriis pedes simul elevant et deponunt: hinc nobiles pullos juniores, qui mondum freno assueti.

Altius incedunt, et mollia crura reponunt.

Hinc summarios membris validis et vegetis: hinc dextrarios pretiosos, elegantis formæ, staturæ honestæ, micantes auribus, cervicibus arduis, clunibus obesis. In horum incessu spectant emptores, primo passum suaviorem, postea motum citatiorem, qui est quasi a contrariis pedibus anterioribus simul solo amotis et admotis, et posterioribus similiter. Cum talium sonipedum cursus imminet, et aliorum forte, qui similiter sunt in genere suo ad vecturam validi, ad cursuram vegeti, clamor attollitur, vulgares equos in partem ire præcipitur: sessores alipedum pueri tres simul, aliquando bini ex condicto, et bini certamini se præparant, docti equis imperitare, indomitorum lupatis temperant fremis ora: hoc maxime præcavent, ne alter alteri cursum præripiat. Equi similiter pro modo suo ad certamen cursus illius attollunt; tremunt artus, moræ impatientes, stare loco nesciunt; facto signo, membra extendunt, cursum rapiunt, agilitate pervicaci feruntur. Certant sessores laudis amore, et spe victoriæ, equis admissis subdere calcaria, et nec minus eos urgere virgis, et ciere clamoribus. Putares omnia in motu esse, secundum Heraclitum, et falsam omnino Zenonis sententiam, dicentis, quoniam non contingit moveri, neque stadium pertransire. Parte alia stant seorsim rusticorum peculia, agrorum instrumenta, sues longis lateribus, vaccæ distentis uberibus.

Corpora magna boum, lanigerumque pecus.

Stant ibi aptæ aratris, trahis, et bigis equæ: quarumdam ventres fetibus protument; alias editi fetus obeunt, pulli lasciviores, sequela inseparabilis. Ad

A hanc urbem, ex omni natione quæ sub cœlo est, navalia gaudent institores habere commercia.

Aurum mittit Arabs; species et thura Sabæus;
Arma Scythes; oleum palmarum divite silva
Pingue solum Babylon; Nilus lapides pretiosos;
Seres purpureas vestes; Galli sua vina;
Norwegi, Russi, varium, grysium, sabelinas,

Urbe Roma, secundum chronicorum fidem, satis antiquior est. Ab eisdem quippe patribus Trojanis hæc prius a Bruto condita est, quam illa a Remo et Romulo: unde et adhuc antiquis eisdem utuntur legibus, communibus institutis. Hæc etiam similiter illi regionibus est distincta; habet annuos pro consulibus vicecomites; habet senatoriam dignitatem, et magistratus minores; eluvies et aquæductus in

B vicis; ad genera causarum deliberativæ, demonstrativæ, judicialis, loca sua, fora singula; habet sua diebus statuis comitia (2). Non puto urbem esse, in qua sint probabiliores consuetudines, in ecclesiis visitandis, ordinatis Dei honorandis, festis feriandis, eleemosynis dandis, in hospitibus suscipiendis, in desponsationibus firmandis, matrimoniis contrahendis, nuptiis celebrandis, conviviis ornandis, convivis hilarandis, etiam in exsequiis curandis et cadaveribus humandis. Solæ pestes Londoniæ sunt immodica stultorum potatio, et frequens incendium. Ad hæc omnes fere episcopi, abbates, et magnates Angliæ, quasi cives et municipes sunt urbis Londoniæ; sua ibi habentes ædificia præclara, ubi se recipiunt, ubi divites impensas faciunt, ad concilia, ad con-

C ventus celebres in urbem evocati, a domino rege, vel metropolitano suo, seu propriis tracti negotiis.

DE LUDIS.

Amplius et ad ludos urbis veniamus, quoniam non expedit utilem tantum et seriam urbem esse, nisi dulcis etiam sit et jucunda: unde et in sigillis summorum pontificum, usque ad tempora ultimi Leonis papæ, ex alia parte bullæ, sculptor per impressionem piscatore Petro, et supra eum clave, quasi manu Dei de cœlis ei porrecta, et circa eum versu,

Tu pro me navem liquisti, suscipe clavem.

Ex altera parte impressa erat urbs, et scriptura ista, Aurea Roma. Item ad laudem Augusti Cæsaris et Romæ, dictum est.

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:
D *Divisum imperium cum Jove, Cæsar, habes.*

Londonia pro spectaculis theatralibus, pro ludis scenicis, ludos habet sanctiores, repræsentationes miraculorum, quæ sancti confessores operati sunt, seu repræsentationes passionum, quibus claruit constantia martyrum. Præterea quotannis, die quæ dicitur Carnilevaria, ut a puerorum Londoniæ ludis incipiamus; omnes enim pueri fuimus; schlolarum singuli pueri suos apportant magistro suo gallos gallinaceos pugnaces, et totum illud antemeridianum datur ludo puerorum vacantium spectare in scholis suorum pugnas gallorum. Post prandium vadit in suburbanam planitiem omnis juventus urbis ad lu-

(2) *Commercia*, cod. Douc.

cum pilæ celebrem. Singulorum studiorum scholares suam habent pilam; singulorum officiorum urbis exercitores suam fere singuli. Majores natu, patres, et divites urbis, in equis spectatum veniunt certamina juniorum, et modo sua juvenantur cum juvenibus; et excitari videtur in eis motus caloris naturalis, contemplatione tanti motus et participatione gaudiorum adolescentiæ liberioris. Singulis diebus Dominicis in quadragesima, post prandia exit in campos « juvenum recens examen » in equis bellicosis, in equis certamine primis; quorum quisque

Aptus et in gyros currere doctus equus

Erumpunt a portis catervatim filii civium laici, instructi lanceis et scutis militaribus: juniores hastilibus, ferro dempto, præfurcatis, simulacra belli-cient, campestria prælia ludunt, et agonisticam exercent militarem. Adveniunt et plurimi aulici, rege in vicino posito, et de familiis episcoporum, consulum, et baronum ephebi; nondum cingulo donati militiæ, gratia concertandi. Accendit singulos spes victoriæ; equi feri adhinniunt, tremunt artus, frenos mandunt; impatientes, moræ stare loco nesciunt; cum tandem sonipedum rapit ungula cursum, sessores adolescentes, divisi agminibus, hi præcedentibus instant, nec assequuntur; hi socios consequuntur, dejiciunt et prætervolant. In feriis paschalibus ludunt quasi prælia navalia: in arbore siquidem mediamna scuto fortiter innexo, navicula, multo remo et raptu fluminis cita, celsa in puppi stantem habet juvenem scutum illud lancea percussurum; qui si scuto illi lanceam illidens frangat eam, et immotus persistat, habet propositum, voti compos; si vero lancea integra fortiter percusserit, in profluentum amnem dejicitur: navis motu suo acta præterit. Sunt tamen hinc inde secus scutum duæ naves stationariæ, et in eis juvenes plurimi, ut eripiant percussorum flumine absorptum, cum primo emersus comparet, vel summa rursus cum bullit in unda. Supra pontem, et in solariis supra fluvium, sunt qui talia spectent, multum ridere parati. In festis tota æstate juvenes ludentes exercentur, arcu, cursu, saltu, lucta, jactu lapidum, amentatis missilibus ultra metam expediendis, parmis duellionum. Puellarum cithara choros ducit usque imminente luna, et pede libero pulsatur tellus. In hieme singulis fere festis ante prandium, vel apri spumantes pugnant pro capitibus, et verres fulmineis accinti dentibus addendi succidiæ, vel pingues tauri cornupetæ, seu ursi immanes, cum objectis depugnant canibus. Cum est congelata palus illa magna, quæ mœnia urbis aquilonalia alluit, exeunt lusum super glaciem densæ juvenum turmæ: hi ex cursu motu captato citatiore, distantia pedum composita, magnum spatium latere altero prætenso perlabuntur. Alii quasi magnos lapides morales de glacie sedes sibi faciunt; A sessorem unum trahunt plurimi præcurrentes, manibus se tenentes. In tanta citatione lubrici motus aliquando pedibus lapsi cadunt omnes proni. Sunt alii super glaciem ludere, doctiores, singuli pedibus suis aptantes, et sub talaribus suis alligantes ossa, tibias scilicet animalium et palos ferro acuto supposito tenentes in manibus; quos cum aliquando glaciei allidunt, tanta rapacitate feruntur, quanta avis volans, vel pilum balistæ. Interdum autem magna procul distantia, ex condicto, duo aliqui ita ab oppositis veniunt; concurritur; palos erigunt; se invicem percutiunt; vel alter vel ambo cadunt, non sine læsione corporali; cum post casum etiam vi motus feruntur ab invicem procul; et qua parte glacies caput excipit, totum radit, totum decorticat, B Plerumque tibia cadentis, vel brachium, si super illud ceciderit, confringitur; sed ætas avida gloriæ, juventus cupida victoriæ; ut in veris præliis fortius se habeat, ita in simulatis exercetur. Plurimi civium delectantur, ludentes in avibus cœli, nisis, accipitribus et hujusmodi, et in canibus militantibus in silvis. Habentque cives suum jus venandi, in Middelsexia, Hertfordsira, et tota Chiltra, et in Cantia usque ad aquam Crayæ. Londonienses, tunc Trinovantes dicti, Caium Julium Cæsarem qui nullas nisis sanguine fuso vias habere gaudebat, repulerunt. Unde Lucanus:

Territa quæsitis ostendit terga Britannis.

Civitas Londonia peperit aliquot, qui regna plurima, et Romanum sibi subdiderunt imperium; et C plurimos alios, quos mundi dominos virtus evexit ad deos, ut fuerat in Apollinis oraculo Bruto promissum:

Brute, sub occasu solis, trans Gallica regna,
Insula in oceano est undique clausa mari;
Hanc pete, namque tibi sedes erit illa perennis
Hic fiet natis altera Troja tuis.
Hic de stirpe tua reges nascentur; et ipsis
Totius terræ subditus orbis erit.

Et temporibus Christianis nobilem illum edidit imperatorem Constantinum, Helenæ reginæ filium, qui urbem Romam, et imperialia insignia omnia Deo donavit, et beato Petro, et Sylvestro papæ Romano, cui et statoris exhibuit officium, et se non amplius imperatorem, sed sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensorem gavisus est vocari; et ne pax domini papæ, D occasione præsentiæ ejus, sæcularis strepitus tumultu concuteretur, ipse ab urbe domino papæ collata omnino discessit, et sibi civitatem Byzantium ædificavit. Londonia, et modernis temporibus, reges illustres magnificosque peperit, imperatricem Matildem, Henricum regem tertium, et beatum Thomam archiepiscopum, martyrem Christi gloriosum.

... Quali non candidiorem
Terra tulit, nec quo fuerit devinctior alter

omnibus bonis totius orbis Latini.

VITA ET PASSIO SANCTI THOMÆ

ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

EDITA A MAGISTRO WILLELMO FILIO STEPHANI.

Beatum Thomam, antequam exiret de ventre, novit Dominus et prædestinavit; et qualis quantusque futurus esset, matri per revelationem declaravit. Siquidem illa prægnans adhuc vidit per somnium, quod archiepiscopalem Ecclesiam Cantuariensem totam in utero haberet: eumque in lucem editum obstetrix in manibus tollens, ait: Archiepiscopum quemdam a terra elevavi » Dum in cunis jaceret infantulus, una nocte visum et matri suæ, quod nutricem alloqueretur, questa quod puer coopertorium non haberet: cui nutrix: « Imo, domina, optimum habet. » Cui illa: « Ostende mihi. » Nutrix illud afferens et ostendens, et totum explicare volens, nec valens, ait: « Tantum est, quod non possum in hoc thalamo totum evolvere. » Cui mater: « Intra in aulam, et ibi explica. » Nutrix hoc facere elaborans, ait: « Sed nec hic queo totum explicare: » Mater mirata, ait: « Exi a domo in plateam fori modo vacantis, ibi nimirum poteris. » Sed nec ibi nutrix potuit, et dixit: « Tantum est coopertorium, quod finem ejus nequeo invenire; videtur operire totam Angliam explicationi ejus angustam, et ultra extenditur. »

Igitur Thomas natus est ex legitimo matrimonio, et honestis parentibus; patre Gilberto, qui et vicecomes aliquando Londoniæ (3) fuit; matre Matilda; civibus Londoniæ mediastinis, neque fenerantibus, neque officiose negotiantibus, sed de redditibus suis honorifice viventibus.

Quod patri suo fuerit aliquod indicium de eo divinitus revelatum, hinc scimus: puerum eum pater in religiosa domo canonicorum Mertoniæ, priori Roberto, aliquandiu nutriendum commiserat. Venit aliqua die pater filium videre: introducto puero coram priore et patre, pater procidens filium pronus adoravit. Indignatus ob hoc prior, ait illi: « Delire senex, quid agis? Procidis ad pedes filii tui? quod honoris ei facis, tibi ille facere deberet. » Cui pater in secreto ait: « Domine, scio quid facio: erit iste puer magnus coram Domino. »

De pueritia ejus.

Annis igitur infantiæ, pueritiæ et pubertatis, simpliciter domi paternæ et in scholis urbis decursis, Thomas adolescens factus studuit Parisiis: reversus, receptus et in partem sollicitudinis reipublicæ Londoniensis, et vicecomitum clerius et rationalis effectus; ubi laudabiliter se habens, didicit prudentiam hujus sæculi, qua postmodum probe noverat communia Ecclesiæ Anglorum, et publica totius regni egregie et munifice tractare negotia: quemadmodum.

(Cervinam pellem postquam latravit in aula
Militat in silvis catulus)

Quomodo venit ad curiam Theobaldi archiepiscopi.

Subinde prodeuntibus annis et meritis, adhæsit Theobaldo bonæ memoriæ Cantuariensi archiepiscopo, per duos fratres Bolonienses, Balduinum archidiaconum, et magistrum Eustachium, hospites plerumque patris ejus, et familiares archiepiscopi, in ipsius notitiam introductus: et eo familiarius quod præfatus Gilbertus cum domino archipræsule de propinquitate et genere loquebatur; ut ille ortu Normannus, et circa Tierrici villam de equestri ordine, natu vicinus. Horum, inquam, et patris introductu archiepiscopus sui gregis scripsit Thomam: postea fortem expertus bonumque. Ad villam de Herges (4) primum venit ad curiam archiepiscopi, cum uno solo armigero, Radulpho de Londonia.

Ipsa nocte sequente visum est hospitæ suæ, quod super tectum ecclesiæ sederet ille, et totam vestimentis suis dependentibus cooperuisset ecclesiam. In crastino somnium viro suo narravit illa, ei interpretata est, quod alter illorum juvenum, adhuc enim ignorabat uter esset Thomas, ecclesiæ illius villæ esset futurus dominus.

De nobilate clericorum curiæ.

In curia illa archiepiscopi magni et apprime litterati clerici erant; quorum plurimos ad episcopatus Angliæ, Rogerum vero de Ponte Episcopi ad archiepiscopatum Eboraci ipse archiepiscopus postea promovit. Horum respectu Thomas minus litteratus erat; sed longe quidem altior est ratio morum quam litterarum: et ipse studuit moralitati et prudentiæ intendere; ut inter eos adhuc inferior litteris, moribus conspectior et acceptior appareret: postmodum enim litteratissimus fuit.

De persecutione Rogeri postea archiepiscopi.

Rogerus ille Thomæ successibus et favoris ejus primitiis invidens apud archiepiscopum, bis obti-

(3) *al. Lond.* om. ed. Spark.

(4) *Harwe* ed. Spark.

nuit, quod a curia jussus est semigrare. Thomas vero rudis et pudoratus, et nullius sibi admissi conscius, utraque vice refugium habuit apud fratrem archiepiscopi Walterum, tunc archidiaconum Cantuariæ, postea episcopum Roffensem, qui et in ipsa curia morabatur; et ejus interventu ad gratiam archiepiscopi et pristinum locum est revocatus.

Intellecta mox ipsius industria, mittebat eum archiepiscopus aliquoties Romam pro nogotiis Ecclesiæ Anglorum; ubi, Domino favente, sapienter se gerens, in plurimam summorum pontificum et sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratiam receptus est.

De statura illius et moralitate.

Erat siquidem placido vultu et venusto; statura procerus; naso eminentiore et parum inflexo; sensibus corporeis vegetus; eloquio comptus; ingenio subtilis; animo magnus; virtutum iter jam altius ingrediens, omnibus amabilem se exhibens; oppressis et pauperibus erat compatiens; elatis resistens; sociorum promotioni intendens, bonorum omnium venerationi; munificus et facetus; fallere vel falli præcavens; statim prudens huius sæculi filius, lucis futurus.

Qualiter primum crevit in reditibus.

Primum reditum habuit de dono Joannis Wigorniensis episcopi, ecclesiam videlicet Beatæ Mariæ Littoream. Postmodum, de donatione archiepiscopi, ecclesiam de Ottefordia. Postea habuit præbendam Londoniæ in ecclesia Sancti Pauli, et aliam Lincolniæ.

Tunc impetrata a domino suo archiepiscopo transfretandi licentia per annum studuit in legibus Boloniæ, postea Autissiodori. Processu temporis et meritorum ejus, ordinavit eum archiepiscopus diaconum, et fecit Cantuariensis ecclesiæ archidiaconum: post episcopos et abbates, in ecclesia Anglorum hic primus et dignior est personatus, et ei valebat centum libras argenti.

Qualiter factus est cancellarius.

Consecrato igitur, per manum ejusdem archiepiscopi, secundo Henrico rege Anglorum; commendatione et obtentu archiepiscopi, et hortatu actuque nobilis Henrici Wintoniensis episcopi, regis factus est Thomas cancellarius, quasi omnibus aliis præelectus: vir industrius, animo magna volvens, multarumque et magnarum rerum experiens; cujus obsequii et honoris vices ita operosus exsolvit ad Dei laudem, et regis honorem, et totius regni utilitatem; ut in incerto sit, utrum aliquis nobilior, magnificentior, et regi utilior fuerit, in pacis et bellicis negotiis.

Cancellarii Angliæ dignitas est, ut secundus a rege in regni habeatur; ut altera parte sigilli regii, quod et ad ejus pertinet custodiam, propria signet mandata; ut capella regis in ipsius sit dispositione A et cura: ut vacantes archiepiscopatus, episcopatus, abbatias et baronias, cadentes in manu regis, ipse suscipiat et conservet; ut omnibus regis adsit consiliis; ut etiam non vocatus accedat (5); ut omnia sigilliferi, regii clerici sui manu signentur, omnia cancellarii consilio disponantur: item ut, suffragantibus ei per Dei gratiam vitæ meritis, non moriatur, nisi archiepiscopus aut episcopus, si voluerit. Inde est quod cancellaria emenda non est.

De pace reddita Angliæ, ejectis Flandrensibus.

Et cum tempore regis Stephani regnum Angliæ profanis decertatum odiis guerræ tempestas involvisset; bellica undique clades desævisset; in unaquaque fere tertia villa speluncæ latronum, hostilia B videlicet castra, firmata essent; exhæredatique fuissent nobiles indigenæ: et alienigenæ Flandrenses, et marticolæ (6) viri Cantiam, et plurimam regni partem, occupassent; cumque diuturnitate guerræ fere vicennalis ita turbata essent omnia, ut impossibile videretur Flandrenses ejici, et regnum in statum pristinum et antiquam dignitatem et pacem reformari, maxime novo rege adolescente; miseratione Dei, consilio cancellarii, et cleri et bonorum regni, qui pacis bonum volebant, infra tres primos menses coronationis regis, Willelmus de Ipra, violentus incubator Cantiæ, cum lacrymis emigravit: Flandrenses omnes, collectis impedimentis et armis, ad mare tendunt: castella omnia C per Angliam corruunt, præter antiquas pacis conservandæ turres et oppida: corona Angliæ, revocatis defectionibus, redintegratur: exhæredatis jura paterna restituuntur: de silvarum latibulis ad villas prodeunt latrones, et communi gaudentes pace teneri, conflant gladios in vomeres, lanceas in falces. Territi a furcis fures, similiter agriculturæ, aliarumve artium mechanicarum fiunt exercitatores. Pax ubique est; clypei importantur, caulæ exportantur: exeunt securi ab urbibus et castris ad nundinas negotiatores, ad creditores repetendos Judæi.

Hujus cancellarii industria et consilio, adnitentibus ordinatis Dei, et comitibus et baronibus, nobile illud regnum Angliæ, tanquam ver novum, renovatur, ecclesia sancta honoratur, vacans episcopatus, D vel abbatia, honestæ personæ sine simonia donatur: rex, favente Rege regum, in omnibus negotiis suis prosperatur: Angliæ regnum ditatur; pleno replet illud copia cornu: colles culti sunt; valles abundant frumento, pascuæ pecoribus, ovilia quoque balantibus.

Cancellarius Thomas regni sedem, palatium Londoniæ, prius fere ruinam, reparari facit; mira celeritate tantum opus perficiens intra quoddam Pascha et Pentecosten, tot fabris lignariis, et aliis operariis tantæ instantiæ motu et sonitu operantibus, ut vix

(5) *Se inareat* cod, Douc.

(6) *Maricola* ed. Spark.

alter alterum proxime admotum posset audire loquentem. A

Cancellarii summus erat, in clero, militia et populo regni, favor. Omnes vacantes parochianas ecclesias villarum et castrorum posset habere : nullus enim ei advocatus negare auderet, si rogare vellet; tanta tamen animi magnitudine vicit ambitionem, ut pauperibus sacerdotibus et clericis perquirendi ecclesias illas locum tollere præoccupando dedignaretur. Magnanimus magna potius perquirebat scillicet præposituram Beverlaci, et donationem præbendarum de Hastinges a comite Augensi ; et turrim Londoniæ cum servitio militum addictorum ; castellariam Eye, cum honore septies viginti militum ; et castrum Berkhamstediæ.

Ludebat plerumque, sedperfunctorie, non dedita B opera, in avibus cœli nisis et accipitribus, et canibus venaticis, et in calculis bicoloribus

Insidiosorum ludebat bella latronum.

De honore et mensa domus concellarii.

Cancellarii domus et mensa communis erat omnibus cujuscumque ordinis indigentibus ad curiam regis venientibus, qui probi vel essent, vel esse viderentur. Nulla fere die comedebat absque comitibus et baronibus, quos ipsemet invitabat. Jusserat quaque die, novo stramine vel feno in hieme, novis, scirpis vel frondibus virentibus in æstate, sterni hospitium suum, ut militum multitudinem, quam scamma capere non poterant, area munda et læta reciperet, ne vestes eorum pretiosæ, vel pulchræ eorum camisiæ, ex areæ sorde maculam contraherent. C Vasis aureis et argenteis domus ejus renitebat ferculis et potibus pretiosis abundabat ; ut si quæ esculenta vel poculenta commendaret raritas, emptores ejus nulla eorum comparandorum repellere deberet charitas. Summe tamen sobrius erat in his, ut de divite mensa dives colligeretur eleemosyna. Et quod a confectionis ejus auditore, Roberto, venerabili canonico de Meritona, audivi ; ex quo cancellarius factus est, nulla eum polluit luxuria. Super quo et rex ipse diurnas ei et nocturnas tendebat insidias : sed tanquam vir timoratus et a Deo præcinctos prædestinatus munditiæ carnis intendens, lumbos habebat. Et quidem vir sapiens regni moderamini, et tantarum curarum publicarum et privatarum intentus occupationi, rarius illecebris talibus attentabatur. D Quoniam,

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

Vir pudicus cancellarius, osor turpitudinis et impudicitiæ, quemdam clericum suum magnæ prosapiæ, Ricardum de Ambli, pro eo quod cujusdam socii sui, dum longinquo aberat in transmarinis, uxorem seduxerat et accubuerat ; facta ei persuasione quod vir ejus in fata concessisset ; a domo et amicitia sua projecit, et in turri Londoniæ incarceratum et in compedibus diu afflictum, teneri fecit.

Qualiter nutriebat filios nobilium.

Cancellario, et regni Angliæ et regnorum vicinorum magnates liberos suos servituros mittebant, quos ipse honesta nutritura et doctrina instituit, et cingulo donatos militiæ, ad patres et propinquos cum honore remittebat; aliquos retinebat. Rex ipse, dominus suus, filium suum, hæredem regni, ei nutriendum commendavit : quem ipse cum coætaneis sibi multis filiis nobilium, et debita eorum omnium sequela, et magistris, et servitoribus propriis, quo dignum erat honore, secum habuit.

In qua tamen tantorum sæcularium honorum pompa ipse sæpe disciplinam secretam, nudato ad flagella dorso, recipiebat ; cum erat in vicinia Londoniæ, a Radulpho priore Sanctæ Trinitatis ; in vicinia Cantuariæ, a Thoma presbytero Sancti Martini. Humilis erat humilibus, elatis ferus et violens ; quasi innatum erat ei :

Parcere subjectis et debellare superbos.

Cancellario homagium infiniti nobiles et milites faciebant ; quos ipse, salva fide domini regis, recipiebat ; et ut homines suo patrocinio eos ulteriore fovebat.

Transfretaturus interdum sex aut plures naves in sua habebat velificatione ; nullumque, qui transfretare vellet, remanere sinebat : appulsus gubernatores suos et nautas ad placitum eorum remunerabat, Nulla fere dies effluebat ei, qua non ipse aliqua magna largiretur donaria, equos, aves, vestimenta, auream vel argenteam supellectilem, vel monetam. Sic nimirum scriptum est, quidam erogant propria et semper abundant ; alii rapiunt aliena,

Et curtæ semper abest rei ;

tantamque habebat cancellarius donandi gratiam, ut amor et deliciæ totus orbis Latini reputaretur. Ut cuique erat ætas, ita quemque facetus adoptabat.

Dei omnipotentis instinctu, et cancellarii suasu, dominus rex vacantes episcopatus et abbatias non diu retinebat, ut fisco suo patrimonia crucifixi inferrentur (quod postea fecit ; quod amplius absit ab eo) ; imo sine magna mora honestis illas dabat personis, et secundum Deum.

Iterum cancellarii consilio dominus rex canonicalem ecclesiam Meritonæ, ubi morantes Deum merentur, in gratiam et familiaritatem recepit ; et eam a presbyterio susceptam sumptibus suis consummavit (7), et perpetuis ditavit reditibus : ibique aliquando, cum religioso conventu, pœnitentiæ triduanas aute diem Paschæ celebrabat excubias. Post nocturnum vero obsequium, quod dicitur tenebrarum, sed est lucis, die parascevæ usque ad horam nonam, vicinarum villarum pauperes, orationum gratia, visitabat ecclesias, pedes incedens, in cappa absconditus, uno solo comitatus socio, viarum duce.

(7) *Confirmavit* ed Spark.

Item cancellario Thoma suggerente, pauperes Angligenas morantes in Galliis, quos fama celebrabat bonos, vel monachum in religione, vel magistrum in studio, rex revocabat, et tales in regno suo plantabat personas; ut magistrum Robertum de Meliduno in episcopali ecclesia Herefordiæ; Willelmum monachum Sancti Martini de Campis in abbatia Rameseiæ.

Ita ob ipsius dotes virtutum, animi magnitudinem, meritorum insignia, quæ animo ejus inhæserant, cancellarius regi, clero, militiæ, et populo erat acceptissimus. Pertractatis seriis, colludebant rex et ipse, tanquam coætanei pueruli, in aula, in ecclesia, in consessu, in equitando. Una dierum coequitabant in strata Londoniæ, stridebat deformis hiems: eminus aspexit rex venientem senem, pauperem, veste trita et tenui, et ait cancellario: « Videsne illum? » Cancellarius: « Video. » Rex: « Quam pauper, quam debilis, quam nudus! Nunquidne magna esset eleemosyna dare ei crassam et calidam cappam? » Cancellarius: « Ingens equidem, et ad hujusmodi animum et oculum, rex, habere deberes. » Interea pauper adest: rex substitit, et cancellarius cum eo. Rex placide compellat pauperem, et quærit si cappam bonam vellet habere. Pauper nesciens illos esse, putabat jocum, non seria agi. Rex cancellario: « Equidem tu hanc in gentem habebis eleemosynam; » et injectis ad capicium ejus manibus, cappam novam et optimam de scarleta et grysio qua indutus erat, rex cancellario auferre, ille retinere laborabat. Fit ibi motus et tumultus magnus: divites et milites, qui eos sequebantur, mirati accelerant scire quænam esset tam subita inter eos causa concertandi: non fuit, qui diceret: intentus erat uterque manibus suis, ut aliquando quasi casuri viderentur. Aliquandiu reluctatus cancellarius, sustinuit regem vincere, cappam sibi inclinato detrahere, et pauperi donare. Tunc primum rex sociis suis acta narrat: risus omnium ingens; fuerunt, qui cancellario cappas et pallia sua porrigerent. Cum cappa cancellarii pauper senex abit, præter spem locupletatus, lætatus, et Deo gratias agens.

Aliquotiesque ad hospitium cancellarii rex comedebat, tum ludendi causa, tum gratia videndi quæ de ejus domo et mensa narrabantur. Rex veniebat aliquando equo admisso in hospitium cancellarii sedentis ad mensam; aliquando sagitta in manu, rediens venatu, vel iturus in nemus: aliquando bibebat, et viso cancellario recedebat; aliquando saliens ultra mensam, assidebat et comedebat. Magis unanimes et amici nunquam duo alii fuerunt temporibus Christianis.

Fuit aliquando gravi tentus infirmitate cancellarius Rothomagi apud sanctum Gervasium. Venerunt eum duo reges simul videre, rex Francorum, et rex Anglorum, dominus suus. Tandem dispositus ad sanitatem et convalescens, una dierum sedit ad ludum saccorum, indutus cappa manicata. Intravit eum A visitare Aschetinus, prior Legecestriæ, veniens a curia regis, qui tunc erat in Gasconia: qui liberius eum allocutus, ausu familiaritatis, ait: « Quid est hoc quod cappa manicata utimini? Hæc vestis magis illorum est, qui accipitres portant; vos vero estis persona ecclesiastica, una singularitate, sed plures dignitate: Cantuariæ archidiaconus, decanus Hastingæ, præpositus Beverlaci, canonicus ibi, et ibi; procurator etiam archiepiscopatus; et, sicut rumor in curia frequens est, archiepiscopus eritis. » Cancellarius respondit, inter cætera, ad verbum illud: « Equidem tres tales pauperes agnosco in Anglia sacerdotes, quorum cujuslibet ad archiepiscopatum promotionem magis optarem quam meam: nam ego, si forte promoverer, ita dominum meum regem,

B *intus et in cute novi,*

necesse haberem, aut ipsius gratiam amittere, aut Domini Dei, quod absit, servitium postponere; » quod et post ita contigit.

Rex Angliæ ad suam transfretationem navem suam propriam solet habere. Cancellarius ei fieri fecit non unam solam, sed tres simul naves optimas, et omnibus necessariis instructas, ut nihil deesset; et eas regi domino suo dono dedit.

Venerunt aliquando in Angliam nuntii regis Norwegiæ: quo audito, cancellarius misit obviam eis, qui eos ad curiam domini regis duceret, et eis sumptus necessarios, nomine cancellarii, ministraret.

Nicolaus archidiaconus Londoniæ incidit semel in offensam regis, unde domus ejus, familia ipsius expulsa, C ex regis præcepto serata, et regi subhastata fuit. Non destitit bonus cancellarius, quin ipsa die archidiaconum regi reconciliaret, et ad possessionem revocari suam impetraret.

Eodemque modo officiosus fuit quandoque episcopo Cenomannensi, et Giloni archidiacono Rothomagensi: nam cum in schismate Romanæ Ecclesiæ hinc Octavianus et imperator Fredericus qui eum fovebant: inde catholicus papa Alexander consilio suorum cardinalium nuntios suos misissent ad regem Francorum, et regem Anglorum tunc transmarinum; illi autem, convocatis episcopis plurimis et summatibus regnorum suorum, apud Novum Forum, cum congregati essent, nuntios illos et rationes eorum audituri, et de merito electionis eorum, utriusque D obedientiæ se subderent, tractaturi: placuissetque tandem eis Alexandri electio quæ justior eis et sanctior non immerito visa est; pro eo quod archiepiscopus Rothomagensis Hugo eam approbavit, et per Gilonem nepotem et archidiaconum suum suffraganeis suis recipiendam mandavit; rex vehementer commotus, domos archidiaconi dirui præcepit quoniam in ipsum archiepiscopum grandævum, et virum magnanimum palam excandescere rex veritus est. Tunc domino regi supplex ait cancellarius: « Domine mi rex, equidem domus illa quam ruere præcipitis, archidiaconi Gilonis est; sed hospitium meum est. » Et hujusmodi dixit apposite ad persuadendum, ut tandem a rege delinito et suaso, archidiaconi pacem

cum domus ipsius integritate obtineret. In crastino A audivit rex, quod episcopus Cenomanensis Alexandrum papam recepisset exemplo domini Rothomagensis, et nuntiis ejus obedientiam promisisset papæ servendam. Rex iratus est, quod ejus sine jussu et licentia et sententia hoc fecisset. Marescalli regis, commotione ejus vel forte præceptione intellecta, ad hospitia episcopi vadunt, chamis succisis, equos ejiciunt, sarcinas episcopi in vicos exportant, eum hospitio privant: a curia episcopus turpiter recedere compulsus est. Facit rex breves scribi, ut domus ejus Cenomanni diruantur. Signatas breves rex in manu tenens, et ostendens publice, ait astantibus: « Equidem Cenomannenses audient de episcopo suo rumorem. » Omnis clerus, qui aderat in tanta duorum regum curia, doluit; cancellarius supra omnes: B intelligens autem regem in tanta ira frustra compellendum et rogandum, præcepit cursoribus regis, bajulis litterarum illarum, ut non festinarent; et cum itinere duorum dierum Cenomannis venire possent, non illuc venirent, nisi quarto die, acquieverunt illi. In crastino ad dominum regem episcopos ire suasit cancellarius pro Cenomannensi rogaturos: ierunt aliqui, regem inexorabilem invenerunt; ierunt alii, suggerente cancellario, repulsam passi sunt. Tandem cancellarius ipse regem adiit, pro episcopo oravit; in crastino similiter: instantia cancellarii rex compulsus, tandem acquievit; putans jam, quod domus episcopi vel tota vel magna ex parte corruisset. Statim litteras regis de pace episcopi cancellarius misit præfecto Cenomanni per C nuntium proprium, cui et in amicitiæ suæ observantis injunxit, ut die vel nocte non quiesceret pes ejus, donec Cenomannum veniret. Ille continuato diplomate Cenomannum venit, intactis domibus episcopi, ipso die, quo priores nuntii domini regis; qui tamen prius venerant, et litteras regis de domibus episcopi diruendis ostenderant. Et hoc quidem dolo bono consellarii se delusum rex postea gavisus est; sicut legitur in Timæo de illa nubentium saluberrima sortis fraude.

Quinquaginta duos clericos cancellarius in obsequio suo habebat: quorum plurimi in suo erant comitatu, curabant episcopatus et abbatias vacantes, aut ejus proprios honores ecclesiasticos.

Deliberavit quandoque rex Anglorum cum cancellario, et aliis quibusdam regni sui magnatibus, D petere a rege Francorum filiam ejus Margaretam matrimonio copulandam filio suo Henrico. Placuit consilium. Hæc siquidem regnum et magnorum virorum magna est confœderatio.

Hæc res et jungit, junctos quoque servat amicos.

Ad tantam petitionem tanto principi faciendam quis mittendus erat, nisi cancellarius? Eligitur: assentitur. Igitur cancellarius rem, personas, et officium suum attendens, et se tantæ rei commetiens, juxta illud poeticum:

Metire quod audes; nuptialiter se instruit,
Qui nuptias mittitur conciliare futuras.

Parat ostendere et effundere luxus Anglicani opulentiam; ut apud omnes et in omnibus honoretur persona mittentis in misso, et missi sua in se. Circiter ducentos in equis secum habuit de familia sua, milites, clericos, dapiferos, servientes, armigeros, nobilium filios, militantes ei, et armis omnes instructos (8). Omnes isti, et omnis eorum sequela, novo festivo fulgebant ornatu vestium, quisque pro modo suo. Habuit etiam viginti quatuor mutatoria vestimentorum (9), omnia fere donanda, et in transmarinis relinquenda, et omnem elegantiam varii, grysii, et pellium pereginarum, palliorum quoque et tapetum, quibus thalamus et lectus episcopi hospitio recepti ornabantur. Habuit secum canes, aves omne genus, quo reges utuntur et divites. Habuit in comitatu suo octo bigas curules; unamquamque bigam quinque equi trahebant, dextrariis corpore et robore similes: quisque equus suum sibi deputatum habebat fortem juvenem nova tunica succinctum, euntem cum biga; ipsaque biga suum veredum et custodem. Duæ bigæ solam cervisiam trahebant, factam in aquæ decoctione ex adipe frumenti, in cadis ferratis, donandam Francis, id genus liquidi plasmatis mirantibus, potum sane salubrem, defæcatum, colore vineo, sapore meliori. Habebat cancellarii capella bigam suam, camera suam, expansam suam, coquinam suam; portabant aliæ esculentorum et poculentorum aliquid aliæ dorsalia tapeta, saccos cum vestibus nocturnis, sarcinas et impedimenta. Habuit duodecim summarios. Octo scrinia cancellarii continebant supellectilem, auream silicet et argenteam; vasculos, cullulos, pateras, ciphos, cuppas, urceolas, pelves, salina, cochlearia, cultellas, paropsides. Aliæ coffræ et clitellæ cancellarii continebant monetam, æs plurimum quotidianis ejus impensis et donis sufficiens, et vestes ejus, et libros aliquot et hujusmodi. Unus summarius capellæ sacra vasa, et altaris ornamenta, et libros portabat, cætorum præambulus. Quisque summariorum suum habebat agasonem, qualem et qualiter decuit instructum. Quæque etiam biga habebat canem alligatum vel supra vel subtus, magnum, fortem et terribilem; qui ursum vel leonem domiturus videretur. Sed et supra quemque summarium erat vel simia caudata, vel

humani simulator simius oris.

In ingressu Gallicanarum villarum et castrorum, primi veniebant garciones pedites

fruges consumere nati

quasi ducenti quinquaginta, gregatim euntes sex vel deni, vel plures simul, aliquid lingua sua pro

(8) *Equis ad speciem venustis, ad vecturam validis et militum ejus dextris trahebantur et scuta et arma portabantur*, addit cod. Douc.

(9) *Muricibus Tyriis iteratas vellere lanas, plures vestes holosericas*, add. cod. Douc.

more patriæ suæ cantantes. Sequebantur aliquo intervallo canes copulati et leporarii in loris et laxis suis, seu quo alio dignentur nomine, cum concuratoribus et sequacibus suis. Post modicum stridebant ad lapides platearum illæ bigæ ferratæ, magnis coriis animalium consutis copertæ. Sequebantur ad modicam distantiam summarii agasonibus, positis genibus super clunes summarorium, equitantibus. Aliqui Franci a domibus suis egressi ad tantum strepitum quærebant, quis veniret, cujus esset illa familia ? Aiunt illi, quod cancellarius regis Anglorum ad dominum regem Franciæ missus veniret. Dicunt Franci : « Mirabilis et ipse rex Anglorum, cujus cancellarius talis et tantus incedit. » Sequuntur ad aliquam intercapedinem post summarios armigeri, militum portantes scuta, et trahentes dextrarios : inde, alii armigeri ; dehinc ephebi ; deinde, qui aves portabant ; postea, dapiferi, et magistri, et ministri domus cancellarii ; deinde milites et clerici, omnes bini et bini equitantes ; prostremo, cancellarius, et aliqui familiares ejus circa eum.

Appulsus in transmarinis, statim præmiserat domino regi Francorum cancellarius mandans quod ad eum veniret. Venit per castrum Meldenti. Rescripserat ei rex Francorum, quod occurreret ei Parisiis, et qua die. Rex itaque volens cancellarium procurare, sicut nobilitatis et consuetudinis Gallicanorum regum est omnem mortalem ad curiam Franciæ venientem, quandiu in curia fuerit, procurare ; edicto Parisiis dato prohibuerat ne quis aliquid cancellario, vel suis emptoribus venderet. Quo præcognito, cancellarius præmiserat suos ad fora vicina, Lamaci, Corboili, Pontis Isarei, Sancti Dionysii ; qui sibi emerent panes, et carnes, et pisces, vina, et cibaria, in abundantia, mutato, suppressisque nominibus habitu. Et cum Parisiis domus Templi hospitium habiturus ingrederetur ; occurrerunt ei sui dicentes, quod hospitium omnibus bonis instructum ad moram triduanam inveniret, quaque die mille hominibus procurandis. Equidem in divitiis regis Salomonis legitur quot animalium carnes quotidianis ejus impensis sufficerent ; et equidem una die, anguillarum unum solum ferculum cancellarii centum solidis sterlinguorum emptum fuit : quod omnis patriæ notum etiam loco proverbii multo tempore multis in ore erat de aliis ejus ferculis et impensis sileo. Ex hoc uno intelligi potest, quod mensa cancellarii sumptuosa et sufficiens fuit.

Qualiter eum dominus rex Francorum et nobiles illi Franci honoraverunt ; qualiter ipse vicissim eos ; et præterea qua comitate susceperit scholares Parisienses et magistros scholarum, et cives scholarium Angligenarum creditores, dicere non sufficio. Legitur de Hannibale, quod, post interfectum Hasdrubalem, Romam nuntios miserit, dicens eis : « Ite, et omnem mortalem explete pecunia. » Idem forte legit et curavit cancellarius, omnem nobilem Francum ba-
A ronem, militem, servitorum regis, vel reginæ regis Francorum, magistros scholarum, scholares, civium nobiliores, muneribus suis explebat. Omnia sua vas aurea et argentea donavit, omnia mutatoria vestimentorum : illi pallium ; illi cappam griseam ; illi pelliciam ; illi palefridum ; illi dextrarium : quid plura ? Supra omnem hominem suam gratiam adeptus est. Legatione sua feliciter functus est : propositum assecutus est : quod petiit, ei concessum est. In reditu suo Guidonem de la Val, regis Angliæ impugnatorem, patriæ stratæque publicæ deprædatorem, cepit, et conjectum in vincula apud castrum Novi Fori incarceravit. Hoc modo se cancellarius Thomas in pacis studio et tempore habuit, quid de eo in bellicis negotiis occupato loquar ?

B *Qualiter cancellarius regi servierit in sua guerra de Tolosa.*

In exercitu et obsidione Tolosæ, ubi tota Anglia, Normannia, Aquitania, Andegavis, Britannia, Scotia, in præsidium regis Angliæ, militarem manum, et fortitudinem bellicam emisit ; cancellarius de propria familia lectam manum militum septingentos milites habebat. Et quidem, si ejus paritum esset consilio, urbem Tolosam, et regem Franciæ, qui favore sororis comitissæ Constanciæ se immiserat, sed et improvide sine exercitu et manu forti, invasissent et cepissent ; tantus erat regis Anglorum exercitus. Sed vana superstitione et reverentia rex tentus consilio aliorum, super urbem, in qua esset dominus suus rex Franciæ, irruere noluit, dicente in contrarium can-
C cellario, quod personam domini rex Francorum ibi deposuisset, eo quod supra pacta (10) conventa hostem se ei posuisset. Non multo post, vocata et congregata venit in urbem militia regis Francorum ; et rex Angliæ, cum rege Scotiæ et omni exercitu suo, inops voti et inefficax, propositi rediit ; capta tamen prius urbe Cadurcio, et plurimis castellis, in vicinia Tolosæ, quæ erant comitis Tolosæ, et suffraganeorum ejus, vel quæ comes Tolosæ regis Angliæ fautoribus prius abstulerat. Ad quæ omnia retinenda, post reditum regis Angliæ, comitibus omnibus recusantibus, solus cancellarius cum sua familia, et solo Henrico de Essexia, constabulario et barone regis, remansit. Et postea tria castra munitissima, et quæ inexpugnabilia videbantur, ipsemet lorica indutus
D et galea, cum suis in manu forti cepit. Sed et Garunnam cum militari manu transiit supra hostes ; confirmataque in regis obsequium tota illa provincia, gratiosus et honoratus rediit.

Item qualiter se habuit in guerra Francorum

Postmodum autem in guerra regis Francorum et domini sui regis Anglorum in Marchia, ad communem terminum terrarum suarum inter Gisorcium et Triam et Curceles ; cancellarius, præter propriæ familiæ septingentos equites, alios mille ducentos stipendarios milites habebat, quatuor millia servientium, per unam quadragenam. Et cuique milit-

(10) *Pacta* om . e. Spark.

quaque die, dabantur ad equos et armigeros procurandos tres solidi illius monetæ; ipsique milites omnes ad mensam cancellarii erant. Ipsemet clericus cum esset, cum valente milite Francorum Engelramno de Tria, e regione subditis equo calcaribus veniente armato, lancea demissa et equo admisso congressus, ipsum equo dejecit, et dextrarium lucrifecit. Et in toto regis Anglorum exercitu semper primi erant milites cancellarii, semper majora audebant, semper præclare faciebant, eo docente, ducente, eo hortante: canere eductui, canere receptui, in lituis suis ductilibus, quos in exercitu suo proprios, sed universo hinc inde exercitui habebat notissimos. Unde ipse hostis etiam et expugnator regis Francorum, et terræ ipsius in igne et gladio depopulator, in magnam pervenit gratiam ipsius regis Francorum et magnatum totius Galliæ, suffragantibus ei meritis fidei præstantis et nobilitatis suæ notissimæ: quam gratiam postmodum tempore opportuno sibi rex exhibuit. Virtus quippe et in hoste laudatur.

De electione cancellarii in archiepiscopum.

Interim diem suum postremum clausit archiepiscopus Theobaldus. Statuit ergo rex Anglorum cancellarium suum in archiepiscopatum promovere, intuitu meritorum personæ; confidens, quod sibi ad placitum et nutum, ut cancellarius fecerat, archiepiscopus obsequeretur. Præcedente itaque notaque omni clero Angliæ regis voluntate, quod solum electionis illius meritis derogavit (11), cancellarius archidiaconus Cantuariæ, ejusdem ecclesiæ archiepiscopus unanimiter eligitur. Solus Gilbertus Herefordiæ, qui et postea translatus est in Londoniam, habitu monachus, vinum vel carnem non gustans, quod potuit, dissuasit: ut putabatur, non bene zelans electionem, sed male electum: aspirare enim et pro se laborare credebatur. Postmodum enim dixit, mirum fecisse regem, qui de homine sæculari et de milite quodam fecerat archiepiscopum.

Anno gratiæ millesimo centesimo sexagesimo secundo, octava die Pentecostes, ecclesiæ Cantuariensis festa die, die videlicet sanctæ Trinitatis, in ipsa metropolitana ecclesia congregatis suffraganeis episcopis omnibus, per filium hæredemque regis Henrici secundi Henricum, et per Ricardum de Luci, aliosque magnates Angliæ, qui aderant ex parte regis tunc transmarini, beatus Thomas, liber et ab omni querela sæculari solutus et quietus, Ecclesiæ Cantuariensi est redditus et repræsentatus, et per manum Henrici venerabilis episcopi Wintoniæ, archiepiscopus ordinatus. Papa Alexander tertius ei pallium misit per clericum ejus Joannem Salesberiensem. Archiepiscopus contra illam fasciam pectoralem et humeralem suscipiendam devotus, pronus et nudus pedes ivit. Mysterium siquidem grande est, illud insigne, illud archiepiscopi singulare. Pallium pro aurea lamina est institutum, in qua summus pontifex in lege nomen Domini tetragrammaton in fronte sua præferebat inscriptum. Duæ lineæ propendentes sunt duæ leges, Christi passionem præferentes, spinulæ sunt clavi, quibus corpus Christi cruci figitur. In ordinatione sua, unctione misericordiæ Dei visibili et invisibili perfusus, exuit sæcularem hominem, et Jesum Christum induitur: evacuavit, quæ erant sæcularia cancellarii; satagens, quæ sunt boni archiepiscopi.

Itaque omni custodia excubabat animum suum. Sermones ejus serii erant ad ædificationem auditorum: opera ejus, misericordiæ et pietatis: sententiæ ejus, justitiæ et æquitatis. Cilicio usque ad poplites asperrimo et vermibus scaturiente, et parco cibo carnem edomabat, et consueto potu aquæ, in qua coctum erat feniculum. Vinum tamen prægustabat, et dabat considentibus; et carnium appositarum aliquid comedebat; sed pane reficiebat. Omnia tamen munda mundis; et in culpa non est cibus, sed appetitus. Verberibus disciplinalibus frequenter dorsum nudum exponebat. Proxime supra cilicium habuit habitum monachalem, quoniam monachorum erat abbas Cantuariensium: supremo, canonicalem, ut clericis conformaretur. Stolam tamen, jugum Christi suave, circa collum et diebus et noctibus habebat. Facies ejus exterior similis erat multitudini, intus omnia dissimilia. Sancti Sebastiani et sanctæ Ceciliæ imitator, quorum ille sub absconso chlamidis Christi militem gerebat absconditum: illa cilicio carnem domans, desuper auratis vestibus tegebatur. In esu et vestitu religiosior studebat esse quam videri. Orationi intentus, Spiritui creatori spiritum suum creatum reconciliare, et quodam modo unire vacabat. Dei et hominum quasi quidam interpres, commendabat oratione Deo homines, prædicatione Deum hominibus. Sacræ lectioni deditus, suum in divina pagina habebat eruditorem. Interdum post prandium cum sociis conferebat, audiens et interrogans eos. Usus est convictoribus viris religiosis, clericisque honestis et litteratissimis. Familiam habuit similiter electam, bonorumque virorum receptui et venerationi devotam. In dandis erat eleemosynis munificus mittens hospitalibus domibus, et pauperibus collegiis, interdum quatuor vel quinque marcas, interdum annonam et carnes.

Cum enim piæ memoriæ Theobaldus, prædecessor ipsius, statutas prædecessorum suorum eleemosynas duplicare consuevit, hic religiosa æmulatione etiam duplum ejus censuit duplicandum. Ad hujus pii operis observantiam, omnium, quæ ex quocunque titulo percipiebat, decimas consecrabat. In secretiori cellula tredecim pauperum pedes curvatis genibus quotidiæ abluebat, in memoriam Christi; singulis eorum, post plenam refectionem victualium, quatuor argenteos largiens: quod si forte aliquando, raro tamen, in propria persona gerere prohibebatur, hoc diligentissime per vicarium faciebat impleri. Solitarius agens usque in miraculum lacrymis sui-

(11) Verba *quod. s. e. i. m. d.* om. ed. Spark.

fundebatur : et sic in altaris versabatur officio, ac si præsentialiter in carne geri cerneret Dominicam passionem. Reverentissime divina sacramenta tractabat, ut intuentium fidem et mores ipsa contrectatio informaret.

Amplius : vagos et egenos in domo sua reficiebat, contra hiemem multos vestiebat. Cantuariæ plerumque in claustrum se recipiebat, et sicut unus manachorum ibi sedentium sedebat studens in aliquo libro diutili : post ibat visitare monachos infirmos, ut eorum audiret et impleret desideria. Erat oppressorum consolator, viduarum maritus, pupillorum adjutor. Erat præterea humilis et affabilis mansuetis, se efferentibus severus. Contra injustitiam et insolentiam potentum quasi turris erecta in Damascum firmabatur, neque ipsius regis preces vel litteræ cuiquam apud eum prodesse poterant, nisi cum justitia.

Pudore bono nunc maxime repletus fuit, qui jam pridem etiam cancellarius metas pudicitiæ non excessit. Alter quodammodo Moyses erat, tabernaculum Domini crebro intrans et exiens ; intrans tempore accepto ad Dei contemplationem, exiens ad piam erga proximos actionem. Alter Jacob nunc copulabat sibi Liam fructu fecundam ; nunc autem Rachelis pulchrioris hærebat amplexibus. Erat quasi unus angelorum Dei, qui per scalam, cujus summitas cœlos tangebat, nunc ascendebat ad sublevandas necessitates hominum, nunc ascendebat ad divinæ majestatis et supernæ claritatis intuitum : suspensus a terrenis et transitoriis summopere intendebat in cœlestia. Vacabat virtutibus, quæ vitam et præsentem beatificant, et promerentur æternam. Aderat ei primo regina ratio, quæ ut domina ancillis, ita illa cupiditatibus et pravis animi motibus imperat. Itaque ductu rationis progressus est in virtutem ; quæ sese diligens aspernatur contraria, et a se oriens, rursus ad se revertitur, et omnia sua complexa nihil quærit aliunde. Aderant ei virtutis species quatuor : prudentia, quæ eum reddidit discretum in rerum cognitione, personarum, loci, temporis æstimatione, in pravorum fuga, in appetendorum electione ; justitia, qua Deo et cuique quod suum erat, conservare studebat; fortitudo, quæ eum in adversis vindicans, a malorum præsentium ægritudine et futurorum metu protegebat; temperantia, quæ eum in prosperis nihil immoderate facere permittens, a libidine omni, et a cupiditate rerum temporalium revocabat, et insolenti non sinebat alacritate gestire. Hæc est quadriga (12) Aminadab; hæc est diatessaron prima ; hæc est in homine summa harmonia : hic est in homine dulcis ille et suavis concentus, qui Dei etiam aures replet, et inducit hominem in vitæ beatitudinem, quæ est, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio.

Hac vitæ beatitudine affectus et beatus effectus A archiepiscopus Thomas curabat, constanter, splendide, graviter, honeste agere omnia ; ad sapientiæ cuncta referre arbitrium ; sibi imperare ; sapientiæ stare judiciis, non populi ; fortunæ non timere insidias ; contra adversa septum, munitum, et inexpugnabilem se gerere; non sibi, sed omnibus ejus auxilio indigentibus se natum credere, maxime autem ecclesiæ suæ, quam regendam susceperat; in terris divina contemplari, Jesum Christum imitari natum, et missum ad passiones, ipsumque vere diligere, et ejus observare mandata ; suam et commissarum sibi, animarum salutem quærere. Hinc factum est, ut consectaretur apud Deum gratiam, apud homines gloriam solidam quidem et expressam, consentiente laude bonorum virorum, voce in- B corrupta de eo bene judicantium : hæc quidem resonat virtuti, tanquam echo voci ; tanquam imago exemplari. Et quia gloria recte viventium comes est, bonis viris sicut nec appetenda, ita nec est respuenda, sed Deo attribuenda. Siquidem ait Apostolus : « Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens ; veritatem enim dicam. » Hanc tamen gloriam timuit et sprevit Thomas, ne forte subreperet elatio, scriptum esse attendens, quantumlibet justus, nunquam tamen sit securus. Est alia quædam falsa et vana gloria, quam appetunt homines superbi et vani, divites et hypocritæ : adumbrata scilicet imago gloriæ, cui nulla virtutis, quæ laudetur, subest soliditas; sed videtur similitudo quædam apparens quidem specie, non existens autem in re. C Et sicut boni veræ laudis gloriam metuunt, ita mali falsam gloriam appetunt; vel etiam si quid recte fecerint, appetentes inde laudem vel præmium, eo ipso amittunt et nomen et meritum.

Gloriosus archiepiscopus Thomas contra spem regis et omnium ita sæculum deseruit, ita repente mutatus est mutatione, quæ est dexteræ Excelsi, ut omnes mirarentur.

De tentatione diaboli per malos et injustos homines facta

Antiquus hostis talem in Ecclesia Domini erectam columnam, talem supra candelabrum Dei accensam lucernam invidit. Inimicus homo seminat zizania. Primo ei regis tollit benevolentiam, quasi indigne ferre rex debeat, quod, qui eum primo cancellarium, D post archiepiscopum fecerat ; nunc et a suo se retrahit obsequio, et id pluribus ei contradicit. Regis familiares regi placere quærentes, et ejus prurientes auribus, archiepiscopo detrahebant, et eum gratis odio habebant.

Præterea quidam aulici, clerici regis, timentes potius ecclesiis suis aliquibus, quas male acquisierant, sub archiepiscopi justitia destitui, quam aliis incardinari, vel ad majora beneficia ejus tempore provehi ; et per se et per episcopos aliquot regem et suos adversus archiepiscopum incitare et commovere intendebant. Nihil iam ab eo vel dici vel fieri

(12) *Auriga* ed. Spark.

poterat, quod non malitia infelicium hominum depravaret. Adeo quidem ut regi persuaderent, quod si archiepiscopi potestas procederet, regia dignitas esset procul dubio peritura; et nisi sibi et hæredibus suis prospiceret, is demum futurus erat rex, quem clerus eligeret, et quam diu placeret archiepiscopo regnaturus.

Nimirum opthalmia vel lippitudine laborantibus inimica est lux; et justus injustis gravis erat ad videndum, et contrarius erat operibus illorum. Ipse soli Deo, et nemini, nisi in Deo, placere quærebat; illi magis regis terreni auribus faciebant insidias. Amicus Dei inimicus mundi constituitur. Moratum [morigeratum *ed. Spark.*] morosi persequentur.

Hæc prima infestationis archiepiscopi causa. Adduntur regi et regalibus in hac dissensione plurimi episcopi, timore amittendi terram, et terrena, quæ possidebant. Destituitur eorum consilio et auxilio archiepiscopus. Accessit indignationi regis et militiæ regni, quod castrum Tunebregiæ, et totum illum honorem, pridem a Cantuariensi alienatum Ecclesia, a comite de Clara Rogero revocare intendebat, quia secundum decreta prædecessoribus et œconomis ecclesiæ prædia licuit colere et augere, non minorare vel alienare. Illi autem comiti de Clara fere omnes nobiles Angliæ propinquitate adhærebant, qui pulcherrimam totius regni sororem habebat, quam rex aliquando concupierat. Tamen prius a rege petitam obtinuerat archiepiscopus licentiam revocandi prædia Ecclesiæ Cantuariensis, a prædecessoribus suis male alienata, vel a laicis occupata. Item Ecclesiam de Eynesfordia cuidam clerico Laurentio archiepiscopus donaverat. Ejus siquidem est tam baronum suorum quam monachorum Cantuariensium vacantes in villis donare ecclesias. Dominus villæ Willelmus de Eynesfordia reclamans, homines Laurentii expulit; archiepiscopus eum excommunicavit. Rex statim archiepiscopo scripsit, ut eum absolveret. Respondit archiepiscopus, non esse regis præcipere quemquam absolvi, sicut nec excommunicari. Rex contendit, de regali sua esse dignitate, quod non excommunicetur, qui de eo in capite teneat, ipso inconsulto. Tandem ad regem mitigandum, qui jam in eum excandescebat, et non nisi per nuntios ei loquebatur, archiepiscopus Willelmum absolvit. Et ait de eo rex apud Windesoram: « Nunc ei inde gratiam non habeo. »

Præterea diu ante, tempore scilicet Theobaldi archiepiscopi, adversus clerum Angliæ generaliter rex aliqua conceperat; quorumdam clericorum insolentia provocatus.

(13) Unde aliquando in concilio dominus rex quædam satis dura proponere cœpit. Primo enim conquestus est de archidiaconum violentia, quod aliorum delicta in sua verterent lucra, quod peccatorum pretia exigant.

A Et de his suos supra modum luxus exereant, cum tamen peccantibus debitam correctionem non impendant: dixitque se velle, ne archidiaconi quemquam quantumcunque infamem super aliquo crimine conveniant, præter officialis sui conscientiam. Moxque ad aliud sermonem vertens; « cogito, inquit, cogitationes pacis moveorque multum pro bono pacis, quæ in regno meo, clericorum malitia perturbatur, qui rapinas et furta perpetrant, et homicidia plerumque. Peto igitur et volo, ut tuo, domine Cantuariensis, et coepiscoporum tuorum consensu clerici in maleficiis deprehensi vel convicti vel confessi exauctorentur illico, et mox curiæ meæ lictoribus tradantur, ut omni defensione Ecclesiæ destituti, corporaliter puniantur. Volo etiam et peto, ut in illa B exauctoratione, de meis officialibus aliquem interesse consentiatis, ut exauctoratum clericum mox comprehendat, ne qua ei fiat copia corporalem vindictam effugiendi. »

Ad hæc, dominus Cantuariensis, cum super petitionis hujus responso, nec usque mane impetrare posset inducias, secessit in partem cum episcopis suis. Moxque hinc inde allegatum est: episcopi dicebant secundum leges sæculi, clericos exauctoratos curiæ tradendos, et post pœnam spiritualem corporaliter puniendos, quoniam quo digniores sunt privilegio, eo deteriores judicantur in delicto: et quo deteriores in delicto, eo graviori sunt afficiendi supplicio. Non ergo mirum, inquiunt, si privationem ordinis sequatur supplicium corporis. Id ipsum etiam C non solum legibus, sed etiam authenticis propabant exemplis; Levitas Veteris Testamenti proponentes in medium, quos reos forte flagitii lege prohibiti, sequebatur mors corporis; vel juxta similitudinem criminis, multatio in membris.

Dominus vero Cantuariensis sacris canonibus consentiens, in contrarium allegabat, asserens omnino injustum fore, et contra canones, et contra Deum, si ob unius punitionem delicti, duo quis subebat judicia. « Nec enim Deus judicat bis in idipsum. » — « Quod enim, inquit, judicat Ecclesia, aut justum est aut injustum: sed non dabis injustum, erit ergo justum. Quod cum non contineat absolutionem, continet damnationem. Si ergo damnatur reus, cum exauctoratur, non debet aliud judicium inchoari ad ejusdem condemnationem peccati. » Ad hæc quo- D que cavendum est, inquit, nobis, ne nostro consensu opprimatur et pereat libertas ecclesiæ, pro qua, exemplo summi sacerdotis nostri, ex officio tenemur usque ad mortem certare. Nondum autem usque ad mortem restitistis.

Ad hæc episcopi pereuntem Ecclesiæ libertatem nullum periculum affere Ecclesiæ dicebant. « Sed, aiunt, potius nunc expedit, ut pereat, ne toti pereamus. Faciamus ergo quod rex petit; alioquin peribit fuga a nobis, et non erit, qui requirat animas

(13) *Unde aliquando* usque ad *sit*, col. 130, lin. 33, om. cod. Donc., sed habet in alio loco, ubi sub nomine *summa causæ* occurrunt. Habet etiam alius codex (Lambeth. n. 138, f. 205) quem leviter inspexi. At procul dubio sensum interrumpunt et in libro Willelmi male locata sunt.

nostras. Regi vero consentientes, hæreditate possidebimus sanctuarium Dei, et in possessionibus ecclesiarum nostrarum securi dormiemus. Malitiæ etiam temporis hujus multa indulgenda sunt. » Hoc enim dictum est propter schisma, quod tunc fuit in Romana Ecclesia; erat namque apud Alemanniam quidam antipapa. Hæc dicebant episcopi, tanquam diei malitia sua non sufficiat, nisi et ipsa augeatur per malitiam episcoporum.

Ad hæc dominus Cantuariensis zelo domus Dei succensus : » Video, inquit, vos vestras mertias sub specie sustinentiæ consolari, et dispensationis vestræ prætextu, sponsæ Christi libertatem suffocari. Et quis vos fascinavit, o insensati pontifices ? Quid prudenti vocabulo dispensationis manifestam iniquitatem vestram contegitis ? Quid vocatis dispensationem, totius Ecclesiæ Christi dispendium ? Rebus vocabula serviant; non cum rebus pervertantur vocabula. Quod autem dicitis, malitiæ temporis multa fore indulgenda; assentior certe, sed non ob id peccata accumulanda esse peccatis. Potens est Deus Ecclesiæ suæ conditionem facere meliorem, quamvis non efficiamini deteriores. Nunquid impotens est Deus subvenire sanctæ Ecclesiæ, nisi per vitia doctorum Ecclesiæ ? Arbitror vos compati infirmitatibus Christi, quasi impotens sit sponsam suam erigere, nisi sensibus nostris adjuvetur. Revera tentat vos Deus. Quæso namque quando se debent episcopi offerre discrimini ? Nunquid in tranquillitate et non in discrimine ? Erubescitis certe fateri, quod in tranquillitate. Restat ergo, ut cum in Ecclesia est perturbatio, pastor Ecclesiæ opponat se periculo. Nec enim majoris meriti fuit olim episcopis, in suo sanguine Ecclesiam Christi fundare, quam nostris temporibus pro Ecclesiæ libertate sanguinem fundere. Et ego quidem, Deo teste, affirmo, non esse nobis tutum a forma illa recedere, quam a sanctis patribus nostris accepimus. Nec nos quemquam morti debemus exponere, cum etiam judicio sanguinis nobis non licet interesse.

Hæc verba mox ad regem relata sunt. Videns illico quam plures Ecclesiæ, non dico columnas sed arundines, vento agitari et trepidare, audito quod non per omnia voto regis essent parituri. Et certe statim ante minas cessissent, nisi domini Cantuariensis constantiam persensissent. Videns autem rex, quod in verbo illo, ubi voluit proficere, non valuit, citius ad alia se convertit, sciscitans ab eis si consuetudines suas regales essent ei per omnia servaturi Dominus vero Cantuariensis cum consilio locutus : » Etiam, inquit, in omnibus ; salvo tamen per omnia et in omnibus ordine nostro. » Et cum postea id ipsum rex a singulis ex ordine quæreret, erat quidem tunc vox illa in ore omnium. Cum vero diutius instaret, volvens et revolvens, si consuetudines suas regales absolute et absque apposita ordinis sui salvatione, simpliciter omnino se ei

A servaturum promitteret dominus Cantuariensis ; a Christi vicario, quod voluit, obtinere non valuit. Turbatus est ergo rex vehementer, et omnis Jerosolyma cum illo : subitoque in illa spiritus vehementia exsiliens, Londonia discessit universis negotiis suis infectis, et ratiociniis pendentibus. Videres tunc murmur in populo commotionem in clero. Episcopi turbati et tremuli regem abeuntem sunt prosecuti ; metuentes, se non prius regem inventuros, quam audirent, se omnia bona sua perdituros. Moxque operati sunt cum rege occultam conventionem, omni mentione Dei et ordinis sui postposita: et tam facile regis petitioni assensum præbuerunt, ut viderentur consensisse tantum quantum (14) ille petisse ; adeo ut qui inter eos

B æstimabantur scientiores, ad opprimendam Ecclesiæ libertatem fierent proniores. Cantuariensis autem solus præsul resedit, considerans ad déxtram et ad sinistram ; nec fuit qui cognosceret eum. Requirebat in fratribus solatium, at illi abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant. Pacem denique peccatorum videns, et sibi undique imminere discrimen : » Unum, inquit, locutus sum ; quod terreni regis regales nullatenus servarem consuetudines, nisi salvo in omnibus ordine meo. Ob id offensam regis incurri; ob id episcopi mei dereliquerunt me ; ob id totius orbis oculos offendi. Sed quid? Velit, nolit mundus: ego cum mortali paciscens homine, nullo unquam tempore Dei mei et ordinis mei immemor ero, Deo volente. Absit a me, ut cujusquam

C mortalis metu vel gratia, Deum inveniar contempsisse ! Si angelus de cælo venerit, et tale mihi consilium dederit, anathema sit. »

Fuit siquidem rex aliquoties Eboraci ubi ad eum quidam Burgensis suus de Scardeburghe accessit, questus quod quidam decanus abstulerat ei viginti et duo solidos, uxorem ipsius in capitulis plurimis vexans, et deferens sine alio accusatore ream adulterii : contra quam consuetudinem rex legem prohibitionis ediderat. Jussu regis decanus ille evocatus et coram rege conventus, præsenti archiepiscopo suo, et episcopo Lincolniensi, et Dunelmensi, et Joanne tunc Eboraci thesaurario, postea episcopo Pictavensi, respondit edoctus, quod a diacono quodam et alio laico fuerat illa accusata.

D Et cum neganti ei sua fuisset adjudicata purgatio, ut mitius tractaretur, hunc virum ejus archidiacono suo dedisse viginti solidos, et sibi duos. Cum hæc decanus ille coram rege testium astipulatione ibi præsentium probare non posset, exegit de eo rex Judicium, dicens quod archidiaconi et decani regni sui habitatoribus hoc modo plus pecuniæ per annum extorqueant, quam ipse recipiat. Ierunt cum clero illo et barones ejus ad judicandum. Tandem Joanne thesaurarius dixit sibi videri pecuniam esse reddendam Burgensi, et decanum archiepiscopi sui subjiciendum misericordiæ, de officio suo. Ad hæc Richardus de Luci :» Quid ergo domino regi

(14) *Ante quam* ed. Spark., nescio au melius.

judicabitis, in cujus iste incidit constitutionem ? » A Joannes : « Nihil, quia clericus est. » Richardus : « Huic sententiæ non adero. » Et relictis illis, ad regem cum aliis baronibus rediit. Clerus postmodum cum hac intrat sententia, qua ab eodem Joanne formatore pronuntiata, rex aversus, ad archiepiscopum Theobaldum, diem præstituens, provocavit: et falsam esse sententiam iratus oppido dixit. Sed infra diem, nuntiata sibi morte Gaufridi fratris sui, transfretans appellationem non est persecutus.

Item erant regis justitiarii itinerantes aliquando apud Dunstapulam : orta est aliqua altercatio inter Simonem filium Petri et quemdam canonicum Bedefordiæ Philippum de Brois. Questus est postea Simon regi quod eum Philippus, in obsequio ipsius B et magna audientia, turpiloquio inhonorasset. Coram archiepiscopo Philippus super hoc a rege redargutus, cum negare non posset, respondit se conviciis provocatum calore iracundiæ dixisse, non animi judicio. Exegit rex judicium. Clerus ad regem mitigandum decrevit, per annum beneficio præbendæ suæ simul et regni inhabitatione Philippum privandum. Ita factum est ; nec tamen regi satisfactum est.

Prima distantia regis et sancti Thomæ pro quodam clerico, qui in Wirecestriæ territorio dicebatur accubuisse filiam cujusdam probi hominis, et pro ea ipsum patrem occidisse. Hunc clericum rex voluit judicio curiæ laicæ examinari et judicari. Archiepiscopus renitebatur, et clericum illum in custodia C episcopi fecit custodiri, ne regis justitiæ traderetur. Alia, pro clerico, qui, in ecclesia ipsius archiepiscopi, quæ in Londonia est et dicitur ecclesia Beatæ Mariæ in foro, furatus est calicem argenteum, quem comprehensum rex voluit judicio sæculari judicari. Archiepiscopus judicio Ecclesiæ fecit eum exauctorari, et ex abundanti ad regem mitigandum cauteriari.

De concilio apud Clarendone habito.

Itaque rex, conceptis pridem aliquibus adversus clerum communiter, et nunc adversus Thomam archiepiscopum personaliter, crescentibusque de die in diem stimulatione inimica simultatibus, statuit de regalibus suis dignitatibus tractare. Convocatur D generale concilium, et congregatur apud Clarendoniam. Rex proponit et scribit dignitates et consuetudines, quas avitas et in regno Angliæ esse debere dixit. Robertus archidiaconus Oxenfordensis, qui et postea episcopus Herefordensis, et Jordanus archidiaconus Cicestriæ, domestici clerici domus archiepiscopi, et quidam alii, intellecta domini regis ira, quæ adversus eum graviter concepta quotidianis augebatur incrementis, accepta licentia discesserant ab eo. Rex etiam statim a principio, ex quo iram adversus eum altius conceperat, procuravit longius ab eo amovere duos probos et honestos clericos nutritos ab adolescentia de bonis ipsius archiepiscopi, duorum unus erat thesaurarius Eboracensis, et alter canonicus Sarum, et uterque Joannes dictus erat, ne in opportunitatibus suis archiepiscopus illorum consilio vel auxilio uteretur. Alterumque eligi et ordinari episcopum Pictavensem ; alterum vero exsulare jussit. Sed et episcopum Herefordiensem Gilbertum propius ascitum obtinuit a domino papa transferri in Londoniensem episcopum, sicut putabatur, ut ejus contra archiepiscopum uteretur consilio.

Consuetudinem illarum plura capitula erant de libertatis ecclesiasticæ conculcatione, de cleri omnimoda oppressione: ut clericus accusatus de furto, vel rapina, vel hujusmodi, primo veniat in curiam regis. Item, ut pro puantocunque crimine non excommunicetur comes, vel baro, vel officialis regis, rege inconsulto. Item ne appellationes fierent ad dominum papam, nisi post litem auditam in foro ecclesiastico coram decano, archidiacono, episcopo, archiepiscopo, et tandem in curia regis. Ne ad dominum papam iter arriperent episcopi, vel alii clerici vocati ab eo, vel appellati, vel appellantes ad eum, nisi par licentiam regis. Ne omnis controversia de fidei vel sacramenti transgressione sit in foro ecclesiastico; sed tantum de fide adacta, pro nuptiis, vel dote, vel hujusmodi, quæ non debent fieri nisi in facie Ecclesiæ. De aliter dato fidei sacramento, ut de debitis, vel sic, statuit rex causam esse in foro laico. Item ut episcopi adsint omnibus sæcularibus judiciis regis preterquam judicio sanguinis, et aliis in hunc modum, quæ palam cum sacris canonum constitutionibus dissonantiam resonabant. Sed scriptæ nunquam prius fuerant, nec etiam omnino fuerant in regno Angliæ hæ consuetudines. Et etiam si fuissent, ne de antiquitate et usu potius quam de jure niteretur, rex, in illis spuriis statutis firmandis, attendere debuisset, quia Dominus dicit: « Leges meas custodite. » Item illud : « Væ qui condunt leges iniquas ! » Item nusquam invenitur Dominum dixisse: « Ego sum consuetudo ;» sed dixit :« Ego sum veritas. » Item consuetudinis ususve longævi non tanta est auctoritas; ut aut rationem, ut ait imperator paganus, vincat aut legem. Imo, revelatione facta æquitatis et veritatis, cedat usus rationi; ut in decretis scripserunt sancti patres: quorum ergo contra rationem et ecclesiaticam libertatem statuit et scripsit rex Christianus. Sed archiepiscopus Thomas, integer vitæ scelerisque purus, alias non poterat attentari. Imo exquisitissimo dolo et arte maligna hoc ei procuratum est, ut vel has traditiones corroborans incideret in manus Dei, vel respuens incideret in manus regis: et condemnaretur turbator regiæ majestatis, inimicus coronæ, et occidere tur. Dicebaturque hoc commentum fuisse Rogeri archiepiscopi Eboracensis, et Gilberti Londoniensis et Joannis episcopi Sarum. Nam et postmodum super hoc a domino papa severissime redarguti, se purgaverunt in facie hominum, præstitis sacramentis Hilario tamen prius obito, exquirit rex assen-

sum cleri, in his statutis firmandis. Proponitur tandem archiepiscopo, et contradicentibus episcopis discrimen a regis interpretibus, tanquam regi coronam regni auferre velit, si hæc decreta confirmare contradixerit. Archiepiscopus adnitentibus episcopis diu restitit, diu contradixit. Tandem ultimi nuntii regis venerunt, lacrymosis verbis expresse ei seorsim tracto significantes, quid futurum erat, si non acquiesceret. Timore mortis, et ut regem mitigaret, acquievit ad tempus, assensu et in verbo veritatis stipulatione, et sigillorum suorum impressione. Archiepiscopus, et ille Eboracensis, et omnes episcopis, statuta illa firmaverunt servanda regi legitime, sine dolo malo, et in bona fide. Rex eadem postea decreta transmisit domino papæ confirmanda; quæ ipse lecta et intellecta reprobavit, expavit, damnavit.

Archiepiscopus Dei electus, post causam fortior erectus, spiritum resumpsit, pœnituit, et se ipsum austerioribus alimentis et indumentis gravius cœpit affligere, et se ab officio altaris suspendit, donec per confessionem et condignos pœnitentiæ fructus a Romano pontifice absolutus, meruit relaxari. Vere pœnituit, quia, quantumcunque in eo erat, errata revocare et corrigere parat: coepiscopis revocare concessa vel nolentibus, vel regis timore qui incubuit super eos, non audentibus. Ad familiare regis domicilium, lapideo muro circumseptam indaginem de Wodestoke, ubi audierat esse regem, iter agit archiepiscopus, aliquid ei locuturus; sed a janua repulsus redit Cantuariam. In maritima apud Rumeneye, villam suam, archiepiscopus recedere deliberans, ut regis iram ad tempus declinaret, bis attentavit mare; sed ventum vel nullum habuit vel contrarium. Quod auditum, regis iram maxime inflammavit.

De concilio apud Northamptonam habito.

Unde rex postmodum aliud generale edicit concilium; locum designans apud Northamptonam. Octava sancti Michaelis, feria tertia, concilii dicta dies aderat; ipsa die venimus Northamptonam. Regem ea die non vidit archiepiscopus: quia rex circa rivos aquarum et fluenta in avibus cœli ludens veniendo, Northamptonam sero intravit. Crastino mane, dicta missa et horis, archiepiscopus ad curiam venit, ad castrum regis: in cameram primam intromissus, sedit regem exspectans, qui tunc missam audiebat: cui venienti venerabiliter assurgens, vultum exhibuit constantem, placidum, ad osculi consuetam Anglis gratiam offerendam verecunde recipiendam paratum si rex præoccuparet. Ad osculum non est receptus. Primam sumpsit archiepiscopus loquendi materiam, de Willelmo de Curci, qui unum hospitiorum suorum occupaverat; petebatque a rege, ut illud sibi vacuari præciperet: præcepit. Secundus sermo ejus fuit, quod ad vocationem ipsius, pro verbo, quod ei moverat Joannes Marescallus, venerat. Siquidem Joannes petebat ab archiepiscopo terram unam, membrum quoddam villæ archiepiscopalis de Pagaham. Et aliquot diebus pro causa illa sibi designatis, cum breve regis in curiam archiepiscopi venerat: ubi cum non proficeret, nullo siquidem jure munitus, quod tunc lex erat; probavit tandem defectum curiæ archiepiscopi, sed super librum troporum extractum de sub pallio suo: causantibus justitiariis curiæ archiepiscopi, quod neque librum ad hoc, neque talem attulisse deberet. Reversusque ad regem, litteras citationis archiepiscopi in curia regis ei responsuri emeruerat: præstituta liti die exaltationis sanctæ crucis. Ad diem autem illum archiepiscopus non venerat; sed miserat regi quatuor milites, cum litteris suis et vicecomitis Cantiæ pariter attestantis injuriam Joannis, et imperfectum probationis ejus. Sed quid? Indigne ferens rex, quod ab eo citatus archiepiscopus in propria persona non venerat, hoc, si vellet, allegaturus, male tractavit nuntios ipsius, molestus eis in ira et minis; tanquam qui contra regis citationem, in curiam ejus excusationem falsam et minus utilem attulerant: et tandem datis vadibus, eos vix relaxavit. Et aliam diem, ad instantiam prædicti Joannis, rex pro eadem causa præfixit, litteris suis ad vicecomitem Cantiæ de archiepiscopo citando emissis. Nec tunc enim, nec diu ante, ei scribere voluerat; quia eum salutare nolebat. Nec aliam per litteras sibi directas solemnem et primam, ut antiqui moris erat, habuerat archiepiscopus ad concilium citationem. Dixit, inquam, archiepiscopus se ex mandato regis pro causa Joannis venisse; ad quod rex ait: Joannem esse in ejus servitio Londoniæ; venturum autem in proximo, et tunc de eorum causa cognosceret. Erat siquidem et Joannes ille cum thesaurariis et cæteris fiscalis regalis, numismatis, pecuniæ, et publici æris receptoribus Londoniæ, ad quadrangulam tabulam, quæ dicitur Calculis bicoloribus, vulgo Scaccarium; potius autem est regis tabula nummis albicoloribus: ubi etiam placita coronæ regis tractantur. Eo die inter regem et archiepiscopum nil amplius actum est: sed dixit rex ei, ut ad hospitium iret, et in crastino ad causam suam reverteretur. Rediit. Secunda die, considentibus episcopis, comitibus, et baronibus Angliæ omnibus, Normanniæ pluribus, præter Rophensem episcopum, qui nondum venerat, et quemdam alium; archiepiscopus læsæ majestatis coronæ regiæ arguitur. Quia, scillicet, ut supra narratum est, a rege citatus pro causa Joannis, neque venisset neque idonee se excusasset. Archiepiscopi depulsio nullum locum habuit; allegata Joannis supradicta injuria, et jurisdictione hujus causa sua propria, et curiæ suæ integritate. Rex exegit judicium. Archiepiscopi ratio nulla est approbata. Visum est omnibus ex reverentia regiæ majestatis et ex astrictione ligii homagii, quod domino regi archiepiscopus fecerat, et ex fidelitate et observantia terreni ejus honoris, quam ei juraverat, quod parum esset defensus vel excusatus, quia citatus a rege neque venerat, neque corporis infirmitatem, vel necessariam,

quæ differri non posset, ecclesiastici officii administrationem per nuntios allegaverat: condemnandumque eum dixerunt in pœnam pecuniariam omnium bonorum suorum mobilium ad misericordiam regis. De proferendo judicio distantia fuit inter episcopos et barones, utrisque alteris illud imponentibus, utrisque se excusantibus. Aiunt barones : « Vos episcopi debetis pronuntiare sententiam ; ad nos non pertinet hoc : nos laici sumus, vos personæ ecclesiasticæ, sicut ille ; consacerdotes ejus, coepiscopi ejus. » Ad hæc aliquis episcoporum : « Imo vestri potius est hoc officii, non nostri ; non enim est hoc judicium ecclesiasticum, sed sæculare. Non sedemus hic episcopi, sed barones. Nos barones et vos barones pares hic sumus. Ordinis autem nostri rationi frustra innitimini. Quia si in nobis ordinationem attenditis, et in ipso similiter attendere debetis. Eo autem ipso quod enim episcopi sumus, non possumus archiepiscopum et dominum nostrum judicare. » Sed quid ? Rex, hac audita de pronuntiando controversia, motus es ; et controversari super hoc desitum est. Dominus Wintoniensis impositus dicere, tandem et invitus pronuntiavit. Archiepiscopus autem, quia sententiæ vel recordationi curiæ regis Angliæ non licet contradicere, sustinuit, consilio episcoporum ; adacta ad mitigandum et honorandum regem solemni in manum ipsius missione, quasi concessionis judicii, ut moris est ibi : et omnibus episcopis datis vadibus, præter Gilbertum illum Londoniensem qui rogatus pro eo spondere noluit : quæ eum singularitas notum fecit.

Post, eadem die, conventus est archiepiscopus de trecentis libris perceptis de castellaria Eye et Berchamstede. Archiepiscopus, litis declinatione præmissa, ut qui ad hoc citatus non fuit, ait, non utin lite; se hanc pecuniam et multo plurem misisse, ad reparationem palatii Londoniæ et castrorum prædictorum, ut cernere erat. Rex noluit esse auctor ejus, quod hoc per eum factum esset. Exigit judicium. Archiepiscopus gratia regi reddere aquiescens pecuniam hanc, quoniam omnino nolebat, ut quantalibet pecunia esset irarum inter eos causa, semotim laicos fidejussores comitem Gloucestriæ et Willelmum de Einesfordia, et tertium quemdam, homines suos, interposuit. Sub hoc fine die illa discedebant.

Die tertia, Cerci condictione [certi conditione *cod. Douc.*], convenitur archiepiscopus per internuntios, de quingentis marcis, ex causa commodati in exercitu Tolosæ, et aliis quingentis marcis ex causa fidejussionis regis pro eo, ergo quemdam Judæum ibidem. Item convenitur actione tutelæ de omnibus perceptis ab archiepiscopatu vacante, seu aliis episcopatibus et abbatiis tempore cancellariæ ejus vacantibus : jubeturque super his omnibus regi rationem exponere. Respondit archiepiscopus, se non ad hoc venisse paratum vel citatum. Super hoc si convenire deberet, loco et tempore, domino suo regi, quod juris esset, faceret. Exegit rex ab eo super hoc cautionem fidejussoriam. Dixit ille, se oportere super hoc habere consilium suffraganeorum et clericorum suorum. Rex sustinuit. Ille dicessit, et ex illa die amplius ad hospitium ejus non venerunt eum videre barones, ut alii milites, intellecto regis animo.

Quarta die, ad hospitium domini archiepiscopi venerunt omnes ecclesiasticæ personæ illæ. Cum episcopis semotim, cum abbatibus semotim, super hujusmodi tractatum habuit, consilium captavit. Consilio nobis Henrici Wintoniæ episcopi, ordinatoris ejus, qui ei ad hoc auxilium validum promisit, tentatum est, si regem pecunia possent delinire : et obtulit ei duo millia marcarum. Rex noluit. Fuerunt aliqui de clero qui dicerent archiepiscopo quod, pro debito officii suscepti, Ecclesiam Dei tueretur, personam suam et dignitatem attenderet ; regem honorificaret in omnibus, salva Dei et ecclesiastici honoris reverentia ; nihil adversi esse quod timere deberet, cum ei nullum crimen, nulla turpido imponeretur. Cantuariensi Ecclesiæ redditus fuerat liber a cancellaria et omni regis sæculari querela ; cum quælibet etiam abbatia vacans monachum alienum abbatem sibi electum reciperet nolit, nisi immunem ab omni obedentia abbatis ejus sibi dimissum. Aliis, secreto regis aure et mente inclinatoribus, longe alia mens erat, dicentibus, Dominus rex ei in ira molestus est. Ex certis signis animum regis interpretamur hunc esse, quod Dominus archiepiscopus super omnibus, et super reddendo archiepiscopatu, omnino misericordiæ regis se supponat. Inter quos et Hilarius Cicestrensis in partem regis inclinatior, ait ei : « Utinam posses esse non archiepiscopus, et remanere Thomas. » Hic etiam alias dixit de eo : « Omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur. » Quasi diceret, quia electionem ejus regis declarata voluntas præcessit. De quo archiepiscopus, postea in exsilio suo, alicui dixit : « Et hic inter fratres locum obtinuit Judæ proditoris. Posmodumque, ante revocationem et pacem archiepiscopi, quasi a Deo percussus, expiravit. Iste Cicestrensis persecutus, pro se et aliis quibusdam complicibus suis, ait : « Ex convictu et familiaritate cancellariæ, regem melius nostis quam nos. Indubitatum est nobis, contendendo an cedendo melius vincatur. In cancellaria ei, et in pace et in guerra, probe et laudabiliter officiosus, non sine invidia (15) tamen, laudem invenistis : qui vobis tunc inviderunt, nunc regem accendunt adversus vos. Quis de tanto ratiocinio de tam incerta pecunia posset spondere pro vobis ? Dicitur, regem dixisse, quod non amplius in Anglia simul eritis, ille rex, vos archiepiscopus. Ad misericordiam ejus relinquere omnia tutius est ; ne forte, quod absit ! vos tanquam cancellarium et rationalem suum, pro pecunia sua conventum, tan-

(15) *Et sine invidia* ed. Spark.

quam reum repetundarum et fidejussoribus carentem retineat, vel manum in vos mittat : unde Ecclesia Angliæ dolorem, et regni facies contrahat ruborem. »

Dicebat aliquis. « Absit ut sic sibi et corporis sui saluti consulat, et Cantuariensem Ecclesiam, quæ eum sibi elegit, inhonoret ! Nullus hoc suorum fecit antecessorum ; et tamen persecutiones in diebus illis passi sunt. Præterea beneficium archiepiscopale, villas et hujusmodi in manu domini regis forte posset, salvo jure Ecclesiæ, refutare ad tempus ; suum officium vero nequaquam. » Ita in varias consulti distrahebantur sententias ; aliis sic, aliis vero non sic.

Quinta dies, quæ et Dominica erat, tota consiliis dedita est. Vix reficiendi hora respirare licebat. Archiepiscopus ab hospitio non discessit.

Sexta die, languor repente ut fit ortus, eum moratus est, quo minus ad curiam iret. Siquidem renes ejus frigore et dolore contremuerunt : oportuitque cervicalia calefacere, et vicissim apponere. Quo audito, rex misit omnes comites suos, barones plurimos, responsum captati consilii quærens ab eo, et proponens, vellet ne de reddenda ratione receptorum, tempore cancellariæ, de vacantibus ecclesiis fide jussoriam præstare cautionem, et super hoc curiæ suæ stare judicio. Respondit per episcopos archiepiscopus, quod scilicet ei pro corporis adversa valetudine, in crastino ad curiam veniret, facturus quod deberet. In crastino mane, ad quoddam altare sancti Stephani protomartyris celebravit missam, *Etenim sederunt principes*. Illius missæ cantationem statim insidiantes regis delatores ei nuntiant, maligne interpretantes, quod pro se, quasi altero Stephano protomartyre, contra regem et suos iniquos eum prosequentes, archiepiscopus illam missam celebraret. Post ad curiam vadit. Obiter præcedenti eum ait Alexandro crucis suæ bajulo : « Melius egissem, si in nostris instrumentis venissem, » Proposuerat enim, quod nudis pedibus incedens, et revestitus, et crucem bajulans, ad regem intraret, ei pro pace Ecclesiæ supplicaturus. Sed ab hoc proposito eum clerici sui averterunt, neque quod crucem tollere vellet. Intraturus in aulam castri, cum equo descendisset, crucem, quam præviam bajulaverat Alexander Wallensis, in manibus accepit. Aderat ibi ad ostium aulæ episcopus prædictus Gilbertus Londoniensis ; cui Hugo de Nunant, quidam archidiaconus Lexoviensis, qui cum archiepiscopo venerat et de domo ejus erat ; Domine præsul Londoniensis, ut quid sustines, quod crucem ipse bajulat ? Episcopus : « Bono homo, semper fuit stultus, et semper erit. » Omnes enim archiepiscopo ingresso viam cedebant. In cameram se recepit ; loco solito sedit ; episcopi juxta eum, Londoniensis propius. Qui aderant, obstupuere omnes, et in eum oculi omnium intendebant. Episcopus Londoniensis suadebat, ut crucem uni clericorum suorum traderet. Paratum eum dicebat, quasi vellet totum regnum turbare. « Crucem, ait Londoniensis, in manibus tenetis : si modo rex gladium suum accipiat en bene ornatum regem, bene ornatum archiepiscopum. » Archiepiscopus : « Si fieri posset, meum inquit, esset semper eam in manibus propriis ferre : nunc autem scio quid faciam. Equidem ut pacem Dei conservem, personæ meæ et Anglorum Ecclesiæ. Dicis ut libet, tu si hic sis, aliter sentias. Si autem dominus rex, ut dicis, modo gladium acciperet, hoc utique signum pacis non esset. » Forte memor erat archiepiscopus, in quam arcto res fuerat apud Clarendonam, quando, erumpentibus lacrymis, nuntii regis ad eum venerunt.

Vocati ad regem omnes episcopi, multam ibi introrsus moram faciunt ; et cum eis Rogerus ille archiepiscopus Eboraci, qui ultimus ad curiam veniebat, ut conspectior ingrederetur, et de consilio ille regis esse non videretur : qui et suam e regione anticrucem sibi præferri faciebat,

quasi pila minantia pilis.

Prohibitus etiam a domino papa, litteris sibi emissis, ne in provincia Cantuariensi crucem antesignanus ejus ferret : sed accepta prohibitione de falsa domini Cantuariensis suggestione, appellationem interposuerat, qua se tutum gerebat. Nec mirum, si dolor, et gemitus, et contritio cordis obsedissent archiepiscopum : nam audierat, quod ea die, vel per sententiam qualemcunque caperetur, vel si hoc evaderet, facta contra eum pravorum conjuratione, occideretur, congressus, quasi rege nesciente. Interim silentio ait archiepiscopo suus in divina pagina magister Herbertus : « Domine, si forte miserint manus impias in vos, in promptu habeatis excommunicationis in eos ferre sententiam ; ut tamen spiritus salvus fiat in die Domini. » Cui Willelmus filius Stephani, qui ad pedes archiepiscopi assidebat, aliquantulum clare dixit, ut audiret archiepiscopus : « Absit hoc ab eo ! non ita fecerunt sancti apostoli et martyres Dei, cum caperentur et raperentur sublimes : potius, si hoc contigerit, oret pro eis et ignoscat, et in sua patientia animam suam possideat ! Si enim eum pro causa justitiæ et libertatis ecclesiasticæ pati contigerit, præstante Domino anima ejus erit in requie, memoria in benedictione Si sententiam in eos proferret, videretur omnibus, quod ex ira et impatientia, hoc quod posset, in ultionem sui fecisset. Et procul dubio contra decreta ageret ; ut scribi beatus Gregorius Januario archiepiscopo : « Nil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te habere conversationem significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. » Joannes Planeta (16) hæc audiens, lacrymas erumptes laborabat retinere. Similiter et Radulphus de Diceto, archidiaconus Londoniensis, postea decanus, plurimum ea die ibi lacrymatus est. Archiepiscopus talia audiens, conferebat in

(16) *Plenata* ed. Sparck.

corde suo. Post modicum, idem Willelmus filius A Stephani volens loqui archiepiscopo, et a quodam marescallo regis, qui cum virga sua astabat, prohibitus, dicente, quod nullus ei loqueretur; post intervallum, intendens in archiepiscopum, erectione oculorum et motu labiorum, signum fecit ei, quod crucis suæ exemplum, et crucifixi, quam tenebat, imaginem respiceret, et quod in oratione esset. Archiepiscopus signum illud intellexit bene, et fecit sic, confortatus in Domino. Quod, post plures annos, archiepiscopus in Galliis exul apud sanctum Benedictum supra Ligerim, eidem Willelmo ad dominum papam eunti, inter cæteram angustiarum suarum recordationem memoravit.

Sed, rex Christiane, quid agis? Ratione Baroniæ et possessionis in curia tua laica judicare facis B filius patrem, subditus archiepiscopum, ovis pastorem, cum in curia laica nec minimus clericus respondere teneatur obnoxius? » Ais: non sed rex baronem. Ad quod: « Majus est in te quod Christianus es, quod ovis Dei es, quod filius adoptionis Dei es, quam quod rex es. Et in illo majus est, quod archiepiscopus, quod vicarius Jesu Christi quam quod baronius est. Attend. status. Minoris est ejus possessio quam ejus ordo, sed præjudicat majus minori, dignius indigniori. Ergo fortior et efficacior debet esse ordo, ut eum a foro tuo eximat, quam baronia et possessio ut eum ibi obnoxium retineat. Et, si altius attendas ipsam ejus possessionem, non est ejus sed Ecclesiæ. Fuit sæcularis: data Deo facta est ecclesiastica. Absorpta est in ea sæcularitas a C titulo divini juris. Unde nec ratione ejus sæculari judicio tenetur archiepiscopus obnoxius. Itaque nec ratione personæ nec ratione rei quam possidebat, tenetur judicio curiæ judicandus. Archiepiscopus reservandus est judicio solius papæ; papa solius Dei. Si quid habebas adversus eum quod concordiæ et charitatis interventu non posset mitigari, domino papæ segregasse debueras: juri ab eo avocatus nuntiis nostris episcopis et clericis ibi responderet: vel a latere domini papæ in regnum vestrum impetrasses mitti legatos, cum judiciariæ potestatis plenitudine. » Episcopus Herefordensis, magister Robertus de Melidono, qui amplius quam quadraginta annos Parisiis docuerat dialecticam et divinam paginam, una dierum in quodam concessu episco- D porum aliquot, et plurium clericorum lacrymabilem quæstionem proposuit: « Si contingat, inquiens, quod absit! dominum archiepiscopum in hac causa pro libertate Ecclesiæ occidi, nunquid martyrem eum habebimus? Pro matre fide occumbere est esse martyrem. » Ad quod aliquis: « Proculdubio si quid, quod absit! ita contingeret, dicendum esset eum martyrii coronam gloriosissime adeptum. Non sola fides est causa martyrii, sed plures sunt causæ, veritas, libertas Ecclesiæ, charitas patriæ vel proximorum, unaque sufficiens causa, dum Deus sit in causa. » Beatus Joannes Baptista de fidei articulis cum Herode vel Herodiade non tractaverat, sed pro veritate occubuit, quia dixit: « Non licet tibi habere uxorem fratris tui. » Similiter et iste dicit; « Non licet tibi, rex, Ecclesiam hac opprimere servitute, ut constitutionibus tuis, quæ sunt contra canones, ecclesiastici viri ordinati Dei teneantur obnoxii. » Item, septem fratres, inspectante et hortante matre ut starent viriliter, martyrii genera diversa passi sunt, quia de esu carnis porcinæ mandatum Dei et observantias patrum noluerunt prævaricari. Beatus quoque Lanfrancus archiepiscopus sanctum Anselmum, tunc abbatem, consuluit de sancto Alphego, si inter martyres Dei esset habendus, proponens quod ideo ab alienigenis hostibus, Angliam navigio ingressis, esset occisus, quia aurum quod filiis et hominibus Cantuariensis Ecclesiæ indixerant, noluerit dare. Beatus Anselmus: « In illo præcipuus est habendus. qui pro vitæ suæ defensione vel prolongatione noluit filios et proximos suos vexari in æris quod hostes indixerant, solutione. Pro libertate quidem et salute proximorum occubuit. Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Et titulus innocentiæ, ubi nullum certamen præcessit, martyrem facit. Unde et Abel dicitur primus coronatus in martyrio. Sane etiam paganorum hæc sana fuit sententia:

. . . . acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternæ necis :
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor. »

Deus bone, quam multi clericorum et militum, qui aderant, veras et luculentas de contemptu mundi proferebant sententias, cum solus ibi crucem tenens sedebat archiepiscopus et omnes suffraganei episcopi ejus, et comites et barones ad regem evocati essent, et elongati ab eo! Dicebat aliquis: « O sæculum captiosum! cujus tanquam maris tranquilli, quamvis aliquando serena sit superficies, intus tamen tempestates habet absconditas. » Alius aliqui: « Omnium rerum vicissitudo est. Amor Domini feudum (17) non est. O honores mundi! in quibus etiam quæ sperantur timenda sunt. »

Episcopi introrsus cum rege colloquentes, inter cætera dixerunt ei, quod ipsa die cum venissent ad archiepiscopum, malæ tractationis redarguti sunt ab eo, quod scilicet nuper eum inimicitius tractassent cum baronibus, et severius justo judicassent, et inaudito more, quoniam, et si pro una absentia, quam supersisam regis dicunt, non tamen contumacia judicari deberet, non deberent eum condemnasse ad misericordiam regis, in pœnam pecuniariam omnium bonorum mobilium. Hoc enim modo destrui posset Cantuariensis Ecclesia, si rex immisericors eum obdurare vellet. Et ipsis episcopis baronibusque captiosum tale in tali casu poset esse judicium. Sed constitutum esse in singulis comitatibus summam unam pecuniæ, condemnatis in pœnam pecuniariam ad misericordiam regis solvendam. In Lon-

(17) *Feudum* om. ed. Spark.

donia siquidem centum solidi constituti sunt. In Cantia, quæ mari proprius admota, piratas a littore Angliæ habet arcere, et primum sibi ictum in bellis contra hostes alienigenas vindicat; quo majus est ei onus, major est ei data libertas: et tibi quadraginta solidi constituti sunt taliter condemnatis. Ipseque domicilium et sedem suam habens in Cantia, saltem ad legem Cantiæ judicari et taxari deberet. Dicebant etiam episcopi, quod adhuc ipsa die, infra decem dies datæ sententiæ, eos ad dominum papam appellaverat; et ne de cætero eum judicarent pro sæculari querela quæ de tempore ante archiepiscopum ei moveretur, auctoritate domini papæ prohibuerat.

Motus rex, misit ei comites suos et barones plurimos, quærere ab eo, si hujus appellationis et prohibitionis se gereret auctorem; maxime cum homo ejus ligius esset, tenereturque ei et communi sacramento et speciali apud Clarendonam stipulatione in verbo veritatis, quod regales suas dignitates in bona fide, sine dolo malo et legitime conservaret. Inter quas, hæc una est, ut episcopi ejus omnibus adsint judiciis, præterquam judicio sanguinis. Quærere etiam ab eo, si vellet cavere, datis vadibus, de ratiocinio cancellariæ reddendo, et super hoc curiæ ejus stare judicio. Ad quod ille, respecta crucifixi imagine, animum et vultum firmans et residens, ut suam archiepiscopi conservaret dignitatem, luculentam et æqualem, ut nec in uno verbo subsisteret, orationem habuit hujusmodi:

« Viri fratres, domini regis comites et barones, ego equidem domino nostro regi, ligio, homanagio, fidelitate et sacramento astrictus sum: sed sacramentum maxime sacerdotale comites habet justitiam et æquitatem. Honori et fidelitati domini regis teneor, tam devota quam debita subjectione, propter Deum, obsequium in omnibus præstare, salva Dei obedientia, et dignitate ecclesiastica, et personæ meæ honore episcopali, litem declinans, ut qui neque ad exponendum ratiocinium, neque ad causam aliquam, præterquam ad causam Joannis, vocationem habui, neque alii in causa responsioni faciendæ vel judicio audiendo, teneor hic obnoxius. Fateor et recolo, me plurimas administrationes et dignitates a domino rege suscepisse; in quibus ei fideliter deservivi, citra et ultra mare: et etiam, reditibus meis propriis omnibus in servitio ejus expensis, gaudeo quod æris plurimi debitorem me creditoribus obligavi. Cum autem ex permissione divina, et domini regis gratia, archiepiscopus electus consecrari deberem, ante consecrationem a rege immunis dimissus sum, et Ecclesiæ Cantuariensi redditus, liber, quietus et solutus ab omni regis querela sæculari, licet modo hoc in ira diffiteatur; quod probe plurimi vestrum noverunt, omnesque ecclesiasticæ regni hujus personæ. Vosque hujus veritatis conscios oro et obtestor, ut domino regi hæc suggeratis, contra quem, etiamsi est licitum, non est tutum testes nominare: nec modo opus est, quia non litigo. Post consecrationem, disposui honorem et onus susceptum opera et opere excolere, et Ecclesiæ Dei aliquatenus prodesse, cui conspiciebar præesse. Qua in re si non datur prodire, si nequeo proficere, reflante adversitate, non domino regi, non alii cuiquam, sed principaliter peccatis meis id imputo. Potens est Dominus augere gratiam cui et cum voluerit.

« De reddendo ratiocinio fidejussores dare non possum. Omnes episcopos, et opitulares amicos meos jam hic obligavi: neque ad hoc cogi debeo; quia mihi hoc adjudicatum non est. Neque in causa sum ratiocinii, quia ad causam illam non vocatus fui, neque aliquam habui ad causam citationem, præterquam ad causam cum Joanne Marescallo. Quod autem de prohibitione facta hodie episcopis seu appellatione, mihi instatis, recognosco equidem me coepiscopis meis dixisse, quod pro una absentia, non tamen contumacia, severius justo me condemnaverunt, et præter morem et exemplum longe retro vetustatis. Unde et eos apellavi, prohibens ne de sæculari querela temporis ante susceptum archiepiscopium, me iterum, hac pendente appellatione, judicent; et adhuc appello; et tam personam meam quam Cantuariensem Ecclesiam sub Dei et Domini papæ colloco protectione. »

Finierat; proceres alii cum silentio ad regem revertebantur, verba ejus pensiculantes et examinantes. Alii dicebant: « Ecce prohibitionis ex ore ejus audivimus blasphemiam. » Aliqui baronum et stipatorum lateris regii, obtorto collo incedentes, et obliquis oculis respicientes eum, loquebantur inter se aliquantulum clare, et ut ipse audiret: « Rex Willelmus, qui subegit Angliam, novit clericos suos domare. Ipsum fratrem suum Odonem, Baiocensem episcopum, rebellem sibi cœpit. Stigandum Cantuariensem archiepiscopum, nigranti injectum puteo perpetuo carceri damnavit. Pater etiam domini nostri regis Goffridus, comes Andegaviæ, qui et Normanniam in manu forti sibi subdidit, Arnulfum (18) Sagiensem electum et plures clericorum ejus fecit ejurari, et ennuchatorum ante se in pelvi afferri membra; quia citra assensum ejus electioni Sagiensis Ecclesiæ de se factæ, assensum præbuit, et se electum gerebat. »

Rex, responso archiepiscopi accepto, instat episcopis, præcipiens et obtestans per homanagium et fidelitatem sibi debitam et juratam, ut simul cum baronibus de archiepiscopo sibi dictent sententiam. Illi se excusare cœperunt, per interpositam archiepiscopi prohibitionem. Rex non acquievit; asserens quod non teneat hæc ejus simplex prohibitio contra hoc quod Clarendonæ factum et juratum fuerat. Econtra regi ingerunt episcopi, quod apponere, et in quo super eos manum aggravare possit archiepiscopus, si ab eis prohibitioni et appellationi paritum non fuerit: et pro bono regis et regni, velle et de-

(18) *Arnulfum* ed. Spark.

bere prohibitioni factæ acquiescere. Tandem rege suaso, episcopi captato consilio suo, ad archiepiscopum intrant. Flebat Robertus Lincolniensis, et quidam alii lacrymas vix continebant. Tunc præfatus Cicestriensis sic orsus est : « Domine archipræsul, salva gratia vestra, habemus quod de vobis plurimum queramur. Plurimum nos episcopos vestros offendistis; in angiportu magno nos inclusistis, quasi inter malleum et incudem nos misistis, hac prohibitione vestra; cui si non paruerimus, inobedientiæ, si paruerimus, constitutionis et offensæ regiæ vinculis illaqueamur. Nuper enim apud Clarendonam vobiscum congregati, a domino rege conventi fuimus de observandis regalibus suis dignitatibus; et ne forte hæsitare possemus, ipsas de quibus loquebatur consuetudines suas regales scriptas nobis ostendit. Tandem illis spopondimus assensum, promisimus observantiam; vos primo loco, nos suffraganei vestri postmodum, ex vestro præcepto. Ad hæc cum super hoc exigeret a nobis dominus rex cautionem juratoriam, et per sigillorum nostrorum impressionem, diximus sufficere sibi debere pro sacramento sacerdotali, quod dicebamus ei, in verbo veritatis, regales suas illas dignitates nos observaturos in bona fide, sine dolo malo, et legitime. Dominus rex persuasus acquievit. Quo contra nunc nos venire compellitis, interdicendo, ne ei, quod de nobis exigit, adesse possimus judicio. Ab hoc gravamine, et ne quid ad læsionem nostram addatis, dominum papam appellamus, et hac vice prohibitioni vestræ præstamus obedientiam. »

Archiepiscopus: « Quod dicitis, audio, et Deo propitio appellationis prosecutioni adero. Clarendonæ autem nihil concessum est a me, vel a vobis per me, nisi salvo honore ecclesiastico. Ut enim vos ipsi dicitis, has tres ibi retinuimus determinationes, in bona fide, sine dolo malo, et legitime; per quas salvæ sunt Ecclesiis nostris dignitates, quas e jure pontificio habemus. Quod enim contra fidem Ecclesiæ debitam et contra leges Dei est, non potest in bona fide et legitime observari; item, non est Christiani regis dignitas, ubi ecclesiastica, quam observandam juravit, perit libertas. Ad hæc, easdem quas dicitis dignitates regales scriptas, dominus rex summo pontifici confirmandas transmisit; et reportatæ sunt ab eo potius improbatæ quam approbatæ. Exemplum nobis dedit in doctrinam, ut et nos ita faciamus, parati cum Ecclesia Romana recipere quæ recipit, respuere quæ respuit. Præterea si lapsi sumus Clarendonæ, caro enim infirma, spiritum resumere debemus, et in virtute Spiritus sancti contra hostem antiquum eniti; qui utrumque procurat, ut et *qui stat cadat, et qui cecidit non resurgat.* Si sub stipulatione in verbo veritatis ibi concessimus vel juravimus injusta, notis, quia illicita jurantes nullo jure obligantur. »

Redeunt ad regem episcopi, et ejus pace a judicando archiepiscopum excusati a baronibus submoti seorsum sedent; nec minus a comitibus et baronibus suum exigit rex de archiepiscopo judicium. Evocantur quidam vicecomites et secundæ dignitatis barones, antiqui dierum, ut addantur eis et adsint judicio. Post aliquantam moram ad archiepiscopum redeunt proceres. Comes Legecestriæ Robertus, qui maturitate ætatis et morum aliis prominebat, quibusdam aliorum imponens ut pronuntiarunt, renitentibus cœpit negotium Clarendonæ habitum articulatim commemorare, ut superius fecit; et archiepiscopo minus (19) hilaris Hylarius Cicestrensis episcopus, quasi inde manifesta erat regiæ majestatis læsio, et promissionis in verbo veritatis ibi factæ transgressio: dicebatque archiepiscopo, quod suum audiret judicium. Sed non plura passus, ait archiepiscopus: « Quid est quod facere vultis? Venistis me judicare? non debetis. Judicium est sententia lata post controversiam. Ego hodie nihil dixi, ut in causa. Ad nullam causam huc vocatus fui, præterquam ad causam Joannis, qui mecum non est expertus. Ad hæc me judicare non potestis. Ego qualiscunque pater vester sum; vos autem proceres palatii, laicæ potestates, sæculares personæ. Judicationem vestram non audiam. » Recedunt proceres. Post intervallum surgens archiepiscopus, et crucem suam bajulans, ostium petebat, quod tota die obstrictissime observatum, quasi ultro apertum est ei. Aliquis maliloquus prosequens, eum ut perjurum regis exire dixit: aliquis tanquam proditorem eum recedere, et domini sui regis judicium asportare.

O quantum sustinuit in illa die in spiritu martyrium! sed felicior rediit a conspectu concilii; quoniam dignus habitus est pro nomine Jesu compati. Ille in aula hominibus plena ad fascem lignorum non visum sibi offendit, sed non cecidit. Ad ostium, ubi equi sui erant, venit. Suum ascendens, magistrum Herbertum, qui equum proprium, propter pressuram nimiam, tam cito habere non poterat, secum ad hospitium transvexit, ad monasterium sancti Andreæ. Facta oratione ante altare, crucem postea secus aram Beatæ Mariæ deposuit. Sedit, et domestici ejus circa eum: tunc ait ei Willelmus filius Stephani: « Ista equidem, ista fuit amara dies. » Cui ille: « Ultima erit amarior. » Et post modicum, suos hortatus ait: « Quisque vestrum in silentio et pace sua se habeat. Amare verbum de ore vestro non exeat. Nulli maledico quidquam respondeatis. Sinite eos conviciari. Superioris personæ est hoc pati; inferioris, hoc facere. Ut illi suarum linguarum, ita nos nostrarum aurium domini simus. Non mihi maledicitur; sed ei qui, quod mali dicitur, in se recognoscit. »

Rex, audito ipsius archiepiscopi discessu, et quod eum sui aulici turpiloquio prosequerentur rogatus a Roberto de Melidono Herefordiensi episcopo vel

(19) *Ut superius fecit, et minus* cod. Dom.

forte ab aliquo alio edoctus, dum adhuc non perrexisset, misit, præcipiens, ut post eum voce præconia per vicos clamaretur, ne quis eum turpiloquio vel convicio læderet, ne quis omnino ei, vel alicui suorum, in aliquo molestus esset articulo. Archiepiscopus ille sero inter suos, ubi solebat, comedit. Post cœnam, milites ejus omnes qui aderant, reddito ei homanagio suo, et impetrata licentia, cum lacrymis ab eo discesserunt. Postea tres episcopos, Walterum Roffensem, capellanum suum, et duos quos ordinaverat, Robertum Herefordiensem, Rogerum Wigorniensem, misit regi archiepiscopus, quærere ab eo licentiam et conductum præstari sibi in crastino recessuro. Regem illi invenerunt hilarem; sed distulit in crastinum mane eis respondere. Responso nuntiorum accepto, archiepiscopus moram illam responsi regis aliquid sibi afferre periculi veritus est.

Nox erat: hora ad complendum dicta. Dixit sociis archiepiscopus se velle in ecclesia vigilare. Unam quidem præteritarum noctium in vigiliis et orationibus pernoctaverat in ecclesia cum clericis suis, facta afflictione, positisque genibus, ad invocationem uniuscujusque sancti vel sanctæ in litania sua nominatæ. Aiunt ei quidam de clericis suis: « Volumus et nos vobiscum in ecclesia vigilare. « Ille: « Ne utique: nolo vos vexari. » In noctis intempestæ silentio tertius recessit, nullo clericorum, nullo militum suorum comitatus. Quod cum in crastino rex et omne concilium cognovissent, captato quid lactu opus esset consilio, omnes possessiones Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopo in pace remanere dimisit, nullo ejus officialium amoto, qui in appellatione hinc inde erant. Et qui causas istas prosequerentur, ad dominum papam misit incontinenti post eum ad calces ejus, archiepiscopum Eboracensem et episcopos quatuor, Gilbertum Londoniensem, Hilarium Cicestrensem, Bartholomæum Exoniensem, Rogerum Wigorniensem, et comites duos et barones duos, clericos domesticos domus suæ tres. Reliquum diei et concilii insumitur in tractando de copiis pedestribus in Walliam rebellem et regem Resim fœderifragum ducendis: scriturque a singulis personis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, in regis rogantis auxilium promissa bellatorum peditum multitudo. Solvitur consilium.

Crastino mane nuntii tot et tanti ad portum maris Doveram tendunt, ocius accelerantes, et putantes quod archiepiscopus eos prævenire deberet. Archiepiscopus inter timoratos Dei et suos necessarios latitando, et nocturnum quandoque iter agendo, a decimo quinto die post sancti Michaelis, usque a secundam diem mensis Novembris in Anglia est moratus; usque dum navis, cujus gubernatori et nautis se crederet, sibi pararetur. Eademque die, commemorationis scilicet fidelium defunctorum, et ipse et nuntii contra eum missi transfretaverunt: illa ad Portum Magnum, multa tamen acti tempestate, ut Londoniæ episcopus capam et cucullam exueret, appulsi sunt; archiepiscopus secretius ad Graveningas. Inde pedes ivit, et pauper cum duobus tantum conservis usque ad quoddam horreum Cisterciensium monachorum de Claro Marisco. Magnitudine tamen animi spretor erat fortunæ modo ringentis, ut prius ridentis. Obiter, agnovit eum aliquis, et dixit: « Hic quidem est ille olim cancellarius Angliæ, modo Cuantuariensis archiepiscopus. » Respondit: « Solentne sic ire Cantuariæ archiepiscopi? » In villula quadam conduxit equum, cum ulterius pedes ire non posset; quem ascendit absque sella. O Jesu bone, multæ quidem sunt tribulationes justorum et passiones hujus temporis, nec tamen condignæ præmiis, quæ reservas tuis ad tempora retributionis? Ecce hic servus tuus archiepiscopus reliquit omnia: et pauper, et inops et indignus secutus est te. Pace sanctorum omnium dixerim, si tantum quisque Deo immolat, quantum pro ipsius amore relinquit, non facile invenitur, qui Thomam antecedat. Nam pro Christo et Ecclesiæ libertate, sua et suos contempsit: contempsit clericorum, officialium, suorum propinquorum proscriptionem. Quid amplius? contempsit mundum, contempsit et se ipsum. Sed hæc omnia vir Dei in multa patientia sufferebat, malens non modo rerum, sed et salutis subire jacturam, quam justitiam Dei et Ecclesiæ libertatem absque subventione vel saltem reclamatione periclitari.

Ventum est ad horreum illud. Inde cymba vectus est ad Clarum Mariscum. Inde ad sanctum Audomarum. Ubi ab abbate sancti Bertini et conventu, piis erumpentibus lacrymis, cum gaudio uberiore suscipitur. A Philippo filio Tierrici illustri comite Flandriæ rogato, conductum ei et securitatem eundi ad dominum regem Francorum, præstare, cum debita compassione et veneratione susceptus (20), desiderata impetravit. Moram aliquam faciens cum abbate Sancti Bertini, suo consacerdotes et clericos et laceri agminis sui aliquid ibi exspectabat. Ibi equi, capella, vestimenta et omnia necessaria sibi et suis, qui ad eum ibi venerunt, munificentia comitis, liberalitate abbatis et vicinarum personarum ad plenum ministrantur. Ibi Ricardus de Luci nuntius regis Anglorum a domino rege Francorum rediens, ei, facta prius multa persuasione repatriandi, homanagium suum reddidit. Inde cum prosequeretur iter ad dominum regem Franciæ, jam quadraginta equos ad præbendam suam habebat. Significato clericis suis, quos plures in Galiis habebat, ejus adventu, festinant et adduntur ei. Occurrunt undique ei Stratam venerabiles personæ Galliarum Ecclesiæ. Ipse etiam archiepiscopus Rhemensis frater regis Francorum Henricus, episcopi, abbates, archidiaconi, præpositi Ecclesiarum, qui tanto exsuli debita veneratione aggratulantur, et ei se et sua liberaliter exponunt, et re-

(20) *Conventus* ed. Spark.

cipere necessaria a quadam devotæ charitatis instantia compellunt.

Innotuit adventus ipsius domino regi Francorum Ludovico Ludovici regis filio, qui pie in domino et compassus est contumeliam passo et congaudebat elapso. Tandem rumor hic domino papæ Alexandro tertio divulgatus est; qui erat Senonis. Schisma siquidem erat in sancta Romana Ecclesia, proh dolor! et Fredericus strenuus, si Deum amaret, imperator cum tota sequela omnium terrarum suarum schismaticos unum, alium et tertium fovebat. Sed et nuntiorum regis Angliæ adventus domino papæ innotuit; qui, debita compassione condolens archiepiscopo exsuli, et congratulans pro libertate Ecclesiæ decertanti scripsit ei, quod pausaturus et respiraturus seorsum secederet, donec ad eum vocatus veniret. Pietate mota universa Gallia archiepiscopo compatiebatur; et contra regis Anglorum nuntios spiritus omnium incitabatur, maxime contra episcopos. Quod intelligentes omnes, Eboracensis archiepiscopus et quatuor episcopi et alii comitem Arundelli Willelmum de Albenni ducem suum faciunt; et interrogati obiter cujus esset tanta familia, tantus comitatus, dicunt comitis Arundelli; suppressis nominibus episcoporum, pro pudor! veniunt tandem ad dominum papam. Affluxere undique quicunque ad curiam domini papæ venire poterant, de regno Franciæ, de Burgundia, videre et audire tot et tantos nuntios regis Anglorum; quod genus causæ haberent, quid essent dicturi facturive. In consistorio celebri archiepiscopus Eboracensis et omnes episcopi præter Rogerum Wirgoniensem; sed et comes Arundeli et Reginaldus de sancto Walerico, isti omnes coram domino papa locuti sunt. Omnium fere erat una sententia de commendatione illustris regis Anglorum, tanquam catholici principis, devoti filii et benefactoris domini papæ, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro parte sua patroni, honesti viri, amatoris pacis, magnifici principis, veneratoris personarum ecclesiasticum, et donatoris ecclesiarum regni sui secundum Deum et sine simonia. Et si modo esset inter eum et archiepiscopum suum distantia, non esse culpam regis. Deus pacis et dilectionis, adnitente domino papa et Ecclesia Romana, cum placeret ei, ipsam bene sedaret, et nubilum eorum serenaret. Aliquis eorum, inter cætera, regis Anglorum potentatus et divitias diligenter commemorabat. Nullus omnino contra personam archiepiscopi, vel quod eam vel causam regis et ejus tangeret, aliquid dicebat. Singulis eodem modo respondit dominus papa: « Placet nobis regem Anglorum esse talem, tam bonum. Utinam augeat in eo Deus incrementa virtutum. » Erant ibi ad pedes domini papæ in uno consessu tres vel quatuor clericorum archiepiscopi, quos valentes pro domino suo loqui dominus papa repressit, dicens non esse opus, cum adversus archiepiscopum nihil diceretur.

Comes Arundelli efficacius cæteris et magis rethorice, prosequente omni favore, locutus est, et omne tulit punctum. In secreto domini papæ auribus immurmurabant de archiepiscopi depositione, tentantes papam maximis promissis; tandem etiam adjecto quod denarium annuum beati Petri, qui nunc a solis ascriptis glebæ, nec tamen ab omnibus datur in Anglia, rex faceret et confirmaret in perpetuum, ab omni habitatore terræ, ab omni domo a qua fumus exit in urbibus, castris, burgis, villis donari; cresceret quidem Romanæ Ecclesiæ redditus in Anglia annuus, præter quod modo est, ad mille libras argenti. Sed cum dominum papam immotum et rigidi servatorem honesti invenirent, ut eis jussum fuerat ultra triduum non morari in curia, neque archiepiscopum ad causas prosequendas exspectare, accepta licentia et benedictione redeunt.

Cum ecce una dierum ex altera parte fluminis cujusdam, vident plures quam trecentos in equis de comitatu archiepiscopi ad dominum papam euntes; consilioque communi remittunt unum clericorum regis, Widonem decanum de Waltham, videre et audire, quomodo acceptus debeat esse in curia Romana ipsius Cantuariensis adventus. Cantuariensi archiepiscopo Senonim appropinquanti obviam exiit in equis magna pars cardinalium, ad eum cum gaudio recipiendum.

Dominus papa intranti ad se ei assurrexit in osculo et lacrymis et brachiis eum paterna miseratione suscipiens, et plurima eum veneratione et exhortatione consolans. Ad vigiliam sequentis Natalis Domini, rex Anglorum nuntios suos apud Merlebergham recepit, et quemdam nuntium proprium domini papæ. Rex vero propositi sui inefficax jubet, in crastino natalis, statim archiepiscopum omnibus possessionibus destitui, et Ecclesiam Cantuariensem, cum omnibus terris et accessionibus ejus, et omnes ecclesias et reditus omnium clericorum ipsius, in manum suam recipi; omnesque propinquos archiepiscopi et clericos seu laicos de ipsius familia proscribi, et a regno suo ejici. Secundo die natalis, veniunt Londoniam apparitores et officiales regis inter quos quidam Randulphus de Brock,

scelere ante alios immanior omnes.

cui etiam laico crudelissimo et archiepiscopi inimicissimo, sanctam illam Ecclesiam Cantuariensem, primariam Anglorum sedem custodiendam, imo potius destruendam commisit. Iste cum aliis quibusdam regii mandati est exsecutor: faciunt imperata et pejora imperatis. Evocati extra urbem, apud Lambetham, in ipsa domo archiepiscopi, jurant in exsilium omnes ejus propinqui in urbe Londonia inventi, ad primum ventum a terra venientem, a portu maris, et a natali solo exituri, et ad ipsum archiepiscopum directo itinere ituri, scilicet ut et ipsi caro ejus carnem ejus macerent, doloris ejus dolores addant; et quot suorum pro ipso ejecti ei appareant, tot animam ejus ejectionis eorum gladii pertranseant. Non tam cumulus bonorum jucundus esse potest,

quam molesta discessio. Emigrant utriusque sexus propinqui ipsius, et infantes, in cunis alii, alii pendentes ab uberibus. Omnes etiam inventi clerici ejus et servientes similiter; sed et qui eum vagum in Anglia a facie regis et profugum una nocte hospitio susceperant. Sed quid ? nobilis illa Gallia miserata omnes recepit : rex ipse Francorum aliquos, archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, comites, barones, præpositi, castellani, singuli, aliquos. Sanctimoniales femineum sexum et cunabala recipiunt. Partiti sunt nobiles viri inter se inopes Jesu Christi eo exsules, boni archiepiscopi lacerum agmen, familiam desolatam, nec quisquam eorum egens erat inter illos nobiles Francos, beneficentiæ et communionis non oblitos. Qualibus hostiis promeretur Deus.

Bonus exsul, servus Jesu Christi Thomas archiepiscopus in secreto confessus domino papæ, se peccasse, quod præcedente voluntate regis Anglorum electus est ; item quod Clarendonæ consensit in ipsius decreta, decretis divinis contraria ; dicitur archiepiscopatum in manum domini papæ refutasse, quasi ob hæc eo indignum; domininumque papam ita triduo sustinuisse, posteaque ei resignasse. Intellecta que in confessione vita archiepiscopi et pœnitentia interiore et duriore, eum in ulteriorem et sinceriorem dilectionem admisit, sciens eum virum justum et sanctum, et ad summum perfectionis, gratia Dei, et domesticarum virtutum enitentem suffragiis.

Post aliquantam cum domino papa moram factam archiepiscopus de consilio et voluntate ejus Pontiniacum moraturus descendit, ad abbatiam scilicet Cisterciensis ordinis monachorum, qui ei et clericis suis plurimis et familiæ necessariæ, in necessariorum administratione hospitales fuere et liberales. Archiepiscopus, toto tempore sui exsilii fere septennis vacans pœnitentiæ suæ excolendæ, conscientiæ mundandæ, vitæ sanctificandæ, post missarum celebrationem et divinorum contemplationem, etiam studio litterarum et maxime divinæ paginæ operam dabat; libris etiam conscribendis et perquirendis a domino papa privilegiis. In quarumcunque Ecclesiarum omnibus armariis nullum audiebat in Galliis esse antiquitatis vel approbatæ auctoritatis librum, quem transcribi non faceret, nullum privilegium quod Ecclesiæ suæ non perquireret, ut omni retro tempore optimis voluminibus et privilegiis Ecclesia Cantuariensis ita ditata et nobilitata non fuerit, sicut tandem eam refersit. Archiepiscopus exsilii sui et suorum necessitatem æquanimiter ferre studuit, bonis omnibus suis destitutus, et alienæ misericordiæ manum exspectans; anteponens exsilii libertatem domesticæ servituti, patienter tulit. Jactabat in Domino curam suam, et ipse eum enutriit. Dedit ei Dominus gratiam in conspectu omnis carnis. Archiepiscopi exsulis eadem quæ Teucri fuit sententia, patria est, ubicunque homini bene est : eodemque Nasonis.

Omne solum forti patria.

O Anglia, quanti æstimanda es, ex qua boni et

A religiosi pelluntur; cum bonis prælatis debita negatur libertas, emigrandi sæva imponitnr necessitas ? Albucius æquissimo animo Athenis exsul philosophabatur. Id ei non accidisset, si in republica quiescens, Epicuri legibus paruisset. Archiepiscopo exsuli cum nuntiabatur alicujus vel nepotum vel propinquorum ipsius mors, non movebatur ; cum alicujus clericorum suorum, nuntiorum ad dominum papam, male dissumalabat; ibi consolabatur communi necessitate ferendæ conditionis humanæ, vitam omnibus metendam esse ut fruges, reddendam esse terræ terram, hic propriam cujusque virtutem collaudabat, fatum deplorabat.

[Clericorum ejus alii cum eo coexsules extra solum natale erant. Illorum patres, matres, fratres et B ditiores propinqui post eos coacti sunt jurare in exsilium et quod archiepiscopo se repræsentarent. Alii remanserunt eum non secuti; quorum Willelmus de Salesberia sacerdos captus et in castro Crof tentus est anni dimidio. Tres ditiores de redemptione constituerunt ; Stephanus de Elratoria centum libras : post alia vice Aluredus de Wathemestede centum libras: Turstanus de Cromdona centum marcas, et etiam uno die integro in uno et sordido latronum carcere fuit Londoniæ. Alii vagi et profugi habitabant in Anglia, quorum propinquis et amicis diu fuit eos videre formidolosum ; cum eis loqui periculosum ; eos hospitio vel cibo juvare nefas. Pro eo exsulibus ejus junioribus vel inediæ manus immerito proscriptis plurimi Franci pia C compassione regem rogaverunt. Rex Francorum aliquibus, imperatrix regis Angliæ mater aliquibus, comes Flandrensis aliquibus, alii quidem episcopi et comites Galliæ aliquibus.

Willelmus filius Stephani per orationem unam quam fecerat, et regi in capella de Bruhulla dederat, pacem habuit. Hæc autem est illa oratio, propria domini regis Anglorum.

Rex cunctorum sæculorum, rex arcis etheriæ,
Rector poli, rector soli, regum Rex altissime :
Qui et maris dominaris, conturbas et excitas,
Et cum placet, stratum jacet; motum ejus mitigas
Tu creasti, tu formasti, cœlos, terras, maria :
Quæ fecisti, condidisti, tu gubernas omnia.
Omne bonum tuum donum, Omnipotentissime.
D Cuncta grata tua data, dominorum Domine.

De beatitudine bonorum.

Hos coronas atque donas gloria multiplici,
Qui in mundo, corde mundo, vita vivunt simplici.
Hi beantur, coronantur in superlunaribus
Quorum mentes sunt ferventes igne sancti Spiritus.

De malis pœnis malorum.

Peccatorum adjutorem qui non ponit Dominum
Exaltatum, elevatum, super cedros Libanum ;
Infernalem, Gehennalem demergis in clibanum ;
In Averni, in inferni tenebroso carcere
Habes clausos reos ausos te Deum contemnere
Ibi rei, jussu Dei, pro forma sententiæ

Lugent, rigent, ardent, strigent, et torquentur un- A
[dique,
Ibi metus, ibi fletus, ibi stridor dentium.
Ibi pœnæ omnes plenæ vocibus gementium.
Hic dolores acriores aliis doloribus,
Hic tortores nequiores aliis tortoribus.

Recognitio et adoratio Dei.

Deus meus, ego reus tibi me humilio.
Deus vere, miserere adoptivo filio.
Supplex tuus, servus tuus, Deus clementissime,
Te adoro, et imploro tuæ donum gratiæ.
Rex cœlorum, me Anglorum dictum regem suscipe.
Regem rege, sua lege qui se nequit regere.
Est regnare ministrare toto tibi animo,
Obedire et servire tuo sub imperio,
Tuus miles actus viles declinem peccaminum.
Incentiva rediviva exstinguam libidinum.
Falsa læta consueta divitem excelsum.

Accusatio sui.

Non procuro corde puro quod te Deum diligam :
Parvi pendo, vix attendo, quomodo me habeam.
Hujus lucis in caducis rebus nimis glorior :
In peccatis supra satis immorans immorior.
Aberravi et peccavi, fateor, mi Domine
Temeravi, violavi justa castimoniæ.
Putuerunt, putruerunt cicatrices criminum
Æstimati simulati in lacum descendentium
Honestatis, castitatis legem fregi tutius
Est sopita mea vita in malis diutius.
Me immundum non secundum peccata corripias:
Qui elatos vulneratos hos et hos humilias:
Sed correcto et respecto tua, Deus, gratia,
Te laudare et amare da mihi cœlestia.
Emundare, emendare quæ commisi omnia.
Spem salutis, rem virtutis, vitæ innocentiam,
Castitatis, puritatis dona mihi gratiam,

Oratio contra iram.

Cum in ira mente dira interdum efferveo :
Deus care, moderare in me, quod non valeo.

Contra cupiditatem.

Nec sit cura mihi jura cuiquam sua tollere
Vel suorum vicinorum terminos revellere.
Licet sensu, armis, sensu me queant devincere
In bragnani, in pagani regis est apicibus,
Quod habemus, possidemus, quæcunque non cupi-
[mus,
Urbes illas, castra, villas, nisi prius capiam
Non abesse vel deesse eas mihi sentiam.
Regnum turres pauperum res simili interitu
Opum plenus et egenus æquo cadunt obitu.

Pro ædibus oratio.

Regni sedes da hæredes meos post me scandere.
Et pacatum regni statum te tutante regere.

Pro clero suo.

Meum clerum da sincerum fas et jus eligere,
Et devota mente tota te Deum diligere.
Vivant ita bona vita ut tibi complaceant;
Nobis normam atque formam vivendi se præbeant,

Pro populo suo.

Populique meo cuique commissi regimini
Dirigantur et subdantur tuo moderamini.
His intende, hos defende, his te præbe clypeum,
Sceptrum tuum, regnum tuum, dominaris gentium.
Aufer bella et flagella tua iracundiæ
Nobis parce, hostes arce, pacem nobis tribue.
Est humana virtus vana : scis quid est in homine.
Nam in parvis nostris armis non salvamur, Domine.
Sæpe visa et confisa se gratis auxilii
Retro vadit, in se cadit vis expers consilii,
Sed de throno tuo dono virtus adest cœlica,
Per quem datur, procuratur de hoste victoria.

Pro frugibus terræ.

Nostra sata decuplata nos fruge lætificent :
B Nostra culta messe multa copiam multiplicent.
Sic utamur sic fruamur bonis temporalibus
Ut lætemur, jucundemur tecum in cœlestibus.

Pro defunctis suis.

Et meorum propinquorum miseratus animas
Has absolve et evolve delictorum maculas.

Pro vivis et defunctis

Vivis cunctis et defunctis, Domine, fidelibus
Da pacatam et beatam vitam in cœlestibus.
Amen !]

Circa primum elapsum exsilii sui annum, cum jam deferbuisse deberet regis excandescentia, scripsit ei bonus archiepiscopus exhortatorias litteras illas : « Desiderio desideravi, » etc. *Vide indicem epistolarum alphabeticum.*

C Aliqui religiosi viri Franciæ regem Anglorum in Northmanniam et partes illas reducem pro archiepiscopo rogabant: sed eum inexorabilem inveniebant. Plurimas scripsit archiepiscopus epistolas coepiscopis suis; interdum omnibus communiter, aliquando semotim singulis; ut spiritum Dei resumerent, et pro domo Dei, terreno abjecto timore, murum se opponerent. Gilbertus Londoniensis ei sæpius rescripsit; sæpius pro causa illa etiam domino papæ persuadere intendens, regium sanguinem cum vicerit, vinci, ut in partem regis papa ferretur inclinatior, et ne asperum quid adversum regem loqueretur, occasione archiepiscopi, ne forte in schismate illo generali, rex cum omnibus terris suis, parti adversæ, cum imperatore apostatam fovente, adderetur ; et tunc in threnos, ut verbo ejus utar, dominus papa D totus ire posset. Satis invenirentur, qui episcoporum regis Angliæ ecclesias et baculos de manu et obedientia idoli reciperent.

Hic idem episcopus proscriptorum clericorum archiepiscopi reditus et ecclesias custodiendas de manu regis receperat : et cum plurimis eorum consolationem plurimam potuisset impune impendisse, vel palam dispertiens et donans sua pauperibus clericis et destitutis, vel saltem sub absconso chlamidis eorum animas confortans, neque Laurentius fuit neque Sebastianus. Robertus Uscarl clericus ejus et officialis in reditibus ecclesiarum illarum colligendis, frugi homo ecclesias ad minorem dabat

pensionem, ut majorem perciperet sibi propter firmas donationem, et xenia inde majora ei provenirent, quæ regis fisco non inferrentur. Archiepiscopus autem excommunicaverat omnes, qui vel bona Cantuariensis Ecclesiæ vel ecclesias seu bona clericorum suorum propria temeritate vel regis occuparent auctoritate. Illi autem, proh dolor! non se gerebant excommunicatos: posteaque in flore juventutis suæ plurimi ita obierunt, ut ille Robertus et Nigellus de Salcavilla, regis sigilliferi: aliqui autem excommunicatorum archiepiscopi in carne sua gravi ulcere vulnerati, quasi percussi a Deo expiraverunt; ut Robertus vicearchidiaconus Cantuariensis et sacerdos de Chierlewda.

Episcopus autem Londoniensis ecclesiarum illarum curam suam, a domino papa plurimum redargutus, circa anni finem, regi resignavit. Archiepiscopus, inquam, suos suffraganeos litteris emissis studiodissime exhortabatur, ut ei et Cantuariensi matri Ecclesiæ suæ in unitate adhærent, ne rex eorum conniventia vel dissimulatione ita in Cantuariensem desæviret Ecclesiam, et ita legibus iniquis clerum Angliæ opprimeret.

[Ibi apud Pontiniacum cum quadam die missam idem beatus Thomas celebrasset, et post missam ante altare prostratus in orationibus, fletibus et gemitibus, sicut mos illi erat, aliquandiu moraretur, audivit vocem: « O Thoma, Thoma! » Et ille: « O Domine, quis es? » Et Dominus ad eum: « Ego sum Jesus Christus, Dominus tuus et frater tuus: Ecclesia mea in sanguine tuo glorificabitur et tu gloriaberis in me. » Post modicum exsurgens, et inde iturus, qui solum se putabat hoc audisse, vidit abbatem loci qui erat ei a secretis prope astantem, et eum exspectantem sub quadam ecclesiæ illius columna. Et cum cognovisset eum hoc audiisse, exegit ab eo ut nemini diceret se superstite. Post archiepiscopi martyrium ille hæc revelavit.]

Leges etiam illas Clarendonæ scripto damnavit, et omnes, qui eis consenserant, ab earum observatione absolvit. Rex his et hujusmodi motus archiepiscopum submoverit fecit a Pontiniaco; timentibus monachis, ne omnes sui ordinis, quos in terris suis rex Angliæ infinitos habebat, a terris suis ejiceret, si archiepiscopum quasi inimicum regis amplius retinerent.

In capella domini regis, in cantico illo festivo, Christus vincit, non dicebant, archiepiscopo, cum ventum esset ad illum versum; sed archiepiscopus, pax, salus et vita. Item dominus Londoniensis episcopus ad preces solemnes, post sermones suos vel in synodis suis, ad clerum, vel diebus festis, ad populum; cum non erat spes pacis regis, et archiepiscopi, non nominabat archiepiscopum, ut oratio fieret ab Ecclesia ad Deum pro eo: cum rumor erat de eorum concordia, tunc faciebat de archiepiscopo memoriam; quod multi auditores notabant. Similiterque post fecit, cum reges Anglorum, pater et filius, erant concordes, dicebant in oratione ad missam: A Da regibus nostris; cum vero discordes, dicebat: Da regi nostro, scilicet seniori regni possessori, triumphum virtutis tuæ scienter excolere, etc. Nec deerant qui talia sæpe notabant.

Tunc eum piissimus et Deo dignus Ludowicus rex Francorum, quod quidem a principio voluerat, et sancto Thomæ obtulerat, in suam curam recepit, et ei de reditu suo Senonico ad exhibendum se donavit nummos, annonam, vina, quantum servientes ipsius volebant accipere: sed et xeniis et muneribus eum frequenter coluit, et in propriæ visitationis præsentia; dicebatque aliquando ei vel ejus clerici grates sibi exsolventibus: « Non reddatis mihi gratiam; nunquam alicui vel aliquibus panem meum dedi, unde mihi ita gratum fuisset. » Sed et ille archiepi- B scopus Senonensis Willelmus, filius comitis Theobaldi nepotis senioris Henrici regis Angliæ, frater reginæ et trium comitum Franciæ, ætatem juvenculus morum gravitate transgrediens, qui meritorum favore, duas nobiles habere meruit ecclesias, Senonensem titulatam et Carnotensem commendatam, archiepiscopum in vera coluit dilectione; et omnis clerus et militia Galliæ. Extra urbem Senonicam apud cappellam sanctæ Columbæ morabatur.

Jam dominus papa regi Anglorum sollicitius scribere cœpit pro eo, tanto tempore elapso, ut expirasse jam debuisset, si mortale fuisset odium et indignatio. Post multas suavissimasque exhortationes epistolares, nuntios aliquos mittebat. Ita alternando, regem revocare a mentis calore intendebat. Cum autem C pulsanti ei non aperiretur, aliquando, sed temperate, minas addebat, diligenter ei ingerens, quod diutius eum supportaverat, patientia eum ad emendationem provocaverat; amplius eum ita sustinere non posse, contra animæ suæ salutem. Interdum etiam et archiepiscopo consilium dabat et licentiam animadvertendi in rebelles sibi filios suos: etiam et archiepiscopum honoravit et exaltavit legatione et primatu Angliæ, ut quantum deerat illi in possessionum suarum amissione, suppleretur ei in dignitatum accessione; et quod minus habebat in reditibus, recuperaret in honoribus.

Episcopo Londoniensi misit litteras domini papæ de sua legatione et suas proprias tanquam legatus utrasque præceptorias, ut episcopis Angliæ eum esse D domini papæ legatum tanquam ejus decanus denuntiaret, et quas singulis scribebat episcopis litteras mittebat. Episcopus hanc obedientiam recusavit. Item eumdem episcopum aliquando prius evocaverat litteris ad eum directis commonefaciens, mandans et præcipiens ut ad eum veniret, et tanquam ejus suffraganeus et Cantuariensis Ecclesiæ professus eum consilio et auxilio in causa Ecclesiæ juvaret. Episcopus noluit. Idem episcopus quondam excommunicatum archiepiscopi Alanum de Nova Villa Hierosolyma iturum absolvit citra Domini papæ vel ipsius archiepiscopi conscientiam, juratum tamen quod obiter dominum papam adiret, et ab eo pœnitentiæ injungendæ susciperet remedia.

Episcopus Wigorniensis Rogerius evocatus et sta- A tutus sequi archiepiscopum, et cum patre et domino suo in consilio, et auxilio in causa Ecclesiæ, et impetrata semel transfretandi licentia, quasi studiorum causa quorum ætate junior erat morabatur in transmarin interdum ad curiam regis quod ei cognationi fuit conjunctissimus. Hujus laus celebris, hæc et præclara memoria, qui solus inter episcopos Angliæ, ausus est et voluit patri exsuli coexsulare, cum paupere paupertatem tolerare, pro libertate stare Ecclesiæ, et in die nubis et caliginis regi in erratis resistere. Quisquis amico in errore resistit, fit resipiscentis amicus jucundior. Archiepiscopus pro inobedientia sæpius correptum et vocatum archidiaconum suum Galfridum Ridellum tandem excommunicaverat. Significaverant quod hoc regi id B tamen dissimulanti et non curanti. Itemque episcopus Wigorniensis qui multo post ad curiam venit, a rege benigne susceptus est. Quippe eum libenter audiebat, licet ejus non acquiesceret consilio. Una dierum intraverunt in capellam; rex missam erat auditurus: loco suo stetit. Episcopus interius in loco suo: non multo post intravit archidiaconus Cantuariensis. Episcopus eo viso exivit. Rex miratus est: causam tamen intellexit ei in ira fervore stimulante actus est. Misit tamen nuntium statim rediturum dicere ei cur exiisset. Cum episcopus plane causam dixisset, misit iterum post eum rex qui diceret ei, quod a terra ejus ocius exiret. Episcopus misit pro sociis pro hominibus suis ut eum sequerentur et statim recessit regique nuntiavit quod C jam pedem habebat in strepa vel orbem tenente pedem, seu quo alio dignatur nomine, a terra sua exiturus et abiit. Sui collectis sarcinis et impedimentis eum jam sequebantur. Post magnum intervallum cum rex iratus in verba contumeliæ et minarum prorumperet, fuit qui diceret ei: « Domine, quid fecisti ? Episcopum conjunctissimum tibi fide et sanguine a terris tuis eliminasti. Si dicere fas est, non bene fecisti. Præterea archiepiscopus obsequium acceptissimum et desiderantissimum ei addidisti. Dominus papa non prius animadvertendi in te nimis justam et evidentem causam habuit, nunc utetur occasione non quæsita sed oblata. Tuis te das dolorem amicis, gaudium inimicis, qui proscribis innocentem, expellis episcopum. » His et hujus modi rex D suasus et revocatus misit qui equum urgens calcaribus episcopum revocaret. Noluit episcopus redire. Rex denuo misit alios in dextrariis agillimis, et tertios nuntios, inter quos et comitem unum, qui episcopum vel delinitum recocarent, vel renitentem coactumque reducerent. Rediit, et regi deliberius locutus est. Et eo in curia morante, nunquam archidiaconus ille capellam intravit, neque episcopo præsente regis se ingessit præsentiæ. Sed et Herefordiensis episcopus similiter a domino archiepiscopo litteris evocatus ad mare venit ut transfretaret, sed transfretare prohibitus, altius indoluit, et cum rediisset ad propria, in illa doloris vehementia etiam correptus infirmitate suffocatus efflavit extremum. Dominus archiepiscopus una Dominica Palmarum post processionem et sermonem episcopum Londoniensem pro trina inobedientia revocatum sed irrevocabilem in multa præsentia religiosorum et fidelium Dei apud Claram Vallem excommunicavit, et quosdam alios in Anglia vel in curia regis commorantes pro causis quas in litteris suis quæ habentur manifestabat. Quoscunque enim excommunicabat archiepiscopus, in litteris emissis eorum crimina exprimebat et excommunicationis rationes et leges vel decreta subjungebat, ut appareret ex iracundiæ calore vel ex præcipitii vel inimicitiarum causa eum nihil agere severitatis, qui super eorum excessibus potius movebatur pio affectu paternitatis. Rumor statim in Anglia venit: fama

Mobilitate viget viresque acquirit eundo.

Episcopus Londoniensis audito statim in urbem ad cathedralem ecclesiam venit: convocat canonicos et clerum urbis Londoniensis, abbates quoque et priores et personas vicinarum ecclesiarum; rumorem talem de se publicat, se excommunicatum prædicat, et tamen se excommunicatum non gerebat, mirantibus sapientibus. Nec multo post convocat synodum generalem, eadem prædicabat, sed ei nullo adversario respondente, quasi quia absens et defensus et non vocatus fuerat. Sed qui archiepiscopi litteras trinæ citationis vel alias vocationis deferret, non facile inveniretur, quippe chaos magnum non tantum maris et terrarum sed regis iræ et minarum inter eos firmatum erat. Nec potuit solemnitas ista citationum per nuntium fieri, ubi nuntius non audebat suum vel archiepiscopi nomen profiteri. Insuper et se non obnoxium vel subjectum Cantuariensi archiepiscopo vel Ecclesiæ contendebat. Pridem fuisse se dicebat Herefordiensem episcopum et nomine illius episcopii Cantuariensi Ecclesiæ professum, sed modo illa obedientia solutum, quia ad Londoniensem Ecclesiam translatus fuerat et Londoniensis episcopus nullam Cantuariensi Ecclesiæ professionem fecerat. Ad hæc se archiepiscopum esse debere ex Chronicorum ratione asserebat. Siquidem temporibus Britonum, ante subactam ab Anglis insulam, sedes quidem metropolitana Londonia fuit. Ita declamabat; sed causa assistata est nullo adversario. Eo audito et sibi relicto, quisque rediit ad propria.

Ipse se non gerebat excommunicatum. Fuit tamen qui ei in secreto diceret rumoribus credi oportere et non oportere. Nondum audierat vel viderat litteras sententiæ in eum datæ, et pro solis rumoribus ita extra se rapiebatur et in tantum se jactabat periculum animæ super inobedientia laboris super talis causæ de archiepiscopo prosecutione. Exspectaret donec litteras sententiæ datæ audiret, si effugere non posset ne audiret. Et uterim Catholicum se gerens tunc consilio uteretur. Norunt episcopi et justitiarii Angliæ quod quærebatur qui tales litteras in Angliam portarent: faciunt portus marinos districtrissime observari. Et prior Cantuariensis Ecclesiæ ab Ecclesia

recedit. Episcopus Roffensis similiter. Londoniensis A episcopus similiter et decanus, ne inter regem et archiepiscopum fluctuantes et in neutram partem fidi, sed tales litteras venientes ad se recipiant.... eam voraginem non cadant; si non recipiant absorbeat eos Charybdis. Unum juvenem non litteratum, sed laicum invenit archiepiscopus, qui sententiæ hujus litteras, periculo multo se exponens, sed pro Deo mori non veritus, in Angliam detulit. In celebri festo die ascensionis Dominicæ, cum quidam vicarius, Vitalis nomine, homo timoratus et honestus sacerdos celebraret ad magnum altare episcopalis ecclesiæ Sancti Pauli in Londonia et cum cantaretur offerenda et sacerdos ille hostiam panis et vini obtulisset et calicem composuisset, adest Berengarius et positis genibus, porrexit sacerdoti litteras quasi oblationem B suam. Ille attonitus et ad oblationem primo manum extendit et recepit. Ait ille : « Non est hic hujus sedis episcopus, sed neque decanus: video te hic ministrum Jesu Christi: tibi ex parte Dei et domini papæ trado hic litteras archiepiscopi Cantuariensis de sententia data in episcopum hujus Ecclesiæ, et litteras etiam ejusdem ad decanum, ut ipse et clerus hujus Ecclesiæ hanc observent sententiam. Et tibi dico Dei auctoritate ut præter hanc missam amplius non celebres, donec episcopo suas, et decano suas litteras ostendas. » Hæc dixit et abiit inter densas turmas populi, ut moris est, post evangelium die festo ad propria recedentes, siquidem mane ad parochianas ecclesias missas suas audivit. Factum est murmur aliquod ab illis qui altari proprius aderant C admoti, quærentibus a sacerdote si interdicta esset in urbe divinorum celebratio. Cumque respondisset sacerdos :« Non, » siluit populus et ab iis ille quæsitus non est. Sacerdote prosequente missæ celebrationem, ab officialibus quidem regis in urbe et extra ad transitus viarum ille tacite et sollicite quæsitus, sed minime inventus est. Idem Berengarius postea ad Eboracum venit cum litteris domini papæ amaras historias continentibus, et tamen indemnis evasit. Episcopus Londoniensis et decanus post dies aliquot in urbem veniunt; in ecclesiam clerus urbis et civium majores natu evocantur. Ibi in publico omnium aspectu sacerdos ille, Vitalis, acta narrat episcopo: suas offert litteras, quarum tenor hic erat [Excessus v.], decano etiam offert suas, quæ hæc continebant D [Vest. n. d. la. pr. q. f,] et utræque litteræ in publico lectæ sunt.

Extunc episcopus communi consilio excommunicatum se gessit et regi acta significat. Rex ei rescribit in hunc modum [Audivi gr.]. Episcopus transfretavit, et per domini regis interventum et suis mediantibus nuntiis absolutionem impetravit sibi dari ab extraordinaria potestate R. Rotomagensis, et R. Exoniensis, quibus eum absolvendi a domino papa est delegata potestas. Rediit et quidam episcopi et nuntii domini regis et sui cum eo qui a domino papa venerant, et prædicatum est publice in ecclesia cathedrali eum esse absolutum.

In regis Anglorum offensam Jocelinus Salesberensis episcopus inciderat: ad gratiam ejus captandam, decanatum Salesburiæ cuidam clerico regis Joanni Oxeneford donaverat; prius tamen prohibitus litteris domini papæ, ne alicui personæ honorem illum donaret citra conscientiam et consensum canonicorum suorum quorum quidam de majoribus Ecclesiæ, coexsules erant archiepiscopi. Unde auctoritate domini papæ, archiepiscopus illum excommunicavit. [Et hoc fecit etiam beati Anselmi prædecessoris sui quarti roboratus exemplo, qui in exsilio positus apud Cluniacum comitem Metlenti excommunicavit, quo consiliario rex Anglorum Willelmus secundus utebatur contra libertatem electionis episcoporum et abbatum, sibi usurpans donationem baculorum.] Episcopum Londoniensem propter trinam inobedientiam in litteris notatam, eadem involvit sententia : non vocatum tamen, absentem et indefensum. Unde et ipse Londoniensis postea ausus est publice et in synodo contendere, quod eum illa non teneret sententia. Sed qui archiepiscopi litteras trinæ citationis, vel alias asperum quid intonantes, in Angliam deferret, non inveniretur. Aliquos etiam barones et clericos laterales regis suis ex causis propriorum excessuum excommunicavit, et publice excommunicatos denuntiari præcepit. Sic nimirum ante leonem catuli aliquando verberantur. Hujus sententiæ in Angliam portitor vix repertus est. A rege Angliæ missum est, ut absolverentur, ad dominum papam : spem pacis jam promittebat. Rescripsit papa, ut absolverentur, et ab alio quam archiepiscopo, extraordinarie satis ; sed ut regem mitigaret. [Aliquoties rex Anglorum barones suos aliquot a domino archiepiscopo excommunicatos, missis nuntiis ad dominum papam, impetravit absolvi, quasi pro metu mortis significans ei quod eos contra hostes Walenses in exercitu esset ducturus. Hac occasione apud ecclesiam S. Trinitatis in Londonia aliquando plurimi fuerunt absoluti.] Et archiepiscopo etiam ad tempus organum detraxit, et potestatem ligandi regem vel suos, ut vel sic regem victorem faceret, et ad consilium Dei et suum inclinaret. Spe illa diu suspensus, et tandem delusus dominus papa, cum oleum suum eorum non sanaret infirma, iterum resolvit eos archiepiscopi, iterum attentat vinum infundere. Rex iratus jussit denarium sancti Petri annuum in Anglia retineri sibi. Iterum jubet, subtilius præcavens tandem, ut nullus in Angliam transfretaturus recipiatur, nisi habeat regis litteras; ne forte aliquis interdicti sententiam, quam sciebat archiepiscopum habere, in Angliam deferret. Ex parte sua, Londoniensis et cæteri episcopi Angliæ, ne quid interdicti in personas illorum vel in regnum archiepiscopus statuat, annum fere totum includentes, appellationes faciunt et scribunt archiepiscopo, et non prosequuntur. Evoluto anno appellationes renovant et archiepiscopo significant, eludentes ejus potestatem hujusmodi frustrationibus. Noluerunt intelligere, quod appellatio hominum est adinventio, de jure civili est:

introducta est ad repellenda injusta gravamina, imminentia possessionibus nostris vel corporibus. Unde etiam beatus Paulus, corpori suo timens, cum caperetur, ait: « Cæsarem appello. » In talibus habet locum, Appello ; nec videtur sapientibus catholicis, quod extendi debeat ad tollendam obedientiam, ad evacuandam majorem potestatem ecclesiasticam, ad elidendam excommunicationem, quæ non de jure humano, sed ab ore Jesu Christi est introducta, potestatem hanc dantis apostolis suis, ubi dicit: « quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata et in cœlo ; quæ solveritis, soluta. » Absit enim ut jus humanum præjudicet juri divino, et quod humanæ est adinventionis annihilet illud quod divinæ est constitutionis !

Interea plurimi episcoporum Angliæ de medio facti sunt, ut præter archiepiscopatum Cantuariensem, sex in Anglia rex in manu sua haberet vacantes episcopatus. Alii quidem senio confecti agebant in extremis, alii mortui.

Sua pro parte, dominus rex Francorum et optimates Galliæ, sæpius hortatu domini papæ, sæpius proprio spiritu, dolorem regis et regni Angliæ attendentes, regem pro bono pacis conveniunt. Tandem consensit rex Angliæ archiepiscopum Cantuariensem ad colloquium eorum evocari. Plurima inter eos habita sunt colloquia; sed sufficiet de aliquibus aliquid breviter dicere.

Colloquio ad Plancas, cardinales Willelmus Papiensis, et Otto, et archiepiscopus Rothomagensis maxime archiepiscopum tentaverunt. » Vetus est, inquiunt, de providentia querela, et de his scriptis regiis consuetudinibus inter reges et archiepiscopos Angliæ semper materia est corrixandi : hoc est caput querelœ, hæc malorum omnium origo. Et cum dicas te pacem Ecclesiæ tuæ supra omnia diligere, et has exsecreris consuetudines, modo parebit, modo certum dabis indicium. Pax Ecclesiæ in manibus tuis est. Visne renuntiare archiepiscopatui, si rex consuetudinibus ? » Ille : « Non hæc æqua lance librantur. Ego, enim, salvo honore Ecclesiæ meæ et personæ meæ archiepiscopatui renuntiare non possum. Inauditum enim est hoc de antecessoribus meis Regis honor et animæ ejus salus salva magis est in renuntiando quam in retinendo consuetudines: quod exinde patet, quia dominus papa eas dammavit, et vos cum Ecclesia Romana. » Cum in hoc eum sermone capere non possent, ut renuntiaret, quæsierunt, si coram eis contra regem super se querelis habitis vellet litigare. Et simulabant se habere, quam tamen non habebant, plenitudinem potestatis in causa. Respondit : » Ita ; si tamen prius integre restitueretur. » Aiunt : » Illud esse impossibile. » Ille « Sibi vel Ecclesiæ Dei non aliter expedire. » Tunc episcopi Angliæ totum annum includentes, quindecim diebus minus, faciunt appellationem, quam cardinales domino papæ scribunt.

Colloquio apud Munt-Mirail, ita bene ei per internuntios pacis promittebat rex Angliæ, quod fere inductus est omnino se voluntati regis supponere, ut rex ita vicisse videretur. Aderant in illa sententia archiepiscopi Rhemensis, Senonensis, Rothomagensis, rex Franciæ, episcopi et abbas de Monte Dei, de ordine Chertusæ : et quod de consuetudinibus scriptis Clarendonæ non loqueretur. « Quæ enim, aiunt, necessitas loquendi super his ? Scripto vestro, auctoritate domini papæ, eas damnastis, et ab earum observatione omnes, qui assensum præstiteras sortitis. » In crastino colloquio semper retinuit ; « salvo honore Dei, et libertate Ecclesiæ. » Mirabantur omnes prænominati, Rex Angliæ ait : » Omnes hæ aberunt determinationes. Hic nihil erit sophismatis. » Mediatoribus supradictis suadentibus hæc relinquere, cum non acquiesceret, quasi desperati discesserunt, relicto eo tanquam consilii eorum desertore. Ipse ad socios suos se recipiens, dixit inter cætera: « Deum ea die fecisse summum sibi honorem, unde maxime Deo gratificari habebant, qui, quod omnes, postponebant alii, retinuerant honorem Dei in omnibus salvum fore. » Sed plurimi sociorum ejus, reditum in terram nativatis suæ desiderantes, quod pax non procederet, et quod a rege offerente ei reditum et restitutionem, ille in his determinationibus inhæreret, moleste ferebant.

In redeundo a colloquio illo, in ipso comitatu regis Francorum, forte proxime ante archiepiscopum, quidam clericus ejus Henricus de Hoctuna equitabat : equus ejus offendit præceps : ille clare, ut audiret archiepiscopus, ironice ait equo suo : « Progredere, salvo honore Dei et sanctæ Ecclesiæ et ordinis mei. » Archiepiscopus ægre ferens, tacuit. Post intervallum, secedens in partem cum clericis suis, ut equi respirarent et stillarent, ait eis : « Dilecti socii, mecum omnia passi, ut quid contra me ita sentitis et loquimini ? Reditus et restitutio nostra minimum quidem est ; libertas Ecclesiæ, de qua rex non loquitur, longe pluris est. Pacem tandem recipiam, qua meliorem non potero ; sed nunquam ita curtas nundinas vidistis. » Tamen postmodum in sententiam boni archiepiscopi Thomæ, omnes præfati viri consenserunt, errorem suum damnaverunt, eum virum sanctum, et fortem Dei athletam probaverunt, et in ipsius amplius confœderati et confirmati sunt dilectione.

Colloquio apud Montem Martyrum, cum rex Angliæ orationum gratia ad sanctum Dionysium venisset, et pallium optimum et quater viginti aureos oblationem super altare posuisset ; ubi et a rege Franciæ et omni clero et militia, qui ei occurrerant, honorifice susceptus est ; post, cum de pace ejus et archiepiscopi tractaretur; et archiepiscopus super solitis articulis tentatus et interrogatus, semper idem inveniretur et petitionem suam in schedula scriptam regi mitteret, ut suæ Ecclesiæ Cantuariensis jura, et sibi et clericis hominibusque suis ablata, et fraternam pacem et clero Angliæ libertatem restitueret, ipseque ei tanquam domino et regi fidelis foret, et devotus in omnibus, salvo honore Dei et sanctæ

Ecclesiæ et ordinis suis : his non acquiescens rex ad satisfaciendum auditoribus obtulit super causa eorum tractanda, stare judicio cleri Franciæ, vel scholarium Parisiensium ; sed de præcedente restitutione facienda non loquebatur. Et recessit reginam et Philippum regis filium visurus Parisios, quasi ita spreto archiepiscopo et rupto colloquio ; quod archiepiscopus inter cætera moleste tulit, dicens quod forte ter vocaretur antequam amplius ad colloquendum veniret. Cum discordes hoc modo digrederentur ab invicem, effluxere dies. Tandem hoc domino papæ nuntiatum est, quod concordia non procedebat.

Aliquod colloquium habendum erat apud Pontem Isare ex condicto. Die dicta, adfuerunt archiepiscopus Senonensis et episcopus Betheleemita : rex Anglorum illuc venire noluit ; sed mandavit eis per nuntium illorum conventus, quod si vellent venire Gisorcium, loqueretur eis. Ita delusa est eorum fatigatio, et expectatio archiepiscopi. Rex, comites et magnates Franciæ aliquando regem Angliæ convenerunt pro clericis archiepiscopi majoribus, qui cum eo remanserant, ut saltem eis reditus suos restitueret. Si pro sua promotione archiepiscopo serviebant, hoc mirum non erat. Non eos contingebat causa ipsius et archiepiscopi, quod ipsi duo inter se delirabant, clerici illi immerito plectebantur. Rex Angliæ acquievit, ut ad eum clerici illi accederent, salvo itu, statu, reditu. Venerunt Andegavum ad Pascha sancta Dominica in albis : siquidem ibi rex festivus comederat pascha. Una dierum sedit inter familiares suos, clericos illos auditurus. Primus ad eum vocatus intravit Joannes de Salesberia : a rege salutato prius petiit pacem, et beneficiorum suorum ecclesiasticorum restitutionem, quoniam regis offensam sciens in nullo meruerat, et paratus foret regi esse devotus, subditus et fidelis, sicut domino suo terreno, salvo ordine suo. Dictum est ei pro rege ; quod in terra regis natus, et nutritos suos ibi propinquos haberet, et de bonis terræ regis in magnam frugem multarum probitatum et divitiarum adoleverat ; et oportere eum sicut regni regis indigenam regi esse fidelem contra archiepiscopum et omnes homines ; propositaque est ei forma sacramenti si jurare vellet, quod regi fidelis foret de vita et membris suis, et honore suo terreno conservando contra omnes homines, et nominatim, quod consuetudines suas scriptas et regales suas dignitates legitime conservaret, quidquid faceret dominus papa vel archiepiscopus vel episcopus suus. Ille omnia alia concedens, in archiepiscopi consuetudinibus, hæsit, dicens, se nutritum ab adolescentia de bonis Cantuariæ Ecclesiæ, et juratum esse in domini papæ et archiepiscopi sui obedientiam ; neque posse Cantuariæ Ecclesiæ vel domino suo archiepiscopo deesse, neque posse quarumlibet consuetudinum observantiam suscipere contra dominum papam et Ecclesiam Cantuariæ ; sed, cum domino papa et archiepiscopo se ait paratum recipere, quæ ipsi prius reciperent, respuere, quæ respuerent, rex non acquievit. Ille jussus recessit. Vocatus intravit magister Herbertus de Bosebam. Rex suis ait de eo : « En videbitis quemdam superbum intrare. » Ipse quidem statura ut erat procerus et forma venustus, etiam satis splendide erat indutus, habens, de quodam panno viridi Antisiodorensi tunicam et pallium, ab humeris more Alemannorum dependens, ad talos demissum, ornatum decenter contingentibus suis. Præfata regis salutatione, sedit. Conventus est simili modo, quo Joannes, respondere cœpit similiter Joanni fere ; sed hæsit archiepiscopo et fidelitate, et consuetudinibus illis scriptis. Archiepiscopum de vitæ honestate et regis fidelitate plurimum commendavit, dicens ; illum solum esse regis fidelem, qui regem non permittit errare, ubi potest revocare : nam qui regi loquitur ad placitum, et ejus errorem, si quidem est, dissimulat, et quem taciturnitas addicit, regi fidelis non est, fidem præterit, jurata mentitur. Ideoque ait ; se non posse regi illam veram fidelitatem jurare, nisi vellet regi comes inseparabilis adhærere, et eum ubi esset juste corripiendus, corripere : sciebatque regem hujus esse instituti et animi, quod eum non audiret nec toleraret. De consuetudinibus ait, quod dixerat Joannes ; et adjecit, mirum sibi videri, quod rex scribi illas fecerat. « Sunt enim, ait, et in regnis aliis aliquæ malæ consuetudines contra Ecclesiam Dei, sed non scriptæ ; ideoque quia scriptæ non sunt, spes est major, quod inspirante regibus Deo exterminentur. » Rex eum volens capere in sermone ait : « Et quænam sunt malæ consuetudines in regno domini nostri regis Francorum ? » Herbertus : « Consuetudines telonei et pasagii, quæ etiam a clericis et peregrinis exiguntur. » Item, obeunte episcopo, bona domus, æs, omnia mobilia, etiam fenestræ et ostia exportantur, et regis fiunt. Item forte similes vel aliæ aliquæ malæ consuetudines sunt, sed non scriptæ in regno regis Alemannorum. Rex : « Quare in nomine dignitatis derogas ei, non vocans eum imperatorem Alemannorum ? » Herbertus : « Rex Alemannorum est ; sed ubi scribit, scribit imperator Romanorum semper Augustus. » Rex ait : « Proh pudor ! magna siquidem indignatio. Quid hic filius sacerdotis regnum meum perturbat, et pacem meam inquietat ? » Herbertus : « Ego minime ; sed neque filius sum sacerdotis, quia non fui genitus in sacerdotio, licet postea sacerdos fuerit pater meus ; neque filius regis est, nisi quem pater rex genuerit. » Tunc ait quidam de assidentibus baronibus, Jordanus Tarsun : « Equidem cujuscunque filius sit, vellem dimidium terræ meæ dedisse, ut filius meus esset. » Quod etiam verbum rex amare accepit et siluit. Post pauca, jussit Herbertum abire ; recessit. Philippus de Calva, natu Londoniensis, qui duobus annis ante exsilium archiepiscopi Turonis studuerat, divinam paginam audiens, et leges docens, apprimæ lectionis, et eloquentissimus sed ægrotatus ; eoque neque præsentiam archiepiscopi comitabatur, neque Romam mit-

tebatur, neque regis et ejus distantiæ se immiscebat; vocatus introiit. Hæc autem de eo dicta regi nota facta sunt ibi; habuitque bonos intercessores, qui dicerent regi, eum dixisse, cum audisset se occasione archiepiscopi bonis suis in Anglia destitutum: Deus bone, quid a me quærit ille bonus hoc rex? Rex itaque suasus, ne nihil gratiæ faceret, huic sacramentum 'propositum remisit, pacem suam dedit, restitutionemque bonorum suorum concessit, et surgens ad alia se convertit negotia. Tandem hoc domino papæ significatum est, quod concordia non procedebat. Habuit item a domino papa archiepiscopus auctoritatem dandæ sententiæ in personam regis, sed melius patientia et commotionibus eum ad pœnitentiam et satisfactionem revocare intendebat. Quo audito, rex misit domino papæ nuntium Reginaldum Lumbardum, ut cum domino papa ageret, vel de transferendo archiepiscopo ad alium titulum archiepiscopalis ecclesiæ, cum de depositione ipsius toties frustra tentatus dominus papa, semper immobilis, et pecuniæ spretor, inventus est; vel de revocanda potestate illa commissa archiepiscopo animadvertendi in eum; vel de dilatione dandæ sententiæ, sub spe pacis et reconciliationis archiepiscopi, quam domino papæ rex permisit. Et quidem ultimum illud Reginaldus ille a domino papæ impetravit. Iterum et iterum dulcibus alloquiis et exhortationibus regem dominus papa compellat: « Non proficiens hac via, minatur securim ad radicem arboris ponendam. » Quod procul dubio rex intelligens, jurare facit omnem Angliam a laico duodecim vel quindecim annorum supra, contra dominum papam et archiepiscopum, quod eorum non recipient litteras, nec obedient mandatis: et, si quis inventus foret litteras eorum deferens, traderetur potestatibus, tanquam coronæ regis capitalis inimicus. Tamen hoc sacramentum apostasiæ nobilis quædam domina filia Baldewini de Reivers (21-22) viriliter agens et zelum habens obedientiæ Dei neque juravit neque aliquem hominum suorum jurare permisit. Archiepiscopus Eboracensis similiter libere fecit. Alii episcopi, qui in Anglia remanserant, proh dolor! in parochiis suis sacramentum illud jurari permiserunt. Archiepiscopus, hoc audito, tanto compatiens errori et apostasiæ, missis clam litteris ad aliquos timoratos Dei, omnes qui inviti juraverant, a sacramento absolutos pronuntiavit. Rex facit portus maris districtissime observari. Interim in Angliam revertitur, et filium suum Henricum apud London imponente ei manum archiepiscopo Eboracensi, supradicto Rogerio, præter spem et opinionem omnium fere totius regni, subito fecit coronari Archiepiscopus Cantuariensis ad hunc casum oculos direxerat Providentiæ, et a domino papa litteras obtinuerat, in Sabbato dominicæ coronationis illius Eboracensi et Londoniensi oblatas, ne ipsi vel alii episcopi Angliæ citra cum non ad hoc revocatum

A ei coronando manum imponerent; quia Cantuariensis Ecclesiæ hæc debebat esse coronatio. Nec minus pridie festum sanctorum Viti et Modesti coronatur. Rex statim retransfretat, sed prius cum filium suum rex Angliæ disposuisset coronari, dixit hoc idem Wigorniensi tunc transmarino, transmarinus præcipiens ut repatriaret, et cum episcopis, qui pauci admodum supererant in Anglia, cognati sui adesset coronationi. Nec tamen significavit ei quod per manus impositionem Eboracensis vellet eum coronari. Episcopus sperans meliora, concessit et ad maris portum Diepam venit. Rex in Angliam venerat. Regina, quæ in Normannia remanserat, et Ricardus de Humet justitiarus Normannorum, litteras miserunt episcopo Wigorniensi ad portum prædictum ne

B transfretraret; alias etiam litteras præposito et transvectoribus naves habentibus, ne episcopum illum in Angliam transveherent nec transfretare permitterent. Sane intelligebant quod episcopus ille per Eboracensem manus coronando impositurum, non permitteret illum coronari in provincia Cantuariensi, vivente Cantuariensi archiepiscopo; cujus dignitatis esse debebat regem novum consecrare. Ita transfretare prohibitus, episcopus remansit in Normannia. Post coronationem illam, rex statim ut dictum est, retransfretavit in Normanniam. Trans Falesiam, Wigorniensis (23) episcopus, ad tria millia extra Falesiam ad eum venit. Rex ei se vultuosum ostendit, et statim in verba prorupit contumeliæ, dicens: « Nunc patet te proditorem

C esse; præceperam tibi ego ipse quod coronationi filii mei adesses, et tibi diem prædixeram, adesse noluisti; in quo, quod neque me, neque filii mei diligas promotionem, plane ostendisti. Equidem patet, quod inimico magis faveas, et me meosque odio habeas; sed reditus episcopatus tui amplius tibi non remanebunt. Eripiam eos a manibus tuis, quia et episcopatu et omni beneficio indignum te probasti. Vere Roberti boni comitis avunculi mei filius numquam fuisti, qui me et te in castro illo nutrivit et nos ibi et prima elementa morum et litterarum doceri procuravit. Episcopus, de sua securus innocentia, regi simpliciter et modeste acta narravit, quomodo ad portum usque venisset, et quomodo, ne transfretaret, litteras prohibitionis accepisset. Rex

D non credulus illi, et vehementissime accensus ait: « Regina est in castro illo Falesiæ, et forte Ricardus de Humet vel adest vel in proximo aderit, laudasne illos auctores? » Episcopus: « Reginam minime, ne forte si reverentia vel timore vestri verum supprimat, adversum me amplius excandescas. Si vero verum confiteatur, adversus illam nobilem dominam irreverenter insanias; non est mihi tibia tanti ut pro hoc unum verbum amarum ab ore vestro audiat; malo sic factum esse, quam me coronationi adfuisse, quæ quidem injusta, et contra Deum fuit, non ratione coronati, sed præsumptione coronato-

(21-22) *Byervers* ed. Spark.

(23) *Wig.* om. ed. Spark.

ris : et si adfuissem, illum ibi eum coronasse non sustinuissem. Dicis me non fuisse filium comitis Rogeri, nescio ; matris meæ vel filius fui, cum qua totius consulatus, et honoris jus hæreditatemque pater meus suscepit ; sed vos facto condignæ retributionis non ostenditis, quod pater meus, ille comes Rogerus, avunculus vester fuit, quod vos honore condigno enutrierit, quod pro vobis regem Stephanum sexdecim annis impugnans et inimicum impugnatoremque sustinens tandem pro vobis in bello captus fuerit. Si hæc et hujusmodi patris mei obsequia ad animum revocassetis, non ita fratres meos in exinanitionem et exterminium redegissetis. Fratris mei comitis tenuram et honorem mille militum, quem avus vester, rex illustris Henricus patri meo integrum dedit, vos feudo ducentorum et quadraginta militum decurtastis. Alium juniorem fratrem meum R. strenuum, ut dicitur, militem, ita inopem et opis indigum esse sustinuistis, quod pro paupertate, relicta sæculari militia et vita, hospitali Hierosolymitano se in perpetuo serviturum donavit, et schema habitumque suscepit. Vestros domesticos propinquos, et amicos sic nostis beare, bene meritos sic consuevistis munerare. Quid mihi minas et mala intentatis, quod episcopatus mei beneficiis me spoliare velitis ? Ut libet moveor ? non moveor, vestra sint, si vobis non sufficiunt, quæ ab archiepiscopatu et sex episcopatibus vacantibus et pluribus abbatiis, injuste certe et animæ vestræ periculo recipitis, et in usus vestros sæculares redigitis, eleemosynas patrum vestrorum, bonorum regum, et patrimonia Jesu Christi. » Hæc et hujusmodi dicta sunt in audientia omnium, qui regi hinc inde lateris stipatores coequitabant ; et ait sociis suis quidam miles de Aquitania, qui episcopum ignorabat : « Et quis iste qui sic loquitur ? » Dictum est ei quod esset episcopus. Ille contra : « Equidem feliciter actum est cum rege, quod sacerdos est ipse. Si miles esset, duo jugera terræ regi non relinqueret. » Alius autem quidam intendens regi placere, amarius episcopum objurgavit. Quod rex audiens, et indigne ferens, conversus ad illum, maximo eum turpiloquio dehonestavit, inter cætera dicens : « Putasne, pessime, si quæ volo dicam cognato et episcopo meo, liceat ideo tibi vel alii cuiquam eum verbis inhonorare, aut minis insectari ? Equidem vix manus contineo ab oculis tuis ; tibi et aliis contra episcopum nefas sit mutire. » Ventum est ad hospitia. Post prandium rex et episcopus secreti et placide collocuti sunt, et de pace archiepiscopi. Aliqua vice factus fuerat tumultus magnus in Anglia a justitiariis regis imponentibus quasi crimem quibusdam abbatibus, et personis ecclesiasticis in Anglia, quod archiepiscopo exsuli regis ut dicebant inimico, pecuniam numeratam transmisissent. Et quidem episcopo Wintoniensi hoc non audebant objicere, qui frequenti visitatione et opportuna auri et argenti transmissione, pio compassionis affectu domini sui archiepiscopi, quem ordinaverat, propulsaverat inopiam. Eorum autem quibus hoc objectum fuerat, alii, qui tamen hoc facerent, timore incumbente super eos se hoc fecisse negaverunt, ut pacem haberent, eam pecunia sua emerunt. Aliquis ausus est palam dicere : « Et quid nos arguitis opus fecisse misericordiæ inopi et exsuli, et patri nostro de pecunia nostra donasse ? Non est religiosus nec satis Christianus qui calamitosum negligit, afflicto non compatitur, pauperis non miseretur. Dicitis eum regis esse inimicum ; nos nescimus, nec credimus. Et tamen si esset nobis inimicus, inimicum diligere jubemur propter Deum ; esurientem cibare, et potare sitientem. » Dictum fuit aliquem dixisse vel scripsisse regi Anglorum de archiepiscopo : « Utquid tenetur exclusus ? melius tenebitur inclusus quam exclusus. » Satisque dictum fuit intelligenti. Unde et rex ad colloquium de pace festinavit, et ibi omnia prius negata, quæ ab eo petebantur, concessit. Prius tamen filio suo ita subito coronato, propter aliquod consequens, quod potuit contingere ; et si quid mali contigisset, non deberet propter eum puniri regnum, cujus ipse rex non esset. Istud fuit arcana non enarrabile fibra regis Anglorum, novit Deus, « qui scrutatur renes et corda ; » non ego. Sed qui ante rem, in re, post rem, operibus crediderunt, hoc de eo intellexerunt. Item de concordia et pace archiepiscopi rex Francorum et nuntii domini papæ regem Anglorum subito compellant, quoniam dominus papa tantos regis excessus, tantam archiepiscopi et suorum coexsulum miseriam, nec non laborantis Anglicanæ Ecclesiæ dolores ulterius dissimulare non valuit nec voluit.

Acquievit rex (24) rogari in ipsa æstate. Igitur sexto anno exsilii archiepiscopi Thomæ nondum completo, pridie beatæ Mariæ Magdalenæ congregantur apud Fonteveral (25) archiepiscopi Rhemensis, Senonensis, Rothomagensis, Tyrensis, et dominus rex Francorum, et episcopus Nivernensis, et abbas de Grosso Monte, loco domini papæ, et episcopus Pictavensis, et fere omnes episcopi Normanniæ ; comites et magnates fere omnes Galliæ ad pacem inter regem Angliæ et archiepiscopum Cantuariensem reformandam. Nullus episcoporum Angliæ ibi fuit præter Rogerum Wirgoniensem. Ipsa die ad hospitium regis Francorum veniens rex Anglorum, cum secreto collocuti essent, post pauca jocando dixit rex Angliæ : « Et crastina die habebit pacem suam latro vester ; et quidem bonam habebit. » Rex Francorum : « Quis, inquam, latro pro sanctis Franciæ ? » Rex Anglorum : « Ille noster Cantuariensis archiepiscopus. » Rex Francorum : « Utinam esset ita noster quomodo vester est ; honor vobis erit coram Deo et hominibus, si ei pacem bonam feceritis, et nos vobis gratiam habebimus. » Hæc in audientia dicta sunt, secretius quæ voluere locuti sunt. In crastino exeunt omnes ad colloquium illud. Rex

(24) *Mox* ed. Spark.

(25) *Freitevile* ed. Spark.

Francorum non ascendit : forte ita convenerat inter A eos, prece regis Angliæ promittentis ei se omnia sine eo factorum, quæ postulaverat. Siquidem fatigaverat prius regem Anglorum pro archiepiscopo precibus multis. Et quoniam nunc ad colloquium hoc in terra regis Francorum rex Angliæ venerat, acquievit rex Francorum colloquio et concordiæ huic spiritu magis et auctoritate adesse, corporaliter abesse, et regi Angliæ propriæ libertatis et liberalitatis lora laxare; ut sui juris magis esse videretur; cum rex eum Franciæ neque prece neque præsentia oneraret, et conspectior in eo appareret misericordia, pace, et gratia sua archiepiscopo reddita, cum suæ ibi relictus esset voluntati, et nulli subjectus necessitati : sapienti siquidem dominorum preces precepta sunt.

Cum plurimi plurima hinc inde dixissent pro bono pacis et gratiæ eorum resarciendæ, et rex acquievisset omnibus articulis pacis et libertatis Ecclesiæ, et gratiæ, et restitutionis reddendæ Cantuariensi Ecclesiæ, et personæ archiepiscopi, et restitutionis terrarum et ecclesiarum faciendæ clericis seu omnibus pro archiepiscopo spoliatis, et donationis ecclesiarum archiepiscopatus, quæ interim vacaverant, archiepiscopo relinquendæ ; siquidem rex clericis suis eas donaverat; nolens bonus archiepiscopus latere regem aliquid, quod postea posset inter eos offendiculi vel scandali causam generare sapientis siquidem est nec fellere nec falli velle hujusmodi habuit orationem : « Domine mi rex, omnia quæ mihi fecistis beneficia promotionis primæ et secundæ, et venerationis plurimæ, sæpe ad memoriam revocans, grata et accepta fero, et in omnibus agens gratias, tanquam regi et domino terreno debitor vobis sum et obnoxius, salvo Dei honore et sanctæ Ecclesiæ ; et nunc potissimum, quia me modo ad pacèm et gratiam vestram revocatis et recipitis : verum inter omnes malorum articulos, quod in ira et indignatione vestra sustinui, proscriptionis, spoliationis et ejectionis mei et meorum, vel cujuscunque oppressionis Ecclesiæ Cantuariensis ; unum est quod me plus movet, et quod intactum incorrectumve omittere neque possum neque debeo ; scilicet, quod filium vestrum per Eboracensem archiepiscopum in parochia Cantuariensi coronari fecistis, et hac dignitate regem sacrandi Ecclesiam Cantuariensem spoliasti, quæ vos unctione misericordiæ Dei unxit in regem, et quæ inter omnes dignitates suas D hanc sibi habuit peculiarem, propriam et specialem, a tempore longæ retro vetustatis, ex quo primum beatus Augustinus sedem metropolitanam Cantuariæ constituit. » Ad hæc rex : « Accepi quidem et didici, quod inter cæteras regales regni mei dignitates, hæc quidem una est, quod si rex Angliæ filium suum vivens in regem promovere voluerit, ubicunque et per cujuscunque civitatis archiepiscopum vel episcopum voluerit, licet ei hoc facere. Et atavus meus rex Willelmus, qui subegit Angliam, ab archiepiscopo Eboracensi sacrationem suscepit et coronam Londoniæ. Et avus meus rex Henricus per manum episcopi Herefordiensis. » Ad hæc archiepiscopus: « Equidem verum est, quod reges illos illi coronaverunt ; sed in illorum coronamentis Cantuariensis Ecclesiæ dignitas non est imminuta : nam cum regem unxit Willelmum Eboracensis ille, quasi vacabat sedes Cantuariæ. Stigandus enim, qui tunc Cantuariensi præesse videbatur Ecclesiæ, archiepiscopus non fuit ; pallium a sancta Romana Ecclesia nunquam susceperat; et, vacante Ecclesia Cantuariensi, in clero Angliæ major eminebat et proprius impellebat archiepiscopus Eboracensis. Cum vero coronari deberet rex Henricus, sanctus Anselmus Cantuariæ archiepiscopus erat ; sed longinquo aberat exsulans apud Cluniacum. Quoniam autem mora revocationis ejus maxime posset esse regni periculo ne interea guerra oriretur super faciem tèrræ ; subiit in locum et officium archiepiscopi absentis unus suffraganeorum ejus, ille Herefordiensis, patris salvans ei dignitatem. » Rex ad hæc : « Bene potest verum esse. Ego quod dixi, in causa contra Cantuariensem Ecclesiam non dico ; ipsa me sacravit. ipsius ubique volo salvam fore dignitatem. Si quid in eam commisi, pro me paratus sum corrigere domini papæ et Ecclesiæ Romanæ arbitratu. Et vobis liceat ab archiepiscopo Eboracensi et episcopi Angliæ Cantuariensi Ecclesiæ et vobis illatas expostulare injurias. » Satisfactum est archiepiscopo, et pro hac responsione et concessione regi gratiam redditurus, equo descendit, ad pedes regis se inclinaturus. Quod rex intelligens, ocius equo desiliit, et archiepiscopum amplexatus elevavit, eum recipiens vultu hilari, fronte læta, et pacem spondente et gratiam sibi referente. Ascensuro præbuit obsequium, orbem tenens, quo pes ejus dexter teneretur, Ab omnibus bonæ voluntatis hominibus, qui aderant, piæ erumpebant lacrymæ. Tunc rogatus est rex dare ei osculum pacis : nam diu prius, cum inter eos de concordia tractaretur, reversione et restitutione, et homnibus hujusmodi articulis a rege concessis, sed solo osculò negato, pax diu hæserat; dicente rege, se aliquando jurasse in ira, quod eum nunquam oscularetur. Unde consultus dominus papa regem a tali si fecerat, sacramento absolvit : et ei injunxit in animæ suæ salutem, quod eum in bona pace oscularetur. Rex ait : « In terra mea centies ejus osculabor os, manus et pedes ; centies ejus audiam missam ; sed modo differatur. Non loquor captiose. Honor mihi est, ut in aliquo mihi deferre videatur : et in terra mea osculum dare, de majore videbitur gratia et benignitate, quod hic fieri videretur de necessitate. » Assensu omnium archiepiscopus acquievit. Lætati sunt universi, clerus militia, populus, omnis ætas, omnis ordo, qui hæc viderunt et audierunt. Postea soli dominus rex et archiepiscopus, seorsum diu secreto usi sunt consilio. Solvitur conventus. Convenerat inter regem et archiepiscopum, quod in Galliam rediret archiepiscopus suis benefactoribus gratias referre, et domino papæ, nuntio et scripto suo ; acceptaque

licentia, et compositis ad repatriandum rebus, ut ad regem rediret, qui vel in propria, si fieri posset, præsentia eum in Angliæ reduceret; vel cum eo archiepiscopum Rothomagensem mitteret, ut rediens postliminio, cum multa veneratione, susciperetur: et interea, rege præcipiente, ut possessiones ablatæ ei et singulis restituerentur destitutis. De pace archiepiscopi scripsit rex in hæc verba [. . . . .] (26) Celebratur restitutio clericis archiepiscopi; non tamen satis plenaria: sed neque ipsi archiepiscopo. Rex, ut supra dictum est, donaverat in dissentione vacantes quasdam ecclesias archiepiscopi: et secundum formam pacis revocat donationes illas et archiepiscopo relinquit. Intrant in possessiones earum officiales clericorum, quibus archiepiscopus illis donaverat. Sed non multo post per officiales regis hi expelluntur, et reintrant quibus eas rex dederat. Præterea, reditus, et pensiones maneriorum archiepiscopatus, ad proximum terminum sancti Michaelis, non archiepiscopi sed regis officiales recipiunt. Sapientes plurimi hæc taciti considerabant, et aliquid notabant. At archiepiscopus statim miserat nuntium suum gratiam referens, de pace, domino papæ, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et scripserat ei formam pacis, et concessionem regis de ulciscenda coronationis injuria, et forte nuntium illum exspectabat. Et interea conventibus religiosis et opitularibus amicis suis, semotis singulis per Galliam gratias referre, et ab eis licentiam accipere vacabat. Ipsi autem nobiles Galli eum et suos, equis, vestibus, et omnibus necessariis sufficientissime instruxerunt, ut quos foverant exsules cum honore remitterent repatriantes. Regi Francorum in accipiendo ab eo licentiam dulcissime, et affectuosissime, cum omni gratiarum actione, inter cætera dixit: « Nos imus in Angliam ludere pro capitibus. » Rex Francorum ait: « Ita mihi videtur. Equidem, domine archiepiscope, non dato tibi osculo pacis, si mihi crederes, te regi tuo non crederes. Remane: rege Ludovico vivente, non tibi vina, cibi, Galliæve opulentia deerit. » Ille: « Fiat voluntas Dei. » Cum lacrymis extremum vale sibi invicem dixerunt. Similiter et episcopo Parisiensi eum deosculanti inter cætera dixit: « Vado in Angliam, mori. » In Anglia, cuidam religioso et honesto sacerdoti Richardo de Halliwella, quidam serviens de curia regis peccata confessus, inter cætera dixit; se manibus suis impressisse sigillo litteras missas in Angliam, ut occideretur archiepiscopus; et Nigellum de Salcavilla eas scripsisse lacrymantem; addidit etiam, se hoc confessum fuisse alicui episcopo Angliæ, et ab eo satisfactionem sibi injungi postulasse. Episcopus ille illi: « Et quid! Præceptum domini tui fecisti; et tanquam nihil mali commisisset nihil ei injunxit. »

Una dierum Reginaldus de Warenna intravit capitulum canonicorum de Suthwercha, quibus ipse familiari dilectione, et fraternitatis eorum communicatione, et plurima devinctus erat beneficiorum collatione, et inter cætera cum loqueretur de hoc mundo immundo, de facinorosum malitia, de vitiis quæ a patrum nostrorum nobilitate degenerans, audet et apponit præsens corruptior ætas, ait eis: « Obsecro, orate Deum pro me instantius; necesse est, in proximo forte audietis in Anglia fieri, quæ a sæculo non sunt facta vel audita; et quoad me, contra me et meam voluntatem; sed non sum mei juris. » Abhorruerunt canonici, qui hæc audierunt nescientes qui vel de quo diceret; donec Reginaldo illo servato innocente a sanguine justi hujus, res tandem per alios facta est. Rex Anglorum interim archiepiscopo litteras scripsit revocationis per Hugonem clericum, dicens illam ejus moram in Gallia sibi esse suspectam; festinaret ergo in Angliam redire archiepiscopus; paratis omnibus, ad regem ex condicto revertitur. Primum venit ad eum apud Turonem, ibi nec rex, nec rogatus, osculum dedit; nec archiepiscopus rogavit, ne festinus nimium et præproperus videretur.

Iterum ad curiam venit apud Ambeise. Rex ipsa die adhuc missam erat auditurus. Nigellus de Salcavilla, regis clericus et sigillifer, et cui unam de bonis ecclesiis archiepiscopi rex donaverat, quam modo timebat amittere, regi nuntiat archiepiscopum esse in capella; et forte tam tempestive et ante missam venisse, ut ei ad missam osculum pacis ferat; sed, si dominus rex velit, fraudari posse archiepiscopum osculo. Rex: « Quoniam modo? » Ille; « Dicat sacerdos missam pro fidelibus defunctis. » Rex aquievit, et factum est ita. Post illam missam dictum est, ut assolet in veneratione dominæ nostræ perpetuæ virginis Mariæ, *Salve, sancta parens*: quo dicto sacerdos textum Evangelii osculatus est, et accedenti ad eum, et osculanti archiepiscopo tradidit regi deferendum; quo osculato, archiepiscopus regi ait: « Domine modo in terram vestram ad vos veni, date et mihi pro tempore, et loco, et condicto, pacis osculum. » Rex: « Alia vice satis habebis; » quam repulsam, et archiepiscopus, et omnes taciti notaverunt. Rex et archiepiscopus die illa diu soli locuti sunt. In ultimo autem concordiæ tenore pactus erat rex Rothomagensem contra eum venire, et omnia ejus debita creditoribus solvere, et de cætera pecunia archiepiscopi percepta satisfacere, et ibi eum ad osculum recipere, et eum in Anglia comitari, vel Rothomagensem cum eo mittere ad filium suum regem, suppleturum, si quid deesset plenariæ redintegrationis archiepiscopi vel suorum. Ibi a rege Anglorum cum ultima vice, licentia petita, discessit.

(26) Epistolæ quarum hic illic mentio facta est, in locis suis inter epistolas S. Thomæ et Gilberti Foliot, invenientur. In codice A omnino abfuissent, nisi in tenuibus membranæ laminis intra paginas libri insertis exscriptæ essent.

Rex ait ei : « Vade in pace, sequar te, videbo te Rothomagi, vel in Anglia, quam citius potero. » Archiepiscopus : « Domine, dicit mihi animus, quod sic discedo a vobis, quasi quem amplius in hac vita non videbitis. » Rex : Habes me proditorem ? » archiepiscopus : « Absit a te, domine. » Et inde discedens archiepiscopus ex voluntate regis venit Rothomagum. Ibi autem solummodo per nuntium regis, itineris sui ducem, decanum Saresberiensem accepit. Regis erat excusatio quo minus in Angliam veniret cum eo : quia rex Francorum homines ejus Arvernos pararet expugnare. Audito a decano Saresberiensi ad quid venisset, ait illi archiepiscopus : « O quanta rerum mutatio ! » Archiepiscopus Cantuariensis : « Ita secure deberet tibi ducatum præbere, et paulo securius, quam tu ei, in Angliam ituro. » Archiepiscopo autem Rothomagensi, per quem supradicta inter eos convenerant, dixit : « Ubi sunt hæc inter regem et me conventa ? Quare in propria persona non adest rex ? Quid est de nostræ pacis osculo ? quid de pecunia ? Creditores meos adduxi. Rex non stat verbo suo. » Interrogatus item a Cantuariensi Rothomagensis, si regis de comitando eum in Angliam accepisset mandatum, ait : « Nequaquam ; » prosequeretur eum tamen ex dilectione, si vellet, sed non oportere. Omnia in tuto esse ait. Pax ejus et securitas, in tanta auctoritate, et tantorum præsentia formata et firmata erat. Ibi archiepiscopus Rothomagensis ei trecentas libras monetæ suæ dono dedit. Ad mare Flandriæ vadit archiepiscopus, solo ductatore comitatus decano Saresberiensi Joanne prædicto, conferens hæc omnia in corde suo, et maxime pactum sibi in concordia deesse sibi osculum pacis. Sed tamen in Spiritu sancto securus cœptum iter agit, pro Deo et Ecclesia non timidus mori. Jam autem acceperat nuntium, et litteras exhortationis a domino papa, ut ad Ecclesiam suam intrepidus redeat, et ministerium suum impleat ; sed et litteras severissimæ justitiæ de præsumpta novi regis Angliæ coronatione, suspensionis quidem archiepiscopi Eboracensis et omnium episcoporum, qui coronamento aderant ; præterquam solius Bortholomæi Exoniensis ; sed et litteras in excommunicationem revocationis episcoporum Londinensis et Saresberiensis, quippe alia prius vice fuerant excommunicati. Cum his de justitia litteris nuntius præmittitur, qui Eboracensem et Londoniensem transfretare parantes tempestive apud Cantuariam invenit. Lectis de sententia fulminante domini papæ litteris, in quibus et hoc unum verborum erat : « Implemus facies vestras ignominia, » concidit in terram vultus eorum.

Ad portum Wytsand jam erat archiepiscopus ; serena erat cœli facies et maris, navis archiepiscopi parata, aliæ aliquæ naves transfretabant. Archiepiscopus exspectabat. Dicunt ei aliqui de clericis suis coexsulibus, quibus natale solum desiderio erat : « Domine, ecce jam Angliam videmus : plurimorum transfretantium vela tument. Quare non ascenditis navem ? Nunquid nos eximus sicut Moyses, qui terram promissionis vidit quidem, sed non intravit ? Ille, inter cætera : « Ut quid festinatis ? non effluent quadraginta dies ab ingressu vestro in terram, malletis esse ubicunque terrarum, quam in Anglia. » Jam paratum erat, et forte aliquem ab Anglia nuntium acceperat, quod si apud Doveram intraret appulsus, obvios eum accipientes grassatores inveniret, qui subito peragerent rem ; et quod ad mare accessissent Eboracensis et Londinensis ad confirmandum magis tam scelerati ausus opifices, ut de illorum in vicino positorum præsentia et securitate audentiores redderentur. Navim ingressus sacerdos Dei bonus Thomas, gubernatorem hortatur portum Sandwici petere, quoniam ille portus suus erat, et homines sui de ipsius lætarentur adventu. Igitur Kalendas Decembris feria tertia apud Sandwicum appulsus est ; quod audientes statim regis officiales, vicecomes Cantiæ Gervasius de Cornhelle, et Reginaldus de Warenna et milites eorum plurimi sub capis et tunicis loricati, advolant in egressum ejus a navi, sed viso et audito Joanne loco regis ejus ductatore, discedunt qui armati audiebantur ; sed ne nihil ageretur, vicecomes, et Reginaldus inter cætera verba quærunt si alienigena aliquis cum eo veniret, ut secundum legem a rege promulgatam exigant ab eo litteras regis de ingressu suo in Angliam, vel saltem sacramentum de fidelitate regis, forte et ut eum provocarent, vel seditionem suscitarent, talia loquebantur ; sed frustra. Ibi archiepiscopus pacificum esse ingressum suum, pacifice respondit ; et non cum eo venisse nisi homines pacis, clericos suos et domesticam familiam suam. Sane venerat cum eo quidam archidiaconus Senonensis, qui ei exsulanti et suis multa contulerat beneficia : hunc clericum sibi adhæsisse dicebat. Exactiones hujusmodi, vel litterarum, vel sacramenti, ab eis debere et solere exigi, de quibus verisimile esset, quod infirma regni explorare venissent. Inauditum esse quod a Cantuariensis archiepiscopi clericis talia exigerentur, nec ab eo inciperent. Res hoc modo quievit, nisi quod postea dixit ei vicecomes, quod in igne, et gladio terram intraverat ; regem volebat decoronare ; archiepiscopum Eboracensem et omnes episcopos excommunicaverat, pro servitio regis : et nisi in brevi maturum super hoc captaret consilium, futurum aliquid, quod melius posset remanere. Ad talia archiepiscopus respondit ; se non regere coronamentum retractare ; quippe qui ei quatuor talia regna, si posset secundum Deum, libenter perquirere vellet ; sed pro illis, qui contra Deum, et Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem, hanc sacrationem injuste usurpaverant, nec hoc erat in terram ignem et gladium mittere, debitam peccatis episcoporum justitiam exercere. Mortem ei non minaretur quis, paratus enim venerat collum extendere pro justitia et veritate. Scripsit statim de ingressu suo in Angliam domino papæ. Nuntiatur Ecclesiæ Cantuariæ, et urbi, appulsum esse dominum archiepiscopum. Hila-

rati sunt oppido omnes a maximo usque ad minimum. A Ornatur facies templi. Induuntur sericis, et vestibus pretiosis. Parant epulum multiplex, lectisternia capacissima. Recipitur cum processione celebri archiepiscopus. Resonat ecclesia canticis et organis; atria classicis; urbs undique lætitia uberiore.

Sermonem in capitulo dixit luculentissimum incipiens ab hoc versu: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. » Duo archidiaconi, scilicet Galfridus Ridel Cantuariensis, et Ricardus Pictavensis, familiares regis, et de consilio ejus; sed quos archiepiscopus promoverat ad locum in quo eminebant; qui etiam homines ipsius erant; jam in Cantiam venerant, ad regem illac transfretaturi. Audito autem quod archiepiscopus appulsus B Cantuariæ esset, lora statim diverterunt, ad occidentalis maris portus tendentes. Quod iter malum signum fuisse visum est pluribus. Archiepiscopus Eboraci, et episcopus Londini, et Saresburiæ per clericos suos nuntios archiepiscopum alloquuntur, quod in pace non venisset, sed in igne, et flamma, coepiscopos suos omnes conculcans, et ponens scabellum pedum suorum; non citatos, non auditos, non judicatos; sed suffraganeos ejus dicebant occurrisse ei ad mare, ut in processione cum ecclesia Cantuariæ eum reciperent; sed induti erant præter spem et meritum quasdam tunicas nigras, et dissidentes, quibus exui, antequam ad eum venirent, necesse habebant si ei placeret. Ille inter cætera, dicebat pacem peccatorum video non esse pacem, et C huc usque in his absentiæ meæ diebus episcoporum nostrorum [aliqui] ferant quæ ad pacem eis videbantur, sed a domino papa bellum missum est bonum, ut rumpatur pax mala. Adsit regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas. Item non est pax vera nisi hominibus bonæ voluntatis. Putabat Jerusalem, deliciis affluens, et nimis sibi indulgens, sibi esse pacem; sed flevit eam Dominus misertus, quia divinæ ultionis imminebat ei severitas, abscondita ab oculis ejus. » Item episcopi dicunt, quod non vocati fuerunt, non auditi in jure: sane, non omnia causæ cognitionem desiderant. Ubi manifesta sunt crimina, non indigent disquisitione, sed potius debita correctione. Ad hæc respondit; « Sententia hæc suspensionis, seu excommunicationis, non est mea sed domini papæ: neque nostrum est de ejus sententia D disputare. Probe intelligo tentativa esse et captiosa, quæ per vos nuntios proponunt episcopi; ut si confitear me non venisse cum potestate eos solvendi, me legatum infirmum in hac parte parvi pendant; si cum hac potestate, absolutionem suam per laicam potestatem a me extorqueant. Eis non insidior. Illi meum sanguinem sitiunt. Utinam bibant; et bibent. Et cum tandem sanum dedisset resipiscendi et satisfaciendi consilium, non acquieverunt, sed appellaverunt. Voluit Londinensis, postea sicut dicebatur optimam partem eligere sibi, ut a legato et archiepiscopo suo pœnitens humiliatus et juri stare juratus absolveretur; sed forte, ne solus relinqueretur in certamine, non sustinuit Eboracensis, qui confisus in thesauris pecuniæ, dicebat aliquando, se habere papam et regem cum servitiis suis. Consilium dedit ut regem transmarinum simul adirent, significarent ei universa.

Bonus archiepiscopus Thomas post octo dierum moram in sede, præmittit nuntium domino regi juniori, significans quod eum tanquam regem et dominum suum veniat videre. Adduxerat quidem secum tres pretiosos equos dextrarios, miræ velocitatis, elegantis staturæ, formæ venustæ, ingredientes altius, crura molia reponentes, micantes auribus, trementes membra, stare impatientes, amictos opertoriis, distinctis floribus et coloribus, quos ei, novo domino, novum xenium donare destinaverat. Diligebat enim ipsum admodum, ut modo dominum suum regem, quem puerum in domo, et curia sua ipse cancellarius patris sui regis prius nutrierat.

Episcopus, et ecclesia Roffensis eum, una die, procedentes obviam cum debita veneratione suscipiunt. Londoniæ tertiam habuit processionem, ad ecclesiam canicorum regularium beatæ Mariæ in Suthwerca; exieratque ab urbe in occursum ejus ab exsilio revertentis, infinita multitudo clericorum, virorum, ac mulierum, in lætitia magna, laudantium et benedicentium Deum de ipsius desiderata repatriatione; per se congregati pauperes scholares, et clerici ecclesiarum Londinensium in occursum ejus circiter ad tria millia egressi ab urbe: archiepiscopo viso et appropinquante ad eos cœperunt canere altissime et serenissime: *Te Deum laudamus*; ut et ipsi præ gaudio flentes, fere omnes auditores ad pietatis lacrymas provocarent; quorum ipse devotioni et exsultationi in Domino congaudens, capite inclinato gratiam habuit, et injecta in loculum eleemosynarum suarum palma, eis monetam extractam plena compassione et manu fecit distribui. Ad canonicalem ecclesiam de Suthwerca, ubi in domibus episcopi Wintoniensis erat hospitio recipiendus, cum tandem venisset et descendisset, canonici religiosi cum omni gaudio, et facta processione ad ostium ecclesiæ ei obviantes, ipsorum et multorum piis irrumpentibus lacrymis, canere cœperunt responsorium: *Benedictus Dominus Deus Israel*; et infinita ibi multitudo, cleri, populi, omnis ætas, omnis ordo gaudio uberiore, et voce sonora, canticum gratiarum et lætitiæ communis prosecuta est. Ibi, et inter cæterum strepitum quædam fatua et inverecunda et dicax, quæ curiis et conventibus publicis se ingerit, Matildis clamabat, et repetebat aliquoties: « Archiepiscope, cave a cultello! » ut omnes mirarentur quidnam prodigiosum ipsa audisset, quod ad cautelam ei, sub tali verborum involucro, significabat. Ibi in hospitio episcopi Wintoniensis supranominati Henrici moram unius diei faciens, nuntium regis junioris accepit in crastino Jocelinum, fratrem reginæ, de Arundello, quod nolebat rex eum ad se venire, neque eum per urbes et

castra regni ire, sed rediret potius Cantuariam, et in sede sua moraretur, inde ne exiret. Admiratus est archiepiscopus, intellexitque de spiritu regis illius junioris talia non procedere ; et quæsivit a Jocelino, si a pacis suæ communione et fiducia eum submotum esse rex ei denuntiaret. Ille : « Quod ego dixi mandavit tibi ; » et exiens vultuosus vidit quemdam civem Londinensem, notum suum, obvium sibi hominem divitem, cui et dixit : « Nunquid et tu venisti ad inimicum regis, ? redi ocius, consulo tibi. » Ille : « Si inimicum regis eum habetis nos nescimus; audivimus et vidimus regis transmarini litteras de pace et restitutione istius ; si aliud quid latet, clam nobis est. » Et ista fuerant, ante rem, prænuntia signa malorum.

In crastino venit, qui diceret ei Cantuariam redituro, quod Randulphus de Broc onerariam navem ejus, cum vino suo appulsam, ei abstulerat, rudentes succiderat, anchoras tulerat, nautas, alios ceciderat, alios incarceraverat apud castrum Peveneseye. Mittit illico ad regem juniorem abbatem sancti Albani, et priorem de Dovera, nuntians quænam circa eum agerentur ; jubente rege restituta est navis. Archiepiscopum Thomam redeuntem Cantuariam, aliqui militum suorum comitati sunt, ne forte, tot concurrentibus, et crebrescentibus signis malis, aliqui garciones ab insidiis, secus stratam, in eum irruerent ; quinque omnino militum scuta, dextrarii et lanceæ in ejus fuerunt comitatu, Statim nuntiatum est regi transmarino, quod in exercitu grandi, et armato loricis et galeis regnum perambularet, urbes expugnare, et filium ejus a regno expugnare. Primo sero reditus ejus Cantuariam versus, apud Wrotham, venit ad eum quidam sacerdos Willelmus nomine, pauper et habitu religiosus, qui tunc celebrarat apud Chidingston. Hic ad secretum soliloquium archiepiscopi, quod rogaverat admissus, ait ei ; « Domine, ecce affero vobis reliquias sancti Laurentii et sancti Vincentii, et sanctæ Ceciliæ, ex præcepto sancti Laurentii, qui mihi in visione nocturna apparuit, et has, quas apud me habebam, horum sanctorum reliquias esse dixit. » Archiepiscopus : « Frater, et quomodo scis has horum sanctorum esse reliquias ? » Willelmus : « Domine, ita et ego in visione mea quæsivi a beato Laurentio signum aliquod, dicens quod alias mihi non crederetis ; et beatus Laurentius dixit mihi pro intersigno, quod nuper in sinum vestrum manum injecistis, et cilicium quo proximo carni vestræ utimini discissum invenistis, et apud vos deliberans utrum illud refici faceretis, an aliud novum indueretis, post modicum injecta manu, illud integrum invenistis. » Ad hæc, archiepiscopus, inter cætera : « In virtute Spiritus sancti, in vi obedientiæ, tibi præcipio, ne cui dicas, me superstite. » Sacerdos : « Fiat ; » et subjunxit : « Pauper sum : in aliena ministro ecclesia ; cogitate de me. » Archiepiscopus : « Infra quatriduum natalis Domini veni ad me, et providebo tibi. » Discessit ille.

Randulphus de Broc, et Gervasius de Cornhella, regis officiales, statim una dierum mala male dissimulantes, quasi ex ore regis præcipientes, fecerunt evocari, et citari priores ecclesiarum, et cives nominationes urbis Londoniæ, et nomina quorumcunque exeuntium obviam archiepiscopo clanculo scribi fecerant, ut ad curiam regis venirent cavere datis vadibus judicio curiæ regis stare, quia in occursum archiepiscopi processerant, inimici regis, ut aiebant; priores tamen, et personæ ecclesiasticæ non venerunt. Cives plurimi, qui venerant, dicta die, responderunt se non videre litteras regis, quæ ita eos citari vel cavere præciperent, sed neque justitiariorum. Erant regis cives, et fideles, non eis obnoxii ; ad regis imperium facerent, quod deberent ; res ita remansit. Nec enim in hoc peccaverant, sed potius præstiterant Deo obsequium justitiæ, cultum autem suo archiepiscopo legato, tam debitam quam devotam honorificentiam. Venit bonus Thomas Cantuariam, recedunt ad propria illi quinque milites ; et ipse cum solis sacerdotibus et clericis et familia domestica ibi remanet. Familia illa infamis Randolphi de Broc, ei vicinantes apud castrum Saltwode, nocturnas illi ad exitus viarum undique circa Cantuariam tendebant insidias. et ut eum ad impatientiam provocarent, et homines ejus ad rixam, in ejus indagine sine licentia venabantur, et cervum capiebant: amplius ; archiepiscopi proprios canes in silvis ejus militantes capiebant et retinebant. Amplius : una dierum ante natalem Domini, quidam Robertus de Broc, qui quondam clericus fuerat, et postea monachus in vestibus albis, sed post apostata et ad sæculum transfugæ, summarium archiepiscopi ab una villarum ecclesiæ cum procuratione ipsius Cantuariam tendens in strata regia obviam habuit, et unum equum per manum Joannis de Broc nepotis sui fecit tota cauda curtari, in dedecus archiepiscopi. Sed Dei desiderator Thomas, currus et auriga Ecclesiæ Anglorum, patiens tam in prosperis quam in adversis, præcipuæ virtutis domicilium, omnia hæc recolens præcurrentia martyrii sibi imminentis signa, animum firmans ad exitum suum de Ægypto, de die in diem, se præparat, in eleemosynis profusior, in oratione devotior, in omni cura animæ suæ sollicitor. Aliquoties etiam inter loquendum cum clericis suis, dicebat ; causam hanc sine sanguinis effusione non posse terminari, et se in causa Ecclesiæ usque ad mortem staturum. Quod sui non intelligebant, verba putantes ; sed postea hujusmodi recoluerunt verba,, qui viderunt opera. Et domino papæ scripsit archiepiscopus, non imminere sibi nisi mortem et gladium, supplicans ut pro eo Dominum Deum attentius deprecetur.

Venientes versus curiam transmarini regis hinc Eborarencis et Londoniensis et Saresberiensis, inde archidiaconus Pictavensis, siquidem archidiaconus Cantuariæ in mari laboraverat et nondum venerat, eunti forte videre archiepiscopum Tyri regi obviavit, et quæ jam rex audierat de excommunicatione

seu suspensione episcoporum, sicut dicebatur, acta narrant, Cantuariensi archiepiscopo totum imputant, reum deferunt læsæ majestatis; accusant absentem indefensum; id tamen verentes, ne quandoque vocaretur, et audiretur, in hoc crudeliores summis sacerdotibus Judæorum, Jesu Christi mortem machinantibus, eo quod illi licuit pro se respondere in publico, huic ejus discipulo Thomæ nequaquam. Causam inquam eorum, quæ erat ecclesiastica, ante oculos principis sæcularis offerunt, querimoniis suis regem nimis credulum illis incitant, in hominem recentis pacis suæ, in archiepiscopum sanctum Dei. Geminantur mala cum falso. Nuntiatum est regi, quod archiepiscopus in militum armatorum manu forti regnum perambulat. Quæsivit rex ab Eboracensi, Londoniensi et Saresberiensi consilium. Eboracensis: « Quære consilium a baronibus et a militibus tuis: nostrum non est, dicere, quid facto opus est. » Tandem ait unus: « Equidem, domine, Thoma superstite non habebis dies bonos, nec regnum pacatum, nec tempora quieta. » Rex itaque tantam ex hoc adversus eumdem archiepiscopum indignationem, amaritudinem, et turbationem concepit, et ita cum vultu et gestu ostendit, quod ejus commotionem intelligentes et ei placere quærentes quatuor domestici sui barones Reginaldus Ursonis filius, Willelmus de Traci, Hugo de Morevilla, Ricardus Brito, ut dicebatur, jurati in mortem archiepiscopi, a curia recedunt, diversos maris portus petunt. Mira res! duce diabolo, bonorum omnium antiquo hoste, circa eamdem horam diei unius ad familiam illam de Broc apud castrum Saltwode congregantur, in crastino postquam a curia regis archiepiscopum interfecturi discesserant. Rex in camera sua suos allocutus est barones, questus eis de archiepiscopo, quod quasi tyrannus terram suam esset ingressus, quodque pro servitio suo omnes episcopos et archiepiscopum Eboracensem suspendisset, et quosdam excommunicasset, quod totum regnum turbasset, quod filium suum, et cum corona. et diademate regni intenderet privare, quod supra eum perquisisset legationem, quod privilegium quoddam a summo pontifice obtinuisset sibi et episcopis de donationibus ecclesiarum, sublata et comitum et baronum et ipsius etiam regis advocatione. Primus respondit comes Legecestriæ: « Equidem, domine, amicissimi sibi fuerunt ipse archiepiscopus, et dominus pater meus comes, sed pro vero habeatis, quod postquam a terra, et dilectione vestra discessit archiepiscopus, neque meum vidit nuntium nec ego suum. « Engelgerus de Bohun, quidam inveteratus dierum malorum, et patruus Sarisberiensis episcopi, qui excommunicatus characterem bestiæ habebat in fronte, ait: « De tali homine, nescio quomodo vindicare possitis, nisi si patibulo appendatur virgis rigentibus in funem intortis, actus in crucem. « Willelmus cognomento Malus Vicinus, nepos Eudonis comitis Britanniæ, tertius fuit, qui loqueretur. « Olim, inquit, Jerosolymis redii, Romam transii, de pontificibus Romanis ibi hospitem meum, inter cæterum, sermonem, interrogans, audivi quod aliquis papa ibi interfectus fuit propter insolentiam et proterviam intolerabilem. » Finitis his, statim misit rex Willelmum comitem de Magna Villa, Seierum de Quinci, Ricardum de Humet, post illos quatuor in Angliam. Fama fuit ut archiepiscopum caperent. Comes Willelmus et Seierus usque ad portum maris venerunt, sed non transfretaverunt. Ricardus ad alium portum tendens transfretavit. Rex filius erat Wintoniæ; misit Ricardus ad magistros ejus Hugonem de Gundevilla et Willelmum filium Joannis, ut clam rege cum militibus domus regiæ Cantuariam irent. Ipse circa maritimam insidiabatur, ut si forte archiepiscopus fugæ præsidium attentaret ad aliquem portum maris, caperetur; quod et faciebant in transmarinis comes Willelmus et Seierus, ut si forte transfretasset, ibi caperetur.

Mira res et stupenda accidit. Nam illi quatuor barones superius nominati. Reginaldus Ursonis filius et ejus socii, qui diversos maris portus petiverant duce diabolo, bonorum omnium hoste antiquo, circa eamdem horam diei unius in Angliam apud castrum de Saltwode, ad familiam de Broch congregantur: tamen ante adventum eorum beatus archiepiscopus, de imminente occisorum ejus ingressu certissime fuit edoctus, et magis confortabatur in Domino, viriliter agens et induens se armaturam Dei, ut fortiter stare posset in die Domini: sed secretum habuit ne in tanto festo tumultus fieret; quantum in eo erat.

Nocte Dominicæ nativitatis legit evangelicam lectionem, librum generationis, et missam noctis celebravit. Ante magnam missam in die, quam et ipse celebravit, sermonem luculentum fecit in pulpito ad populum, sumpta inde materia, circa quam plurimum versatus est, quod in terra est pax hominibus bonæ voluntatis. Et cum de sanctis patribus Cantuariensis Ecclesiæ, qui ibi sunt confessores, loquerentur, ait, unum eos habere martyrem archiepiscopum sanctum Elphegum; possibile esse, ut et alterum in brevi ibi haberent. Sed et post tam probrosam injuriam de equo pauperis coloni sui curtato in obsequio Cantuariensis Ecclesiæ, sententia excommunicationis innodavit Robertum de Broch, sicut ei prius denuntiaverat per nuntios, invitans eum ad satisfactionem: ipseque contumax ei renuntiarat per militem quemdam, David de Ruminel, quod si eum excommunicaverit, faceret sicut excommunicatus. Alios quoque duos ecclesiarum de Herges et Thierlewda violentos incubatores, qui officiales ejus venientes non admiserant, eadem involvit sententia. Die quoque Sancti Stephani magnam missam celebravit; sed et die Beati Joannis apostoli et evangelistæ. Ipso die emisit secreto in Galliam duos clericos suos magistrum Herbertum et Alexandrum Gualensem crucis suæ bajulum tertium Gillebertum de Glanvilla ad dominum papam

iturum. Misit duos alios Ricardum capellanum et Joannem Planetam ad episcopum Norwici absolvere ad tempus excommunicatos sacerdotes de terra comitis Hugonis, qui excommunicatis scienter divina celebraverant, accipienda prius a sacerdotibus illis securitate, quod infra annum ad dominum papam irent, vel pro omnibus communiter duos ex se mitterent, pœnitentiæ satisfactionem ab ipso papa accepturi.

Jam memor archiepiscopus sacerdotis sui Willelmi, qui ad eum venerat apud Wroteham, cum per Willelmum Beivin notum ejus quæri fecerat, si forte in curia vel in urbe inveniretur. Et non invento eo, chartam fecit scribi, in qua donavit et confirmavit illi capellam de Penesherst, subscripta excommunicatione, si quis, illam ei auferre præsumeret. Et chartam illam tradidit Willelmo Beivin, tradendam sacerdoti, quando eum videret. Quis hunc non fuisse martyrii sui præscium dicet? Per chartam illam postea sacerdos ecclesiam suam in pace habuit rege juniore; qui dixit, audita charta et miraculo, se nolle in sancti archipræsulis incidere excommunicationem.

[Jam vero evocati aderant ad castra circa Cantuariam, Dovre, Rophe, Saltwode, Blechingelee, milites deputati custodiis castrorum illorum: forte ut se includendo infra ecclesiam Cantuariensem archiepiscopus et sui se vellent retinere. Illorum militum in vicinio positorum adveniens quicunque multitudo obsidione eos expugnarent forte si fugere vellet bonus archiepiscopus, quacunque veniret, in hostes incideret. Forte si ad ultionem detruncationis ejus zelo Dei cives Cantuarienses vel vicini populi in grassatores illos vellent insurgere iniqui illi vel ad aliquod castrorum illorum haberent refugium Vel se defensuri a castris illis illico sibi mitti peterent militare præsidium].

Quinto igitur natalis die, prædicti quatuor barones regis cum suis omnibus et cum illa familia de Broch a castro Saltwode Cantuariam veniunt. Additi sunt ad eos milites plurimi, quos de castellis et vicinia Cantuariæ, quasi ad servitium regis, edicto evocaverant, quorum quasi duodecim, cum illis quatuor ad curiam archiepiscopi, suaviter directo tendunt; aliis interea indicentibus per urbem præfectis et majoribus civitatis, et ex parte regis præcipientibus, ut omnes cives armati cum eis veniant ad domum archiepiscopi ad servitium regis. Cumque civitas eorum furorem admirata contradiceret, statim præcipiunt, ut in pace se habeant, non se moveant, quidquid audiant vel videant. Hæc erat istorum opera, ut vel civitatis habitatores eis ad facinus suum adderentur, vel si minus, non eos impedirent, neque pro archiepiscopo suo decertarent.

Præambuli illi prædicti barones et milites in thalamum interiorem ad archiepiscopum introducuntur. Hora diei erat quasi decima. Comederat archiepiscopus, sed adhuc comedebat servitorum familia. Introeuntes eos ipse salutatione prævenit: responsio eorum aut nulla fuit aut obscura. Inter clericos et monachos, ante eum consederunt. Reginaldus Ursonis filius sic orsus est: Mittit nos ad te dominus rex transmarinus, ut excommunicatos in ingressu tuo in Angliam episcopos absolvas, suspensos, officio suo restituas, et postea ad filium suum regem, quem decoronare intendis, eas Wintoniam, de tanto excessu satisfacturus, et judicio curiæ ipsius pariturus. » Archiepiscopus: « Ego quidem excommunicatos hos non excommunicavi, suspensos non suspendi; sed dominus papa litteris suis, hoc modo filios suos corripiens, et male meritos puniens: archiepiscopum Eboracensem, quia me absente et non vocato nec sciente nec consentiente, in præjudicium ecclesiæ meæ, debitam Ecclesiæ Cantuariæ et mihi novi regis coronationem in parochia mea, etiam ipsius domini papæ litteris prohibitus usurpavit: episcopos, quia, cum sint Cantuariensis Ecclesiæ suffraganei et professi, hoc sustinuerunt, pro jure matris Ecclesiæ non reclamantes. De sententia autem domini papæ non est meum retractare; ligatos ejus non potest minor potestas solvere. Verumtamen cum in archiepiscopo nulla sit mihi solvendi, sicut nec ligandi potestas suffraganeis meis Londoniensi et Saresberiensi concessi requisitus, quod eos anathemate absolverem, et alios omnes suspensos restituerem, si modo vellent vel cum humilitate invocare misericordiam, vel cum data securitate ecclesiastico stare judicio; sed renuerunt qui me convenerunt. Adhuc ad id paratus sum. Domini regis novi coronatio firma, stabilis et inconvulsa permaneat; et salva coronati dignitate, dominus papa punit coronatoris injuriam; quod is qui non debuit et ubi non debuit nostri præoccupavit officii dignitatem: et pro silentio et sufferentia sua, nostri plectuntur episcopi. Et totum istud de permissione domini regis est, et de ejus licentia concessa mihi in die pacis nostræ. Neque regem novum ideo quæro exhæredere, quin potius ei multa regna mundi salvo si fieri posset possidentium jure, optarem. Ad ipsum nuper iter arripueram, non ei satisfacturus, qui in nullo eum offendi, sed promotioni ipsius domini mei debita veneratione congratulaturus. Sed apud Londoniam ejus nuntium et præceptum suscepi reversionis, quod doleo. » Tunc illi in minas statim laxis habenis proruperunt. Ille ait: « Miror equidem quod sic obstrepitis, quod minas et mala intentatis. Scitis quod recepit me dominus rex, in die Magdalenæ, ad pacem et gratiam suam; et aliquot vestrum ibi præsentes vidi; et quantum intellexi, placuit vobis, et cum litteris et conductu regis, terram ingressus sum. » Tunc ait ei magister Joannes Saresberiensis: « Domine, loquimini secretius super verbo isto. — Non expedit, ait archiepiscopus. Talia proponunt et postulant, quæ omnio facere non possum nec debeo. » Reginaldus Ursonis: « A quo ergo habes archiepiscopatum? » Ille: « Spiritualia a Deo et domino papa, temporalia et possessiones a domino rege. » Reginaldus: Nonne totum te a rege ha-

bere recognoscis? » Ille: » Nequaquam; sed habemus reddere, quæ sunt regis regi, et quæ sunt Dei Deo. » Reginaldus et alii, quasi aliquid mirum dixisset amplius fremebant et accendebantur, et stridebant dentibus in eum.

Sed Thomas justus, quasi leo confidens absque terrore erat, paratus pro justitia et libertate Ecclesiæ suæ usque ad mortem agonizari, pro anima sua; et ait: » Frustra mihi minamini: si omnes gladii Angliæ capiti meo immineant, ab observatione justitiæ Dei et obedientia domini papæ, terrores vestri me dimovere non poterunt. Pede ad pedem me reperietis in Domini prælio. Semel recessi timidus sacerdos; redii in consilio et obedientia domini papæ: amplius in sempiternum non eam deseram. Si licet mihi in pace fungi sacerdotio meo, bonum B est mihi; si minus, fiat de me voluntas Dei. Præter hæc, nostis quid inter me et vos sit; unde et magis miror, quod audetis archiepiscopo in domo sua minari. » Hoc autem dicebat, commemorans quod Reginaldus ille et Willelmus de Traci et Hugo de Morvilla, ejus dum adhuc cancellarius erat, propria deditione homines facti sunt, salva fide regis, quisque trium ipsius jus imperiumque susceperat, genibus minor. Illi, unde mansuescere deberent, jam furentes, et præ ira se non ferentes, aiunt: « Nihil quidem inter nos est contra regem. » Ait Reginaldus: « Bene audemus archiepiscopo minari, et plus facere: recedamus. « Stabat autem ibi magna pars familiæ archipiscopi, cum clericis et multis et militibus aliquot, qui affluxerant; audito quod altius C loquerentur. Quos intuens Reginaldus, ait: » Dicimus vobis ex parte regis, cujus homines et fideles estis, ut ab homine isto recedatis. » Forte sicut socii eorum in urbe de civibus, ita et hi introrsum de familia metuebant, ne pro domino suo decertarent, ne contra eos insurgerent. Cumque omnes immoti starent, contrarium statim dat Reginaldus ille præceptum: » Præcipimus vobis, ut hominem istum custodiatis, ne recedat. » Archiepiscopus: » Facilis sum custodiri: non recedam. » Illi grassatores inter cæteros intuentur militem quemdam dapiferum archiepiscopi, Willelmum filium Nigelli, qui a camera sua quadam de quodam ratiocinio accurrerat. Hunc apprehensum abducunt, dicentes: « Venies nobiscum. » Miles ille archiepiscopo: » Domine, vides D quid de me faciunt? » Archiepiscopus: « Video. Hæc quidem vis eorum est et potestas tenebrarum. » Et exsurgens archiepiscopus, eos nondum thalamo egressos sequebatur passibus paucis, ut militem suum sibi dimittant, rogans satis modeste. Illi obstinati recedunt, et obvium sibi quemdam alium militem archiepiscopi, Radulphum Morin, similiter capiunt secum educentes, et per medium aulæ et atrii ad sequelam suam procedentes, terribilibus oculis et minis omnia penetrant, et clamant: » Arma arma, viri. « [Interea in quadam magna domo cujusdam Gilberti, quæ erat e regione januæ archiepiscopi, omnis manus hostilis congregabatur. Qui A tandem, accepta significatione, erumpentes uno impetu, intraverunt januam archiepiscopalem eis apertam, et statim acclusam, et vociferantes terribiliter clamabant: « Regales milites! Regales! Regales! »] Quidam enim socii eorum, præmissis notioribus suaviter, ne ad strepitum janua clauderetur, infra archiepiscopi januam erant: janitorem archiepiscopi amoverant, suum admoverant, ne quis de urbe ad archiepiscopi auxilium ingrederetur; ne quis de rebus archiepiscopi aliquid exportaturus egrederetur. Ante januam clausam, postico tantum aperto erant infra atrium aulæ, in equis Willelmus filius Nigelli, ad prandium homo et miles archiepiscopi, modo contra eum, huic addictus est officio, et Simon de Crioil, quidam miles abbatis Sancti Augustini vicinus. Reginaldus in ipso proaulo seorsum se armat, et scutellarium archiepiscopi Robertum Tibiam compulit sibi auxilium præstare et obsequium Reginaldus ille cuidam fabro lignario gradus quosdam ibi reparanti securim abstulit.

Nos interim domino archiepiscopo in eodem thalamo commorati, recordabamur conferentes eorum dicta et minas, cum archiepiscopi responsis; sentiebamus diversi diversa: alii, non esse timendum; ebrii venerant: impransi talia non dicerent. Nativitas Domini est; pax regis nobis pacta est. Alii aiunt, timendum esse ne minas opere compleant. Multa prævisa erant signa crudelitatis. Interea audimus a parte ecclesiæ clamorem lacrymabilem utriusque sexus et omnis fere ætatis hominum, compatientium nobis tanquam ovibus occisis, qui in urbe eos armatos, et ad archiepiscopum, edicto dato, properantes viderant. Audimus hinc nostros homines per gradus cursim in ecclesiam per medium aulæ descendere, fugientes a facie armatorum aperta eis janua atrium introeuntium. [Osbertus et Algar et quidam alii servientes archiepicopo, viso quod irruerent armati, ostium aulæ clauserunt, et repagula aulæ firmaverunt. Quod videns Robertus de Broch cœpit securi diruere parietem quemdam: et illac ingressus per interiora domus, aulæ ostium illis parricidis aperuit; et illos, qui ostium aulæ obfirmaverant, gravissime cecidit et vulneravit.] Audimus etiam nos clerici introrsus cum archiepiscopo ictus illos Roberti de Broch parietem diruentis. Quid nisi timor et tremor venerunt super nos monachos, clericos et socios archiepiscopi? Ecce completum est, quod superius sanctus Dei dixerat: « In brevi mallent esse ubique terrarum, quam in Anglia. Sed bonus ille Thomas contemptor mortis erat: quippe quæ est sanctis viris portus, et ad æternitatem ingressus et æternum nihil mali sentienti receptaculum. Insuper et securum se sanctus homo gerebat, quasi gaudens, se nactum honestam causam moriendi pro justitia et libertate et causa Ecclesiæ suæ; et quasi cupiens dissolvi et esse cum Christo. Tanta ei erat libertatis ecclesiasticæ charitas, ut eam non occasu suo, sed resurrectione et salute ipsius metiretur. Tunc monachi, qui plurimi aderant, dicunt

ei : » Domine, intrate in ecclesiam. » Ille : « Absit ; ne timeatis : plerique monachi plus justo timidi sunt et pusillanimes. » Illi non acquiescunt. Alii eum injectis manibus erigunt et vim ei faciunt. Alii persuadent eundum esse, quia monachi vesperas dicerent, et ille horam nonam et vesperas esset auditurus. Jubet ergo crucem Domini proferri. Quidam clericus ejus, Henricus Autissiodorensis eam bajulat. In claustrum monachorum cum venissemus, voluerunt monachi ostium post eum occludere. Ille ægre ferens sustinuit, et lento passu postremus vadit, omnes agens ante se, quasi oves pastor bonus : equidem timor, quem charitas Dei foras miserat, ejus nec in gestu nec in incessu poterat notari: tam procul aberat ab omni ejus continentia exteriori, quam a mentis arce interiori. Semel quidem super dexteram oculos retorsit; forte, si videret illos regales vestigio ejus imminentes; forte, ne aliquis relictus pessulum ostii obderet.

Intratum est in ecclesiam ipsam. [Monachi ecclesiæ pro tali et tanto tumultu, tam pavidi quam attoniti, relictis et non percantatis vesperis, Domino archiepiscopo in ecclesiam intrante, a choro exeunt ei obviam : gaudentes et Deo gratiam habentes quod eum vivum cernunt et recipiunt, quam jam detruncatum audierant. Et cum alii præ gaudio vel timore flerent, alii hoc, alii illud suaderent, ut Petrus Domino dicens : « Propitius esto tibi, » ille pro Ecclesiæ Dei libertate et causa non timidus mori, jussit eos abire et a se recedere : utique ne impedirent passionem ejus, quam futuram prædixerat et imminere videbat.] Iturus ad aram superius, ubi missas familiares et horas solebat audire, jam quatuor gradus ascenderat, cum ecce ad ostium claustri, qui venerat primus, adest Reginaldus Ursonis loricatus, ense evaginato, et vociferans : « Nunc huc ad me, homines regis. » Nec multo post adduntur ei tres prædicti socii ejus, similiter loricis contecti corpora et capita, præterquam oculos solos, et ensibus nudatis. Plurimi etiam alii sine loricis, armati, de sequela et sociis suis ; et aliqui de urbe Cantuariæ, quos coactos secum illi venire compulerant. Die illo et quatriduo post ad vicina castra Dovræ, Hastingæ et cæterorum, ut prædictum est, erant milites habentes custodias.

Ad portus transmarinos regis erant domestici ; comes Willelmus ad Witsant, Saierus de Quinci alibi, forte si mare attentasset archiepiscopus, appulsus hic vel ibi caperetur. Visis illis, inquam, armatis, voluerunt monachi ostium ecclesiæ obfirmare; sed bonus homo fiduciam habens in Domino, et non expavescens repentino terrore irruentes potentias impiorum, e gradibus descendit regressus, prohibens ne ostium Ecclesiæ clauderetur, et dicens : [« Absit ut de ecclesia Dei castellum faciamus] permittite intrare omnes ecclesiam Dei intrare volentes: fiat voluntas Dei. » Archiepiscopo a gradibus descendente versus ostium, ne clauderetur, tunc Joannes Saresberiensis et alii ejus clerici omnes, præter Robertum canonicum et Willelmum filium Stephani et Edwardum Grim, qui novus ad eam venerat, præsidia captantes, et se in tuto collocare curantes, relicto ipso, petiverunt alii altaria, alii latibula.

Et quidem si vellet archiepiscopus declinare, et se fugæ præsidio liberare, optime uti posset, non quæsita, sed oblata occasione temporis et loci. Vespera erat. Nox longissima instabat, Crypta erat prope, in qua multa et pleraque tenebrosa diverticula. Item erat ibi aliud ostium prope, quo per cochleam ascenderet ad cameras et testitudines ecclesiæ superioris: forte non inveniretur, vel interim aliquid fieret. Sed nihil horum voluit. Non declinavit, non percussoribus supplicavit, non murmur edidit ; non querimoniam in tota sua agonia fecit ; sed extremam horam quæ imminebat pro Christo et causa Ecclesiæ patienter exspectans, fortitudine et constantia mentis, corporis et sermonis, qualem de aliquo martyrium majorem nunquam audivimus usus est, donec totum consummaretur. Ecce jam illi spiculatores furia invecti, præter spem apertum cernentes cursim ostium intrant ecclesia. « Quo, quo scelesti ruitis ?

Quis furor, o miseri ! quæ tanta licentia ferri !

Unus illorum monachis dixit, qui cum eo astabant: « Ne vos moveatis. » Et quidem quasi confusi et attoniti, a reverentia vultus ejus illi grassatores primo retulerunt pedem, viso archiepiscopo. Postea clamavit aliquis : « Ubi est ille proditor ? » Archiepiscopus suam in patientia animam possidens, ad verbum illud non respondit. Aliquis alius : « Ubi est archiepiscopus ? Ille : Ecce ego, non proditor, sed presbyter Dei ; et miror quod in tali habitu ecclesiam Dei ingressi estis. Quid placet vobis ? » Unus grassator: « Ut moriaris : impossibile est ut vivas ulterius. » At ille : Et ego in nomine Domini mortem suscipio, et animam meam et Ecclesiæ causam Deo et beatæ Mariæ et sanctis hujus ecclesiæ patronis commendo. Absit, ut propter gladios vestros fugiam ; sed auctoritate Dei interdico, ne quempiam meorum tangatis. » Aliquis eorum bisacutam et gladium simul habuit, ut in securi et bisacuta, si eis obfirmaretur, ostium dejicerent ecclesiæ ; sed retento gladio, bisacutam, quæ adhuc ibi est, deposuit.

Quidam eum cum plano ense cædebat inter scapulas, dicens : « Fuge ; mortuus es. » Ille immotus perstitit, et cervicem præbens, se Domino commendabat ; et sanctos archiepiscopus martyres in ore habebat, beatum Dionysium et sanctum Elphegum Cantuariensem. Aliqui dicentes : « Captus es; venies nobiscum ; » injectis manibus, eum ab ecclesia extrahere volebant, nisi timerent quod populus eum esset erepturus de manibus eorum. Ille respondens : « Nusquam ibo; hic facietis quod facere vultis, et quod vobis præceptum est. » Quod poterat, renitebatur et monachi eum retinebant : cum quibus et magister Edwardus Grim, qui et primum a Willelmo de Traci in caput ejus vibratum gladii ictum brachio objecto excepit: eodemque ictu et archiepiscopus in capite inclinato, et ipse in brachio graviter est

vulneratus, « O, ut ait sanctus Basilius, bestiarum feritas in Dei virtute mansuescit ; humana rabies nec ferarum mitescit exemplo ! »

Archiepiscopus a capite defluum cum brachio detergens et videns cruorem, gratias Deo agebat, dicens : « In manus tuas: Domine, commendo spiritum meum. » Datur in caput ejus ictus secundus, quo et ille in faciem concidit, positis primo genibus, conjunctis et extensis ad Deum manibus, secus aram, quæ ibi erat, sancti Benedicti; et curam habuit vel gratiam, ut honeste caderet, pallio suo coopertus usque ad talos, quasi adoraturus et oraturus. [Super dextram cecidit, ad dextram Dei iturus.] Eum procumbentem Ricardus Brito percussit tanta vi, ut et gladius ad caput ejus et ad ecclesiæ pavimentum frangeretur, et ait : « Hoc habeas pro amore domini mei Willelmi, fratris regis. » Hic siquidem Willelmus appetiverat conjugium comitissæ de Warenna; sed archiepiscopus contradixerat, quoniam hic Willelmus ex matre imperatrice Mathilde, ille comes Warennæ Willelmus ex patre rege Stephano, consobrinorum fuerant filii. Unde Willelmus frater regis Henrici inconsolabiliter doluit; et omnes sui archiepiscopo inimici facti sunt.

Quatuor omnino habuit ictus sanctus archiepiscopus, omnes in capite ; et corona capitis tota ei amputata est. Tunc videre erat, quomodo artus spiritui famulabantur. Nam sicut nec mente, ita nec membrorum objectu vel dejectu morti visus est depugnare ; quia mortem excepit magis ex Dei desiderio voluntariam, quam de gladiis militum violentam. Quidam Hugo de Horsea, cognomento Malus Clericus, sancti martyris procumbentis collum pede comprimens, a concavitate coronæ amputatæ, cum mucrone cruorem et cerebrum extrahebat. O triste spectaculum ! O crudelitas inaudita, eorum qui Christiani esse debuerant ! Sed pejores sunt, qui sub nomine Christiano opera agunt paganorum, quam qui aperte et ex errore paternarum traditionum sunt infideles. O vere felicem et constantem sanctum Dei martyrem Thomam ! Occidi potuit, sed flecti non potuit. Et quidem, sicut quondam Christo patiente in proprio corpore, ita et eodem nunc patiente in milite suo Thoma, avertit sol oculos, abscondit radios, obtenebravit diem, ne videret scelus hoc ; et horrida tempestas cœlum contraxit ; subiti ruerunt imbres, intonuit de cœlo. Postea rubor aeris magnus emicuit, in effusi sanguinis signum, in flagitii horrorem, in ultionis severitatem superventuræ his, qui ita immane se efferarunt, et hoc piaculari se depraverunt, et qui mortis hujus causa exstiterunt, exosa et exuta omni naturæ humanæ mansuetudine.

[Tam veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem : tam impia corda; tam torvos oculos ; tam crudeles dextras, tam cruentos gladios. Scelus hoc omnes audientes et attendentes illud exempli raritate transmittit, horrore reverberat, singularitate percellit, immanitate frustratur. Occiderunt filii patrem in utero matris suæ : equidem floribus Ecclesiæ nec lilia desunt, nec rosæ et in beati Thomæ passione cum sævo extrahitur mucrone et cerebrum candens et sanguis rubens. Vera nempe et certissima signa, quod ovium Christi pastor et pro eis animam poneret archiepiscopus et agonista, confessor et martyr, duplicem stolam a Domino percepturus, et de archiepiscopatu fideliter administrato candidam et de martyrio feliciter consummato purpuream.

In vita habuerat columbæ simplicitatem operum innocentia, serpentis astutiam sancta prudentia. Eadem hæc et in morte retinuit. Columba, morti non repugnavit. Occisoribus nihil impedimenti procuravit : serpens, percussoribus corpus exposuit : non caput sed animam suam vel Ecclesiam conservavit. Etiam per visiones et præsagia ejus mors est pluribus revelata. Magister Radolphus Londoniensis ecclesiæ canonicus et sacerdos, vir magnæ honestatatis, in divina pagina doctor præcipuus, vidit per somnium, quod ipse intuitum figens in sole, viderit in corpore solis episcopum episcopalibus ornatum. Item visum est honestæ cuidam mulieri, quod videret lunam de cœlo cadentem, et quorumdam gladiatorum gladiis totam detruncari.]

Exsaturati pio cruore, quem impii sitierant parricidæ, exeunt, et quemdam Francigenam puerum archidiaconi Senonensis, eo quod plangeret archiepiscopum, gravi inflicto vulnere cruentant. Interea alii depradationi vacant : totam domum archiepiscopi perambulant : thalamos rimantur, clitellas et scrinia frangunt: vasa aurea et argentea, monetam et aureos, bullas domini papæ, annulos, libros, pallia pretiosa, ex quibus cappæ, tunicæ, dalmaticæ in ornatum ecclesiæ fieri deberent, tollunt. Clericorum cameras intrant ; eorum vestes, libros, argentum, sarcinas, cum omni supellectili asportarunt. A stabulis alii equos abducunt, ut nihil omnino de rebus archiepiscopi vel clericorum seu familiæ ipsius relinqueretur, quod in manibus raptorum incidisset. Estimo pluris erant ablata et rapta ibi quam duo millia marcarum. Quæ omnia, ut crucifixores Jesu Christi vestimenta ipsius, ita hæc inter se partiti sunt illi scelerati. Sed privilegia et bullas domini papæ inventas transmarino regi miserunt, in hoc regis gratiam captantes : in cæteris ejus perfidi. ejus infideles, ejus perjuri. Nam, si non ecclesiæ, saltem regis debuerant esse omnia quæ fuerant archiepiscopi discedentis intestati. O mors inaudita ! O facinus exsecrabile ! Occisores isti omnibus aliis sanctorum martyrum interfectoribus detestabiliores. Nam et Domini nostri Jesu Christi crucifixores simpliciter hominem putantes et dicentes solventem Sabbata, paternas eorum traditiones evacuantem Filium Dei se facientem, cum esset Mariæ et putaretur abi is fabri filius, legis Mosaicæ zelum habentes, suspenderunt eum in ligno, non intelligentes quem ita tractarent. « Si enim cognovissent, nunquam Filium Dei crucifixissent. » Unde et ipse Dominus

orat pro iis dicens : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Aliorum etiam sanctorum apostolorum martyrum occisores contra suam non hoc agebant conscientiam, infideles, idololatræ et pagani, fideles Christi in iter agebant exterminii, putantes se in hoc Deo gratificari, ut prædixerat discipulis suis dicens : « Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. » Sed grassatores isti beato Thomæ conchristiani erant, et ejus filii et ejus homines. Conchristiani, inquam, sacramentis, sed non re sacramentorum. Ejus filii sed filii perditionis. Ejus homines, sed omnem exuti humanitatem. Ad hæc etiam apud paganos et Judæos magna erat sacrorum et locorum et temporum reverentia.

.... *veto quisquam faxit oleum.*
.... *pueri sacer est locus : extra*
Mejite,

in pagano scriptum est, cum triste bidental reverendum est et venerabile.

Dies quoque festos feriabatur paganus, et natalem suum meliore numerabat lapillo. Judæus similiter Sabbata sua et festivitates alias : et intra urbem sanguinem humanum fundi non sineret : unde et extra portam passus est Dominus. Isti autem gladiatores sanctum archiepiscopum gladiis transverberaverunt tempore sanctissimo, quinto natalis Domini die, loco sanctissimo totius Angliæ, in prima sede metropolitana ecclesiæ S. Trinitatis, quæ et plurimorum sanctorum ibi quiescentium extollitur patrocinio, et religiosorum monachorum ibi Deo servientium incolitur habitatu. Occisus est a talibus, tali tempore, tali loco, talis persona, Pater spiritualis totius regni, ipsius Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopus, totius Angliæ primas, apostolicæ sedis legatus, servus Christi Jesu, sanctorum Patrum imitator, et sequipeda, vir religiosus,

Virtutis veræ custos rigidusque satelles,

curans melior esse quam videri, sancti Spiritus habitaculum, virtutum sanctarum domicilium.

Passus est hac causa pro justitia quidem et veritate et Ecclesiæ libertate. Nam leges defendens ecclesiasticas et regis evacuans contrarias, ad tempus regis sui terreni iræ locum dans et Ecclesiæ suæ causam Deo commendans, in exsilio longo proscriptione sæva sui et suorum, calicem multarum hausit passionum: aspera multa pertulit adversus rerum innumerabilium undas. Nullium genus supplicii vel adversitatis deprecatus est. Ad ultimum anno septimo revocatus, pacta sibi pace sed male servata, quasi incarceratus est jussus a sede sua non exire, ubi post paucos dies requisitus militibus se obtulit, et, ut dictum est, gladiis cæsus calicem bibit martyrii sui, non auditus in jure, non judicatus, quia in judicando eo nulla causa mortis inveniretur, quod probe noverunt qui hoc ei procuraverunt] ejus æmuli mali filii ipsius, fratres Herodiadis crudelissimæ, quæ similiter quondam beatum Baptismam Joannem pro veritate primo A fecit incarcerari; et post, non auditum non judicatum procuravit decollari. O feliciter factum, reum, quem sic videmus absolutum.

[Diu quidem ibi jacuit fere solus et derelictus a clericis et monachis et cæteris cunctis, nec etiam adhuc ablato lumine ad sanctas ejus exsequias Osbetus cubicularius ejus cum quodam cultello de propria sua scidit camisia, unde semiputati capitis ejus treliquum contegeret.]

Cum cognitum esset recessisse occisores, adsunt circa sanctum archiepiscopum sui clerici et monachi servientes et de urbe infiniti. Solvitur silentium, et latius erumpunt omnes in gemitus et lamenta, quæ prius, incumbente sicariorum timore, continuerant. In noctem plurimam fletus et ejulatum producunt. B Placuit tandem feretro superpositum corpus domini archiepiscopi per medium chorum ante altare inferre cranii vacuitate cooperta cum lineo mundo, pileolo desuper astringente. Ille etiam adhuc animi dulcedinem et constantam in vultu præferebat. Item ibi fletur plurimum. Frater Robertus sacerdos et canonicus religiosæ domus de Meritona, vir honestus, qui et ei a primo die ordinationis suæ capellanus et comes inseparabilis adhæserat, post commendationem veræ religionis et honestatis domini archiepiscopi, cujus ipse erat conscius, ut confessionis ejus auditor, inter cætera ostendit monachis, quod prius omnes ignoraveramus, quod in cilicio esset archiepiscopus, injecitque manum in sinum ejus, ostendens proximum carni ejus cilicium, et supra cilicium, habitum monachalem. C Quoniam enim monachorum Ecclesiæ illius Cantuariensis erat abbas, cum clericus esset electus, et ipse sub absconso chlamadis canonicalis, Christi et beati Benedicti monachum gerebat absconditum. Tunc vero monachi gaudio spirituali admodum hilarati, extollunt in cœlum mentes manusque magnificantes Deum; convertunt luctum in gaudium spirituale, lamenta in voces lætitiæ ; et de utroque martyrio ejus, et viventis voluntario et occumbentis violento, ad oculum edocti, ad terram procidunt, pedes ejus et manus osculantur : eum sanctum Thomam invocant, omnes eum sanctum Dei martyrem gloriosum protestantur. Omnes accurrunt, visuri illum in cilicio, quem cancellarium viderant in purpura et bysso.

D Post modicum quidam monachus Ecclesiæ Arnaldus aurifaber, et aliqui cum eo, ad locum martyrii ejus redeunt : sanguinem ejus et cerebrum per aream ecclesiæ effusum, mundissime in pelvim recolligunt; et ne conculcaretur locus ille pedibus transeuntium, scamna portabilia transponunt. Vigilia noctis illius pia, sancta et sobria fuit. Tantum commendationem animæ in silentio dicunt monachi.

Crastino mane rumor perstrepit in ecclesia, quod paravissent familia illa de Broch cum suis complicibus eum ab ecclesia extrahere, dolentes quod ipsum in ecclesia trucidassent; quod timentes monachi, ocius accelerant sanctum corpus illud

sepelire et sepulcro inferre. Adfuit illi obsequio A abbas de Boxlea et prior de Doura, vocati prius ab archiepiscopo, quia eorum consilio priorem, qui in Cantuariensi non erat ecclesia, unum de monachis voluit facere. Decreverunt ipsum non esse lavandum aliter quam lotus erat in sanguine suo ; et amotis distributisque ejus quotidianis vestibus superioribus, sepultus est in ipso, in quo inventus est cilicio, et familiaribus interius cilicinis, exterius lineis, et in eisdem caligis, et in ipso quo erat habitu monachali : et supra hæc, in ipso eodem in quo ordinatus fuit vestimento, alba quæ Græce poderis dicitur, superhumerali simplici chrismatica, mitra, stola, mapula ; quæ omnia reservari præceperat, forte in diem sepulturæ suæ : supra quæ habuit archiepiscopaliter tunicam, dalmaticam, ca- B sulam, pallium cum spinulis, calicem, chirothecas, annulum, sandalia, pastoralem baculum : quo consuetum est more, quo dignum est honore.

Rex filius, audita morte sancti Thomæ, vehementissime contristatus et corde perculsus, tetendit manus in cœlum et oculos cordis et corporis ad Deum : dicens: « Proh dolor, sed, Deus, tibi gratias ago, quod clam me factum est hoc, et quod nullus meorum ibi fuit. » Nam illi quatuor infelices grassatores peregerant rem antequam supradictus Hugo de Gundevilla et Willelmus filius Joannis venissent Cantuariam. Peractis compositisque omnibus ad sepulturam pertinentibus, sine missa, quia ecclesia in ingressu armatorum violata erat, in marmoreo sarcophago novo, in crypta ante duo altaria, C sacrum corpus archiepiscopi multo ploratu conclamati reconditur.

Statim autem post tumulationis obsequium, in ipsa nocte et in ipsa hebdomada, divinæ virtutis adfuit operatio, et tanti martyrii condigna declaratio : [Siquidem unus civium Cantuariensium, qui martyrio ejus inter cæteros spectator adfuit, sanguinis ipsius aliquid camisiæ suæ intinxit. Habebat enim domi suam uxorem jam pridem paralyticam. Quæ cum a viro suo domum reverso de passione et constantia sancti martyris ex ordine didicisset, quod quidem in tumultu et flentium lacrymis et narrantium voce incondita audierat, cumque sanguinem sanctum in viri veste oculis aspiceret : fide ad Dominum devota, spe ad salutem erecta, voto ad mar- D tyrem supplica, petivit lavari et recipit in aqua sanguinem, ut hauriret salutem. Ita factum est, et illa illico curata est. Hoc fecit Deus primum signorum pro martyre suo statim in ipsa nocte. Hinc credo, Deo inspirante tractum fuisse, ut in aqua aliquid sanguinis sancti Thomæ contingeretur; et illud sanguinis et aqua mistum peregrinis S. Thomæ distribueretur in ampulis stanneis reportandum ad infirmorum suorum salutem. Vidi ego in phialis plurimis inscriptum monostichon :

Fertur in ampullis aqua Thomæ sanguine mista :

Et quidem operante Deo ad fidelium votum, et suffragante sancto martyre et promerente fide cui nihil est impossibile, illud aqua mistum non solum infirmis infinitis profuit ad curationem, sed et aliquibus morientibus, ne morerentur : plus dico, sed sanum credi, aliquibus profuit mortuis ut resurgerent redivivi. A passione ejus nocte quarta, ex qua Sabbatum illuxit, revelatum est cuidam clerico Londoniensi, quod quidam sacerdos Londoniensis Willelmus de Capella, qui obmutuerat, iret ad sepulcrum sancti Thomæ et ibi curaretur. Et factum est ita. Cuidam viro religioso in nocturna revelatione ostensus fuit Jesus Christus crucifixus in ea parte cryptæ ubi beatæ Thomæ repositus erat mundanus homo. Vere quidem ; quia ipse in singulis martyribus suis patitur, qui beato Petro Romam ad martyrium eunti occurrit, et quærenti Domino : « Quo vadis ? » respondet : « Venio Romam iterum crucifigi. » Erat aliqua mulier, anachorita, laica, quæ litteras non didicerat; nihil eloquii Latini noverat, præter aliquos psalmos et orationem Dominicam et Symbolum. Hæc in illa novitate illius martyrii diebus et noctibus condoles, anxia, et aliquando in exstasi posita, una dierum misit monachis Cantuariensibus scripta verba hæc dicta sibi a venustissima Domina quadam, quæ sibi in visu noctis apparuit : « Noli flere pro archiepiscopo : caput ejus in gremio Filii mei requiescit. » Inita miraculorum hæc, ut Thomam martyrem sanctum Deus revelaret: siquidem sanctus ille, cujus vita virtutibus, mors miraculis declaratur.

Sed de miraculis ejus in Anglia sacerdotum et bonorum virorum testimonio declaratis, et in capitulo Cantuariensis Ecclesiæ publice recitatis magnus codex conscriptus exstat, præter alia quæ longe lateque in Gallia, in Hibernia, et ubique terrarum operatus est sanctus Thomas, quibus memoriæ commendandis defuit qui scriberet]

Sed imminentibus in die illis de Broch, et ad parietes hospitiorum Cantuariæ de nocte stantibus, ut loquentem bona de archiepiscopo sublimem raperent, et ad tribunal judicii sui pertraherent ; primo magnalia Dei non nisi in silentio loqui audebant fideles, donec a Deo in virtute Spiritus sancti, percrebuit ibi gratia sanitatum et concursus populorum ut charitas foras mitteret timorem : dicentibus insidiatoribus, qui prius ac pontes et transitus viarum conscribebant eum vivum vel martyrio consummatum visitantes : « Nihil est quod agimus : Non est consilium contra Dominum. Ecce tota Anglia ad illum abit. » Ibi siquidem Deus, ad nominis suis gloriam, ad Ecclesiæ suæ consolationem, ad fidei nostræ corroborationem, sanguinem innocentem, qui effusus est, de pavimento ecclesiæ ad eum clamasse ostendit, ita miraculorum gratia martyrem suum glorificans et causam ejus justificans. Cæci visum receperunt, contractis membrorum lineamenta extensa et directa sunt, surdis auditus redditur, paralytica membra glutinantur, dæmoniaci liberantur, evadunt incarcerati. Plurimæ aliæ infirmitates, cancri, hydropisis, fistulæ, tu morum

epiltasiæ strangalidesve curantur. Leprosi septem A infra primum annum ibi sunt mundati. Sed et mortui plures per Angliam sunt resuscitati, infusa in eorum ora aqua beati Thomæ sanguine mista, quam in phialis stanneis ad peregrinationis suæ signum et infirmorum suorum remedium, fideles Christi ad pectora sua dependentem inde reportant, et in ecclesiis suis pro reliquiis sanctis suspendunt, nutu quodam divino, ut ubique gentium beati Thomæ martyris gloria inferatur, et in omni Ecclesia pro libertate Ecclesiæ sanguis ejus ad Deum clamare videatur. Et justo quidem Dei contigit judicio, ut ubi superabundavit iniquitas, supra quam de aliquo passo apostolo vel martyre auditum sit, ibi supra cujuslibet sancti gloriam miraculorum superabundet gratia, Domino operante, B et fide Christiana, cui omnia possibilia sunt, suffragante. [Quæ quidem omnia digna et pia sunt credi de sancto Domini : ipsa confirmat auctoritas Jesu Christi dicentis de sancto suo : « Opera quæ ego facio ipse faciet, et majora horum faciet. »] Sed et in strata, ubi steterunt pedes ejus, dum parvulos ablatos consignaret, non deest fidelibus Christi gratia virtutum operatrix, ubi fidelium vicinorum devotio capellas exstruit.

Jurandasque suum per nomen construit aras.

In maris periculo summo constituti, eo patrocinante liberati, ad ipsius sepulcrum gratias agere redierunt, et miraculi tanti et ereptionis suæ signum reliquerunt.

Multi (27) illa anima sancti Thomæ martyris ita C affectuose, ita gratiose, in omnium piarum animarum, in omnium hominum bonæ voluntatis inhæsit desideriis et dilectioni, ut a pueris, qui colludentes in viis ejus narrant passionem, cantant gloriam, perficiunt laudem, usque ad senes, decrepitos, gaudentes se ad hæc Dei magnalia videnda durasse superstites ; omnis ætas, omnis ordo eum veneretur, ejus requirat patrocinatum, ejus habeat amorem in corde, nomen in ore ; ejus habeat memoriam in gloria, gloriam in memoria.

Excitavit in Dei devotionem, quæ in Anglorum mentibus jampridem tepuerat, et in pia desideria vitæ meliorandæ, peregrinationis sanctæ, et eleemosynæ faciendæ, omnem Angliæ habitatorem, et comites et barones, et vicina undique regna, peregrinis ejus, priusquam ad sepulcrum ipsius accedant, peccata confitentibus et se discalceantibus, ut de tanto utriusque sexus concursu, et tam pia visitationis ejus instantia, inter magnalia Dei hoc unum sit de maximis.

Vir sanctitate et gratia plenus, martyr Dei, terra marique celeberrimus, promptus in opportunitatibus adjutor, ut credere pium est eo ampliore a Deo honoratur signorum frequentia, quo amplior in ipsius detruncatione sævit malitia. Dum pro libertate et causa Ecclesiæ, ipse Christi minister a Christianis, sed nomine tantum, archiepiscopus a filiis, dominus ab hominibus suis, in pace sibi pacta, in Ecclesia Dei sancta metropolitana sua, et in sancta Domini nostri Jesu Christi nativitate, crudeliter est in corona capitis transverberatus.

[Sanctorum innocentium S. Thomas martyr mente innocens et vita innocuus comes est et socius, et ipse sub altare Dei occisus, unus quidem fratrum illorum de quorum implendo numero innocentes acceperunt responsum sustinendi modicum tempus. Unde et congrue ad sanctorum Innocentium translatus gloriam illorum memoriæ suam continuat memoriam. Sed et de Domino Jesu Christo et beato Thoma apostolo et de hoc beato Thoma martyre aliquis clericus non improbabiliter intellexit et dixit beatus Thomas apostolus passus in India fide illuminavit orientem. Hic beatus Thomas martyr passus in Anglia totum illuminavit occidentem. Jesus Christus passus est Hierosolymis, et extremitatem mundi lux communis, lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, quasi medio termino conjuncturus extrema : et quæ est locorum eadem est contemplatio festivitatum eorum ; Nativitatem Domini mediam, quinto die festivitate apostoli præcedente, martyris consequente.

De tempore passionis sancti Thomæ martyris quidam hoc distichon edidit :

Annus millenus centenus septuagenus
Et primus, primas quo cadit ense Thomas]

Ipse pro pace, libertate et unitate Ecclesiæ, et pro omnium fidelium salute vivorum, requie defunctorum, intercedat apud Deum, qui in martyribus suis victoriosus et omnibus sanctis suis exstat gloriosus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

(27) *Dulcis* cod. Douce. Ubi Douce in margine adnotavit *multis* legi in cod. Cotton. Jul. A. XI Mus. Britan.

SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS,

VITA QUARTA ET QUINTA

AUCTORIBUS JOANNE DECANO SALISBURIENSI ET ALANO ABBATE TEWKESBURIENSI (28).

—

PROLOGUS ALANI.

Honor et gloria beati martyris Thomæ per se satis elucescit ubique terrarum, cujus splendor orbem illuminans quatuor mundi climata in ipsius excitat devotionem. Ad ipsius memoriam undique concurritur. Sexus, ætas, conditio omnis se devovet ad ejus obsequium. Fama pervolans, in idipsum attrahit barbaras etiam nationes, quibus sitibunde quærentibus viri vitam et conversationem, martyrii insuper causam ei occasionem, satisfacere possunt quæ scripsit super hoc vir vitæ venerabilis et eximiæ virtutis, ipsius martyris clericus et exsilii comes, tribulationis quoque per omnia particeps, postea vero Carnotensis episcopus, Joannes Salisburiensis, qui Christi athletam et ipsius agonem breviter et succincte depinxit. Verum quia id operis rem ipsam pertingens, rei formam non explicat per omnem modum, placuit et oportuit illi scripto epistolas succedere, in quibus continetur series et ordo universorum, ut qui desiderat et ad id sufficit, totum habeat, si quis vitam viri modum exsilii, causæ processum, vel ipsius rei requirit exitum Epistolæ vero vario et disperso per schedulas collectæ corpus rediguntur in unum, sicut pro modo suo fieri potuit, singulæ locum suum retinentes et ordinem. Si tamen generales, quæ minus ipsum exprimunt negotium, quædam videantur aliter positæ quoad rei seriem non multum attinet. Sane si quis exquisitas et discussas plenius ipsas epistolas diligentiori manu poterit reformare in melius, non erit qui invideat. Distinctæ sunt vero per partes secundum processum negotii. Quarum prima pars continet ab initio exsilii usque ad adventum Willelmi et Ottonis cardinalium. Quid, quando, ubi, vel per quos actum fuerit, per ipsas epistolas plenius innotescet. Secunda pars ab illis cardinalibus usque ad Gratianum et Vivianum. A quibus tertia pars usque ad Simonem priorem de Valle-Dei et Bernardum de Corilo. Ab illis etiam quarta pars usque ad Rotrocum Rotomagensem archiepiscopum et Bernardum Nivernensem episcopum: demum etiam Willelmum Senonensem, nunc Remensem archiepiscopum. Quinta continet concordiam et passionem ipsius martyris et cononizationem et Ecclesiæ Christi reconciliationem.

In quibus sedulus lector et devotus viri Dei imaginem inveniet plenius depictam. Insuper operum ejus vestigia si libet perscrutari, ibi inveniet digito Dei fabricatam armorum copiam. Ibi poterunt sacerdotalis dignitas et auctoritas episcopalis in suæ militiæ speculo sese recognoscere, ut obsequium reddant Cæsari debitum, et Deo honorem. Nec opus erit amplius longius evagari, ut quærat quis, quomodo Ecclesiæ libertas debeat defensari. Per epistolas ipsius martyris iter recenseat, et statim occurret quid qualiter fuerit agendum. Joannis itaque opus primo perlegatur, per quod iter aperietur ad cætera quæ sequuntur.

(28) De opere Alani, quod nunc primum integrum exstat, non dubitabit lector quin recte illud una cum brevi tractatu Joannis Sal, interserto conjunxerim. Præterea mihi opus relegenti non dubium manet Alanum fuisse, non Joannem Saresberiensem qui primus epistolas sancti Thomæ in unum corpus coegit. Alani libellus separatim exstat in codice qui apud l'*Hôtel Soubise* Parisiis conservatur, sed recentioris ævi et cum additamentis nonnulis. In quadrilogo Lupi duo tantum fragmenta sunt, quæ in opere Alani nondum comparent. Utrum ea recte Alanum habeant auctorem, incertum valde est. Quorum secundum quidem inter epistolas a Lupo editas locum epistolæ 87 in libro quinto sibi usurpat, et unam varietatem habet quam hic dabo col. 000, epistola 87, l. 10, habet *Dominicam*, proximam videlicet ante ascensionem Domini.

Præter Vitam S. Thomæ, exstant Alani duo sermones, nullius pretii, in codice Bodleiano servati: etiam in cod. Cantab. epistolæ quædam, ut puto, omnes ad sanctam Thomam spectantes. Quas mihi curæ erit transcribere et in lucem proferre.

PROLOGUS JOANNIS SALISBURIENSIS.

Sacrosanctam Ecclesiam jugiter impugnat hostis A antiquus, sed qui ipsam cruore proprio redemit Dei Filius, eam sanguine membrorum suorum in veram asserit et provehit libertatem ; in quibus præeminent gloriosus apostolorus chorus, et sanctorum martyrum purpuratus exercitus, quorum doctrina compacti, quorum exemplo roborati, quorum sanguine velut cæmento et quasi glutino quodam consolidati sunt vivi lapides in ædificio corporis Christi, ut proficiens Ecclesia dilatetur et crescat numero fidelium, et virtute in templum sanctum in Domino. Sed cum omnes martyres prærogativam habeant gloriæ sempiternæ, titulus tamen illorum illustrior est cæteris, et corona clarius radiat, qui duplici honore digni doctorum funguntur officio forma gregis ex animo facti, et tempore necessitatis B ponentes animam pro ovibus suis. Sicut enim stella a stella differt in claritate, sic in resurrectione sanctorum singuli in ordine suo justi fulgebunt ut sidera : et qui ad vitam erudiunt multos, erunt ut firmamenti splendor in perpetuas æternitates. Quibus jure et merito sanctus Cantuariorum archiepiscopus Thomas associandus est, ut qui exstitit pro Christo socius tribulationis et patientiæ, sit eis in ipso cohæres consolationis et gloriæ. Cujus ut merita clarius elucescant, summam conversationis ejus succinctus et admodum brevis sermo percurrat. Nam gestorum ejus seriem nosse, si cui forte in voto est, a magnis, quæ ab illo et de illo scripta sunt, voluminibus erit mutuanda. Ut constet ad commendationem gratiæ Dei, quæ « ubi vult spirat,» quam brevi intervallo variarum occupationum expleverit tempora multa, indicant hoc epistolæ ejus, et scripta aliorum, plena et digna relatu, quæ tam præsentes quam posteros, si diligenter inspiciantur, ad virtutem poterunt animare.

INCIPIT VITA SANCTI THOMÆ,

AUCTORE JOANNE SALISBURIENSI.

Prædictus igitur beatissimus Thomas Londo- C niensis urbis indigena, parentum mediocrium proles illustris, a primis adolescentiæ annis gratia multiplici ditatus est. Erat enim statura procerus, decorus forma, ingenio perspicax, dulcis et jucundus eloquio, et venustate morum pro ætate amabilis, tantoque rationis vigebat acumine ut prudenter inauditas et difficiles solveret quæstiones, adeoque felici gaudebat memoria ut quæ semel in sententiis aut verbis didicerat, fere quoties volebat, posset sine difficultate proferre. Quod multi litteratiores assequi non valentes, tantam mentis alacritatem, præsertim in homine variis occupationibus dedito, miraculis ascribebant. Sic enim nutrix gratia futurum prosequebatur antistitem, ut ei in collationibus aut cursu sermonis, ut dici sollet, ad manum necessaria ministraret. D

Ab ineunte autem ætate, sicut referre solitus est, didicit a matre timorem Domini, et beatam Dei genitricem Mariam, tanquam ducem viarum suarum et vitæ patronam, dulcius invocare, et in illam post Christum totam jactare fiduciam. Plubice mendicantibus pleno campatiebatur affectu et subveniebat effectu, ut cum beato Job dicere posset : « Ab initio coaluit mihi miseratio, et pietas de utero matris meæ egressa est mecum. »

Liberalium vero disciplinarum scholas egrediens ad curarum se transtulit occupationes, et in seriis earum et nugis, prout ferebat spiritus cito prævaluit : et sic commilitones et coætaneos suos facile antecessit. Licet autem studiis, prout ætatis urgebant stimuli, juvenilibus ageretur, vigebant tamen in eo fidei zelus et magnificentia animi. Erat tamen supra modum captator auræ popularis et quod de beato Britio Turonensi legitur, de ipso non dubitaverim affirmandum, quod, etsi superbus esset et vanus et interdum faciem prætenderet insipienter amantium et verba proferret, admirandus tamen et imitandus erat in corporis castitate.

Cum vero in curiis procerum plurima contra honestatem cleri geri conspiceret, et convictum eorum proposito, cui addictus erat, perniciosus ad

versari, instinctu potius gratiæ et ducatu quam consilio amicorum aut interventu, se ad patrem piæ recordationis Theobaldum Cantuariensem archiepiscopum contulit, et promerente industria in brevi inventus est dignus ut familiarissimus ejus inter paucissimos ascriberetur. Quot autem et quantos ibi pro Ecclesia Dei labores pertulerit, quotiesque pro expediendis necessitatibus ecclesiasticis apostolorum limina visitaverit, quam felici exitu, quæ sibi injuncta fuerant, expedierit, nequaquam dictu facile est, præsertim compendiario non singula exprimenti, sed colligenti summam rerum et causam martyrii ejus exponere gestienti.

Ut vero in causis perorandis et decidendis et populis instruendis a Deo prædestinato facilitas pararetur antistiti, juri civili operam dedit, et quo per experientiam rerum facilius dispensationis ecclesiasticæ usum consequeretur, a præfato archiepiscopo sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ, a cujus uberibus coaluerat, archidiaconus institutus est [ut sic, Deo ordinante, tempore suo, gradu suo, locoque suo, archidiaconus in archiepiscopum promoveretur].

Post modici temporis intervallum, cum dux Normanniæ et Aquitaniæ Henricus Gaufridi comitis Andegavensis et Mathildis imperatricis filius, regi Stephano in regnum Angliæ successisset, elaboratum est ab antedicto archiepiscopo, ut archidiaconus suus regni cancellarius efficeretur. Erat enim ei suspecta adolescentia regis, et juvenum et pravorum hominum, quorum consiliis agi videbatur, insipientiam et malitiam formidabat; et ne instinctu eorum insolentius ageret jure victoris, qui sibi videbatur, etsi aliter esset, populum subegisse, cancellarium procurabat in curia ordinari, cujus ope et opera novi regis, ne sæviret in Ecclesiam, impetum cohiberet, et consilii sui temperaret malitiam, et reprimeret audaciam officialium, qui sub obtentu publicæ potestatis et prætextu juris, tam Ecclesiæ quam provincialium facultates diripere conspiraverant.

In primis autem cancellariæ suæ auspiciis tot et tantas variarum necessitatum difficultates sustinuit, tot laboribus attritus est et tot afflictionibus fuit oppressus, tot insidiis appetitus, tot laqueis in aula expositus a malitia inhabitantium in ea, ut eum, sicut archiepiscopo suo et amicis sub lacrymarum testimonio referre solitus erat, sæpe in dies singulos tæderet eum vitæ suæ, et post vitæ æternæ desiderium super omnia optaret, ut absque nota infamiæ posset a curiæ nexibus explicari. Licet enim ei mundus in omnibus lenociniis suis adulari et applaudere videretur, nec conditionis nec oneris sui immemor erat, qui quotidie hinc pro domini sui regis salute et honore, inde pro necessitate Ecclesiæ et provincialium tam contra regem ipsum quam contra inimicos ejus contendere cogebatur et variis artibus varios eludere dolos. Sed hoc præcipue perurgebat quod indesinenter oportebat eum pugnare ad bestias curiæ et velut cum Proteo, ut dici solet, negotium gerere, et quasi in palæstra exercitari. Nam fere ad omnem A auram, nisi eum gratia et industria conservarent, ruina et præcipitium imminebant.

Fungens autem cancellarii officio in palatio regis, tantam in oculis ipsius invenit gratiam, ut eum post decessum præfati Cantuariensis archiepiscopi primæ Britanniarum sedi præfici procuraret, quo totam facilius Ecclesiam regeret Anglicanam.

In multis enim expertus magnanimitatem ipsius et fidem, tando quoque fastigio bene sufficientem credidit, et ad suas utilitates facile inclinandum, et ad nutum ipsius in negotiis ecclesiastici et sæcularibus universa gesturum; si vero dies suos mors immatura præcideret, hæredibus suis tutorem fidelissimum providebat. Vir enim experientissimus, et bene solitus plus quam facile dici posset futura B metiri, tantæ curæ periculum satis acute ponderavit, utpote qui longo usu didicerat, quid sedes illa haberit oneris, quid honoris. Noverat etiam mores regis et officialium ejus improbitatem et pertinaciam, et in curia illa quam efficax esset delatorum malitia. Ex quibus veracissime colligebat quod, si oblatum subiret officium, Dei gratiam amissurus esset aut regis. Non enim Deo adhærere poterat regiis moribus obsequens, aut regem non habere inimicum, ei sanctorum præferens leges.

Itaque aliquandiu regi et aliis eum promovere volentibus reluctatus est, sed electio divina tantum prævaluit, ut suadente et inducente et instanter urgente venerabili viro Henrico Pisano, presbytero cardinali, et sedis apostolicæ legato, desiderio regis acquiesceret et consiliis amicorum. Maluit enim peC riclitari apud regem quam desolationem Ecclesiæ, quæ multis subjacebat periculis, ulterius prorogari: firmiter in animo suo statuens, aut eam de tantæ servitutis miseria liberare, aut ad imitationem Christi animam ponere pro ovibus suis. Potestas enim publica, Ecclesiæ privilegium auferens, causas indifferenter ecclesiasticas, sicut mundanas, ad suum revocabat examen: et conculcabatur ut populus, sic et sacerdos.

Ergo quem Deus sibi præelegerat antistitem futurum et martyrem, licet quidam æmulorum in primis promotionem ejus, contra divinæ dispositionis consilium, impedire conati sint, unanimiter ab omnibus electus est.

Consecratus autem statim veterem exuit homiD nem, cilicium et monachum induit. « carnem crucifigens cum vitiis et concupiscentiis suis. » Recolens etiam quam susceperat doctoris et pastoris officium; prædicationis munus implebat; quidquid temporis subtrahere poterat urgentioribus negotiis, orationi et lectioni fere semper impendens. Solitarius agens usque in miraculum lacrymis suffundebatur, et sic in altaris versabatur officio, ac si præsentialiter in carne geri cerneret Dominicam passionem. Reverentissime divina sacramenta tractabat, ut intuentium fidem et mores ipsa contrectatio informaret. Manus suas excutiebat ab omni munere, et a domo sua sordes avaritiæ prorsus eliminabat.

Erat quoque providus in consiliis, et in ventilatione A causarum diligens et modestus auditor, in interrogationibus subtilis : in responsionibus promptus justus in judiciis, et personarum prorsus acceptione deducta, juris per omnia rectissimus exsecutor. Sub honestate vestium Christi militem, ne merita vana gloria minueret, studiosius occultabat, ut juxta sapientis edictum frons ejus conveniret populo : cum intus essent fere omnia dissimilia. Nec in palatium ad mensam ingrediebatur, nisi pauperibus præinductis, et ad hoc ditius et refert us nobilitari mensam voluit, ut ex reliquiis plenius et gratius consolaretur egenos. Ostiatim mendicantium nullus ab ejus januis vacuus rediit. Lares ægrorum et debilium per suos diligentius scrutabatur, et beneficiis visitabat, quamplurimos eorum quotidiano victu vesti- B tuque sustentans. Cum enim piæ memoriæ Théobaldus prædecessor ipsius statutas prædecessorum suorum eleemosynas duplicare consueverit, hic religiosa æmulatione etiam duplum ejus censuit duplicandum. Ad cujus pii operis observantiam, omnium quæ ex quocunque titulo percipiebat, decimas consecravit. In secretiori cellula tredecim pauperum pedes curvatis genibus quotidie abluebat, in memoriam Christi singulis eorum post plenam refectionem victualium quatuor argenteos largiens. Quod si forte aliquando, raro tamen, in propria persona gerere prohibebatur, hoc diligentissime per vicarium faciebat impleri. Religiosos viros tanta reverentia excipiebat, ut credi posset se in eis divinam præsentiam aut angelos venerari. In exer- C cenda hospitalitate et aliis liberalitatis operibus sic pollebat, ut quidquid erat in facultatibus ejus, commune patrimonium omnium bonorum credi posset. Et quamvis domus ejus pro more gentis utensilibus pretiosis et gerendorum variis instrumentis nobilitaretur, divitias tamen et opes et omnem mundi supellectilem pro Christo contemnebat, ut stercora; transitoriis potius utens ad expediendas necessitates, quam fruens ad explendas concupiscentiæ voluptates. In cibis et potibus temperantiæ medium tenuit, ne prorsus abstinens argueretur superstitionis, aut immodice sumens crapula gravaretur. Notam enim criminosi et hypocritæ fere pariter vitans, id optimum jejunii genus arbitratus est, sobrietatis tenere mensuram. Et quidem in veste pretiosa spiritu D pauper, in facie læta corde contritus, in mensa lauta penuriam eligens, nonnunquam ventre magis vacuus quam refectus, sæpius magis refocillatus quam plenus, semper enim sobrius permanens, se cohabitantibus conformabat, apostolum sequens qui saluberrima dispensatione omnibus omnia factus est, ut lucrifaceret universos. Liberabat pauperem a potente, ut qui revera erat datus a Domino pauperum pater et mœrentium consolator. Arguebat libere quarumcunque vitia potestatum, sciens quod ubi spiritus Domini, ibi consequenter est etiam libertas. Pensabat tamen vir discretus mores hominum quos arguebat aut monebat, ne sanctum daret canibus aut margaritas spargeret ante porcos. Et quia eum cœlestis docebat unctio, sive litteratis sive illitteratis colloquebatur : mirum in modum eruditus et eloquens apparebat, et prædicatio ejus tam pondere sententiarum quam puritate verborum placens erat et efficax. Post epulas autem et somnum ubi necessitas poscebat exactum, denuo præter pensum horarum, aut negotiis, aut scripturis, aut honestis colloquiis insistebat, otium summopere fugiens, ne viderent eum hostes, et deriderent Sabbata ejus. Quod autem nocturno sommo sine grandi dispendio corporis deducere poterat, lacrymis et orationibus indulgebat, et meditationibus sanctis, castimoniam sectans in corpore, servans in corde pudicitiam, modestiam in sermone, in opere justitiam ut quos erat eruditurus verbo, sanctitatis suæ potentius moveret exemplo. Hæreticos schismaticosque infatigabiliter expugnabat, et nunquam induci potuit, ut cum excommunicatis communicaret. Quisquis sanæ doctrinæ adversabatur, eum sibi hostem futurum in Christo non dubitabat. Justitiæ quoque zelo fervens, quod suum erat cuique servare nitebatur, personarum prorsus et munerum acceptione diducta.

Videns autem hostis antiquus tantum virum Ecclesiæ Dei plurimum profuturum, invidit, et ne sperata pace terra diutius frueretur, multos et magnos elegit discordiæ concitatores : per quos in corde regis et curialium odii seminarium sparsit. Orta siquidem his procurantibus quæstione super regni consuetudinibus et jure ecclesiastico, filios perditionis in perniciem sancti viri excitavit qui subvertere moliebantur Ecclesiæ libertatem. Sed cum omnes opprimerentur, Cantuariensis Ecclesia ipsum magis angebat, cujus potestati honori et utilitat plurimum derogabatur, insurgentibus in eum primum Rogero Eboracensi archiepiscopo, deinde proceribus multis, et his qui fidelitate et beneficiis Ecclesiæ tenebantur obnoxii et ipso rege prohibente sæpius et pertinacius ne in subditos culpis exigentibus canonicam justitiam exerceret. Potestas enim laica in res et personas omnium pro libito ecclesiastico jure contempto, tacentibus aut murmurantibus episcopis, potius quam resistentibus usurpabat. Conatus est ergo rex archiepiscopum promissis et blanditiis ad suum inclinare consensum. Sed vir Domini, fundatus in petra et solidatus, nec blanditiis emolliri potuit, ut a cultu justitiæ deviaret, nec minis terreri.

Hanc itaque mutationem dexteræ Excelsi maligna interpretatione conati sunt impii offuscare, superstitioni ascribentes, quod vitam duceret arctiorem. Zelum justitiæ crudelitatem mentiebantur ; quod Ecclesiæ procurabat utilitates, avaritiæ attribuebant: contemptum mundani favoris discebant essa venationem gloriæ : curialis magnificentia fingebatur elatio; quod divinitus edoctam voluntatem sequebatur in plurimis, nota supercilii inurebatur ; quod antecessorum metas in tuendo jure sæpe videtur excedere, temeritatis arbitrabantur indicium. Nihil jam ab eo vel dici vel fieri poterat quod non mali-

cia infelicium hominum depravaret; adeo quidem, ut regi persuaderent, quod, si archiepiscopi potestas procederet, regia dignitas esset procul dubio peritura; et nisi sibi et hœredibus suis prospiceret, is demum futurus esset rex, quem clerus eligeret, et quandiu placeret archiepiscopo, regnaturus.

Convenientibus autem episcopis et proceribus ex mandato regis, ad expediendas regni necessitates orta forte contentio est inter regem et ecclesiam, quæ protracta diutius, instigante diabolo, magis ac magis augebatur in dies. Et quia episcopi cum archiepiscopo suo unanimiter omnes in eo erant proposito, ut regi in his quæ Dei sunt devotissime parerent, nec aliquam facerent promissionem aut obligationem cum eo inirent, nisi quatenus possent salvo ordine suo, multimodis procuratum est ut inita Ecclesiæ unitas scinderetur, per quosdam pontifices qui fidei et religionis columnæ videbantur, ut aut cum iis perverteretur archiepiscopus, aut si solus staret, facile contereretur. Nitebantur plurimi supplantare virum Dei; sed hostes familiares perniciosissime perurgebant. Recolit vir invictæ constantiæ, hominem cui Deus assistit non esse solum, et eo inspirante securus ascendit ex adverso opponens se murum solidissimum pro domo Israel, qui nec minis frangi poterat nec blanditiis emolliri. Maluit enim pauper pauperem sequi Christum, quam derelinquere legem Christi, quo consolante adjutus est pauperum compatientium brevi numero.

Cum vero post innumeras vexationes et injurias tandem apud Clarendonam regia voluntate episcopi et proceres convenissent, exegit rex instantius ut regni consuetudines quas secundum assentationem procerum avus suus observasse videbatur, publice recenserentur, et expresso et absoluto omnium episcoporum assensu firmarentur, nulla omnino conditione adjecta. Quod archiepiscopi et episcopi attendentes quantum licuit impedire aut saltem differre conati sunt metientes periculum quod hinc inde inevitabiliter imminebat. Si enim vitiis pravitate inolitis consentirent, sequebatur sine dubio fidei salutisque discrimen. Si vero adversarentur, pax Ecclesiæ et incolumitas vitæ certis erat objecta periculis. Nec justa timendi causa deerat, cum secundum Salomonem: Sicut fremitus leonis, ita et ira regis. Pondus autem belli in archiepiscopum versum est, sine cujus tanquam sine capitis sui consilio nihil audebant episcopi et ei ut acquiesceret consulere formidabant. Is autem de quorumdam episcoporum, quibus dispendium membrorum et salutis ab antiquo regis odio impendere videbatur, magis quam de propriis licet plurima et gravissima imminerent, anxiabatur periculis, et tam pro instanti necessitate quam pro suasibilibus magnorum virorum religionis habitum proferentium verbis deceptus, petitionem regis verbo tenus fieri annuit. Et sic et ipse et episcopi, quibus timebatur, licet cum dispendio causæ, corporis evasere periculum. Sed episcopus in hac liberatione corporum ruinam metuens animarum, seipsum aus-

A terioribus alimentis et indumentis gravius cœpit affligere, et se ab officio suspendit altaris, donec per confessionem et dignos pœnitentiæ fructus a Romano pontifice absolutus meruit relaxari.

Porro nec sic regis quievit indignatio, sed minis et terroribus ampliorem intentabat sævitiam, nisi consuetudines, quas contra Ecclesiam nitebatur inducere, archiepiscoporum et episcoporum auctoritate firmarentur et scriptis. Cujus conatibus quia confessor Christi, futurus martyr, se opponere ausus est, multis interim appetitus damnis, contumeliis lacessitus et affectus injuriis, tandem Northamptonam jure iniquo tractus, se licet per iniquam sententiam in quadam causa pecuniaria satis patienter sustinuit condemnari, et regi judicatum solvi sufficientissime B cavit. Inde in eum non ad hoc utique citatum sub prætextu de commissis sibi tempore administratæ cancellariæ negotiis reddendæ rationis alias calumnias intorserunt, quibus contra jus et fas adeo vexatus est, ut eum oportuerit adversus episcopos, ne eum injusto judicio condemnarent, ut sic regi blandirentur, sedem apostolicam appelare, et ab eis itidem sit ad domini papæ audientiam appellatus.

Proceres tamen, licet adversus eos processerit appellatio, et sub anathemate prohibiti sint in patrem et judicem suum ferre sententiam, nihilominus tamen in eum, nec confessum nec convictum, sed privilegium Ecclesiæ et suum duntaxat protestantem et invocantem publici juris auxilium, præsumpserunt, ad cumulum damnationis suæ, non tam dictare C sententiam quam concepti furoris insaniam vomere. Quam cum in publicum proferre vellent, vir sanctus crucem Christi, quam manu tenebat et quam jugiter circumferebat in corde et corpore suo in altum erigens, a funesta discessit curia, succlamantibus impiis eum capiendum ut proditorem, et merito suspendendum et ut titulum Domini sui fidelis servus agnosceret, fore undique audiebat: « Crucifige, crucifige eum. » Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

Cum autem se in hospitium recepisset, duo magni et fidelissimi proceres ad eum in ipsa noctis conticinio accesserunt, vultu miserabiles et lacrymosi, tundentes pectora sua, et confitentes ac protestantes per tremendum judicium Dei, quod indubitanter sciebant viros magnos, et malefactis insignes, utpote D multis pollutos facinoribus, in illius necem conspirasse, et se ad eum occidendum mutuis invicem astrinxisse juramentis. Ne ergo causa Ecclesiæ, quæ nondum plene innotuerat, in morte ejus pateretur occasum, eadem nocte fugam aggressus est, et uno duntaxat fratre sibi ferente solatium, diebus delitescens et noctibus iter peragens, post diem decimum sextum ad portum Sandvici pervenit, et cum potiores vectores non haberet ad manum, in fragili cymbula a duobus sacerdotibus transvectus est in Flandriam, paucis aliis navigium potius impedientibus quam aliquam solatii vel auxilii ferentibus opem. Actus ergo in exislium Christi confessor, a domino papa Alexandro Senonis honorifice susceptus est, et

ab eo in monasterio Pontiniacensi commendatus est. A Sed rex Anglorum episcopos et proceres suos ad Romanam destinavit Ecclesiam, multa promittens dummodo legati mitterentur, qui causam Cantuariensis archiepiscopi, quam instantissime remitti postulabat, omni appellatione remota definirent. Videbatur enim quod cardinales flecti possent, et testium copia in omni causæ articulo facillime procurari. Sed, cum se in hac petitione redeuntibus nuntiis didicisset fuisse repulsum, ecclesiam et omnia bona archiepiscopi et suorum præcepit confiscari; et quod in nullius historiæ serie legitur, totam cognationem ejus et omnes qui eum familiaritate aut quovis titulo contingebant, proscriptos addixit exsilio sine delectu dignitatis, aut ordinis, conditionis aut fortunæ, ætatis aut sexus. Nam et mulieres in puerperio decum- B bentes, et parvuli vagientes in cunis, in exsilium acti sunt. Processit ulterius furor immanis et piis auribus horrenda crudelitas. Cum enim Catholica etiam pro hæreticis et schismaticis et perfidis Judæis oret Ecclesia, prohibitum est ne quis eum vel orationum suffragiis adjuvaret. Ministri quoque publicæ potestatis omnes adultos jurare cogebant, quod Pontiniacum contristandi archiepiscopi causa peterent. Ibi enim se vir sanctus diu jejuniis et orationibus maceravit, orans jugiter pro Ecclesia, pro rege et regno Anglorum, donec eum inde rex per abbates Cistercienses, qui de terra sua ad capitulum generale convenerant, proturbare curavit. Sed antequam inde progrederetur, divina revelatione confortatus est, cœlitus sibi ostenso indicio, quod ad Ecclesiam suam C rediturus erat cum gloria, et inde post martyrii palmam migraturus ad Dominum. Et sicut beata Virgo cujus animam in Filii passione doloris gladius transverberavit, plus quam martyr legitur exstitisse, sic et Christi confessor dum in se et suis multa, magna et inaudita et longa supplicia pertulerit, meritum et coronam martyrii gloriosus illustravit. Timens autem occasione sui juris sanctis imminere dispendium, sponte discessit, et ad Francorum christianissimum regem Ludovicum se contulit, qui eum reverenter excipiens, donec pax reformaretur, humanissime necessaria ministravit. Sollicitavit etiam summum pontificem in virtute amoris et sub impensi protestatione obsequii, ne ulterius dilationes frustratorias prorogaret: sicut regnum Francorum diligebat et D honorem apostolicæ sedis. Miseratus etiam Anglicanæ Ecclesiæ desolationem, Willelmus Senonensis venerandus antistes, sedem apostolicam petiit et a Romana Ecclesia impetravit, ut rex Anglorum omni appellatione cessante subjiceretur anathemati et regnum interdicto, nisi pax Cantuariensis Ecclesiæ redderetur. Interim procurantibus his, qui Ecclesiæ pacem oderant, Rogerus Eboracensis archiepiscopus in provincia Cantuariensi post prohibitionem domini papæ contra dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ et antiquam consuetudinem, Henricum filium regis coronare præsumpsit, assistentibus sibi suffraganeis nec protestantibus jus Dorobernensis Ecclesiæ. Multiplicatis ergo injuriis et perversis hominibus patientia Christi semper abutentibus, magis ac magis in regem et suos multiplex et certa et cita comminatio procedebat. Instabatque peremptorius dies, ut sententia ulterius differri non posset. Arctatus itaque rex severitate canonica, tandem acquievit ut pax Anglicanæ Ecclesiæ reformaretur. Regna itaque gavisa sunt, cunctis credentibus negotium potius veraciter agi quam concipi simulate; sed quid ageretur a quibusdam rei exitus declaravit. Pontifex enim Christi ex fide sua metiens alios, de contrahentibus secum meliora sperabat. Et licet multi dissuaderent ne redire præsumeret, nisi pax certius firmarentur, periculum tamen metuens animarum, ad Ecclesiam suam rege sibi præstante conductum, septimo exsilii anno reversus est et a clero et populo receptus tanquam angelus Domini. Cum vero dominus papa præfatam jam dicti Eboracensis et episcoporum qui ei astiterant præsumptionem, sancto Thoma conquirente audiisset, tam Eboracensem archiepiscopum quam faventes ei episcopos ab episcopali suspendit officio, et Gilbertum Londoniensem et Jocelinum Saresberiensem in sententiam anathematis revocavit. Quæ severitas, in sancti Thomæ ingressu publicata, regem amplius exacerbavit et linguas toxicatas detrahentium efficaciores reddidit ad nocendum. Iterum ergo damnis, iterum atrocioribus injuriis supra modum et numerum athleta Christi affectus est et edicto publico prohibitus ecclesiæ suæ septa exire. Quisquis ei vel alicui suorum faciem hilarem prætendebat, hostis publicus censebatur. Sed hæc omnia vir Dei in multa patientia sufferebat, malens non modo rerum, sed et salutis subire jacturam quam justitiam Dei et Ecclesiæ libertatem absque sub- ventione vel saltem reclamatione periclitari. Pace omnium sanctorum dixerim, si tantum Deo quisque immolat, quantum pro ipsius amore relinquit, non facile invenitur, qui Thomam antecedat. Nam pro Christo sua et suos contempsit, contempsit mundum contempsit et se ipsum. Et quia stylus ad confessoris properat passionem, cujus auctores et causa ex multis et magnis patent indiciis, in ea mihi non censui diutius immorandum; præsertim cum jan fere per orbem Latinum ex relatione plurimorun sit nota et divulgata materia. Hoc tamen in tant divinæ dispensationis munere silendum esse no: credidi: quod ad Dei et martyris sui gloriam uni versi mirantur, quia sic omnes circumstantiæ con currerunt in agone pontificis, ut patientis titulur perpetuo illustrarent et persequentium revelarer impietatem, et nomen sempiterno macularent oj probrio. Si enim personas hinc inde intueri metiri placuerit: occurrit, hinc religiosus archiep scopus, Britanniarum primas, sedis apostolicæ l gatus, judex incorruptissimus, ut pote nec accept personarum, nec munerum, assertor ecclesiastic libertatis, et quasi turris erecta in Jerusalem cont faciem Damasci, malleus impiorum, sed pauperu et mœrentium consolator. Viderit qui voluerit qu

e regione procedat. Et si causa martyrem facit, A quod nulli rectum sapienti venit in dubium, quid justius,quid sanctus causa ejus? qui opes et omnem mundi gloriam,qui amicorum et totius cognationis affectionem pro Christi amore contemnens, exsilium subiit,se et suos omnes exposuit periculo et paupertati, qui pro lege Dei sui tuenda et evacuandis abusionibus veterum tyrannorum certavit usque ad mortem, nec in aliqua obligatione postquam semel lapsus est captus insidiantium dolo,induci potuit ut aliquid eorum quæ exigebantur ab ipso promitteret: quin in omnibus adjiceret honorem Dei et honestatem Ecclesiæ salvam fore. Nec ad modicum et quasi ad horam credens et in articulo tentationis recedens adversa perpessus est; sed exsilium et acerbam proscriptionem in annum septimum pro- B telavit, tanta quidem virtute constantiæ regia via incedens et Christi et apostolorum sequens vestigia ut invictus ejus animus nec fortunæ sævientis impetu posset frangi, nec blanditiis emolliri. Sed et ubi sit immolatus advertite. Certe in Ecclesia, quæ caput regni est, et aliarum omnium mater in Christo,coram altari, inter consacerdotes et manus religiosorum, quos armatorum carnificum tumultus fecerat ad stupendum et miserabile spectaculum concurrere. Qui ergo seipsum a multo tempore exhibuerat hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, qui carnem suam in orationibus et vigiliis,jejuniis et asperioris usu cilicii conviciis et concupiscentiis crucifixerat, qui dorsum, quod soli familiares ejus noverant, tanquam Christi puerulus exponere con- C sueverat ad flagella, qui Christi corpus et sanguinem solitus erat offerre in altari, coram altari prostratus effusum manibus impiorum obtulit proprium. [Cui unquam martyrii titulus exstitit gloriosor ?]

Nec licuit ministris Satanæ in immolatione discipuli et servi,quod præambulis eorum in crucifixione magistri et Domini. Christus enim, ne fœdaretur civitas, ne pollueretur Sabbatum, et judicio licet iniquo prædamnatus,qualemcunque allegandi pro se acceperat facultatem, et ab urbe eductus extra portam crucifixus est, ministerio utique gentilium, qui Deum non noverant,et auctoritate publicæ potestatis, his reum deferentibus quorum legem visus est impugnare, discipulo, filio perditionis, proditionis perdiam proficurante. Ad iste non modo in D urbe, sed intra ecclesiam, non tempore profano,sed die quem nativitatis Dominicæ solemnitas consecrabat. Et omni jure decuit ut natalis ejus, qui innocenter et sanctissime vixerat, natalem sanctorum Innocentium sequeretur. Et quidem, ut creditur, necem ipsius traditores procuravere discipuli, sacerdotum principes formaverunt, tanto in malitia Annam et Caipham, Pilatum et Herodem amplius præcedentes, quanto diligentius præcaverunt,ne in judicium traheretur,ne conveniretur ab accusatoribus, ne appareret ante faciem præsidis, ne privilegio sacri loci vel temporis,aut dignitatis,aut gradus, aut reformatæ pacis et datæ securitatis conditione sacrilegas manus evaderet,non gentilium, non hostium,sed eorum qui legem Dei profitebantur et amicorum fidem. Sane mira Dei, cuncta sapienter et salubriter ordinantis,dispensatione contigit,quod qui hæc tam male, tam imprudenter permisit fieri, eadem non est passus abscondi, ut hic etiam temporaliter impleatur quod veritas protulit : « Nihil scilicet esse occultum, quod non reveletur. » Nam, quod de signifero proditorum Juda sermone celebri vulgatum est,pari jure trahendum est ad complices suos,eo quod de similibus rebus idem constet esse judicium, ut Christianis omnibus ex fide liqueat, quod cœli revelabunt iniquitatem ipsorum, et adversus eos terra consurget. Quis autem fidelium audeat dubitare,quod Deus auctores et perpetratores tanti sacrilegii aut converteret aut contereret ?

Passurus autem in ecclesia,ut dictum est, coram altari Christi martyr, antequam feriretur, cum se audiisset inquiri a militibus, qui ad hoc venerant in turba clericorum et monachorum vociferantibus: « Ubi est archiepiscopus? » occurrit iis ex gradu quem ex magna parte ascenderat, vultu intrepido dicens : « Ecce ego : quid vultis ? » Cui unus funestorum militum in spiritu furoris intulit : « Ut modo moriaris : impossibile enim est ut amplius vivas. » Respondit archiepiscopus non minori constantia verbi quam animi, quia (quod omnium martyrium pace ex animi mei sententia fidenter dixerim) nullus videtur isto constantior fuisse : « Et ego pro Deo meo paratus sum mori,et pro assertione justitiæ et Ecclesiæ libertate.Quod si caput meum quæritis, prohibeo ex parte omnipotentis Dei, et sub anathemate, ne cuiquam alii, sive monacho, sive clerico, sive laico, majori vel minori, in aliquo noceatis, sed sint immunes a pœna sicut exstiterunt a causa ; non enim illis, sed mihi imputandum est, si qui eorum laborantis Ecclesiæ causam susceperunt : mortem libenter amplector,dummodo Ecclesia in effusione mei sanguinis pacem consequatur et libertatem. » Quis isto constantior, quis videtur in charitate ferventior? qui dum pro lege Dei sui persecutoribus se offerebat,in sid solum sollicitus fuit, ne commissi sibi gregis in aliquo detrimentum pateretur. Verba ejus nonne Christum exprimere videntur in passione dicentem : « Si me quæritis,sinite hos abire ? »

His dictis, videns carnifices eductis gladiis, in modum orantis inclinavit caput, hæc novissima proferens verba : « Deo et beatæ Mariæ et sanctis hujus ecclesiæ patronis,et beato martyri Dionysio commendo me ipsum et Ecclesiæ causam. »

Cætera quis sine suspiriis,singultibus et lacrymis referat ? Singula prosequi pietas non permittit quæ carnifices immanissimi,Dei timore contempto,et tam fidei quam totius humanitatis immemores,commiserunt. Non enim suffecit iis sanguine sacerdotis et nece profanare ecclesiam et diem sacratissimum incestare, nisi corona capitis, quam sacri chrismatis unctio Deo dicaverat, amputata, quod et dictu

horribile est, funestis gladiis jam defuncti ejicerent cerebrum et per pavimentum cum cruore et ossibus crudelissime spargerent, immaniores Christi crucifixoribus qui ejus crura, quem obiisse viderant, sicut adhuc viventium, non censuerunt esse frangenda. Sed in his omnibus cruciatibus, invicti animi et admirandæ constantiæ martyr, nec verbum vel clamorem emisit, non edidit gemitum, nec brachium aut vestem opposuit ferienti, sed caput quod inclinatum gladiis exposuerat donec consummaretur tenebat immobile. Denique in terram procidens recto corpore, non pedem movit aut manum sicariis insultantibus se in strage proditoris pacem patriæ prodidisse. Carnifices autem non minus cupidi quam crudeles, inde tam in regiæ potestatis quam divinæ majestatis injuriam ad ecclesiæ palatium redeuntes, universam suppellectilem et quidquid in scriniis aut clitellis archiepiscopi et suorum potuit inveniri, sive in auro, sive in argento, aut vestibus, aut variis ornamentis, aut libris, aut privilegiis, aut aliis quibuscunque scriptis aut equitaturis, insatiabili avaritia et stupendo ausu diripientes, ea, ut libuit, inter se diviserunt, imitatores eorum facti, qui inter se Christi vestimenta partiti sunt, licet eos quodammodo præcedebant in scelere. Et ut pontifici jam per martyrium coronato, hominum gratia auferretur, omnia scripta, quæ sacrilegus prædo subripuit, ad regem in Normanniam transmissa sunt. Sed nutu divino contigit quod quanto magis athletæ fortissimi gloriam offuscare nitebatur humana temeritas, tanto amplius eam Dominus illustrabat in ostensione virtutis et miraculorum manifestis indiciis. Quod viri impii qui eum insatiabiliter oderant intuentes, inhibuerunt nomine publicæ potestatis, ne miracula quæ fiebant quisquam publice publicare præsumeret. Cæterum quis frustra obnubilare desiderat, quod Deus clarificare disponit. Eo enim amplius percrebuere miracula, quo videbantur impiis studiosius occultanda. Homo videt in facie: solus Deus est qui renes et corda scrutatur. Nam cum beati martyris corpus sepulturæ tradendum esset, et de more pontificalibus indueretur, quod admodum pauci familiares ejus noverant, inventum est cilicio pedunculis et vermibus referto involutum: ipsaque femoralia ejus interiora usque ad polites cilicina, quod antea apud nostrates fuerat inauditum, reperta sunt.

Quis referat quos gemitus, quantos lacrymarum imbres sanctorum cœtus qui aderat in revelatione sic adumbratæ religionis emiserit? Et quis quod sequitur sine lacrymis referre poterit vel audire? Ecclesia quidem quæ sacro cruore violata fuerat, vel potius consecrata, se non tam sine hæsitatione et deliberatione multa propter metum impiorum ad protestandam injuriam Dei, suspendere ausa est a divinis; sed tantus terror ex signis patentibus provinciales invasit, ut nullus omnino aut perrarus, qui auderet a divinis cessare pro exhibitione justitiæ aut pro humanitatis officio debitum in Christo defunctis munus solemniter exhibere. In his omnibus persecutorum non quievit furor dicentium corpus proditoris inter sanctos pontifices non esse humandum, sed projiciendum esse in paludem viliorem vel suspendendum patibulo. Unde sancti viri qui aderant vim sibi timentes inferri eum in crypta, antequam satellites Satanæ, qui ad sacrilegia perpetranda convocati fuerant, convenirent, ante altare sancti Joannis Baptistæ et sancti Augustini Anglorum apostoli in sarcophago marmoreo sepelierunt.

Ubi ad gloriam omnipotentis Dei per eum multa et magna fiunt miracula catervatim confluentibus populis, ut videant in aliis et sentiant in se potentiam et clementiam ejus, qui semper in sanctis suis mirabilis et gloriosus est. Nam et in loco passionis ejus, et ubi ante maius altare pernoctavit humandus et ubi tandem sepultus est, paralytici curantur, cæci vident, surdi audiunt, loquuntur muti, claudi ambulant, leprosi mundantur, evadunt febricitantes, arrepticii a dæmonio liberantur, et a variis morbis sanantur ægroti, blasphemi a dæmonio arrepti confunduntur. Et quod a diebns patrum nostrorum non est auditum, mortui resurgunt, illo hæc et plura, quæ referre perlongum est, operante, qui solus est super omnia benedictus in sæcula Deus. Amen.

Ita explicit tractatus Joannis Salisburiensis de Vita sancti Thomæ

INCIPIT VITA EJUSDEM SANCTI

PER ALANUM, PRIOREM CANTUARIENSEM, POSTEA ABBATEM TEWKESBURIENSEM.

Gloriosus Dei martyr Thomas, qualis, cujus vitæ et conservationis, quantas etiam pro libertate Ecclesiæ passus fuerit angustias, ipsius martyris clericus et familiaris, postea Carnotensis episcopus magister

Joannes Saresberiensis eleganter descripsit. Quia vero quædam ibi juxta brevitatem historiæ ex industria omissa sunt, quæ si apposita fuerint legentis et audientis potuerunt excitare devotionem, maxime cum ea pertineant ad epistolarum quæ sequuntur explanationem, ea duximus summatim adjicere quæ a consilio de Clarendona, usque ad discessum domini papæ Alexandri de Francia et ipsius martyrii consummationem juxta historiæ veritatem dicuntur contigisse. Cætera suis in locis epistolæ ipsius plenius persequuntur.

Dum igitur beatus Thomas apud Clarendonam, ad suggestionem fratrum suorum, invitus pro certo in verbo sacerdotali promisisset se cum cæteris consuetudines, quas Avitas vocant, ad nutum regis observaturum, ad mentem sedulo revocavit, quanta ex his potuerint contra ecclesiasticam libertatem oriri dispendia. Eoque recedente a regis curia, obiter inter familiares ipsius orta est murmuratio, his, ut assolet suggerentibus sic fieri oportere propter temporis instantiam, aliis indignantibus ecclesiasticæ libertatis auctoritatem ad unius hominis libitum deperire. Inter quos unus acrius institit dicens: « Publica potestas perturbat omnia ; in ipsum Christum delirat iniquitas ; synagoga Satanæ profanat sanctuarium Dei ; sederunt principes et convenerunt in unum adversus Christum : nemo tutus qui diligit æquitatem ; mundo judice soli sapiunt et venerantur hodie qui principi obsequuntur ad libitum : Concussit hæc tempestas etiam columnas ecclesiæ et dum pastor desipuit, oves dispersæ latitant sub lupo : de cætero, quis erit locus innocentiæ, quis stabit ex adverso, vel qui triumphabit in prælio, principe devicto ? » Hæc quidem is murmurabat qui crucem ferebat ante archiepiscopum : cæteri obmutuere præ angustia. Et adjecit audacius assumens parabolam in hunc modum : « Quorsum, ait archiepiscopus, hæc, fili ? quid, inquit, virtutis sibi retinuit, qui conscientiam prodidit et famam ? Te ipsum, inquit, id respicit, qui hodie omnino prodidisti conscientiam et famam, Deo odibili et honestati contrario exemplo in posterum relicto, cum manus tuas Deo sacratas ad exsecrandas consuetudines observandas extenderes, et in confusionem libertatis ecclesiasticæ cum nefariis Satanæ ministris communicares. » Ingemuit igitur archiepiscopus et suspirans ait : « Pœniteo et graviter meum perhorrescens excessum, me ipsum indignum judico de cætero ad eum accedere in sacerdotio, de cujus ecclesia tam vile contraxi commercium : silebo itaque sedens in mœrore, donec me visitaverit oriens ex alto, ut per ipsum Deum et dominum papam merear absolvi. »

Statimque proinde nuntium destinavit ad sedem apostolicam. Innotuit interim id ipsum regi, quod archiepiscopus ab illa supradicta compromissione vellet resilire : in eo præcipue dum palam restitit, ne scriptum illarum consuetudinum, sicut condictum fuerat, suo sigillo corroboraret. Exinde rex asperatus gravioribus et exquisitis cœpit archiepiscopum vexare exactionibus, ita ut palam fieret intelligentibus, sanguinem ejus et vitam requiri.

Id igitur pertimescens fugam consulit et veniens ad manerium suum Aldintonam nomine, cæteris dormientibus secreto se subripuit, duobus tantum comitatus, inventoque navigio mari se commisit. A vento vero contrario diu fatigatus, vix est diluculo cum vita ad terram reversus. Denique comperta ejus discessio familiares ejus et famulos singulos dispersit. Cæteris tamen unus audacior, veniens Cantuariam, in cameram ipsam archiepiscopi sequenti nocte se recepit. Et post cœnam sollicitus cæpit contristari de casu et angustia domini sui. Plurima itaque parte noctis transacta, volenti quiescere : « Vade, inquit puero, et claude ulterius ostium aulæ, ut securius dormiamus. » Veniens autem illuc puer accenso lumine, aperto ostio, vidit archiepiscopum in angulo sedere et solum. Quo viso, territus aufugit, putans se phantasma vidisse. Eo suggesto, clericus ille nullatenus voluit fidem adhibere, donec in sua persona verum probaret. Et veniens, sicut dictum est, sic et invenit. Convocatis igitur ad se archiepiscopus quibusdam fratribus Ecclesiæ Cantuariensis, exposuit iis quid sibi acciderit, et quod nondum fuerit voluntas Dei ut recederet.

Recreatus igitur breviori cœna quievit : mane autem facto irruerunt ministeriales regis, ut archiepiscopo fugiente confiscarent omnia ; sed audita et visa ejus præsentia confusi siluerunt.

Proinde aggravabat rex manum suam in archiepiscopum, eum citari faciens peremptorie, ut die statuto regi responderet de his, quæ sibi fuerint objecta.

Adveniente termino veniunt, et vocati facta quoque concione apud Northamptonam dominus noster trahitur in causam. Seorsum itaque in conclavi sedentibus domino Cantuariensi, cum coepiscopis suis, ex edicto regis seris objectis, ne pateret exitus, propositum est ex parte regia adversus dominum Cantuariensem, quod cum haberet vacantes episcopatus, abbatias et multos reditus domini regis per annos plurimos in manu sua, nullam ei super his reddidit rationem, quam modo sibi rex requirit exhiberi. « Super his, inquit Cantuariensis, prudentiores volumus consulere, et de consulto respondere. » Dum igitur medium silentium tenerent ad invicem, domino Cantuariensi id requirente, Gilbertus Londoniensis episcopus, decanus utique Cantuariensis Ecclesiæ et idcirco post Cantuariensem in consilio primus : « Si, pater, inquit, recolis unde te dominus rex sustulerit, quid tibi contulerit, considerata temporum malitia, quam ruinam Catholicæ Ecclesiæ et nobis omnibus paraveris, si in his regi resistere volueris ; non solum archiepiscopatui Cantuariensi, sed in decuplo si tanti fuisset cedere deberes. Et forsitan, si hanc in te rex viderit humilitatem, te in universum resti-

tuet. » — « Satis, inquit Cantuariensis, innotuit quid A consulto responderis. »

Deinde Henricus Wintoniensis episcopus subintulit: « Hæc, ait, forma consilii Catholicæ Ecclesiæ penitus perniciosa nos omnes obligat et confundit. Quod si archiepiscopus noster et totius Angliæ primas nobis id reliquerit exemplum, ut ad nutum et comminationem principis auctoritati et curæ animarum sibi commissæ quisque episcopus debeat cedere, quis erit de cætero status Ecclesiæ, nisi ut nulla agantur de jure sed omnia confundantur pro libitu, et sic erit sacerdos sicut et populus ? » Hilarius itaque Cicestrensis episcopus, nam et ipse gloriosus in verbis, subjunxit : « Nisi, inquit, temporis instantia et Catholicæ Ecclesiæ perturbatio aliud exigerent, standum B utique esset verbis sententiæ. Verum ubi nutat canonum auctoritas, plurimum subtrahendum est severitati, ut in eo perficiat dispensatio, quod posset destruere severa correctio. Censeo igitur cedendum regiæ voluntati, sed a tempus, ne præpropere procedamus id statuere, unde sequatur durior retractatio. » Nec sine rubore episcopus deinde Lincolniensis Robertus, simplex quidem homo et minus discretus : « Patet, inquit, vitam hominis istius et sanguinem quæri, et necessario alterum horum erit, aut archiepiscopatui aut vitæ cedendum. Quis ergo fructus de archiepiscopatu proveniet, si proinde vitæ cesserit? nec id video. » Exoniensis autem episcopus Bartholomæus ait : « Palam est quoniam dies mali sunt, et si possimus sub dissimulationis umbra hujus tempestatis impetum pertransire illæsi, id præcipue pro- C curandum est, sed nec ad id de facili perveniendum nisi subtrahatur plurimum severitati. Temporis instantia id requirit, maxime cum non sit generalis sed personalis hæc persecutio. Satius est igitur unum caput in parte periclitari, quam totam Anglicanam Ecclesiam inevitabili discrimini exponere. » Wigorniensis episcopus Rogerius requisitus et ipse quid inde sentiret, ita temperavit responsum, ut et negando palam faceret quid animi haberet. « Nullum ait, in hac parte dabo consilium, quia si dixero a Deo susceptam animarum curam ad regiam voluntatem et comminationem oportere relinqui, contra conscientiam meam et in capitis mei condemnationem loquetur os meum. Si sentiam regi resistendum, ecce qui sui sunt, audiunt per quos id ipsum inno- D tescit regi, statimque ejiciar extra synagogam, et erit sors mea de cætero cum publicis hostibus, et condemnatis. Idcirco nec hoc dico, nec illud consulo. »

His ita gestis, sederunt aliquandiu sub silentio : nec erat qui amplius his aliquid adjiceret. Et arte quæsita ut pateret eis exitus, inclusis enim erant ; « Volo, inquit dominus Cantuariensis, loqui cum duobus comitibus, qui cum rege sunt. » Quos et nominavit. Vocati illi apertis ostiis introierunt properanter, credentes aliquid audire, quod regiam satiaret voluntatem. Astantibus his ait archiepiscopus : « Super his, de quibus nos dominus rex convenit, contulimus. Et quia non habemus ad præsens eos, quibus res ipsa magis innotuit, ideo usque in crastinum petimus inducias, tunc responsuri, sicut Deus nobis inspiraverit. » Ad hæc regi deferenda missi sunt Londoniensis et Roffensis episcopi. Londoniensis autem sub vulpe latens injunctum sibi pervertit negotium, dicens regi archiepiscopum apud eum postulare inducias ad præparanda instrumenta, quasi statuto die rationem redditurus super objectis, ut sic magis obligaretur archiepiscopus ad executionem regiæ voluntatis. Directi sunt igitur duo comites ad archiepiscopum, postulatas ex parte regis deferentes ; si tamen ratum haberet, quod ex parte sua per episcopos fuerat regi suggestum. Quo audito, ait archiepiscopus se id in mandatis non dedisse, neque id, quod regi suggestum fuerat, ratum habere ; sed die sequenti, Deo auctore se venturum et sicut datum fuerit, desuper, responsurum. Erubuit ergo Londoniensis, dum videret se incidisse in laqueum quem jecerat ad patrem suum decipiendum. Soluto itaque concilio ea die dicesserunt ab invicem, multitudo vero militum, et aliorum qui cum domino Cantuariensi illuc convenerant, regio metu perterrita secessit in partem, et amplius cum eo non stetit. Quo comperto, circuiri sepes et vicos, et ad se vocari pauperes, claudos et debiles, dicens per talem militiam provenire posse celeriorem victoriam, quam per eos qui tempore tentationis turpius recesserunt.

Impleta est igitur domus ejus discumbentibus, et peracta dies illa cum lætitia in Domino, nulla mentione palam habita de perturbatione pristina.

Sequenti vero die, summo diluculo, percussus est dominus noster passione iliaca, nam et ea multoties vexabatur, eatenus quod non potuit se de lecto erigere. Unde longiori mora interposita, ut crederetur ab invidis ad curiam regis nolle descendere : missi sunt qui eum citarent acrius ad respondendum « Dum, inquit dominus Cantuariensis, quieverit ista passio crastino die, Deo auctore, apparebo. » Transeunte vero die illa et nocturnis vigiliis cum summa devotione demum peractis mane consurgens ad missarum solemnia sacris, pro more indutus vestibus et per beati martyris Stephani merita divinum sibi invocans auxilium, introitum missæ jussit inchoari : *Et enim sederunt principes*, etc., totumque officium cum ad id pertinentibus complevit devotius ministralibus regis, qui ibi aderant, id tacite considerantibus, quibus visum est rem ipsam aliquid portendere speciale. Is siquidem annus centesimus erat et ea dies secundum annorum curricula qua Normanni Angliam intraverunt. Expleto itaque ministerio, amoto ab humeris pallio cum infula, cæteris indutus vestibus sacris, cappa clericali super injecta processit ad regis curiam. Intraturus cameram regis, ibi enim rex præstolabatur ad ostium ipsum, crucem bajulat propria manu, sequentibus episcopis et id aliter quam decuit interpretantibus

Occurrit autem Robertus Herefordiensis inquiens : « Pater, sustine, ut ego vice capellani crucem deferam ante præsentiam vestram : sic enim condecet: Archiepiscopus ait: « Justius est me ipsam deferre sub cujus protectione tutus maneo, et ejus viso vexillo non est mihi dubitandum, sub quo principe militem. » Londoniensis ad hæc : Si viderit rex te armatum intrare, gladium suum fortiorem exeret in caput tuum ; et tunc videbis, quid proderunt tibi arma tua. » Archiepiscopus inquit: « Hæc Deo committimus. » Et Londoniensis : « Stultus hactenus fuisti, et ab hac stultitia, ut video, de cætero non recedes : » et processum est. Audiens autem rex archiepiscopum armatum venire, oblito vel deposito gladio illo de quo dixerat Londoniensis, citius recessit in conclavem ulteriorem ; sedente hic seorsim archiepiscopo solo cum suis et paucis episcopis ex adverso, et loco et animo adunatis.

Denique vocati sunt episcopi ad regis consilium Cantuariensi sub jugulo relicto. Protrahitur tempus dum quæritur innocentis damnatio. Cantuariensis vero firma facie induit constantiam. Exiens Rogerius Eboracensis archiepiscopus ait clericis suis quos ibi invenit, erant enim ibi magister Robertus, Grandis cognomine, et Osbertus de Arundel: « Recedamus hinc non oportet nos videre quæ hic habent fieri cito de Cantuariensi. » Magister Robertus ad hæc: « Non, inquit, hinc recedam, donec videro quid Dei voluntas super his judicaverit: si pro Deo et ejus justitia dimicaveritis usque ad sanguinem, pulchrius vel melius vitam finire non poterit. » Recedente itaque Eboracensi archiepiscopo a camera regis, veniens Bartholomæus Exoniensis episcopus procidit ad pedes domini Cantuariensis et ait: « Pater mi, miserere tui ; miserere et nostri : omnes enim hodie perimus odio capitis tui. » Exiit namque edictum a rege, ut qui amplius cum Cantuariensi staret, publicus hostis judicaretur in capite puniendus. » Dictum est etiam quod Jocelinus Saresberiensis episcopus, et Willelmus Norwicensis episcopus qui adhuc restiterunt, traherentur statim ad supplicium in membris mutilandi, qui et ipsi pro salute sua Cantuariensem rogabant. Inspiciens igitur Cantuariensis in Exonienseme piscopum: « Fuge hinc, ait, quia non sapis ea quæ Dei sunt. » Exierunt denique a consilio regis omnes simul episcopi cum tumultu ad Cantuariensem. Quorum unus eloquens, Hilarius Cicestrensis episcopus, prorumpens in vocem ait: « Quondam noster fuisti archiepiscopus, et tenebamur tibi obedire, sed quia domino regi jurasti fidelitatem, hoc est vitam, membra, terrenam dignitatem sibi per te salvam fore, et consuetudines quas ipse repetit conservandas, et tu niteris eas destruere, præcipue cum spectent ad terrenam ejus dignitatem et honorem, idcirco te reum perjurii dicimus, et perjuro archiepiscopo de cætero non habemus necesse obedire. Nos itaque et nostra sub domini papæ protectione ponentes, te ad ejus præsentiam appellamus super his responsurum. »

Et diem statuit. Archiepiscopus inquit: « Audio. » Subtrahentes se ipsi seorsim sedere ex adverso, diutius in summo silentio. Tandem a rege processerunt comites, barones, et plurima turba ad archiepiscopum, quorum primus Robertus comes Leicestriæ ait: « Mandat tibi rex, ut venias redditurus rationes super objectis, sicut pridie promisisti te facturum. Alioquin audi judicium. « Archiepiscopus inquit: « Judicium? » Et surrexit dicens: « Imo, fili comes, et tu prius audi. Non te latet, fili, quam familiaris domino regi, et quam fidelis secundum statum hujus mundi fuerim. Cujus rei gratia placuit ei, ut promoverer in archiepiscopum Cantuariensis Ecclesiæ, Deus scit, me id non volente. Nota enim mihi fuit infirmitas mea. Et magis pro suo, quam pro Dei amore acquievi. Id satis hodie palam est, dum Deus et se mihi subtrahit, et ipsum regem Verumtamem in mea promotione, dum electio fieret præsente Henrico, regis filio et hærede, cui et hoc ipsum mandatum fuit, quæsitum est: qualem me redderent Cantuariensi Ecclesiæ? Et responsum est : Liberum et quietum ab omni nexu curiali. Sic igitur liber et absolutus super his, a quibus sum liberatus, nec teneor nec volo de cætero respondere. » Comes inquit: « Et hoc aliter se habet, quam Londoniensis regi suggesserat. » Adjecit archiepiscopus: « Adhuc, fili comes, id attende. Quanto dignior est anima quam corpus, tanto magis Deo et mihi teneris obedire, quam terreno regi. Nec lex nec ratio permittit, ut filii patrem judicent vel condemnent. Unde regis, et tuum, et aliorum declino judicium, sub Deo a solo domino papa judicandus, cujus coram vobis omnibus præsentiam appello, Ecclesia Cantuariensi, ordine et dignitate mea, cum ad hæc pertinentibus, sub Dei et sua protectione positis. Nihilominus vos, fratres et coepiscopi mei, quia magis homini quam Deo obedistis, ad domini papæ audientiam et judicium voco: et sic Catholicæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis auctoritate munitus hinc recedo. »

Abeuntem illum prosequuntur curiales et invidi contumeliis et injuriis traditorem illum et perjurum acclamantes. Ei autem venienti ad ulteriorem portam, clausa et janua, nec potuit exire, nullo ibi invento custode. Et dum res ageretur in metu et dubio, nutu Dei contigit claves plurimas in fasciculo pendere a muro, quas arripiens familiaris quidam archiepiscopi, unam post alteram attentavit, donec aperiret januam.

Exeuntibus illis occurrit multitudo morbo regio laborantium pauperum et infirmorum, acclamantium et dicentium: *Benedictus Deus, qui eripuit et salvum fecit servum suum a facie inimicorum suorum.* Putabatur enim jam fuisse exstinctus. Præcedente igitur et subsequente turba pauperum, cum clero et populo, in gaudio et lætitia perducitur ad hospitium [ad ecclesiam videlicet Beati Andreæ religiosorum monachorum conventuale monasterium]. Videns autem exsultationem plebis sequentibus se dixit:

« Quam gloriosa processio nos conducit a facie tribulantis. Sinite pauperes Christi, et nostræ tribulationis participes, omnes intrare nobiscum, ut epulemur in Domino ad invicem. » Et impleta sunt domus et atria circumquaque discumbentium.

Inter epulas accesserunt Londoniensis et Cicestrensis episcopi ad mensam, dicentes se viam pacis invenisse. Requirente archiepiscopo sub quali forma, inquiunt: « Quæstio pecuniaria agitur inter te et regem. Si igitur nomine pignoris duo maneria vestra, Otford et Muncheaham, regi assignaveris ad tempus, credimus quod inde pacatus et maneria resignabit, et pecuniam remittet, et gratiam suam tibi citius restituet. » Ad hæc archiepiscopus: Heccham manerium fuit quondam Cantuariensis Ecclesiæ, ut accepi, quod rex modo tenet in dominio. Et licet ad ejus restitutionem Cantuariensi Ecclesiæ competit rei vindicatio, tamen id fieri his temporibus omnino non spero. Nihilominus antequam vel cujuslibet turbationis sedandæ, vel recuperandæ regiæ gratiæ causa, antiquo juri, quod in illo manerio Cantuariensis Ecclesia habere dicitur, renuntiarem cuilibet periculo vel discrimini caput istud opponerem. » Et caput tetigit. Indignantes ergo episcopi regressi sunt, hæc regi renuntiantes: et accensa est in his regis indignatio.

Missi sunt etiam duo episcopi ad regem petere salvum conductum domino Cantuariensi in redeundo ad ecclesiam suam. Ait rex se in crastino familiares suos super hoc consulturum, et sic ex consulto responsurum. Intelligens itaque Cantuariensis moram sibi periculosam esse, et per eam sibi parari posse insidias, cœpit cogitare de fuga, jussitque in ipsa nocte in ecclesia Sancti Andreæ parari sibi lectum inter duo altaria. Quo accedens cum litania, et singulorum sanctorum nomina pronuntians singulas fecit genuflexiones. Quo completo, proinde fatigatus strato se projecit, capessendæ quietis simulans occasionem.

Deinde secreto se subtrahens et per posticum exiens, uno familiari et fideli comitatus socio, disparuit. Mane autem facto subitus rumor et sinister de clandestina archipræsulis fuga hos, qui ei adhæserant invadens, omnes compulit latitando sibi consulere. Verumtamen publico edicto denuntiatum est neminem in Cantuariensem manus injicere. Dum igitur ista turbatio circumquaque discurreret. Archiepiscopus, ut diximus, clam de nocte fugiens, fratrem unum de ordine de Simplingeham secum habens, viæ ducem, versus aquilonem ad nobilem illam civitatem Lincoliniam tendebat; sciens et prudens nimium carpens, non viam, ut ita cautius, si qui post mitterentur persecutores, effugeret insidias, et declinaret. Et nocte venit ad pagum, qui dicitur Grabam, et viginti quinque circiter milliaribus a Norhantona distantem. Ubi postquam modico indulsit somno, in crastino arripiens iter venit Lincolinam, circiter viginti quinque milliaria, hospitatus in civitate, in

A domo cujusdam felonis. Est ibi aqua, quæ fluit per civitatem intrans, ad locum quemdam solitarium in medio aquarum situm, qui dicitur Eremitorium pertingens ad domum de Simplingeham; per aquam venit millia circiter quadraginta. Ubi propter loci solitudinem, et propter difficultatem accessus, eo quod in medio aquarum sit, per tres dies securus latuit, ad iter, quod restabat vires reparans. Una vero dierum cum frater, qui ipsi ministrabat, videret solum sedentem in mensa, et pulmentariis vesci, compunctus lacrymas continere non potuit. Et continuo exivit, ne inter epulas virum Dei lacrymæ effusæ perturbarent. De eremitorio venit ad sanctum Botulfum, decem milliaria. Et inde ad locum venit, qui dicitur Haverolot, ad Simplingeham per-
B tinentem. Deinceps vero nocte solum proficiscebatur, veritus deprehendi. Jam siquidem versus orientem ad Cantiam tendebat, ubi a populo terræ facie magis cognitus erat. Nocte itaque ibat, et die latitabat, octo dierum conficiens noctibus iter, donec ad Cantiam perveniret, ad pagum supra mare situm, qui dicitur Estere, ubi transfretare disposuit. Ibi quidem mansit eo cautius quo securius eo quod pagus ille esset proprius, de mensa sacri conventus sedis suæ metropolitanæ, octo tantum milliaribus distans. Latuit autem lux mundi futura in pago hoc usque ad diem animarum, Ubi facto in pariete foramine, fuit enim prope ecclesiam, audivit missarum solennia cum plebe id ignorante presbytero etiam sacramenti perceptione perfruente. Quidam autem
C clericus hujus rei conscius osculum pacis ad archiepiscopum deferebat: recedenti quoque post servitium populo nec id scienti episcopalem devotius pontifex impertivit benedictionem.

Demum vero procurato transitu cum angustia sæpius huc illucque depulsus vix tandem in summo dispendio Flandriæ appulit. Pedes igitur quia sic oportuit, et indutus veste alba et monachili cappa super scapulas posita, in tempestate, pluvia et luto non ex solito iter peragit, et dum pertransiret obiter accidit juniores stare et eorum aliquem accipitrem tenere in manu. Visaque ave Cantuariensis eo intendit, memor pristinæ conditionis et oblitus exsilii. Quo viso inquit unus: « Ni fallor, ecce hic est Cantuariensis archiepiscopus. » Alter ait: « Fatuus es,
D quid opus est Cantuariensi archiepiscopo ut sic incedat? » Expavit Cantuariensis, timens detegi et forte timor ille hujus vanitatis culpam ipso tempore potui diluere.

Veniens autem usque Celarum Mariscum oppid fatigatus quievit. [Verum quoniam per crebros e profundos maris jactus fatigatus erat, utpote in modi ca scapha transvectus, diu pedes ire non potuit. Und post modicum iter reclinavit in terra, non valen procedere, et dixit fratribus qui cum eo erant: « Hin non recedam, nisi vehar a vobis, aut quæratis mih vecturam. » Et quæsierunt ei jumentum pro un argenteo: et quidem hoc non frenum, sed tantun

prolectam circa collum habebat. Et posuerunt vestimenta super dorsum, et eum desuper sedere fecerunt.] Deinceps paulisper procedens hospitatus est apud cellulam quamdam beati Bertini prope ipsam abbatiam. Ubi occurrerunt ei quidam familiares, qui jam exierant de Anglia. Et eum inde deducentes navigando, erat enim illis iter per aquam, usque ab sanctum Bertinum properabant. In eundo vero ait quidam: « Domine, fatigatus es ex itinere et venturi sumus hodie ad eximiæ humanitatis viros qui plurimum congratulabuntur tibi in Domino quod illæsus evasisti: fac igitur charitatem iis, ut in adventu tuo hodie comedant pinguia. » — « Quarta, inquit dominus Cantuariensis, est feria et oporte nos hodie a talibus abstinere; » et subintulit alter: « Domine, forsitan non abundant piscibus et oportebit nos eis condescendere. » — « Domini est, inquit Cantuariensis, id providere. » Inter loquendum igitur ad nutum Dei exsiliens de aqua grandis piscis projecit se cum impetu in gremium viri Dei, Piscis, inquam, quam Brenham vocant et factus est eis transitus ille jucundus in laude Dei. Ductus itaque ad sanctum Bertinum et illic comiter exceptus duxit ibidem suos exspectare. Interim rerum statum exagitabat horrida perturbatio unuquoque sibimet consulente, et ad regis voluntatem quærente occasiones quomodo christum Domini perderent. Directi sunt igitur ad dominum papam a regis latere Eboracensis archiepiscopus, Londoniensis, Cicestrensis, Exoniensis, Wigorniensis, Luxoviensis episcopi, et cum iis comitum et baronum multitudo copiosa in magno apparatu in donis et muneribus quibus pro viribus judicium perverterent et sapientum oculos excæcarent. Hoc siquidem modo credebant curiam Romanam in hac parte quandoque vacillantem inclinari posse ad id quod quærebant. Dederant enim quidam pontifices contra Cantuariensem hoc consilium. Sane in eorum adventu hinc timor publicæ perturbationis quæ ex ira regis posset oriri, inde spes quæstus quam plures cardinalium nutare compellit, et facta est inter eos dissensio, dum diceretur ab his Cantuariensem ecclesiasticæ libertatis defensorem, et idcirco justam fovere causam: ab illis pacis et unitatis perturbatorem et ideo ejus præsumptionis impetum potius refrenandum quam fovendum. Eo usque etiam invaluit inimicorum suggestio, quod nuntii domini Cantuariensis, præmissi enim erant eximiæ virtutis et sententiæ viri, nec promeruerunt a cardinalibus vel in osculo recipi. Angustiantur et illi videntes causam domini sui imminere discrimini.

[Eadem tamen die in vespera ad dominum papam habentes accessum, ipsum nomine archipræsulis, tanquam patrem et dominum, qua decebat devotione et humilitate, salutaverunt, dicentes quod illi essent duo tantum, qui evaserunt de calore domus Rechap, et ad Sanctitatis Suæ pedes venerant, ut nuntiarent ei, quod filius Joseph adhuc viveret, sed non dominaretur in terra Ægypti, quin potius ab Ægyptiis A oppressus fere fuisset et exstinctus. Enarraverunt itaque libenter audienti, et paterno compatienti affectu, filii sui archipræsulis, pessimas angustias et dolores, pericula etiam in pugna illa apud Norhamtunam ad bestias, pericula in falsis fratribus, pericula in fuga, pericula in via, pericula in mari, in ipso etiam portu pericula, laborem, egestatem, ærumnam et ad declinandas insidias habitus sui et nominis mutationem. Et audiens hæc pater omnium patrum, commota paternæ pietatis viscera super filio, et paternum non valens dissimulare affectum, lacrymatus est. Et ita compunctus inquit eis: « Dominus vester in carne adhuc vivit, ut dicitis? Magis tamen jam sibi in carne vivens martyrii gloriam vindicat. » Et quia jam valde sero erat, nuntios B ex itinere fatigatos, data benedictione et consolatione apostolica, ad hospitium citius remisit.]

In crastino tamen sedente domino papa pro tribunali, facto consessu cardinalium, advocata concione, adsunt etiam nuntii Cantuariensis, ut vel finem viderent. Consurgentibus igitur ex adverso nuntiis regis, primus, et cætetorum signifer, in hunc modum inchoat Londoniensis: « Pater, ad vos spectat Catholicæ Ecclesiæ cura et sollicitudo, ut qui sapiunt per vestram foveantur prudentiam ad exemplum morum, et qui desipiunt apostolica auctoritate corripiantur et corrigantur, ut sapiant. Sed apud vestram sapientiam non creditur sapere, qui in sua sapientia confidens, et fratrum concordiam, et Ec- C clesiæ pacem, regisque devotionem perturbare contendit. Nuper siquidem in Anglia orta est dissensio inter regnum et sacerdotium ex levi et minus utili occasione, quæ facilius potuisset exstingui, si adhibita ei fuisset moderata curatio. Verum quia dominus Cantuariensis suo et singulari in hac parte, et non nostro usus consilio, acrius æquo institit, non considerata temporis malitia, quod vel quale dispendium ex tali impetu posset provenire, et sibi et fratribus suis contexit laqueos. Et si ei in proposito suo noster favisset assensus, jam res ipsa ad deteriorem calculum devenisset. Verum quia nostram conniventiam, sicut nec debuit, ad id quo tendebat, habere non potuit, visus est in dominum regem, et nos, imo in totum regnum, temeritatis D suæ culpam retorquere. Quocirca ad decolorandam mutuæ fraternitatis infamiam, vim nemine inferente, vel minas intentante fugam inivit, sicut scriptum est: Fugit impius nemine persequente. » Ad hæc dominus papa inquit: « Parce, frater. » Et Londoniensis: « Domine, parcam ei? » Et dominus papa: « non dico, frater, quod parcas ei, sed tibi. » Ad hanc igitur apostolicam vocem et tubam sensus Londoniensis infatuatus est a Domino, ita demum quod amplius mutire non potuit. Excepit illum proinde sermonem facundus Hilarius Cicestrensis episcopus, magis de sua confidens eloquentia, quam de justitia et veritate: quod ex post facto innotuit. « Domine pater, inquit, interest beatitudinis vestræ,

quod perperam actum est in perniciem universitatis A ad pacis et concordiæ debitum statum citius revocare, ne unius hominis immoderata præsumptio multorum stragem et Catholicæ Ecclesiæ scissuram possit procreare. Id parum attendit dominus Cantuariensis, dum relicto maturiori consilio se solum consuluit, et sic sibi et suis, regi et regno, populo et clero graviores labores procrearet et angustias. Et certe virum tantæ auctoritatis id non decuit, nec oportuit, nec aliquando oportuebat. [Ita grammatizabat Hilarius Cicestrensis dicendo: Oportuebat.] Insuper suos, si saperent, non oportuebat sibi in talibus præbuisse assensum.» Audito igitur, qualiter facundus ille grammaticæ prosiliret de portu in portum, soluti sunt in risum universi. Inter quos unus prorumpens in vocem inquit: « Male tandem B venisti ad portum.» In quo verbo episcopum illum ita infatuavit Dominus, quod de cætero factus est mutus et elinguis.

Eboracensis autem, priorum ruinam attendens, animi impetum studuit temperare. « Pater, inquit, mores Cantuariensis et studia nemini innotuere plusquam mihi. Et id animi ejus novi propositum ab initio, ut quod semel arripuerit ex sententia, ab eo facile non possit avelli. Quare facilius credi oportet ipsum in hanc obstinationem de sua levitate de more incidisse. Et aliam non video viam ad ejus correctionem, nisi ut vestra discretio ad id efficiendum manum apponat graviorem. Intelligenti satis dictum puto. »

Episcopus Exoniensis subjunxit: « Pater, non oportet multum in his immorari. Causa ista in Cantuariensis absentia non habet terminari. Petimus igitur legatos, qui inter dominum regem et Cantuariensem possint causam istam audire, et auditam definire. » Et subticuit. Nec post eum aliquis episcoporum amplius addidit. Id autem videns comes de Arundel, stabat enim in ordine suo cum multitudine militum, postulat audientiam. Et facto silentio inquit: « Domine, quod locuti fuerunt episcopi, nos illitterati penitus ignoramus. Ideo oportet nos edicere, quomodo possumus, ad quod sumus missi: non ad hoc utique ut contendamus, vel cuiquam faciamus contumelias, in conspectu maxime tanti viri cujus nutui et auctoritati se de jure totus D inclinat mundus, sed ad hoc procul dubio venimus, ut domini regis nostri devotionem et amorem, quem circa vos gerere consuevit, et adhuc gerit, in præsentia vestra et totius Romanæ Ecclesiæ vobis præsentemus. Per quos, inquam? Per majores et nobiliores, quos habere potuit in omnibus terris subjectis sibi, hoc est, per archiepiscopos, episcopos, comites et barones. His superiores in sua potestate non invenit; et si invenisset, utique destinasset ob reverentiam vestram, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ. His adjicimus, quam Paternitas Vestra satis experta est in novitate suæ promotionis, domini regis fidelitatem et devotionem, dum se ipsum, suos, et sua omnia vestræ penitus exposuit voluntati: et pro certo sub catholicæ fideli unitate, qnam habes in Christo regere, ut credimus, fidelior eo non est, vel Deo devotior, seu ad eam, ad quam assumptus est, pacis conservationem moderatior. Nihilominus et dominus Cantuariensis archiepiscopus in suo gradu et ordine æque instructus, in his, quæ ad eum pertinent, providus et discretus, licet ut quibusdam visum est nimis acutus. Et nisi ista, quæ nunc est inter dominum regem et dominum archiepiscopum esset dissensio, regnum et sacerdotium mutuo congauderent ad invicem paci et concordiæ sub principe bono, et pastore optimo. Est igitur hæc nostra supplicatio, ut ad tollendam istam dissensionem, et ad pacis et amoris reformationem velit Vestra Gratia invigilare attentius. » Hæc itaque comes eleganter, sed in sua lingua proposuit, ita quod communiter ab omnibus plurimum commendaretur ejus modesta discretio.

His etiam dominus papa invigilanter intendens respondit: « Scimus, fili comes, et memoriter recolimus ex quanta devotione rex Angliæ plurima et largiora nobis contulit beneficia, cui data opportunitate quantum poterimus in desiderio animæ habemus pro meritis respondere. Sed quia legatos postulastis, habebitis et legatos. » Osculato pede domini papæ proinde recesserunt credentes se obtinuisse in causa, eo quidem quod spem sibi dabant cardinales posse corrumpi; ideo ex consulto rediit Londoniensis inquirens a domino papa in qua po- C testate venirent cardinales. « In debita, inquit dominus papa. — Imo, ait dominus Londoniensis, id petimus ut possint causam decidere, appellatione remota. — Hæc est, inquit dominus papa, gloria mea, quam alteri non dabo, et certe cum judicandus fuerit, a nobis judicabitur quia nulla permittit ratio, et eum in Angliam remittamus ad adversarios et inter inimicos judicandus. »

Hæc audiens pars adversa, frustrata spe quam acceperat, recessit indignans quid receperit in responsis domino regi renuntiatura.

His ita gestis Senonis, ibi enim dominus papa fuit, et illis redeuntibus, dominus Cantuariensis cum suis accessit ad curiam, tepide quidem exceptus a cardinalibus, quorum nares odor lucri quæstus causa infæcavit, ad domini tamen præsentiam est intromissus [qui venientem ad se paterna suscepit benignitate, super vexatione ipsius multimoda, et peregrinatione tam periculosa et dura paterne compatiens]. Dumque hæc et illa verbo tenus ibi agerentur, demum recepit in mandatis in crastinum exsilii sui causas coram fratribus exponere. Sequenti ergo die demandatur sui præsentiam coram domino papa exhibere, et dum quæreretur inter sodales, quis eorum causam hanc exponeret, singulis sese excusantibus, verbi pondus apud archiepiscopum resedit. Doctus igitur a Deo, et per se impræmeditatus, dum primus a domino papa sederet, et pro-

pter reverentiam vellet surgere, jussus residendo causam edisserere, sic incœpit: « Licet non multum sapientes, nec tamen usque adeo sumus fatui, ut regem Angliæ, suos et sua pro nihilo relinqueremus. Nam si vellemus suæ per omnia placere voluntati, in sua potestate vel regno non esset qui nobis non obediret pro libito. Et dum sub hac conditione ei militavimus, quid fuit quod nobis non successit ad votum ? Ex quo vero aliam ingressi sumus viam, et facti sumus memores professionis et obedientiæ, quam pro Deo suscepimus, quem ad nos habuit, tepuit profecto prior affectus. Adhuc autem si ab isto proposito vellemus resilire, ad ejus recuperandam gratiam nullius personæ egeremus interventu. Verum, quia Cantuariensis Ecclesia sol solet esse occidentis, et in nostris temporibus offuscata est claritas, quodlibet tormentum, sed et miles mortis gener, si tota occurrerent, libentius exciperemus in Domino, quam sustineremus sub dissimulatione his diebus mala, quæ patitur. Porro ne videar curiose vel obtentu vanæ gloriæ hæc inchoasse, expedit ut oculata fide constet de affectu. » Et producens scriptum, in quo continebantur, consuetudines illæ, de quibus contendebatur, cum lacrymis inquit: « Ecce quæ statuit rex Angliæ contra libertatem Ecclesiæ Catholicæ. Si hæc licet dissimulare sine dispendio animæ, vos videritis. »

Quibus perlectis moti sunt omnes usque ad lacrymas. Nec ii se continere poterant, qui prius pro viribus adversabantur, communi voce Deum laudantes, dum vel unum sibi reservarit, qui pro Ecclesia Dei in illa tempestate ausus fuit ex adverso ascendere. Et qui ante videbantur super hac causa varie disceptare, jam in unam convenere sententiam, in persona Cantuariensis archiepiscopi universali Ecclesiæ succurrendum. [Verum dominus papa, lectis et relectis, et diligenter et attente auditis et cognitis singulis consuetudinibus, acerrime motus statim excanduit in archipræsulem, arguens eum et dure increpans, quod in illarum non consuetudinum, sed tyrannicarum usurpationum assensu ipse, ut ibi confessus est, cæterique episcopi sacerdotio suo renuntiaverint, et Dei Ecclesiam ancillaverint: asserens multo satius omne sustinuisse discrimen, quam tantis legis Dei subversionibus præbuisse assensum. Et adjecit: « Verum inter abominabilia hæc, quæ hic lecta sunt et audita, nulla quidem bona, sed quædam tolerabilia sunt, quæ utcunque potest Ecclesia tolerare. Sed horum major pars reprobata, et ab antiquis quidem et authenticis damnata est conciliis, utpote directe sacris sanctionibus adversa. » Et hæc quidem dominus papa in audientia omnium reprobavit, et ab Ecclesia in posterum damnanda censuit. Et ad archiepiscopum se convertens inquit: « Tecum frater, etsi tuus et coepiscoporum tuorum grandis fuerit excessus et enormis, agendum est parcius. Qui etsi, ut confiteris ipse cecidisti, mox post casum tuum resurgere conatus es propter casum multa jam gravia et dura perpessus, et statim ut cecideras, cum

A adhuc esses in Anglia, a nobis quæsisti et invenisti de clementia nostra absolutionis beneficium. Unde et dignum est, ut nos tibi indulgeamus, aut in tuis adversis clementiæ nostræ consolationem et gratiam præ cæteris personis ecclesiasticis tanto plenius et affectuosius sentias, quanto pro libertate Ecclesiæ, et pro fide et devotione vestra majora reliquisti, et graviora perpessus es. » Et ita vir apostolicus archipræsulem, primo paterna severitate objurgans, et maternæ consolationis dulcedinem reparans tunc dimisit.

Postera vero die in secretiori thalamo cum domino papa cardinalibus residentibus, adfuit et dominus Cantuariensis, hæc inquiens: « Patres mei et domini, mentiri nemini licet alicubi, nedum coram Deo et vestri præsentia, unde volens sed et gemens fateor B quod has Anglicanæ ecclesiæ molestias mea miserabilis culpa suscitavit. Ascendi in ovile Christi, sed non per ipsum ostium, velut quem non canonica vocavit electio, sed terror publicæ postestatis intrusit. Et licet hoc onus susceperim invitus, tamen ad hoc me induxit humana, et non divina voluntas. Quid igitur mirum, si mihi cessit in contrarium. Verum si ad regis comminationem, ut coepiscopi mei persuasere instantius, renuntiassem episcopalis auctoritatis mihi indulto privilegio, ad principum votum et voluntatem catholicæ Ecclesiæ perniciosum relinqueretur exemplum. Distulit igitur usque ad vestri præsentiam. Nunc autem recognoscens ingressum meum minus canonicum, et timens proinde exitum mihi provenire deteriorem, videns etiam vires meas oneri C impares, ne gregi inveniar præesse ad ruinam, cui datus sum qualitercunque in pastorem, in manu tua pater, archiepiscopatum Cantuariensem resigno. » Et flevit cum singultu, sed et dominum papam et omnes qui aderant flere compulit.

Imo et hæc audiens quis poterit se continere a fletu ? Seorsum igitur archiepiscopo sedente cum suis in hoc verbo scandalizatis, nimirum qui jam cœperant desperare, dominus papa super his cum cardinalibus cœpit conferre. Hinc inde varia et diversa est orta sententia. His visum est oblata occasione regis iram sedari posse facilius, dum in alia persona ecclesiæ Cantuariensi conciliaretur, et beato Thomæ possit alias competentius provideri. His siquidem erant ex pharisæis. Aliis autem qui apertos habebant oculos visum est in diversum. D Quasi is qui pro tuenda Ecclesiæ libertate summo periculo et discrimini, non solum divitias et gloriam, dignitatem et auctoritatem, sed et vitam exposuit, ad regis libitum deberet suo jure privari: sicut forma fieret aliis in consimili causa regibus resistendi, si ei sua justitia servaretur illæsa. Sic eo cadente caderent universi episcopi, ut nullis futuris temporibus auderet quis obviare principis voluntati: et sic vacillaret status catholicæ Ecclesiæ, et Romani pontificis deperiret auctoritas. « Expedit igitur, inquiunt, hunc restitui etiam invitum, et ei, qui pro nobis dimicat, omnimode succurrendum. » Placuit omnibus hæc sententia præterquam pharisæis.

Vocato igitur beato Thoma cum suis, dominus A papa hæc ait ex sententia : « Nunc demum,frater, nobis liquet,quem habuisti et habes zelum pro domo Domini, quoniam sincera conscientia te ipsum statuisti murum ex adverso. De tuo ingressu cum puram feceris confessionem, resignatione facta, qua potuit et debuit dilui culpa delicti, jam secure de novo poteris de manu mea pontificalis oficii curam recipere,dum te in integrum ducimus restituendum. Et merito, quem multiplici genere tentationis virum probatum novimus, providum et discretum,Deo et hominibus carum, nobis et sanctæ Romanæ Ecclesiæ per omnia fidelem. Et sicut nostræ persecutionis factus es particeps et consors individuus,ita tibi, Deo auctore,in nullo deesse poterimus quandiu in hoc corpore vitalis duraverit spiritus. Verum hacte- B nus deliciis affluens, ut de cætero discas esse,quod debes pauperum consolator,nec id doceri poteras nisi docente religionis matre, ipsa paupertate,pauperibus Christi te duximus commendandum, huic, inquam,abbati Pontiniacensi (erat enim ibi præsens ex condicto), et suis fratribus educandum. Non, inquam, educandum,splendide,sed simpliciter, ut decet exsulem, et Christi athletam,inter quos cum paucis et necessariis,reliquis sociis per amicos divisis, oportet te ad tempus conversari, donec aspiraverit dies consolationis, et tempus pacis desuper ad nos descenderit. Interim autem forti animo esto, et his qui pacem perturbant resiste viriliter. »

Accepta itaque benedictione, beatus Thomas cum paucis, familiaribus, cæteris ut dictum est alias des- C tinatis,Pontinicum ingressus,judicavit se non digne curam pastoralem de manu apostolica accepisse,nisi etiam et habitum religionis reciperet : nimirum qui in episcopali sede primogenitos filios suos monachos haberet regere, et a prima fundatione Cantuariensis Ecclesiæ ipsius pastores et episcopos didicerit fere omnes monachos fuisse,nec secundum veterum historias aliquam regni scissuram vel translationem accidisse,nisi dum quis alterius professionis Cantuariensi Ecclesiæ præfuerit. Missis igitur proinde nuntiis,remisit ei dominus papa habitum monachalem, quem ipse benedixit, de laneo utique panno grosso et crudo. Unde et nuntiis injunxit dicens : « Dicite domino Cantuariensi,quod habitum ei misimus,qualem habuimus,non qualem vellemus.» Pon- D tiniacensis vero abbas,dum cum paucis beatum Thomam illo indueret habitu seorsim et secreto,astans etiam ibidem quidam familiaris,is utique qui pridie illud problema proposuit apud Clarendonam,scilicet: Quid virtutis sibi retinuit,qui conscientiam prodidit et famam,dum vidit in ipso habitu capucium minoris quantitatis, quam ut toti congrueret,ait : » Fuit tamen id serio factum, utrum reguraliter nescio. Liquet tamen dominum papam minus congrue adunisse cucullæ capucium.» Subridens autem beatus Thomas inquit: « Provide,ne et tu possis iterato mihi illudere,sicut fecisti pridie.» Et ille : « Ubi et quando, domine? » Et archiepiscopus inquit : « Nudius tertius, dum sacris vestibus induerer ad missarum solemnia, et zona præcinctus viderer suffarcinatus, requisivisti : Unde posteriora mea inflata fuissent ? Si igitur a scapulis dependens capucium majus et ibi prætenderet formam inflationis,nihilominus posses deridere gibbosum. Idcirco cautius mihi est contra talium insultationes provisum.» Utebatur revera archiepiscopus cilicio ad nudicollo usque ad poplites clam ipsius etiam familiaribus ; et dum cingeretur arctius,rigor cilicii se extendebat,et videbatur grossior, qui fuit macilentus, sed jucundus facie.

Discurrentibus interim hinc inde nuntiis ad pacis reformationem,tandem placuit utrobique dominum papam et regem statuto die et loco ad invicem convenire,ut per mutuum eorum colloquium via pacis possit facilius inveniri. Rex ait ad id se venturum. sed in archiepiscopi absentia ; quia eo præsente demandat nec domini papæ faciem se visurum. Domino papæ archiepiscopus significat nulla ratione regis uti colloquio sine sui præsentia, cui mores illius hominis noti fuissent : « Sed et citius poterit, ait,apostolica circum veniri religio ex varietate verborum regis, si non adsit sedulus interpres, qui regiæ mentis propositum ex ipsius animi possit latebris elicere : et si rex infirmiora domini papæ prænoverit,exitus viarum suarum obstruet offendiculis. » Quo accepto,moderata responsione regi renuntiat dominus papa hoc inauditum a sæculis,Romanam Ecclesiam ad alicujus principis nutum quem quam a suo conductu rejicere,maxime pro justitia exsulantem ; sed et id privilegii et actoritatis esse indultum apostolicæ sedi,ut exsulibus et oppressis subveniat,etiam contra principum iras,et violentos impetus malignorum. Indignantes igitur nuntii recesserunt, hæc regi nuntiaturi. Dominus vero papa Romam reversurus iter ingreditur,quem prosequebatur archiepiscopus usque Bituricum.Ubi accepta licentia et benedictione regreditur Pontiniacum, amplius domini papæ faciem in carne ista non visurus.

Hæc itaque prosecuti sumus historialiter a concilio de Clarendona usque ad domini papæ recessum de Francia,ad ea quæ interim facta sunt dilucidanda, quia epistolæ interea scriptæ non ita expresse rem gestam explicant. Subsequentes vero epistolæ singulæ suis locis ita sunt manifestæ usque ad exitum totius negotii,quod minus videantur egere historiali adminiculo, eo excepto quod factum est in regum colloquio,quando Domini Cantuariensis causæ exsecutio a domino papa Simoni priori de monte Dei et Bernardo de Corilo commissa est. Alias enim turbata est pacis reformatio, quia noluit Cantuariensis verbum hoc sub silentio,« salvo ordine meo » præterire, aliquando quia noluit rex osculum dare Cantuariensi sub pacis fœdere : sicut per epistolas suis in locis ordinatas plenius innotescit. Ibi autem sic accidit. Suggestum fuit regi Angliæ dominum Cantuariensem suo se arbitrio omnino velle committere ideoque gratius ejus præsentiam ibi acceptabat

Igitur multis utriusque regni ad id convenientibus ad pedes regis Angliæ procidit dominus Cantuariensis dicens: « Totam causam, unde inter nos orta est dissensio, tuo committo arbitrio, honore Dei salvo. » Audito hoc verbo, rex, statim excanduit inquiens regi Franciæ: « Domine rex attende, si placet. Quidquid Cantuariensi isti displicuerit, dicet honori Dei esse contrarium, et sic sua et mea omnia sibi vindicabit. Sed ne videar honori Dei, vel sibi in aliquo velle resistere, hæc offero. Multi fuerunt reges in Anglia ante me majoris vel minoris auctoritatis. quam ego sum. Multi fuerant ante eum archiepiscopi Cantuariæ, magni et sancti viri. Quod igitur antecessorum suorum major et sanctior fecit antecessorum meorum minimo, hoc mihi faciat et quiesco. » Acclamabatur undique: « Satis rex se humiliat. » Dum archiepiscopus aliquantulum subticuisset, rex Franciæ adjecit: « Domine archiepiscope, vis esse major sanctis viris? vel melior Petro? Quid dubitas? Ecce pax præ foribus. » Ad hæc archiepiscopus regi Franciæ ait: « Verum est, antecessores nostri multo me meliores fuerunt, et majores. Singuli autem suis temporibus, etsi non omnia se adversus Deum extollentia, quædam tamen resecarunt. Et si omnia radicitus tunc exstirpassent, quis nunc adversum nos ignem tentationis hujusmodi excitaret? Quo cum illis probati, digni inveniamur etiam cum illis, laude et gloria. Multo melius nobis Deo consulente actum est, ut sicut in eorum sorte et numero laboravimus, ita et illorum laboris et præmii simus participes. Nec si aliquis eorum forte tepuit vel excessit in aliquo, ejus in hoc tepo ris vel excessus exemplum sequi tenemur. Petrum etenim Christum negantem arguimus, sed Petrum usque in capitis sui periculum Neronis impetum arguentem omnibus modis commendamus. Sane quia Petrus ei consentire noluit in eo, quod et dissimulare sine animæ suæ periculo non potuit, idcirco inimicorum victor in carne occubuit. Ex talibus pressuris catholica surrexit et crevit Ecclesia. Patres nostri passi sunt, quia noluerunt nomen Christi subticere, et ego, ut hominis gratia mihi restituatur, Christi honorem deberem supprimere? Absit! ait. » Insurrexerunt itaque magnates utriusque regni, imputantes arrogantiam archiepiscopi impedimentum pacis: uno inter alios comite palam protestante, quia archiepiscopus utriusque regni consilio et voluntati resistit, de cætero neutrius dignus erit auxilio, sed ejectum ab Anglia Francia non recipiat.

Soluto colloquio non sine multorum murmure, reditur ad propria, coexsulibus Cantuariensibus in summa desperatione positis. Consueverat autem rex Franciæ post singula hujusmodi colloquia ad Cantuariensis hospitium descendere consolationis obtentu et reverentiæ. Tunc autem eum nec per se nec per suos vel respexit. Tres igitur dietas in regis Franciæ comitatu ita transiit quod nec ad eum rex vel alius ex sua parte accessit, et cum in talibus

A negotiis dominus Cantuariensis solitus fuit a regia liberalitate procurari, post illud colloquium et per id quod diximus spatium exinde nihil omnino sibi fuit exhibitum. Aliquando enim is transeundo Senonum archiepiscopus, aliquando Pictaviensis episcopus, vel aliquis alius super ejus miseria afflictus cum exhibuit ut mendicum, quod plurimum suos perterruit quasi jam omni humano auxilio destitutos.

Tertia vero die peracto illius itinere, dum sedentes in hospitio super his confabularentur ad invicem et secum quærerent quo possent divertere, dominus Cantuariensis jucundo vultu, quasi nihil adversitatis habens, et ad omnes fortunæ impetus invincibilis, moderato risu condolentibus allusit dicens: « Solus impetor, et me cedente non erit qui vos persequatur

B acrius, nec adeptis amicorum beneficiis, vos qui destituat amplius. Confortamini igitur, et nolite expavescere. » Cui inquiunt: « Miseremur tuis magis, dum nescimus quo possis divertere, vir tantæ auctoritatis, a summis et ultimis derelictus amicis. » Archiepiscopus inquit: « Deo nostri curam committimus. Et ex quo utriusque regni nobis præcluditur aditus, nec ad Romanos latrones consolationis gratia nos expedit recurrere, quippe qui miserorum spolia et sine delectu diripiunt: alia est nobis via procedendum. Audivimus siquidem circa Ararim fluvium Burgundiæ usque ad partes provinciæ liberaliores esse homines. Ad hos ego et unus mecum pedites ibimus, qui visa afflictione nostra forsitan nostri miserebuntur, victualia ministrantes ad tem-

C pus, donec nos visitaverit Deus. Potens est Deus et in ultimo miseriæ calculo suis adesse: et infideli deterior est, qui de Dei desperat misericordia. » Et statim adfuit præ foribus Dei miseratio. Accurrit enim quidam serviens regis Franciæ, qui diceret: « Dominus rex vos ad curiam vocat. » Ad hoc ait unus eorum: « Ut ejiciamur a regno. » Archiepiscopus inquit: « Non es propheta, nec prophetæ filius, noli vaticinari sinistra. »

Venientes ergo invenerunt dominum regem cum tristi vultu sedentem, et non assurgentem de more archiepiscopo. Quod factum est in principio triste præsagium. Considentibus illis et adhuc tepide vocatis, diutius facto silentio, rex inclinato capite quasi dolens et invitus cogitaret ut eos de regno eji-

D ceret, et illis id ipsum timentibus, obortis lacrymis prosiliens cum singultu projecit se ad pedes archiepiscopi, obstupentibus his qui adherant. Archiepiscopo vero se inclinante ad erigendum regem, vix tandem rex ad se reversus præ angustia ait: « Vere, domine mi pater, tu solus vidisti. » Et suspirans præ mœrore repetiit: « Vere, pater mi, tu solus vidisti. Nos omnes cæci fuimus, qui contra Deum tibi dedimus consilium ut in causa tua, imo Dei, ad nutum hominis honorem Dei remitteres. Pœniteo, pater, et graviter pœniteo. Ignosce ergo, et ab hac culpa me miserum absolve. Sed et Deo et tibi me ipsum et regnum meum expono, et ab hac hora promitto, quod tibi vel tuis non deero, quandiu Deo auctore

vixero. » Rege igitur absoluto, dataque ei benedictione archiepiscopus Senonis ingressus est cum suis in gaudio, ubi eum rex Franciæ regaliter exhibuit usque ad regressum ejus in Angliam.]

Quo audito, rex Angliæ regi Franciæ demandat se mirari plurimo quomodo vel qua ratione de jure posset, contra eum fovere archiepiscopum, cum in ipsius regis præsentia ipse se ita humiliarit, ad omnem paratus justitiam, nec per ipsum steterit, quominus archiepiscopus pacem haberet, quam ipse arroganter et contumeliose rejecit. Quocirca ait regem Franciæ tali de cætero in suo regno non debere præstare subsidium, in sui fidelis ignominiam et ruborem. Ad hæc rex Franciæ inquit nuntiis: « Ite regi vestro nuntiantes, quod si rex Angliæ consuetudines avitas quos vocant, licet minus, ut dicitur, legi divinæ congruas, tamen ut ad regiam dignitatem spectantes non sustinet abrogari, multo minus mihi licet jus illius liberalitatis subvertere, quod cum corona regni mihi jure competit hæreditario. Censuevit siquidem Francia ab antiquis temporibus omnes miseros et afflictos, maxime pro justitia exsulantes recipere, et donec pacem habuerit, fovere et tueri, Cujus honoris et excellentiæ gratia, Deo propitio, me vivente ad nullius personæ suggestionem in Cantuariensis exsilio derogabitur. »

Hæc itaque idcirco hic exposuimus, ne series epistolarum interrumperetur, cum ventum fuerit ad A eum locum ubi epistolæ idem tangunt sed obscurius. Hoc est in quarta parte, ubi prior de Monte-Dei et Bernardus de Corilo domini papæ mandati fuerunt exsecutores designati. Reliquæ vero omnes epistolæ ordine suo et loco rem gestam lucidius declarant, ut ad legentis intelligentiam per se satis sufficiant. Præmittuntur tamen quædam epistolæ quarum obtentu, dum contentio ageretur inter regem et beatum Thomam et archiepiscopum Eboracensem, cognito et perspecto quod Cantuariensis prosperitas de facili vinci non potuit: studuit Eboracensis archiepiscopus regis animum adversus Cantuariensem exasperare. Unde et avitis illis consuetudinibus conservandis facilius cessit, ut sic regiam gratiam sibi conciliaret in Cantuariensis confusionem. Ascivit B etiam sibi in socium Gilbertum Londoniensem episcopum, qui et ipse diutius aspiraverat ad archiepiscopatum Cantuariensem. Quocirca dum exquisitis dolis et insidiis frustra conatus est Cantuariensem dejicere, sategit propensius, sed versute, si quo modo posset a Cantuariensi Ecclesia Londonias pallium transferre. Isti ergo duo cæterorum signiferi et totius perturbationis incentores his de causis, ut dictum est, regis animum induxerunt, ut has quæ sequuntur consuetudines contra ecclesiasticam libertatem statueret et statutas in regno Anglorum promulgaret.

Ita explicit opus Alani de sancti Vita Thomæ, prout separatim habetur in codicibus manuscriptis. Sunt, vero duo fragmento, in Quadrilogo Lupi reperta, quibus in opere præcedente non bene locum dare potui, eorum prius ad legationem super Angliam a domino papa concessam ; secundum vero ad pœnitentiam regis Henrici spectat.

FRAG. I. *De legatione apostolica.* Obtinuerat siquidem a viro apostolico apostolicæ sedis legationem super Angliam, et quidem ad cautelam, ut videlicet firmior et magis authentica ecclesiastica quævis sententia haberetur, si deinceps ab eo aut in regnum, aut in regni personas ferretur. Et in primis quosdam de aulicis clericis, qui ratione ordinis seu beneficii ecclesiastici obligati sibi fuerant, et obedientiam exhibere tenebantur distinctissime citavit, ut ad ipsum venire non differrent. Quibusdam etiam in virtute obedientiæ sub ordinis sui et beneficii periculo nonnulla præcepit, sed non venerunt ii, nec paruerunt illi. Unde appellationi non deferens ipsos publice anathematizavit et anathematizatos denuntiari fecit. Et non solum de aulicis clericis, sed et de laicis aulicis: et ob varias causas. Quosdam quia invasores, quosdam tanquam rerum ecclesiasticarum violentos detentores. Et non solum ex his et illis, sed et aliquos etiam ex ipsis propter inobedientiam manifestam, et maxime quia inter regem et ipsum totius dissensionis incentores exstiterant, quam et fovere in dies non desistebant.

De anathematizatis sic Londoniensis et Saresberiensis primi erant. Anathematizavit etiam Joannem de Oxenfordia, et Richardum de Ivelcestria, qui in hæresim damnatam inciderunt, præstando C juramentum schismatis. Richardum etiam de Luci et Joselinum de Baillolio, qui parvitum illarum auctores et fabricatores exstiterunt. Ranulphum etiam de Broc, qui bona Ecclesiæ Cantuariensis, hominesque tam clericos quam laicos cepit, et in captione detinuit. Hugonem quoque de Sancto Claro, et Thomam filium Bernardi, qui bona ejusdem et possessiones absque conniventia sua occupantes detinuerunt. Omnesque qui de cætero in possessiones et bona Ecclesiæ contra voluntatem suam et consensum manus violentas extenderant. Et hi quidem anathematizati ex aulicis de magis familiaribus et consiliariis regis erant. Unde et fere jam quotquot in aula erant, aut nominatim excommunicati erant, aut excommunicatis participando, quos evitare nec poterant nec licebat, adeo ut vix in capella regis esset, qui in missa pacis illud osculum sacramentale regi offerret, nisi excommunicatus ex nomine, vel ex participatione.

FRAG. II. *De pœnitentia regis.* Rex autem et legati[1] primo convenerunt apud Gorham, die Martis ante Rogationes, ubi invicem recepti sunt in osculo pacis. In crastino venerunt Saviniacum, ubi archiepiscopus Rothomagensis, et multi episcopi et proceres convenerunt. Cumque ibidem de pace Domini tractatum esset, quam rex secundum mandata eorum

absolutæ jurare renuit,rex ab eis cum indignatione recessit in hæc verba : « Redeo in Hiberniam, ubi multa mihi incumbunt. Vos autem in pace ite per terram meam,ubi vobis placuerit : et agite legationem,sicut vobis injunctum est. » Sicque ab eis discessum est.Tunc cardinales,habito arctiori consilio, revocarunt episcopum Lexoviensem,et archidiaconum Pictaviensem, et archidiaconum Saresberiensem, et per eos laboratum est, quod sexta feria sequenti rex et cardinales apud Abrincas convenerunt, ibique omnino conventum est inter eos, ita quod rex,quidquid ex parte cardinalium ei propositum est, benigne suscepit et concessit. Sed quia rex filium suum voluit adesse, ut quæ pater permitteret,ille etiam asseveraret, terminus ei dilatus est usque ad sequentem Dominicam proximam,videlicet ascensionis Domini. Tunc in publia audientia rex manu sua,tactis sacrosanctis Evangeliis juravit,quod nec mandavit nec voluit quod archiepiscopus Cantuariensis interficeretur ; et quod audita morte ejus plus inde doluit, quam lætatus est. Addidit etiam ex propria voluntate,quod de morte patris vel matris suæ nunquam tantum doluit. Juravit etiam, quod quantamcunque pœnitentiam ei cardinales injungerent pro satisfactione, plenarie exsequeretur. Dicebat enim coram omnibus se intelligere, quod causa esset mortis archiepiscopi,et quidquid factum fuit, propter eum factum esset,non quia ipse mandaverit, sed quia amici et familiares videntes turbationem vultus ejus et oculorum, cognoscentes etiam dolorem cordis, et sæpe audientes querula verba ejus de archiepiscopo, injuriam ejus absque conscientia ipsius ulcisi parabant. Et ideo cum omni humilitate et devotione ad omnia, quæ legati jube_rent,se expositum asserebat.

Tunc injunctum est ei a legatis, quod inveniret ducentos milites per annum integrum sumptibus suis, videlicet unicuique militi trecentos aureos in terra Hierosolymitana contra paganos, secundum dispositionem Templariorum.

Secundo, quod prava statuta de Clarendune, et omnes malas consuetudines, quæ in diebus suis in ecclesias Dei inductæ sunt, penitus dimitteret. Si quæ autem fuerunt malæ ante tempora sua, illas juxta mandatum domini papæ,et consilio religiosorum virorum temperaret.

Tertio, quod Ecclesiæ Cantuariensi omnem suam integritatem in terris et in aliis rebus restitueret, sicut fuit anno,antequam archiepiscopus iram regis incurreret. Et quod omnibus, quibus offensus fuerat propter archiepiscopum,pacem et amorem redderet,et possessionum suarum plenitudinem.

Quarto,quod si necesse esset,et dominus papa ei mandaret, iret in Hispanias ad liberandam terram illam a paganis.

Injunxerunt etiam ei secretius jejunia et eleemosynas,et alia quædam,quæ ad communem audientiam non pervenerunt.

Ad hæc omnia rex benignissime assensum præstitit, ita quod coram omnibus diceret : « Ecce, domini legati, corpus meum in manu vestra est. Scitote pro certo, quia quidquid jusseritis, seu proficiscendo Hierosolymam, sive Romam, sive ad Sanctum Jacobum,vel quidquid id sit,paratus sum obtemperare. » Unde fere cuncti, qui aderant, videntes humilitatem et devotionem ejus,vix poterant lacrymas continere. His expletis, ne quid ad boni consummationem deesset,deduxerunt eum legati ex propria regis voluntate extra ostium ecclesiæ,ibique flexis genibus, non tamen exutis vestibus, neque verberibus appositis, est in ecclesiam introductus. Et ut aliqui de regno Francorum hæc ita processisse cognoscerent, statuerunt quod archiepiscopus Turonensis, et suffraganei ejus coram rege et legatis præsentiam suam exhiberent apud Cadomum prima die Martis post ascensionem Domini.

Quod rex juravit,filius ejus manu sua firmavit in manu domini Alberti cardinalis, se ex parte sua observaturum, et si rex pater morte vel alia causa manifesta præpeditus pœnitentiam prædictam complere non posset,quod ille perficeret.

ADDITAMENTA DUO

Ad libellos Alani Teok. et Joannis Salisb., quorum prius in cod. msto biblioth. Mus. Brit. sub numero addit. 11586, f° 66 : posterius in alio cod. ejusd. bibliot. (addit. 10050) occurrit.

ADDIT. I.

Quin.ad stabiliendam hujus historiæ fidem certo quodam argumento hic inserendum visum est vetus super controversia divi Thomæ pro Ecclesiæ libertate fragmentum.

Quinta die Natalis Domini circiter horam vespertinam, dum archiepiscopus cum clericis suis resideret in thalamo, Willelmus de Tracy, Reginaldus filius Ursi, Hugo de Morevilla, Ricardus Brito, de Normannia venientes tanquam furia invecti,subito thalamum irruperunt,denuntiantes ex parte regis moram in Normannia facientis,ut episcopos Angliæ, suspensos officio restitueret,excommunicatos absolveret.Quibus respondit non esse judicis inferioris, ut superioris sententiam solvat et quod nulli hominum liceat infirmare quod apostolica sedes decreverit. Attamen si Londoniensis et Saresberiensis episcopi suo mandato se parituros juramento firmarent, eos pro pace Ecclesiæ et reverentia domini regis absolveret. Illi ira incandescentes et scelus nefarium quod in mente conceperant ad effectum

perducere properantes cum impetu recesserunt. A Archiepiscopus vero, monentibus clericis suis et hora diei vespertina urgente, majorem intravit ecclesiam, vesperas decantaturus. Quatuor itaque nefandi satellites supradicti, interim militaribus armis induti e vestigio subsecuti sunt archiepiscopum. Qui cum venissent ad ecclesiam, ostia ipsius ecclesiæ (sicut præceperat archiepiscopus), invenerunt aperta. « Neque enim, ait, Ecclesiam Dei quæ cunctis universaliter debet esse refugium turbato ordine commutabimus in castellum. » Turbis undique confluentibus prædicti quatuor ecclesiam irreverenter ingressi, cœperunt clamare : « Ubi est proditor regis ? Ubi est proditor regis ? Ubi est archiepiscopus ? » Cum autem archiepiscopus nomen audiisset archiepiscopi, a tertio gradu presbyterii vel quarto, quem jam B conscenderat, iis obviam regressus est dicens : « Si quæritis archiepiscopum, ecce me in promptu habetis, » quibus acerrima proponentibus ait : « Ego mori paratus sum, vitæ præferens assertionem justitiæ, libertatem Ecclesiæ ; rogo tamen ut mei non sint obnoxii pœnæ, sicut nec fuerunt incitatores causæ. » Dum autem nefandi satellites strictis insurgerent gladiis, ait : « Deo et beatæ Mariæ et sanctis hujus ecclesiæ patronis et beato Dionysio commendo me ipsum et Ecclesiæ causam. » Immolatus itaque coram altari, lethale vulnus accepit ea corporis parte quam olei sacri perfusio specialius Domino consecraverat, et qui pro libertate cleri toties caput exposuit et oculos erexit ad cœlum, inclinato capite percussus occubuit. C

Robertus de Broc et sui complices archiepiscopi supellectilem, clericorum vestes et ministrorum, officinarum etiam utensilia diripuerunt. Equos omnes quos in stabulo repererunt dominico datos in rapinam celeriter abduxerunt. Corpus autem archiepiscopi quod a dextris sancti Benedicti decubuerat in pavimento ante majus altare sub ipsius diei crepusculo deportatum est. Ubi quod ad notitiam cubicularii solius devenerat astantibus venit in lucem. Licet enim archiepiscopus habitum monachalem, quem a tempore multo satis occulte susceperat, canonicali habitu suppressisset, carnem attritam cilicio femoralibus cilicinis edomare curabat. Et ut breviter aliqua complectamur, quæ divinitus ordinata concurrerant, quæ archiepiscopus ob tuendam Ecclesiæ libertatem, laborem, exsilium, propinquorum pro- D scriptionem, mortem etiam sustinere decreverat ; ut negotium tale suo Marte discurreret, die Martis recessit a curia regis apud Normanniam, ut superius diximus. Die Martis transfretavit, exsilium subiturus in Gallia. Consilio domini papæ revertens in Angliam die Martis appulsus est. Die Martis occubuit manibus impiorum confossus. Sequenti die Mercurii summo mane nefandus rumor increbruit quod nefandi carnifices archiepiscopi corpus abstrahere a sacro loco condixerant et canibus decerpendum vel avibus extra muros projicere. Abbas itaque de Boxeleia, prior et conventus Cantuariensis Ecclesiæ prudentum consilio statuerunt ut id maturiori traderent sepulturæ, quod nec aquis abluendum aliquibus videbatur, præsertim cum longa abstinentia fuerit clarificatum, abstersum cilicio, proprio purificatum in sanguine.

Postquam rex Anglorum appulit in Normanniam, statim cum festinatione accessit ad dominum Albertum et Theodwinum cardinales, et apostolicæ sedis legatos ad partes illas a domino papa transmissos. Post longos tamen et immensos tractatus primo habitos apud Saviniacum, apud Abrincas in præsentia legatorum juravit dominus rex mortem gloriosissimi martyris Thomæ nec voluntate sua nec conscientia perpetratam fuisse, nec suo artificio perquisitam : Sed quam malefactores ex verbis quæ iracundiæ calore succensus minus caute protulerat, occasionem sumpserant virum sanctum interficiendi, cum omni humilitate absolutionem ab iis petiit et impetravit. In facie igitur Ecclesiæ solemniter absolutus, juxta voluntatem et mandatum cardinalium promisit quod ab instanti festo Pentecostes usque in annum tantam pecuniam daret, unde ad arbitrium fratrum templi ducenti milites ad defensionem terræ Hierosolymitanæ per annum perquirerentur. Promisit etiam quæ licebit appellationes libere fieri, et quod consuetudines quæ suis temporibus contra libertatem Ecclesiæ fuerant introductæ revocabuntur in irritum, et quod possessiones Cantuariensis Ecclesiæ quod post egressum sanctæ recordationis archiepiscopi fuerant ei ablatæ restituerentur in integrum. Et quod clericis et laicis utriusque sexus, qui pro archiepiscopo Thoma de regno exierant, cum pace regis libere redire licebit et bona sua recipere, et hoc totum promittere et facere ex parte domini papæ regi injunctum est in remissionem omnium peccatorum suorum.

Rex filius regis idem quod pater suus juraverat et promiserat, juravit et promisit. Et de hac re hactenus.

ADDIT. II.

Miles quidam nobili genere ac dives Walterus nomine de Enicurt, percussus lepra, Cantuariam venit : acceptaque licentia a priore, tribus noctibus sepulcrum sancti Thomæ frequentavit. Cui in somnis sanctus apparuit, et caput ejus utraque manu amplexatus est ac disparuit. Miles vero evigilans ab eo qui fuerat omnino alium se sentiens, gratias egit Deo et ejus sancto martyri, et mane monachorum capitulum ingressus, audientibus cunctis, se toto corpore melioratum clara voce asseruit, acceptaque fratrum societate, in sua gaudens et exsultans est regressus.

Mulier quædam cujus oculi diutina caligaverant cæcitate, oculos linivit sanguine sancti, lumenque recepit.

Alia mulier languore gravi biennio pressa, lectulum foverat : quæ modicum sanguinis sancti Thomæ aquæ immiscuit, qua hausta continuo totam morbi sui materiam evomuit.

Cæcus et mutus natus, eadem usus medicina, cum oculorum acumine integram perfectamque recepit loquelam.

A Cæcus quidam in civitate Cantuariæ bene notus quem et ipse vidi, panniculo sanguine martyris intincto oculos fricuit, eademque hora est illuminatus.

SANCTI THOMÆ
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS
VITA SEXTA
AUCTORE WILLELMO CANTUARIENSI.

(*Hujus tractatus fragmenta tantum habemus, ea scilicet quæ in Quadrilogo exstant*)

Frag. 1. Thomas Londoniensis urbis indigena, parentum mediocrium proles illustris, quasi ex miricis cedrus excrevit, et majores radice sua ramos expandit. Quem secundum utrumque hominem multiplici naturalium gratia bonorum bonitas ditavit divina, ut in ministerium magnum vas videretur excisum, et ex naturæ beneficiis futurus prædiceretur antistes. Nam sermone jucundus erat et modestus, quem blandum pueri, comem juvenes, gratum senes mirarentur. Procerus ad elegantiam, morigeratus ad exemplum, prudens ad sapientiam, facie juvenilem venustatem præferebat, et virilem gravitatem. Postquam vero litterarum studiis traditus liberales artes attigit, quatenus lascivia ætatis et angustia temporis permisit, in illis profecit.

Frag. 2. Matre vero defuncta, sibi patrique relictus, quem incendia crebra attenuabant, vicesimum secundum ætatis annum otio impendit. Et tandem uni civium vice tabellionis adhæsit. Liberalium denique disciplinarum scholas egressus, ad curiales se transferens occupationes, cœpit in florem sæcularis prudentiæ pubescere, et fructum discretionis polliceri.

Frag. 3. Qui videntes eum in necessitatibus expediendis prudenter agentem, et in consilio providum, cum eo sociale fœdus inierunt, condicentes, ut de impetendis sibi ecclesiasticis beneficiis suffragium suum communicarent. Erant autem tres: Rogerius Neustriensis, Joannes Cantuariensis, Thomas Londoniensis. Itaque primas pauca agebat, quibus omnes vel unus ex istis non interesset.

Frag. 4. *Quomodo cancellarius factus est.* Succedente itaque post modicum Henrico, duce Normanniæ et Aquitaniæ, Stephano Anglorum regi in regnum, elaboratum est ab antedicto archiepiscopo, suspectam habente novi regis adolescentiam, quem pravorum hominum consilia pervertere moliebantur, ut archidiaconus suus regis collateralis et cancellarius efficeretur, cujus ope et opera novi regis, ne sæviret in Ecclesiam, impetum cohiberet, et consilii

B sui temperaret malitiam, et reprimeret audaciam officialium, qui sub obtentu publicæ potestatis, et prætextu juris, tam Ecclesiæ quam provincialium facultates diripere conspiraverant. Cernebat quippe pontifex juvenem, cujus mores et industriam in variis jam rerum eventibus expertus fuerat, in agendis strenuum, in consillis fidum, in dubiis securum, in adversis mognanimum, in apparatu magnificum, in largiendo munificum, ad jussa promptum, in obsequio sedulum in omni denique opere providum et circumspectum. Unde et talem aula dignum, et aulæ gratum futurum, nec immerito arbitrabatur, sperans exinde nihilominus eo procurante inter regnum et sacerdotium deinceps pacis gratiam et unitatis vinculum firmius observari. Agente igitur et procu-

C rante pontifice Thomas aulam ingreditur, et tribuente rege officium cancellariæ suscepit.

Frag. 5. *Qualis fuit in cancellaria.* Archilevita igitur aulam ingressus, et in aula, ut diximus, cancellariæ officio mancipatus, levitam pro tempore exuit, et cancellarium induit. Regis siquidem se conformans moribus, pariter nugis vel seriis intendere pariter venari, et idem prandendi, dormiendique tempus observare satagebat. Ad hæc curiales facetias amplecti, numerosa clientela gaudere, gloriam quærere, popularis auræ latibus delectari. Nam, ut de supellectili taceam, frenis utens argenteis, spumosis thesaurum lupatis inferebat, mensas ex expensas comitum antecebat, ut ex altero parum archidiaconi videretur reminisci, ex altero ma-

D leficiis putaretur uti. Verumtamen licet ei mundus in omnibus lenociniis suis adulari et applaudere videretur, tamen quod rarius accidere solet, in affluentia rerum mirandus et imitandus erat corporis castitate, ut secundum vanitatem et castitatem derisorem beati Martini Bricium videretur exhibere. Et quia tempus admonet, libet interim quod occurrit expedire. Erat in villa Staffordiæ usque regales delicias mulier pulchra, ad quam rex consuetudinem habuisse dicebatur. Quæ quia cancellario eo loci

adventanti xenia transmittebat sæpe et multa, æstimabat oppidanus, qui eum hospitio susceperat, quod mulier eum provocaret ad amplexum, novumque sibi procuraret amatorem, quæ prope contemptum minus solito fruebatur amore. De quo volens certiorari, intempestæ noctis silentio, sumpta lucerna, clam ad hospitis sui cubiculum ingressus est. Quem videns immotum, suspicabatur quod ad eam transisset. Et extollens lumen vidit ante lectum virum procumbentem, pedesque et tibias discoopertum, qui post geniculationes et orationes lapsus fuerat in somnum: et factum est, ut religiosus inveniretur, qui luxuriosus putabatur, forsan ostendente Domino temeritatem nostram, qui facile judicamus hominem nescientes quid sit in homine.

FRAG. 6. *Quibus obsequiis regis gratiam sit adeptus.* In omnibus autem lenociniis mundi blandientis, et properatis arridentis applausu memor Thomas conditionibus suæ, et oneris sibi impositi, quotidie, hinc pro domini sui regis salute et honore, inde pro necessitate Ecclesiæ et provincialium contra bestias curiæ pugnavit, et quatenus regia severitas et reverentia permisit, contra regem contendens tanquam quodam futurorum præsagio sub pacis tempore dimicabat in acie.

FRAG. 7. Rex autem videns eum officium suum prudenter agentem, et fidelissimum sibi, primæ sedi Anglorum præficere cogitavit, credens ipsum tanti quidem honoris fastigio bene sufficientem, quem toties magnanimum in magnis periculis expertus erat, speransque suis hæredibus ad adeundum regnum eum profuturum, si se fatalis dies rebus humanis immaturæ eximeret, se vero per eum ecclesiastica, ut sæcularia, negotia pro libitu gesturum si vita diuturniori frueretur.

FRAG. 8. Solus tamen episcoporum Londoniensis oblocutus est. Sed qui nullis juvabatur studiis, et sua non quæ Jesu Christi, quæsisse videbatur, ea facilitate sententia plurimorum convinci meruit, qua contradicere præsumpsit.

FRAG. 9. Consecratus igitur beatus Thomas, ut cum sacramento rem sacramenti consequeretur, veterem hominem renovare disposuit. Unde tanquam jam transformatus in virum alterum, factus est abstinentior, vigilantior, frequentior in oratione, sollicitior in prædictione: ætismanques rectum renovationis progressum a se ipso incipere, tunc recte se aliis dominari posse, si sibi ipsi prius didicisset imperare, corpus suum servituti subjiciens docuit ancillari, spiritum dominari, habituque monachali cum cilicio suscepto spiritualem hominem, quem sub honestate tamen vestium oculis hominum eximebat, meritis implebat, Paucisque consciis sub lorica fidei militabat gaudens quod in triplici veste triplicem personam gereret: exteriori clericum exhiberet, interiori monachum occultaret, intima eremitæ molestias sustineret; gaudens quod exteriori mundum falleret, interiori fratribus suis se conformaret, intima motus illicitos temperaret. Nam

A a quodam cœnobita Cantuariensis Ecclesiæ sanctissimæ conversationis acceperat, cui Dominus in visione locutus fuerat, quod si monachum indueret, Dominum in negotiis propitium et coadjutorem mereretur. Gaudensque, quod per hujus habitus susceptionem duorum prædecessorum suorum vitaret excidium: Stigandi scilicet et Elfini, ex quibus Stigandus in clericali habitu apostolica censura dignitate privatus vitam in carcere finivit, alter autem Alpino frigore congelatus, et scissi jumenti stercore pedes involutus, non est permissus sacra patrum monachorum sede non monachus insidere.

FRAG. 10. Et inde seminarium sumpsit: nam cum primas onere pastoralis curæ premeretur, mittens regem rogavit cancellarium sibi providere

B quia ipse vix uni, ne dum duobus officiis poterat sufficere. Secundam vero causam iræ dedit: nam publicæ potestatis ministri per regionem Anglicanam consuetudine sibi de singulis hidis, ut verbis comprovincialium utar, pecuniam collingunt, tanquam laboris mercedem, quem tutioni patriæ impendunt. Quam pecuniam cum rex tanquam reditum niteretur in fiscum redigere, obstitit primas, dicens non oportere pro reditu computari, quod suo et aliorum arbitrio daretur. Sed et tertium fuit, quod iram regis accendit.

FRAG. 11. Accidit post modicum episcopum Lexoviensem reconciliandi gratia regem et transmarinis adiisse. Nam ab amicitia ejus exciderat: cui, forsan ut recuperaret gratiam, quam perdiderat con-

C silium dedit, utinam non in læsionem nominis sui, ut ad se partem cleri converteret, ne prævalerent adversus eum, dum simul quasi conserta acie starent et communicato consilio atque suffragio sibi subvenirent. Igitur elaboratum est, ut inita unitas Ecclesiæ scinderetur, et in partes regis episcopi converterentur, quatenus et archiepiscopus converteretur, aut si solus staret facile conteretur. Conversis igitur episcopis, quibus ab antiquo regis odio dispendium membrorum et salutis imminere videbatur, conversi sunt et alii, qui domum suam super arenam posuerant, et fluminis impingentis impetum non sustinebant.

FRAG. 12. Sed et quadam die præsul Herefordiensis Robertus, et comes Vendomiæ, abbasque de

D Eleemosyna super prædictis consuetudinibus cum primate sermonem diutius habuerunt. Asserebat autem abbas se a Romano pontifice directum qui regis eum voluntatibus obtemperare persuaderet, dicens dominis cardinalibus dominum regem jurejurando cavisse, quia nihil in præjudicium Ecclesiæ postularet, sed honorari coram optimatibus suis duntaxat exoptaret, et per hoc postulationibus ejus vel umbratilem et qualemcunque consensum sufficere ad reformationem pacis. Si quid sic præsuneretur, dominum papam sibi malle imputari, quam pacem non reformari. Non credimus ambigendum viros bonos bonum ecclesiasticæ pacis optasse, minus tamen cauti parum attendebant,

quia in modestia postulationis rex excederet, et in locum præsumptionis germina promissionis degenerarent.

Frag 13. *De vocatione archiepiscopi apud Clarendonam.* Rex igitur regni et sacerdotii, ut videbatur, pacem zelatus, sed sibi et archipræsuli suo minus providens, apud Clarendune regnum convocat universum. Quo cum præsules et proceres convenissent, exegit rex instantius, ut promissa sibi solverentur. Verum archiepiscopus, licet regi assentire promisisset, suspectam tamen habens regis promissionem, et quia frequenter principes ad indebita manus extendunt, modum ignorantes, elegit potius apud regem, quam in lege Dei periclitari, æneumque serpentem conterere, priusquam pravitas in populo Dei pullularet. Itaque quamvis exsilium vel carcerem metueret, Deum tamen pluris æstimans ex adverso ascendit. Ille minatur, iste refragatur; ille delirat, iste tacita prece suspirat. Interea episcopi Salesberiensis et Norvicensis, quos ab antiquo odio pœna manebat, timentes sibi ex impacati temporis occasione, verbis lacrymabilibus archiepiscopum exorabant, quod sui misereretur cleri, quod animi pertinaciam relaxaret, ne ipse carcerem, clerus exterminium, ipsi capitis damnationem incurrerent Sed et comites duo, potentissimi in regno, ipsum aggressi dicebant, quod nisi ille voluntati regis acquiesceret, ex regis jussione ipsi ad violentiam cogendi erant, quæ regi, sibique perpetuam erogaret infamiam. Vir igitur invictæ constantiæ, et in petra Christi fundatus, nec blanditiis emollitus, nec terroribus concussus, tandem a gremio veritatis, et sinu matris avellitur, cujus libertati adhærebat. Et ne victor in lite per superbiam tumesceret in mente, inde decrescens unde proficere deberet, derelinquitur ad horam sibi, ut cadat, post casum resurgat; cadens humanam fragilitatem agnoscat, resurgens circa se divinam miserationem intelligat. Sic, ne quis, de virtute sua confidat, princeps apostolorum Petrus, et David sanctus ceciderunt. Non tamen cadendi proponimus exemplum, sed si ceciderit quis resurgendi. Cecidit siquidem Petrus, sed respiciente in eum Domino, flens amarissime fortior resurrexit. Cecidit David, sed propheta eum redarguente, lapsus culpam plene pœnitendo delevit, et pœnam evasit. Sic beatus Thomas tentationi relinquitur ad horam, ut postmodum fragilitatis propriæ memor, fortior resurgat ad pugnam. Igitur cum tertio per Richardum, magni nominis virum, qui templo Hierosolymitano tunc præerat, sibi cavere moneretur et clero misereri, non tulit eorum supplicationes, non geniculationes. Nam tamquam in ipsius verticem vibratos gladios viderent, plangere videbantur, et tanquam funus præsens futurum facinus lugebant. Unde potius super clerum, quam super se motus miseratione, annuit de consilio illorum regiæ voluntati parere. Primus igitur ante omnes archipræsul in prætacta forma se obligat, quod videlicet regias consuetudines foret observaturus bona fide, verbo illo suppresso, scilicet, salvo ordine suo. Et quasi juratoriam adjiciens cautionem hoc se facturum in verbo veritatis spopondit: peccatum peccato adjiciens.

Et id ipsum in eadem forma singulatim universi pontifices jurarunt. Et incontinenti facta obligatione in forma hac, per quosdam regni proceres, qui has nosse debuerant, facta et regiarum consuetudinum recognitio, et sicut publice, ita et expressim recensentur. Verum cum pleræque jam fuissent expressæ, et multo plures, ut videbatur, forent exprimendæ adhuc, archipæsul interlocutus est, dicens se nec esse ex antiquioribus regni, ut pristinas regni constitutiones sciret, nec in archipræsulatu diu fuisse: unde et dicebat se nescire de his. Et præterea quia inclinata esset jam dies, tantum negotium differendum in crastinum. Placuit sermo, et in sua receperunt hospitia, in crastino revertentes in id ipsum. Et quæ pridie intermissæ fuerant consuetudines regiæ, recognitæ sunt et expressæ, et in scriptum chirographi modo confectum redactæ, et regiarum consuetudinum nomine censitæ. Quarum tamen multæ, ut perhibebatur, nequaquam regiæ, sed odio archipræsulis ad ancillandam Ecclesiam evomitum æmulationis et invidiæ virus: ipso etiam rege ignorante, quod homines inter ipsum et archipræsulem suum hac astutia dissensionis zizania seminare intenderent. Nec enim rex, qui adhuc juvenis, sicut nec archipræsul novus, pristinas regni consuetudines nisi ex aliorum relatu cognoscebat. Quales vero hæ regiæ consuetudines fuerint, si quis plenius scire desiderat, eas in fine hujus historiæ scriptas inveniet.

Frag. 14. *Qualiter archiepiscopus ad se reversus facti pœnituerit.* Scriptis igitur consuetudinibus, et ad formam chirographi redactis, postulat rex ab archiepiscopo et coepiscopis, ut ad cautionem majorem et firmitatem sigilla sua appendant. Verum archipræsul, etsi vehementer contristatus, dissimulat tamen, regem contristare tunc nolens. Et caute quidem de plano non negabat, sed differendum adhuc dicebat. Etsi parati essent ad faciendum, dicebat tamen propter negotii magnitudinem decere dilationem vel modicam, cum juxta sapientem absque consilio nihil faciendum grave, et exinde post deliberationem aliquantulam ipsum et episcopos alias super hoc decentius requirendos. Scriptum tamen dictas consuetudines continens recepit, præmeditate quidem et provide, ut causam videlicet suam secum scriptam haberet. Aliam vero scripti partem suscepit Eboracensis archiepiscopus. Rex vero ipse tertiam, in regni archivis reponendam, et sic a curia recedens versus Wintoniam archipræsul proficiscebatur.

Frag. 15. Et pœnitentiæ ductus, quod temerarie consensisset illicitis, quamvis ex magnorum virorum persuasione culpam excusaret, quamvis ex cleri causa causam suam justificaret, tamen a se ipso, tanquam pro seipso commisisset, pœnas exegit, jejunio et

asperitate vestimentorum se affligens, et se interim ab altaris officio suspendus.

FRAG. 16. *De zelo archipræsulis pro dignitate Ecclesiæ.* Interea elaboratum est ab episcopo Ebroicensi, ut rex et archiepiscopus in gratiam revocarentur. Rex autem ad gratiam sine suarum legum confirmatione compelli non poterat, non attendens legislatorem dicentem : « Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes scripserunt injustitiam, ut opprimant pauperes in judicio et vim faciant humilibus populi Dei ! » Unde cum episcopus ad pacem instaret et archiepiscopus Ecclesiæ profectum desideraret, qui sine pace provenire non poterat, mittit ad Romanum pontificem, tanquam rogans consuetudines illas confirmari. Quæ tam subita viri mutatio, quæ tanta constantis inconstantia, ut modo rogaret enormia confirmari, ad quorum consensum prius non potuit inclinari ? Nimirum majoris arbitrio reliquit, quod per se non præsumpsit, ut a se culpam transferret, et domino suo satisfeceret, sed beati papæ religio circumveniri non potuit, qui regis et archipræsulis certamen ex ordine cognovit.

Archipræsul itaque fultus apostolica auctoritate et exhortatione, sicut erat spiritu fervens, mox excussit se, cum prophetico sarculo evellens, destruens. dissipans, et eradicans quidquid in horto Domini male plantatum reperisset. Non quiescebat manus ejus, non parcebat oculus. Quidquid etiam pravum, quidquid asperum, quidquid distortum, non jam cum prophetico sarculo, sed in evangelica securi dejiciens ; regias quidem et ecclesiasticas consuetudines bonas conservans, alias vero in Ecclesiæ detrimentum, vel cleri dedecus introductas, tanquam spuria quædam vitulamina resecans, ne mitterent radices altas. Et tanquam de silvestri nimis silva et veprosa, sic nitebatur pro viribus quidquid asperum, incompositum, in locorum, obviumve foret, totum de populo suo delere et exstirpare, ut faceret prava in directa, et aspera in vias planas.

FRAG. 17. Videns itaque rex, quia in his, quæ tentabat, non procedebat, ad id ex consilio malevolorum divertit, ut ad æmulum domini Cantuariensis legationem apostolicæ sedis transferret. Quod cum missis nuntiis postulasset, et non impetrasset, eo quod ab antiquo Cantuariensis Ecclesia legationis privilegio gaudere dignoscitur, cognovit et conjecit Romanus pontifex, cum ex nuntiorum protestatione, tum ex nota curialium crudelitate, quod vindicandum esset in archiepiscopum, nisi regi permitteretur de voluntate sua legationem cuiquam suorum conferre. Unde litteras censuit regi dirigendas, quasi legationem et legationis officium concederent, et gravamen archiepiscopo inferre prohiberent. Igitur qui missi fuerant, cum sanctitatem viri ad aliud inclinare non possent, cum umbratili et vana legatione reversi sunt. Quam rex suscipiens gloriabatur, ut fertur, in nominis umbra, tanquam in archiepiscopum protestatem accepisset.

Sed nec in his finibus lis et ira subsedit, sed progressa est super alterutum sine mensura caput. Rex enim clericos homicidas, fures, latrones, sicarios, aut aliis flagitiis deditos, ad sæculare judicium trahebat, ut confessi vel convicti de crimine, officio suo privarentur, privati curiæ traderentur. Archiepiscopus vero quid cui judici liceret in causis considerans, nihil invenit quod habeat in ecclesiastica' causa criminali potestas sæcularis, quæ de divinis rebus definire non potest, juxta constitutionem illam : Si crimen ecclesiasticum, est, tunc secundum canones ab episcopos suo causarum examinatio et pœna procedat, nullam communionem aliis judicibus habentibus in hujusmodi causis. « Hæc et his similia considerans, archiepicopus, clericos infames non nisi apud ecclesiasticos judices permittebat conveniri, ubi convicti propriæ dignitatis officio spoliarentur, non mutilarentur ; quia non judicat Deus bis in id ipsum, vel ne forte duplici pœna multati, laicis infamibus conditione viderentur inferiores. Sed si post degradationem relaberentur in consimile flagitium secundum publicas leges a sæculari judice punirentur. Non enim decebat, ut dicebat, quamvis inordinatos, inordinate judicari. Hæc et hujusmodi iram regis ascendebant. Et jam ira præceps ferebatur, et per diuturnitatem temporis invalescens in odium vergebat. Quapropter episcopi non reminiscentes se super gentes et regna ad evellenda vitiorum plantaria constitutos, non modo non sumpserunt scutum fidei, ut starent pro domo Domini in die belli, sed et posuerunt corpus suum in terra, ut fieret via transeunti. Nihilominus tamen vir Dei, acceptæ potestatis memor, Deo sibique relictus, immobilis permanebat. Egerat in altum abies radices suas : et licet defluentibus foliis ramisque suis, tamen ad turbinem ventorum dejici non poterat.

FRAG. 18. Sub tanta, inquit, partis utrinque dissonantia pax perpetuum relegatur. Nec spes quidem gratiæ poterit æstimari.

FRAG. 19. Ille autem gaudens ibat a conspectu concilii, quoniam dignus habitus est pro nomine Jesu contumeliam pati. Hamelinum tamen comitem et Ranulfum quemdam, præ cæteris ei maculam proditionis improperantes, tanquam mentientes refellit, vicissim improperans, quod refellere non poterant, alterum garcionem et spurium, nec viri reprehensione dignum ; alterius vero cognatum, quod in sua minime cognatione contigisset, ob crimen laqueo suspensum.

FRAG. 20. Ecce fugitivus ericius, de quo diaconus quidam vidit in visione. Nam rege Anglorum cum universitate suorum archiepiscoporum, episcoporum, comitum, procerum, abbatum, et priorum, in luco qui dicitur Waberghe, exsiliit ericius de medio eorum, tamquam tumultu venantium excitatus Quem cuncti videntes agitare cœperunt, vociferationibus et insultationibus insectantes. Ipse autem multitudinem præcurrens, non in directum, sed per flexuosos calles ad mare festinabat, portans in dorso

suo librum intitulatum, Actus apostolorum. Nemo autem eorum,qui sequebantur, erat sine vitio corporis, sed aut cæcus, aut luscus videbatur, aut claudus, aut labiis, aut naso mutilatus. Cumque tandem venisset ericius ad mare,misit se in illud, et ulterius non emersit. Quod videntes, qui eum persecuti fuerant, reversi sunt. Et ecce suborta est nebula densa et tenebrosa,occupans faciem terræ, quam sequebatur imber sanguinis. Divertit autem rex in salam regiam fundatam in prædicto loco,et sedit in ea indutus veste candida, linea, et lata, caudisque vulpinis tanquam serto caput cinctus. Non cessabat autem sanguis super eum distillare, quia domus, utpote deserta in loco deserti, sarta tecta non habebat,per quæ dependentes caudas vulpinas defluebat in sinum ejus. Cumque sinum et sinuosa vestis ejus volumina implesset,refluere cœpit et os ejus etiam abundans implevit.

FRAG. 21. Et paululum progressus quosdam de more gentis illius armatos obviam habuit. Quibus percunctantibus an ipse esset Cantuariensis archiepiscopus, verbo respondit : « Siccine Cantuariensis phaleratus incedit ? » Et non est agnitus ab iis, quamvis de se ipso testimonium perhiberet.

FRAG. 22. Contigit eodem tempore Ricardum de Luci, familiarem regis,peregre redeuntem,ad cumdem locum devenire. Qui audito archipræsulis egressu a Britannia, accessit ad eum, promittens se ei gratiam regis redditurum,si rediret. Præsul vero se non credebat ei,timens laqueos quos evaserat. Ille vero, quem reducere non potuit, diffiduciatum dimisit, et debitam domino patrique suo reverentiam non exhibuit.

FRAG. 23. *De proscriptione totius cognationis archiepiscopi.* Rex autem cum redeuntibus nuntiis se in suis petitionibus didicisset repulsum, res omnes archiepiscopi suorumque confiscari præcepit ; totam ejus cognationem,omnes qui eum familiaritate vel quovis titulo contingebant, proscriptos addixit exsilio. Non infanti vagienti, non decrepito seni, non in puerperio mulieri decubanti parcebatur. Processit ulterius furor inanis,et piis auribus horrenda crudelitas. Nam compulsi sunt adulti jurare, quod contristandi causa archiepiscopum, ubicunque reperiretur, expeterent. Prohibitumque est ne pro eo oraret Ecclesia, quod pro hæreticis et schismaticis facere consuevit. Quotidie igitur ad eum nova exsulum confluebat multitudo : nisi quod plerique a præfato juramento auctoritate apostolica absoluti in Flandria remanserint. Hi præsertim qui propter ætatis vel sexus infirmitatem, et multam,quæ tunc erat, inclementiam temporis absque multo sui dispendio ad archipræsulem, sicut juraverant, proficisci non valebant. Cæteri vero quotidie glomerati veniebant ad eum ejulantes et plangentes,quod essent sic a natali solo expulsi, bonis suis proscripti, et ab amicis et proximis suis elongati. Et ita quotidie virum Dei movebant. Quanta igitur anxietate, putas premebatur, cum assidue præ oculis haberet, quorum miseriæ causa erat,et quibus præter compassionem parum vel nihil conferre poterat, nimirum inter incudem et malleum versabatur,et tot in se persecutiones excepit ! Hinc ante martyrium martyr factus est, ante tunsiones latomorum angulari lapidi conquadratus, ante fornacem ex ære in argentum,ante molam ex palea in frumentum transformatus, et citra fracturam alabastri nardi suavitatem redolevit. Vir itaque apostolicus, et fratrum potentatus, nationes et regna, audientes hæc mox obstupuerunt, et factum admodum profanantes,archipræsuli et tali ac tantæ ejectorum turbæ totis pietatis visceribus compassi sunt. Unde archiepiscopus,eo quod tantam turbam secum ferre non posset, ipsos per diversas nationes et provincias,ac diversas personas cum litteris suis supplicatoriis transmittebat. Qui omnes ab eis,ad quos missi sunt, tum tantæ malitiæ odio, tum favore mittentis,benigne suscepti sunt. Omnibus itaque sic propitiante Domino provisum est in brevi,ut inter ipsos egens nullus esset, plurimi etiam felicius in exsilio quam in patria degerent.

FRAG. 24. *Quomodo archiepiscopus cœpit arctius vivere.* Verum, etsi proscriptis Deo miserante sic provisum fuerit, archipræsul tamen attendens in tanta proscriptorum multitudine suum aggravatum exsilium, et pœnam, exasperatam,disposuit una et pœnitentiæ suæ aggravare districtionem, ut præter illud,quod quotidie portabat, cilicium, et crebras, quas flagellatus furtivas accipiebat disciplinas, ipse quoque districtius solito viveret. Unde et uni fratrum, qui ipsi in mensa ministrare consueverat, una dierum instillavit secretius, ut inter alios lautiores cibos, quibus uti solitus erat, caute quidem, ita ut nullus adverteret, quotidie conventuales sibi apponeret cibos,quibus solis uti disposuerat. Quod ut cautius fieret et secretius mensa ipsi soli seorsim a suis ponebatur quotidie. Et ita quidem per aliquot dies solis pulmentariis aridis et insipidis, juxta quod Cisterciensis ordinis regularis institutio habet, vescebatur. Verum per aliquot tempus sic se mortificans, sic contra solitum vivens,post aliquot dies gravi decretus valetudine decubuit. In deliciis enim a primæva ætate enutritus,absque salutis detrimento grossioribus uti non poterat. Verum ad cujusdam familiaris sui admonitionem,cui ægritudinis suæ causam hanc,nec tamen sine importunitatis instantia,secretius judicavit, congruis sibi alimentis, sobrietate comite, utebatur. Unde Deo favente, in brevi restitutus est incolumis...

FRAG. 25. *Quomodo rex Archiepiscopum amoverit a Pontiniaco.* Invidit ergo tantis profectibus, qui zizania superseminat in agro Dominico, et quia vir Dei tribulatione profecerat, et ipse machinatione sua corruerat,bile majori motus hospitem,tanquam de loco crevisset, hospitio proturbare contendit. Cujus instinctu, ut credi fas est, direxit rex Anglorum litteras ad generale istud capitulum Cisterciense,ordini eorum plurimum commi-

natus, si ulterius adversarium suum apud se retinerent. Quod cum archipræsuli nuntiatum fuisset, habito cum suis consilio mox respondit nulla ratione se velle, quod sui occasione ordo læsionem ullam caperet, vel modicum aliquid damni hospitibus suis eveniret, qui in tam arcto et sibi et suis tantam exhibuisset humanitatem. Et addidit, quod quocunque diverteret, ubicunque caput suum reclinaret, ab eis se citissime amoveret: « Domino, inquit, si placet, mihi et coexsulibus meis providente, qui volucres cœli pascit et vestit lilia. » Misit igitur ad gloriosum illum Francorum regem Ludovicum nuntium, qui de recessu suo a Pontiniaco, et causam recessus ei nuntiaret. Quod cum audisset rex, plurimum admiratus est, et mox suis, qui aderant, totum retulit quod audierat. Et iterando sic omnibus audientibus inquit: « O religio, o religio, ubi es? Ecce enim, quos credebamus sæculo mortuos, sæculi minas timent. Et pro rebus caducis, quas se propter Deum contempsisse profitentur a Dei opere, quod cœperant, convertuntur retrorsum, Dei causam et Dei causa exsulantem ejicientes a se. » Et convertens sermonem ad eum, qui missus fuerat, inquit: « Saluta dominum tuum archipræsulem, et fiducialiter ipsi meo nomine nuntia, quod si mundus, et etiam qui videntur mundo mortui eum deserant, ego tamen eum non deseram, sed quantacunque rex Anglorum etsi dominicus homo meus sit, adversus ipsum moliatur et exerceat, ego tamen suscipiam propter Deum exsulantem, et propter justitiam adversa patientem. Nuntiet ergo nobis ad quemcunque ditionis nostræ locum divertere maluerit, et paratum inveniet. » In brevi igitur reverso eo, qui missus fuerat, archipræsuli nomine regis reportata sunt hæc. Qui ad complendum cum suis peregrinationis suæ tempus residuum, præclaram illam et regiam civitatem Senonis, a Pontiniaco duodecim miliaribus distantem, elegit, tum propter loci plurimam commoditatem, tum propter civium laudabilem moralitatem, et devotam et præsertim advenis dapsilitatem, dulcemque affabilitatem, et jucundam socialitatem. Biennio ergo peregrinationis suæ Pontiniaci jam expleto, a Pontiniaco discessit.

Frag. 26. *De discessu a Pontiniaco, et revelatione martyrii sui.* Cumque itaque territorium Senonense petens, vale jam se deducentibus facturus esset, erupit in lacrymas, quas increpans venerabilis abbas loci inquit: « Quid agis? Miror virum invictæ constantiæ femineam in mollitiem degenerare. Nunquid rei familiaris necessitas majores expensas exposcit? An comitatus rarior, et famulatus minor lacrymas istas excutiunt? Si quid tua poscit, ostendatur, et fiet. » Respondit igitur archiepiscopus: « Nihil istorum, sed quæ de me sunt, finem habent. Dominus servo tuo vitæ finem, finisque modum in visu præteritæ noctis præostendere dignatus est. Gladium spiculatoris subterfugere non potero. » Subridens abbas inquit: « Ergo martyrio interibis? Quid esculento, temulento, et martyri? Non bene conveniunt, nec in una sede morantur calix vini quem potas, et calix martyrii. » Archiepiscopus inquit: « Fateor, corporeis voluptatibus indulgeo, bonus tamen Dominus, qui justificat impium, indigno dignatus est revelare mysterium. »

Frag. 27. Beato igitur Thoma Senonis sic residente, rex Anglorum indignissime ferens, quod in petitionibus suis ipse repelleretur a quo suus protegeretur adversarius, presbyterorum bona, per diœcesim Cantuariensem decedentium, et vacantes ecclesias occupavit, et pro voluntate personas instituit, et se ab Alexandro papa, quem jam Dominus, Romanæ miseratus Ecclesiæ, in sedem suam revocarat, abalienavit. Unde dolorem suum in fide vindicaturus, clericos duos, Joannem videlicet de Oxenefordia, et Ricardum de Ivelcestria, misit ad imperatorem Alemanniæ Fredericum, qui coacto consilio de pace Romanæ Ecclesiæ tractabat, mandans, quod si nomen et obedientiam Alexandri papæ abjuraret, participem se schismatis haberet cum episcopis et archiepiscopis suis. Ille cum schismatis fautores haberet, de consilio Coloniensis archiepiscopi, qui Octaviano exstincto successorem jam suscitaverat consensit. Jurantibus itaque cum imperatore optimatibus, et episcopis quibusdam volentibus, quibusdam obtrectantibus, et usque in lacrymas renitentibus, nuntii quoque regis ex persona ipsius in consimilem formam jurarunt. Et tanquam si minus adhuc peccavisset, rex portus diligentissime custodiri præcepit, feralia in eos statuens edicta, qui vel papæ mandata, vel litteras in Angliam deferrent, vel delatas reciperent. Præcepit etiam publice, et compulit per vicos, per castella, per civitates, ab homine sene usque ad puerum duodennem beati Petri successorem Alexandrum abjurare. Omnibus igitur capiti suo renuntiantibus sic, revelabantur ex multis cordibus cogitationes. Tunc erat videre miseriam, Dathan et Abiron quamplures per fines Anglicanos passim emergere, et in lateribus aquilonis Luciferum sedere.

Frag. 28. *De appellatione pontificum contra archiepiscopum.* Post modicum tempus convenientibus ad urbem Londonias ex mandato regis episcopis et abbatibus nonnullis, visum est contra archiepiscopum appellari. Timebatur enim, ne ipse in enormia, quæ per regnum præsumebatur, manum correctionis extenderet. Appellarunt itaque primi Londoniensis et Saresberiensis, provocationis et prævaricationis fomites. Exoniensis ad appellandum cogi non poterat. Episcopus vero Roffensis per simulatam, ut dicebatur, infirmitatem excusavit suam absentiam. Sicut et suam Wintoniensis, per litteras dicens: « Vocatus a summo pontifice nec appello nec appellare volo. » Et ex ambiguitate nominis putabatur ad summi pontificis, id est, domini papæ vocatus audientiam. Ipse vero summum pontificem, summum judicem intelligebat, ad cujus tribunal jam

jamque trahebatur examinandus, tanquam qui in multis diebus processerat, et vitæ metis appropinquaverat.

At archiepiscopus regem sæpe paterna charitate commonuit, tum per scripta, tum per viros, qui pro sua reverentia meruerant audiri, ut ab ecclesiasticæ libertatis oppressione desisteret. Sed et eumdem super eodem Romanus pontifex per Rothomagensem archiepiscopum, et per imperatricem quondam Romanorum, matrem ejus, et per Herefordensem, et Londoniensem multa prece sollicitavit. Dumque singulis circa mandata suam diligentiam adhibentibus, Herefordensis ipsum usque in fines Walliarum ductantem exercitum cum litteris prosequerentur, nihil impetrarunt, nisi ut archiepiscopus repatriaret ultroneus, sicut ultroneus abscesserat. Credebatur tamen Londoniensensem minus fideliter mandata prosecutum, quia cum domino papæ rescripsisset super exsecutione mandati sui et responsione regis, ecclesiasticæ severitatis animadversionem, quam in prævaricatores intendebat, dehortari non erubuit, ut Ecclesia Cantuariensis perpetuum sui pastoris exsilium, suumque lugeret Anglicana naufragium. Sed successor apostolorum et columna Ecclesiæ non movebatur. Noverat siquidem qui esset qui loquebatur. Unde eum modo non audivit sed et archiepiscopi, et ecclesiæ, cui præsidebat, juris et dignitatis providebat indemnitati, sicut ei ante exsilium promiserat dicens: « Sane indubitanter credere te volumus, et firmiter tenere, quod nunquam in animum nostrum, Deo volente descendet, ut te vel ecclesiam tuam alicui personæ velimus in ecclesiasticis subesse, nec nisi tantum Romano pontifici obedire: » Nam, quia audierat Eboracensem archiepiscopum crucem suam in stipite elationis extulisse, et contra consuetudinem per provinciam Cantuariensem deferre, prohibuit ne id de cætero facere præsumeret. Eboracensis igitur a temeritatis ausu prohibitus, et in cruce sua cruciatus, associatis sibi Londoniensi et Saresberiensi, una cum episcopis Angliæ congregatis, sicut dictum est, appellavit adversus Cantuariensem, scriptamque ei appellationem et appellationis terminum innotuit. Ille vero in omni patientia et mansuetudine rescribens, et increpans, et objurgans animos inquietos, ecclesiasticæ pacis unitatem retorquere frustra satagebat. Oportebat enim pati Christum Deum, et iniquitates Amorrhæorum compleri.

FRAG. 29. *De legatis missis a domino papa.* Interea ad instantiam regis missi sunt a Romano pontifice legati duo. Quorum unus erat Willelmus presbyter cardinalis, regis amicissimus, qui, sicut ipse archiepiscopus de eo dicit, potius elegit esse malleator clericorum, principibus obsequendo, quam regum offensio divinam gratiam consequendo. Alter diaconus cardinalis Otho nuncupatus. Et plus avaritiæ quam justitiæ studiosi, et nisi delegarentur a domino papa, potius relegatione, quam legatione digni. Acceperunt autem plenariam potestatem decidendi quæstiones, quæ vertebantur inter regem et archiepiscopum, et debitum eis finem imponendi, remoto appellationis obstaculo. Archiepiscopus vero sciens regis amicissimum alterum, ei instanter ab ipso petitum, alterum autem ex aliis causis suspectum habens, recusavit utrumque. Dicebat enim nequaquam se Willelmi jurisdictioni in causa debere subjici, quis regis instantia potius mittebatur, quam ipse coactus et missus veniebat : et quia non erat juri consentaneum subire ejus judicium, qui de sanguine suo sibi commercium facere quærebat, et de pretio nomen et gloriam. Adeo autem recusabat, ut excommunicationi subjici mallet, quam ejus judicium subire in aliquo extra curiam Romanam. Nam ad judiciariam potestatem obtinendam super eum multiplici laboraverat ingenio. Dominus papa tamen considerans malitiam temporis, ut mitigaret potentiam eorum, qui turbare poterant Ecclesiam, ad tempus eis potestatem judiciariam duxit concedendam. Unde cum in Franciam venissent, jactabat Willelmus, se in damnum et confusionem domini Cantuariensis venisse ad faciendam voluntatem regis. Hinc Gallicana verebatur Ecclesia : et qui bonum pacis exspectaverant, dejectione Cantuariensis audita dejiciebantur. Sed qui confusionem intentabat, confusus et inutilis factus est, minus exsecta fronte ventilando metuendus adversario. Nam ante cognitionem causæ ab officii suscepta potestate reciderunt scribente rege Francorum domino papæ, quod maximum ingereretur Ecclesiæ scandalum, si defensor Ecclesiæ innocens deponeretur, et inde damnum dignitatis efficeretur, unde præmium promotionis promerendum esset. Unde dominus papa, quamvis in medio Charybdis et Scyllæ constitutus : hinc enim rex Angliæ donis et promissis, et minis instabat, inde rex Franciæ precibus et admonitionibus obstabat. Hinc turbatio Ecclesiæ, et reprimeretur arrogantia, inde infamiæ nota si damnaretur innocens. Sententiam suam revocavit, scribens legatis, ne ordine judiciario inter regem et archiepiscopum præsiderent sed plenæ inter eos paci componendæ omnimodis intenderent, ita quod archiepiscopo et Ecclesiæ suæ antiqua jura integra et illibata servarent, nec in terra regis aliquid magnum facerent, vel in regnum ejus, si eos intrare vellet, intrarent, nisi archiepiscopus regi primitus integre reconciliaretur, quia super his sibi et illis plurimum detraheretur, et ipse communi voce cunctorum sinistra detractione laceraretur. Quæ cum in mandatis accepissent, legationis tamen reliquias prosequentes, regem aditum tanto minus lætificaverunt, quanto minus potestatis habuerunt; qui jam sciebat et gravissime ferebat, quod potestas eorum exspirasset ex parte. Sed ne nihil ageretur, ad colloquium archiepiscopum vocarunt, et præfixum est tempus et locus.

Igitur conveniunt, hinc exsul cum exsulibus suis,

inde legati, adjunctis sibi archiepiscopis, episcopis, et abbatibus quamplurimis. Nocte vero proxima ante colloquium archipræsul vidit somnium, sicut ipse suis mane secum ad colloquium euntibus retulit, quod videlicet propinaretur ei venenum in calice aureo. Et quidem accidit sic. Alter quippe cardinalium, præfatus videlicet Willelmus, elegantis eloquii, et verba habens persuasibilia, pacis quidem suaves et blandos sermones ei obtulit : et videbantur in superficie bona verba et pacifica, quæ tamen si quis interius aspiceret, ecclesiasticæ paci et libertati non modicum derogabant. Unde et singula fere, quæ a cardinalibus de pace proponebantur, archiepiscopo et suis suspecta erant, metuentibus capi in sermonibus, qui molliti et melliti erant, et tamen ipsi nihilominus jacula. Diutius igitur et inaniter protracto colloquio, tandem infecta pace, imo etiam absque omni spe pacis per ipsos deinde faciendæ, archiepiscopus et legati ab invicem discesserunt, legatis quidem ad regem confestim revertentibus. In Cenomannia vero, in civitate ipsa Cenomannis, nonnullæ personnæ regni jam convenerant : et videntes sic pacem nequaquam per cardinales posse fieri, in audientia ipsorum suas appellationes renovarunt, pro rege, pro regno, pro personis propriis, et pro ecclesiis suis ad sedem apostolicam reappellantes. Post aliquantum vero temporis cardinales, a rege multum honorati, et ambitiosis onerati donis, archiepiscopi et Ecclesiæ pace infecta, ad Romanam reversi sunt Ecclesiam.

Frag. 30. Archiepiscopus vero audiens novas et sciens enormitates cum veteribus, quæ in pessimos fructus excreverant, per diæcesim suam quotidie pullulare, sciens a propheta maledictum, qui gladium a sanguine prohibuerit, et qui opus Dei negligenter fecerit, ne non amputatis putridis ramis vinea Domini corrumperetur, accinxit se, et falcem ecclesiasticæ severitatis in multos exercuit.

Frag. 31. Hinc enim ingratitudinem timens, regem respiciebat qui in se beneficia congesserat, dum schisma Romanorum declinaret, illinc periclitantem Ecclesiam dum transgressionem impunitam relinqueret. Tentaturusque si vel adhuc sine incisione vulneribus medicari posset et citra rigorem severitatis regis emollire duritiam missis duobus viris litteratis et discretis, altero subdiacono et notario suo, altero Romanæ curiæ advocato, rogavit attentius ut archiepiscopo archiepiscopatum suum cum sua gratia redderet.

Frag. 32. Sub ea tempestate rex Anglorum orandi gratia profectus est in Gallias, ubi rogatus a rege Francorum, et regni optimatibus, apud Montem Martyrum, divinæ majestatis intuitu, sanctorumque quos adorare venerat memorias, archiepiscopo suo gratiam suam reddere, omni deposita simultate, quamvis primo conquereretur quod sibi non occurrisset, concessit ut in pace et securitate repatriaret, possessiones et archiepiscopatum suum reciperet, et

A eo jure et libertate teneret, quo prædecessores sui tenere consueverant.

Frag. 33. Rex autem Anglorum cito post supradictum colloquium in Angliam transfretavit. Imminente vero solemnitate beati Joannis Baptistæ, sub prætextu ordinandi regni convocatis regni proceribus, primogenito filio suo regni sui commisit habenas. Et erant qui dicerent, quia successuro sibi rex præcaverit hæredi, asseverantibus aliis, quia in odium archipræsulis et in læsionem dignitatis Ecclesiæ Cantuariensis hoc fecerit. Imposuit autem ei manum archiepiscopus Eboracensis in Cantuariensi diœcesi, in ecclesia videlicet beati Petri apud Westmonasterium, contra dignitatem Ecclesiæ Cantuariensis et antiquam consuetudinem, assistentibus
B sibi et suffragantibus præsulibus Londoniensi, Saresberiensi, et Roffensi, nec jus Ecclesiæ Cantuariensis protestantibus, ad cujus dignitatem et jus regum Anglorum coronatio ab antiquo pertinere dignoscitur. Post coronationem celebrato convivio rex regi, pater filio dignatus est ministrare, et se regem non esse protestari. Pœnituit eum dicti processu temporis et facti, didicitque rei comprobatione, non tantum Cantuariensem Ecclesiam læsisse, quantum in vindictam eorum, quos persecutus est, adversarium sibi ipsi de suo femore suscitasse.

Audiens hæc archipræsul in primis vix credidit. Ipse siquidem tanquam vir providus, et cui de suis adversariis suspecta erant omnia, a Romano pontifice litteras impetraverat, ad Eboracensem archiepiscopum et alios Anglorum episcopos ante corona-
C tionem directas, quibus auctoritate apostolica in virtute sanctæ obedientiæ erant inhibiti, ne in præjudicium archiepiscopi Cantuariensis, qui pro justitia exsulabat, regis filio diadema imponerent. Et directas has sibi litteras quidam episcoporum ante coronationem susceperunt. Alii de mandato præmunit recipere noluerunt. Unde et contra inhibitionem apostolicam coronationi interfuerunt. Sed modicum attendere libeat, quam profana unctio, quam odiosa quam inimica fuerit hæc consecratio ; si tamen consecratio, magis quam exsecratio dici debeat apostolica benedictione destituta, imo in transgression contra virum apostolicum facta ; quæ etiam ex mer odio, ira, et indignatione processit : odio patr spiritualis a patre carnali excogitata. Probant hæ
D lugubres, et omnibus post futuris sæculis detestand qui ex hac consecratione provenerunt, eventus sacerdotum videlicet suspensio et anathematizati archipræsulis occisio, semel et iterum inter patrem et filium rebellio, et in fine egregii illius pueri con secrati sic in adolescentia omnibus post futuris sæ culis præmaturæ mortis detestanda præventio. Un et plangendum, et exclamandum : « O mors tu Henrice, o mors quam dira ! Quam dura et qua amara memoria tua, quæ talem et tantam mun gloriam, dum adhuc ordiretur, succidisti ! Qua inconsiderata, quam inhumana, quæ tam certam, putabatur, mundi spem, dum adhuc fructus in flo

esset tam præclaro, una et brevi flatus tui vehementia exsufflasti ! Sit mors tua ille, qui mors mortis est, ut vel per te transeat ad vitam, qui non sibi sed mundo sperabatur victurus. » Plura quidem de actibus Henrici hujus, etsi ætas tenera, strenuis tamen et de modo ejus exitus a vita inseruissem hic, nisi quia quam scribendam suscepimus lex historiæ obviat. Igitur ad cœptum ordinem revertamur.

FRAG. 34. *De suspensione episcoporum.* Sciens itaque tandem pro certo sanctus Thomas coronationem factam sic, per nuntios suos quatenus pax processerit et in quibus finibus steterit, et de coronatione facta, Romano pontifici totum et verbo et scripto intimavit, humillime et lacrymabiliter supplicans, ut vel nunc se excuteret excussorum filius et in falsos fratres maxime insurgeret, qui tanta læsione patris sui, propter ipsos exsilium et proscriptionem sustinentis, et matris suæ Cantuariensis Ecclesiæ, tam manifesti erant etiam apostolici mandati transgressores. Vir autem apostolicus audiens universa, et quæ et qualiter fuerant gesta, et in regem et in episcopos vehementer motus est, et archipræsuli multo plus quam prius paterno compassus est affectu. Sollicitavit etiam eum rex Francorum in virtute amoris, et sub impensi protestatione obsequii, ne ulterius dilationes frustratorias prorogaret, sicut regnum Francorum diligebat, et honorem apostolicæ sedis. Miseratus etiam Anglicanæ Ecclesiæ desolationem Willelmus Senonensis antistes sedem apostolicam petiit, et a Romano pontifice impetravit, ut rex Anglorum, omni appellatione cessante, subjiceretur anathemati et regnum interdicto, nisi Cantuariensi Ecclesiæ pax redderetur.

FRAG. 35. Et ait rex ad archiepiscopum : « Optas, ut dicis, in Gallias repedare, sed arbitror expedire tibi mecum dies aliquot commorari, ut palam videatur quod nondum existimatur. Sciunt omnes inimicitias nostras, pax inita paucis innotescit. » Archiepiscopus inquit: « Ingratus non immerito reputabor, si benefactoribus meis vel vale non fecero. Ibo et revertar. »

FRAG. 36. Una vero dierum deambulans archiepiscopus in littore maris cum suis, dum qualitatem elementorum, sicut transfretaturis moris est, consideraret, Milonem quemdam Boloniæ decanum advenientem prospexit. Quem tanquam ad naulum exigendum properantem subridendo prior occupavit. Et inquit Milo : « Non ad naulum exigendum, sed ad mandatum deferendum festinamus. Hæc tibi mandat dominus meus comes Boloniensis : provide tibi. Parati sunt qui quærunt animam tuam, portus transmarinos obsidentes, ut exeuntem te a navi rapiant et trucident, vel in vincula conjiciant. » Cui archiepiscopus : Crede, fili, nec si membratim decerpendus sim, ab incœpto itinere desisterem. Non metus, non vis, non cruciatus de cætero revocabit ulterius. Sufficiat Dominicum gregem pastoris sui absentiam luxisse septennem. Hanc vero extremam petitionem a meis obtinere votis omnibus exposco, nihil est enim quod magis hominibus debeatur, quam ut suprema voluntas, postquam aliud velle non possint adimpleatur, quatenus ad Ecclesiam, a qua arceor vivens, vel mortuum ferre non graventur. »

FRAG. 37. Conspiraverant siquidem adversus archiepiscopum vel ex aliena voluntate, vel ex propria malignitate cum prædictis episcopis Reginaldus de Warenna, vicecomesque Gervasius, et Ranulphus de Broc, quem pridem anathematizaverat, et cum armata manu littus obsidebant.

FRAG. 38. Et ingressus monasterium toto corpore prostratus formam humilitatis exhibuit. Deinde fratres omnes, a minimo usque ad maximum, cum lacrymis in osculo pacis suscepit. Nam quia quosdam ex eis excommunicatis communicasse audierat, cum peregre esset, per magistrum Joannem Saresberiensem et coexsulem mense uno præ se præmissum fratri Thomæ venerabili viro potestatem solvendi injunxerat, ut quod contagionis in grege fratrum ex scabie schismaticorum contractum fuerat, antidoto reconciliationis eraderat.

FRAG. 39. Fertur enim dixisse Eboracensem : « Octo millia librarum numeratæ pecuniæ. Deo gratias, adhuc apotheca nostra reservat, quæ si tanta dispendia necessitas exegerit, ex asse demolienda erit ad reprimendam contumaciam Thomæ, dissipandamque arrogantiam, quæ major est quam fortitudo ejus. Ne, quæso, fratres, religionem vestram circumveniat. Adeamus potius dominum regem, qui usque in hodiernum diem causam, quæ inter nos et illum diutius vertitur, fideli patrocinio consecutus est, et de cætero, nisi per nos steterit, ad consummationem expediet. Si resilieritis adherentes ei, quem habet adversarium (nunquam enim post tantas inimicitias, et inexorabiles redintegrabitur gratia) nos de ratione tanquam transfugas judicabit. Et si districte egerit vobiscum, de juris æquitate a vestris possessionibus vos dejiciet. Quid ergo facturi estis ? Dicite, quibus in terris, inopes rerum familiarium, mendicabitis ? Si vero e converso steteritis cum quo stetistis, quid amplius facturus est qui vos damnavit ? Fecit quod potuit in vos : sententiam per pravam suggestionem extorsit. »

FRAG. 40. Et ait Eboracensis : « Domine rex, mihi soli mutire permittitur, duobus sociis meis his, quibus aqua et igni interdictum est, confabulari nemo potest, nisi, sententia damnationis eadem qua feriuntur, et ipse colloquens involvatur, quam ingratus ille, permissæ reversionis immemor, in illos et omnes coronationi filii tui consentientes effudit. Nunc autem patria potitus præcavens ne de cætero proscribatur, multo comitatu equitum peditumque præeuntium et subsequentium stipatus incedit, circuiens et quærens, ut in præsidia recipiatur. Non nos, domine rex, usque adeo vexationes assidue movent, non labores frangunt, non damna enormia sollicitant, quæ pro minimo ducimus, dummodo tibi domino regi fide servata placeamus, sed frequentes exactiones, sed officii nostri mutilata digni-

tas sed famæ periclitantis diminutio. Quasi flagitium perpetraverimus, spectaculum facti sumus reique judicamur, cum de puritate conscientiæ non dubitemus.» Respondit rex : «Si omnes excommunicationi subjacent coronationi filii mei consentientes, ego, per oculos Dei, non excludor. » Sed intulit Eboracensis : « Æquanimiter ferenda tempestas est, quam declinare non potes, ut ex quieta mente et modestia tolerantiæ lacessitus et passus injurias videri merearis. Quod facile fieri potest, si dissimulare potes impræsentiarum irrogata, et injuriantem quasi securum dimittis ad tempus.»

Frag. 41. Cujus vero efficaciæ fuerit in eo sententia, impræsentiarum absolvemus. Cum enim præfatus Robertus in domo sua, quam de nemoribus archiepiscopi pro voluntate sua passim succisis in Cantuaria construxerat, quibusdam communicantibus ei convivium fecisset, canes panem, quæ manus ejus contrectaverat, recusabant, qui de manibus aliorum quidlibet porrectum avide sumebant : mittentibus cunctis et reliquias ejus fragmentis aliorum commiscentibus ab utrisque tanquam tactu contaminatis visi sunt canes abstinere.

Frag. 42. Et adjecit : « Unus homo, qui manducavit panem meum, levavit contra me calcaneum suum. Unus homo, beneficiis meis insultans, dehonestat totum genus regium, totum sine vindice conculcat regnum. Unus homo qui manticato jumento et claudo, primo prorupit in curiam, depulso regum stemmate, videntibus vobis fortunæ comitibus, triumphans exsultat in solio. »

Frag. 43. Quorum nomina hæc sunt. Primus, Reginaldus, nullius, sicut asseverabant, sceleris metuens, et ab Urso patre belluinam feritatem trahens. Secundus, Hugo de More-Villa, mortis scilicet, vel mortium Villa. Quocunque modo dicatur, mortis virum exprimit. Hujus uxor, ut fertur, cum juvenem quemdam Lithulfum nomine ardenter amaret, et ille stuprum recusaret, exquisita muliebri versutia, petiit, ut vel educto gladio coram se ludentis speciem agens, admitteret equum suum. Quod cum faceret propria voce exclamavit ad præeuntem virum : « Huwe of Morevile, war, war, war, Lithulf haveth his swerd ydrawen ... » Quod Latine sonat : « Hugo de More-Villa, cave, cave, cave, Lithulfus eduxit gladium suum. » Quamobrem juvenis innoxius, tanquam qui ad fundendum sanguinem domini sui manum extendisset, morti addictus, et aqua ferventi decoctus, martyrium complevit. Quid de genimine viperarum speremus ? Nunquid de tribulis uvam, aut de spina ficum colligimus ? Si arbor mala fructus bonos facere non potest, teste veritate, consequens est ut ex radice mala et virosa germen innocuum non surgat. Tertius, Willelmus de Tracy, qui quamvis in congressu militari sæpe fortiter fecerit, tamen ejus conversationis fuit, ut exigentibus peccatis ad parricidium vel aliud flagitium devolvi meruerit. Quartus Richardus Brito, qui ob pravitatem vitæ ex Britone brutus effectus est : dumque præliatur in ecclesia, pro nomine tironis notam traditionis incurrit.

Frag. 44. Unde satellites Satanæ, cœlum terramque suo sceleri putantes arridere, proniores et animosiores effecti, in blanditiis elementorum sibi blandiebantur. Abierat Ranulfus de Broc in occursum eorum, totaque commota regione maritima, multo milite stipatus adventabat.

Frag. 45. Præcurrerant jam per medium fratrum vesperas cantantium duo pueri, plus terrore quam voce hostilem invasionem nuntiantes.

Frag. 46. Valvis igitur apertis, ecce lictores perscrutato palatio Ecclesiæ, conglobati per claustra ruunt. Ex quibus tres in lævis secures, unus bisacutam deferebat, omnes vero in dextris gladios acutos vibrabant.

Frag. 47. Quibus verbis sicarius repercussus duos vel tres passus resiluit, similis factus illis, qui in passione Domini, Domino dicente ego sum, abierunt retro et ceciderunt in faciem suam.

Frag. 48. Accelerans igitur Ursides de primo ictu referre tropæum, et de festina proditione sua lucrum prosiliit, et toto conamine suo capiti protenso vulnus inferre nitens, clerici cujusdam brachio gladio grave vulnus inflixit.

Frag. 49. Hic autem qui percusserat, exclamavit tanquam devicto hoste triumphans : « Percute, percute. » Protinus quidam stantes adhuc ad orationem dispersi sunt, secundum illud evangelicum : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.» Non enim levem omnibus timorem Dominus incussit, sed magnum, et qui posset cadere in quemvis etiam constantissimum. Timens autem clericus ille post vulnus vulnera, post gravia graviora, ad altare proximum divertit, quo plures ex fratribus vitæ metuentes confugerant, nescientes a quo percussus fuerat. Sed de auctore vulneris inde conjicimus, quod Willelmus de Traci cooperatoribus suis apud castrum Salwode, quantum quisque sævisset in martyrem referentibus, scelusque suum jactantibus dixerit se etiam brachium Joannis Saresberiensis præcidisse. Sed et unus de fratribus, circa patrem studio compassionis obversatus, ictum pertulit. Verum oratio boni pastoris obtinuit, ut grege non diminuto, ipse solus occumberet. Unde plano gladii percussus caput attonitum reportavit.

Frag. 50 Servata namque vultus venustate in morte specie tenus quamdam exhibebat hilaritatem et sanctitatem, quam gerebat in mente, ut non exspirasse videretur, sed vivido colore clausis oculis e ore potius somnum capere.

SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

VITA SEPTIMA

AUCTORE E. DE EVESHAM.

Venerabili domino et patri Henrico Dei gratia abbati Croylandiæ, E. humiliter dictus monachus de Evesham, salutem in salutis auctore.

Virorum illustrium et præsertim sanctorum vitam et exitum litteris tradere, satis et provide majorum nostrorum sanxit auctoritas. Hinc enim et Deus laudatur, qui gloriosus est in sanctis suis, et posteri ædificantur laudabili præcedentium exemplo provocati. Inter hos quasi quidam Lucifer in fine dierum istorum malorum, tanquam in fine cujusdam tenebrosæ et tædiosæ noctis, effulsit beatus neomartyr Thomas, cujus vita quam fuerit laudabilis et mors quam pretiosa, virorum authenticorum, qui super his scripserunt testantur volumina. Qui quoniam plures erant, nec poterat fieri quin aliqui aliquid deesset, quod alter forte haberet, jussit paternitas vestra ut in scriptis singulorum codicibus ea tantum ab unoquoque excerperem et excerpta seriatim ordinarem quæ ad historiam de martyre continuandam sufficerent. Tale aliquid ex ipsis evangeliis legimus factum ab eo qui nobis ex quatuor unum fecit. Nam et hic quatuor fuerunt auctores, Joannes episcopus Carnotensis, Alanus abbas Teokesbiriensis, Willelmus subprior Cantuariensis, et magister Herebertus de Boseham. Benedictus enim abbas Burgi de fine tantum et de his quæ post finem contigerant scripsit.

Hærebam, fateor, ad jussionem vestram, et licet commendabile esset, opus tantum cum viribus metiens manum continui; sed impulit cunctantem dignatio vestra una mecum opus aggrediens.

Jussus igitur et auxilio vestro pariter fretus, parui ut potui: vos, an vobis satisfecerim, judicate; cæteri ut volunt, æstiment. Si quis melius ordinare poterit, non invidebo. Ego quidem exemplo dedi, et quasi viam ostendi. Opusculum illud in tres partes divisum est: prima primordia viri sancti et cætera usque ad exsilium continet secunda in exsilio gesta; tertia martyrium et quæ post martyrium gesta sunt. Ut autem sciatur quid de unoquoque assumptum sit, ubicunque stylus variatur, nomen auctoris capitulo illo prænotatur. Valeat paternitas vestra in Domino

(Ita explicit prologus; sed ipsum opus idem est cum Quadrilogo a Lupo edito; quocirca, quoniam de isto Quadrilogo infra dicturi sumus festinemus jam ad translationem beati Thomæ, quam idem E. de Evesham, quicunque fuerit, qui hanc Vitam compilavit, ad finem operis sui adjecit.)

INCIPIT TRANSLATIO BEATI THOMÆ MARTYRIS.

Anno quinquagesimo passionis gloriosisismi martyris Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, venerabilis pater Stephanus successor ejus, quartus scilicet ab eo, et conventus Ecclesiæ Cantuariensis, corpus pretiosi martyris prænominati transferre satagentes, omnia quæ ad tantam solemnitatem credebant esse necessaria studiosissime procurabant. Præmissis siquidem ut decet jejuniis et orationibus, jam dictus archiepiscopus et Ricardus episcopus Salesberiensis et Ecclesiæ Cantuariensis conventus, quinto Kalendas Julii in principio noctis, in crypta, ubi corpus beati martyris jacebat, sicut constituerant, convenerunt, et postquam aliquandiu vacaverant orationi, lapidem marmoreum, quo sepulcrum martyris tegebatur, amoveri fecerunt. Omnibus itaque qui aderant intuentibus, inventum est illud organum quondam Spiritus sancti in vestibus sacerdotalibus, licet ex vetustate pro parte consumptis, et cæteris insignibus quæ summi sacerdotis decuerant sepulturam.

Lacrymantibus igitur præ gaudio cunctis et orantibus, monachi ad hoc deputati, corpus pretiosum manibus assumentes, archiepiscopo in capsa reponendum tradiderunt. Cæteris itaque cœptis orationibus insistentibus, archiepiscopus a prædictis fratribus corpus excipiens, totum in feretro suis manibus collocavit, exceptis paucis ossiculis, quæ extra

capsam retinuit, magnis viris et ecclesiis ad honorem A ipsius martyris distribuenda. Corpore siquidem per manus archiepiscopi decenter disposito, capsa firmissime clavis ferreis obserantur, et manibus monachorum ad locum honestum et feretrum deportata, usque ad diem translationis solemniter faciendæ secretius et conservata.

Miraculum. Celebrandæ translationis instante die, confluit populus innumerabilis Cantuariam, ut et martyri debitum honorem impendat et ejusdem suffragia in suis necessitatibus consequatur. Intererant siquidem huic solemnitati venerabilis pater Pandulfus, apostolicæ sedis legatus, Stephanus Cantuariensis, Willelmus Remensis archiepiscopus, Henricus rex Angliæ cum omnibus suis et proceribus, episcopi quoque, abbates et priores, cæterique viri B ecclesiastici diversarum regionum, quos singillatim enumerare prætermittimus, ne multitudo fastidium inferat auribus audientium. Populus autem tantus ad hoc festum confluxerat, ut civitas Cantuariensis et villæ vicinæ cum adjacente regione multitudinem vix capere potuissent.

Miraculum. Instabat horá tertia Nonarum Julii, cum rex, archiepiscopi, episcopi, abbates, principes et magnates, qui convenerant, præfatum thesaurum de crypta, ubi reconditum erat, ad altare sancti martyris bajulantes, in conspectu populi in loco ad hoc præparato reposuerunt, et hunc ibidem securissime obsignantes, quod de die supererat in laudibus martyris et lætitia cordis in Domino deduxerunt. Quod igitur devotio fidelium martyri debuit fideliter C impendit. Sed et martyr suæ gratiæ solatia suis fidelibus non subtraxit, nam cum archiepiscopus et conventus cæterique fideles et præcipue Londonienses opes suas et operam effunderent ut honori martyris nihil deesset, quod per eorum industriam posset explicari, ipse martyr quasi inesse devotis rependens, præambulis, comitantibus et sequentibus signis et miraculis totam solemnitatem suæ translationis adornavit.

Miraculum. Modicum tempus ante translationem beati Thomæ restat venturum, et ecce mulier quædam Kembella filiolam unam tantum habebat superstitem de quatuor, quos de viro suo susceperat, quæ graviter incipiens ægrotare et in gremio matris mortua est. Mulier ergo filiam plangens lacrymis et D gemitu modum excedere videbatur. Accurrens autem matrona nobilis vidua quidem, illius videlicet domina villæ, mota plangentis lacrymis et morte puellæ docta divinum auxilium invocare, arripuit filiam et ad matrem ejusdem subsidium invocans defunctæ mensuravit et surrexit puella. Mater et ejus cum candelam fecisset, et eam ad sanctum Thomam mittere cogitaret, puella rursus ægrotavit, et ut mater testata est, iterum expiravit. Illa vero recolens se minus gratam et devotam martyri exstitisse, vovit se puellam ad sanctum Thomam ducturam si eam secundo de mortuis revocaret. Gloriosus igitur martyr rigorem justitiæ temperans, per gratiæ suæ lenitatem puellam mortuam iterum vivam matri resignavit.

Miraculum. Quidam vir Devisis cum multis aliis orationis causa limina beati Thomæ in ipsius translatione volens visitare, ad pontem Branfordiæ prope Londonias venit. Circa medium igitur pontis obvians carro, in aquam projectus est. Ille vero non immemor sui sanctum Thomam jugiter invocavit, petens ne suum peregrinum perire permitteret. Quinquies igitur ad aquæ fundum immersus et toties ad aquæ summitatem reversus ad aridam rejectus est. Qui cum magna admiratione contestatus est, se nec in ore, nec in naribus, vel in auribus aliquam aquæ molestiam sensisse. Eumdem quoque virum alius quidam comitans pallium amisit in eodem loco ubi prior in aquam ceciderat, et in amnem pannum submersum non potuit hactenus quisquam invenire. Miles quidam de comitatu Northamptunæ viduam quamdam duxit in uxorem; cujus filius, puer triennis, quem de viro suo priore suscepit, ante militem jam dictum prandentem quadam die stans ad mensam de manu militis buccellam carnis ore suscepit. Puer autem morsellum glutire volens, strangulatus et mortuus est. Mater igitur primum suspectum habens militem de morte filii sui, clamans et lacrymans pluries geminando homicidam appellavit. Miles vero quamvis sanam habens conscientiam, tamen quia victus erat primum vehementer confessus est et surgens argenteum super puerum complicuit, vovens se puerum ad sanctum Thomam ducturum, si eum vita redonaret. Paululum igitur post votum illis quid Dominus facturus esset exspectantibus de gutture pueri buccella carnis quæ vitæ viam præcluserat, in os resiluit. Puer vero paulatim reviviscens ad plenum per merita martyris est vitæ redditus et amicis.

Miraculum. Miles quidam comitissæ Elugi, Robertus nomine, cum filio suo duodenni Robertulo nomine, iter arripuit versus Cantuariam, ut beati Thomæ limina orationis causa visitaret. Qui ingressus mare apud Wythsand fere usque ad medium maris prospere navigavit. Ille vero prædictus filius ejus somno gravatus ut vel urinam vel quidpiam faceret, ad proram navis perrexit; et dum incaute staret, in mare lapsus est. Quod cum vidisset pater, exclamavit dicens: » Sancte Thoma, miserere mei, et conserva mihi filium meum; » puer vero in mare paululum mersus et statim ad superficiem aquæ revectus ait: « Sancte Thoma, si vis, potes me adjuvare. » Interim navis impulsu venti a loco ubi puer cecidit avulsa est, quantum arcus bis vel ter sagittam jacere posset. Tunc nautæ ad clamorem militis velum dimiserunt et navem licet cum difficultate ad quærendum puerum retrorserunt. Elapso itaque unius horæ spatio vel sicut miles ipse protestatus est, quantum posset in equo moderate ambulando duas leugas vel tres Gallicas perfecisse, ad puerum pervenerunt, invenientes eum sedentem super aquas et nihil mali habentem, excepto quod

in casu suo parum aquæ salsæ hauserat. Cum autem puer vidisset navem a se recedentem, nimio dolore et desperatione vitæ absorptus, ut dolorem cordis morte corporis terminaret, caput mersit in A mare, ut citius interiret. Assumptus igitur puer in navem, hæc patri sciscitanti retulit, adjecitque quod cum se ipsum mergere vellet, quidam episcopus eum, ne mergi posset, supportavit.

SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

VITA OCTAVA

Auctoribus Henrico abbate et Rogerio monacho Croilandiæ

EPISTOLA HENRICI ABBATIS

AD STEPHANUM LANGTON CANT. ARCHIEP.

Reverendissimo patri et domino in Christo dilectissimo sancto Stephano Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, totius Angliæ primati et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, devotus filius suus H... permissione divina abbas Croilis, salutem et tam devotam quam debitam in omnibus reverentiam.

Si mihi, prout adjacet velle, suppeteret et posse, sanctam paternitatem vestram quam in Christo sinceræ dilectionis amplector affectu.... Exigit enim et gradus vestri sublimitas et vitæ vestræ sanctitas, ut ab omnibus omnis vobis impendatur honor ac reverentia, corde magno et animo volenti. Vos namque tanquam novus Beseleel tabernaculum Domini mysticum, id est sanctam Ecclesiam, insigniter ædificatis et ornatis. Unde divinæ gratiæ gratias exsolvimus uberes et devotas, quæ nobis in persona vestra idoneum procuravit archipræsulem ac primatem habentem jugiter penes se cum tintinnabulis sacræ prædicationis malogranata fructuosæ operationis. Doctrina vero, cujus prærogativa præminctis ad bene vivendum, efficaciter vos informat et sobrie et juste et pio juvamine. Opera siquidem vestra, reverendissime Pater, testimonium perhibent de vobis quod beatissimo martyri Thomæ prædecessori vestro conformes fueritis et sitis, non solum per expressam morum similitudinem, verum etiam perexsilii cæterarumque molestiarum fortem et æquanimam perpessionem. Unde credendum est quod sicut participes exstitistis tribulationum, sic eritis et consolationum, et sicut compassi estis, ita favente Domino et conregnabitis. In hujus rei argumentum fidei nostræ solidati spei anchoram infigentes, et gloriæ gloriosis martyris, qua gaudet in cœlis, in terris adjicere quodammodo volentes, lucernam corporis ejus super candelabrum ponere statuistis, ut de sub modio terræ translatum luceat apertius his qui ad eamdem gloriam suspirant. Hinc est quod et par- B vitatem meam inter alios ad illam gloriosam translationem nostri gratia litteratorie dignati estis invitare. Unde dignationi ac dominationi vestræ devotissimas rependo gratiarum actiones, et quia non ambigo quin insigni solemnitate multi multas ut dignum est facturi sint oblationes ad honorem sacratissimi martyris et ob reverentiam vestri, ego aliquid pro modulo meo cupiens offerre librum de sanctitate et magnificientia ejusdem martyris apud vos compilatum excellentiæ vestræ dignum duxi destinare. Cujus quidem compilationis modum necnon et totius voluminis seriem prologus subscriptus evidenter declarat, qualiter videlicet ipsa compilatio sumpta sit ex scriptis quinque historiographorum, contineatque gloriosi martyris originem et vitam, C studia et gesta, exsilium et agonem, passionem et cononizationem : qualiter etiam ex epistolis dicti martyris quas videlicet vel ille aliis, vel alii illi vel pro illo vel contra illum vel alii scripserunt, locis. competentibus congruenter insertis præfata compilatio non modicæ robur habeat auctoritatis. Licet ergo pretiosi martyris vita et passio luculenter a nobis tradita sit, fortassis memoriæ litterarum hoc tamen volumen, cum vobis vacaverit, plenius inspectum, ut opinor, habebitis acceptum. Humiliter igitur et devote vestræ supplico sanctitati, quatenus librum hunc ad laudem et gloriam beatissimi martyris necnon ad ædificationem fidelium studiose et ut credo, fructuose compositum, vice munusculi dignanter suscipere velitis. Cujus primarium ac D primicialem usum vestræ reservam paternitati rogans affectuose quatenus eidem si placet correctionis vestræ limam apponatis, ut sic deinceps aliis acceptior fiat et gratior ad legendum. Cum sicut ex sapientia vestra commendationem, ita ex excellentia vestra non mediocrem apud posteros assequi meruerit approbationem : ad honorem martyris et multorum utilitatem. Bene valeat in Domino sancta paternitas vestra.

[*Inter epistolam Henrici abbatis et Rogerii monachi, qui opus in secundam editionem ampliavit, codex Parisiensis habet notam quæ sequitur.*

Incipit prologus in Vitam sancti Thomæ archiepiscopi Cantuariensis et martyris, ex diversis opusculis excerptam : scriptus anno Domini millesimo quadringentesimo undecimo, finitus in profesto Luciæ Virginis per me Joannem Waning de Almania.

Serve pie Dei, recordamini mei !]

EPISTOLA ROGERII

SIVE PROLOGUS IN VITAM S. THOMÆ.

Amantissimo domino suo et patri, Henrico Dei gratia abbati Croylandiæ suus Rogerius humilis ejusdem loci monachus, quod domino et Patri. Gloriosum gloriosi martyris Christi Thomæ triumphum eo specialius sancta veneratur Ecclesia, quo se per ejus sanguinem nobilius recolit triumphasse. Ab apostolorum etenim temporibus, quod pace sanctorum omnium dictum sit, non est in unius hominis morte major aut utilior Ecclesiæ Christi collata victoria. Ipse enim licet Anglicanæ duntaxat Ecclesia videretur propugnare, universalis tamen Ecclesiæ videretur propugnare, universalis tamen Ecclesiæ causam egisse ex post facto probatur. Quoniam ex quo locum tabernaculi sui dilatavit, et in superbiam sæculorum posita est civitas Dei de qua gloriosa dicta sunt, gloriam secuta est æmulatio, cœpitque partes ejus laica potestas, quasi alter Ismael nunc palam nunc occulte deprimere. Hinc est illa vetus et inveterata inter regnum et sacerdotium de investitura quæstio : hinc aliæ quas enumerare longum esset controversiæ, quæ omnes aut fere omnes in hujus novi Zachariæ martyrio aut sopitæ sunt aut sedatæ. Hujus igitur sancta et vero Deo digna tametsi per se satis emineat luceatque omnibus qui in domo sunt lucerna super candelabrum erecta, conati sunt tamen plures, quasi oleum camino addendo, suis eam scriptis reddere clariorem. Et in hoc multorum et magnorum sudarunt ingenia, et quæ viderunt et audierunt, posterorum memoriæ bona fide mandarent, de vita viri, de moribus, de exsilio pariter et martyris fide plena et relatu digna relinquentium volumina. Id attendens, prudens et vigilans discretio vestra, ne in diversis de eodem auctoribus reperiri vel reprehendi aliquid posset dissonum aut prolixitate vel inculcatione tædiosum, speciali quadam in martyrem devotione, dudum ex diversis diversorum voluminibus compendiosam excerptionem et dulce quodam et gratum confici fecit temperamentum. Ubi sic omnium elegantiora omnia in unum compacta sunt corpus, ut et historiæ veritati nihil detrahatur et brevitati nihilominus consulatur. Sed quoniam restabant epistolæ ab ipso viro Domini, vel ad eum vel de eo a viris authenticis scriptæ, advertit prudentia vestra, quod si ipsæ locis competentibus prædicto insererentur compendio, exhinc et plurimum auctoritatis historiæ et non parum utilitatis procuraretur legentibus, placuitque id muneris parvitati meæ imponere, quod pro imponentis reveren-

A tia reverenter assumens, ut potui, consummavi, consummatumque vestræ discretionis examini committo, ut si quid in hac parte laudabiliter actum fuerit, vestrum sit qui jussistis ; sin aliter, quod timeo, hoc imperfectioni meæ imputetur. In quo lectorum benevolum monuerim et moneatur, sicubi epistolas non integras offenderit, sed recisas vel forte intercisas. Noverit enim hoc de industria factum, ut quando res plures epistolaris tenor complectebatur, reliquis omissis illa tantum capitula assumerentur, quæ rem ipsam, quæ tunc in manibus erat, contingere videntur. Verum, quia tot epistolarum insertio prolixitatem non generare non potuit, recreationis gratia, ut habeat lector ubi ex intervallo respiret, opus ipsum in septem libros secundum processum negotii

B distinguitur.

Primus viri beati mores et actus usque ad exsilium continet. Septimus, qui et ultimus, de reditu ejusdem et his quæ post exsilium gesta sunt contexitur. Quidquid medii illius temporis, quod in exsilio egit, scilicet sex annorum et mensis unius acta complectentur. Quod omne tempus quoniam in illo compendio vestro brevitatis gratia breviter tetigistis, nonnulla ibi omissa hic adjicere, necnon et aliter ibi posita transmutare quædam rerum seriatim explicandarum necessitas coegit. Primus ergo et secundus necnon et ultimus historica narratione res gestas plenius explicant. In reliquis quoniam crebro interveniunt epistolæ, minus laborat historia. Et quoniam ad singulos rerum gestarum articulos prætitu-

C latum auctoris nomen in margine supra charaxatum habet compendium, placuit idem in opere præsenti observari, ut si quid in quæstionem venerit si fides penes auctores. Fuerunt autem quinque magister Joannes Saresberiensis postea Carnotensis episcopus, Alanus Teokesberiesis, Willelmus subprior Cantuariensis, Benedictus abbas Burgi et magister Herebertus de Boscham, qui post omnes alios ab aliis omissa adjiciens stylo veraci quæ vidit et audivit hæc testatus est.

His ergo fides adhibeatur : hi intersertis epistolis loquantur. Nam de meo nihil interveniet nisi forte pro continuatione vel epistolarum insertione breve aliquid adjici necessitas compulserit. Facta et autem prima illo compilatio hortantibus votis pariter et cooperantibus apud Croylandiam anno regis Ri-

D cardi ultimo, et hæc ejusdem compilationis adjectio itidem apud Croylandiam anno regni regis Joannis quarto decimo, qui fuit annus ab incarnatione Domini juxta Dionysium millesimus ducentesimus tertius decimus.

[*Duo vel tria folia hic desunt in codice Parisiensi : quæ reliqua sunt, omnia cum quadrilogo Lupi satis congruere videntur, ideoque quatuor tantum capitula una cum conclusione operis, quæ cum ante dicto quadrilogo non congrunt, ex hoc libro excerpsi*].

Pro capitulo XI *habentur sequentia.*

Itaque archiepiscopus ad dominum papam Senonis venit ; tepide quidem exceptus a cardinalibus, ad

domini papæ præsentiam est intromissus, qui venientem ad se paterna suscepit benignitate, super vexatione ejus multimoda et peregrinatione tam periculosa et dura paterne compatiens. Post aliquot vero dies placuit archipræsuli de suo et suorum consilio totius dissentionis inter regem et ipsum in Anglia et exitus sui a terra causam domino papæ et cardinalibus exponere. Nec tamen dominus papa adhuc hoc ab ipso requisierat, exspectans forte quod archipræsul tanquam providus non requisitus hoc faceret: placuit itaque archipræsuli sic. Nam, etsi per proprios nuntios fuisset prius significata totius mali origo et causa, et sparsim per alios hinc inde commeantes relata, consultius tamen videbatur, ut ipsemet causæ suæ merita exponeret, et gestorum referret veritatem, et quas in ipsum præfati regis Angliæ nuntii imprimere conati sunt, ipsemet per se ipsum dilueret notas. Igitur post aliquot dies adventus sui ad curiam domino papæ, venerabilibus viris cardinalibus præsentibus, non quidem publice in consistorio, sed in thalamo secretius grata quadam et succincta brevitate enarravit: grata inquam, utpote eloquentia cujus modesta erat et elegans et lingua semper inoffensa; dumque primus a domino papa sederet et propter reverentiam vellet surgere, jussus residendo dicere, peroravit et producens scriptum, etc.

Inter copitula XI *et* XII *insertum est quod sequitur.*

QUALITER SAPIENTIBUS CURIÆ EUM SUPER GESTIS SUIS ARGUENTIBUS SATISFECERIT

Verum in crastino die a quibusdam cardinalium et plerisque aliis de curia viris magnis et eruditis qui in scripturis multum poterant (talibus quippe curia abundare et florere consuevit), archipræsul tanquam familiaribus suis et faventibus sibi benigna quadam et amicabili est asperitate objurgatus, quod diebus illis tam malis tempore videlicet schismatis et inter ruinas Ecclesiæ, contra principem suum, contra potestatem tantam se erexerit: parendum potius tempori et sustinendum dicebant, cum hora esset tunc et potestas tenebrarum, quando Petrus gladium suum non exserere sed jubetur reponere. Et sicut addebant, zizania ab inimico homine superseminata evangelicis servis nequaquam tunc colligenda, ne forte eradicando ea eradicarent simul et triticum. Unde et juxta patrisfamilias præceptum usque ad tempus [messis] utraque simul sinuntur crescere. Quod et idem ipsum est magistri consilium, qui propter dierum malitiam tempus redimendum suadet: « Redimentes, inquit, tempus, quia dies mali sunt. » Et propheta similiter: « Ideo, inquit, prudens in tempore tacebit, quia tempus malum est. » Auditis vero his et hujusmodi, archipræsul, qui tanquam providus a magnis et sapientibus curiæ hæc sibi in curia objicienda arbitrabatur, unde et cum suis pertractaverat super hoc et sermones suos in judicio jam disposuerat, secundum sapientiam et gratiam sibi datam mox respondit ad objecta prudenter et objicientibus satisfecit sufficienter.

A *Quæ sequuntur, spectant ad colloquium quod deinde habuit sanctus Thomas cum papa, et ad commorationem quam apud Pontiniacenses fecit.*

Cumque ad aliquod monasterium Cisterciensis ordinis declinare decrevisset archiepiscopus, elegit inter cætera Pontiniacum in Burgundia situm, eo quod præfatæ civitati Senonis, in qua dominus papa propter schisma morabatur tunc, vicinum erat, solum per duodecim leucas distans: et adhuc quia amplæ erant et abundantes monasterii facultates et multa charitas in erogando. Unde ad ejus petitionem dominus papa abbatem loci et potiores de fratribus vocans eis virum Dei Thomam commendat exhibendum. Qui, tum ex domini papæ relatu, tum ex celebritate famæ viri cognati probitate, Deo gratias B agunt, quo inspirante palæstrita suus talem locum velut quamdam agonis palæstram elegit. Cum igitu tres circiter septimanas in curia egisset, apostolica licentia et benedictione accepta Pontiniacum profectus est cum tanta alacritate et jucunditate a toto commeatu susceptus, quantam hostiæ cœlitus missæ vix impendere possent. Qui omnem humanitatem ei et suis exhibentes, præter institutionem ordinis et esum carnium et alia quædam animo prompto et voluntario indulserunt. Et quidem supra quam dicere nunc tempus sit, apparuit benignitas et humanitas ordinis circa illos. Tertio igitur quartove adventus ejus die ingressus capitulum, causam Ecclesiæ quam agebat, Deo et ipsorum orationibus commendavit.

C *Quartum excerptum est de ira regis.*

QUALITER REX TAM IN IPSUM PAPAM QUAM IN SANCTUM THOMAM EXCANDUERIT.

Verum dum in multa quiete et otio erudiretur et exercitaretur apud Pontiniacum archipræsul cum suis, ecce post dies aliquot venit ab Anglia rumor sinister et duri nuntii bajulus. Rex enim Anglorum a redeuntibus cum in se omnibus petitionibus contra archiepiscopum didicisset repulsum et adversarium suum, ut dicebat, a sede apostolica non solum foveri sed exhiberi comperisset, primo in dominum papam, deinde in archiepiscopum vehementer excanduit et in utrumque quantum potuit et ira suggessit, ultionem exercuit, potestate jubens regia, ut denarius sancti Petri per Angliam in fiscum conferretur D et ut omnes archiepiscopi suorumque possessiones confiscarentur, necnon et omnis ejus cognatio omnesque qui eum familiaritate vel quovis titulo contingebat exsilio addicerentur, sicut litteræ ejus testantur. [*Vide litteras de hac re scriptas.*

Ejecti sunt itaque proscripti hi et illi, cognatio et cognitio simul, in unum dives et pauper, sapiens et insipiens, vir et uxor, juvenes et virgines, senes cum minoribus, parvuli in cunabulis et ad matris ubera pendentes. Processit ulterius furor inimicus, et piis auribus horrenda crudelitas. Nam cum quotidie ab ecclesia pro archipræsule suo exsulante oratio fieret, edicto inhibitum est publico, ne id pro illo de cætero fieret quod pro hæreticis et schisma

ticis etiam pro perfidis Judæis facere Ecclesia con- A suevit. His vero omnibus perpetrandis et huic exsecutioni pœnali, quidam aulicorum satellitum mero archipræsulis odio præfectus est, qui inveterato odio archipræsulem oderat. Ad exsequendum malitiæ opus talis est præelectus ut archiepræsul eo amplius exacerbaretur et de quo satis fidebatur quod nec unum pœnalium mandatorum ista præteriret. Randulfus cognomento de Broc hic erat, qui etiam de suo super adjecisse creditur ultra mandatum dolorem super dolorem apponendo.

CONCLUSIO OPERIS

Sed ut ad martyrem redeamus, exemplo principum confluebant ad tumbam hujus neomartyris nostri juvenes et virgines, senes cum junioribus et B ipsi inter alios et præ aliis, qui causa quacunque ad ipso adhuc vivente dissidebant. Quotidie illud propheticum adimpleri videres : « Venient ad te qui detrahebant tibi et adorabunt vestigia pedum tuorum. » Felicem se judicabat quisquis aut sanguinis aliquid aut vestium ejus memoriale posset acquirere. Et primo quidem sanguinem aqua mistum adventantibus dispertiebant monachi, sed cum ille multitudini sufficere non posset, aqua ejus reliquiarum contactu sanctificata in ampullis stanneis per universum orbem portabatur ; factumque est quasi insigne peregrinorum beati Thomæ ut unus quisque ampullam suam reportaret. Constituebantur oratoria ; erigebantur altaria ; ut vix etiam in transmarinis civitatem reperias aut oppidum, quod non beati Thomæ habeat memoriam. Nam in Anglia quot ecclesiæ, tot fere in ejus honorem erecta sunt altaria. Videbatur memoriam martyris sequi virtutum operatio, ut non jam in loco passionis tantum vel a dæmoniis vel a variis mundarentur ægroti languoribus: sed passim ubi vel reliquiæ habebantur vel ubi pedes ejus steterunt, ipso nimirum ad sancti sui gloriam faciente mirabilia, qui mirabilis est in sanctis suis. Cui honor et gloria, laus et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen !

Servepie Dei, recordamini mei !

SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

VITA NONA

AUCTORE ANONYMO QUI SE DECIMUM APPELLAT.

Jesus Christus, heri et hodie ipse, et in sæcula C manens, quæ a prima origine profunda caligine mortalibus incomperta sunt, in diebus nostris revelavit condensa usque ad cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium, imo usque ad ipsam supereminentem scientiæ charitatem Christi ; nobis enim, inquit, revelavit Deus per Spiritum sanctum dum paulatim et quasi gradatim mundo innotescit manna absconditum, mel silvestre, multitudo dulcedinis ejus, benignitas scilicet et humanitas Salvatoris nostri quæ ob initio per prophetarum oracula, in fine vero per martyrum constantiam et miracula, non sophistica non phantastica, ut infidelium plerique sensere, fuisse comprobatur. Fuit olim falsitas in cœlo reperta : post hæc nobis veritas de terra est exorta, veritas quæ est Christus. Christo D denique in carne passo velum templi scissum est, revelata sunt mysteria et beato Thoma per martyrium consummato, fractum est alabastrum, et domus Dei id est ecclesia catholica impleta est ex odore unguenti. O unguentum in capite quod descendit in barbam a Christo in Thomam, in barbam Aaron ! Ecce sacerdos magnus de populo barbaro. Ecce vere Israelita sæculi populique sui honor et gloria a lateribus Aquilonis, ut illustret Occidens totum Orientem. Quocirca operæ pretium duxi diversa quidem nec adversa quæ de ipso scripta sunt volumina, in unam compingere historiam tam moderate repressam, ut nec prodiga sit in ea copia nec damnosa concinnitas, ut saltem varietas ipsa legentium fastidio medeatur, donec studiosus efficiatur, antea fastidiosus. Hoc enim modo apud Tullium statuarius ex virginum formis aliis atque aliis excogitatum singulari venustate legitur exculpsisse simulacrum. Sanctus quoque Hilarius de synodis edidisse libellum ex variis ingeniis excellentissima quæque suis interserens : non operis ut ipse ait auctor sed ordinator. Sic et ille tripertita compilator historiæ : « De auctoribus, inquit, singulis deflorata colligimus. » Ad commendationem gratiæ Dei spiritus veritatis non inspiret, quo sine nil a tum mens concipit, ut pura et fide plena prosequa

ɪr oratio quæ pia pro viribus aggredimur intenone. Certo certius est penes eos esse constantiam eritatis quos imitati sumus, inter quos brachii oram martyre immolando præcisi præcellit dextera uæ nobis ista reliquit transcribenda. Vidi homiem puerulus senem. Volentibus igitur et valenibus præcedentium opera legere, prout quisque uum digessit tractatum, libellus iste nullum facit ræjudicium. Illis curæ fuit in narratione ordinanda c per hoc ordinanda nonnulla de competentibus mittere : mihi vero simpliciter historiæ texere eritatem, et sic etiam ab aliis omissa repetere peræ pretium visum est, cum reperiantur kata eucam de gestis quædam et verbis Domini a reliuis intacta capitula, quæ fidei nostræ sunt valiissima propugnacula. Cum vero sit difficile lineas ısequi alienas nec alicubi excedere, si et hic conngat a narrandi serie leviter exorbitare, veniam abit ignorantia culpæ. Verum quia ingenui pudoris lenum est, ut Plinius ait, fateri per quos perfeeris, in procemio breviter arbitror recensendos rimos hujus operis auctores.

Dignitate prior est, quia episcopus, Joannes Carıotensis; secundus Herbertus de Bosan doctor et pse insignis, Sequens vero Edwardus cognomento rim, in martyris immolatione, ut diximus, brahio mutilatus. Sed et quartus nihilominus ejusdem ominis Edwardus. Alii quoque vita et eruditione larissimi, Benedictus scilicet et Alanus abbates, orumque abbreviator abbas de Clai. Monachi vero Villermus atque Rogerus, quorum prior Cantuaiensis, Pontiniacensis erat alter, viri sancti pro hristo exulantis in Pontiniaco minister. Quibus dem non habere infidelis est.

Posttales decimus ego vindemiator acinos et deidentia grana collegi, ut quasi ex myrrha et aloe igra conficiatur, habeatque in aceto passionum hristi ubi buccellam suam intingat Ruth Moabitis x ipsius beati martyris epistolis, velut apis e floculis mel plusquam Atticum dulcedinis habens eliiens. Ad hoc enim locis illas per historiam opporınis duximus inserendas, ut et scriptis coronetur uis qui quod jussit hoc gessit, et ut ab ipso muıetur omnis ordo gradus conditio, hinc quod imiteır inde quod miretur, cum sit mirabilis in singu-

A lis, in mirabilius singularis. Styli remedio restituendi sunt mundo quibus dignus non erat mundus et beatorum martyrum diligentius audienda certamina, ut qui Christi calicem bibimus nacta feliciter occasione pro Christo sanguinem fundere parati simus.

[*Post multa similia, quæ omisimus, explicit prologus verbis quæ sequuntur.*]

His etiam accedit quod a viro egregio abbate scilicet Ægidio de Alna, territorii Leodinensis, ut scriberem sum rogatus, qui mihi hanc prætexuit dicendi seriem : expostulans ut adnotato in margine auctoris nomine intitularem quis hoc quis illud enarret, et de communi quid singuli sibi specificent operis e regione parathesis nomen loquatur opificis, B maxime ubi excellentiora tractantur. Quæ igitur ex Francorum, Flandrensium, Anglorum, Britonum, Scotorum atque sub occiduo sole Hibernensium armariis exactissima diligentia indagatis non celanda accepi, communico universis, sancto martyri ad gloriam, lectori ad gratiam, mihi ad veniam. Nihil hic quod non prosit aut delectet ut credimus; ideoque ut memoriæ facilius inhæreat certo prænotata numero in capitula duodeviginti opus omne distinximus : singula fere omnium (qui materiæ huic ante nos stylum applicuerint, incensentes virorum duntaxat illustrium, quorum nostris obtutibus est collata facultas. Personam denique propriam post paululum inter anonyma, ut ait Ecclesiastes, oblivione delendam paginis expressius inserere posteris ad C notitiam supersedimus, metuentes illud Jeremiæ : « Recedentes a te in terra scribentur, quia in libro vitæ censeri minus sunt solliciti, dummodo quod optant obtineant; hoc est ut vocentur Rabbi, cum sola sit voluntas in crimine, dicente Deo : Nolite in sublime attolli. » Sed hactenus hæc, etsi prolixe non tamen supervacue prælibata, procemii vice sufficiant. Non enim commendatione privata eget virtus religione publica consecrata, cujus lux et laus evidens, cujus fama non occidens, licet sub occidente.

[*Post hæc incipit tractatus de Vita sancti Thomæ, quem, quoniam ex aliis scriptoribus compilatus esse videtur, prætermisimus.*]

SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

VITA DECIMA

AUCTORE BENEDICTO ABBATE PETRIBURGENSI.

(Hujus tractatus fragmenta tantum exstant, a Lupo in secundo Quadrilogo edita.)

FRAG. 1. *Qualiter milites ad archiepiscopum accederunt et eum convenerunt.* Die igitur natalis Domini quinto, sedente archipræsule in thalamo suo circa horam diei undecimam, considentibus hinc et inde clericis et monachis nonnullis, de negotiis et utilitatibus cum archiepiscopo agentibus, ecce satellites quatuor prænominati, cum patre suo Satana a facie Domini egressi, thalamum archipræsulis ingressi sunt. Salutati, ut moris est, a nonnullis in introitu considentibus resalutatis eis, sed voce submissa, usque ad archiepiscopum progrediuntur. Et considentes ante pedes ejus in terra, ipsum nec suo nec regis nomine salutantes, utpote a quibus longe erat salus, mors et perditio prope, venenum aspidum, quod sub labiis gerebant, ut postea impetuosius erumperet, per moram aliquantulam compresserunt silentio, innocentissimo Christo Domini nihilominus tacente.

Cum ita sub silentio, non sine considentium admiratione, modicum temporis intervallum attrivissent, Reginaldus filius Ursi, mente potius ursinus quam genere, sic sanctum affatus est: « A domino nostro rege de partibus transmarinis ad te directi regia tibi mandata deferimus. Volumus igitur scire, utrum ea malis secretius, an publice dici. » At vir Dei nec prospera mundi sperans, nec adversa reformidans, simplici et supplici voce respondit, dicens: « Hoc vestro arbitrio, vestræque relinquo voluntati. » Reginaldus ait: « Secretius ergo dicantur, iis qui præsentes sunt interim absentatis. » Sanctus vero, nec suorum multitudine confisus, nec solitudinem veritus, omnibus suis indixit egressum. Quibus egressis et solis illis quatuor satellitibus in thalamo cum archiepiscopo remanentibus accurrens ostiarus ostium patefactum dimisit, ut qui extra jam consederant, ad dominum suum, christum Domini, oculos reflectentes, tam ipsum quam illos Dei inimicos intueri valerent. Cumque Reginaldus prædictus regia quædam explicuisset mandata, et vir Dei prudentissimus luce clarius perpendisset, quod nec pacis

A nec alicujus boni speciem prætenderent, recolens etiam illius evangelici quodam præsagio futurorum, Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, accersito ostiario, tam clericos suos quam monachos, qui forte ibi aderant, laicis omnibus exclusis, adesse præcepit. Quibus ingressis ait sanctus ad satellites: « Ecce, domini, quæ vestra placent voluntati potestis his præsentibus loqui. » Reginaldus ad hæc: « Ex quo ea in publicum potiu venire delegisti, quam secreta teneri, et nos nihilominus ea, tuæ super hoc satisfacientes voluntati, præsentibus publicabimus. Mandatum tibi a domin rege deferimus, qui in partibus commoratur transmarinis, ut ad filium suum novum regem cismar num pergas, facturus ei quod domino et regi facer

B debes. » Sanctus ait: « Et quid est quod ei facere de beo? » Et Reginaldus: « Hoc in tuam potius deb venisse notitiam, quam nostram. » At ille inquit. » illud scirem, me profecto nullatenus id ignorare d cerem: verum existimo me prorsus ei fecisse, qui quid ei facere debeo. » Reginaldus contra: « Nequ quam: multa adhuc facienda, multa sunt corrigenda Asseverante igitur archiepiscopo se nescire quid erg majestatem regiam emendare deberet, nisi illud e rum benevolentia, quæ utique nulla erat, edicere ait Reginaldus: « Cum te rei hujus penitus confitear ignarum, nos tibi quid agere debeas explicabimu Mandat tibi dominus rex noster, ut ad filium suu regem, in finibus cismarinis commorantem, quant cius eas, fidelitatem ei interposito juramento fact

C rus, et quæ in regiam peccasti majestatem eme daturus. » Respondit vir Domini, et ait: « Unde i fidelitatem tactis sacrosanctis debeo confirmare? a in quo majestatis regiæ reus effectus sum? » Satell autem posteriori quæstionis parte, quam solvere n latenus poterat, omissa, sic denodavit anteriorem « De baronia, quam de domino meo rege tenes, exi tur a te cum juramento confirmata fidelitas. Et clericis quos in terram suam adduxisti, si in terra s remanere voluerint, securitatis juramentum nihi

ιinus exigitur.» Archiepiscopus ad hæc: «De bañia domino meo regi, quidquid jus aut ratio dictaerit, facere paratus sum. Verum omni ambiguitate ımota pro certo teneat, quod nec a me, nec ab liquo clericorum meorum juramentum aliquod porit extorquere. Multa super modum extorta sunt, ; jam perjuri et excommunicati nimirum videntur xcedere. Sed jam plurimos, Deo gratias, tam a criıine perjurii, quam anathematis vinculo colligatos bsolvi, reliquos cum Dominus annuerit, ab eisdem ericulis ejecturus.» Reginaldus inquit: Intelligimus uod nihil eorum, quæ tibi proposuimus, facturus is. Præterea præcepit dominus rex, ut episcopos uos a te absque licentia sua vel excommunicatos el suspensos tam a damnationis, quam a silentii bsolvas sententia, tam super his, quam super aliis uæ tibi volet objicere, juri pariturus.»

Et archiepiscopus: «Episcopos quidem nec suspenli nec anathematizavi, sed dominus noster papa, cui ignoscitur esse a Domino collata potestas. Si super his ausam volueritis instaurare, inter vos et ipsum cauaversetur: Mea nihil interest super his vobis responlere.» Reginaldus dixit: Etsi id in propria persona ıon feceris, per te tamen et tuo factum est instinctu.» :t Sanctus inquit: «Si dominus papa nimiam eccleiæ meæ inique illatam respiciens injuriam vindicaerit, fateor mihi non displicere.» Impietatis autem ilius, qui huc usque totis insisterat viribus, quibus aptiose loquens prudentissimum agnum Dei vel n sermone caperet, vel contra Dei et Ecclesiæ, cujus ›ropugnator erat invincibilis, honorem a statu retitudinis averteret, eum vidisset quia ante oculos ›ennati frustra rete jecisset, convictiosis eum insinulationibus aggreditur, dicens: «Hoc tibi placere nanifestis probas indiciis, quod in regiæ majestatis ledecus atque despectum, episcopos suos ab episco›alibus arces, et a sanctæ matris Ecclesiæ sequestras iminibus, eo quod dominum nostrum novum regem, ıd quem de jure spectat hæreditas, utpote regis ilium et reginæ, signum etiam in humero ferentem mperii, ausi fuerint coronare. Et cum adversus ıanc ejus exaltationem insurgens rex talem præsumpseris, credibile satis est, verique simillimum, juod coronam suam velis subripere, et regno invaso 'ex terræ nominari et esse. Sed, annuente Deo, nejuaquam usque ad dignitatis regiæ nomen proficies.» Sanctus autem non immemor sententiæ, qua dicitur: *Vir iracundus suscitat rixas, sapiens autem mitigat suscitatas*: amaricato satellitis animo mitis responsi apposuit medicinam, dicens: «Nequaquam, Reginalde, nequaquam ad regis nomen vel dignitatem aspiro, nec coronam suam ab eo avellere cupio; tres ei potius vel quatuor coronas tales, si mihi pro voluntate facultas responderet, libenter impositurus. Nec æstimo quemquam, solo patre suo domino meo rege excepto, in mundo esse, qui tenerius me illum diligat, vel plus ei boni exoptet. Et hoc ei, vita comite, si Dominus annuerit, opere comprobabo. Porro super episcopis, quos a me vel

A per me suspensos asseritis vel excommunicatos, pro certo noverit vestra discretio, quidquid actum est, regio actum consensu atque consilio. Cum enim in festo beatæ Mariæ Magdalenæ, reformata inter nos pace, in pristinam gratiam me recepissem, et super injuriis et violentiis mihi meisque illatis, maxime vero super episcopis, qui in matris suæ Cantuariensis Ecclesiæ despectum, quod mei erat officii usurpare non timuerunt, querimoniam apud ipsum deposuissem, ille sua gratia ut a domino papa juris et æqui vindictam qualemcunque possem impetrare concessit, adeo ut non solum ad consensum inclinari, sed etiam spondere mihi dignaretur auxilium.» Exclamans autem Reginaldus, tam facetæ curialitatis vacuus, quam furore plenus, inquit: «Audi, quid
B est tu dicis? Inexemplificata et inaudita proditio: si dominus rex episcopos suos excommunicandi vel suspendendi tibi contulisset licentiam, qui præcepto suo filii sui coronationi interfuere. Porro nunquam et in mentem venit. Te vero immensi mali noveris auctorem, qui dominum nostrum regem tali proditione insimulas.» Archiepiscopus inquit: «Reginalde, Reginalde, nequaquam regem proditionis accuso. Verumtamen reformata inter nos concordia, et habitæ inter nos conventiones nequaquam ita latenter factæ sunt, quoniam archiepiscopi, episcopi, viri multi sublimes, viri valde religiosi quingenti etiam et eo amplius milites eis interfuerint, easque audierint. Sed et tu ipse, domine Reginalde, interfuisti.» Respondit veritatis inimicus, et dixit: «Vere
C neque ibi præsens adfui, nec hæc vidi, vel audivi.» Sanctus autem, utpote tam in verbo quam in voce temperatissimus, suppliciter et simpliciter affirmans ait: «Imo Deus scit; certus sum enim, quia te viderim ibi.» Ait ille rursus, quod ibi non fuisset pejerando, seque pejerando inficiatus ait: «Mirum est et inauditum, quod domino nostro regi tantæ proditionis notam imponis. Nec hoc poterit de te ullatenus sustinere, nec nos, qui homines ejus sumus fideles, ulterius sustinebimus.» Exclamaverunt autem tunc et alii milites, in minas easdem prorumpentes, quod eum supra modum sustinuissent. Turbati sunt igitur insipientes corde, et iniquitatem in excelso locuti: convitia convitiis, minas minis accumulant.

D Vir autem Domini, qui non solum minis et convitiis venerat affligi, sed et caput gladiis pro tuenda libertate Ecclesiæ libenter exponere, juxta illud ethici.

Dum furor in cursu est, currenti cede furori.

mitius respondit dicens: «Ex quo in fines istos cum Dei regisque plenaria pace per ipsius conductum deveni, multas satis comminationes, multa opprobria, multa damna sustinui. Verbi gratia, de hominibus meis captis, et rebus eorum violenter ablatis; de equis meis, quos Robertus de Broc mutilavit cauda; de vinis meis, quæ Ranulphus de Broc violenter detinuit, quæ etiam dominus rex per me-

dium terræ suæ transmarinæ deduci fecit in Angliam. Aliis etiam injuriis et opprobriis multis affectus sum, cum dominus noster rex filio suo regi tam per brevia, quam nuntiorum viva voce mandaverit atque præceperit mihi meisque firmam pacem haberi. Et super omnia hæc mihi comminari venistis. Noveritis quia talia valde moleste fero. »

Reginaldus ad hæc : « Si quis aliquid forte præsumpserit, quod in tuam videbatur redundare injuriam, quare non illud exposuisti, et quidquid jus dictaret aut ratio, reportasses ? » Archiepiscopus inquit: « Apud quem querelam meam deponerem ? » Et satelles ; « Apud regem cismarinum. » Archiepiscopus inquit : « Amice, satis conquestus sum, satis illatas mihi injurias exposui, satis ad satisfactionem impetrandam incassum laboravi. Præterca tot mihi in dies cumulantur injuriæ, tot et tam tædiosis malis affligor, tot in auribus meis tam noctibus quam diebus pauperum meorum hominum resonant querimoniæ, quod ad singulas necessitates singulos nequeam nuntios invenire. Sed et injurias meas quamvis exposuero, juris mihi et rationis beneficium denegabitur. Rex enim cismarinus, ejusque justitiæ, ex domini regis in finibus transmarinis commorantis pendentes consilio, nihil eo faciunt inconsulto : mihi juris et æquitatis, meis transfretandi et regem adeundi copia denegatur. Unde et male nimis mecum agitur. Verum ex quo nec hinc nec illinc recti quidquam seu justitiæ invenio, ego qualem potest et debet archiepiscopus exercebo, pro nullo mortalium id dimissurus. » Ad hanc vocem unus illorum exclamavit : « Minæ, minæ : etiamne totam terram interdicto subjicies, et nos omnes excommunicabis ? » Et alius : « Sic mihi Deus sit propitius, nequaquam id efficiet : multos supra modum in anathematis vincula conjecit. » Illis igitur exsilientibus, et iræ et convitiis frena laxantibus, chirothecas contorquentibus, brachia furiose jactantibus, et tam gestibus corporum quam vehementia clamorum manifesta insaniæ indicia dantibus archiepiscopus etiam surrexit. Jam vero præ nimietate tumultus et confusione nemo facile noverat discernere, quæ verborum venena quisque illorum in Christum Domini spargeret.

Tandem vero filii Belial ad monachos, qui forte aderant, conversi, his eos verbis in proprium et totius patriæ patrem armare, casso licet labore, conati sunt : « Ex parte domini regis præcipimus vobis, ut hunc hominem ne quoquam divertat, diligenter custodiatis, rursus illum regi, cum ei placitum fuerit, repræsentaturi. Eumdemque sermonem iterum iterumque replicantibus respondit pius pater pro filiis : « Quid est hoc ? Nunquid me fuga labi velle putatis ? Nec pro rege, nec pro aliquo viventium fugam inibo. Non veni ut fugerem, sed ut grassantium rabiem et impiorum malitiam exspectem. « — « Vere, inquiunt satellites, vere, volente Deo, non effugies. » Nec administraverat verbum istud viro sanctissimo in regis despectum inflata superbia, sed in virtutis exemplum fundata in Chri-

A sto perfectaque constantia : illis itaque in tumultu maximo et contumeliis egredientibus, plurimumque comminantibus, secutus est eos archiepiscopus usque ad ostium thalami, Hugonem de Morevilla, qui cæteris sicut nobilitate generis, ita et virtute rationis debebat præeminere, ut secum reversus loqueretur, inclamitans. Verum illo, reliquisque, utpote qui jam seipsos præ furore capere non poterant, cum superbia et indignatione abeuntibus, reversus vir Domini resedit, et de hujusmodi regis mandatis, ac satellitum contumeliosis verbis coram suis conquestus est. Unus autem clericorum suorum, videlicet magister Joannes Saresberiæ, vir litterarum multarum, eloquentiæ magnæ, profundique consilii, et quod his majus est, in Dei timore et amore fundatus, con-
B querenti tale dedit responsum : « Domine, inquit, res nimis admirabilis est, quod nullius admittis consilium. Et quæ necessitas fuit tantæ excellentiæ viro ad ampliorem malignorum illorum exacerbationem surgere, et post eos ad ostium usque procedere ? Nonne satius esset, communicato cum his, qu[i] præsentes sunt, consilio, mitius eis dedisse respon[…]sum, qui tibi quidquid possunt machinantur mali et ut te ad iracundiam provocatum in sermone sal[…]tem, capiant ? » Sanctus autem, qui pro justitia et libertate Ecclesiæ ad mortis angustias, tanquam a[d] quietis delicias suspirabat inquit : « Consilium jam totum acceptum est. Novi satis quid agere debeam. » Et magister Joannes : Utinam, annuente Deo, bonum sit ! »

C Egressi igitur milites profani, et ad socios et complices suos in curiam acelerantes, et se velocius ar[…]mantes, reversi sunt in loricis, cum gladiis et se[…]curibus, arcubus et sagittis, et bisacutis, et cæteri[s] instrumentis, vel ad seras et ostia demolienda, vel a[d] excogitatum flagitium mancipandum effectui. Præcurrentes vero aliqui ad archiepiscopum clamabant «Domine, domine, armant se. » At ille : « Qua[…] cura ? sinite armare. » Erat in detestanda illorum societate perditionis ille filius Robertus de Broc[…] quem, ut diximus, propter scelerum suorum enor[…]mitatem die natalis Domini anathematizatum, […] communione fidelium præsciderat vir sanctus, q[…] introitus et exitus curiæ noverat universos, utpot[e] qui dum exsularet archiepiscopus, sub domino su[o] Randulpho de Broc totius archiepiscopatus habuera[t]
D custodiam. Dum igitur ostium aulæ occupare fest[i]narent, præcaventibus famulis exclusi sunt. Cum[…]que ostio clauso et objectis obicibus prorsus ei[s] denegatus esset introitus, ducatu præfati Rober[ti] ad gradus quosdam secretiores, per quos de tha[…]lamo exteriori in pomærium erat descensus, quar[…] tocius diverterunt, proximaque fenestra demolit[a] etiam ostium reserarunt. Cumque fortissimo D[ei] athletæ a præcurrentibus famulis undique acclama[…]tum esset ut fugeret, ille cui nihil vilius erat qua[m] mortem timere pro Christo, nec loco nec animo m[o]tus est. Instantibus etiam tam clericis quam mona[…]chis, et oppido illum ad fugam hortantibus, nihil[…]

minus sedebat intrepidus, nesciens cum his, qui ad tempus credunt, in tempore tentationis recedere. Monachi vero, qui forte pauci aderant, seram ostii, quod ad Ecclesiam per claustrum ducebat, confringentes, patrem suum, licet invitum, inducere satagebant, honestiorem ei discedendi causam proponentes, horam videlicet esse, qua eum in ecclesia vespertinas laudes oporteret exsolvere. Tunc Sanctus, Dominicum illud præceptum etiam ad litteram non immemor observare : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me, » crucem præferri sibi præcepit. Egressus autem cum a commeantibus accelerare cogeretur, quasi fugam erubescens gradum fixit. Instantibus autem nihilominus monachis, et ut procederet oppido compellentibus, sive quia irreverentius solito, sive ut suos confirmaret et consolaretur, hæc eis verba sæpius replicabat : « Quid est hoc, domini, quid formidatis? » Cumque ad ostium claustri appropinquassent, et nec illud confringere possent, nec clavem præ manibus haberent, ecce cellerarii duo Cantuariensis Ecclesiæ, Ricardus et Willelmus, qui audito tumultu et collisione armorum per viam claustri illo properabant, ostium idem, avulsa sera, venienti archiepiscopo patefecerunt.

Frag. 2. *De ingressu archiepiscopi in ecclesiam.* Audito igitur armatorum superventu, quidam ex fratribus ad orationem adhuc persistebant, quidam timentes diverticula petebant. Quibusdam vero subvenire volentibus, exivit quidam ex fratribus dicens : « Ingredere, pater, ingredere, mane nobiscum, ut si necesse est una compatiamur et glorificemur. Exanimatos absentia tua præsentia consoletur. » Respondit : « Ite, divinæ servitutis pensum implete. » Et subsistens ad ostium inquit : « Quandiu tenebitis introitum, non introibo. » Cedentibus illis ingressus monasterium substitit in limine, repellensque populares circa se quasi ad spectaculum constipatos, inquit : « Quidnam metuit gens ista ? » Responsum est : « Armatos in claustro. — Ad ipsos, ait, exeo. » Prohibentibus autem fratribus eum exire cœpit circa limen observari, et cum procedere moneretur, et ad Sancta sanctorum se conferre, ut deferretur ei ex reverentia loci, non acquievit.

Tumultuantibus interea clericis, quibusdamque fratribus vectem ferreum obducentibus inquit : « Abite, pusillanimes, sine miseros et cæcos delirare : præcipimus in virtute obedientiæ, ne ostium claudatis ; non enim decet ecclesiam incastellari. » Omissis igitur vesperis accurrunt quidam monachorum, pastoremque suum, licet renitentem, introducentes, clausis ecclesiæ valvis hostes festinant excludere. Regressus autem pater sanctus quantocius increpabat eos dicens : « Dimittite meos intrare. » Et accurens ostium aperuit, et hos et illos a valvis removens, suos qui deforis luporum morsibus relicti fuerant, sacratissimis manibus suis trahebat in ecclesiam, dicens : « Introite, introite citius. » Ut dicere posset cum Domino : « Quos dedisti mihi, non

A perdidi ex eis quemquam. » Tandem vero filiorum suorem instantia violenter inde abstractus, hostibus jam prope positis ostia patefacta reliquit, ne impedito illorum itinere ejus impediretur martyrium, quo se scierat et prædixerat futurum esse beatum. In finibus enim transmarinis adhuc positus duobus abbatibus, Pontiniaci scilicet et Vallis-Lucentis, sicut præscripsimus, passurum se esse martyrium, et in ecclesia occidendum manifeste prædixerat. Utrique etiam prædixerat in Angliam se esse iturum, non tam propter domini papæ præceptum, quam propter martyrii sui revelationem.

Frag. 3. Et cum vir Domini illam mortis horam satis declinasse potuisset, si vellet, intrantibus in monasterium prædictis satellitibus, et aliis : « Ubi B est ille proditor? » aliis : « Ubi est archiepiscopus ? » vociferantibus, sciens Sanctus in spiritu omnia, quæ ventura erant super eum, occurrit iis e gradibus, quorum aliquos jam conscenderant, vultu intrepido dicens : « Ecce ego non proditor, sed archiepiscopus ; » Dominum videlicet imitatus, qui quærentibus se Judæis processit obviam, dicens : « Ego sum. » Accedens autem primus illorum dixit sancto : « Fuge, mortuus es ! » Ait sanctus : Nequaquam fugiam. » Sacrilegus autem satelles manu in eum conjecta, pileumque mucrone dejiciens, inquit : « Veni huc, captus es. » At sanctus : « Hic mihi facietis quæ facere vultis ; » palliique sui lasciniam de manu ejus excussit.

Frag. 4. Et ad alterum loricatum, quem gladio C nudato appropinquare videbat, conversus dixit : « Quid est, Reginalde ? Multa tibi contuli beneficia ; et ad me in ecclesiam armatus accedis ? » Nonne his verbis videbatur imitator Christi Christum exprimere Judæis dicentem : « Tanquam ad latronem exiistis cum gladiis et fustibus comprehendere me ? » Cui satelles spiritu furoris plenus inquit : « Jam scies ; mortuus es. »

Frag. 5. Et inclinato capite secundi vulneris præstolabatur adventum. Secundo vero vulnere capiti ejus inflicto, recto corpore quasi ad orationem prostratus in terram corruit. Tertius autem plurimam testæ portionem amputando vulnus præcedens horribiliter ampliavit. Quartus autem ab uno eorum quod ferire tardaret correptus, in idem vulnus in manu gladium vibravit, gladioque in pavimento D marmoreo confracto, tam cuspidem, gladii sui capulum reliquit ecclesiæ. Satisque veritati congruum esse videretur, quod non nihil res ista portenderit. Quid enim gladii adversariorum confractio, nisi potestatis adversæ dejectionem veram, et triumphaturæ per sanguinem martyris, Ecclesiæ signare videtur victoriam ? Nec sufficere videbatur eidem filio Satanæ in Dei sacerdotem tantum perpetrasse flagitium, nisi etiam, quod dictu horribile est, injecto in sanctissimum caput ejus gladio, jam defuncto cerebrum ejiceret, et per pavimentum crudelissime spargeret, sceleris ejusdem participibus clamans : « Mortuus est, quantocius eamus hinc. « Unde ti-

muisse illos conjici potest, ne supervenientes aliqui A de sancti martyris militibus vel famulis domini sui sanguinem vindicarent. Exeuntes autem de monasterio, sicut in prælio fieri solet, in insignis victoriæ signum clamabant : « Regales milites, regales ! » Alii autem insultabant dicentes : « Voluit esse rex ; voluit esse plus quam rex ; modo sit rex, modo sit rex. » Et in hoc similes illis, qui Domino in cruce pendenti insultabant, prœtereuntes et capita sua moventes, et inter cætera dicentes : « Dixit enim, quia Filius Dei sum. »

FRAG. 6. Cui unquam martyrii titulus exstitit gloriosior? Cum enim singuli martyrum singulas causas agentes singulare ob salutem propriam certamen inierint, iste universalis Ecclesiæ causa suscepta contra principes et tyrannos, contra ecclesiæ sanctæ B mercenarios potius quam pastores decertans, ut eam evinceret, satellitibus de corpore suo triumphum reportare permisit. Illos alterius sectæ homines, istum Christicolæ et filii proprii peremerunt.

FRAG. 7 *De spoliis et vestimentis quæ partiti sunt milites inter se.* Iniquitatis igitur operarii, non minus cupiditatis siti laborantes, quam sanguinis innocentis effusione inebriati, ad palatium archiepiscopi cum complicibus suis quantocius recurrerunt. Et aliis a stabulo equos violenter extrahentibus, aliis famulos illius cædentibus, aliis revolventibus omnem domus supellectilem et clitellas, et scrinia demolientibus, quidquid auri vel argenti, vestium aut variorum ornamentorum inventum est, inter se pro voluntate propria diviserunt. Sic enim divinæ placuit pietati, C potenter et sapienter disponenti omnia, ut eorum, qui Christi vestimenta partiti sunt, imitatores effecti passionem servi passioni Domini plenius assimilarent : quatenus manifesta rerum similitudine cunctis innotesceret fidelibus, ita eripiendam esse Ecclesiam per sanguinem martyris a servitute mundi, sicut per mortem Christi redempta est a potestate diaboli. Porro scripta omnia et privilegia, quæ malitiosi illi repererunt, filio perditionis Ranulpho de Broc tradita sunt, ad regem in Northmanniam transferenda ; ut ea videlicet, quæ regni sui consuetudinibus viderentur adversari, et vel universalis Ecclesiæ libertati vel Cantuariensis Ecclesiæ patrocinari dignitatibus, pro libitu suo aut comminueret, aut nunquam videnda recluderet. Et milites quidem hæc D fecerunt.

FRAG. 8. Elevato autem sancto corpore de terra, ut in figura ostenderet quia malis malleus esset futurus, et quia quocunque præterquam ad pœnitentiam diverterent, nequaquam ultionis ejus sententiam possent evadere, inventa sunt sub eo malleolus ferreus et bisacuta a parricidis illis derelicta, quæ corruens, quasi vindicata sibi in illos potestate, occupaverat. Et cum cruor ad instar diadematis, forsitan in signum sanctitatis, capiti circumfusus jacuisset, facies tamen a cruore prorsus immunis apparuit, excepto tractu quodam gracili, qui a dextra frontis parte in faciem sinistram per transversum nasi descenderat. Cum quo etiam signo multis postea nihil inde prorsus scientibus per visionem apparuit, qui non aliter illud referendo descripserunt, quam si corporeis id oculis inspexissent. Jacente autem adhuc in pavimento in sanguine alii oculos suos liniebant, alii vasculis allatis, quam poterant, partem subripiebant, alii certatim præcisas vestes intingebant : nec sibi quisquam postea visus est satis fuisse beatus, qui non de pretioso illo thesauro quantulamcunque reportasset portionem. Et quidem conturbatis et confusis omnibus, licuit singulis quidquid libuit. Pars autem cruoris, quam ecclesiæ dimiserant, in vas mundissimum mundissime collecta in ecclesia reponitur conservanda. Pallium ejus et pellicia exterior, sicut erant cruore infecta, pauperibus pro anima ipsius minus discreta pietate collata sunt : satis quidem felicibus, nisi ea statim inconsulte vendentes parvum eis pretium prætulissent.

FRAG. 9. Transacta est igitur nox illa lamentabiliter, in dolore, in gemitibus, atque suspiriis, et nec ad momentum vel conscia lætitiæ vel mœroris ignara, diem malitia majore suspectum adduxit.

FRAG. 10. *Qualiter sancti martyris corpus deductum sit ad tumulandum.* In crastino vero multa rursus armatorum manu extra civitatis mœnia congregata, divulgatum est undique majoris eos activitatis intentione confluxisse, videlicet ut sancti martyris corpus a gremio sanctæ matris Ecclesiæ violenter abstractum vel per totam civitatem equis distraherent, aut patibulo suspenderent, aut in frustra vel minutias conscissum in paludem, vel inquemlibet locum viliorem, quem nec nominare decet, in majorem Dei et Ecclesiæ despectum projicerent, dicentes corpus proditoris non esse inter sanctos pontifices sepeliendum. Monachi igitur tam sibi quam sancto timentes, ne vel ipse vilius tractaretur, vel ipsi pretiosum thesaurum amitterent, eum cum summa festinatione sepelire studuerunt. Unde nec eis sacratissimum ejus corpus lavare nec balsamo, sicut moris habet sancta Cantuariensis Ecclesia, licuit refovere. Quod non tam humana nequitia, quam divina pietate creditur evenisse. Cui enim proprii sanguinis unctionem procuraverat Dominus, quæ erat necessitas odoris vilioris unguenti ? Exuentes autem eum vestibus exterioribus, et pontificalibus induentes, corpus ejus cilicio, non minus aliunde quam sui duritia molesto, involutum, et quod a nullo sanctorum exemplificatum legimus vel audivimus, ipsa ejus femoralia interiora usque ad poplites cilicina, habitumque superinditum monachalem flammam videlicet et cucullam repererunt. Respicientes vero ad invicem, et in aspectu sic occultatæ religionis supra quam credi potest obstupefacti, multiplicata pii doloris materia multiplices renovantur in lacrymas. Quid putandum est in homine iste fuisse cupiditatis, quid proditionis ? Nunquid ad regnum aspiravit terrenum, quem constat sæculi deliciis tam occulte prætulisse cilicium ? Nunquid regiæ majestatis proditor fuit, et non potius proditus, qui etiam

›roditoribus suis, proditionis filiis, nec cædem voluit, ›um posset, nec resistere ? Peterat enim fraudem ›t rabiem hostilem, si vellet, vel prudenter decli- ıasse, vel vi repulisse majori, ut potens, ut præ- cius, ut præmunitus. Ut potens, quia hostes, quam- ›is decuplati venissent, posset, si voluisset, repulisse entuplicatus. Ut præscius, quia cum die nativitatis)ominicæ verbi Dei panem populo ministrasset, ait nter cætera : « Non alia de causa rediisse se ab ›xsilio, nisi ut vel eos a jugo inflictæ sibi servitutis ›xueret, vel inter eos et pro eis mortis pateretur upplicium. » Sed et abbatibus transmarinis ut ›rædictum est, passionis suæ fecerat mentionem. ›orro sicut super his divina pietate edoctus, sic et ıumana sedulitate præmonitus et præmunitus est.)ua in re licet plurimorum benevolentia meritum ibi dicatur acquisisse, de duobus tamen constare ertum est. Ricardum enim Cantuariensis Ecclesiæ ellerarium, miles quidam sibi familiaris eumdem anctum Domini tertiæ diei vesperam non visurum ub fidei interpositione certificavit ; contra fidem amen, quia in patris sui necem homicidis illis fuerat ›bligatus : maluit enim fideli, qua tenebatur eis, in- urrere si quod erat periculum, quam sub silentio am detestabilis homicidii reatum. Quod cum Ricar- lus prædictus illi beatissimo Dei servo retulisset, ubridens respondit : « Minæ sunt. » Verum a cive ›antuariensi, Reginaldo nomine, certior effectus, uod jam in Angliam applicuissent, qui in ejus mor- em conspiraverant, seu pro illorum nequitia de- ›nda, seu pro pace Ecclesiæ necdum adepta vehe- ıenter illacrymatus ait : « Paratum me da mortem ›venient : faciant quod facere volunt. Scio quidem, ili mi, et certus sum per arma me moriturum. Verumtamen extra ecclesiam meam non me occident, » Nonne et his verbis non solum passionis suæ, sed et modi et loci præscius fuisse comprobatur ? Sed quia non erat regnum ejus de hoc mundo, si enim esset, ministri ejus utique decertassent, ut non traderetur eis, elegit calicem Domini sponte cum hilaritate bibere, quam vel constantiæ prioris virtutem inerti fuga maculare, vel in defensionem sui pugnaturos in arma vocare. Illum videlicet in hoc imitatus, qui duodecim legiones angelorum, quas ad sui defensionem a Patre suo impetrare potuit, noluit implorare. Nec ullius martyris passionem facile credimus inveniri, quæ passioni Dominicæ tanta similitudine respondere videatur.

FRAG. 11. Passus est autem egregius Dei athleta Thomas Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedit legatus, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo, vitæ vero ipsius anno quinquagesimo tertio, quarto Kalendas Januarii, feria tertia, hora quasi undecima, ut dies quintus Dominicæ nativitatis ad miseriam ejus fieret natalis ad gloriam, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre et Spiritu sancto honor, et virtus, et imperium est per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Hæc quæ præcedunt e quadrilogo Lupi excerpta, Benedicti præ se nomen ferunt auctoris. Utrum vero ea, quæ istius quadrilogi compilator sub nomine DE GESTIS POST MARTYRIUM *adnectit, Benedictum an alium auctorem habeant, equidem nescio. Omnia ea infra in isto quadrilogo sum editus, nisi, quod valde suspicor, in opere Herberti de Boseham, cujus exemplar perfectum spero in meas manus brevi preventurum, reperta fuerint.*

PASSIO SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS,

AUCTORE ANONYMO LAMBETHIENSI.

QUONIAM vero multi sermonis prolixitatem et ob- curitatem abhorrent, ideo succincta et levi oratione ›erstringatur de martyrio sanctissimi Thomæ Can- ıariensis archiepiscopi, quod me præsente, qui æc refero, et aliis quam plurimis actum Deo teste ignoscitur. Et quia hoc subito referre, nulla præ- ıissa præfatione, esset non lotis manibus ad men- am accedere, idcirco præcedentia vitæ ipsius præ- bentur. Beatus qui audierit verba hujus lectionis, t ea conservaverit ad incentivum martyrii, ut si ›rte res exigat, paratior sit dare animam vel sal- ›m pro nomine Jesu contumeliam pati.

1. QUALITER ORTUS SIT

Inter Angliæ municipia, vicos et civitates, Londonia melior et major habetur. Ad hanc, postquam facta est sub ditione Normannorum, quamplures indigenarum Rothomagi et Cadomi, quæ nobiliora Normanniæ loca sunt, de transtulerunt, incolæ civitatis esse delegentes, eo quod mercimoniis aptior et refertior erat quæ frequentare consueverant. Ex horum numero fuit Gilbertus quidam cognomento Becchet, patria Rothomagensis, inter cæteros, genere, strenuitate, facultatumque possibilitate bene nominatus. Honestam siquidem, sed ex burgensibus ori

ginem duxit, et in commerciorum exercitio vir in- A dustrius, domum propriam pro vitæ genere satis honorifice rexit, inter concives suos non solum sine querela conversatus, sed etiam boni viri testimonio notus. Habuit autem uxorem nomine Roesam, natione Cadomensem, genere burgensium quoque non disparem, corporis compositione decentem, sed moribus decentiorem, domuique suæ bene præpositam, et sibi sub Dei timore fideliter subditam.

II. PRÆSAGIUM ORTUS EJUS.

Hæc cum de ipso semel haberet in utero, pro foribus Cantuariensis Ecclesiæ se per somnium repperit, et quasi progrediens ut intraret, præ tumentis uteri grossitudine vix ingredi potuit. Præsagium hoc utique fuit futurorum : filium siquidem inter B viscera tunc gestabat, cujus plane futuram magnitudinem uteri dilatatio præsignavit. Jam autem magnus et tamen nondum natus, in Cantuariensem portabatur Ecclesiam, quia clarus in palatio sed adhuc parturiendus Christi servitio, sublimandus erat in pontificalem ejusdem Ecclesiæ cathedram. Vix etiam præ magnitudine potuit intromitti, quia multum ad ipsum ejus in sæculo fastigium suspirantibus invidis vix primo promovendus, vix postmodum exsul restituendus, et demum arcto passionis ingressu sanctorum Ecclesiæ numero fuit aggregandus. Hæc autem ex sequentium serie plenius et distinctius patent.

III. DE PRIMITIVA EJUS NATIVITATE.

Itaque suo post somnium tempore natus est hic C eleganti specie filius. Quem nutu divino patrini Thomas vocaverunt, ut nomen ei non deesset apostoli, qui vitam apostolicam habiturus erat et finem. Mox autem, ut natus est, parentes eum ecclesiasticæ militiæ servitio devoverunt, et post infantilis decursum ætatis, litteralibus rudimentis imbuendum tradiderunt.

Acer igitur ingenio, tenacisque memoriæ, sicut crescebat ætate, proficiebat eruditione, citoque scholarium meliores æquiparasse potuerat, si qua cœperat celeritate discendi sciendorum tramitem peragrasset. At postquam magistri metum evasit et sui juris effectus est, ut juvenilium levitas ferebat annorum, lubricis discursibus institit, et seriis discendorum omissis, sæcularium ineptiis meditatio- D num inhæsit, aucupum et venatorum exercitiis deditus, curialiumque vanitates et nænias amplexatus. In his tamen nihil turpiter notabile gessisse repertus est, quia cujusque rusticitatis notam cavens, et urbanitatis doxam captans, inter urbaniores etiam primus haberi semper enisus est.

IV. QUALITER FACTUS SIT CANTUARIENSIS ARCHIDIACONUS

Quem autem in sublimiorem columnam Ecclesiæ gratia divina providerat erigendum, hunc ad subeundum ecclesiastici jugum obsequii demum convertit. Et quia futurum in Anglia luminare majus sub modio latere non decuit, in celebriorem Angliæ curiam militaturum transvexit. Acciri siquidem fecit eum in comitatum Theobaldi Cantuariensis archipræsulis Angliæque primatis, quasi ut ipso conversationis experimento fieri disceret ejus imitator, cujus futurus erat successor. Extunc igitur evacuans plurima quæ parvuli fuerant, juveniles lapsus virili maturitate redimere studuit, et seriis curiæ quæ magna tractabat operam dans, innatam industriam mox exercuit, in agendis Domini sui repertus et prudens consultor et strenuus exsecutor. Ob hoc ejus familiaritatem sibi magis magisque concilians, inter primos etiam assessorum ipsius locum adeptus est. De magnæ quoque probitatis indicio multis gradatim auctus Ecclesiæ beneficiis : tandem etiam Cantuariensis factus est archidiaconus. Item gratia divina scalam et occasionem pontificalis ei procurabat ascensus. Jam enim quanto superior et major erat in ecclesia sua, tanto propinquior ad suscipiendam ejusdem gubernationem fiebat.

V. QUALITER FACTUS SIT REGIS CANCELLARIUS.

Et quoniam ad hujus rei complementum præcipue cooperari poterat regis assensus, divinitus etiam procuratum est, ad faciliorem promotionis viam, ut ejus fieret a secretis. Cum enim non multo post, Stephano rege defuncto, nepotem regis Henrici primi Henricum secundum in regem Angliæ de successionis hæreditariæ jure sublimari contingeret, præ cæteris regni personis ecclesiasticis obtinuit jam dictus archidiaconus novi regis constitui cancellarius. Et tantum quidem principem talis apocrisiarius optime decuit. Erat enim pulcher facie e decorus aspectu, consilio discretus et promptus eloquio purus et expeditus, naturalique quadan gestus excellentia reverendus : tanta denique magnificentiæ gloria cæteros curiæ magnates antecedens, quantum et officii singularitate præcellens Quibus apud regem amoris privilegium et inter consiliarios primatum emeruit, quotidie proficiens atqu succrescens, donec vehementer magnus effectus est Gubernabat enim omnia quæ regis erant, et ad ori ejus imperium universitas subditorum intendeba

VI. QUALITER FACTUS SIT CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Interim archiepiscopo Theobaldo rebus human exempto, deferendi locum honoris dilecto suo rex nactum esse gavisus est. In multis enim expert magnanimitatem ejus et fidem, tanto quidem fas gio bene sufficientem credidit, sed et ad suas uti tates facile semper inclinandum, et si dies su mors immatura præcideret, hæredibus suis fut rum fidum tutorem præcipue cogitavit. Unde to enitens viribus non prius destitit, quam apud A gliæ clerum obtinuit eum in archiepiscopum sub gari.

VII. FACTI REPREHENSIO.

Nonnulis tamen id circa promotionem ejus

sum est minus canonicum, quod ad eam magis operata est regis instantia quam cleri vel populi vota. Præsumptionis quoque vel indiscretionis fuisse vocatum est, quod qui remum tenere vix idoneus videbatur, primum gubernaculi locum suscepit, præsertim in ecclesia, cui conventus in habitu religionis deservit, cujus etiam præsul religionis professor esse consuevit. Ipse vero vix etiam clericum veste gestuve profitens, magis autem mutatoriis mollium inter aulæ delicatos delicatius nitens, magis etiam sæcularia sapiens, tam sanctum tantæ dignitatis fastigium non horrens renuisse, sed ultroneus ascendisse creditur ; aliter quidem quam vel amicus Dei Moyses, vel sanctificatus ab utero Jeremias. Hic enim cum ad prophetandum Jerusalem etiam a Domino mitteretur, verecunde respondit, « a a a, Domine Deus: nescio loqui, quia puer ego sum. » Ad populi quoque sui ducatum electus quamvis a Domino Moyses, onus tamen expavescens ait: « Quis ego sum, ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Ægypto ? » et iterum : « Obsecro, Domine, non sum eloquens, mitte quem missurus es. De sanctis quoque Novi Testamenti frequentius legitur, quod ad episcopatus officium provecti sunt, magis compulsi quam spontanei. Beatus enim Gregorius etiam a fuga retractus est, et invitus in sede Romana locatus. Beatus item Ambrosius satis reluctans, et ut repelleretur crimina de se confitens, tandem imperatoris Valentiniani jussu pontificatum recepit. Beatus quoque Martinus religiosa civium calliditate circumventus et captus, non nisi coactus et tristis consecratus est. Horum igitur exemplo, quod se tanquam indignum et imparem melius excusasset cancellarius, plurimi judicarunt, aliter actum ab ipso mordaciter accusantes.

VIII. APOLOGIA EJUS.

Ut autem veritas non negetur, tanquam multorum peritus et solitus bene futura metiri, tantæ curæ periculum satis prævidit et ponderavit. Haud dubium enim, quin noverit celsitudinis illius pariter honorem et onus. Qualiter scilicet sicut totius ecclesiæ regni fieret caput, sic et in caput suum ecclesiasticus omnis redundaret excessus. Qualiter etiam consuetas delicias abdicare, veteremque prorsus hominem opporteret exuere, si debitam officii semitam vellet incedere. Qualiter item futurus esset opprobrium hominum et abjectio plebis, si tepesceret in eo vigor ecclesiasticæ correctionis, aut si hic ut decebat procederet, multorum offensa succresceret : demum aut regem dilectum dominum suum amissurus esset aut Deum. Nec enim mereretur cum Deo regnare, regis notibus obsequens, aut posset cum rege gaudere sanctorum Dei leges præponens. Hæc procul dubio prævidens et in animo sæpius volvens ac revolvens, his arcatus et territus, sublimationis arduum satis horruit, satis animo fugit: satis etiam se contra regis instantiam excusando declinare tentavit, non dissimulans aut ei celans,

A qualiter sublimatum se vel Dei vel ejus gratia privari contingeret. Quanto magis autem reluctabatur, tanto rex vehementius circa id votum exarsit, adeo de probitatis illius singularitate bene sentiebat, adeo de fide et devotionis ejusdem circa se plenitudine confidebat. Cui procul dubio necesse fuit obsequi, vel ipsum indubitato proscriptionis et odii subjacere discrimini. Sed et diebus eisdem Henricus Pisanus, Ecclesiæ Romanæ presbyter cardinalis, in Normannia legationis exercebat officium. Cujus consilium et instinctus ad hoc etiam diligentius accessit, ut munus tam instanter oblatum pro Christi Ecclesia non respueret, nec occasionem tam honestam sperneret, qua liber ab humano, Dei deinceps vacare posset obsequio. Demum cum ad præficiendum sibi

B metropolitanum clerus Angliæ convenisset, in hunc unanimiter et instanter tam matricis Ecclesiæ quam suffraganeorum præsulum postulationes convenisse repertæ sunt, et licet sicut evenire solet in talibus æmuli quidam non parum suspiraverint, nihil tamen palam propositum est quod rem vel præpediret vel differet. Talibus itaque nequiens ille non vinci, jactavit cogitatum suum in Domino, justeque reputans ejus fore decretum quod ita studium urgebat humanum, elegit melius in Dei manus incidere, totum se misericordiæ illius committens et subdens. Ut etiam de sequenti ejus vita passionisque constantia demum apparuit, ea præsertim intentione non recusavit id oneris, ut pro liberatione tunc in Anglia male periclitantis Ecclesiæ studium suum et operam

C daret. Contra Ecclesiæ namque leges in disponendis ecclesiasticis rebus ut laicis, plus agebat manus regia quam censura canonica ; personis etiam ecclesiasticis indebitarum exactionum et concussionum onere multiplici sæpius fatigatis. Sed et ejus enormitatis ipse, quia regis ab eo videbatur pendere consilium, suasor et laudator ab æmulis dictus est. Verius autem ipsa per se regis animositas hæc usurpabat, qui de latæ gloria potestatis elatus, et juvenilis voluntatis impetu ductus, se regem æstimare nesciebat, nisi quos ad regimen habebat commissos, haberet etiam ad arbitrium subditos, et tribunalis imperium in clericos pariter extenderet ut in laicos. Huic etiam animositati vires dabat suorum favor et stimulus familiarium, in exaltationis ejus applausu

D cupientium ei placere quærentiumque quæ sua erant, non quæ Jesu Christi. Videbatur enim iis, in quibus regis crevisset potestas, sui quoque fastus cum lucro simul amplianda sublimitas. His igitur omnibus obviare, cancellario soli tutum non fuerat, sed nec censoris ad corrigendum personam gerebat, cui manebat necessitas obsequendi, non auctoritas arguendi. Propatereaque cum potestas esset et hora tenebrarum ; prudentius in medio navigaverat; usurpationes magis dissimulans quam suadens ; magis sustinens quam laudans. Zelo tamen domus De nonnunquam ingemuerat ; interdum etiam talium dissuasor esse præsumpserat, ea tamen qua decui modestia, ne regis offensam incurreret. Gratia vero

promotionis oblata, vidit utique si fierent preces Ecclesiæ, quod exinde principaliter tentus ei subvenire pro eadem compellare regem et justius deberet et liberius posset. Propter ipsam itaque se periculo subdens, gratiam illam non repulit, sed clero petente, regeque urgente vel invitus admisit. Tanquam enim volaverit ad eum unus de seraphin, et calculo quem forcipe tulerat de altari labia ejus tetigerit; quærenti deinde Domino quem mitteret, respondit: « Ecce ego; mitte me. » Proposuit namque quod exinde in medio populi polluta labia habentis non sileret, non quiesceret, et si privilegio amoris opitulante non posset, vi saltem rationis Ecclesiæ liberationem apud regem evincere laboraret.

IX. QUALITER VIXERIT IN ARCHIEPISCOPATU

Hoc igitur ut melius et potentius obtineret, priusquam sublimatus est, non acquievit carni et sanguini, nec sæculi delicias aut pompas lucrave captavit, sed novum hominem induens, religionis tramitem fortiter et firmiter ingressus est. In primis enim summopere declinans a malo, dierum etiam priorum excessus multiplici remedio redimere studuit quotidie cum perendinaret, matutinale tempus in profusis orationibus et uberibus lacrymis agens, et deinde confessione sacerdoti facta, dorsum ad flagella ponens. Post hæc devote missam vel audiens vel sæpius celebrans, et horas antemeridianas complens, aut causis audiendis aut agendis propriis intendebat in propriorum ordinatione providus, in causarum decisione promptus et justus, post avaritiam non declinans, et post munera non abiens, pius oppressorum consolator et velox injuriantium ultor. Si quando vero vacabat a negotiis, totus lectionibus aut necessariis cum suis collationibus insistebat.

Quotidie quoque quandoque secretius poterat, in secretiori cellula lavandis tresdecim pauperum pedibus genua curvare consuevit, ad exemplum famosissimæ peccatricis, in Christi memoriam lacrymis eos rigans et capillis tergens, humiliterque deosculans: singulis etiam quatuor argenteos donans. Quod pietatis opus per vicarium expleri curabat, si forte sibimet explendi commoditas deerat. Demum ad mensam grandis nobilisque curiæ cœtu vallatus et præinductis viginti sex pauperibus accedebat. Sicut autem domum decuit archiepiscopalem, et ipsa copiosis ac splendidis necessariorum apparatibus affluens erat. Inter ipsas vero ciborum potuumque delicias; hoc ille semper temperantiæ medium tenuit, ut nec prorsus iis abstineret, ne supertitiosus notaretur, nec immodice sumeret, ne crapula gravaretur. Cæteris enim exterius se sicut in habitu sic et in victu conformans, et inter eos jucundus et hilaris; intus tamen dissidere curabat, juxta illud viri sapientis: « Frons populo nostra conveniat, intus autem omnia dissimilia sint. » Et quidem in veste pretiosa spiritu pauper, in facie læta corde contritus, in mensa lauta

A penuriam eligens, nonnunquam ventre magis vacuus quam refectus, et sæpius magis refocillatus quam plenus, semper autem sobrius permanebat. Cavens enim inusitatum et superstitiosum jejunium, ut et vitaret nomen hypocritæ, optimum id jejunii genus arbitratus est sobrietatis tenere mensuram. Ad hoc etiam ditiorem et refertiorem mensam habere sategit, ut ex reliquiis plenius pauperibus subveniret. Magna siquidem ei cura pauperum erat, et præter hoc quod ostiatim mendicantium nullus ab ejus januis vacuus rediit: ipse lares ægrorum et debilium pauperum diligentius per suos scrutabatur et eleemosynis visitabat quam plurimos etiam quotidiano victu vestituque sustentans. Cum vero decessor suus statutas decessorum suorum eleemosynas

B duplicare consueverit, hic eum in religiosa superaddendi liberalitate secutus, ejusdem etiam duplum duplicandum censuit, in hujus pii operis observantia permanens, et ad id etiam omnium quæ possidebat decimas conferens. Post epulas autem et somnum ubi necessitas poscebat exactum, denuo præter pensum horarum, aut negotiis aut scripturis aut honestis colloquiis insistebat, otium summopere fugiens, ne viderent eum hostes et deriderent sabbata ejus. Nocturni quoque somni tempore lecto decumbens, amplius vigiliis indulgebat, tunc potissimum, solo Deo teste, jacturas prioris ætatis plangens, et multa lacrymarum ubertate deplorans, orationique vehementius instans, interdum etiam meditationibus sanctis incumbens. Hic ei fuit quotidianæ post

C archiepiscopatum cursus vitæ: talibus præhabitas sæculi delicias castigationum purgabat angustiis. Hæc in eo mutatio dexteræ Excelsi. Nitens quippe forma gregis fieri quem regendum susceperat, assuescebat jugum Domini suave et onus ejus leve, castimoniam sectans, humilitatem tenens, in sermone modestiam, in opere justitiam, servans, ut quos eruditurus erat verbo, potentius sanctitatis suæ moneret exemplo. Sive laicis autem sive litteratis loquebatur, mirum in modum eruditus et eloquens apparebat, pondereque sententiarum et puritate verborum ejus prædicatio placens erat et efficax. In quo palam est quod eum docebat unctio: non enim ab homine acceperat neque didicerat, quippe qui studiis litteralibus modicum tempus et operam dederat. Zelo quoque justitiæ circa subditos fervens, sine

D personarum acceptione temporalique mercede quod suum erat cuique servare nitebatur. Angebat eum præsertim sollicitudo ecclesiæ sibi commissæ, cujus in plurimis obviabatur utilitati, derogabatur honori detrahebatur potestati. Cui quædam juris sui vis procerum quorumdam negabat, cui præter debitum Eboracensis ecclesia se parem gerebat, cui magna ex parte quod oportebat in subditos ex prohibitione regia non licebat. In cujus etiam aperte redundabat injuriam, quod laica potestas in ecclesiarum ejus res aut personas usurpabat. His igitur contraire, cæterorumque reformationem quærere, quanto plus super iis anxiabatur, tanto majus ei

studium erat. Ob hæc etiam arctius sanctioris vitæ viam incessit, quo et melius hos ejus conatus gratia divina dirigeret, et major ad obtinendum auctoritas esset.

X. QUALITER PRIMO BLANDITIIS EUM SUBVERTERE TENTAVERIT DIABOLUS.

Hanc autem in eo mutationem intuitus, admodum admiratus est malignus, ut quem viderat inter cæteros delicias et glorias sæculi vehementius sequi solitum, hunc hæc omnia tam vertere stuperet in contemptum, et humilitatem abjectionis assuescere, quem putaverat in elationis tumorem magis extollendum de culmine. Potius tamen hoc ex bili procedere reputans, quasi fastidiret habita, quia pro libitu non poterat uti potestate percepta, deinceps satis amplioris spe nominationis ipsum allicere studuit. Jam autem acrius immiserat in corda malevolorum ejus, ut actibus et moribus ejus audentius et impudentius detraherent; et quibus vere carpebat arctam quæ ducit ad cœlos viam, magis ei verterent ad invidiam. Interpretati sunt enim in superstitionem quod viam habebat arctiorem; in crudelitatem, quod zelabat justitiam, in cupiditatem, quod ecclesiæ suæ quærebat utilitatem, in austeritatem quod hominum postponebat favorem, in gloriæ venationem, quod nobilis curiæ magnificentiam sectabatur, in elationem, quod in agendis sæpius mentem propriam sequebatur; in præsumptionem quod in ecclesiasticis antiquorum metam excedere nitebatur. Denique vix aliquid boni visus est agere, quod non in sinistram partem retorserint; et cum multi fuerint, ad persuasionem potius multitudine quam veritate vicerunt. Hinc igitur multorum odium et consequenter etiam apud aures regis crebras detractiones incurrit: apud quem demum insonuit, quod studio dilatandæ potentiæ suæ canones etiam præferre proponeret contra regias dignitates, et hujus rei indicium fore quod omnes regni meliores sibi juramento constringeret, quod etiam adeo prælationem suam in majoribus et minoribus regni poni pareret, ut dixisse palam videri potuerit: « Exaltabo solium meum et ero rege superior. » Hinc itaque regi male suspicionis initium; hinc iræ seminarium; hinc doloris impatientia quia quem sibi suisque patrem et patronum mensus fuerat; hunc verius adversarium ex multis jam non formidare non poterat.

Cum autem in transmarinis tunc ageret, « Transfretabo, inquit, et videbo utrum clamorem qui ad me venit, opere compleri propositum sit. » Nec multo post veniens et occurrentem eum habens, non irati mox aut vultum ostendit aut mentem expressit, sed alliciendum primo blanditiis censuit. Arctius siquidem eum et familiarius charum habebat, de quo et dixerat: « Inveni virum secundum cor meum. « Præ cæteris enim fidum et necessarium in agendis suis sæpe probaverat. Super tuendo quoque regni sui statu antiquo, potissimam in eo spem fixerat. Hanc

A igitur spem prorsus rumpere consiliumque ejus declinare vel amorem exuere, nec statim potuit nec congruum duxit, sed magis a delinimentis exorsus est. Officiosissimæ namque salutationis et osculi more permisso, magnam ei deinceps reverentiam exhibere, multumque honoris ejus honori deferre curavit. Commentus enim est malignus, ut ad tanti principis humiliationes melius frangeretur et promissorum ejus magnitudine facilius caperetur. Habito vero largioris colloquii loco, rex non acerbe sed benigne, non deminantis fastu, sed amici spiritu, de ipso sibi significata recoluit, suppliciter et humiter monens, ut contra se cœpta corrigeret, ut conatibus noxiis abstineret, ut pacem et gaudium secum sectans, voluntati suæ non repugnaret. Optabat

B enim et agebat, ut ecclesiasticorum status in regno suo redigeretur, ad aviti temporis modum: tunc autem nihil vel parum in eo consueverat Romanæ sedis censura: tunc enim magis ad regis arbitrium etiam in ecclesiasticis quæque gerebantur, præsidentibus tamen temporis illius archiepiscopis, sed propriam tenentibus pro consuetudine regni mensuram.

Hoc itaque juste sibi vindicare credebat, quod sui decessores obtinuerant. Nihil enim, sicut ei suadebatur, contra legem Evangelii vel apostolorum vel prophetarum vel sanctorum dignitatis suæ jura faciebant; ideoque licite zelandam credebat eorum observantiam, nec ob contrarias imperatorum vel episcoporum constitutiones abolendum. Sed et ab eadem subditos priores reges habuerant, quorum etiam

C plures indubitata sanctitatis memoria veneratur, Non minus autem et salutis et honoris archiepiscopo suo sicut dicebat, et optabat et manere posse putabat; voto quoque sibi multum fore jurans ut et sublimius et felicius iis ipse præsideret, et ad hoc ope consilioque se pro viribus adfuturum promittens; gloriam quippe suam præcipue fore, si et is quem creaverat non minus gratiam apud Deum et homines obtineret, et in eo divinam sententiam electioni suæ concordare probaret. Præsertim enim detestans et declinare volens Romanæ curiæ supercilium et ambitionem archiepiscopo soli suos ad judicium subditos fieri nitebatur: consequenter et sibi subdendos esse metiens, et quosdam etiam de clero dyscolos aut infidos pro arbitrio reprimendos conjiciens. Quis

D enim in regno præpedire posset in quo regis et archiepiscopi nisus concurrerent? Ecce quantum ei potestatis in ecclesiasticis procurabat fastigium.

Adhuc etiam instanter et pertinaciter ei supplicabat, ut et in laicalibus regni sui regimen et curam susciperet, quo melius et securius ipse transmarinis intendere posset, ut etiam fili sui regis futuri custodiam et magistratum gereret, ne quid ad dominatum ei deesset. Videbat quippe quod sine fraudatoris nota non posset in regiis dignitatibus ejus sustinere jacturam, cujus tutelam subiisset. Videbat et dum utriusque gladii potestas illi cederet, neuter sibi decederet. Ecce quantis eum sollicitabat, quantis angebat, quantis pene vincebat: quibus etiam, dege-

ner, et pusillanimis inaudesceret, nec nisi perfectissimus vinci nequiret.

Ille vero, sicut altioris erat consilii, regiæ voluntati nec statim annuit, nec palam obviavit, habens tamen in corde fixum, se neutrum secuturum. Cum regni namque negotiis Ecclesiæ curam bene regere nec possibile nec tutum ducebat, quia « nemo potest dominis servire duobus. » Aviti quoque temporis statum in ecclesiasticis pati, palam ordinis et animæ periculum continebat, quia non nulla vigor ecclesiasticus adjecerat, et ipse fidelitatem Romanæ Ecclesiæ juraverat, quam nequaquam servaret, si censuram statutorum ejus contemneret. Itaque responsionem ita temperavit, ut ad regni regimen obsequium opis et consilii sui pro viribus obtulerit, dum tamen qui plurimum erat in onere novo novicius, illuc alterum regiminis onus specialiter non subiret. Quantum autem ad regias dignitates et jura, se firmiter servaturum promisit, quæ Cæsaris erant Cæsari, dum tamen et quæ Dei erant Deo redderet. In hujusmodi responsione sæpe conventus et importune sollicitatus, immutabilis permanebat.

XI. QUALITER DIABOLUS EUM INJURIIS POSTEA AGGRESSUS SIT.

Cujus in bono firmum radicatumque propositum malignus ut vidit, invidit, et quem non poterat sæculi pompis, exinde subvertere cogitavit injuriis. Putaverat quidem eum in illarum quæ fiebant adversus Ecclesiam usurpationum consensu sibi fuisse subdendum. Putaverat enim magis adulationi regiæ quam timori divino cessurum. Putaverat magis pacem et gloriam sæculi quam cœli captaturum. Jam autem cernebat potestatis magnitudinem ei esse virtutis causam: quippe per honoris occasionem, probabatur ire « de virtute in virtutem. » Propterea deinceps ad hoc fraudis suæ commenta convertit, ut vel eum dejiceret, vel metu dejectionis subjiceret. Quorum effectu nullo modo se facilius potiturum arbitratus est, quam si persecutorem ei crearet, quem habuerat suæ sublimationis auctorem. Rege siquidem inimico facto, tanto majores ei suscitandos adversarios reputabat, quanto plures se metu regis inviderant subditos. Imo vix aliquem ei deinceps obsequio putabat astiturum, cui regem viderent adversum. Per regiæ quoque molem potentiæ, citam et facilem ejus metiebatur dejectionem. Cum igitur ad voluntatem suam sicut speraverat rex eum mobilem non haberet, cœpit malo suspicionis amplius in dies moveri, nec nisi captionem in verbis ejus arbitrari.

XII. DE ORTU CONTENTIONIS INTER IPSUM ET REGEM.

Non multo post autem episcoporum, abbatum et procerum cœtum Londoniæ colligi contigit, ob negotia regia, pacisque regni fimamentum. Inter cæteras vero quæ propositæ sunt illic querimonias, accusati sunt archidiaconi super subditos non prælationis tenere modestiam sed exercere tyrannidem, calumniis fatigare laicos et indebitis exactionibus

A clericos. De cleri quoque numero producti sunt quidam variis flagitiorum criminationibus impetiti. Tales enim præcipue dicebantur regni turbare pacem novisque facinorum immanitatibus debacchari, securitate per ordinis privilegium evadendi. Correctionem igitur horum rex instanter ab episcopis flagitabat. Amplius autem institit, ut in clericos publicorum criminum eos de ipsorum consilio sibi liceret, quod avitis diebus factum sua curia recolebat; tales enim deprehensos et convictos aut confessos, mox degradari, sicque pœnis publicis, sicut et laicos subdi tunc usurpatum est. Hoc idem sibi licere cum instantius rex postularet per episcopos decerni, substiterunt quidem ipsi diutius caventes admittere, quod legi divinæ videbatur obviare. Dicit enim Naum pro-

B pheta : « Non judicabit Deus bis in idipsum. » Contra Deum itaque bis judicandos censuisse videri poterant, si post degradationem inconvictis pœnam mortis aut mutilationis infligi consensissent. Cavit hoc prudentissimus et rectissimus judicum rex Salomon. Cum enim Abiathar sacerdos reus mortis appareret sicut et Joab, quia contra Salomonem declinassent post Adoniam fratrem ejus ut rex fieret, non tamen sicut Joab, sic et Abiathar Salomon morte punivit, sed a sacerdotio tantum amovit dicens : « Vade in Anathor, agrum tuum : es quidem vir mortis, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini coram patre meo David. » Talibus itaque cum archiepiscopo moti pontifices, ad regis arbitrium legem ponere dubitarunt, præsertim

C ne trahi posset in præjudicium et calumniam innocentium, ut vel ad purgationem urgerentur vel nocentium sorti subderentur. Hinc itaque contentionis exordium. Hinc enim arbitratus rex archiepiscopum cum episcopis in insidiis sibi sedere, regiarumque dignitatibus consuetudinum velle contraire, primum ira non parum excanduit, et deinde promissionem de servandis illis extorquere prosiliit. Illi vero, tractatu seorsim diutius habito, volentes regis iram sedare, cautam putaverunt procurasse responsionem, dum ordine suo salvo petitionem fieri concesserunt. Additionem autem, quam providerant ad cautelam, pars regis interpretata est ad captionem, et super ea detrahenda diutius certatum est, sed episcopis unanimiter subsistentibus tunc obtentum non est. Unde soluto conventu terribiliter efferatus rex et

D minax abscedens, exinde pontificalium concussionibus rerum officiales suos gravius insistere jussit.

Cujus molestiæ metu quidam pontificum postmodum abiere retrorsum, et sanctam resistendi deserentes unanimitatem, secuti sunt regis voluntatem. Exinde et cæterorum eamdem molestiam formidantium nutare constantia cœpit ut acciderit in iis quod veritas ait: « Omne regnum in se divisum desolabitur. » Sed et ipsius archiepiscopi non nihil turbatus est vigor dum videt præsertim ad injuriam suam perniciosius Ecclesiam periclitari, seque cœpiscoporum ope destitui, totam etiam contentionis causam et onus in se retorqueri. Jam autem regiæ privilegium

familiaritatis amiserat: jam solita vultus serenitas in nubilum ei versa fuerat, jam amore foras misso, paulisper odium succrescere cœperat. Multi quoque qui prius eum sequi solebant, jam non cum eo palam ambulabant regis declinantes offensam. Exinde conatus ejus verti cœpit in derisum, potestas in contemptum, honor in nihilum, et secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia ejus. Ecce quantis eum malignus aggressus est scandalis, quia subjicere nequiverat blandimentis! Perplexis itaque testiculorum Leviathan nervis interceptus, quid ageret, quid eligeret, quo se verteret, ignorabat. Impendentium malorum utrum utilius declinaret, non patebat. Si regi condescenderet, aderat evidenter ordinis et animæ periculum. Si perseveranter resisteret, enorme timere poterat Ecclesiæ damnum. Inter hæc si consilium petebat a subditis, non erat qui sane undique respondere sufficeret. Si vindictam emulabatur in peccantes, non erat qui secum ad justitiam stare confideret. Ecclesiastica siquidem parum tunc prævalebat censura, prætextu schismatis Alemannici, quod Ecclesiam Romanam satis presserat et depresserat. Contra beatum enim papam Alexandrum alio quodam viribus imperatoris in idolum apostolicæ sedis erecto, sub ejus apostasiis Italia tota gemebat, orthodoxo clero partim metu subacto, partim sedibus suis pulso, pesteque cupiditatis alio substituto. Quod dum et in aliis provinciis timebatur, erat quidem remissior prælatorum Ecclesiæ vigor, et principum sæculi præsumptio promptior.

Ejusdem schismatis intuitu suaserat in initio Gilbertus tunc Londoniensis episcopus, paulisper regi cedendum, ut in apostatas et malefactores clericos durius aliquid ei liceret, sed ad contradicendum prævaluit sententia cæterorum. Herefordensem prius idem episcopatum habuerat et murmur multum fuerat in populo de claritate nominis et voluntate regis eum in archiepiscopum fuisse subrogandum. Erat enim inter ecclesiasticas Angliæ personas fama celebrior, tanquam habitu vitaque, sicut videbatur, religionis professor, sed et eloquio scientiaque præstantior censebatur. Quem rex libenter audiebat et audito eo multa faciebat. Postquam autem in cancellario suo magis ei complacuit ut archiepiscopatum susciperet, volens et huic aliquid honoris deferri per apostolicæ sedis auctoritatem impetravit eum ad cathedram Ecclesiæ Londoniensis transferri. Post archiepiscopalem enim erat hæc in regno majoris dignitatis sedes, et facilius hinc vocatus poterat interesse tractandis tam Ecclesiæ quam regni negotiis. Id ipsum autem ipsius archiepiscopi præsertim actum et impetratum est consilio, qui plurimum de illius religione prudentiaque confidens et bene sperans, fidum eum collegam et strenuum adjutorem in ecclesiastica sustentatione futurum arbitratus est, sed aliter postmodum expertus est.

XIII. QUALITER DEBUIT SEDATA ESSE CONTENTIO.

Eo igitur mediatore post malum contentionis exortum ad pacis reformationem sæpe usus, aliis etiam regem interpellantibus, demum obtinuit ad colloquium posse recipi, consequenterque pro sedanda controversia novum apud Clarundonam coegere conventum et arctius iniere consilium. Rege vero pristinam promissionem immutabiliter et pertinaciter exigente, pro bono pacis in hoc tandem resedit archiepiscopi coepiscoporumque consensus, ut additionis cujuslibet captione sublata regiarum omnium consuetudinum observantiam, sicut poscebantur, in Domini verbo promitterent. Hoc enim sine peccato sineque periculo fieri posse prætractaverant, consuetudinum nomine bonas tantum intelligendas censentes, quia malæ non propriæ consuetudines, sed verius abusiones dicantur. Bonæ quoque non sint, nisi quæ legibus Ecclesiæ non dissentiunt. Hoc itaque sensu custodiam omnium licite promissam credentes et eo rectius quia generaliter omnium, non expressim aliquarum, expressa enim nocent, non expressa non nocent: regi quidem omnino satisfecerunt et assessoribus ejus, verborum magis usum quam proprietatem sequentibus.

XIV. INVECTIO IN EPISCOPOS.

Nunquid autem non commiserunt in simplicitatem divinæ Scripturæ quæ tradit quod quacunque arte verborum quis juret, Deus ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit? Nunquid et minus famæ suæ prospexerunt, cum apud laicos exinde credi cœpit et dici pastores Ecclesiæ regiis abusionibus assensisse? Melius autem tunc venisset in mentem Eleazari memorabilis fortitudo, qui dum ad legis prævaricationem per Antiochi satellites urgeretur, suasus ab amicis ut carnibus licitis vescens, porcinas se manducasse simularet et evaderet, ait: « Non est dignum ætatem meam fingere, ut multi adolescentium arbitrati Eleazarum cx annorum transiisse ad vitam alienigenarum et ipsi propter meam simulationem decipiantur, et per hoc maculam et exsecrationem ætati meæ conquiram. » Et his dictis tractus ad supplicium, elegit magis fortiter mori quam simulatione cum aliorum pernicie turpiter periclitari. Sensissent idem cum eo pontifices et adhuc etiam tunc honestius curassent in simplicitate cordis resistere, quam irreligiosius verbis evadere. Quid enim violentius et urserat ut succumbere necessarium fuerit? Certe nihil adhuc fuerat sævitiis actum sed minis. Nihil etiam morte vel carcere dignum tractabatur. Sed nec ab hæreticorum perfidia vel paganorum sævitia periculum impendebat. Dei fideles Ecclesiæ filii, patribus suis potius litem quam persecutionem intentaverant. Quippe non sanguinem sitiebant, sed jus regium vindicabant. Quibus audenter et perseveranter restitisse decuerat. Qui melius contradictionis constantia vinci potuerant. Tunc enim pontifices firmiter et simul dixissent: « Oportet magis timere Deum quam homines. Oportet magis honorare Dei sponsam Ecclesiam quam terrenam potestatem. Oportet magis illius prospicere libertati, quam ho-

minum stare consuetudini.» Nec enim honoris integritas imperatori servatur, ubi quid Augusti juri detrahitur. Tunc etiam in corde fortiter reputassent, quod vapor esset ad modicum pariturus aut nubecula cito transitura. Quod si secundum minas sequeretur concussionem immanitas, tunc melius ascendissent ex adverso, et posuissent se murum pro Domo Domini ut starent in prælio. Tunc liberis sacerdotum vocibus potestati contraissent et adversus mala, ratione ac monitis minisque decertassent. Tunc aculeis severæ coertionis tam discrete quam districte pupugissent, ut nec torpescerent nomine patientiæ, nec sævirent obtentu diligentiæ. Concordem autem omnium et constantem vindictæ censuram, nec regnum tulisset diutius, nec violentia præpedisset, quia toti collegio patrum et pastorum regni tutum non esset obviare. Nihil etiam in omnes durius fuisse præsumendum, justissime credendum fuerat; sed nec in eorum aliquos, si particularem injuriam statuissent, communem reputandam. Nec enim rex inter reges terræ gloriosior tantæ tyrannidis elogio notari perpetuo voluisset, ut Christi gregem et legem abdicasse diceretur, ut etiam schismaticorum cedendo partibus apostasiæ sæculis omnibus notabili ignominia nomen ejus fuscaretur. Quod etiam si juste timeri potuit, attamen satius fuerat mala tunc dissimulasse severitatisque disciplinam temperasse quam periculosæ, promissionis præjudicium incidisse. Nam et ubi multorum strages jacet, aliquid severitati detrahere peccatum non est, dum tamen qui præest non approbet reticendo, nec exasperet insultanter arguendo. Taliter enim sustinenti non imputat Deus aut peccata sua, quia non fecit, aut aliena, quia non approbavit, aut negligentiam, quia non tacuit, aut superbiam, quia in unitate permansit. His autem aut non prospectis aut contemptis, videntur omnino deviasse pontifices, facti tanquam canes muti non valentes latrare, tanquam non pastores sed mercenarii, dum tacuerunt et cesserunt etiam cum umbram lupi tantum viderint, non veritatem.

XV. DE CONTENTIONIS RESUSCITATIONE.

Magis autem eos involvere curavit malignus, quia se caputque suum archiepiscopum quem impedire studebat, ipsi potius expedire quærebant. Mox enim velut de simulationis merito, majus omnis contentionis incidere discrimen. Per ipsos enim curiæ proceres recognitas e vestigio consuetudines rex in scriptum redigi fecit et sigillis episcoporum et archiepiscopi confirmari postulavit ad removendam exinde super iis dubitationem et litem. Expressa sunt autem quæ plane statutis ecclesiasticis repugnabant. Quorum, ne præterita nesciantur, quædam sunt hæc, videlicet:

Quod non appelletur ad apostolicam sedem in aliqua causa, nisi de regis licentia.

Quod nec archiepiscopus nec episcopus aliquis exeat de regno vel abbas, nec etiam ad domini papæ vocationem veniat, nisi de regis conscientia.

A Quod non liceat aliquem excommunicare qui teneat principaliter de rege, nisi eo præconsulto.

Quod clerici veniant ad vocationem regis et justitiæ suæ pro qualibet causa.

Quod apud judicem Ecclesiæ non conveniatur aliquis laicus super læsa fide vel perjurio de pecunia.

Planum igitur erat his Ecclesiæ libertatem et potestatem satis imminui. Quæ si confirmarent episcopi, palam Ecclesiam impugnarent: si non confirmarent, nec regis iram evaderent. Sic in arcto positi, demum ad postulandas inducias transierunt, factaque sunt novissima pejora prioribus. Pars enim regis manifestam deceptionem interpretata est cum refugerent firmare scripto quod censebantur polliciti B juramento. Rex itaque, vehementer excandescens, et minis terribiliter intonans, plane videbatur in eorum aliquos zelo crudelitatis exarsurus, nonnullis etiam suorum ad hoc eum acriter incendentibus. Nec justa timendi causa deerat, cum secundum Salomonem: « Sicut fremitus leonis, sic et ira regis; » et iterum: « Sicut rugitus leonis, sic et terror regis. »

XVI. DE LAPSU ARCHIEPISCOPI.

Præsertim autem in archiepiscopum onus belli versum est, sine cujus tanquam capitis sui consilio præsules nihil præsumebant, cui etiam ut cederet consilium dare formidabant. Is vero tanquam homo non moveri non poterat. Magis tamen quam de sua, super quorumdam episcoporum et suorum salute C sollicitus angebatur, in quos tanquam regi suspectos justius timebatur sæviendum et eo certius, quia de constantia cæterorum ad vindictam bene præsumi non poterat. Cum itaque graviorum malorum signa paterent, hic maligno prævalente, hic carni ratione cedente, demum succubuit et regis petitionem fieri verbo tenus annuit. Ad hoc enim inclinatus est, præsertim quorumdam sibi regique familiarium stimulatu promissioneque deceptus, qui suaserunt regem ulterius non processurum, si tantum vicisse videretur, hic igitur erga cæteros se reputavit obtinuisse postquam vicit in capite. Imo tanquam parvi duxit omnium exinde concensum, confidens a Romana quoque sede prætextu temporis impacati confirmationem eorumdem leviter impetrandam, D quam et postea petiit sed nequaquam obtinuit.

XVII. DE POENITENTIA EJUS.

Acrior autem dolor archiepiscopum, ut evasit, invasit, et de lapsu tanquam Dei flagello tactus et in meliora provocatus, ad inchoatæ sanctitatis augmentum longe plus operæ postea dedit, circa mala cavenda studiosior et in operibus virtutum frequentior. Ut etiam fortius veteres excessus puniret et assuetas delicias desuesceret, horrendo cilicio subtus ad carnem astrictus est. Ornatu quoque mutatoriorum veteri deposito, desuper vestibus nec ambitiosis nec abjectis, at tamen mundis et clericalibus, ubi cœpit in his etiam, dum somnum caperet, sæpe quiescere solitus, noctibus etiam sæpius humo

decumbens quam lecto, carnemque multis castigans inediis. Præsertim vero sui lapsus æger et impatiens fortior et audentior contra præsumptiones regias deinceps esse curavit. Exemplis enim et auctoritatibus advertit non esse servandum quod male promiserat. Sanctus quippe rex David juravit per Dominum quod occideret Nabal, virum stultum, sed quod juramentum non implevit, major pietas fuit. Juravit etiam impius Herodes quod Herodiadis filiæ quod peteret non negaret, sed quod petenti caput Joannis dedit, major impietas exstitit. Decernit enim lex divina non esse servandum juramentum, quod malum incaute promittitur. Ut autem quod timide promiserat potentius infirmaret, ad curiam etiam Romanam ob indulgentiam petendam transire sæpius nisus est, sed contrarius assidue ventus eum mari a rejectum transfretare passus non est. Adversabatur enim malignus bonis ausibus ejus, et quem cernebat de lapsu melius animatum, in adversorum deteriora censebat impellendum.

XVIII. DE CAUSA FUGÆ EJUS

Demum et arctius eum implicare volens, novam ei decipulam intentavit. Vocatus enim ad tertium apud Northamtunam conventum, regia contentione profligatus est, ut de fiscalium, quæ cancellarius gesserat, ratiocinio satisfaceret. Liber tamen et absolutus Ecclesiæ traditus fuerat cum electus est, in consessu filii regis et procerum, quibus a rege de transmarinis tota sublimationis cura mandata est. Sed et litteris regiis id domino papæ mandatum est, cum pallium ei postmodum a sede Romana petitum est. Non minus autem super iisdem rex iratus tunc aut ratiocinium aut curiæ suæ vel saltem episcoporum judicium flagitabat. Ratiocinium inire igitur propter manifestam calumniam juste sibi videbatur archiepiscopus recusare. Super hoc etiam causam in curia regis ingredi, tutum non ducebat, ne per capitis factum amplius derogaretur privilegio clericorum. Clericis enim pulsatis apud Ecclesiam tantum respondere debere per leges et canones obtentum est. Sed et de episcopis specialiter scriptum est, quod de iis nunquam nisi Ecclesia judicare debet. Sed nec episcoporum suorum arbitrio se subdere cogebatur, sacris canonibus præcipientibus semper ubi est major auctoritas eundum esse et in omnibus controversiis ad potioris sedis judicia dirigi. Potius autem eos declinandos censuit ut suspectos. Auxilium enim suum jam ei subtraxerant, ut dum magis regi faverent, melius paci suæ prospicerent. Suadebant etiam ut regis prorsus accederet voluntati, tanquam ut si se vinci permitteret, melius vinceret. At principis mores et propositum interius ipse noverat et Ecclesiæ suæ damnum suique præjudicium jure formidabat.

XIX. DE FUGA EJUS ET EXCUSATIONE FUGÆ.

Inter hæc igitur, dum omni destitutus auxilio mole curiæ graviter urgeretur, aliquid sibi formidabile metuens, ob refugium crucis suæ cœpit esse
A gestator et deinde cum, ut dicebatur, immineret sententia durior, apostolicam per appellationem audientiam eligens inter contumelias et minas abscessit. Rex enim famæ suæ consulens et curiæ regiæ pacem violari nolens, etiam contra quorumdam rabiem ei suisque parci præceperat. Nocte vero sequenti cum a fidelioribus regis accepisset quod sibi carcer immineret aut gladius, clam exiens habitu mutato cum paucis, in regni remotiora divertit, ut cautius insecutores eluderet. Prudenter enim sensit livori esse cedendum et dandum insaniæ locum, quod fecisset et Jacob in fratre suo Esau, et David in pertinacissimo inimicorum Saul fecisset, et Athanasius Alexandrinorum episcopus toto orbe sub persecutore Constantio profugus, ut adversus Arianos
B pro fide catholica servaretur. Fecisset et apostolus Paulus per fenestram in sporta submissus ut præpositi Damascenorum manus evaderet et Ecclesiæ dilatandæ superesset. Fecisset demum et ipse Christus, vel cum ab Herodis insidiis deportatus est a parentibus et latuit in Ægypto, vel cum volentibus eum lapidare Judæis abscondit se et exivit de templo. Tantis itaque munitus exemplis, secutus est etiam illud quo discipulos suos ipse Christus instruxit dicens: « Cum vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam. » Nec mercenarii notam meruit, qui videt lupum venientem et fugit, quia non est ei cura de ovibus. Nec enim gregem commissum, cum nec in eum quispiam furor moliretur, in periculo deseruit, sed seipsum discrimini quod soli spe-
C cialiter capiti suo parabatur, prudenter exemit. Nec multo post ad aptum maris locum occulte rediens, navi conscensa, prospere navigavit in Flandriam; inde viam carpens ad dominum papam Alexandrum qui tunc Senonis residebat. Quem petebat, ut judicem haberet, ut etiam periculosæ promissionis peteret veniam, et præsertim Ecclesiæ reformaret statum. Eorum enim quæ jam in ecclesiasticis enormiter patrabantur patientia, post promissionem non nisi damnabilis erat, quæ præter eam pro necessitate temporis potuerat esse venialis. Manifestum namque probat promissio censensum, quem necessitas habet excusatum. Dirigebat autem gressus ejus Omnipotentis misericordia, cui quanto firmius in tentationibus tantis hærebat, tanto minus in eum maligni
D conatus jam poterat.

XX. QUALITER DIABOLUS EUM POST HÆC DEJICERE NISUS SIT.

Nondum tamen eum persequi desistebat, apertas jam ad omnimodam ejus dejectionem vires apponens. Acrius enim inflammati per eum deinceps ejus malivoli detractionumque et calumniarium occasionem melius nacti, potentius in ejusdem odium regem incenderunt. In tantum etiam prævaluerunt, ut ille de conversione sic aversi prorsus exinde desperatus et dolore cordis tactus intrinsecus tandem dixerit: « Pœnitet me fecisse hominem; » et iterum: « Delebo hominem quem creavi, » nec ultra se continens misit post eum multorum et magnorum

comitatum archiepiscoporum et episcoporum, comi- A tum et baronum, ut ad criminationes tantorum nequiret subsistere. Voluit itaque Dominus suscitatum ei deinceps esse tanquam alterum Adad Idumæum: qui eum colaphis cæderet ne extolleretur, et quasi quodam stimulo carnis moneret ne magnitudine virtutum altius saperet, et aliorum vitiis elatum se in excelso crederet constitutum. Præsertim autem præsules Eboracensis et Londoniensis in ejus dejectionem cum rege conspirasse dicti sunt; Eboracensis quidem tanquam æmulus ejus ob paritatis contentionem, Londoniensis autem tanquam eum in archiepiscopatu prælatum sibi suspirans, et jam iterum ad eumdem, ut dicebatur, aspirans. Romanam igitur intrantes curiam, archiepiscopi nondum tamen præsentis imprudentiam et præsumptiones constanter et unanimiter accusarunt, multorum ei calumniam impingentes et ut in regnum remitteretur postulantes quasi melius ibi discutiendus et palam convincendus. Ad hoc enim et copiam legatorum petierunt, qui causam illic audirent, et sine provocationis obstaculo terminarent. Abscesserunt autem inexauditi, quia decisionem tanti negotii religiosa domini papæ prudentia nulli nisi sibi servare tutum aut congruum duxit; sed nec canonicum videbatur ut archiepiscopus in provinciam remitteretur, unde justo metu diffugerat, et ubi ei vix aliquis assisteret, imo magis omnes ad regis nutum obviarent.

XXI. DE AFFLICTIONE EJUS PER REGEM.

Turbatus igitur hinc plurimum rex et indignatus, exinde benevolentiam suam ei visitationes regni domino papæ subtraxit. Universas quoque possessiones archiepiscopi nec non et clericorum ejus eorum usui detractas sub manum et potestatem suam redegit. Præter hæc autem et sui quique cum eorum parentela, bonis etiam proscripti, regnum exire compulsi sunt, orphanis et viduis, pupillis et innocentibus, totiusque contentionis prorsus ignaris ad exsilii miseriam sine miseratione coactis. Quem enim dejicere non prævalebat, damnis saltem et afflictione suorum atterere malignus exinde nisus est.

XXII. DE SOLATIO EJUS PER DEUM.

Bonus autem Deus qui bonis omnia cooperatur in bonum. Quod enim procuratum est in destitutionis ejus opprobrium, hoc palam ei versum est in solatium, et unde videbatur conterendus, inde magis est roboratus, ex suorum secum expulsione fortior et apud exteros ex proscriptione gratiosior. Ipsum quidem vel nihil vel parum damna tanta movebant aut caro aut sanguis, nec eorum intuitu vel minimum a recto tramite flecti potuit. Unde quanto minus hæc curabat, tanto plus ei gratiæ gratia Dei procurabat, ut ipse rex et magnates Franciæ necessaria certatim ei suisque providerint.

XXIII. DE INDULGENTIA DOMINI PAPÆ CIRCA EUM.

Sed et dominum papam per inspirationem divinam in partem suam facile traxit postquam eum justitiæ suæ veritatem edocuit. De cujus ille prudentia sanctitateque postmodum indubitatis instructus indiciis, et culpæ, si quam in sublimatione contraxerat, abolitionem et sequentis lapsus veniam ei pius et pronus indulsit, decernens etiam eum de suæ sedis auctoritate commissum deinceps regere episcopatum, adjiciens que legationis in Angliam officium. Quo tamen eminente titulo nequaquam ipse vel in minimo mutatus intumuit, sed initam virtutis indeflexe gradiens viam, ad honorem Ecclesiæ Deique servitium gratiæ cujuslibet occasionem trahebat, eorum quæ perperam in Anglia gerebantur, emenda- B tionem fortius exinde zelans. Toto tamen anno potestatis suæ censuram continuit, pie prætentans et exspectans, si forte patientia delinquentes ad pœnitentiam adduceret. Interim autem et causæ suæ quantis poterat viribus adminicula conquirere laboravit. Regis quippe mores familiarius noverat, ex his multum præsumens, quod cœptum non dimitteret, nisi in manu forti.

XXIV. CONTRA QUORUMDAM REPREHENSIONEM EJUS EXCUSATIO.

Plurimi tamen objecerunt quod si de religionis veritate niteretur, non tunc resedisse debuerit inter capitales inimicos Domini sui nec inde vindictæ procurasse molestias, quamvis exemplum David contra sit, qui fugiens Saul dominum suum, allophylo se C tradidit, malens etiam hostibus quam invidis subjacere. Sed nec hic ad hostium se transtulit participium, magis autem apud Pontiniacum in religiosa Cisterciensium monachorum domo primum delituit, ut ibi gravius peccata puniret, et melius Dei misericordiam impetraret. Cumque diutius propter regis offensam Cistercienses eum fovere non auderent, subvenit ei deinceps Ludovici pii regis Francorum sancta liberalitas in metropoli Senonis ipsi suisque necessari quælibet abunde magnificeque ministrans. Apud quem tamen inimicandi voto studiove non substitit, sed cum alibi propter latam domini sui potentiam habere non posset ubi caput reclinaret, ab ipso collectus misericorditer est, quamvis nec in hoc juste foret reprehendendus, si in ecclesiasticæ D subsidium censuræ, terrenæ quoque potestatis implorasset auxilium. Nam et ut sancti censent, ab imperatoribus defensores juste postulantur et delegantur adversus potentias divitum, quorum molestiis Ecclesia fatigatur. Ut tamen hoc non egerit contra dominum suum, magis obtinuit radicatus circa eum charitatis affectus, quo non potuit non etiam persequenti deferre, vel et suo periculo parcere.

XXV. DE ZELO EJUS.

Non tamen parum interim comedebat eum Ecclesiæ zelus; sed et plurimum incendebat impenden susceptæ dignitatis onus. Cogitabat enim et ment sæpius revolvebat illud Augustini, quod nihil est i

hac vita difficilius, laboriosius, periculosius episcopi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet. Sciebat se proretam esse constitutum et tenere clavum in navi, quam sæva tempestate concuti non ignorabat. Certum enim habebat laicos perditionis filios et ad facinus quodlibet proniores, Ecclesiæ suæ rebus incubare, direptionibusque et oppressionibus earum insistere, servientes quoque suos in vincla conjectos tenere, sed et personas ecclesiasticas calumniis et angustiis infestari, contraque canones ad sæculare judicium pertrahi: palam etiam sancta conculcari necnon et suos suorumque reditus res utique destinatas usibus pauperum, male distribui jam in stipendia militum. Magistrum itaque navis inter tot et tantos procellas dormitare diutius tutum non erat. Magis autem ad evadendum periculum laborare pro viribus oportebat.

XXVI. DE PRIMA COERTIONE EJUS.

Ad hoc igitur magnis sæpe supplicationibus, commotionibus, comminationibus regem flectere studens, sed non prævalens, demum post exspectationem annuam in nundinali conventu populorum apud Vezelai regium super memoratis consuetudinibus scriptum publicavit et damnavit, in earumdem exactores, observatores, iisque consentientes generaliter et in quosdam regis familiares, excessuumque consultores aut exsecutores, specialiter anathema depromens. Cum enim per patientiam tempestati cedendo nil tanto tempore profecisset, exinde reluctando, procellarumque fluctus frangendo procurandum remedium more strenui remigis censuit. Nec enim apud regem vel majoris offensæ discrimen vel gravioris pressuræ turbationem formidabat, reputans nusquam magis necessariam fortitudinem quam in tempestate, nunquam magis utilem constantiam quam in persecutione. Sub persecutoribus quippe per meticulosos Ecclesia sæpe decrevit, et per fortes athletas assidue crevit. Quod etiam presignatum est per illam arcam Noe, quæ quanto per diluvium magis efferebatur, tanto sublimius et ipsa ferebatur. In regios itaque contra famam et salutem ejus consultores primo manum exseruit. Sed et velut id propositi gerens ut securim poneret ad radicem, solemniter etiam ipsum vocavit regem, tanquam in eumdem quoque nominatim ad diem statutum anathema dictaturus, nisi cœptum corrigeret et omitteret.

XXVII. DE COHIBITIONE COERTIONIS ET CAUSA COHIBITIONIS.

Ausum autem istum præpedivit interveniens ex parte regis ad dominum papam appellatio. Potestatem autem ejus deinceps paulisper papa cohibuit. Suggestum enim ei fuerat quod melius patientia vinceret. Consiliosum quoque visum est ut et adhuc prætextu schismatis lenius ageret. Scriptum namque recolebat cum quisquam fratrum in tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est. Regem autem contentionis occasione ad dilatationem schismatis per schimaticos multis et magnis pollicitationibus fortiter esse sollicitatum et cito vincendum rumor publicus erat. Melius igitur eum adhuc tunc benignitate supportandum quam severitate præcidendum papa censuit. Nec minus ob hoc et excommunicatos ejus fideles absolvi curavit. Hanc autem moderationis providentiam eo levius tulit archiepiscopus, quo minus jam neglector officii de superioris cohibitione potestatis videbatur.

XXVIII. DE RATIONE COERTIONIS.

Et æmuli quidem ejus retorserunt in temeritatis notam severitatis constantiam. Hæc tamen agendum juste crediderat, postquam vincendi per patientiam spes non erat. Scriptum enim legerat; « Crimina quorumlibet undecunque claruerint si non fuerint leni patientiæ medicamento sanata, velut igne quodam piæ increpationis urenda sunt et curanda. » Quod si nec æquanimiter sustinentis et pie increpantis medela processerit, qui diu portati et salubriter objurgati corrigi noluerint tanquam putridæ corporis partes ferro debent excommunicationis abscidi. Sed et regem tanquam familiarius notum, et in multis sæpe probatum, nequaquam diutius vel in se vel in suis duriorem censuram portaturum bene confidebat. Nequaquam enim correptionis impatientem ad apostasiæ detestationem excellentiæ suæ gloriam redacturum indubius erat. Sensit fortassis aliter dominus papa tanquam hominis mores minus expertus, longiusque remotus et rumoribus motus, ideoque rigori paulisper detraxit.

XXIX. QUALITER SÆPE LABORATUM EST AD PACIS REFORMATIONEM.

Ne tamen undique destitutum filium suum et pro se exsulem relinqueret, non multo post magni nominis viros Ecclesiæ suæ cardinales a latere suo transmisit, ut his mediatoribus de reconciliatione regi potentius suaderetur. Post initum autem et diutius tractum de pace tractatum, illis tandem infecto negotio recedentibus, denuo pars regis ad appellationis subsidium convolavit. Cujus persequendæ necessitas per dominum papam postea remissa est, et adhuc dilatio data, donec directis aliis de Francia viris religiosis, de pace rursus tractatum est, sed nihil profectum. Habitum est autem post hæc cum rege Franciæ colloquium; ubi circumstante multorum episcoporum et comitum procerumque corona, postulatus rex archiepiscopo pacem concessit, dum tamen sibi servaret quæ debilissimo regum antecessorum sanctissimus priorum archiepiscoporum servaverat. Et hæc quidem justissima concessio visa est et insperata toti circumstantium cœtui. Voluit autem archiepiscopus addi: « Salvo Dei et regis ipsius honore. » Quod rex tanquam superfluum renuit vel captiosum, favoremque cunctorum obtinuit, cum contra eorum consilium archiepiscopus quod offerebatur recusavit. Ecce qualiter omnimodam ejus

destitutionem procurabat malignus, dum illud solatii quod ab Ecclesia Franciæ solum ei supererat, detractum iri nitebatur. Sed nec vel hoc metu flecti potuit, ut quamvis multæ magnorum instantiæ cederet. Vidit quippe non videntibus aliis captionem in verbis, quia sanctissimus archiepiscoporum forte mala servaverat regibus sicut et bona, quorum generaliter postulabatur, sed annuenda non erat observatio: maxime cum rex addiderit, sicut sibi promissum est, recolens non præcipientibus aliis consuetudinum, de quibus erat contentio, promissionem. Unde igitur videbatur destituendus, inde lætior factus, tanto deinceps apud hospites suos gratiam meruit ampliorem, quanto repertus est et contra captionem prudentior et contra tantorum suasionem invictior. Palam enim exinde visus est magis Dei spiritu duci quam favorem hominum sequi.

XXX. QUALITER ET QUA FIDUCIA COERTIO DENUO SECUTA EST.

Jam autem non nihil virium vis schismatis amiserat jamque plurimum furor ejus detum erat; quia princeps ejusdem imperator, ab Italia expulsus, satis minor existebat, et Ecclesiæ Romanæ vigor magna ex parte revaluerat. In transmarinis quoque populis suis et clero schismatis regem augmentum aggredi non posse sine discrimine maximo, manifeste cernebatur et ob hoc etiam ejusdem excessus in Anglia juste putabatur facilius reprimendos. Hinc itaque fiduciam sumens et nutriens archiepiscopus, cum ad votum sermo pacis non procederet, et post longam jam exspectationem plurimum tæderet dilationis, periculumque cresceret, debitam ultionis severitatem ulterius minime protelandam judicavit. Adhuc tamen personæ regiæ censuit deferendum, sublimitatis ejus reverentiæ condescendens et apostolicæ cohibitionis mandatum sequens. Saltem autem in regni majores et regi familiariores manum extendit, quorum scilicet consiliis rex agebatur et ministeriis ad concussiones utebatur, quamvis et hac etiam vice prius sibi appellatione prospexissent. Sed frustratoria videbatur toties interposita provocatio. Per dominum quoque papam inhibitum fuerat provocationis remedium.

XXXI. QUOD CANONICA ET JUSTA COERTIO.

Quos etiam licet absentes et incitatos, digne tamen plectendos censuit, tanquam manifestos et indubitatos notorii regis delicti fautores et patronos. In manifestis quippe judiciarius ordo non requiritur, sed reus tanquam operis evidentia de malo confessus, juste mox percellitur. Hinc et quosdam etiam episcopos, videlicet Londoniensem et Saresberiensem, similiter anathemate licet ignorantes et non vocatos innodavit. Cum his quidem et cæteros officii sui neglectores deprehenderat et nutrientes pestilentiam, dum necessariam non adhibuere disciplinam. Negligere enim cum possis perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere, nec caret scrupulo consensionis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare. Sed et eosdem auxilio suo defuisse repererat contra statuta sanctorum. Nam ut scriptum est: « Ad hoc præordinavit Deus omnes qui summo sacerdotio funguntur, ut injustitias removeant et præsumptiones abscidant et præsertim in sacerdotio laborantibus subveniant. A quorum auxilio qui se subtraxerit, magis schismaticus quam sacerdos esse probatur. » Inter cæteros autem Londoniensem et Salesberiensem non solum auxilio defuisse, sed et adversarios in causa Dei fuisse palam expertus est. Londoniensis quippe totum litis onus in se suscipere non dubitaverat, archiepiscopi pro justitia mandatis obvians, eaque velut schismatis cavendi prætextu declinans et adversus obedientiæ bonum omniumque malorum potentius remedium, semper opponens appellationis impedimentum. Velut quoque sociam in hoc Ecclesiam Angliæ traxit, quæ verius reclamare non audebat. Manifeste vero Saresberiensem socium et adjutorem in omnibus molitionum et appellationum diffugiis habuit, ad eludendam justitiam in causa regis tam notorie injusta multiplicem legatorum et induciarum artem cum eo procurans.

XXXII. QUOD DURIOR POTUISSET ESSE DE JURE COERTIO.

Quos ob hoc non solum anathemate sed et depositione dignos fuisse, ratione constabat et exemplis. Similiter enim et in tutores quosdam notorii criminis Lotharii imperatoris animadversum esse legitur. Ait namque Nicolaus papa: « Scelus quod Lotharius rex in duabus feminis Theberga et Gualdrada commisit, omnibus manifestum est. Sed et dudum episcopos Theugaldum et Guntarium in tali facto eum habuisse tutores et fautores pene totus orbis ad apostolicam sedem confluens referebat. Igitur decernente nobiscum sancta synodo, depositi ab officio sacerdotali, excommunicati atque a regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. : Idem ad Lotharium: « Ita, inquit corporis tui motibus consensisti et te ipsum in lacum miseriæ projecisti, ut qui fueras positus ad gubernationem populorum, effectus sis ruina multorum. Probat hoc Theugaldi et Guntarii dudum episcoporum legitimus casus, qui pro eo quod et minime competenter erudierunt, quinimo quia prævaricationem tuam tegere argumentis suis et sub quadam justitiæ specie fucatis adinventionibus æquitatem obruere studuerunt, nostra sunt auctoritate depositi et ab omni presbyteratus et episcopatus regimine regulariter sequestrati. » Cum igitur et in prænominatos episcopos similiter jure vindicandum fuisset, satis tamen iis pepercit archiepiscopus, cum tantum ad anathematis sententiam substitit, tanquam noluerit ut omnino dejicerentur, sed magis terrerentur et resipiscerent regemque consequenter territum resipiscere facerent. Et eorum quidem laboribus et expensis modestia domini papæ tunc usque pepercerat, prosequendarum appellationum necessitatem iis remittens, quatenus ad hujus benignitatis

compensationem eorumdem ope pax levius et maturius sequeretur. Ipsos autem nec ea remissio movit, nec decrescentis fiducia schismatis excitavit, aut crescentis apud eos scandali dolor animavit, ut post tanti temporis spatium sacerdotalem resumerent firmitatem et contra tantas enormitates reclamarent. Imo et eos abusio patientiæ reddiderat non modo securiores, sed etiam ad tergiversandum acriores. Quoniam ergo sal infatuatum ad nihil aliud valet nisi ut foras projiciatur et ab hominibus conculcetur, digne demum ab Ecclesia per anathema cum cæteris regis consiliariis ejecti sunt, ut catulis ita coram leone castigatis, deferberet ira leonis et qui deviarat in consulto caloris et ætatis terrore victus rediret ad viam sanitatis et salutis. Secuta vero deinceps est tanto ejus implacabilior ira, quanto major tristitiæ causa. Nec enim poterat non reputare suam suorum confusionem pro se præsertim inflictam.

XXXIII. QUALITER ADVERSUS QUORUMDAM DETRACTATIONES EXCUSETUR ARCHIEPISCOPUS.

Nec deerant qui palam archiepiscopum hostem et regni turbatorem arguerent et tanquam in odientem odium regis inflammarent. Nihil tamen egerat ut sæviens aut odiens sed regem ut filium charissimum castigare volens, et ut dominum unicum diligens, ejusque per omnia bonum ardentissime quærens. Nec enim omnis qui verberat inimicus est sicut nec omnis qui parcit amicus. Meliora vero sunt vulnera amici quam oscula inimici. Melius etiam est cum severitate diligere quam cum lenitate decipere. Decepere quidem qui malum ejus foverunt, qui periculum de negligentia correctionis auxerunt. Vere vero dilexit qui de periculo doluit, qui obviare curavit, qui vel invitum liberare sategit. Charitas enim erat, quæ veterem illum timorem foras jam miserat, quæ formidinem offensionis expulerat, quæ periclitantis salutem utilius pensabat, quam iram cavebat. Si prius, sicut a multis exprobratum est, fugerat ut homo, at jam libere reclamare, fortiterque resistere promptus erat, spiritu sacerdotis assumpto. Regiam enim censuræ viam constantius incedebat, velutque non terreni lucri sectator aut personarum acceptor, sed rectitudinis indeflexus æmulator, tanquam resistentibus exinde nolens in aliquo parcere se gerebat.

XXXIV. DE PROFECTU EJUS IN DIEBUS EXSILII.

Sed et tanto jam exsilii tempore non minimum personæ suæ contulerat. Divinæ quippe legis et decretorum lectioni totis interim insistens viribus, damna priorum dierum et occupationes curiæ studii vehementia compensavit, ut ad susceptæ dignitatis exercitium longe doctior factus sit. Nec minus et acerrima pœnitentia non tamen publica sed occulta prioris temporis lapsus purgare studuit, ut jam septennali pœnitentiæ tempore, quo maximorum etiam criminum venia quæritur fere completo, quanto mundior, tanto securior et ad extorquendam

A etiam a delinquentibus pœnitentiam ardentior esse repertus sit.

XXXV. DE AFFLICTIONE PER REGEM AUCTA.

Ad hunc autem ejus zelum petulantium in Anglia taurorum tumor magis intumuit. Mox enim aucta est tempestas, restricta est observatis portubus navigandi facultas, secuta quoque est susceptionis et observationis mandatorum archiepiscopi vel domini papæ pro eo per Angliam abjuratio. Sic enim malevolorum suaserat malitia, quo vel schismatis vis obtineret vel saltem metus ejus remedium ad regis et regiæ partis arbitrium procuraret.

XXXVI. DE PACIS DEMUM PER DOMINUM PAPAM REFORMATIONE.

Quasi vero pro foribus schismatis imminere cœpit
B augmentum et in deterius malum videbatur iturum nisi demum ad iteratas regis supplicationes inclinatum fuisset apostolicæ sedis moderamen, ut remedium provideret. Laboraverat quidem et paulo ante dominus papa precibus, monitis, minis, ad reconciliationem litteris et mediatoribus novis a latere suo transmissis, regem sicut decuerat interpellans. Pacis autem impedimentum fuerat, quod rex reditum et potestatem debitam archiepiscopo concedebat, salva regni sui dignitate. Volebant autem mediatores etiam addi salva libertate Ecclesiæ. Quæ quia non videbantur posse convenire, nec de pace consentire potuerunt, jam autem scandalum ultra non sustinens, additionem illam verborum utrinque dominus papa censuit amovendam et novis interventoribus negotii curam delegans, pacis modum et formam
C præscripsit, eam regi multa precum et monitionum benignitate suadens et remissionem etiam peccatorum in præmium statuens. Ut etiam citius animus ejus molliretur, gratiam absolutionis episcopis suis præconcessit. Quibus ille demum victus pacem et gratiam suam archiepiscopo reddidit, et sicut mediatores postulabant concessit ut ipse suique redirent et propria cum integritate recuperarent, sicut tribus mensibus ante discessum habuerant, eaque fungeretur ipse potestate quam largitur auctoritas sacræ Scripturæ. Tunc etiam per mediatores eosdem absolutionem receperunt cæteri regis fideles, qui fuerant in anathemate positi.

XXXVII. DE MEDIA QUADAM INJURIA ARCHIEPISCOPI.

D Parum tamen ante hoc principali prærogativæ Cantuariensis Ecclesiæ plurimum fuerat derogatum. Nam cum de jure, sicut dicebatur, antiquo solius arhiepiscopi Cantuariensis esset novum regem coronare, captata quidem ejus absentia, præsul Eboracensis tanquam parem se faciens, obtinuit ut filium regis in regem patris voluntate sublimatum consecraverit. Hoc autem in provincia non sua sed Cantuariensi, scilicet apud Londoniam, quam ejusdem provinciæ civitatem haberi constabat. Astiterunt etiam coronationi ministerium præbentes Cantuariensis metropoleos suffraganei præsules per quos potissimum ille pertinens ad archiepiscopum suum præcipue potestatis circa regis creationem honor

jam abolitus videbatur, et non minus deinceps ad A quemvis alium pro principis arbitrio devolvendus. Ob hoc igitur Ecclesiæ suæ damnum enorme dolore cordis intrinsecus tactus archiepiscopus, qualiter super dolorem vulnerum suorum additum sit, domino papæ scripserat pacis omnino desperationem allegans. Hinc et rescriptum ante pacem acceperat: quo præsul Eboracensis tanquam alieni juris præsumptor ab episcopali suspensus est dignitate, maxime quia terminos suos transgressus usurpavit in alterius rovincia præsertimque propter justitiam exsulantis, quod sibi nec de ratione nec de sanctorum Patrum constitutionibus poterat competere. Nec minus et aliud rescriptum impetraverat, quo suffraganeos ejus acerba satis increpatione confutatos, quia contra consuetudinum pravitatem sacerdotaliter reclamare B post tantam exspectationem neglexerant, imo et in præjudicium Ecclesiæ metropolitanæ coronationi filii regis ministerii sui favorem prohibiti præstiterant, similiter ab episcopali dignitate papa suspendit. Insuper et quosdam eorum, videlicet Londoniensem et Saresberiensem, velut tanto magis culpabiles quanto majori prius absolutionis et remissionis gratia respectos, in anathematis sententiam revocavit. Ex quo patens est, et in archiepiscopo rectum justitiæ zelum præcessisse, quam ita postmodum Petri vicarius in quosdam episcopos extendit, manum aggravans, et in priores innovavit, quamvis prius eamdem ex dispensatione laxasset. Pace vero, scut dictum est, interim inita, curam tamen abolitiison prædictorum non egit archiepiscopus, quia nec de C stabilitate pacis erat securus. Nec enim implebantur quæ promissa fuerant; sed et multa contra pacis tenorem denuo patrabantur. Sibi quippe suisque suorum non fiebat restitutio, sed et eorum diminutio distractioque satis damnosa per regis officiales accidebat, quasi sic maligno dissuadente reditum, ut martyrii propositum præpediret.

XXXVIII. DE REDITU EJUS ET REDITUS NECESSITATE.

Instante tamen rege pos modum et emendationem omnium pollicente, redire maturavit in Angliam. Hoc etenim etiam domini papæ cardinaliumque consilium fuerat. Præsertim autem de tantis quibus vexabatur Ecclesia scandalis motus est ut rediret, et tanquam strenuus ac fortis athleta pro suis ovibus animam poneret. Jam enim tempus suum D venisse credebat. Satis enim jam apparebat quis esset; satis etiam mundo veritas causæ suæ patebat. Potuerat quidem et ante fugam personæ suæ martyrio prospexisse, sed digne subventum non esset Ecclesiæ detrimento, quia mors ejus parum profuisset ad remedium, nisi vitæ causæque suæ procurasset auctoritatis suffragium. Nam et ob hoc in Ecclesiarum specula Franciæ Ecclesia libentius resederat ut illinc instructior consilio, munitior auxilio, cum opus foret, majoris pondere nominis fortior incederet ad pugnam et potentior esset ad victoriam. Jam igitur cum plurimum satisfecisset voto, nec dignum nec tutum reputabat tam periculose laborantibus subditis se pacis et securitatis extra regnum deliciis ulterius indulgere. Præsertim autem quia per se tota concussio sæviebat, periculoseque vacillabat Ecclesiæ status, exemplo David compunctus jam dicebat: « Grex iste quid peccavit? fiat, Domine manus tua in me. » Jam attendebat consolationem Isaiæ ad Achaz: « Noli, inquit, timere, et cor tuum ne formidet a caudis titionum fumigantium. » Jam assumpserat audaciam Mathathiæ dicentis: « Ne timueris a verbis viri peccatoris, quia gloria ejus, stercus et vermis, hodie extollitur, et cras non invenietur. » Jam zelabat baptistæ Christi censuram ut regi dicere non timeret: « Non licet tibi habere uxorem fratris tui non licet maculare Sponsam Christi. » Si prius itaque fugerat exemplo Christi, exemplo Pauli cæterorumque nonnullorum Christi sequacium, captans tempus magis idoneum, et majus Ecclesiæ commodum, jam utique cum tempus monebat, scilicet post vitæ sanctioris cursum, publicatamque causæ suæ justitiam et inter urgentia gravius Ecclesiæ scandala negligentibus etiam nimis periculose ministerium debitum coepiscopis suis fixit ut rediret et exemplo Christi missis a principe obviam procedens diceret: « Quem quæritis? si me quæritis, sinite meos abire. » Jam enim paratus in mortem ire vel carcerem, capiti suo vel corpori promptus erat non parcere, si tuta aliter Ecclesiæ salus esse non poterat. Et quidem velut præscius caput se daturum, nonnullis id ita futurum prædixit. Testificata est enim hoc post ejus agonem multorum et magnorum fideque dignorum recordatio. Sed et litteræ ejus comparuere postmodum, quas in reditu suo domino papæ scripserat, humiliter et devote gratias ei referens quod causam suam tam potenter et immobiliter foverat, obnixeque supplicans ut paternæ defensionis solatium continuare dignaretur Ecclesiæ suæ pro qua, sicut addidit, certus erat quod mori pergebat.

XXXIX. DE TEMPORE REDITUS EJUS ET DE CAUSA NOVÆ TURBATIONIS.

Venit igitur anno jam exsilii septimo, post tractam scilicet tanto tempore satis importabilem pœnitentiam, post auctam etiam sibi plurimum in ecclesiasticis eruditionem et post conquisitum undique sanctitatis et sapientiæ nomen. De Romanæ quoque sedis indultu præter legationis apicem, debitam primatus in Anglia dignitatem jam obtinebat. Prius autem quam navem scanderet, prædictas litteras domini papæ transmisit. Quas primi receperunt præsules Eboracensis, Londoniensis, Saresberiensis, qui tunc in adverso littore ventum prosperum exspectabant, ut ad regem ex ejus mandato transfretarent: qui trans mare morabatur, quatenus eorum consilio novi in vacantibus Angliæ sedibus episcopi ponerentur, Ecclesiarum etiam vacantium personis velut ad electiones faciendas illuc evocatis.

XL. QUALITER DE TEMERITATE NOTATUS SIT.

Visum est autem nonnullis, quod incircumspecte

litterarum vindicta post pacem usus est, quæ tantum A pro pacis desperatione fuerant datæ, quarum etiam missionis dominus papa causam expresserat, scilicet quod pro archiepiscopo postulans præter inanem pompam verborum nihil eatenus reportaverat. Cum igitur non jam causa subesset, prudentius, ut judicatum est, etiam litteræ suppressæ fuissent, aut super episcoporum absolutione pro pacis firmamento dispensationem providisset, ne alioquin indignus pace videretur, qui pacem minime sectaretur. Juris enim sui reformationem, ut censuerunt, melius in dies securiores distulisset.

XLI. DE NOVA TURBATIONE.

At jam nequius aliquid in eum machinabatur maligni versutia. Quem enim nec prosperis seducere nec adversis conterere poterat, magis autem ex B omni tentatione proficere cognoscebat: victoriam jam ei devolvere nitebatur ad necem velut id agens, ne sub ejus alis Ecclesia respiraret, et ut in persecutorum ejus scelere sibi compensaret quod in cum non prævalebat. Ipso igitur suggerente velut in regis injuriam redundare, quod in transmeantes ad eum episcopos actum est, mox magnus novæ turbationis ortus est motus. Secuta est enim fidelium regis indignatio vehemens et officialium ejus animositas vix se continens, futuræque calamitatis evidens indicium. In ipsius etiam appulsu militum et satellitum factus est ad mare concursus, vindictamque præcipitasset furentium impatentia, nisi conductus ei a rege præstitus eorum frenasset insaniam. De providentia quoque retributionis divinæ nobilior eum exitus et major manebat gloria passionis C

XLII. DE RECEPTIONE EJUS ET ÆSTIMATIONE.

Inter hæc autem constans et intrepidus cum ypapanti magnifica sedem suam intravit et cum ingenti gloria gratulationis exceptus, reditus sui solemnitatem satis splendidam habuit. Secutum est exinde murmur multum in regno, dicentibus aliis quia justus est et magni cordis, aliis non, sed seducit seipsum et temere agit. Quid enim periculosius aggredi potuit quam tam formidabilem super corona tanquam non recte data vindictam? Aut in quo regni decus deformari plus potuit quam ut ei detractum esset totum pontificalis honoris obsequium?

XLIII. EXCUSATIO EJUS

At ut se veritas habet, imminentis detrimentum D injuriæ dissimulare non poterat. Post detractam enim sibi creandi novi regis prærogativam procurabatur etiam ad confusionem majorem ut sine sui ministerio præficiendorum suffraganeorum consecratio proveniret. De quibus etiam creandis præter sui consilium tractatus habendus tunc fuerat. Nam et ob hoc dum redibat in regnum, extra regnum etiam vocati sunt conventus vacantium sedium et nullæ judicii sui partes forent, quinimo et in sui præjudicium majus, æmuli sui præsulis Eboracensis omnia consilio fierent. Cui dum Londoniensis et Saresberiensis elegerunt sociari, plane videbantur et in perniciem suam conspirasse. Contra canones item fieri parabatur, quia dum de regni consuetudine non manebat Ecclesiis eligendi libertas sed obsequendi necessitas in præficiendis non electio nisi palliata, sed regiæ voluntatis præceptio tantum exspectabatur. Evidens itaque sibi periculum et apertum non observandæ pacis indicium imminebat: propterea coertionis litteras digne censuit præmittendas, ut ligatis adversariis minor esset nocendi facultas, et dum intendere sibi necesse haberent ejus præjudicio vacare non possent. Præterea de dignitatis suæ præsumptoribus ante reditum regi conquestus, assensum ejus obtinuerat ut jus suum licite persequeretur. Sed et ne pacis turbator notaretur, quamvis etiam sibi periculosum esset absolvere quos dominus papa ligaverat, iis tamen absolutionem obtulerat, dummodo consuetum et debitum juramentum præstarent, quod super excommunicationis causa vel suo vel apostolico parerent arbitrio. Postulantes autem ut prorsus liberi dimitterentur, præsertim ob pacem jam secutam et regis ad quem tendebant honorem, inexauditi sicut non obedientes abscesserunt.

XLIV. DE CONSTANTIA EJUS.

Ipse tamen interim cum in dies turbationis vis cresceret, non eo segnius aut timidius domui suæ disponebat, et ecclesiasticorum quali decebat eminentia curam agebat, ecclesiasticæ libertatis intrepidus et constans assertor et quasi turris erecta in Jerusalem contra faciem Damasci. Ut novum quoque regem apud Wintoniam visitaret, Londonias usque processit, ubi tam a clericis quam a laicis honorifice receptus aut visitatus, apud malevolos sibi multum invidiæ visitatoribusque suis non parvi periculum odii citavit. Ibidem autem regis novi mandatum procurantibus malevolorum quibusdam accepit, ut per civitates et villas regias migrare caveret, et in propriis se contineret. Sicque reversus in sedis suæ domibus Cantuariæ sibi moram elegit. Et tamen in omnibus his non est adversus rigor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Nam immobilem tenens tuendi juris Ecclesiæ sententiam et tanquam rigidi servator honesti severitatis viam incedens nec ad dextram declinabat nec ad sinistram.

XLV. QUALITER REPREHENSA SIT EJUS CONSTANTIA ET QUALITER EXCUSETUR.

Quanquam plurimi censuerunt, quod consultius etiam tunc ad mansuetudinis et modestiæ semitam aliquandiu divertisset perque patientiæ moderamen parumper deviasset, minora tolerans et deteriora devitans, ut pax Ecclesiæ quæ vix adhuc fores erat ingressa, per ejus ingressum non esset egressa. Sed velut de vitæ munditia bene secursus et fortiter honoris Ecclesiæ zelo succensus, pristinæque promissionis præjudicium præcavens, promptum se gessit exsequi quod eminentiam Sponsæ Christi decebat, et paratum intrepide pati quidquid imminebat. Nec enim jam poterant reformari nisi per vi-

gorem rigoris, quæ perperam in ecclesiasticis usurpata fuerant per dissolutionem lenitatis. Ideoque magis etiam curandum erat, ut medicina modum excederet, quo et potentius abusionum immodestia cederet. Sic enim contrariis contraria curantur. Sic et dum lignorum tortuosa diriguntur in alteram partem reflexio non timetur. Sed et apostolicæ sedis legati nomen et dignitatem contra regni consuetudinem sine regis consensu gerens, de magnæ auctoritatis statera quæque ponderabat. Hinc etiam malevolis suis furoris et odii stimulus acrior, hinc grassandi in res ejus immanitas amplior, hinc injuriarum pulsatio crebior. Attamen in omnibus his non est aversus rigor ejus, sed adhuc manus ejus extenta, gladium spiritualem in quosque meritos exerebat. Fuere siquidem qui damni dedecorisque molestiam ei sæpius Ecclesiæque suæ contra jus et fas inferre præsumpserunt, ut dum ob hoc eos ecclesiastica censura puniret, amplius in eum malevolorum ira tumesceret et demum potentiorum perficeret audacia, quod horum non prævalebat insania, sicut et contigit.

XLVI. DE PASSIONIS EJUS CAUSA ET MODO.

Interim enim memoria veterum inflammatus et novorum gravaminum molestiam non sustinens persequentium furor, concilium iniit ad reprimendos ipsius conatus ut eum captum in carcerem truderent. Sic enim domini sui regis iram sedandam arbitrati sunt, et de transmarinis properantes quidam de curia nobiles regique familiares, tanquam ad facinus dirigente maligno, sine omni tam impedimento quam mora, quinto natalis die Cantuariam advecti sunt, auxiliis sibi latenter ab incolis loci et malevolis archiepiscopi conquisitis. Quem eadem die post prandium, quando familia consuevit abesse, tanquam visitare soli venientes, magis autem id agentes ut explorarent an improvisum præoccupare quirent, mox et facile tanquam præclari notissimique curiæ regiæ juvenes in interiorem etiam cameram admissi sunt, ubi cum clericis et monachis suis colloquia postmeridiana pro amore Dei præsul habebat. A quo benigne digneque suscepti, postquam de viæ suæ prosperitate dominique regis salute requisiti responderunt, injuste temereque latas in benevolos regis sententias mordaciter accusare transierunt. Adversus quos cum ipse se justis rationibus excusare niteretur, illi velut more pertæsi, contumeliis et minis succlamantes exiere velociter, quosdam etiam de domesticis archiepiecopi per nominis regii protestationem secum educentes violenter, ut operi concepto facilior exitus esset. In omnibus tamen his non est rigor ejus aversus, sed ex tunc mens ipsius his quæ Jesu Christi sunt magis intenta nec in modico movebatur. Et se quidem sic agebat, quasi nihil fieri reputans nisi ad terrorem, propositum tamen gerens ad sustinendum quidquid inferretur.

Factus est interim satellitum in atrium ejus concursus et armatorum fragor non minimus, ita ut justo timore percussi domus archiepiscopalis custodes januas ad concurrentium impetum clauserint et obstruxerint, quatenus malum quod imminebat vel differrent vel arcerent. Tumultu vero strepituque motus ac territus clericorum monachorumque circumfusorum archiepiscopo cœtus vix ei suadare potuerunt, imo vix impulerunt, ut in ecclesiam se conferret. In nullo tamen territus erat, sed velut omnino securus, imo sic agens, quasi martyrii dilationem remunerationis suæ diminutionem reputaret. Post quem cum valvas obserassent, mox eas aperiri fecit dicens : « Absit ut ecclesiam Dei castellum faciamus ! » et utique satis poterat divertisse si vellet, et manus impiorum evasisse, sed nimis indecens planeque periculorum censuit ulterius cedere, præsertim cum publice jam insonuisset quod venerat pro Ecelesia caput dare. Substiterat autem eadem die post auditam mane missam usque ad prandii tempus in capitulo monachorum, ubi duobus ecclesiæ religiosioribus monachis sua peccata cum summa contritione dicitur esse confessus et ad satisfactionem obediens pro eorum arbitrio factus. Hanc enim humilitatis cautelam jam diutius assueverat ut ubicunque religiosi cujusquam copiam haberet, ejus se consilio subderet. Transibat igitur, ut subsisteret ante altare majus, et in ipsa sede sua certamen si necesse foret consummaret, ibique suum pro Christo funderet sanguinem, ubi et Christum immolare consuerat ad sui mundique salutem. Agmine vero coacto, malefactores cum non eum in domo propria comprehendere sicut optaverant, imo nec domum ingredi possent, duce quodam filio Belial Roberto de Broc, qui nequius et ardentius in eum et ejus res fidelesque semper debacchaverat et ob hoc anathema erat, rupta fenestra quadam irruperunt et per claustrum monachorum quamvis iis prohibentibus et reluctantibus ingressi sunt.

Cum autem vociferarentur : « Ubi est archiepiscopus ? » erat enim ex vespera locus obscurior ut ipsum secernere non mox possent, occurrit iis ex gradibus, quos partim accenderat, dicens : Ecce ego : quid vultis ? » Unoque proclamante militum : « Ut moriaris, nec enim esse potest ut ulterius vivas, » constanter respondit : « Et ego pro Deo et Ecclesia mea paratus sum mori. » Venerant autem in loricis et galeis ensibusque nudatis. Quibus perterriti subito dilapsi sunt huc illucque cum cleris monachi, tanquam et hic iterum impleto quod scriptum est : « Percutiam pastorem et dispergentur oves. » Nisi sunt autem primo comprehensum eum abducere. Quod fieri posse deperantes, cum sequi dedignans solo tamen verbo reluctaretur, timentesque ne supervenientibus auxiliis ereptus denuo regnum exiret, velut ad facinus præcipitante diabolo cædis in ipsum furia mox exarserunt. Cum ergo percutiendus esset prosiluit unus ex clericis Edwardus nomine cognomento Grim, ac velut æmulatus beati Petri fidentiam ut magistrum defenderet, obvolutum pallio

brachium levatis ensibus audenter objecit, ut archiepiscopo suo parcerent clamans. Cujus ausum quamvis pium tanquam tamen minus rectum prohibuit Christi pontifex : et velut illius cohibitionis memor qua Petro Dominus ait, cum servo pontificis amputasset auriculam : « Mitte gladium tuum in vaginam, calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum ? — Desine, inquit, frater, non hanc defensionem vult Dominus. » Interim autem clerico miles funestus non pepercit, sed in eum primo desæviens brachium quod objecerat fere per medium gladio secuit, et ex ictus vehementia perturbatum velut exanimem solo stravit. O quam laudabilis qui patri suo promptus compati solus inventus est ! O quam et felix, si et commori detuper ei datum fuisset ! Promeruisset siquidem et ipse martyris nomen et præmium, si tamen animam pro magistro ponens, animum præsertim defendendi causam ejus subiisset. Sane vero creditur divinitus procuratum et evaderet ne laudis debitæ gloria vir sanctus, cujus principaliter agon erat, fraudaretur, solisque discipuli meritis virtutes miraculorum secutas malevolorum perversitas deputaret. Tunc athleta fortis ad carnifices : « Si caput, inquit, meum vultis, ex parte Dei per anathema prohibeo ne quemquam meorum tangatis, quia nihil imputandum est illis quod egerim ; » quasi licet non verba, tamen sensum responsi Dominici sequens : « Si me quæritis, sinite hos abire. » Deinde signo crucis se muniens, et junctis in modum orantis ad Deum manibus, contra gladios imminentes caput inclinans, stetit immotus, hæc ultima verba proferens : « Deo et sanctæ Mariæ et hujus Ecclesiæ sanctis beatoque Dionysio commendo me et Ecclesiam meam. » Diabolico vero præcipitatus impulsu furentium impetus, mox eum gladiis appetiit tanto nequius quanto minus præmunitum et improvisum, et nec judicatum nec discussum, constantem tamen et velut in nullo turbatum. Nec enim vel adhuc aversus est rigor ejus, sed collo tunc extento grandes super benedictam et chrismate sacratam coronam fortiter ictus excepit. Quid multa proh dolor ! Christum Domini, benedictum Dei, ante altare sancti Benedicti die quinto natalis Christi crudelium immanitas capitis cum cerebro summitate præcisa truncavit et stravit, ut mira Dei providentia mortem ante mortuorum coarchiepiscoporum sepulturas exceperit, nec resistens, nec conquerens, nec obmurmurans, nec ingemiscens, sed se post ictus aliquot velut ad orationem in pavimento distendens, ut et hic quoque non fuerit aversus rigor ejus, sed ex tunc anima ipsius cœlo, prorsus intenta, terribilioris vindictæ metum juste reliquerit. Ultionem siquidem injuriarum Ecclesiæ tanto fortius zelatus recte creditur, cum migravit, quanto passionis sensu acrior fuit; suas sutem tanto lætius ferens, quanto certioris retributionis spem habens. Cursum enim consummaverat fidemque servaverat, et de reliquo repositam sibi coronam justitiæ digne confidebat. Tunc unus ex militibus et ipse

A filius Belial, inter scelestos cæteros sæculis omnibus scelere detestabilior, in residua capitis jam exanimis testa cerebri residuum eum ensis mucrone scrutatus ejecit et solo sparsit, non tam ne mortis in jam mortuo dubitatio resideret, quam ut sibi sævitiæ dementia satisfaceret.

XLVII. INVECTIO IN CARNIFICES.

O quam dura crudelitas ! o quam dira rabies ! o quam stupenda scelerositas, quæ sacras illas sacrati verticis partes tam irreverenter et tam atrociter, tamque exsecrabiliter rimari præsumpsit. Immanitatem sceleris auditus refugit, mens non capit et explicare sermo non sufficit. Cujus memoriam singularis et singulariter nefandus casus non patietur exstingui, cujus commemoratio recentem horroris stuporem B recolentibus semper faciet excitari. Non autem contenti spiculatores cædem nefandam consummasse, sed prædonum etiam more grassati, tam cupiditate degeneres quam scelere detestabiles ignobili facto consequenter se probarunt. Post facinus enim impletum in ecclesiæ palatium irrumpentes, angulos omnes domorum perscrutati sunt, universamque suppellectilem et quidquid in scriniis aut manticis aut clitellis vel ipsius archiepiscopi vel suorum potuit inveniri, tam in auro vel argento quam in pannis et vestibus, sed et libros et equos et sarcinas omnes insatiabilis avaritiæ violentia sibi vindicarunt, sicut nec ditioribus sic nec pauperioribus archiepiscopalis curiæ quiddam præter vestitum quotidianum relinquentes.

C XLVIII. DETESTATIO FACTI.

Factum igitur ipsum tam perniciosum quam detestabile fuit. Si enim hoc fecerint in viridi, quid exinde timendum non erat in arido ? Cujuslibet etiam et quantumlibet scelerosi, domus Dei quælibet asylum esse consueverat. Si vero mater Ecclesiarum regni, si titulum et nomen habens non alicujus sancti, sed sanctorum omnium Domini, si magnis munita privilegiis, si multis reverenda sanctorum reliquiis, patris et pastoris sui tutamen esse non potuit, ubi deinceps alicui refugium sperandum fuit ? Qui vero patratoribus sceleris relictus et veniæ locus ? Si sanguis Abel in agro lapsus, si sanguis Zachariæ inter templum et altare fusus clamant ad Dominum de terra, quanto terribilius intonat quo et ipsum coram altari tam dire tamque profane maculatum D est sanctorum sanctum ! Vere tunc ibi plus quam Dohech et emissarii regis Saul, quia tanto magis exsecrandi carnifices, quanto sacratior nostri temporis pontifex quam Abimelech et domus ejus tota. Sed nec id illos excusat, quod tanquam sceleratum et domini sui proditorem se perimere sibi suaserunt. Primum enim de proditione non constabat, sed et retroacti temporis omnia per interventum pacis et veniæ fuerant deleta. Deinde nec vel in scelerosum christum Domini sic sævire, nisi sacrilegium, imo nisi sacrilegum parricidium esse poterat et tanto magis, quanto locus sacratior diesque celebrior et persona sublimior. Scelerosus enim et reprobus

erat Saul et tamen sanctus David, quem etiam persequebatur, valde corde compunctus est, quia præsciderat oram chlamidis ejus, et ait: « Propitius sit mihi Dominus, ut non mittam manum in eum quia christus Domini est. » Et iterum ad Amalechitam qui se illum occidisse confessus est: « Sanguis, inquit, tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te dicens: Ego interfeci christum Domini. » Quanto magis igitur morte digni sunt, imo nec etiam morte piandi; qui sæviunt in eum qui non solum christus est Domini, sed etiam facit christum Domini, videlicet qui regem ipsum et sacerdotem constituit, qui sacramenta quæque conficit, qui Christum etiam Regem omnium regum in altari consecrare non metuit.

XLIX. EXAGGERATIO SCELERIS

Et profecto sceleris quantitatem longe exaggerat passi sanctitas. Sanctitatem autem plane convicerunt primo indicia magnarum præsumptionum, deinde crebra per eum post mortem miracula. Cum enim sepeliendus vestibus suis nudaretur ut ad funus curaretur, horrendo cilicio repertus est a scapulis usque ad lumbos totus insutus et desuper habitum monachi tanquam monachorum pater habens, exteriusque schema canonici præferens. Ita nihil ei religiosi habitus defuit. Quod etiam mirabilius et inauditum prius fuit, femoralia quoque cilicina sub lineis proprius ad carnem habebat. In ciliciis item tanta pediculorum multitudo repere visa est, ut paulo rariorum locum obsitum quam vacuum fecerint. Quorum etiam quamplurimi penetrata jam pelle carni profundius inhærere prospecti sunt. In hoc torculari paucis admodum consciis, sicut et ipsi testati sunt, septennium jam totum exegerat, tot diebus ante mortem sepultus et vermium cibus. Vere mira beati viri fortitudo, quæ carnem assuetam deliciis ita subditam contumeliis post purpuram et byssum sudario damnavit mortuorum. Vere magnus terrenorum contemptus, ubi vir tantæ potestatis et honoris, tantæ se fecit utilitatis. O quanta suspiria, quantus luctus omnium! quanta præcipue lamenta monachorum ad illorum cum patuere conspectum? Quis enim a lacrymis temperaret? Quis etiam a laudibus Creatoris abstineret? Quis non compateretur afflicto? Quis non gratularetur tantis malis erepto? Quis gratias non ageret Deo, qui tantam dedit perseverantiæ gratiam? Quis recte discrederet retributionem secutam? Vere siquidem gestaverat crucem in corpore, cum vitiis et concupiscentiis tanto tempore cruxifixus. Vere consummaverat et crucem in capite demum in eo tam crudeliter plexus. Nec potuit juste præsumi, nisi quod fideliter Christum secutus, felici esset a Christo mercede donatus.

L. QUARE MOX DEBUIT MARTYR JUDICARI.

Nec enim nisi martyrum unus de pretiosæ titulo morts ciredi debuit et censeri, tantoque major quanto causa mortis singularior. Occumbere siquidem pro Christi fide vix aliquis nisi male credulus refugit; occumbere vero pro statutis Ecclesiæ vix nisi charitate perfectior appetit. Quod ergo rarius est et difficilius, recte quoque censendum est gloriosius. Nam in modico fidelis, et in majoribus fidelis est. Hujusce quoque gloria passionis illustratus est, quo inter natos mulierum non surrexit major. Quia enim zelavit legem, dicens Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, » capite cæsus inter maximos martyrum factus est. Martyres etiam præclaros censet et laudat Ecclesia Machabæos, quia pro legibus patriis fortiter usque ad mortem dimicarunt. Non aliter igitur et hic nisi inter præcipuos martyrum numerandus fuit, ut per similem tuendæ libertatis ecclesiasticæ causam parem nactus prædicaretur et gloriam.

LI. DE CONTRARIO MALEVOLORUM JUDICIO.

Fuerunt autem qui dicere præsumpserint eum magis vanæ gloriæ voto, magis vindictæ propriæ studio leborasse: nec sine typo superbiæ, quamvis sub umbra justitiæ decertasse. Scriptum est autem quod causa martyrem facit, non pœna, quia Veritas ait; « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. » Sicut autem non pœna, sic nec causa sola. Primum enim fatuus est justitiæ zelus non secundum scientiam. Præcepit enim Apostolus omnibus sapere non plusquam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Deinde rectus non est præter modum. Ait enim Salomon: Noli esse nimis justus: est enim justus qui perit in justitia sua. « Non prodest etiam martyrii pœna præter charitatem. Nam, ut ait Apostolus: « Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. » Quippe cum odio proximi non potest inesse dilectio Dei. « Qui enim non diligit proximum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? » Sine dilectione quoque Dei non acquiritur habitatio cœli, sicque nec evaditur pœnalis horror inferni. Medium enim nihil est: ait enim qui mentiri non potest: « Qui mecum non est, contra me est. » Aut Babyloniæ satellitem, aut Jerusalem oportet esse concivem. Sed nec in hoc sæculo sine radice charitatis vera virtus est, vel in moribus optimis. Simulationem virtutis plurimi quidem habent, sed non veritatem. Sæpe namque, teste beato Gregorio, vitia se esse virtutes mentiuntur, ut tenacia, parcimonia, effusio, largitas, crudelitas, zelus justitiæ, remissio, pietas videri velit. Ex his igitur multi pertinaciter arguere nisi sunt, et in archiepiscopo non virtutis veritatem, non martyrii mercedem esse potuisse, tanquam in multis pomposus, elatus, cupidus, crudelis et terribilis apparuerit, et id præsertim suis inexpertum non fuerit. Ubi namque tot vitiorum agmen inest, virtutem comitivam habere non potest. Simul enim inesse non possunt virtus et vitium. Nam et Augustino teste quia radix omnium malorum est cupiditas et radix omnium bonorum charitas: ambæ simul esse non possunt. Nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non potest. Ubi quoque superbia regnat, humilitas locum non

habet. Ubi crudelitas est, justitiæ rectitudo non est. Ubi gloriæ vanitas reperitur, mercedis spes non relinquitur. Nec igitur sicut intulerunt super talium fundamentum martyrii consurgere potuit ædificium. Sed et quanto major eum comitatus est populi favor, tanto plus metuendum esse responderunt ne dictum illi sit : » Amen dico tibi, recepisti mercedem tuam. »

LII. QUID VERIUS JUDICANDUM FUERIT.

Magis autem, ut se veritas habet, post initæ dies pœnitentiæ nullum in eo crudelitatis aut cupiditatis opus nisi mendaciter argui potuit, pretiosi vero temporis culpas, si quæ fuerunt, per pœnitentiam deletas esse bene credi decuit. Sed nec pompæ vel superbiæ terrorisve vitio laboravit, sed humilitatem intus tenens, exteriusque contemptum præcavens, honoris quem gestabat honorem ponderabat et ingenio suo dignitatis auctoritatem augebat. Præsertim enim ut doxam quam sequi consueverat fugeret, magis ad conscientiam quam ad hominum gratiam sibi consultum esse nitebatur, inde sæpius aliquid durius in facie præferens, semper autem in opere quæ Jesu Christi sunt sequens, in tantum etiam bona quibus pollebat abscondens, ut nemo turpitudines suas plus caverit propalari quam suas ipse virtutes. De quibus etsi palam non constiterit, at tamen in dubiis benigniora præferenda fuerunt, ut ea facta quæ dubium erat quo animo fierent, in meliorem partem trahi deberent. Quod enim scriptum est : » Ex fructibus eorum cognoscetis eos, « de manifestis dictum est quæ non possunt bono animo fieri: sicut stupra, furta, blasphemiæ. Sunt autem media, quæ per se bona sunt, ut virtutum opera, quia et bono et malo animo fieri possunt : ut pascere pauperem, vestire nudum, de quibus temerarium est judicare maxime ut condemnemus; et talium quidem multa circa vitam et finem archiepiscopi contigit apparere, quæ quanto plura magisque miranda fuerunt, tanto melius de ipso suadere debuerant. Siquidem cum ante promotionem suam tanquam unus excellentium enituisset sæculo, non minus etiam postmodum inter præcipuos orthodoxorum eminere studuit militans Christo. Nesciebat enim nisi maximorum unus esse, quemcunque sortitus esset ordinem vitæ. Mox igitur post promotionem ingressus arctam vitæ viam, et tanto semper gradiens arctiorem, quanto tantationibus magis arctatam; Ecclesiæ suæ sollicitudine notabilius exarsit, canonicarumque traditionum æmulator abundantius exstitit. Quas si postposuisset, si magis hominibus placere delegisset, si majoris eorum statuta fecisset, regis quidem et omnium quæ regis erant, tanto potentior quanto sublimior magister et rector permansisse potuerat. Sed velut recolens illud tentatoris : » Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraveris me, » magis amplexatus est illud Christi : » Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. » Velut etiam cavens illud Anacleti papæ : » Nihil est illo pastore miserius qui luporum laudibus gloriatur et elegit abjectus esse in domo

A Dei magis quam dominari in tabernaculis peccatorum. « Quis hæc negare, cum indubitatu fuerint, potuit, aut et sine secuto testimonio miraculorum in partem meliorem interpretari non debuit? Audenter itaque statuta defendit Ecclesiæ quæ regiæ potestati derogabant. Hinc igitur odium cœpit et crevit, hinc persecutio sævit, hinc demum miserabilis ille nefandæ trucidationis casus evenit. Non autem a plebeis et vilibus aut etiam fortunæ mediocris hominibus, sed a præclaris curiæ viris et regni proceribus patratus esse noscitur, ut quamvis funeste, tamen honorifice completus cernatur, et in eodem opere mirabiliter et ignominiam actionis et gloriam passionis plurimum auxerint concurrentia, simul percussorum nobilitas, loci sanctitas, temporisque

B solemnitas. Sed et in hoc illud notabile mirabilius est quod inter hujus Thomæ passionem et apostoli Thomæ natalem dies natalis Christi medius fuit. Hinc enim quintus dies velut ad quintum festum successisse, sicut et inde quintus præcessisse reperitur, quasi quorum non dissidentium nomine, non dissimilium passione, natales non inæqualiter distant a Christi festo, nec ipsi dispariliter distent a Christo. Sed quis eum apostolo comparare præsumat? et tamen ait sanctus Augustinus : « Puto quod sine ulla contumelia Cyprianus episcopus apostolo Petro comparatur, quantum ad martyrii coronam attinet.» Cæterum magis vereri debeo ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum apostolatus apicem cuilibet episcopatui præferendum? Sed

C si distat cathedrarum gratia, una est tamen martyrum gloria. Circa quem igitur mala nulla patuerunt, nonne quæ visa sunt bona justius in partem meliorem trahi decuerat? Admodum siquidem ejus causa commendabilis, admodum vita laudabilis, admodum finis mirabilis, extitit et in honoris quidem introitu si qua fuit culpa, plane tamen eam excusavit et expiasse credenda fuit singularis exitus gloria Plane igitur et censendum erat ei per gratiam concessum in cœlis, ad quod viribus elaboraverat semper in terris, scilicet in numero commanentium locum obtinere præclarum.

LIII. QUOMODO VERE MARTYR APPARUIT.

Pressus autem et cæcatus veteris odii nube malevolorum intuitus rem cum circumstantiis suis ut oportuit non attendit, et ad quod majorum metus

D obstitit, minorum fides inclamare primo formidavit. Murmurabat tamen ut audebat præconia Dei susurria populi, donec erupit e tenebris testimonium veritatis et demum apud incredulos etiam majores miraculis enituit quod murmur minorum præsonuit. O quantum distant humana supernis judiciis ! Et nos quidem vitam ejus putaveramus insaniam, cum meta decessorum non contentus, cum præter solitum et contra suorum consilium Ecclesiæ jura relatus, cum gratia vel metu non flexus, cum damna vel mortem non veritus, regi restitit in facie, cui præter Angliam pars major regni Gallicani parebat, ad cujus etiam nomen reges et gentes circumqua-

que tremebant, cui quoque prope subditum ibat A quidquid impetebat. At quanto hic adversarius major, tanto fortior ejus impugnator, et ex sequentibus athleta justior, vereque inter filios Dei computatus apparuit. Apparuit utique de magnitudine virtutem quæ secutæ sunt ad ejus sepulcrum, et ad eum locum, in quo cæsus est, et in quo primum ejusdem feretrum stetit, demum et ad multas primo regni, deinde mundi partes, in quibus ipsius auxilium imploratum est. Ex quibus quia signa sunt infidelibus non fidelibus, divina pietas id egisse credenda est, ut causæ illius justitia certius incredulis appareret et vel hoc metu pœnitentibus æmulis fortius Ecclesia respiraret. Cujus profecto gloriam contigit exinde longe multiplicari super illatam injuriam. In brevi namque rei gestæ fama B non solum intimos et ultimos angulos Angliæ penetravit, sed et multos exterarum gentium populos percucurrit. In tantum etiam urbes, oppida, vicos et ipsa mapalia permovit ubique per Angliam, ut a minimis usque ad maximos pauci substiterint qui non ad visendum et honorandum præclari martyris tumulum venerint. Illuc ordinatos et laicos, pauperes et divites, populares et nobiles patres ac matres cum filiis, dominos cum famulis, idem devotionis spiritus traxit. Stratæ quæ Cantuariam ducunt, tanto tabernulas et pergulas exercentium commeantiumque agmine pressæ sunt, ut ubique fere tanquam nundinantium densitas cerneretur. Noctes vix minus quam dies, hiemesque vix minus quam æstates viantium iter retardarunt, et asperiori tempore quanto C durius tanto dulcius habebatur, visitationis votum implere, quia ubi erat accessus laboriosior et remunerationis spes amplior. Fractus est pariter et tantus ex remotis ac transmarinis regionibus illuc peregrinorum concursus, ut hic perparum ab indigenis numero frequentiave distarent, et ut testati sunt viri magni fideque digni qui loca sancta per orbem visitarant, nec ad beati Petri sedem, nec ad majoris Jacobi vel alicujus sancti memoriam, imo nec ad gloriosum illud Christi sepulcrum, tam continue, vel in hominibus celebritas major, vel in donariis perspecta est veneratio clarior. Miraculum certe cæteris miraculis quamvis certis et claris certius et clarius illud enituit, quod tot nationum tot homines in unum tantæ devotionis studium convenerunt. Quis D autem illud ad Christi sponsæque suæ præsertim exaltationem unanimitatis mirabile tot cordibus inspirasse credatur, nisi qui mirabilis in sanctis suis est, et unanimes habitare facit in domo? Quis illam venerationis magnificentiam operatus censeatur, nisi qui servos suos gloria et honore coronat et relinquentibus pro se simplum restituit centuplum? Vere gloriosus athleta noster cum Domino suo super occasum ascendit, quia de passione qua propter justitiam occubuit, indifferenter major in hominum opinione surrexit. Deus enim illum exaltavit et dedit ei nomen super omne sanctorum nomen, ut eorum interim nominibus intermissis, in hujus nomine juraretur, in hujus nomine supplicaretur, et eleemosynas ob amorem ejus peterent indigentes et tribuerent abundantes. Quod etiam majus est, cum metropolis, in qua passus est, ecclesia Sanctæ Trinitati titulata sit, velut eam sibi pretio sui cruoris evicerit, Deo in hac parte martyri suo cedente magis illius nomine censeri cœpit, in tantum ut non parvi delicti reum se crederet, si quis Cantuariam pergens vel inde rediens, non ad sanctum Thomam se pergere, vel a sancto Thoma redire nominatim fateretur. Peregrinationis suæ signum primi quidem est soli vel a Christi sepulcro vel a sancto Jacobo revertentes, hi cochleas, illi palmarum spatulas referre consueverunt. Susceperunt et a sancto Thoma redeuntes tertium sed longe pretiosius signum velut jugum martyris suave et onus ejus leve, ampullam videlicet stanneam in pectus a collo dependentem plenam aquæ benedictæ stilla sacri cruoris immistæ. Cujus quanta fuerit virtus et efficacia circa innumeros male se habentes in locis terrarum innumeris ab homine non potest edisseri. Cujus igitur gloriæ credi debet in cœlis, cui tantum honoris dignatio Dei conferre curavit in terris, et in ipsius profecto martyrii declaratione deprehenditur, quod ad Deitatis suæ fidem magister et caput ejus Dominus noster Jesus Christus jam passus prærogavit. Ut enim in ecclesiastica legitur historia, cum per omnem locum fama loqueretur de Christo, Pilatus Tiberio principi gesta ejus refert, et qualiter jam Deus esse crederetur a plurimis. Tiberius eadem retulit ad senatum : Senatus sprevisse dicitur eo quod auctoritatem suam prævenerit vulgi sententia. Quid igitur in hoc actum esse credatur nisi ut christianitatis secta magis Dei quam hominum opus esse cerneretur ? Voluit enim ratio divina fidem Christi magis inesse de inspiratione sua, quam de auctoritate Romana, ne alioquin causarentur invidi sibi illatam vim esse credendi, ne causarentur idipsum et malevoli martyris nostri, cum in primis ab apostolica sede petitum sit ut in Catalogo sanctorum poneretur, obtentum tamen non est. Obtentum autem est per virtutem divinam ut celebratione publica superexcellentem martyris nactus sit honorificentiam, et honoris quidem excellentia præteritas etiam sancti loci dignissime compensabat injurias, imo supra confusionem de cæde nefaria longo plus gratulationis accessit de sequentium operum gloria. Provenit et Ecclesiis ecclesiasticisque personis tempus optatum, quo vexationum ausu represso, pax iis altior et honor ob honorem martyris plenior reddebatur. Digna quoque spes erat impletum iri, quod vir Deo plenus adhuc vivens sæpe prædixerat, Ecclesiam scilicet Dei sola sanguinis effusione liberandam. Quod et suo sanguine fieri vehementer optaverat, nec orare destiterat et jam indicii plurimum erat, eum exauditum iri pro sua reverentia. Demum enim et potentiores ipsius æmulos inter cæteros regni proceres et comites in lacrymis et gemitibus ante sacrum mausoleum prostratos devote supplicare ve-

niamque petere gestorum metus et admiratio compulit. Summæ siquidem amentiæ foret tot et tam evidentia Dei magnalia non attendere, cumque vox populi vox sit Dei, consono tantorum et tam multorum testimonio dissonare. Sed et ipsius regis illustris ac pii cor potentius tetigit ille, in cujus manu corda sunt regum. Et ut Ecclesiæ Romanæ legatis pareret, ab Hibernia, quam subjugabat, per Angliam mira celeritate transiliens in Normanniam, coram eis et clero suo transmarino primum innocentiam suam super nefanda cæde juramento purgavit, famæ suæ volens esse consultum. Deinde vel in hoc se reum profitens quod occasionem sceleri dederit ira sua tam eminens, illud imperii culmen humillimæ pœnitentiæ subdidit, magnum et grave satisfactionis onus ad legatorum arbitrium subiens et perperam in Anglia B A præsumptorum emendationem promittens. Vicit, plane vicit et extorsit occisus Sponsæ Christi defensor egregius, quod nec monitis nec minis, nec ecclesiasticæ censuræ terroribus obtinere potuit vivus. Virtutum igitur, quæ meritis ejus ascriptæ sunt, series et varietas melius ex eorum scriptis patebunt quibus ea videre probareve datum est. Nobis enim martyris sanctitatem et causæ ejus justitiam martyriique veritatem et declarationem notitiæ memoriæque tradere magis cordi fuit, ut esset posteris unde cavere monerentur talem ulterius movere quæstionem. Quod qui non caverit, multum ei profecto timendus erit, quem zelus domus suæ comedit, Jesus Christus Dominus noster, cui est cum Patre et Spiritu sancto honor et imperium per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PASSIO SANCTI THOMÆ
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

AUCTORE ANONYMO

Digne, fratres, hujus diei præclara festivitas, fidelium devotione frequentata, solemnis agitur et celebris, in qua patris nostri et patriæ protectoris invictissimi athletæ Thomæ mors in conspectu Dei efficitur pretiosa, et victoria coram angelis et hominibus dignoscitur gloriosa.

Hodie namque spectaculum factus Deo, angelis et hominibus, pro lege Dei sui viriliter certavit usque ad mortem et in sacra fidei constantia permanens, triumphali morte insignis et proprio sanguine laureatus, terræ corpus resignans, beatam animam cum ineffabili gaudio cælo intulit. Congrue igitur mors talis dicitur natalis, quæ gignit ad vitam. Vita quippe præsens misera est et mortalis : et mors illa beata et vitalis. Pervenit itaque gloriosus martyr noster ab hac mortali vita per hanc vitalem mortem ad vitam vitalem. Hodie namque multiplici meritorum gloria adornatus cœlesti patria terreni carceris commutavit exsilium, de labore transivit ad requiem, de mundo ad Patrem.

Hodie beato Thomæ a fidelibus honor et reverentia exhibetur in terris ; in cœlis collata est eum angelis, beatitudo et gloria, gaudium de novitate, securitas de æternitate. Hinc terra marique potens, Christoque conregnans, mirandis mortales lætificat signis et mirificis coruscare in terra non desinit miraculis. Verum quod omnino decet ut patrem pium filii non degeneres imitari satagant, expedit succincte et simplici sermone evolvere quæ in vita tanti pontificis præcesserint meritorum insignia, C quorum prærogativa tanta perfruitur beatitudinis gloria tantave excellit miraculorum potentia.

Dormiente igitur cum patribus suis in senectute bona felicis memoriæ Theobaldo archiepiscopo, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ archidiaconus in archiepiscopum et primatem totius Angliæ in nomine sanctæ Trinitatis solemniter eligitur, et post modicum consecratur. Erat autem piis mentibus spes firma et fiducia in Domino, quod idem consecratus, utriusque hominis habitu mutato, moribus melioratus præsideret. Probatissimum siquidem tenebatur, sedem illam sedem sanctorum esse, sanctum recipere aut facere, vel citius et facile indignum abjicere. Quod et in beato Thoma misericorditer impletum est. Promotus ergo electus Dei pontifex, D sacræque unctionis sanctificatione delibutus, e vestigio rem sacramenti est adeptus, et multiplici Spiritus sancti gratia repletus. Ambulans enim in novitate vitæ novus homo mutatus est in virum alterum, cujus omnia in melius conversa sunt. In tanta autem gratia sacravit præsulatus sui primordia, ut indutus (sed clanculo) monachili schemate, monachi adimpleret opus et meritum. Et qui exemplo Baptistæ cum constantia zelum justitiæ perfecte conceperat in corde, parificari ei quoque studuit in veste pœnitentiæ. Rejecta namque sindone qua hactenus dum mollia regum blandirentur uti consueverat, cilicio asperrimo super nudum vestiebatur. Addidit etiam femoralia cilicina, ut arctius carnem mortificaret, et spiritum vivificaret. Hæc autem

sicut et alia spiritualis vitæ exercitia superductis A aliis vestibus, paucis admodum consciis, et oculis et notitiæ hominum eximebat, quia non ab homine sed a Deo gloriam quærebat. Jam tunc vir illustris justificationes Dei ingrediens esse cœpit in abstinentia amplior, in vigiliis crebrior et in oratione prolixior, in prædicatione sollicitior. Commissum sibi a Deo pastorale officium cuncta diligentia exsequebatur, ut cleri vel Ecclesiæ jura nullatenus permitteret mutilari. Tantam autem compunctionis gratiam habere consuevit inter orationum secreta vel missarum solemnia, ut eruditis ad fletum oculis ipse totus in lacrymis efflueret et arsenium in hujus gratiæ titulo representaret. Sciens quoque quod misericordia mitiget judicium, et pietas vitæ quæ nunc est et futuræ habeat permissionem, adeo su- B per afflictos et pauperes gestabat misericordiæ viscera, ut egentes in eleemosynæ benedictionibus prævenire solitus esset. Abjectiores eorum, quos religionis efferebat opinio, notos et familiares habebat, et ut ab iis esurire et sitire justitiam disceret secretiori eorum colloquio crebrius fruebatur. Erga tales Christi servos et milites elegit vir misericors in veste ciboque liberalis esse et largus, qui sibi in utroque decrevit esse moderatus et parcus. Quid enim negaret Christo, proprium sanguinem fusurus pro Christo? Quoniam poscenti debebat pallium vel tunicam, supererogare studuit et carnem propriam. Sciebat enim carnis propriæ nunquam fore prodigum, quem alicujus rei temporalis constaret esse avarum. Hæc est fragrantia vestimentorum C nostri Jacob, sicut odor agri a Domino benedicti. Hæc sunt mutatoria magni sacerdotis nostri. Hæc, inquam, est mutatio dextræ Excelsi. Hactenus pius Dominus qui pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat, servum suum cumulare divitiis et ampliare honoribus voluit, de cætero adversis tentare disposuit. Tentando an se diligeret probavit certius, sed gratiam donavit uberius. Fecit enim cum tentatione proventum ut posset sustinere. Considerans itaque lividus hostis novum pontificem, novum hominem, tam multiplici virtutum gratia vernare, machinatus est tentationis uredinem immittere, quo jam exortum germen meritorum posset suffocare. Nec mora : qui separat hominem a Domino suo, amicum a proximo, inexorabiles discordias inter D regem et archiepiscopum seminavit. [Orta interim procurantibus viri Dei imo Dei adversariis quæstione super consuetudinibus regni et jure ecclesiastico, et super his contentione diutius protracta, proposuit rex, accito concilio, secundum assentationem procerum avitas regni consuetudines, et eas archiepiscopi et suffraganeorum auctoritate firmari et scriptis pertinaci exegit instantia. In quo adeo invaluit ut urgente instantis periculi metu jurantibus episcopis, archiepiscopis et ipse præstito sacramento verbo tenus et invitus petitionem regis fieri annueret. Sed resumpto post modicum spiritu, et post casum fortior, consuetudines illas illicite concessas contra libertatem Ecclesiæ confirmare constanter negavit (29).]

Hujusmodi incrementis irarum et discordiæ virus adeo grassabatur, ut accitum ad illud concilium omnes fere calumniis et accusationibus insurgerent in pontificem et probrosis insultationibus impeterent. Cumque vix inveniretur qui ei loqueretur vel faceret bonum sed omnia cederent in contrarium et mora certum traheret periculum, facta appellatione iniquitati cessit clamque paucis comitatus recessit, mare adiit, transfretavit. Ibat autem per viam suam gaudens et exsultans; quia dignus habitus est pro justitia a concilio contumeliam pati. Aditoque beatissimo papa Alexandro qui ea tempestate in Franciam venerat, negotiosa quædam sicut et ante proposuit, tum de salute animæ suæ, tum de oppressionibus Ecclesiæ quam regendam susceperat, diligenter exposuit. At cum pater et pastor universalis adventus coepiscopi sui causam ex integro cognovisset, de tanta et tali columna in domo Dei erecta gratias egit. Exsultabat quoque uberius, quod lucerna tam mirifice ardens et lucens inventa sit, ad occiduas mundi tenebras illuminandas. Suscepit eo tempore christianissimus rex Francorum Ludovicus venerabilem archiepiscopum in magnam gratiam, et postulante papa, ei cum suis in omni liberalitate necessaria ministrabat. Jam enim reditus domini Cantuariensis jussi sunt confiscari. Exsulans ergo beatissimus Thomas in summa humilitate pristinæ gloriæ suæ in qua irrepserat expiavit superbiam, et omnes animi motus redegit in honestatem et sæculi contemptum. His atque aliis virtutum odoribus exacerbatus iniquus exactor diabolus furorem suum in parentes, cognatos et familiares sancti pontificis exacuit et proscriptionem eis cum enormi crudelitate excitavit. Jam tunc videre erat spectaculum miserabile utriusque scilicet sexus, diversæ ætatis et conditionis, viros ac mulieres, maritos cum parentibus, cum prægnantibus lactentes quoque exsulare et in augmentum doloris et confusionis ante pii patris præsentiam lugubres et desolatos exhiberi. Sanctus vero præsul cum veteranorum deportationem conspiceret et parvulorum, quorum adhuc alimenta in maternis pendebant uberibus, altius ipsius animam gladius pertransivit compassionis, adeo ut ipsam ex toto sibi vindicaret vis doloris. Sic ergo fit martyr ante necem, post futuro martyrio coronam adepturus duplicem. Sed nec sic abstractus est vel illectus. Nam perfectus in charitate abduci blanditiis, seduci fallacitatus, quasi quibusdam regni consuetudinibus observandis, quas veritati et rationi obviare testabatur, cautionem daturus, negavit et auctoritate sua periculis opposita, imo exposita, pro tuenda libertate ecclesiastica sententiam minabatur. »

(29) Pro iis quæ uncinis hic includuntur, codex Paris, habet sequentia; « Cumque regis ira sugillantium facibus accensa et exagitata in dies magis incandesceret, multi optimatum regni qui sereno tempore videbantur amici, facti sunt archiepiscopo in Satan. Denique ad curiam apud Northantunniam citatus, quasi quibusdam regni consuetudinibus observandis, quas veritati et rationi obviare testabatur, cautionem daturus, negavit et auctoritate sua periculis opposita, imo exposita, pro tuenda libertate ecclesiastica sententiam minabatur. »

ciis, frangi nescivit adversis. Concuti potuit palmes vineæ cœlestis sed non avelli.

Perseverabat itaque paratior ad tentationes, præstolans in patientia divinæ propitiationis respectum et conversationis merito omnium sibi conciliabat gratiam. Regi quidem Francorum in consiliis erat acceptissimus, principibus regni et ecclesiarum Patribus admodum familiaris, omnibus ut dignum erat habebatur reverendus. Quippe consilium Thomæ expetibile ut Chusi, jucunda societas ut Jonathæ, opus zelans justitiam ut Phinees. Crescebat autem fama adeo in dies bonitatis ejus inter alienigenas innocenter conversantis, ut ab indigenis regni non simpliciter archiepiscopus, sed sanctus archiepiscopus nominaretur.

Exulans ergo beatissimus pater cum suis, jam fere sex annos explevit, quibus in virum perfectum creverat, cum toto eo tempore inter ipsum et regem Anglorum pax nullatenus posset reformari sed magis deformata videretur. Denique placuit omnium dispositori Deo sui Thomæ recompensare merita et longos labores consummare victoriosa martyrii palma. Regis ergo sententiam mutavit in melius et mediantibus tam domini papæ paterna exhortatione, et regis Francorum et plurium episcoporum consilio, quam etiam principum supplici interventu, archiepiscopum recepit in gratiam et ad suam redire concessit Ecclesiam.

Inchoante autem anno septimo, cum jam Deo vir esset amabilis spiritualibus excercitiis sanctificatus et septiformi Spiritus sancti gratia perfectior, ad sedem suam quantocius repedare festinabat. Noluit enim pater pius Cantuariensem Ecclesiam diutius desolatam relinquere vel quam ut creditur in spiritu viderat certaminis sui gloriam protelare, aut alibi moriendo sedem propriam martyrii sui honore privare. Transito itaque mari, archipræsul et futurus martyr in magna gloria et honore præcipue a monachis cum solemni processione quasi angelus Domini susceptus est, in ecclesia sua omnibus præ gaudio illacrymantibus et cum gratiarum actione clamantibus: « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Omnibusque in pacis osculo receptis, familiariter commorans inter eos, conversatione sua et exhortationis verbo omnes ædificabat.

Acceptis post modicum in mandatis ne officium suum exsequendo Angliam peragraret, resedit in sua pontifex Ecclesia, intrepidus exspectans horam qua a Deo perciperet martyrii coronam. Præmunitus siquidem a multis sciebat quod brevis foret ejus vita et mors in januis. Ibi quasi tunc vivere cœpisset, exactum vitæ tempus spiritualibus exercitiis redimere satagebat. Sciensque quod vita præsens via est et militia, ut esset sanctus corpore et spiritu, vitiis expeditus, succinxit se ad cursum virtutibus armatus, accinxit ad pugnæ conflictum. Cursum ergo consummando cucurrit non quasi in incertum bene certando, non quasi aerem, verberans. Prodibat tunc

A fere ejus cogitatio et sermo de fine hujus viæ et vitæ miseria.

Vix per mensem pater in ecclesia sua moram fecerat, et ecce quinta Dominicæ nativitatis die veniunt Cantuariam quatuor milites, imo Satanæ condicti satellites: viri quidem generis præeminentia conspicui, sed enormis sceleris ausu militiæ gloriam et stemmatis titulum perpetua ignominia mox damnaturi. Hi ergo introeuntes ad archiepiscopum, quia non est directa in manu eorum salus ex concepta malitia salutationis elogium prætermittentes, cum fastu et superbia alloquuntur. Accipiunt redduntque minas, minis adjicientes responsum. Denique probra et contumelias post se relinquentes exierunt, continuoque revertentes, claustrum monachorum B irruperunt cum multa armatorum sequela et ipsi armati. Jam præcesserat eos præsul cum modestia et gravitate in oratorium, suadentibus monachis imo compellentibus propter diem solemnem ad peragendam vespertinam synaxin, cum eos a tergo respiceret in medio claustri armatos. Arcere eos de templo debuit propria malignitas: sed nec facinus dissuasit solemnitatis reverentia, nec a sanguine cohibuit patriarchæ innocentia. Usque adeo occupavit et excæcavit eos impudenda patiendi facinoris voluntas, ut nec militiæ jacturam recogitarent, nec ullius discriminis haberent æstimationem. Præcipites ergo et stupidi insequentes archiepiscopum, extractis gladiis intrant ecclesiam furiose clamantes: « Ubi est proditor ille ? » Nemine vero respondente C ingeminant illi: « Ubi est archiepiscopus? » Sciens itaque beatus Christi confessor et mox futurus martyr, priore nomine se falso impeti, alterum vero sibi pro officio competere, a gradibus obviam illis procedens: « Ecce, inquit, adsum. » In tanta autem se exhibebat constantia ut nec animus ejus pavore nec corpus horrore concuti videretur. Cui statim injicientes manus milites eum tenuerunt, ut extra ecclesiam ad peragendum propositum traherent. Sed timentes undique concurrentium utriusque sexus multitudinem, ne forte voto infecto eriperetur, facinus accelerarunt. Cumque unus ex iis extendens vibraret gladium in caput archiepiscopi, brachium cujusdam qui astabat clerici fere abscidit, et ipsum pariter in capite vulneravit christum Domini. Extenderat enim idem clericus brachium suum super D caput patris, ut ferientis acciperet vel potius illideret ictum. Stabat autem justus pro justitia patiens, velut agnus innocens sine murmure, sine querimonia, et se ipsum holocaustum offerens Domino, sanctorum patrocinia implorabat. Et ne quis funestorum satellitum intacto præsule inscelestus argui posset, secundus et tertius gladios suos vertici constantis athletæ atrociter illiserunt, confregerunt, et Spiritus sancti victimam solo tenus præcipitaverunt. Quartus plusquam ferali, imo furiali crudelitate debacchatus, jam prostrato, jam expiranti, coronam rasilem abscidit, testam capitis dissipavit, et mucrone vertici intruso cerebrum cum sanguine

super pavimemtum lapideum effudit. Discolor in A mistura utriusque substantia bifarie discreta martyris merita pie intuentem docere videbatur. Candebat namque in cerebro byssus innocentiæ ; rubebat in sanguine purpura martyrii. Utroque martyr Thomas quasi veste nuptiali decenter adornatus, cœlestis mensæ conviva dignus efficitur. Sic noster beatissimus et invictus martyr Thomas virtute constantiæ adamantinus, cœlestis ædificii lapis pretiosus gladiorum conquadratus ictibus angulari lapidi Christo in cœlis est conjunctus.

Consummatus ergo noster Abel in martyrii gloria, in brevi explevit tempora multa. Cujus vitam innocentem et mentem causæ merito in conspectu Dei pretiosam, innumera prædicant miracula, quæ non solum loco requietionis ejus, sed et in diversis nationibus et regnis mirifice exhibentur. Suspirantes ergo post eum, fratres, sequamini per semitas veritatis et justitiæ, ut perveniamus cum eo ad regnum lucis et gloriæ, in qua regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PASSIO ALIA SECUNDA

Gloriosi martyris Thomæ, fratres charissimi, natalem celebrantes, quia totius vitæ et conversationis ejus insignia recolere non sufficimus, passionis ejus modum causamque succinctus sermo percurrat.

Beatus igitur Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, sicut prius in cancellariæ et archidiaconatus officio in rebus gerendis incomparabiliter exstiterat strenuus : ita et post susceptum officium pastoris supra humanam æstimationem factus est Deo devotus. Consecratus enim, repente mutatus est in virum alium. Cilicium clam induit : femoralibus etiam usus est usque ad poplites cilicinis : et sub vestis clericalis honestate habitum celans monachalem carnem prorsus coegit servire spiritui : Deo studens omnium virtutum exercitio, sine intermissione placere, sciensque se speculatorem positum in domo Domini, ministerium sibi traditum studiose complevit. Jura et dignitates Ecclesiæ, quas sibi potestas publica usurpaverat, resarcire et in statum debitum revocare conatus est. Unde gravi quæstione super jure ecclesiastico et regni consuetudinibus, inter ipsum et Henricum regem Anglorum exorta coacto concilio, propositæ sunt consuetudines illæ, quas idem rex tam archiepiscopi quam suffraganeorum suorum scripto roborari pertinaciter exegit. Negavit constanter archiepiscopus manifestam in iis asserens libertatis ecclesiasticæ subversionem. Affectus est igitur contumeliis immensis, damnis gravioribus attritus, et innumeris lacessitus injuriis. Tandem morte sibi intentata, quia causa Ecclesiæ nondum plene innotuerat, et personalis videbatur persecutio, cedendum censuit esse malitiæ. Actus ergo in exsilium, a domino Alexandro papa tertio Senonis honorifice susceptus est ; et in monasterio Pontiniacensi studiose commendatus.

[Lect. 2.] Confiscantur interim in Anglia ejus archiepiscopi reditus, vastantur prædia, possessiones diripiuntur ; ex excogitato novo supplici genere, B tota simul proscribitur Thomæ cognatio. Omnes etiam amici ejus et familiares, vel quicunque eum quocunque titulo contingebant, sine delectu conditionis seu fortunæ, dignitatis aut ordinis, ætatis aut sexus, pariter relegantur. Nam et senes et decrepiti, vagientes in cunis, et mulieres in puerperio decubantes, in exsilium acti sunt. Quotquot autem discretionis annos attigerant, tactis sacrosanctis jurare compulsi sunt, quod mari transito statim Cantuariensi archiepiscopo se præsentarent, ut vel compassionis gladio confossus, conceptum animi rigorem ad regis voluntatem inflecteret ; sed vir Dei manum suam mittens ad fortia, exsilium, damna, contumelias et opprobria, parentum et amicorum proscriptionem pro Christi nomine patienter sustinuit, C nulla prorsus fractus aut immutatus injuria. Tanta denique fuit confessoris Christi constantia, ut omnes coexsules suos docere videretur : quia

Omne solum forti patria est.

[Lect. 3.] Audiens autem rex immobilem ejus canstantiam, directis per abbates quosdam Cisterciensis ordinis, ad capitulum generale comminatoriis, eum a Pontiniaco proturbari curavit. Timens autem B. Thomas, occasione sui, viris sanctis imminere dispendium, sponte recessit. Sed antequam inde progrederetur, divina revelatione confortatus est ostenso sibi cœlitus indicio, quod ad Ecclesiam rediturus esset cum gloria, et per martyrii palmam migraturus ad Dominum. Proturbatum a Pontiniaco D excepit Christianissimus Francorum rex Ludovicus, in eumque se humanissime donec pax reformaretur, exbibuit. Sæpius tamen et ipse licet incassum pulsatus est, ne regis Anglorum proditori aliquod humanitatis beneficium impenderet. Processit ultimus furor immanis et piis auribus horrenda crudelitas. Cum catholica etiam pro hæreticis et schismaticis et perfidis Judæis oret Ecclesia, prohibitum est ne quis eum orationum suffragiis juvaret. Sex

igitur annis continuis exsulans, variis et innumeris afflictus injuriis, et quasi lapis vivus in structuram cœlestis ædificii, multimodis tonsionibus atque pressuris est quadratus : et quo magis impulsus est, ut caderet, eo firmius et immobilius stare probatus est. Neque enim aurum tam anxie examinatum exuri potuit, vel domus supra firmam petram fundata convelli.

[Lect. 4.] Denique tum summo pontifice, tum rege Francorum procurante, reformandæ paci constituti sunt dies plurimi, quam quia Dei servus non nisi honore Ecclesiæ salvo, et salva ejus honestate suscipere voluit, discordes ab invicem discesserunt. Miseratus tandem summus pontifex Anglicanæ desolationem Ecclesiæ, propositis comminatoriis vix tandem extorsit, ut pax Ecclesiæ redderetur.

Gavisa sunt ergo regna, quod rex archiepiscopum recepisset in gratiam, aliis credentibus negotium veraciter agi, aliis aliud conjicientibus. Igitur exsilii sui septimo anno rediit pastor in Angliam, ut vel oves Christi a luporum morsibus liberaret; vel pro grege sibi credito se ipsum impenderet. Suscipitur a clero et populo, cum gaudio inæstimabili, illacrymantibus omnibus et dicentibus : « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Sed post dies paucos, iterum damnis et injuriis supra modum et numerum affectus est ; et edicto publico ecclesiæ suæ septa exire prohibitus. Quisquis ei vel alicui suorum faciem hilarem prætendebat, publicus hostis censebatur. In omnibus his non est effractus animus ejus, sed adhuc ad Ecclesiæ liberationem manus ejus extenta. Quinto vero Dominicæ nativitatis die, veniunt Cantuariam aulici quatuor, viri quidem præclari genere, sed malefactis famosi. Et ingressi, pontificem verbis contumeliosis aggrediuntur, lacessunt conviciis, tandemque minas ei graviter intentant. [Lect. 5.] Respondit vir Dei modeste, juxta quod ratio exigebat, ad singula ; adjiciens sibi multas et Ecclesiæ Dei illatas injurias esse, et non esse qui errata corrigeret, dissimulare se de cætero nec posse nec velle, quin curæ pastoralis officium exerceret.

Turbati sunt igitur ad hæc verba insipientes corde, et iniquitatem in excelso locuti, exierunt continuo. Quibus egressis, processit pontifex in ecclesiam, ut laudes Christo vespertinas exsolveret.

Sequuntur a tergo gladiis exsertis Satanæ satellites loricati, armatorum manu multa sequente, aditum ecclesiæ monachis præcludentibus, accurrens Dei sacerdos, et hostia Christi mox futurus, hostibus ostium reseravit : « Non est, inquiens, ecclesia ut castrum obseranda. » Irrumpentibus illis, et aliis ubi sit proditor, aliis ubi sit archiepiscopus, furibunda voce quærentibus, processit iis obviam Christi confessor intrepidus. Intentantibus ei mortem : « Et ego, inquit, pro Dei Ecclesia mortem libenter suscipiam, sed ex parte Dei præcipio ne meorum cuiquam noceatis. » Christum videlicet imitatus, in passione dicentem : « Si me quæritis,

A sinite hos abire. » Irruentes igitur in pastorem lupi rapaces, in patrem proprium degeneres filii, in hostiam Christi crudelissimi lictores, consecratam capitis coronam funestis gladiis amputaverunt : et Christum Domini solo tenus præcipitantes, cerebrum cum sanguine, (quod dictu quoque horrendum est, per pavimentum crudelissime sparserunt. Sic itaque granum frumenti palea, sic vineæ custos in vinea, dux in castris, pastor in caulis, cultor in area cæsus est : sic justus ab injustis occisus, domum luteam cœlesti palatio commutavit.

Ultima vero martyris verba, quæ præ confusione clamoris discerni vix poterant, juxta propius astantium assertionem, hæc fuerunt : » Deo et beatæ Mariæ, S. Dionysio, et sanctis hujus ecclesiæ patronis

B meipsum commendo, et Ecclesiæ causam. « In omnibus autem cruciatibus, quos invictissimus Dei athleta pertulit, non clamoren emisit, non gemitum edidit, non brachium aut vestem ferienti opposuit, sed caput quod inclinatum gladiis opposuerat, donec consummaretur, tenens immobile, quasi ad orationem prostratus, obdormivit in Domino.

[Lect. 6.] Regressi vero viri scelerati in sancti pontificis palatium, quidquid pretiosum potuerunt invenire, sibi diviserunt. Mœror ingens super innocentis morte et direptione suorum, tenebat omnes et infinita animi tribulatio : ut passionem ejus Dominicæ passioni magis assimilarent, fecit tamen repente cum tentatione proventum divina clementia: et per visiones quasdam, futuris quasi prælucens

C miraculis, martyrem in proximo signis glorificandum, redituram post mortem lætitiam et turbam languidorum, beneficiorum gratiam innuit esse consecuturam. At vere sanctus iste glorificandus erat: pro Ecclesia certans, in ecclesia passus est in loco sacro, Dominicæ nativitatis tempore, inter consacerdotes et manus religiosorum, quatenus in agone pontificis sic omnes circumstantiæ concurrerent et persequentium revelarent impietatem et nomen eorum sempiterno macularent opprobrio. Post mortem vero martyris, adeo in persecutores ejus ultio divina desævit, ut in brevi sublati de medio non comparerent. Et alii quidem sine confessione et viatico subito rapti sunt ; alii digitos vel linguas proprias dentibus frustatim decerpentes ; alii, sanie defluentes, et toto corpore tabefacti, et torsionibus inauditis ante mor-

D tem cruciati ; alii, paralysi dissoluti ; alii, amentes effecti; alii cum insania exspirantes, manifesta reliquerunt indicia, quod injustæ persecutionis et excogitati parricidii pœnas exsolverent. Gaudeat igitur virgo mater Ecclesia novum martyrem reportasse triumphum ; gaudeat novum pro sui liberatione Zachariam immolatum in templo. Gaudeat novi Abel sanguinem pro se contra viros sanguinum clamare ad Dominum. Vox enim sanguinis effusi, vox cerebri funestorum satellitum gladiis dispersi et mundum similiter et cœlum celebri clamore replevit. A clamore namque sanguinis hujus commota est et contremuit terra ; sed et virtutes cœlorum motæ

sunt adeo ut quasi in ultionem sanguinis innocentis A surgeret gens contra gentem et regnum adversus regnum, imo ut regnum in se ipsum fieret divisum terroresque de cœlo et signa magna fierent. Sed ut palam fieret mundo, quia Dominus sanctum suum magnificavit, primo martyrii sui tempore, multis cœpit martyr miraculis coruscare : cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquelam restituens. Deinde leprosos mundans, paralyticos consolidans, hydropisin et omnia morborum incurabilium genera curans, mortuos resuscitans : dæmoniis etiam et elementis omnibus mirabiliter imperans, ad inusitata quoque et inaudita signa potentiæ suæ manum extendit. Nam et oculis et membris genitalibus privati, meritis ipsius nova membra meruerunt suscipere. Quidam autem qui sancti miracula depravare præsumpserunt, repente percussi, coacti sunt ea prædicare vel inviti. Denique adversus omnes æmulos suos usque adeo martyr prævaluit, ut universi qui detrahebant ei, venientes venerarentur, et adorarent ad sepulcrum ejus.

Passus est autem athleta Dei egregius Thomas, anno ab incarnatione Domini, secundum Dionysium, millesimo centesimo septuagesimo quarto, Kal. Januarii, feria tertia, hora quasi undecima, ut Domini natalis ad laborem ejus fieret natalis ad requiem. Ad quam nos perducere dignetur idem Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PASSIO TERTIA.

Cum de reformanda pace inter regem Angliæ et B dominum Cantuariensem diutius ageretur, rex nuntiis ad dominum papam directis promisit se formam pacis quamcunque dominus papa proscriberet, observaturum. Statuit igitur dominus papa ut rex archiepiscopum plene in gratiam suam reciperet, et omnia sibi ablata ditioni ejus libere tenenda restitueret, datis nihilominus obsidibus, rege videlicet Franciæ et comite Flandriæ et quibusdam aliis, de servanda in posterum pace. Verum cum hæc agerentur, rex Angliæ filium suum jam coronari fecerat, fretus auctoritate quarumdam litterarum, quas a domino papa cum primum partes Gallicanas intraret, obtinuerat, quarum hæc continentia fuit : placere C domino papæ ut filius regis Angliæ coronaretur : nec hoc contra dominum Cantuariensem erat, cujus juris erat coronare regem Angliæ, Eboracensis quoque archiepiscopus filio regis manum imposuerat, quarumdam litterarum fretus auctoritate quas rex a domino papa impetrarat, quarum hæc erat continentia : Eboracensem habere licentiam coronandi regem si sedes Cantuariensis vacaret. Omnibus his in hunc modum peractis, Cantuariensis archiepiscopus regem sua recepturus adivit. Quem rex satis amice, non tamen in osculo suscipiens, promisit se illi omnia sua restituturum, quod tamen non implevit; nam de im- D mobilibus quædam restituere renuit. Quod cum Cantuariensis iterum curiæ Romanæ significasset, dominus papa regi durius quam prius scribens, præcepit archiepiscopo omnia sua restitui. Obtinuit quoque litteras secretas archiepiscopus, quarum hæc continentia : Si infra spatium quadraginta dierum archiepiscopo sua non restituerentur, et rex excommunicationi subjaceret et terra sua suspensa esset. Accepit præterea alias litteras, videlicet excommunicationis in duos episcopos Angliæ et suspensionis in Eboracensem archiepiscopum et plerosque alios. Rex autem acceptis litteris papæ promisit se archiepiscopo omnia restituturum. Verum die constituta qua archiepiscopus restitui debebat, rex in propria persona archiepiscopo ducatum præbiturus, quod tamen promiserat, non occurrit, sed unum clericum qui archiepiscopum conduceret transmisit. Igitur archiepiscopus transfretare parans, audivit episcopos Angliæ ad occurrendum sibi colligi, timensque aliquibus appellationibus ab iis fatigari, præmisit litteras excommunicationis in quosdam, suspensionis in alios, quas, ut diximus, a papa impetraverat. Dehinc in porta Angliæ se recipiens, præfatos episcopos collectos invenit. Qui cum ab eo absolvi et ab eo restitui postularent, archiepiscopus eos in hunc modum mitissime allocutus est : « Si in humilitate condigna matri vestræ vos repræsentaveritis, quantum possumus, imo supra id quod nostri juris est, misericordiam vobis exhibebimus. » Quod illi non acceptantes regem potius transfretantes adierunt. Archiepiscopus vero, cœpto gradiens itinere, in civitate sua honorifice susceptus est : ibique missarum solemnia celebrans, quosdam qui in eum peccaverant excommunicavit, potestate sua libere utens. Dehinc collecto comitatu, filium regis adire paravit : quod audiens ille præcepit, ut ad sua regressus suis contentus esset finibus. Ipse tamen archiepiscopus, Londonias adiens, et ibi missarum solemniis celebratis quosdam excommunicavit. Inde Cantuariam redien ordines ibi celebravit, et festum Nativitatis, mult populo stipatus, solemniter peregit. Interea episcop præfati, regem adeuntes, quidam se excommuni catos, quidam suspensos conquesti sunt. Unde rex vehementissime commotus, neminem injurias sua ulcisci velle conquestus est. Quatuor igitur milite nobiles et regi familiares, sive his tantum verbi

excitati, sive aliud præceptum accipientes, eadem A die iter arripientes, et versus Angliam transfretantes, secunda die post festum Innocentium, collecta etiam in via tanta multitudine, quæ patrando facinori sufficeret. Cantuariam venerunt. Archiepiscopus, circa horam nonam ejusdem diei, refectus epulis cum clero suo resedit. Introeuntes autem cum festinatione ad eum, quatenus episcopos Angliæ absolveret, ex parte regis præceperunt, minasque mortis, si non faceret, addiderunt. At ille : « Nunquid hujus legationis litteras affertis ? » et adjecit : « Si in humilitate debita se sanctæ Ecclesiæ præsentaverint, absolutionem accipient. » Illi vero dedicta archiepiscopo regis gratia abierunt, non lege ab ostio domus recedentes, imo in ipsa episcopali curia se armantes redire paraverunt. Quod videntes qui B circa episcopum erant, quatenus tutiora loca monasterii peteret oraverunt. At ille : « Non decet, inquit, fratres mei, ecclesiam peccatorum sanguine pollui, sed potius expectandum hic ; quidquid imminet, patienter ferendum est. » At illi vi eum rapientes monasterio intulerunt. Ipse vero ad altare Beati Benedicti, quod erat in introitu ecclesiæ, per gradus quosdam se contulit. Interea milites post tergum illius ostia claustri irrumpentes, extractis gladiis usque ad episcopum pervenerunt. Archiepiscopus vero per aliquot gradus iis occurrens, suisque vitam postulans, et pro suis occisoribus orans, « Libenter, inquit, quantum mea fragilitas patitur, mortem suscipiam. » Dehinc inclinato capite plenus confessione, primum mortis ictum excepit, animamque Deo reddidit; cor- C pus vero exanime ad terram concidit. Primus vero tortorum verticem capitis ei præcidit: aliis duobus ipsum in caput ferientibus, quartus gladio in caput profundius injecto, cerebrum illius effossum per pavimentum sparsit. Dehinc monachi ejusdem ecclesiæ cerebrum et sanguinem effusum colligentes, etiam raso pavimento cerebrum capiti imposuerunt, pannis quoque circumligaverunt. Etiam, sicut veridica hominum relatione didici, corpus diu mortuum se levans, signo crucis vivificæ et se et astantes consignavit, rursusque ad terram concidit. Dehinc monachi vestes ejusdem auferentes, desubtus asperrimum cilicium invenerunt, et carnem ejus dire laceratam et vermibus plenam. Quod videntes etiam quidam ex malefactoribus percusserunt pectora sua. Inventæ sunt etiam sub eo litteræ quas nocte præcedentis Dominicæ diei a quibusdam familiaribus regis acceperat, de instante ejus morte. Interea sicut iterum veraciter percepimus, cæcus quidam, qui de familia sua fuerat, accurrens, in sanguine occisi oculos proprios tangens, visum recepit. Audivimus etiam quod adhuc vivente archiepiscopo quidam Londoniensis sacerdos, qui multo tempore usum linguæ perdiderat, vidit in visione quod si lingua sua sanguine archiepiscopi tangeretur, continuo solveretur. Eadem visio cuidam familiari suo de præfato muto sæpius revelata est. Unde ambo consurgentes Cantuariam adierunt, jamjamque civitati appropinquantes, archiepiscopum esse occisum audierunt. Unde magis confirmati, civitatem introeuntes, de sanguine occisi sibi dare petierunt. Indeque lingua muti tacta soluta est. Cujus missam postea audientes plurimi, quod factum fuerat, notis nostris retulerunt. Monachus etiam quidam ejusdem ecclesiæ pernoctans in oratione in crypta, in qua præfatus archiepiscopus inter alios quosdam martyres sepultus est, vidit primum de martyribus sepultis ibidem missam celebrantem: dehinc accenso thymiamate turbam archiepiscopi circumlustrantem. Quod cum sæpius vidisset, et tandem in publico retulisset, missi sunt quinque de conventu qui tumbam aperirent, et aperientes invenerunt admirabilis odoris fragantiam et articulos manuum quasi adhuc viveret flexibiles: quod deinde universus conventus accurrens cognovit. Narrantur et alia plurima miracula ibidem fieri. Ego vero quod verius scire potui scripto commendare curavi. Aderat quidam, cum prædicta scripsissem, asserens unum de occisoribus archiepiscopi in insaniam versum proprium filium interfecisse.

PASSIO QUARTA.

Beatissimus Thomas Cantuariensis archiepiscopus, reformata, ut videbatur, pace cum venerabili Henrico Anglorum rege, per dominum papam Alexandrum et regem Francorum Ludovicum et archiepiscopos et alios quamplures, ad Ecclesiam suam Deo volente repedavit et ita orationibus et prædi- D cationibus, eleemosynis, vigiliis, jejuniis intentus exstitit, ut etiam illi quibus in Gallicis partibus sua religio nota fuerat, mirarentur. Sed necdum per mensem in Ecclesia sua resedit, et ecce quatuor satellites ex transmarinis partibus venientes, quorum nomina ad signum miserabilis militiæ suæ referenda credimus : Ricardus Brito, Reginaldus filius Ursonis, Hugo de Morevilla, Willelmus de Tracy ; eum in hunc modum affati sunt : « Mandatum a rege et domino nostro afferimus ut ad filium suum regem pergas, facturus quod ei facere debes, et juri pariturus, si in aliquo adversus eum deliquisti, et episcopos excommunicatos, Londoniensem scilicet Gilbertum Foliot et Salesberiensem Jocelinum, communioni restituas et cæteris qui suspensi sunt reddas officium. » Archipræsul vero, columbinam habens sim-

plicitatem et serpentis prudentiam, respondit: « Mandatum a rege novo suscepi, ne per civitates et oppida sua commearem, nec ad eum venirem. Præterea supradictos episcopos | notum est non a me excommunicatos vel suspensos esse sed a domino papa quoniam in mea diœcesi absque meo consensu hunc novum regem, cui Dominus conferat gratiam salutarem, consecrare et coronare præsumpserunt. Præcedat ergo satisfactio eorum absolutionem. » Sed hoc dicto, præfati sceleris ut bruti sensus homines non habentes intelligentiam, in minas statim proruperunt. Illis ergo in tumultu et contumeliis exeuntibus sanctus præsul respondit: « Quærite qui timeat minas vestras, non enim gladii vestri sunt promptiores quam animus meus ad martyrium. Quærite qui vos fugiat ; me enim pede ad pedem in prælio Domini reperietis.» Nec mora : redeunt in loricis cum gladiis et securibus et bis-acutis et cæteris utensilibus commodis ad scelus, quod in animo conceperant, patrandum. Sed præcaventes famuli, obserato ostio, ignorante hoc archipræsule, eos excluserunt. Filii autem Satanæ, duce patre eorum, ad ligneum obstaculum divertentes scindunt, findunt et diruunt. Ex fragore autem nimio et terribili nimirum clerici more suo fere exanimes facti sunt, sed archiepiscopus, qui solus quærebatur perimendus, cæteros qui vano timore perterriti sunt consolabatur in Domino, et ut nobis videbatur ita imperterritus sedebat tanquam venissent ad nuptias eum invitaturi. Et cum a suis esset acclamatum ut in monasterium fugeret, ille, qui se ante non fugiturum carnis interfectores promiserat, virilius implet promissum. Sed cum ei diceretur quod hora exigente et festo, deceret ipsum in ecclesia vespertinum officium celebrare, tandem et vix surgens crucem suam sibi præferri præcepit. Mutato ergo ordine præsul qui præcedere debebat, pastoris more congentis oves in caulam incessu temperato clericos sequitur properantes.

Intranti monasterium omissis vesperis, quas Deo libare incœperant, occurrunt monachi : gratias agentes Deo, quod patrem suum, quem jam exstinctum esse audierant, vivum cernerent et incolumen. Et hoc dicentes valvas ecclesiæ repagulando, hostes a nece sui pastoris arcere festinant. Revertens autem pater sanctus, hos et illos a valvis removet, ne impedito itinere hostium, ejus impediretur martyrium, quod et scierat et prædixerat sibi ad præsens imminere. Intrantibus ergo illis et vociferantibus a tergo illius : « Ubi est regis et regni proditor, et falsus præsul ? » is qui se eos non timere prædixerat revertitur dicens : « Ecce adsum, non regis proditor sed Dei sacerdos. Quid me quæritis ? Ecce præsto sum in nomine ejus pati qui nos sanguine suo redemit. Absit ut propter gladios vestros fugiam, aut a justitia recedam ! » Hec eo dicente, ipsi manus sacrilegas in eum quantocius injecerunt trahentes eum ut extra ecclesiam incœptum sacrilegium possent adimplere. Sed tentus ab uno ex clericis suis facile

A inde moveri non poterat. Quidam igitur ex præfatis filiis Leviathan, elevato gladio quem tenebat, clerici prædicti brachium fere amputavit, eodemque ictu agnum Deo immolandum percussit patrem proprium in matris utero perimens, diem circa undecimam horam exstinguens. Ecce serpentis in hoc martyre prudentiam, qui corpus percutientibus opposuit ut caput suum, id est ecclesiam sive animam suam illæsam conservaret. Ecce simplicitatem columbæ, quia nec etiam contra hostes et carnis occisores insidias vel clausuram aliquam machinatus est. O pastorem dignum, qui ne oves laniarentur, se ipsum luporum morsibus tam confidenter opposuit ! Et quia mundum abjecerat, mundus eum volens opprimere nescius sublimavit. Deinde alio ictu in capite recepto B martyr genua flexit et cubitos, se ipsum Deo hostiam viventem offerens. At tertius ita procumbenti grave vulnus impressit, quartus coronam, quæ amplæ erat latitudinis, ita a capite separavit ut sanguis albens ex cerebro et cerebrum rubens ex sanguine, litii et rosæ coloribus, virginis et matris ecclesiæ faciem in confessoris et martyris morte decorarent. Et sic Dei sacerdos a sæculo migrans, cœlis nascitur quarto Kalendas Januarii, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo. In crastino autem monachi, ut moris est corpus mundissimi lavandum exspoliantes, sub habitu et ordine monachorum tam privato diu exstitisse reperiunt, ut etiam hoc suos lateret familiares. Ad ultimum carni proximum inveniunt cilicium sic pediculis obsitum, ut C levius isto pristinæ diei fuisse martyrium quivis judicaret, et hostes majores minoribus minus nocuisse. Et quod a nullo sanctorum hactenus factum esse cognovimus, femoralibus cilicinis tam stricte crucibus insutis usus fuerat, ut alveus a genu supra in longum sub sutura cilicii vermiculos scaturiens in modum aquæ bullientis extenderetur. Sequenti vero Sabbato per visionem cuidam clerico Londoniæ revelatum est quod sacerdos quidam ejusdem civitatis ad tumulum apostoli Anglorum confessoris et martyris suffragantibus meritis, sermonem perditum recuperaret. Quod ita factum est. Scio etiam quemdam virum sanctum in eadem parte cryptæ qua archiepiscopus tumulatus est, angelo monstrante vidisse ut credebat Christum crucifixum. Quædam D etiam inclusa sanctissima quæ nec Latinum noverat sermonem, nec Gallicum, monachis Cantuariæ in brevi post mortem archiepiscopi mandavit, se a muliere pulcherrima accepisse sed non intellexisse hoc Latinum : « Noli flere pro archipræsule tuo quia caput ejus in sinu Filii mei requiescit. »

Puerulo contracto gradiendi gratiam a martyre mendicanti et capite supra sarcophagum reclinato casu obdormienti, astitit sanctus pater ita inquiens : « Quid jaces super me ? sanitatem non habebis : nihil tibi facturus sum : discede.» In his verbis expergefactus est, et tam nobis quam matri suæ non absque multa cordis contritione quod audierat enarravit. Certusque de incommutabilitate sententiæ in locum

alium transponi se fecit; hortantibus tamen nobis ut precibus incumberet, acquievit, sed tempus absque sanitatis emolumento consumpsit. Apparuit etiam et alius super tumbam dormienti et ait: « Quid hic jaces? Mandavit tibi archiepiscopus quia minime sanitatem consequeris. Salutem tibi peccatum adimit, antequam nascereris admissum. Nec ideo credimus filium portasse iniquitatem parentum, sed potius voluisse Dominum flagellare parentes in filio ut corporale filii detrimentum parentibus mœroris fieret supplicium. » Post paucos autem dies ab hac puer ille luce migravit. Famularum paternæ domus seducta consilio Thomæ filia de Yffelo Salerna nomine, caseum matri suæ subripuit eisque contradidit. Mater caseum casu advertit sublatum; impetit commisso puellam: neganti comminatur. Minis non proficiens apponit et verbera, asserens eam usque ad exhalationem spiritus flagellandam, nisi reatum confiteatur in crastino. Erat autem Sabbatum in die illa. Tum illa futuri mali magis sollicita quam dolens præteriti, noctem subsequentem fere totam duxit insomnem, flens et ejulans ac dicens: « Sancte Thoma, consule mihi, sancte Thoma, adjuva me: adjuva me, sancte Thoma: consule mihi, sancte Thoma. » Mane vero cum matrem suam ad ecclesiam profectam cognovisset, egressa perrexit ad puteum aquæ in puteum se ipsam præcipitatura: quatenus, si mortem declinare non posset, saltem genus mortis mutaret. Ad puteum autem appropinquans videbat juxta se quasi mulierculam quamdam commeantem et vim faciebat quæ quærebat animam suam, impingens eam ad præcipitium et dicens: « Vade, vade, introibis, introibis. » Surer puteum tandem consedit et manibus ob ora putei pendens, ejus instinctu qui de deorsum est, misit se præcipitem voce magna proclamans: « Deus omnipotens consulat mihi et sanctus Thomas. » Et cecidit in abyssum et non est collisa, quia Dominus supposuit manum suam. Audivit enim eam et vocem ipsius et descendit cum illa in foveam, et assumpsit eam de aquis multis ne absorberet eam profundum abyssi, neque urgeret super eam puteus inferni os suum. Immersa itaque tertio vel quarto totidemque vicibus emersa, cum respirans clamasset: « Sancte Thoma, adjuva me, » impulsu quodam divino, totum puellæ corpus usque ad pedes de aquis expulsum est, et statuit Deus vel martyr, imo Deus et martyr super baculum quemdam pedes ejus, et alium baculum in manus ejus tremulas administravit. Super alterum igitur in superficie aquæ consistens, alteri contra putei parietem porrecto innitebatur, ignorans prorsus et

A qualiter super baculum venisset et quis secundum baculum manibus ejus imposuisset. Hoc autem constans habemus atque certissimum quod ante dies paucos puteum eumdem juvenis purgaverat: qui vero nec virgulam nec baculum sed neque festucam in isto reliquerat. Audivit etiam puella dum ita staret vocem consolantis se eademque consolationis verba sæpius replicantis. « Noli timere, filia, bene sursum venies; filia, noli timere. » Testatur etiam se personam loquentis prope se stantem vidisse lino candidissimo vestitam. Et hæc quidem ita in puteo gesta sunt. Audierat autem puellæ corruentis vocem quispiam de familia in campo vicino constitutus, qui et puellam super puteum sedentem vidit, et admiratus increpavit. Currensque juvenem in domo

B dormientem vocavit ex nomine, Salernam in puteum corruisse ingeminans. At ille quasi per somnium vigilans, et audiebat vociferantem et somnium excutere non valebat. Videbat enim coram se quasi quemdam hominem deformem, statura procerum, vultu terribilem, clavam grandem tenentem in manibus et incessanter dicentem: « Si surrexeris mortuus es; si te moveris, occidam te. » Tandem vero importunitate clamantis excitatus ad puteum cum puero cucurrit: in puteum descendit sed metu præcipitii tanti correptus exivit. Stabant itaque ambo super infortunio anxii: et quid facto opus esset ignari. Tunc alter ad alterum: « Festina, inquit, equumque ascendens ad ecclesiam propera et dominæ nostræ miserabile infortunium quod accidit

C manifesta. » Qui ascenso equo acceleravit et post moram plurimam non solum dominam sed et parochiam totam quæ ad ecclesiam ut eo die moris est confluxerat, secum reduxit. Demissus est juvenis in abyssum putei per funem, et ipsa interim super baculum remanente puella extrahitur vociferans et dicens: « Metimini me ad sanctum Thomam, » volens scilicet ut ad mensuram longitudinis corporis ejus candela fieret quam martyri pro ereptione sua offerret. Extracta autem illæsa inventa est, sed frigore pene usque ad mortem, afflicta. Dicebatque: « Ecce modo mecum fuit in puteo, modo abiit: — Quis, inquiunt, tecum fuit? » Et illa: « Beatissimus martyr Thomas in vestitu candido: et sic et sic mihi in puteo locutus est. » Et benedixerunt omnes qui

D stabant martyrem Domini qui facit omnia quæcunque vult in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Profunditas putei talis est a superficie terræ usque ad aquam centum quinquaginta pedes. Altitudo aquæ sexaginta pedes.

PASSIO QUINTA.

Ad laudem beatissimi martyris Thomæ et fidelium ædificationem, opus impar scientiæ meæ aggredior; verumtamen ex conscientia referens quod me præsente actum, Deo teste, dignoscitur. Sed quoniam ejus subito referre martyrium esset quasi non lotis manibus ad mensam accedere: idcirco præcedentia vitæ ejus prælibentur. Beatus qui audierit verba lectionis hujus, et ea conservaverit ad incentivum martyrii, ut si forte rex exigat, paratior sit A pro nomine Jesu contumeliam pati.

(2.) Prosequamur itaque personam martyris, causam martyrii, persecutorum tyrannidem, et patientis constantiam, locum et tempus passionis, ut ex omnibus his circumstantiis, et frequenti miraculorum testimonio appareat pseudofratribus nostris, quanta beatitudine et laude Christus militem et martyrem suum in cœlis coronandum, et in terris glorificandum prædestinavit.

Explicit Prologus.

INCIPIT PASSIO EJUSDEM.

Itaque cum primo Henricus secundus Anglorum monarchiæ et interjacentibus transmarinis etiam partibus multis præsideret, beatus iste martyr ex Londoniæ civibus non infimis oriundus, Cantuariæ archidiaconatum sub Theobaldo archipræsule regebat, qui quoniam eloquentiam, quam a natura habebat summæ prudentiæ maritaverat, vultu pulcher et amabilis, mitis aspectu, opere justus, cultu venustus, corpore procerus, et rebus agendis omnino aptus videbatur, in brevi a præfato rege in tantam familiaritatem est admissus, ut per diversas regiones se beatos reputarent, qui ei ut consiliario et cancellario domini sui obsecundare potuissent. (3.) Et quamvis in regis palatio nullus eo potentior, nullus munificentior, discretior nullus haberetur: ipse tamen hæc dono gratiæ ita temperabat, ut inter potentes sublimior, et inter humiles humilis spiritu dignosceretur.

Inter hæc archipræsul Theobaldus viam universæ carnis ingressus, Ecclesiam Cantuariensem orbatam pastore reliquit. Congregato ergo clero ad electionem, consensu regio, præfatus Thomas in archiepiscopum eligitur et consecratur, sed quod mirabile est dictu, non citius est sacra unctione delibutus; quam animus ipsius re sacramenti, multiplici videlicet Spiritus sancti gratia est refertus.

Statim enim postquam initiatus est, ne ex honore superbiret, onere et jugo Dei carnem suam refrenare delegit, ordinem enim et habitum canonici regularis suscepit, et susceptum ita mirifice pariter cum archiepiscopi officio conservavit, ut quamvis quilibet de se præsumens in alterutro sæpe deficiat ipse tamen utrumque nec non et quædam his difficiliora consummaret (4.) Raptus itaque ad contemplationem, vigiliis, jejuniis, orationibus, lectionibus B assiduis, ita corpus enervavit, ut ipse licet ætate juvenis, vita tamen et ordine presbyter a se cancellario nimis alteratus videretur, et cum totum diem sanctitati impendisset, ut dignior corona quam verbere merito conseretur, ad ultimum, quod vix sine mœrore dicimus, reverso cilicio quo induebatur, ut Christi parvulus, dorsum alicui sancto familiari flagellandum exhibebat. Et quia decebat pastores a contemplatione ad consolationem infirmitatis nostræ descendere, unde Jacob non solum ascendentes, sed etiam descendentes angelos per scalam vidit, et idem non solum Rachel quæ pulchra erat facie, sed Liam quæ et lippa erat, per C quam activa vita designatur, sibi in uxorem copulaverat, ideo cum oportuit angelum et pastore mistum ad carnales et oves suas condescendere, nunc carnem earum corporali cibo exhilarabat, nunc verbo prædicationis animas confortabat, ut veræ signum dilectionis Dei in eo deprehendi posset, secundum illud evangelicum: « Si diligis me, pasce oves meas. » (5.) Et vere in hoc pastore lux orta est nobis, qui assidue ante lucis ortum ab oratione surgens, linteo se præcinxit, et pelvim cum aqua sacratis gerens manibus, tredecim pauperibus in secretiori loco congregatis flexis genibus pedes deosculans lavit et detersit, unicuique erogans quatuor argen- D teos, ut sic primitias operis diurni Deo, quem expressius imitabatur, sanctificaret, quotidie etiam tot pauperibus vitæ necessaria tum in cibis tum in vestimentis ministrabat, et in ministrando prædicabat, ut licet multitudo infinita medicantium ad eum conflueret, potius tamen ex paucitate eorumdem, quam ex voluntate cohibendi manum largiri cessaret. Reminiscens illius prophetici: « Dispersit, dedit pauperibus, » non uni totum, sed partes mul-

tis, ut in exsultatione meteret quod hic seminaret. erogavit. Quanto res mobiles dispergendas et dandas pauperibus considerabat, tanto attentius immobilia, ex quibus hæc percipiuntur, retinere, et dispersa revocare satagebat : unde prædia ecclesiæ suæ a prædecessoribus suis minus juste donata his qui nimia potestate præditi vel affinitate ipsis conjuncti erant, auferre nititur, et pristinum jus ecclesiæ reformare, quoniam œconomo ecclesiæ ecclesiastica prædia colere et augere, non negligere nec minuere licet.

(6.) Clericos etiam qui de curia regis erant, cum eorum deprehenderet in curiam, et cætera omnia quæ ad ecclesiasticam jurisdictionem pertinent, ita sibi vindicabat, et postmodum judicabat, ut sacrilegi et rerum ecclesiasticarum invasores cum quibusdam episcopis, et simili schemate clericis, regem et omnem ejus familiam adversus sanctum dominum exasperarent : protestantes quod regias consuetudines exinanire disposuisset, et secundum regulas canonum cleri et plebis coarctare vitam et moderari.

Sed nunc ad episcopos, imo, ut verius dicam, Epicuros noster sermo convertatur. Utquid miseri, in Petrum et Ecclesiam ejus, imo in vosmetipsos vos armastis? Ecclesia inter varias mundi procellas non deficiet, donec veniat sponsus ejus, imo vestræ in præsenti cathedræ ab eo subvertentur, qui vendentes et ementes de templo eliminavit, ut non episcopi, sed magis canes impudici ab eo et membris ejus reputemini : et utinam hanc ignominiam vestram alias major confusio non sequeretur! Respicite ergo, miseri, et doleatis depositi, qui in honorem positi hominem non Deum adjutorem vobis imposuistis. (7.) Imitemini itaque Loth, qui primo secutus est angelum in Segor, deinceps in montem ascendit et sint vobis sal et condimentum cibi spiritualis mulier illa quæ retrospiciens in salem conversa est. In tantum membra Zabuli regem exacuerunt, ut sanctus præsul Northamptoniam quasi ante tribunal Cæsaris judicandus citaretur. Die statuta, cum ei pro certo intimatum esset, quosdam in necem ipsius conspirasse, quia interiorem hominem veste sacerdotali juxta hoc quod dicitur : « Sacerdotes induam salutari, » jam pridem induerat, nunc exteriorem indumento sacerdotis superficiario sub birro secretius munivit, crucem propriis manibus bajulans ne a se suæ passionis elongaretur exemplum. Martyr ergo nobilis, solo Deo comitatus, cum a multis et super multis causis impeteretur, ne stans sacerdotis personam inhonoraret, residendo, quod ei divinitus revelatum est mirifice, respondit, majorem scilicet a minoribus non debere ad judicium vocari, neque eorum sententia ligari : ordo enim confunditur, si ovis pastorem feriat, si discipulus magistrum, si filius verberet parentem : non enim ita pretiosius est aurum plumbo, sicut sacerdotalis dignitas regia potestate. Laici vero et suffraganei ejus episcopi, imo magis refraganei, eum hæc dicentem, et sedem apostolicam appellantem nihilominus condemnaverunt

A Itaque adversus athletam Domini a consilio malignantium recedentem clamor probrosus et non minus tumultuosus insurgit, quam si quatuor patres civitatis ignis vel hostium insultatio invasisset : et licet illud de Threnis Jeremiæ, merito declarare posset : « O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus, » qui pugno, ut prosim iis qui me persequuntur. Ipse tamen crucem bajulans, Crucifixo gratias agebat, et ibat gaudens a conspectu concilii, quoniam dignus habitus est pro nomine Jesu hanc contumeliam pati.

Igitur vir sanctus clam, ut potuit, paucis comitatus, appellationem suam prosequens, sanctissimum papam Alexandrum tertium Senonis invenit, et ad pedes ejus se provolvens, causam sui adventus non B ignoranti exposuit, et ut pro certo relatum est, pallium sui archipræsulatus in manu domini papæ resignans, expostulavit ut aliquem doctiorem et fortiorem de Anglorum Ecclesia in eorum metropoli episcopum constitueret cardinalem. Sanctus autem papa elevans filium suum, amplexatur, osculatur, lacrymas lacrymis immiscens, Deo referens gratias, quod virum tam humilem spiritu, pastorem tam sollicitum in salute ovium, advocatum tam constantem in causa, imo in multis causis Dei invenisset. Dignitatem ergo quam refutaverat, quia neminem ad hoc onus fortiorem esse cognoscebat, dominus papa reddendam decrevit renitenti etiam et invito. Ventilabatur itaque inter ipsum et regem contentio ; rege avitas consuetudines confirmare volente, secun- C dum quas cleri in creatione pontificis libera non exspectaretur electio, nec plebis cui dabatur episcopus, ut canones prædicant, expetitio vel consensus, sed hæc omnia ad nutum, et voluntatem regis fierent ipso annulum et baculum dante pontificalem. Igitur qualescunque etiam non intelligentes plebis linguam cui præficiebantur, Moysi cathedram, omni canonum calcata reverentia, occupantes, inordinatos et indoctos sibi similes presbyteros ordinabant : unde plebs non habens a quibus legem mandata Domini exquireret, proclivius ad vitia, utpote nec verbo, nec exemplo docta, præcedentibus suis signiferis catervatim ad ima descendebat.

Animadvertant ergo animarum occisores contra regem inthronizati, qui non dignitatem, sed nomen D episcoporum vulnerato capite matris Ecclesiæ violenter sunt adepti, quod non Mathias imperatoris vel regis judicio, sed apostolorum libera sortis electione in locum Judæ prævaricatoris ascitus est. Recordentur etiam Gregorii veridicam sententiam quod nisi potestates sic acquisitas prius abdicaverint, et se acerrima humiliaverint pœnitentia, procul dubio potestatibus dæmonum cum laicis, qui eas tradunt, in perpetuum tradendi sunt. Archiepiscopus vero hanc et multas alias consuetudines, quas enumerare longum esset, veritati per electos Dei manifestatæ constanter prædicabat refragari, veritatique manifestæ cedere consuetudinem oportere. Invenitur enim Christus aliquando dixisse :

« Ego sum veritas, » sed nunquam dixit : ego sum consuetudo. Et ita altercatio sub hoc marte inter has personas per septem annos agitabatur regnante piissimo rege Ludovico filio regis Ludovici supra Francorum nationem, et procurante præfatum archiepiscopum : qui a rebus Ecclesiæ penitus erat proscriptus, nec non et clericos qui cum eo erant quo usque ad gratiam sæpe dicti regis redirent, et consuetudines supra quibus lis orta fuerat, se non impugnaturos promitterent. Sed cum nec propter proscriptionem sui vel clericorum suorum sanctus sacerdos in aliquo flecteretur, jussi sunt tam majores quam parvuli de cognatione sua utriusque sexus, nec non et quidam familiares ejus, ut magis ex iis contristaretur, exsulare. Sanctus vero martyr Dei cum parvulorum deportationem cognosceret, quorum adhuc alimenta in maternis pendebant uberibus, ita contristatus est, tanquam si ipsius animam pertransiret gladius ; sed reminiscens quoniam Abrahæ dictum est : « Egredere de terra et de cognatione tua, » sicuti et terram ita et cognationem postponendam Ecclesiæ honori penitus proposuit. Sed nec illud prætereundem est, quod fida relatione cujusdam ex sociis et principibus exsilii ipsius accepi qui ita gestum esse, ut retulit, oculata fide se comprehendisse, Deum et reliquias ipsius martyris in Ecclesia, quam passione sua contristavit, et sepultura veneratur, nobis quamplurimis testatus est. Cum apud cœnobium quod in regione Francorum nominatur Pontiniacum, divinarum Scripturarum meditationi martyr sanctus se mancipasset attentius assidente illo quem hujus relationis auctorem laudavimus, ecce quidam ex fratribus, qui jam per tres annos lectum tenuerat, nescio qua labe adeo inflatus, ut cutis extensa exsangue corpus et macilentum vix complecti posset, annulum ostii excutiens, ad sanctum Domini intromissus est. Infirmus igitur confestim ad pedes domini prostratus, ait. « Domine, per visionem relatum est mihi, quod debeam vobis confiteri, ut mundato homine interiore a peccatis, contactu sacratæ manus vestræ exterior ab hoc turgiditatis dolore sanetur et curetur. » Sanctus autem sacerdos primæ petitioni libens paruit, a secunda se excusans, tandem victus lacrymoso petentis gemitu, utrique satisfecit : nec mora, impleto quod rogaverat, æger ad pedes sancti volutabatur, spumans tanquam epileptico morbo, subito in terram allisus, deinde in modum retortæ vel serpentis se reflectens, cum immensa insanie undecim ranas parvulas evomuit, et evestigio sospitati integerrimæ restitutus est. Mira res! quanto magis eam occuluit, tanto magis clariori sidere virtus martyris emicuit. Confluebant enim ad eum cum pauperibus ægrotantes, ut ex fragmentis panis et leguminum quibus vir sanctus vescebatur, a fame et infirmitate liberarentur. Inter alios adest miles quidam, deferens filiam suam, quam jam languor continuus per annum et dimidium extenuaverat. Quæ quam cito reliquias fragmentorum quæ de manu archipræsulis ceciderant degustasset, Deo et exsuli sancto gratias agens, sospes cum patre remeavit ad propria. Inter tot martyria quæ martyr iste antequam trucidaretur passus est, illud credidi referendum, quod cum una vice fœdus pacis toties ruptum redintegratum inter regem Franciæ et regem Anglorum videbatur, convenit inter eosdem reges, ut archipræsulis exsilium tandem pacis remedio sub hac forma finiretur, si finem suæ altercationis examini clericorum Franciæ et Normanniæ committeret, quidquid ipsi inde decernerent observaturus. Sed vir sanctus metuens ne causa Dei in promptum incideret periculum, (considerabat enim, quod utriusque regni consuetudines tum ex contumacia, tum ex ignorantia juris sæpe decretis obloquerentur) adjecit quod se censuræ prædictorum subjiceret, salva tamen dignitate Ecclesiæ et ordinis sui, et cum hoc verbum sanctitatis nec per reges, nec per episcopos, nec per suos familiares, ab ejus ore avelli posset, Francigenæ et sui familiares erga eum vehementius consternati suet. Ibat ergo et revertebatur per aures sancti sermo iste creberrimus, et jam ab his prolatus qui habitum religionis prætendunt exterius : Nunc apparet superbia et protervitas, nunc emergit proditio in lucem, quam in subversionem domini sui et regni ejus archiepiscopus diutius molitus est.

O quantus dolor ! O quam miseranda suspiria athletam Domini cruciabant! O quam ex intimo procedebant lacrymæ, cum conspiceret quod undecunque de necessariis fierent sibi inimici! Sed retinens illud propheticum : « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo, » solus se opposuit contra omnes murum pro domo Domini constantius asserens quod nec mors, nec vita separaret eum ab hoc verbo, quin salva scilicet dignitate Ecclesiæ et ordinis sui pax, si futura esset, firmaretur.

Reformata tandem, ut credebat, pace per dominum papam et Franciæ regem, et archiepiscopos, volente Deo, ad ecclesiam suam venerabilis pontifex repedavit : et ita orationibus, prædicationi, eleemosynis, vigiliis, jejuniis, cæterisque bonis operibus intentus exstitit, ut ii etiam quibus ante sanctissima religio ejus nota fuerat mirarentur, sed necdum in ecclesia sua per mensem resedit, et ecce quatuor satellites diaboli ex transmarinis partibus propere venientes, quorum nomina ad signum miserabilis militiæ referenda credidimus. Richardus Brito, Hugo de Moravilla, Reginaldus Ursus, Willelmus de Traci, in hunc modum affati sunt : « Mandatum tibi a rege et domino nostro asserimus, ut ad filium suum novum regem pergas facturus quod regi facere debes et juri in suo examine pariturus, si in aliquo adversus eum deliquisti; episcopos etiam excommunicatos Londoniensem scilicet Gilbertum Foliot, et Salisberiensem Jocelinum communioni restituas, et cæteris qui suspensi sunt reddas officium. » Archipræsul vero respondit : « Mandatum a novo rege suscepi, ne per oppida et civitates ejus commearem ; sed me a colloquio et conspectu ipsius tanquam indignum omni-

modos subtraherem: præterea episcopos supradictos notum est, non a me excommunicatos, vel suspensos, sed a domino papa, quoniam in mea diœcesi, me inconsulto, hunc novum regem, cui Dominus conferat gratiam salutarem, consecrare et coronare præsumpserunt. Præcedat ergo satisfactio eorum absolutionem. » Sed hoc dicto, præfati milites, non milites, et ejusdem sceleris consortes, ut bruti sensus homines non habentes intelligentiam, in minas proruperunt. Illis ergo in tumultu et contumeliis exeuntibus, sanctus præsul respondit: « Quærite qui timeat minas vestras. Non enim gladii vestri sunt promptiores quam animus meus ad martyrium: quærite qui vos fugiat. Me enim pede ad pedem in prælio Domini reperietis. » Et ecce ille quem merito Ursum cognominavimus, bestialiter exclamavit dicens: « Ex parte domini regis vobis edicimus, tam clerici quam monachi, ut istum hominem comprehendatis et teneatis, donec rex de corpore ejus plenam consecutus fuerit justitiam. » O quam stupendum, quam stolidum et miserabile edictum, ut clerus patrem servaret ad pœnam, pro cujus tuitione fidelissima immarcescibilem Rex cœlorum ei jam præparaverat coronam! Ex confinio hujus edicti ortum est et aliud lamentabile: præconis enim vox horrida per plateas increbuit: « Armate vos viri, armate vos, invadite domum archiepiscopi. » Indignum est enim, ut in communi nobis vivat, qui communione primates nostri regni indigne privavit. » Nec mora redeunt in loricis evaginatis gladiis quatuor canes aulici, quos prædiximus, necnon et bucellarii cum bisacutis et utensilibus cæteris commodis ad scelus quod in animo conceperant pariendum. Sed præcaventes famuli, obserato ostio, ignorante hoc præsule, eos excluserunt. Filii autem Satanæ duce patre eorum ad lignea obstacula divertentes, cædunt, scindunt, diruunt, ex fragore autem nimio, et terribili strepitu, nimium clerici more suo fere exanimes facti sunt. Archiepiscopus vero qui solus quærebatur perdendus, cæteros qui vano timore perterriti erant consolabatur in Domino et ut nobis videbatur, ita imperterritus residebat, tanquam venissent ad nuptias eum invitaturi, et cum a suis fuisset undique exclamatum, ut in monasterium fugeret, ille qui ante promiserat se carnis interfectores minime fugiturum, viriliter implet promissum. Non enim erat in tali casu fugiendum de civitate in civitatem, sed dandum subjectis exemplum, ut unusquisque mallet mori in bello quam videre mala gentis suæ et sanctorum canonum subversionem.

Sed cum ei diceretur, quod, hora exigente et festo, deceret eum in ecclesia vespertinum celebrare officium, tandem surgens et ad crucem maturans, sibi crucem præferri præcepit. Mutato ergo ordine, sacerdos et præsul qui præcedere debebat pastoris more cogentis oves in caulam, incessu temperato clericos equitur properantes. Intranti monasterium, omissis vesperis, quas Deo libare cœperant,

A occurrerunt monachi, gratias agentes Deo quod patrem suum quem exstinctum audierant, vivum cernerent et incolumem: et hoc dicentes valvas ecclesiæ repagulando hostes a nece pastoris sui arcere festinant. Revertens autem pater sanctus hos et illos a valvis removet, ne impedito itinere hostium, ejus impediretur martyrium. Intrantibus ergo carnificibus et vociferantibus: « Ubi est ille regis et regni proditor et falsus præsul? » Is vero, qui se eos non timere prædixerat, revertitur dicens: « Ecce adsum, non regis proditor, sed sacerdos. Quid me quæritis? ecce præsto sum nomine ejus pati, qui nos sanguine suo redemit. Absit ut propter gladios vestros fugiam, aut a justitia recedam! » Accelerans igitur quidam præ cæteris plenus scelere, bisacutam sacrato

B pectori imposuit, proh dolor! comminans quod sanctissimum cor illius extraheret; sed temperans ab ictu, una cum cæteris manum violentam injecit, trahens eum, ut extra Ecclesiam cœptum sacrilegium et inexpiabile nefas possent adimplere. Sed cum inde facile amoveri non posset, quidam ex præfatis filius Leviathan, elevato gladio quem tenebat, agnum Deo immolandum in capite percussit, præciso vero eodem ictu hæc referentis brachio, patrem proprium in matris utero perimens, diem circa undecimam horam diei exstinguens. Ecce serpentis in hoc martyre prudentiam, qui corpus percutientibus opposuit, ut caput suum, id est ecclesiam, sive animam suam illæsam conservaret. Ecce simplicitatem columbæ, qui nec etiam contra carnis occisores insidias vel clau-

C suram aliquam opposuit, verum claudi monasterium prohibuit, quod religionis jure omnibus catholicis patere debere sanctorum instituta patrum sanxerunt. O pastorem dignum, qui ne oves laniarentur, seipsum luporum morsibus tam confidenter exposuit! sciens nimirum indignum esse corona, quem in tali articulo mortis timor fugam inire compellit. Quid non faceret? quibus turbinibus se non exponeret, vas virtutum stabilitate tam solidum, tribulationibus et pressuris tam excoctum, et vigiliis et jejuniis tam exanimatum, disciplinis assiduis confricatum, quod merito ad summi regis delicias propinandas ad thronum gloriæ deportaretur? reliquerat enim mundum pro Christo, quem cum flore suo in tantum despexerat, ut cuncta ejus tanquam peri-

D psema reputaret. Quod videns mundus vehementer indoluit, et contumaci sibi ferale bellum indixit, et advocans principem adjutorem suum: « Veni, inquit, opprimamus virum istum justum, quoniam contrarius est operibus nostris. » Sed miro modo actum est, ut qui scintillam luminis in occiduis terræ partibus, et in uno tantum angulo radiantem satagebat exstinguere, luminare magnum, quod ab occidente usque in orientem fulgura accendit, et opprimere volens sublimavit. Deinde alio ictu in capite recepto, martyr genua flexit et cubitos, se ipsum hostiam viventem Deo offerendo, dicens: « Pro nomine Jesu et Ecclesiæ tuitione libenti animo mortem amplecti paratus sum. « Et subsecutus adjunxit: « Deo, et

beatæ Virgini Mariæ, et sancto Dionysio, omnibus A martyribus committo causam Ecclesiæ.» Quo dicto, tertius funestorum militum, ita procumbenti grave in cervicem vulnus impressit. Quartus, quod dictu est horrendum, coronam, quæ amplæ erat latitudinis, ita a capite separavit, ut sanguis albens ex cerebro et cerebrum rubens ex sanguine lilii et rosæ coloribus virginis et matris Ecclesiæ faciem in confessoris et martyris morte purpuraret. O nefandissimi hominum, quos nec ploranda sanguinolentæ matris pietas, nec miranda patris probitas lenire potuit, quin infra ipsius sacratum capitis cerebrum venarentur et funderent! Quibus patratis, et recedentibus carnificibus reliquis, Reginaldus Ursi filius, utpote omnibus aliis crudelitate superior, ejus cerebrum quod remanserat effodit, et per pavimentum B dejecit; ne ei quinta plaga deesset, qui in aliis Christum imitatus est. Ut enim salva pace martyrum loquar, ipsi propriam principaliter agebant causam, cum eis diceretur: « Sacrifica Jovi, respue crucifixum: » iste vero aliorum salutem suo pretioso sanguine mercatum venit, ut insigniti sacro charactere Christi, secundum scita Ecclesiæ regerentur: autumans majorem non esse charitatem, quam ponere animam suam pro amicis suis. Quam intrepide ubi de sua salute et fide ageretur esset martyr iste pugnaturus, qui pro aliorum tuitione non tractus, non ductus, se ipsum minavit ad occisionem! Pro mirabili ergo constantia credimus honorem divinitus ei esse collatum, quod non Judæos, nec paganos, sed Christianos disertos et feroces C morte victoriosa debellavit. Sed quis loci martyrio deputati celsitudinem metiri posset? Ipsa domus Christi, locus in quo viaticum nostræ salutis solebat immolari, cunabulum regis pridie nati recenti martyris cerebro depingitur, ut ex hoc facto persecutorum crudelitas et martyris eminens dignitas figuraretur.

Itaque Dei sacerdos a sæculo migrans, cœlis nascitur IV Kalendas Januarii, anno ab incarnatione Domini 1171, die proxima post solemnitatem Innocentum: ut qui diu innocenter vixerat, post innocentes tempus celebre sortiretur: magna regis nati clementia, qui militis sui martyrium, imo natale martyris, ita suo continuavit, ut nec ei posset concivium salva suorum prærogativa esse conjunctius, D nec ulterius protelandum. In crastino autem monachi, ut moris est, corpus mundissimum martyris lavandum exspoliantes, sub habitu et ordine monachorum tam privatim diu reperiunt exstitisse, ut etiam hoc suos lateret familiares. Ad ultimum carni proximum inveniunt cilicium sic bestiunculis obsitum, ut levius isto pristinæ diei fuisse martyrium quivis judicaret, et hostes majores minus minoribus nocuisse. Et quod a nullo sanctorum factum esse cognovimus, femoralibus cilicinis a longo tempore ita stricte cruribus insutis usus fuerat, ut alveolus a poplite supra in longum sub sutura cilicii vermiculis scaturiens extenderetur.

Magnificetur Deus noster, qui non est passus lucernam Ecclesiæ diutius latere sub modio, sed ad confusionem infidelium et schismaticorum, eam posuit super candelabrum, ut ingredientes lumen viderent, et aperte cognoscerent, quod non sit Ecclesia, sed schismatis contumelia, quam martyr iste respuebat, et infidelitas aliud sentire de Deo, quam ipse prædicabat. In solemnitate enim protomartyris Stephani proxima, antequam de martyrum commilitio nobilissimus martyr iste censeretur, sacerdos Radulfus nomine personatum gerens in ecclesia quadam beatæ Mariæ Londoniis, ad epulas cujusdam divitis de parochia vocatus sua, dum inter prandendum loqui vellet, instrumenta loquelæ frustratus obmutuit. Igitur postquam medici vires tyriaci delusas experti sunt: ille qui obmutuerat mœstus de mensa surgens domum repedavit. Postea vero cum mortui martyris exsequiis et divinis obsequiis parentatum est, cuidam clerico Radulfo fratri ipsius, in cujus domo presbyter sermonis usu privatus fuerat, psallenti matutinas beatæ Virginis et Matris Christi, dum circa canticum trium puerorum moraretur, apparuit vir vultu venerabilis, ita ut ex ipsius splendore licet circa mediam noctem domus splendere videretur, dicens: « Radulfe, ex parte Dei dic Radulfo presbytero ut si ore non possit, saltem scripto cum vera pœnitentia peccata primoconfessus adeat novum martyrem, apostolum Anglorum et confessorem, ut per ejus merita perditæ recuperet damna loquelæ.» Deinceps cum presbyter huic obtemperasset mandato, non est defraudatus beneficio. Ego istud miraculum confidentius refero, quia cum post martyrium domini mei Cantuariæ lectum doloris tenerem, et postea, cum venirem Londonias, ita esse factum a civibus accepi: necnon et presbyterum, cui hoc contigerat, satis aperte loquentem, bis allocutus sum, et Radulfum satis credibilem cui vigilanti præfata visio apparuerat. Scio etiam quod cum medicus fere per annum de consolidatione brachii mei desperaret, nocte quadam astitit mihi ille venerabilis martyr et comprehendens brachium madida panniculi teda linei involvi[t] dicens: « Vade, sanus es. » Postea vero panniculo aqua benedicta et sanguine ipsius intincto brachium involvi; donec gratia Dei et martyris mutua consolidationes ossa ossibus adhæserunt. Perhibet consolidationis testimonium ipsius ejusdem brachii manus dextra: quæ vobis hæc scripsit legenda. Multa etiam alia operatus est Dominus ad indicium dilectionis beati martyris nostri, leprosos, ut nos vidimus, mundando, dæmonia fugando, hydropicos, paralyticos, surdos, mutos, cæcos et claudos, necnon e[t] aliis languoribus laborantes curando, in quibu[s] fidele Cantuariensis Ecclesiæ testimonium, sub cuju[s] aspectu et notitia hæc aucta esse noscuntur præsto lamur. *Explicit Martyrium beati Thomæ Cantuariensis archiepiscopi editum a magistro Euvrardo*

VITA ET PASSIO SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS.

AUCTORE ANONYMO

Iste libellus editus fuit Parisiis anno Domini 1495.)

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM, PASSIONEM ET PROCESSUM SANCTI THOMÆ CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS SUPER ECCLESIASTICA LIBERTATE.

Professores artium, etc. (*Vide* Vitam S. Thomæ auctore Edwardo Grim, *col.* 1 *usque ad* Pie igitur etc, *col.*, 2.)

Pie igitur parere cupientes quorumdam devotioni, qui gesta martyris pretiosi plenius nosse solliciti sunt, operam dedimus ut quatuor historiographorum labores et studia, magni videlicet Hereberti de Boeham, Joannis Carnotensis, Willelmi Cantuariensis, et Alani abbatis Theuskesberiæ, qui martyris pretiosi stylo luculento universa depinxerant utpote qui per totum imperiosæ nobilitatis suæ tempus pariter et abjectæ humilitatis sancto familiarius adhæsere, sub unius narrationis serie historialiter texeremus: id summopere præcaventes ne de substantia negotii sive de veritate totius rei gestæ, a primordio perfectæ virilis inchoationis usque in diem quo pro Deo suo et Ecclesiæ libertate per martyrium cursum vitæ consummavit, quidquam per silentium deperiret. Sane uti plerisque videtur, Herebertus qui singula dicere potuit ex scientia utpote qui ea quæ vidit et audivit testatur, amore magistri justo prolixior metas compendii excessit. Joannes vero publicæ potestatis turbine moto, succincta utens veritate citra perfectum calamum extorsit: reliqui etiam duo quia non plene satisfecere rei gestæ summam scire sitientibus studendi nauseam ministrarunt et fastidium nihilominus studiosis generarunt. Opus igitur Domino largiente, aggredientes, licet difficile, sed ut credimus, posteris acceptabile, brevitate competenti studuimus consulere delicatis: et veritate plena satisfacere studiosis. Nec tamen adeo prolixitati detraximus gratia complacendi, ut aliquid de necessario contingentibus omittamus: haud quod cupidos plenæ historiæ fraudare velimus vel in modica veritate. Nimis enim est absurdum ut quis de præconiis cujuscunque dicat prætermittendum, cujus mores et opera proponit ad imitandum. Nimis, inquam, absurdum est in parte ædificii diruere, cujus consummationis finem perfectum intendit magnifice propalare. Gloriosi igitur martyris meritis et oratione patrocinantibus ad laudem ipsius et gloriam qui sanctis suis virtutem prætat in via et præmia largi- A tur in patria, præsenti operi indulsimus ad horam, ut et compendiosa prolixitas et tædiosis tollat fastidium, et studiosis lectoribus majorem provocet appetitum. Nostræ igitur devotioni linea rectitudinis nusquam aberrando per beati patris nostri merita gloriosa Spiritus veritatis inspiret, ut quod pia aggredimur intentione, pura fide plena prosequatur oratio.

Explicit prologus in Vitam et passionem sancti Thomæ martyris: et insipit quadrilogus in Vita, passione et processu ejusdem martyris.

CAPITULUM PRIMUM,

DE VITA ET MORIBUS PARENTUM SANCTI THOMÆ.

Electus igitur ante mundi, etc., *usque ad* veritati [*eadem quæ habentur apud Edwardum Grim., supra,* B *col.* 3.]

CAPITULUM II.

DE ORTU MIRABILI BEATI THOMÆ.

Nunc autem, ut paulo altius sermonem historiæ repetamus, non abs re duximus in principio inserendum de conjugio patris ac matris admirandam satis utique rei gestæ meditantibus veritatem, ut exinde videlicet facile advertatur quanta cura ac pietate a solis ortu et occasu, genere et conditione tam diversos congregavit in unum prædestinatio mirifica Salvatoris, de quorum sane progenie sponsam suam Ecclesiam per mundum universum triumphaliter sublimari et decorari prætendit.

Præfatus igitur Gilbertus ætate juvenis crucem C Dominicam causa pœnitentiæ votivæ arripuit Jerosolymam iturus, quemdam de familia sua Ricardum nomine secum assumens, ipso solo pro serviente contentus. Quo tandem prospere pervenientibus, inter Christianos et gentiles insidiis habitis: loca sancta orationis causa cum aliis ingressus est. Sed cum licuit redire, omnes visitantes pariter capti sunt et catenati atque in carcere cujusdam Amiraldi præclari principis paganorum detenti, ut singulis diebus qualemcunque sibi victum laboribus impositis quodammodo compararent. Qui Gilbertus per annum integrum et dimidium in captivitate Sclavorum, more serviens, cum honoratior cæteris atque præstantior haberetur, in oculis Amiraldi præ omnibus gratiam et favorem invenit in tantum ut frequenter coram eo

sed tamen in vinculis ad mensam veniret, discumbentes visitaret, invicem de terrarum notitiis ac gentium diversarum moribus rite conferrent. Multa etiam ob gratiam ipsius collata sunt suis beneficia concaptivis, procurante insimul privatim in quantum licuit filia ejusdem Amiraldi puella curiali admodum et decora unica patris sui, quæ utique miro affectu ipsum Gilbertum prout patebit inferius diligebat. Quadam autem die nacta opportunitate puella liberius loquendi cum eo inquisivit ab eo de qua terra et civitate exstiterit oriundus, de fide et de religione et conversatione Christianorum, et quæ foret credentium spes et sæculorum præmia futurorum. Qui cum responderet quod Anglicus esset et Londoniarum civitatis incola atque inquisita de fide Christi prout melius noverat exposuisset, consequenter et ipsa ab eo sciscitavit dicens : » Num mortem libenter pro Deo tuo et fide Christi quam profiteris conservanda intrepide exciperes? » — » Libentissime, inquit, pro Deo nostro moriar . » Quo audito, puella mox quasi verbi ex virtute tota mutata profitetur se Christianam fieri ipsius ob causam, dummodo ipsam in conjugem accipere in sua fide sponderet. Tacuit attamen ille secum deliberans, et timens nimirum fallaciam, acquiescere statim noluit promittendo precibus insistenti, imo tergiversando de die in diem prorogavit, nolens cito præstare consensum. Cumque puella affligeretur vehementer et in dies ob dilationem, ut moris est mulierum, plus anxia efficeretur, Gilbertus interim cum suis concaptivis de fuga cogitans post annum et dimidium nocte quadam diruptis catenis et carcere aufugerunt: totumque noctis residuum quousque Christianorum fines attigissent conciti peregerunt. Mane autem facto, cum præpositus operum more solito ut eos ad opera mitteret consueta carcere fracto non reperisset, in manu valida ipsos insequitur, donec Christianorum terminis obstantibus omni spe jam fraudati reverterentur, non parum irati. Puella vero hæc audiens memorata ex illa hora de profectione sua et fuga post ipsos illico cogitavit et ipsa. Cumque super hæc diebus ac noctibus mire cogitativa efficeretur, et in meditatione exardesceret cautius evadendi, nocte quadam universis somno depressis, sola nullo sciente secum assumpto modico quidem ad viaticum necessario, ut expeditius iter ageret satis difficile attentandum, multiplici se tradidit discrimini fugiendi, nihil curans de universis hæreditario jure sibi pertinentibus, sufficientiam divitiarum sibi reputans desiderium suum complesse pro voto. O mirandam nimis hujus mulieris tam audaciam quam amorem tanta difficilia et ardua præsumentis! Non hæsitavit, cum esset tam ingentis substantiæ gloria nobilitanda paterna, irrecuperabiliter eadem carere, non trepidavit fragilis et delicata paupertatem pœnalem subire, nec per tot terrarum spatia et naufragantis maris innumera periculorum genera dubitavit sola discurrere, dum unius hominis tam remoti et ignoti amorem quæreret, cum etiam nec de vita ipsius vel inventione securitatem haberet imo necdum secura de conjugio et si quæsitum hominem reperiret. Proficiscens igitur pertransiit prospere paganismum et cum quibusdam peregrinis et mercatoribus repatriantibus qui linguam ejus noverant versus Angliam navigabat. Cumque transcursis omnibus periculis obiter obviantibus Angliam applicuisset atque a suis comitibus jam dissociata fuisset, nihil aliud interrogare pro itinere noverat nisi tantum : Londonia, Londonia. Quo tandem perveniente quasi bestia erratica per plateas civitatis incedens et obviantes quosque explorantis more circumspiciens, derisui habebatur omnibus et maxime pueris intendentibus in eam et per vicos incedentibus ob disparem ipsius habitum et linguam simul admirantibus. Contigit vero quod sic per plateas et vicos incedens contra domum præfati Gilberti, ubi manebat, in solemniori scilicet et frequentiori civitatis foro, ubi nunc in honorem sancti Thomæ hospitalis domus constructa est, casu fortuito deveniret. In qua quidem divulgatum est quod quædam juvencula mulier quasi idiota pueris eam et aliis sequentibus et irridentibus evagaretur. Audiens autem Ricardus serviens Gilberti superius memoratus quasi ad spectaculum cum cæteris et ipse accurrit. Qui cum propius accedens eam agnosceret, statim cum summa festinatione recucurrit ad dominum suum, narrans ei secreto hanc filiam Amiraldi fuisse ad quam admirationis causa intuendam hominum copia confluebat. Quo audito, supra modum admirans nec credere valens, eo quod impossibile ut sic eveniret omnino videretur, dominus Ricardo non potuit fidem dare donec ipso in juramento diutius persistente minus incredulus aliquantulum redderetur. Cogitans tandem causam adventus ipsius, arbitratus est tamen consultius ei alibi providendum quam eam secum in domo propria retinendo, jussit Ricardo ut ad quamdam matronam viduam ei vicinam eam adduceret, quæ ipsam tanquam filiam suam in omnibus exhiberet. Quem cum videret puella et ipsum agnosceret, mox quasi mortua cecidit jacens in exstasi resupina. Cumque ab illa mentis alienatione expergefacta ad se reversa resideret, ad dictam matronam Ricardus eam sicut dominus ejus imperarat adduxit. Gilbertus vero de adventu puellæ secum pertractans cœpit animo fluctuare per diversa, et cogitationes concipiens invicem repugnantes, incidit in mentem ejus episcopum Londoniensem consulendum adire apud Sanctum Paulum, ubi quadam die sex episcopi aderant super arduis regni negotiis vel Ecclesiæ tractaturi. Quibus coram positus, cum rei gestæ veritatem superius memoratæ per ordinem exponeret, mox Cicestrensis episcopus præ cæteris propheticam prorumpens in vocem, indubitanter asseruit hanc vocationem non humanam sed potius fuisse divinam, et necessario magnifici operis prolem edituram, cujus sanctitate et labore universalis esset Ecclesia ad Christi gloriam sublimanda. Concordantibus et cæteris qui aderant

episcopis in hanc sententiam et ut idem Gilbertus puellam, dummodo baptizari vellet, duceret in uxorem, adducta est statuta die in crastino in Ecclesiam Beati Pauli dictorum episcoporum in præsentia, ubi et baptisterium competenter exstitit præparatum in quo debuerat baptizari. Cumque interrogaretur in medio posita, prout mos exigit Ecclesiæ, per sæpedictum Ricardum communem eorum interpretem si vellet baptizari, respondit: « Hujus rei causa a valde remotis huc adveni, dummodo Gilbertus velit mihi in conjugio copulari. » Baptizatur igitur puella, sex episcopis grande cum solemnitate baptismi agentibus sacramentum, eo quod præclari sanguinis esset femina imo vocatione clarior admodum et divina. Gilberto traditur mox ab episcopis in conjugium cum celebritate, conjugali breviter de fide Catholica prius instructa. Quam cum ad propria duceret, prima mutuæ in unum concordiæ nocte sanctum Thomam futurum Cantuariensem archiepiscopum et martyrem genuerunt. In crastino vero Gilbertus tanto ad terram sanctam afficiebatur desiderio revertendi, quod suspiriis agitatus magis assidue quam frequenter vultum tristitiæ prætenderet insuetum. Cogitat interea uxoris suæ juvenculæ tenerum sexum fragilem, ætatem lubricam, linguam etiam patriæ ignotam et ob ista nimirum pericula non parva per absentiam suam eidem posse de facili provenire. Uxor vero ipsius cum vultum illius secus quam heri et nudiustertius animadverteret in diversa mutatum, metuebat vehementer et cogitabat, ne forte ipsa esset causa. Institit igitur precibus diebus ac noctibus, sciscitando tantæ tristitiæ veritatem, nec aliquando destitit donec patefacta plane fuerant quæ latebant. Gilbertus igitur precum instantia fatigatus cum desiderium suum uxori reserasset, illa vero utpote magnæ spei mulier et in fide Christi roborata non solum voto viri sui annuit, imo rogavit et hortabatur ut quid concepisset in mente quo complacere suo crederet Creatori, nulla de se habita consideratione tam prompte exsequeretur quam devote, et adjecit : « Spero, inquit, firmiter et de Deo meo tantum confido qui ad agnitionem sui nominis me vocavit, quod te etiam absente me non deseret sed sicut et priusquam ipsum agnoscerem ab omni intactam periculo conservabit; tantum pro solatio peto Ricardum mihi relinquas, eo quod lingua mea melius eruditus necessitatibus meis cæteris potius noverit ministrare. » Quibus auditis, Gilbertus admodum lætus effectus parat sibi necessaria. Ordinatisque quæ uxori suæ et familiæ competebant quam citius poterat Hierosolymam profectus est ubi per tres annos et dimidium moram faciens postea repatriavit. Invenitque Thomam filium suum admodum forma decorum et cunctorum in oculis intuentium gratiosum.

CAPITULUM III.

DE VISIONIBUS MATRIS EJUS PER QUAS FUTURAM CREDIMUS SANCTÆ SOBOLIS EXCELLENTIAM PRÆFIGURARI.

Brevi ergo intervallo, etc., *usque ad* figuravit [*eadem et hæc quæ apud Edwardum Grim reperias, supra, col.* 3-4.]

CAPITULUM IV.

QUALITER SE HABUERIT IN JUVENTUTE.

Jam puerilibus annis evolutis, optimis cœpit pollere moribus, ingenio clarus, acceptus eloquio, vultu juxta gravitatem jucundus, venustus aspectu, forma satis elegans, gratum sese omnibus et amabilem exhibebat. Quem etiam secundum utrumque hominem multiplici naturalium gratia bonitas ditavit divina, ut in mysterium magnum vas videretur excisum, et ex naturæ beneficiis futurus prædiceretur antistes : quemadmodum visio cœlestis puerum adhuc plenius intimavit.

Nam, dum aliquo tempore febre corriperetur, et ipsa invalescente ardens jam sensim per omne corpusculum ex intimis sudor erumperet, visa est domina quædam statura procera, vultu placido et aspectu decora, in lecto decumbenti astitisse, et puero de sanitate pollicita confortato, duas claves aureas tradidisse sibi in manu in hæc verba : « Thoma, » inquiens, « hæ sunt claves paradisi, quarum tu adhuc es habiturus custodiam : » et, his dictis, disparuit.

Tempore autem quo pater ejus in religiosa domo Mertoniæ eum priori Roberto aliquandiu nutriendum tradiderat, venit quadam die pater filium visurus : introductoque puero coram priore pater procidens pronus adoravit. Indignans vero prior ait illi : « Quid agis ? procidis ad pedes filii ? quod ei facis ille facere tibi deberet. » Cui pater in secretis ait : « Domine, ne mireris, scio ei quid facio : erit quidem puer iste magnus coram Domino. » Expavit nimirum pater tam mirifica de filio sibi divinitus revelata, quæ tamen præ admiratione sub sigillo silentii censuit occultanda. Postquam vero litterarum studiis traditus liberales artes attigit, quatenus lascivia ætatis et angustia temporis promisit, in illis profecit.

Ab ineunte autem ætate, sicut referre solitus erat, didicit a matre timorem Domini et beatam Dei genitricem tanquam ducem viarum suarum et vitæ patronam dulcius invocare : et post Christum in illam totam fiduciam jactare.

Matre vero defuncta, sibi patrique relictus vicesimum secundum ætatis annum otio impendebat. Parisiis vero per aliquot tempus studens, reversus, receptus est in partem sollicitudinis reipublicæ Londoniensis, ubi laudabiliter se habens didicit prudentiam hujus lucis, qua postmodum probe noverat communia Ecclesiæ Anglorum et publica totius regni negotia manifeste tractare, venitque ad virum quemdam in civitate genere insignem et multarum pos-

sessionum præcipuum cui firmiter adhæsit : varias A sæculi sequens curiositates nunc venatu nunc avium captura quibus maxime pascebatur animus juvenilis. Pro libitu nunc domi cum patre, nunc rure cum divite morabatur. Factumque est ut in hunc modum dimissus sibi scholaribus studiis præpropere renuntiaret. Die vero quadam accidit ut ad ripas eunte Thoma simul cum divite, motam de flumine anam accipiter insequeretur, secutusque divertentem in flumine cum ipsa pariter mergebatur. Quod videns adolescens, miseratus accipitrem jam periturum, equo desiliit, seque in gurgitem ut avem eriperet præcipitavit ; sed priusquam avem contingeret raptus ipse intra alveum fluminis, et nunc mersus sub aquis, nunc undarum vi impellente levatus periclitari cœpit, et penitus periisse putabatur ab intuentibus B dum nullus adesse potuit qui manum porrigeret pereunti. Denique ad molendinum, quod tunc forte molebat, aquæ tractu perlatus, ubi primo aquæ exitibus propinquavit, stetit rota nec se movit semel, quousque vivus quidem sed vehementer afflictus adolescens extractus est. Sed fovit afflictum medica manus Salvatoris, quem inter undas desperatum protexit ne exstingueretur lucerna futurus in Israel, cujus morte pretiosa tanta cernimus beneficia provenisse.

Ad curiales itaque se transferens occupationes, cœpit in florem sæcularis prudentiæ pubescere, et fructu discretionis pollere. Tanto namque rationis vigebat acumine, ut prudenter inauditas et difficiles solveret quæstiones ; adeoque felici gaudebat memoria, ut quod semel in sententiis aut verbis didicerat, fere quoties volebat posset sine difficultate proferre: quod multi litteratiores assequi non valentes, tantam mentis perspicacitatem, præsertim in homine variis occupationibus dedito, miraculo ascribebant. Nimirum dispensatio divina, quem vocabat ad majora, ita erudiebat et exercebat in minoribus, quasi in quibusdam futurorum præparatoriis ut in collationibus aut sermonibus (ut dici solet) ad manum necessaria haberet. Ad præsagium etiam futuræ constantiæ ferunt adolescentis animo tam pertinaciter adhæsisse amorem veri, quamvis sæcularia sectaretur, ut vix aut nunquam joco vel serio quidquam protulerit contrarium veritati : et quam perfecte id ipsum impleverit, postquam factus est vir, sequentia declarabunt.

(*Post hæc quadrilogus iste prior fere ad verbum concordat cum secundo quadrilogo, de quo posthac dicturi sumus. At pro tribus quinque libros complectitur ; quorum quartus* De Gestis post martyrium *est ; quintus epistolas quasdam circiter* 70 *continet. Quod dixisse sufficiat de hac compilatione. Liber ipse, quo continentur hæc, jam rarus factus, satis magni pretii æstimatur et venditur. Est in blibiotheca Sancti Audomari liber ms. de Vita S. Thomæ, qui idem fere est cum primo quadrilogo edito, et præter ea paucula de obsidione Tolosæ ex opere Willelmi filii Stephani excerpta habet.*)

VITA SANCTI THOMÆ

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS,

AB ANONYMO QUODAM SCRIPTORE EX ALIORUM SCRIPTIS COMPILATA.

[*Edit. Bruxellis* 1682.]

INCIPIT VITA B. THOMÆ MARTYRIS ET ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

De plurium narratione collecta, magis extensa, quam sit infra, quam scribi fecit dominus Petrus Rogerii, Gregorius papa XI.

Post summi favoris dote vestitos præclaros pugiles, qui auspicato pugilari a cunis, ubi vagiit, usque mucronem, quo occubuit, Thomæ depinxerunt universa, si in opus simile pygmæam manum extendam ad calamum, erga benevolos deprecantur præsumptionem imperiosæ vires amoris in martyrem. Porro Joannes Saresberiensis, magister Herbertus de Bosaham, Willelmus Cantuariensis, Alanus abbas Teokesberiensis, quatuor veredarii de linificæ linguæ quadriga, per quatuor mundi climata nostri aurigarunt agonem athletæ, et vernantis purpura eloquii excellentis inaurentes materiæ majestatem per se C commendabilem potentia plus placendi festinant historiam. At hic contractæ frontis imaginari mihi videor objecta : « Quid igitur consummato opere tibi sumis operis, consumis operam, fessoque milite campo nudato, serus præliator cassas ducis excubias? Quid sumpto bravio gigante sopito, inane se inanus præcingit ad stadium ? Quid cygneo illo tubis ductilibus decantato, fragili modulari paras avena, cum nec de dicendis aliquid omissum, nec quidquam de dictis limari timeatur ? »

Paucis, oro, sustineat sugillator meus, si forte nævum temeritatis queat eluere professio veritatis Historiographos superiores relegenti occurret hinc mater tædii extensa prolixitas, hinc exprimendæ veritatis noverca succincta brevitas, Heribertus, utpote qui per singula dicere potuit ex scientia, qui quæ vidit et audivit testatur, amore magistri extra

metas actus compendii, cum nihil linqui intactum, narrationem protelat in immensum. Joannes, potestatis publicæ turbine mota procella, citra perfectum stylum excussit. Reliqui duo nec satisfacere rei gestæ summam sitienti nec fastidiosi lectoris evaserunt supercilium. Hinc mihi studium opus compendinare sumptuosum, brevitate consulere delicatis, nec studiosos fraudare veritate : ob id vel maxime cum dicatioribus, Heriberto scilicet et Willelmo diffusioris silvæ percurrens opaca ; cum castigatioribus, Joanne videlicet et Alano, contractioris hortuli sinum ingressus, ex omnibus micantiores mihi flores congessi, excerptorisque functus officio aliena respersi codicem redolentia : de totius structura fabricæ nihil mihi appropriàns præter rudem schedulam fundamenti locum vindicantem.

Sed et ne in aliquo liber furti oblitteretur calumnia auctores domesticos gerit in margine pagina peregrina, ut de communi quid singuli sibi specificent operis, e regione locatum nomen loquatur opificis. Sane quia sine fili catena in vestem non conveniunt commissuræ, nec sine cæmenti fœdere lapides levantur in murum, ansas tantum cortinis innexui, tabulisque inserui incrustaturas, quibus firmius cohæreant, quæ hujus contingant tectum fœderis. Ut autem in spatiosi campi latitudinem transvolandam equus admissus, si ad horam lora retrahas, pede parum feriato novum ardentius fervet ad cursum, ita et nos, ut lectori subinde a cœpto respiranti demum hilarior renascatur aviditas lectionis, in tres partes opus distinximus.

Prima a puero ad exsilium extenta instar synapis minutissimœ fidem mentis serit in hortulo, quæ primum præ parvitate resupina pompæ sæcularis fefellit intuitum, sed postea altiorem evadens in arborem, avibus cæli requiem ministravit et umbram.

Secunda sub exsilio trituræ texit acerbitatem, ubi spe requiei, quam sibi præparavit in horreo, ab area resilire triticum supersedit.

Tertia in passione supereminentiorem aggressa viam Apostoli, ut Christum lucrifaceret, propriæ vitæ factus prodigus, cruoris probavit profluvio, quod nec gladius, nec mors eum separare prævaluit a charitate Christi. Ibi nutantem Ecclesiæ libertatem in statum evehens firmiorem, sui objectu sanguinis imminentem jam repellit ruinam ; et quod nos infirmiores, etiam ad nomen lupi trepidantes, eventu duximus impossibile, ipse leoni occurrens factu facile suo monstravit exemplo : quod scilicet, » Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. »

Verum si in opusculi hujus laniationem edax exacuit livor mordacium, unum quod objiciam mutuo sumpsi responsum :

Omnibus invideas, livide, nemo tibi.

(*Ita prologus : quæ inde sequuntur, videlicet capitulà novem libri primi nihil nisi excerpta sunt e libellis Joannis, Alani, Herberti et Willelmi Cant. Post* A *ea sequitur cap.* x, *ubi inveniuntur multa quæ mihi videntur hiatum supplère qui in Herberto de Bosham est, ad cap.* 7 *lib.* III *Vitæ S. Thomæ, infra.*

Vel ideo, ne aliorsum, ut plerumque contingebat eum traheret occupatio. Quod cum contingebat, tunc quidem per unum fratrem, ad quem pertinebat de egenis, hoc ipsum adimplebatur. Vel ideo certe sub nocte, quod nequaquam foret sub luce tam devota vocatio. Et vere tunc devota vacatio, et devotissima. In eo noctis vacans devotio. Cerneres quippe pontificem in profundæ noctis silentio, quasi lucem in tenebris, singulorum edibus advolutum, a singulis orationem petere, et plorare per singulos. Et velut aquarum exitus lacrymæ deducebantur per oculos, adeo ut lacrymis plus quam aqua singulo- B rum pedes lavari viderentur. Secundum vero fiebat convivium, non jam in furto noctis factum, sed diluculo. Ecce enim egredientibus e cœlesti convivio illis tredecim, quibus pontifex præcinctus ministraverat, ingrediuntur alii duodecim, quibus discumbentibus frater ille, qui ad usus pauperum portabat loculos, vice pontificis, humiliter et devote singulorum pedes lavans, ministrabat, sine argenteis quidem, sed in cibis abunde. Tertium vero in processu lucis circa horam diei tertiam fiebat convivium, centum ex iis qui dicuntur præbendarii, pauperibus introductis. Quibus duo fratres, ad quos de egenis pertinebat, ministrabant. Et quidem triplex mensa pontificis per singulos dies has quotidie tres mensas ponentis, quasi quotidie tres missas celebrantis : pri- C mam in nocte, secundam in aurora, tertiam sub luce plena. Revera in hoc mystice, unctione magistra, edoctus, ut ita videlicet tribus mensis his, tanquam tribus missis, Deo gratis hostiis nova Salvatoris nativitas suam in ipso novitatem, tanquam nativitatem roboraret, ut, quem sub peccati jugo vetusta servitus tenuerat, nova Christi nativitas liberaret, et ita novus homo novum hominem Christum indueret.

Igitur post synaxim decantatam, evangelica illo convivio, in quo, ut diximus, ipsemet ministraverat, soluto, brevis somni ob sensus reparandos sopore prægustato, cæteris adhuc dormientibus, solus ipse ad sacros codices manicabat. Et ad aperienda secum sacræ Scripturæ mysteria uno duntaxat suorum, aliquantisper, ut sibi visum est, in his exercitato, accito tanquam apertis cœli cataractis, summo mane in D alimoniam spiritus manna cœlestis refectionis colligebat. Hic erat discipulus, qui testimonium perhibet de his, et vidit et scripsit hæc, scilicet magister Heribertus de Boseham. Per Scripturarum quippe tot profunda et opaca, sicut ipse confitebatur, si absque duce incederet, semper metuebat errorem. Unde et in planis intelligentiæ suæ testem, et in obscuris semper me suæ inquisitionis ducem expetebat. Verum finita collatione mox excludebatur, qui accitus fuerat, et solus pontifex in conclavi suo remanebat inclusus, tanquam in sponsi cellam vinariam introductus, ad quem nulli nulla ex causa, etiam usque ad diei tertiam, nullus erat accessus. Ecce Thomas,

qui etsi manum jam ad fortia miserit, et sicut prælatione, ita et quadam operum altitudine virtutum conscenderit speculam, tamen in Scripturarum via, tam humiliter, tam simpliciter gradiebatur, ut in hac, nec eruditorem præcurreret, nec præsumeret de se. Unde hic, qui inter vepres et spinosa sæculi a longo tempore jam inveteratam ruditatem contraxerat, adeo est in brevi eruditus, adeo cœlesti illo manna, quod in mane per singulos dies colligebat, refectus, ut et aliis jam eructaret quod gustavit, et super omnen aquam nunc in clero, nunc in populo semen verbi Dei seminaret. Tanto etiam Scripturarum amore ferebatur, ut sæpissime inter viandum deflexo, in partem equo, accito supra memorato discipulo, in via sacræ eruditioni intenderet, hoc sæpius iterans : « O, inquit, si mihi daretur, ut sæculi curis et causis semotis, in otio et quiete hujuscemodi possem intendere! Quam fructuosam, favente Domino, his impenderem operam! Et quam studiose perditi temporis repararem jacturam! » Schedulas in manicis suis laxis complicare consueverat ædificationis aliquid non spernendum continentes, ut ita legendo semper promptius penes se haberet quod diceret. Illud etiam non tacendum, sed quasi extollendum præconio, quod semper secum habuerit multos et magnos viros, omni morum et vitæ honestate præditos, et scientiæ eruditione præclaros, in Scripturarum planis promptissimos, in mysteriis exercitatos, in sacra vero collatione fructuosos, adeo ut inter istos quotidie quivis sapiens sapientior fieret. Quod multum pontificis proposito et desiderio favebat. Cum enim vacaret, non modicum ex his sapientia et scientia proficiebat in dies. Quorum eruditorum catalogum, favente Domino, circa ultimam totius historiæ hujus calcem seriatim, et singulorum ex ordine ponendo nomina, ordinabimus.

Cap. XI. *Qualis fuerit in officio altaris.* Hora igitur diei jam tertia egrediebatur pontifex de conclavi suo, sacerdotali ministerio sacra cœlestia consecraturus. Illos vero nunc pertranseo dies, quibus ipse solum intererat. Non enim conficiebat hoc diebus singulis : quod, ut ipsemet confitebatur, non negligentia, sed reverentia faciebat. Et quia inter bonos sacerdotes et sanctos in hoc observantia variat. Quidam enim singulis, alii vero certis diebus conficiunt. In conficientibus quidem videre mihi videor grande conversationis sanctæ argumentum, in aliis vero reverentiæ et humilitatis indicium. Scripta vero canonica, sicut nec jubent, nec inhibent, nec dissuadent aut suadent ut sacerdos quotidie offerat, sed hoc testantur quod una die semel offerre sufficiat, quemadmodum et semel oblatus est Christus. Illum vero valde felicem prædicant, qui in die una digne celebret. Illos autem impræsentiarum, nec memoratu dignos, non Christi, sed mammonæ sacerdotes prætereo, qui propter oblationum quæstum, unam Christi et semel oblatam hostiam quotidie non semel, sed libentius iterum non tam consecrant, quam dilaniant, Filium Dei quæstui habentes et

A ostentui. Contemptis igitur his, ad magnum sacerdotem nostrum revertamur, inter illos reverendos Altissimi sacerdotes numerandum, qui quotidie verentur et reverentur offerre. Igitur mox ut beatus Thomas parabat se ut offerret, et mystica illa et sacerdotalia indumenta offerebant ministri, mox in primo visu, necdum etiam his ornatus, totum se concussit et effudit. Effudit, inquam, cor et excussit adeo, ut quidam lacrymarum fons emanaret a capite. Cum vero sacerdotalibus jam ornatus, altari, pro suis et populi delictis prius oraturus, et post oblaturus, astaret, adeo humiliatum erat cor ejus et contritum, ut inter sacra deprecatoria cum lacrymis singultus magis ponerentur, quam verba. Qui etiam ob vanas et vagas cordis cogitationes reprimendas B inter celebrandum, dum ministri in ea missa, quæ catechumenorum dicitur, spiritualibus intenderent canticis, semper aliquem ethicum in manu tenere consueverat. Et frequentius ea hora habebat in manibus quemdam orationum libellum, quem unus prædecessorum suorum, vas catholicum, hæreticorum baculus, malleus tyrannorum, Scripturarum armarium, Evangelii tuba et columna justitiæ, beatus Anselmus stylo sicut salubriter pungitivo vel pungitive salubri et eleganti ex intimis sanctæ devotionis suæ medullis exceperat. Hunc, inquam, habebat ibidem ab oratione ad lectionem se excipiens. Deinde vero totum hoc speciale orationis genus, quod missa dicitur, festinanter semper consummare consueverat : In missæ introitu dicta una C collecta sæpius, interim tribus, pluribus vero, aut vix, aut nunquam. Et primaria quidem institutio fuit, ut una tantum diceretur, ut sicut est epistola una, evangelium unum, et collecta esset una. Postea vero processu temporis plures sunt additæ, quæ tamen secundum formam canonum, numerum septenarium non excedunt. Hanc autem in hoc speciali orationis genere brevitatem, et in sacramentali carnium Agni immaculati esu festinantiam, propter illum verebatur Domini transitum, edoctus a Domino sacerdos hujusmodi observabat, juxta quod in lege scriptum est : « Et comedetis festinanter : » est enim phase, id est *transitus Domini.* Comedebat itaque festinanter propter immissiones per angelos malos, perniciosum scilicet vanarum cogitationum superD ventum, in sacramentali Dominici corporis perceptione, non tardus, non morosus, non nova præterquam in canone constituta sunt adjungens, verum ea præsertim hora profundissimas tanquam ex intimis pietatis visceribus lacrymas profundebat et singultus, tanquam attacta Christi vulnera tota intima cordis excutiens viscera, et effundens. Huic tantæ devotioni testimonium perhibere poterunt, quotquot sæpius publice offerenti astabant. Manus etiam suas excutiebat hic vir ab omni munere, et a domo sua sordes avaritiæ prorsus eliminabat.

(*Secundus hiatus, quem in libello Herberti ad cap. 9 libri* III *Vitæ S. Thomæ, infra, invenies, videtur mihi ex sequentibus suppleri posse.*)

Et mox cum nobili illo eruditorum suorum catalogo discubiturus procedebat in publicum. Et discumbens in medium a dextris eruditos suos, monachos vero et religiosos statuit a sinistris : milites vero, cæterique potentes separitim semper et per se discumbebant seorsim; ne videlicet ipsos non intelligentes molestaret lectio, quæ quotidie in mensa pontificis ab initio usque ad finem discubitus personabat.

(*Festinemus jam ad librum secundum qui incipit his verbis* :

Cap. I. *Quid sit gestum in curia, cognita archiepiscopi fuga.* Expeditis in superioribus his, ex quibus dissensionis inter regem et archipræsulem orta est materia, quantisque et quibus injuriis appetitus contumeliis lacessitus, et furoribus concussus, compulsus sit beatus Thomas fugæ præsidium quærere ad exsilii ejus historiam, et in exsilio gestorum ordinem expediendum procedamus...., etc....

Explicit liber secundus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Post fidei et spei viriliter jam transcursa stadia, in quibus beatus Thomas et summæ constantiæ et eximiæ patientiæ inexemplificatum sæculis postfuturis et argumentum exhibuit et exemplum, ad super eminentioris viæ, charitatis scilicet diffusioris, sudorem attentius contemplandum accingamur, per cujus ad metam perventum æternæ mercedis a summo judice præ participibus suis percepit bravium. In charitatis siquidem latitudine semitarum sic direxerat Deus gressus ejus et pedes perfecerat, ut nec minis persequentium territus a Dei sui dilectione aliquatenus deviaverit, nec promissis blandientium emollitus naufragantis matris Ecclesiæ vel fratrum proximorum justis provectibus studere omiserit, quin potius charitatis ardore succensus et pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et tandem animam suam pro ovibus sibi commissis posuit. Sed hæc studioso lectori subtilius perscrutanda relinquentes, cœptum historiæ ordinem prosequamur. Verum, ut passionis et triumphi sancti viri veritati certior fides habeatur, in hac particula testem quintum quatuor supradictis addimus, piæ videlicet memoriæ Benedictum, postea multa ejus probitate promerente abbatem sancti Petri de Burgo, qui ipsa die qua martyr victor occubuit, inter familiares illius familiarius illi assistens, quæ vidit et audivit, veraci stylo testis fidelis ex ordine singula digessit... etc.

GESTA POST MARTYRIUM.

[*Librum tertium excipit tractatus qui titulum præfert* Gesta post martyrium, *cujus magna pars ex Herberti de Boseham Libro Melorum excerpta est. Quæ hic damus, nescio unde veniant.*

Cap. I. *Quomodo rex facinus doluerit, et conatus fuerit se expurgare.* Cum audisset rex Anglorum gladiis suorum occubuisse beatum Thomam, post paucos dies misit clericos suos ferentes litteras, qui Cantuariam venientes congregatis fratribus dixerunt: « Infortunium, fratres, quod penes vos accidit, eatenus dominum regem contristavit, ut ab introitu ecclesiæ per triduum abstinuerit, cibumque a die qua audivit, usque in tertiam, præter lac amygdalarum, non sumpserit, consolationem non admiserit, nec in publicum prodierit, sciens in suam redundare infamiam quod suorum actum sævitia, nec facile posse persuaderi quin videatur animam ejus quæsisse, quem toties doluerit suis obviasse decretis, quem solum senserit in regno suo sibi impedimento fuisse, quo minus res ecclesiasticas ordinaret. Res quidem detestanda expleta est, et facinus inauditum, tantoque minus ejusmodi conscius fuisse credendus est, quanto magis eum in innocentia servasse usque in hodiernum diem dubium non est. Unum est, quod mordet ejus conscientiam. Cum enim omnes qui coronationi filii sui interfuerunt, excommunicatos accepisset, dolorem suum dissimulare non poterat, quia jam fomitem omnem irarum et inimicitiarum sub inita pace sopitum putabat, vocatisque necessariis suis de resuscitata injuria querimoniam deposuit, qui ejus compassi sunt dolori, eoque vehementius moti sunt quod eum persequebatur ille quem promoverat. Unde eo nesciente vindicaturi ejus injurias, ac per hoc placere ei putantes, a curia latenter recesserunt quatuor illi qui flagitium perpetraverunt. Quod cum audisset, sciens eos ferocissimos, omniumque nequissimos, qui infra terminos regi sui continentur, veritus ne quid ageretur quod in regiam redundaret infamiam, evestigio misit expeditissimos, qui portus præoccupantes filiorum Belial insaniam prohiberent. At illi velut aspirantium obsequio ventorum in miseriam suam transierant, præter conscientiam ejus explentes, quod in perpetuum oblivioni non tradetur. Die enim qua facinus expletum est, apud se præsentes eos esse putabat. Hoc, fratres, missi sumus vobis intimare, ne de tanti principis serenitate sinistrum quid suspicemini, sed si quid culpæ contraxit in eo quod aliquid dixisse videtur quod ad facinus aggrediendum grassatores invitaverit, vestris orationibus convenit expiari. Et nunc corpus jubet honeste tradi sepulturæ, ut apponatur ad patres suos. Non enim mortuum persequitur, licet viventem infestum habuerit, sed quidquid in se deliquit, animæ remittit. Non retrovexationes attendit, non irrogatarum sibi ut regi reminiscitur injuriarum. »

Posset quibusdam per hæc regis innocentia purgata videri, nisi regiam serenitatem regiorum obloquia satellitum suspectam reddidissent. Siquidem cum Willelmus de Mandevilla de transmarinis partibus Cantuariam venisset, inquit : « Si primatem invenissem, super his quæ spectant ad regiam dignitatem, distincte convenissem ; et siquidem secundum beneplacitum postulatis acquievisset, pax fieret; sin autem pertinaci contumacia refragari præsumpsisset, procul dubio compellendus erat ut cederet. » Sed et alii similiter minabantur, quod si

ausu temerario proditorem regis occuluissent mona- A chi, omnes latebræ eorum ad unum stipitem inflammatæ corruissent, ut vel victi capite plectendum exhiberent quem regiæ reum majestatis in propriam perniciem protexissent. Nonnulli vero prohibebant eos lugere seditiosum illum, qui totum regnum conturbaverat, ne cum eo pariter traherentur ad luctum. Et hæc et his similia regiam conscientiam reddebant suspectam.

—

De pœnitentia regis. Divulgato igitur tam lethali facto undique, mox ut ad regem Angliæ pervenit, afflictus est, ut supra diximus, afflictione magna. Et in nominatissimo illo Normandiæ oppido, quod Argentolium dicitur, per quadraginta dies sedit mœrens. Quo toto illo pœnitentiali dierum numero B acerbiorem multo plus quam mortuorum luctum fecit, lugentium cibos comedit, equum non ascendit, nulla jurgantium causa, nulla agendorum consultatio, nulla pulsantium querela ingrediebatur ad eum, nulla tot terrarum regendarum sibi cura proponebatur, quasi omnia tunc postponendi præ dolore. Sedebat quippe solitarius, super hoc quod acciderat ingemiscens semper et dolens, et sæpe et sæpius iterans: « Heu, heu accidisse, mihi ! » Et quidem pœnitentis regis hæc erat salutis providentia. Mox enim in primo sacrilegii auditu viros magnos et industrios ad Romanum pontificem Alexandrum destinavit, ab ipso tanquam summo Ecclesiæ patrono et patre omnium consilium quærens quid agendum, et sicut credibile est, humiliter in quo excesserit C confitens. Verum quia confessio, sicut nec per scripta, nec per personas interpositas fieri solet aut debet, et viva vox confitentis, quo plus auget devotionem, eo plus habet virtutis, vir apostolicus a latere suo duos cardinales misit, piæ memoriæ magistrum Theodwinum Portuensem episcopum, et Albertum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarium, viros certe omni religionis sanctitate et scientia præditos, qui et ipsos regni ob supradictas causas anathematizatos vel suspensos canonice absolverent, et regis postulantis saluti providerent. Itaque ad regis et totius Ecclesiæ consolationem hi missi sunt. In quorum adventu absolutionem, quam non meruerant, de clementia domini papæ, et eorum qui missi fuerant, obtinuerunt. D

Cap. VIII. *De morte Henrici regis junioris, archiepiscopo præostensa per visum.* De morte vero pueri Henrici regis junioris, archipræsuli præostensa spiritualiter, hic tacere non possumus. Cum esset archiepiscopus adhuc in Gallia Senonis civitate peregrinationis suæ una noctium post decantatam nocturnum, ut pausaret, in lectum suum se recepit. Verum, sicut ipse confessus est, curis et cogitationibus se tunc, ut solent, ingerentibus, somno indulgere non potuit. Inter alia vero de domino rege Anglorum, de ejus magnitudine, de ejus prosperitate in filiis, in divitiis et latis potentatibus cogitatio subiit. Super his diutius cogitans, et præserrim de filiis, et inter filios potissimum de primogenito ipsius Henrico, quem præ cæteris diligebat, et de quodam alio. In crastino tamen, sicut referebat, se pro certo scire nesciebat, de quo aliorum cogitasset tunc, an de Ricardo tunc comite Pictavorum, an de Galfrido Britanniæ comite. Cum igitur de rege patre et de filiis cogitaret sic, desiderabat scire quid futurum esset de his, et quales circa hos dispositiones Altissimi. Et cum aliquandiu cogitaret sic desiderans, inter cogitandum hæc cœpit quasi dormitare. Et ecce facta est ad eum vox, per ipsam vocem versu quodam hexametro sibi expresso. Versus autem hic erat :

Mors tulit una duos, tulit altera, sed male patrem.

Nec arbitretur quis versum hunc quasi a dormitante aliquo casu compositum, quam etiam vigilanter vigilans non componeret, utpote qui versificandi, nec etiam sub scholari disciplina artem tetigerat vel in modico. Versum vero auditum sic suis in crastino retulit, et gemebundus adjecit: « Proh! dolor, Henricus noster, antequam pater vel fratres sui, morietur ! » Et vere in morte Henrici, proh ! dolor, et unde dolor, archipræsul vaticinii sui fine nimis verus propheta probatus est. Pariter et in Galfridi morte archipræsulis vaticinium adimpletum est ; post Henrici mortem quinto, sextove anno ante patrem mortuo sic hoc et illo. Et quod accedit miraculo vaticinium plus commendans : « Mors tulit una duos. » Vere una mors, quia eadem mortis species, ambobus fratribus his morbo dyssenterico interemptis. Bene quidem et sancte de medio sublatis, ut qui interfuerunt, testati sunt. De patris vero morte, de qua etiam prædictus versus vaticinari visus est, supersedemus dicere, quoniam fere toti mundo nimis nota est, et eam legentibus, et maxime eam scientibus plangenda est, quod tantus talisque princeps tali modo, et tam subito de mundo migravit. Pro quo ab omnibus pie credentibus orandum est. ut sicut pacificus et pacis amator erat, ab eo qui pacis auctor est et amator, pacem et requiem consequatur sempiternam.

—

CATALOGUS ERUDITORUM B. THOMÆ.

(*Iste tractatus ex opere Herberti verbatim desumptus est.*)

—

CAUSA EXSILII ET MARTYRII B. THOMÆ MARTYRIS.

Huic etiam libello nostro inserere studuimus funestum illud et famosum decreti chirographum, consuetudines videlicet illas regias, apud Clarendunam promulgatas. Quas ideo hic interserimus, ut legant sæcula futura post, et hinc cognoscant quam justa, quam perspicua fuerit gloriosi neomartyris Thomæ, primo exsilii, et postea martyrii causa.

Capitulum I. *De advocatione,* etc. [vide apud eumdem Herbertum.]

Aliæ constitutiones. Hæ sunt constitutiones quas A constituit rex Henricus in Normannia, proscripto beato Thoma, et mandavit justitiis suis, Ricardo de Luci, et duobus archidiaconis, Galfrido Ridel archidiacono Cantuariorum, et Ricardo archidiacono Pictaviensi, et omnibus principibus et populis Angliæ juranda et servanda contra papam Alexandrum et Thomam archiepiscopum. Harum latores fuerunt Winierus presbyter et cappellanus, et Walterus de Grimesbi vicecomes.

Cap. I. Si quis inventus fuerit litteras ferens domini papæ vel mandatum, aut archiepiscopi Cantuariensis, continens interdictum Christianitatis in Angliam, capiatur, et de eo sine dilatione justitia fiat sicut de traditore regis et regni. [*Codices Bodleiani habent* capiatur et retineatur donec rex vel justitia- B rius voluntatem suam de eo præceperit.]

Cap. II. Nullus clericus vel canonicus vel monachus, vel conversus vel alicujus religionis homo permittatur transfretare vel redire in Angliam, nisi de transfretatione sua habeat litteras justitiæ, vel de reditu suo litteras domini regis. Si quis aliter inventus fuerit agens, capiatur et retineatur.

Cap. III. Nullus ferat mandatum aliquod domino papæ vel Cantuariensi : et si inventus fuerit qui tulerit, capiatur et retineatur, nec ullus appellet ad dominum papam neque ad Cantuariensem. Nec aliquod placitum teneatur ex eorum mandato, nec aliquod mandatum eorum in Angliam ab ullo homine recipiatur. Et si quis tenuerit, vel receperit vel tractaverit, capiatur et retineatur. C

Cap. IV. Generaliter quoque interdictum est, quod nullus ferat aliquod mandatum clerici vel laici domino papæ vel archiepiscopo. Si talis inventus fuerit, capiatur et incarceretur.

Cap. V. Si episcopi, vel clerici, vel abbates, vel laici sententiam interdicti tenuerint, sine dilatione de terra ejiciantur, et tota eorum cognatio, ita quod de catallis suis nihil secum ferant, sed omnia in manu regis saisiantur.

Cap. VI. Et catalla omnium domino papæ vel archiepiscopo faventium, et omnes possessiones eorum, et omnium eis pertinentium, cujuscunque gradus, vel ordinis, vel sexus, vel conditionis sint, capiantur, et in dominico domini regis confiscentur.

Cap. VII. Omnes clerici, qui reditus habent in Anglia, sint submoniti per omnes comitatus, ut infra tres menses veniant in Angliam ad reditus suos sicut eos diligunt, et deinceps in Angliam redire : et si non venerint ad præscriptum terminum, reditus eorum in manu regis saisiantur.

Cap. VIII. Et denarii beati Petri non reddantur ulterius apostolico, sed diligenter colligantur, et serventur in thesauro regis, et expendantur ad ejus præceptum.

Cap. IX. Londoniensis et Norvicensis episcopi sint in misericordia regis, et submoneantur per vicecomites et bedellos, ut sint coram regis justitias ad rectum faciendum regi et justitiis ejus de eo quod contra statuta de Clarendune interdixerunt ex mandato papæ terram comitis Hugonis, et excommunicationem, quam dominus papa in ipsum fecerat, per suas parochias divulgaverunt sine licentia justitiarum regis.

Proximum locum habent epistolæ quatuor quarum initia sunt: Sciatis hunc esse, etc., Gaudendum, etc., Redolet, etc... Quia vice be. etc... *Inde veniunt prologus Alani qui incipit* Honor, etc., *et prologus Joannis qui incipit* Sacrosanctam, etc. *Quibus omnibus adjecta est nota sequens.*

Horum actorum ac epistolarum collector his prologis subjungit sancti Thomæ vitam scriptam a Joanne Saresberiensi, et ex aliis supra laudatis ejusdem vitæ descriptoribus quædam circa gloriosi martyris certamen collectanea, quæ juvent ad intellectum epistolarum. Ipsorum corpus exstat in superioribus, ideoque non sunt hic repetenda.

Collector concludit.

PROLOGUS ET INITIUM

VITÆ S. THOMÆ

Quæ in Museo Britann. inter codices Lansdowianos n. 398 servatur.

INCIPIT PROLOGUS

Nota dicturus sum, et communi assertione comprobata : et quæ in conscientia et fidelium provectibus quibus epistola nostra dirigitur, imo qui epistola Christi sunt per fidem non scripta atramento, sed spiritu, certius et evidentius faciunt argumentum, quam in codicillo nostro. Sed utinam

veritatem nostram ita condiat Apicius, ut omnibus A proficiant ad ædificationem quæ dicturus sum, singulis placeant ad imitationem beati Thomæ pontificis et martyris, charitatis, humilitatis, patientiæque exempla supposita. Neque enim panegyricum falerare intendimus, sed historiam nudam retexere; non hodœporicum depingere, sed rem gestam simpliciter explanare. Non fucare abjecta, non palliare despecta, sed rerum veritati magis intendere quam sermonum venustati. Quidquid enim dicere potero, minus erit a laude martyris, nedum Dei in martyre glorificati. Ut ergo a primo exordiar ovo, ne principium faciam ubi non est principium, nec artificialiter juxta poetam :

Nunc jam dicam nunc jam debentia dici

ita dictis dicenda cohæreant.

Ne primum medio, medium nec discrepet imo,

dictisque fidem faciens veritas semper comitetur rationem. Sicut enim iniquum est blasphemare sanctos vel derogare, ita contra veritatem aliquid addere inacceptum est. Memoriam ergo præcipui martyris Thomæ silentio perire nolui, sed officio litterarum calami studio, scripturarum manibus, doctrinæ lingua, scientiæ oculis, posteritati commendam. Et licet ejusdem sancti vitam a doctioribus officiosissime tractatam non ambigam, amore tamen ipsius compulsus, offero et ego quod possum. A veritate autem nequaquam exorbitare disponentem, non sugillet aliquis personam suam aliter hic insertam prospiciens, quam ipse vellet. Quippe qui ante malus fuit, forsitan correctus est. Qui autem nondum corrigitur futurus est fortassis quod iste est. Si ergo de sancto martyre pro veritate historiæ prout actum est disseram, non succenseant B nec excandescant aliqui de iis etiam interseri quod verum est. Decet namque, sicut in ecclesiastica dicitur historia, scriptorem omnia veritati postponere. Sed si qui hujus sancti martyris vitam melius tractaverint, nullum facimus in hoc opusculo præjudicium, sed cedamus doctioribus ignoscantque qui legerint imperitiæ nostræ studioque dent veniam totum offerenti quod potuit, licet voluntatem suam implere nequiverit.

INCIPIT VITA

Igitur beatus archipræsul et martyr Thomas, mediocribus Londoniarum civibus ortus, ita gradatim ascendit juxta sæculi dignitatem, ut a paupere scholari in archidiaconum profecerit, deinde cancellarius regis effectus, in archiepiscopi dignitatem sublimaretur, ut ostenderetur horum profectu graduum in carne magnum profectum virtutum futurum in mente. Qui ideo a paupere ita sublimatur a Domino, ut tanto plus amaret, quanto de nihilo magnificatus est, vel ideo quia juxta Pauli sententiam stulta mundi elegit Deus ut confunderet sapientes, infirma, ut confunderet fortes, ignobilia et contemptibilia et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. Quid hoc stulto propter Christum sapientius ? quid hoc infirmo fortius ? quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Sed iste stultus Christi et infirmus, quare fortius hominibus et sapientius. In puerili ætatula adhuc subditus, neque multis profuit neque obfuit, quia adhuc impotens fuit. Nondum mirabilis in aliqua gratia quamvis jam præventus a magnifica gratia. Qualiter enim in ipso latuit lumen sub modio, pace ipsius sancti intimabo. Sicut enim grata est quies post laborem, sicut placet refectio post esuriem, sicut radiat dies post tenebras, ita clarescunt exempla bonorum præfatione et collatione antecedentium malorum. Quis Paulo sævior ? quæ Magdalena dissolutior ? Et tamen alter vas electionis Domini et doctor gentium exstitit, altera veræ, imo miræ C pœnitentiæ exemplum fuit. Ille minimus apostolorum in numero, maximus in gratia ; illa apostolorum apostola. Quis ergo desperet ? Neque præsumat quisquam ; respiciat malus Paulum et Mariam : timeat bonus judicis sententiam. Nec hoc dico quia beatus Thomas aliquando malus fuerit vel perperus exstiterit, sed quia bonum quod egit aliquando inchoaverit nondum enim beato Thomæ futuro Petro per fidem dixit Jesus : « Sequere me, » nondum futuro per spem : » Sufficit tibi gratia mea ; nondum futuro Joanni per charitatem : « Sic volo ut maneas donec veniam. » Adhuc onagrum dimisit liberum in deserto, et Dominus resedit super pullum asinæ qui erat sine jugo. Sed veniet dies illa in qua tibi, Thoma, dicetur : « Cum esses junior, cingebas te D et ambulabas ubi volebas : in proximo autem est ut alius te cingat et ducat quo tu non vis. » Sed jam historiam prosequamur.

Pater et mater ejus justi ambo coram Deo, in fide stabiles, in spe perseverantes, in charitate ferventes in eleemosynis affluentes, in hospitalitate prævenientes, Domini timentes, et omnes homines propter Christum honorantes, parci admodum sibi, et juxta facilitates suas cæteris affluenti largitate profusi, in sermone providi. Quis enim unquam dives vel pauper sine difficultate regnum cœlorum introivit? Neque enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Regnum siquidem Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ? Ut ergo copiosa esset beati

Thomæ rei familiaris renuntiatio, crevit possessio.

Promoto enim archidiacono Cantuariæ, universo clero postulante, populoque acclamante archiepiscopoque Theobaldo acquiescente, imo præeligente, beatus Thomas quasi qui bonis polleret moribus, in archidiaconatum feliciter subrogatur. In quo summopere studuit sicut et in priore conversatione secretum suum omnes latere, oculis vero summi Dei patere, soli Deo serviendum esse, dicens cum Moyse, diligens et contestans sine intermissione testimonium conscientiæ propriæ et non alienæ, nulli unquam alii quam sibi plus credens de se, dicens cum Isaia: «Secretum meum mihi, secretum meum mihi.» Vere sunt sibi ut tuum tibi ut omnium sibi. Unusquisque enim sibi vivit vel sibi moritur juxta illud: « Gloriam meam alteri non dabo. » Sed nec pœnam possum. Consulens ergo sibi beatus Thomas et seipsum consulens, in archidiaconatu suo, soli Deo et sibi manifestari studuit, sibi tamen displicere ut placeret Deo, recolens illud Apostoli: « Si adhuc hominibus placerem, Christus servus non essem. » Sine offensa conversans in se, sine querela ad proximos. Quippe primus perfectionis gradus est custodia sui, secundus misericordia proximi, tertius charitas Dei; primus innocentia, secundus beneficientia, tertius diligentia. Sed quia homo videt in facie, Deus autem intuetur cor, qui solus novit corda hominum intelligens, juxta Psalmistam, cogitationes de longe, et secundum alium: « Scrutans corda et renes, » quoniam beatus Thomas in quantum potuit mundo latere disposuit; alius intus fuit alius extra apparuit. Non paries dealbatus, non fermento Pharisæorum corruptus, non sepulcro mortuorum assimilatus, non in agno lupus, non sub vulpe versutus, sed se suaque dissimulans esse maluit bonus quam videri, parvipendens dici malus; nam et Dominus est Samarita, dæmonium habens. Videns autem Dominus constantiam famuli sui, probavit eum adhuc certius, sed gratia donavit abundantius. Jam enim illum toti mundo exposuit, divitiis circumvallavit, diliciis tentavit, honoribus ampliavit. Et qui fecit. Non est combustus in igne, non est submersus in amne. Qui eum per talia tentavit, faciens etiam cum tentatione proventum ut sustineret, ab omnibus inconcussum custodivit. Jam enim affabilitate beati Thomæ et industria, liberalitate et curialitate cognita et comperta, ut qui esset hilaris in vultu, mitis in alloquio, humilis in obsequio, providus in consilio, discretus in judicio, fidelis in commisso, ad palatium regis Henrici videlicet secundi, ipso rege postulante, archiepiscopoque invito præsentante, ascriptus est. Ibi denuo ad commendationem futuræ gloriæ dico, sæculo militare plus solito potuit, sed Christo maluit. Cancellariusque effectus udæque tabellæ signifer, in tantam amicitiam regi conjunctus est ut voluntatem regis in animo suo portaret, ore regis loqueretur, regni negotia ipse disponeret, promoveret quos vellet, deponeret quos vellet, quidquid juberet fieret, quidquid prohiberet defieret; et sicut virgo ad hoc naturaliter idonea ipsum rhinocerota constringeret loro suo et duceret quo vellet. Eaque propter magnam invidiam magnatorum contra se excitavit. In tanta autem potestate posito, tanta gloria et dignitate prædito, pristina remansit humilitas, innata adhæsit libertas et cognata liberalitas. Semper comes castitas et consors charitas. Individuæ ei comites singulæ virtutes, sexaginta videlicet fortes ex fortissimis Israel, ambientes lectum pacifici nostri, inimicusque ensis super fratrem suum propter timores nocturnos. Semper veritas in ore ipsius erat, semper falsitas aberat. Et si fortassis aliquando tentaretur carnalibus deliciis, sed nec est abstractus nec illectus. Quasi enim secundus Samson, omnium peccatorum vincula ex odore ignis, id est Spiritus sancti, dissolvit, factoque impetu in hostes pessimos, scilicet vitia, persecutus est Amalech usque ad internecionem. Non pepercit gladius Aot: utraque manu utentis pro dextra. Cumque beatus Thomas tantæ esset potestatis, suspendit eum Deus a tumultu cujuslibet mortiferæ actionis. Sed quia nemo sine peccato est, nec etiam infans, cujus vita est unius diei super terram: si quid in eo fuit purgandum, nihil tamen cremandum. Si cujus enim opus arserit, detrimentum patietur. Si quid in eo examinandum, nihil damnandum. Si quod fortasse egerit, in quo esset vanitas et præsumptio spiritus, nihil tamen in quo esset blasphemia Spiritus sancti, id est malitia. Et licet in carne vivebat, sed non secundum carnem militabat. Nec solum a criminibus et a magnis flagitiis, sed etiam a minoribus quasi vas electionis abstinebat. Consilium ejus ut Cusi, melius quam Achitophel societas ut Jonathæ, opus ut Abisai. Opera autem ejus quæ fecit, quam discrete se habuit in pace, quam potenter in bello, quanta in hostes regis machinatus est quanta, in regno disposuit, quanta extra regionem acquisivit nonne hæc scripta sunt in notitia singulorum? His ergo supersedeamus, quia ad alia anhelamus.

Et quia supra me est quod tractabitur, majoris studii pandenda sunt vela, laxandus sinus mentis et invocanda majestas Trinitatis. Dormiente itaque cum patribus suis Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo metropolitana Ecclesia, pastore orbata, lamina aurea nulli luxit in Fronte, rationale non est visum in pectore, superhumerale non gestatur in humeris, siluerunt titinnabula et cætera ornamenta pontificalia involuta sunt. Sed quandiu deesse non poterat cui primatia Anglorum et legatia sanctæ et apostolicæ sedis succederent, et in quem totius Christianitatis Angliæ jura respicerent, nec poterant filii Sponsi diu jejunare ne perirent: totius clerus totusque conventus juxta ecclesiastica decreta et sancita canonum et Cantuariensis Ecclesiæ privilegia dignum sibi perfici a rege postulaverunt pastorem. Gavisus ergo rex quoniam locum sublimandi quem amavit invenit, archidiaconum Cantua-

riensem et suum cancellarium in pastorem proposuit, commendavit, suscipi monuit et præcepit. Et quoniam videbatur minus religiosa esse persona, ut quæ in sæculari habitu hucusque latuerat, nec unquam habitum religionis induerat, et ideo ad tantum gradum minus idonea, libenter respuerent, si auderent. Sed quia regis et domini voluntati adversa fronte resistere tutum non est, solemni electioni episcoporum et ipsi annuerunt. Inthronizatus autem indebitum honorem quem minus canonice adeptus erat, in manibus summi pontificis Alexandri canonice postea et voluntarie; sicut sequentia declarabunt, dimisit, resignatumque et roboratum vix coactus et apostolica auctoritate constrictus recepit.

[*Hic incipiat prima lectio.*] Promotus ergo et initiatus sacræque unctionis sanctificatione et consecratione delibutus ita profecit, ut eatenus vixisse pro nihilo diceretur, et quasi hucusque semper moreretur et nunc vivere incœpisset, ita tempus vitæ amissum redimere satagebat. Itaque subito totius perfectionis culmen arripuit, quasi in crastino moreretur. Ubique prius abundavit delictum postmodum superabundavit et gratia; ut diceres Spiritum sanctum in specie columbæ in eum descendisse et mansisse apud eum. Meminensque illud Platonicum, imo Christianicum, scilicet veram philosophiam esse meditationem mortis, et illud Hieronymi : facile hœc omnia contemnit, qui se semper cogitat moriturum, non altum sapuit sed timuit. Cumque de sæculari sapientia et mundana philosophia, utpote in liberalibus artibus a primævo tempore imbutus, gloriari posset, nihil tamen inter mortales scire didicit, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Crucifixoque affixus in cruce, priora membra sua mortificavit cum vitiis et concupiscentiis dicens cum Apostolo: » Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Et item: « Vivo ego, jam non ego ; vivit vero in me Christus » exuensque vetustam tunicam, et veterem hominem cum actibus suis, induit novum, qui secundum Deum creatus est, in spiritu et sanctitate veritatis, ambulansque in novitatem vitæ novus homo effectus est, mutatus in virum alterum, vere alterum, quia alteratum, cujus omnia in meliora conversa sunt. Jam enim superbia, si qua infuit, expulsa asciscit humilitatem. Superfluitas proscripta ingerit parcitatem, prodigalitas eliminata inducit frugalitatem, luxus, si quis inerat, abstinentiam, si qua libido continentiam, si qua effeminatio severitatem, si qua vanitas maturitatem, si qua curiositas quietem, si qua inconstantia stabilitatem, immoderatio temperantiam, omnis illicitus motus animi honestatem, et omnis inutilis concupiscentia sæculi contemptum.

[*Lectio secunda*] Jam erat affabilior in colloquio, hilarior in dato, serenior in vultu, parcior in cultu, moderatior in sumptu, sedulior in oratione, prolixior in contemplatione, sollicitior in prædicatione, in tribulatione patiens in miseriis compatiens, in misericordiis præveniens, in eleemosynis affluens, in iracondia tardus, in remissione primus, in verecundia promptus, in mansuetudine totus, in subveniendo pius, in fide firmus, in spe certus, in charitate perfectus. Hæc est mutatio dextræ Excelsi ; hæc sunt mutatoria, quibus induitur Jesus sacerdos magnus filius Josedech, præcipiente Domino. Hæc est mutatio habitus Thamar sedentis in bivio. Hæc est mutatio vultus David impingentis et procidentis ad portas civitatis coram Achis. Hæc est fragantia vestimentorum valde bonorum Esau quibus induitur non Esau sed Jacob, assimilata odori agri pleni benedicti a Domino. Delebantur siquidem Esau, sed accepit ea Jacob, unde et a patre benedicitur. Amisit Esau primogenita sua quæ promeruit Jacob. Hoc est quod Apostolus ait: « Bonus odor sumus Deo. » Habens ergo archipræsul noster et martyr unctionem a sancto, accepit oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Proficiscensque per bivium litteræ Pythagoricæ ramum subversum et inclinatum contemnens per erectum et in cœlum usque tendentem iter arripuit dicitque cum Apostolo: « Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus: » et iterum : « Nostra conversatio in cœlis est. » Cumque ex reditibus suis multa privata posset exercere negotia, omnia tamen fratrum communioni impendebat, juxta illam sententiam Actum apostolorum qua dividebatur unicuique prout opus exigebat.

Nil proprium dicens quod puncto mobilis horæ
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi nunc morte [suprema
Permutet dominos et cedat in altera jura.

Sedulo in mente et opere recolebat illam Apostoli sententiam : « Oportet episcopum irreprehensibilem esse, castum, sobrium, prudentem; ornatum moribus, pudicum, hospitalem, non vinolentum, » etc. et talem se exhibebat.

[*Lectio tertia.*] In tanta subditorum sollicitudine positus, summa vigilantia magnaque opera sollicitabatur arguendo, increpando, obsecrando ne quis periret, ne lupus rapax veniens oves diriperet, sed ascendens ex adverso opposuit se omnibus hostibus murum pro domo Israel, et in certamine viriliter agonizabat, ecclesias sustentabat jura ecclesiastica auctoritate sua confirmabat, amissa vindicabat, ablata revocabat, diminuta restituebat, impios et rebelles anathematis sententia coercebat. Invidit autem diabolus tantæ felicitati ejus et provectui, et membra sua invidiæ facibus accensa et exagitata in suggillationem viri Dei excitavit. Quæ derogabant et in angulis obloquebantur in cubiculis, insidiabantur quibus poterant modis dracones in abscondito, leones in aperto. Sedebant in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficerent innocentem. Sed quid fecit agonista noster? Zelus domus Dei comedit eum : incendit eum, absumpsit eum, et ideo opprobria exprobrantium ceciderunt super eum. O quam fervens et quam sancta zelotypia sancti qua perfectam illam unam amicam, unam columba, unam uni Sponso ipse minister unus sociaret, et ipse in thalam

admissus cum utroque et amori et complexus conscius epithalamium caneret et diceret : « Ecce tu pulchra es et decora, ideo introduxit te Rex in cubiculum suum. » Et itidem de Sponso : « Amicus tuus candidus et rubicundus. » Hoc ergo zelo zelatus populum Dei optavit anathema esse a Christo pro fratribus suis cum Apostolo et deleri a libro Dei cum Moyse, ut populi dimitteretur offensa. O quanta de Dei misericordia præsumptio ! optabat pro Christo separari a Christo. Pro christo nolle habere Christum, deleri a libro vitæ ut tenacius scriberetur in libro vitæ ! Revolvensque illam sententiam Apostoli : « Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, » cum primo honorem sitiret, non laborem : nunc e regione opus, non opulentiam ; opus non extollentiam desideravit. Proponensque se exemplum in se retorquebat A illud Apostoli : « Imitatores mei estote, sicut ego Christi. » Sicque nihil docuit quod non fecisset, sicut ordo docendi postulat, sed versa vice quod ordo non postulat, multa erubuit docere quæ non erubuit facere, militans Deo in occulto, sed non ad occultum imo ad hominum et angelorum commune spectaculum. Jam enim quod egit occulte in cubiculo, quod abscondit etiam in mentis secretario, super tecta prædicatum est.

[*Lectio quarta.*] Interea regnante gloriosissimo rege Anglorum Henrico secundo, quievit terra a prædonibus, pax et securitas erat a latronibus, evigilavit justitia, restaurabantur sanctorum ædificia. Canticum et jubilatio audiebantur in clero, etc.

B (*Hæc ex ista Passione exscripta in præsentiis sufficiant ; cætera si quis legere velit, in ipso codice requirat.*)

HYMNUS DE SANCTO THOMA

ARCHIEPISCOPO CANTUARIÆ.

Laureata novo Thoma,
Sicut suo Petro Roma,
Gaude Cantuaria,

Imo tota sit devota,
Pia laudum solvens vota,
Militans Ecclesia.

Thomas iste, dum tuetur,
Legem Dei, promeretur,
Iram regis Angliæ.

Ergo pulsus urbe cedit,
Et transcurso mari credit
Sese regi Franciæ,

Qui gratanter et condigne,
Tam devote, tam benigne,
Sicut patrem visitat.

Ibi velut novus tyro,
Thomas in fervore miro
Regi regum militat.

Tandem pace reformata,
Pace dolis palliata,
R. gressus ad propria,

Jura servans Deo servit,
Inde sævit et protervit
Hostis arte varia.

Nunc ut vulpes fraudulenta,
Nunc ut tigris violenta,
Tentat omnes aditus.

Nunc minatur, nunc blanditur,
Ille nihil emollitur,
Idem manens penitus.

Rex compertus non moveri
Virum assertorem veri,
Nec frangi propositum,

Oves armat in pastorem,
Cohortatus ad cruorem
Cohortem satellitum.

C

Ergo neque parricidæ
Tam infande quam infide
Libertatis ut patronum
Tollant et usurpent thronum,
Ruunt in ecclesiam :

Præsul orans in secreto
Palam prodit hoste spreto,
Nec turbatur quies mentis
Turbæ metu sævientis,
Sed procedit obviam.

Sancti caput sacerdotis
Exoptatum mille votis
Sanctæ matris gremio

Ferrum bibit, cruor manat,
Et ibidem cæcum sanat
In tumultu medio.

Quid loquamur quæ sequuntur ?
Per se satis eloquuntur
Ubique miracula.

Dæmon cedit, mors obedit,
Desperatis salus redit,
Lepræ fugit macula

D

Angulose rex Anglorum,
Regem nescis angelorum
Universa singulorum
Ponderantem merita

Quisque metet id quod serit,
Impunitum nihil erit,
Nec capillus ullus perit,
Nedum ipsa capita,

Cleri gemma, clare Thoma,
Motus nostræ carnis doma
Precum efficacia,

Ut in Christo vera vite
Radicati, veræ vitæ
Capiamus præmia. Amen.

DOCUMENTA HISTORICA

QUÆ

AD SANCTUM THOMAM CANTUARIENSEM

PERTINENT.

I.

CAUSA INTER CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM ET EPISCOPUM LONDONIENSEM.

Archiepiscopus dicit se publice excommunicasse A Londoniensem episcopum, ex justis et notoriis causis : scilicet tanquam incentorem schismatis, manifestumque turbatorem ecclesiasticæ pacis, et reum inobedientiæ jugis. Asserit enim eum, schismatis occasione, quosdam Ecclesiæ rebelles et ecclesiasticarum libertatum oppressores manifeste fovisse canonesque ac mandata sua de coercendis et puniendis illis palam hactenus contempsisse. Propter hæc velut manifesta, sicut ait, et notoria, nec etiam ordinem judiciarium in ejus excommunicatione servandum putavit, sed, licet absentem, ignorantem et indefensum, licet inauditum, licet nec citatum nec commonitum, juste tamen et canonice, sicut allegat, damnavit, tanquam operum evidentia de crimine suo confessum. Scribit enim Ambrosius : « Manifesta B accusatione non indigent. » Item Stephanus papa : « De manifesta, » inquit, « Et nota plurimis causa non sunt quærendi testes. » Sicut de fornicatore Corinthio sanctus exposuit Ambrosius : « In aliis quidem non est judicis sine accusatore damnare, quia Dominus Judam, cum esset fur, quia non est accusatus, minime abjecit. Cognito autem prædicto opere fornicatoris, pellendum eum de cœtu fraternitatis Apostolus censuit. Omnes enim crimen sciebant ; publice namque novercam suam loco uxoris habebat. In qua re nec opus erat, nec tergiversatione aliqua crimen tegi poterat. De quo Apostolus : *Absens*, inquit, *facie, præsens autem autoritate Spiritus qui nusquam deest, jam judicavi ut præsens, eum qui hoc admisit, tradi Satanæ in interitum carnis.* » C Juxta quod item Nicolaus papa ait : « Quæ Lotharius, » inquit, « rex fecit, accusatione non indigent. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, » etc. Dimiserat siquidem uxorem propriam, et aliam superinductam publice tenebat ; sicque, licet nec accusatus nec citatus, canonice tamen excommunicatus est.

Similiter itaque, quamvis præter ordinem judiciarium, recte tamen a se damnatum Londoniensem episcopum asserit archiepiscopus; tanquam schismatis studio manifestum pacis ecclesiasticæ perturbatorem, et publice, opere contemptus, ipsorum canonum et suorum mandatorum inexcusabilem transgressorem.

Quod enim pacem ecclesiasticam manifeste perturbavit, hinc arguit : quod, cum dominus rex contra sacras leges et canones ac Ecclesiæ libertates plurima sibi de consuetudine regni servanda publice in consilio suo commemoraverit, et ab episcopis exegerit, idem episcopus, ut asserit, factus ibidem tanquam canis mutus non valens latrare, non ascendit ex adverso nec posuit se murum pro domo Domini, ut staret in prælio ; sed etiam, quod longe deterius est, prætextu schismatis Romanæ Ecclesiæ, regi condescendendum suadere palam enisus est, coepiscoporum animos ipse potissimum enervans quos potissimum et debuit et potuit ad contradicendum animare, sicut inter eos potestate primus et auctoritate præcipuus. Quod eum affirmat fecisse, non ob aliud quidem, nisi ne gratiam regis amitteret, quam tunc præ cæteris obtinebat, cum econtra sic ait Anacletus : « Nihil sit illo pastore miserius, qui luporum laudibus gloriatur, quibus si placere voluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ovibus magna pernicies. » Itaque, sicut prosequitur, per episcopi conniventiam rex factus audacior, et ad exigenda, quæ non decuit satis, ardentior, cum aliquandiu cæteri substitissent, ipsis deinceps offensus, durus, terribilis, et in multis adversus esse cœpit. Eumdem autem episcopum in uberiorem satis familiaritatem admisit. Sic igitur infert indubitabile palam esse, quod Ecclesiæ pacem turbaverit. « Facientis enim, ut ait Joannes papa, « procul dubio culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare. » Scriptum quippe est : « Non solum qui faciunt, sed

etiam qui consentiunt facientibus, participes judicantur. Negligere enim, cum possit quis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere : nec caret scrupulo consensionis occulte, qui manifesto facinori desinit obviare. » Item Innocentius : « Error cui non resistitur approbatur, et veritas cum minime defensatur, opprimitur. » Item Gregorius : « Consentit erranti, qui ad resecanda quæ corrigi debent non occurrit.»

Deinde, sicut prosequitur archiepiscopus, cum formidabili metu et multis oppressionibus dominus rex in exactis obtinuisset, idem archiepiscopus non multo post metus instantiam reversus ad cor, et dolore cordis tactus intrinsecus, nec sui vel suorum reveritus pericula vel damna, ubi exsilium subiit, ibi acerrimam de promissis contra dominum et ecclesiam pœnitentiam agens, post sui suorumque proscriptionem, et post exspectationem annuam, in eorumdem promissorum exactores, observatores, eisque consentientes, generaliter et publice sententiam anathematis dedit. Quam ut per Angliam denuntiaret in vi obedientiæ mox episcopo Londoniensi, suffraganeorum episcoporum decano, scripsit et injunxit ; mandans eisdem et aliorum quorumdam, quæ secundum Deum erant, exsecutionem, in virtute similiter obedientiæ. Qui, sicut ait, nihil mandatorum implens, sed tergiversationibus quibusdam aperte subterfugiens, sicque operis evidentia crimen suum manifeste confessus, aperte sententiam excommunicationis incurrit. Canonum siquidem violatores et eis consentientes, sub anathemate constituit Adrianus papa dicens : « Generali decreto constituimus, ut exsecrandum anathema fiat, et velut prævaricator fidei catholicæ semper apud Deum reus existat, quicunque regum, vel episcoporum, aut potentum deinceps, Romanorum decreta pontificum in quoquam crediderit vel promiserit violanda. » Item Damasus papa : « Violatores canonum graviter a sanctis Patribus judicantur, et a sancto Spiritu, cujus instinctu dictati sunt, damnantur : Quia Spiritum sanctum blasphemare non incongrue videntur, qui contra eosdem sanctos canones aliquid vel agunt vel loquuntur, vel facere volentibus consentiunt.» Item Gregorius : « Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi apostolicæ sedis præcepta. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis ; nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat. Non de ejus judicio quisquam postea curam habeat. Damnatus a sancta et apostolica Ecclesia sua, inobedientia atque præsumptione, a quoquam esse non dubitatur, qui non solum præfatæ sanctæ Ecclesiæ jussionibus parere debuit, sed etiam aliis, ne præterirent, inculcare. Sitque alienus a divinis et pontificalibus officiis, qui noluerit apostolicis obedire præceptis. »

Hunc etiam reatum, ut archiepiscopus addit, sibi palam episcopus auxit, cum mandata sua, de prosequendis quæ secundum Deum erant, tam contu-

A maciter tamque frustratorie declinavit, et manifeste subterfugit. Unde tanquam notorie reus, statim, ordine judiciario prætermisso, non indigne nominatim est excommunicatus.

Episcopus contra : Sententiam excommunicationis in se quamvis de facto latam, de jure tamen tenere negat, velut aperte contra jus et ordinem legum et canonum datam. Multoties siquidem, etsi de facto detur, nullatenus tamen apud Deum, vel apud homines ligat : veluti si quis excommunicetur ut compellatur ad malum ; verbi gratia ut schismaticus aut hæreticus fiat aut permaneat. De talibus enim ait papa Gelasius : «Cui est illata sententia, deponat errorem, et vacua est : si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum et ejus Eccle- B siam neminem iniqua sententia gravare potest. Ita ergo se ea absolvi non desideret, qua se nullatenus ligatum videt. » Si quis item vel majorem, vel parem sibi, vel alterius parochianum excommunicet; patet quod nullum eorum aliquatenus excommunicatio tenet ; scribit enim Calixtus papa : « Nullus alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum excommunicare præsumat. » Quare talis excommunicatio nec rata erit, nec vires ullas habebit ; cum nullus alterius judicis, nisi sui, sententia tenebitur : ubi sicut in concilio, apud Compendium, pro communi utilitate statutum est : Cum alter episcopus alterius parochianum, causa deprædationis excommunicaverit : item et quia a prælato suo in causa qualibet ad majorem audientiam appellat, jam ejus C jurisdictioni quantum ad causam illam non subjaceat.» Et ideo sicut nec judicari, sic nec etiam excommunicari, propter eam, ab illo deinceps potest, aut debet. Ut enim decrevit Sixtus papa : « Quoties episcopi se a comprovincialibus suis, vel a metropolitano prægravari putaverint, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, et interim eos nullus excommunicare præsumat. Quod si aliter a quoquam fuerit præsumptum, nil erit, sed viribus carebit.» Moris etiam quandoque fuit, in excommunicationis sententia, sicut et in aliis, ut eam suspenderet appellatio, post etiam mox interposita. Siquidem in Digesto scriptum est : « Integer status esse debet provocatione interposita. » Ergo etsi abstinere ordine quis jussus sit, et provocaverit, potest interim participare, cum sit hoc constitutum, D et sit juris, ne quid pendente appellatione moveatur; juxta quod et adhuc obtinet, ut, si quis clericorum ab officio fuerit suspensus, et appellaverit, interim pro suspenso non habeatur ; sicut nec degradatus pro degradato, nec de beneficio privatus, pro privato. Secus autem ideo forte jam obtinet in excommunicatione, quia secum habet sui exsecutionem ; quia mox eliminat ab Ecclesia, et loquendi jus tollit. Provocari non potest ab exsecutione sententiæ, propter-eaque nec ab excommunicatione. Quamvis autem sequens appellatio non suspendit excommunicationem, procul dubio tamen præcedens eam impedit ne fieri possit. Licetque de facto subsecuta fuerit,

pso jure tamen eam infirmat, et irritam facit ; quia A pristinum statum prorsus integrum appellanti custodit. Item excommunicationem contra censuram et ordinem canonum factam nullius esse momenti constare debet. Ordo quippe servandus est : sic enim statuit Adrianus papa : « Nemo suspendendus est a communione, nisi evocatus ad causam minime occurrerit, » Item in concilio Parisiensi : « Nemo præpopere vel præpostere scilicet nec commonitus, nec convictus, est judicandus. » Item Augustinus : » In episcoporum concilio constitutum est nullum clericum, qui nondum convictus est, suspendi a communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit. » Item : « Nos quemquam a communione prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum aut convictum. » Itaque cum excommu- B nicatur qui nec convictus est, nec confessus, imo nec auditus, imo nec citatus, imo nec commonitus ; talis siquidem excommunicatio nihil virium habere recte credi debet, veluti contra canones vel ordinem ecclesiasticum facta. Sicut et « prolatam » ut in codice legitur, « sententiam contra solitum judiciorum ordinem, auctoritatum rei judicatæ non obtinere certum est. » Item : « Ea quæ statuuntur adversus absentes, non per contumaciam scilicet, denuntiationibus nequaquam ex more conventos, judicatæ rei firmitatem non obtinere. » Quod utique multo ferventius in excommunicatione tenendum est ; quæ quanto terribilius immaniusque præcipitat, scilicet in diaboli potestatem, in ipsam etiam animæ mortem, tanto magis contra ordinem non C est præcipitanda : præsertim in episcopum, qui nec excommunicari nec etiam audiri debet nisi in synodo : sicut testis est Julius papa : « Nullus episcopus. » inquit, « nisi in legitima synodo pulsatus, audiatur, vel judicetur, vel damnetur. » Item Zephirinus papa : « Quilibet episcopus non prius audiatur, vel judicetur, vel excommunicetur, quam regulariter vocatus sit ad suorum conventum episcoporum, et per eos ejus causa rationabiliter discernatur. » Item Hyginus papa. « Nullus metropolitanus, absque cæterorum omnium comprovincialium instantia, de causis episcoporum aliquid agat, quia irritæ erunt, aliter actæ, quam in conspectu omnium ventilatæ. » Item Calixtus papa : « Si quis metropolitanus, nisi quod ad suam solummodo propriam parochiam D pertinet, sine concilio comprovincialium omnium episcoporum, agere tentaverit, irritum erit et vacuum, »

In crimine quidem notorio, quod et præter ordinis observationem recte detur excommunicationis sententia, sicut allegat archiepiscopus, nec diffitetur episcopus. Crimen autem notorium in se prorsus diffitetur, scilicet ecclesiasticæ perturbationis et inobedientiæ. Pacem enim Ecclesiæ, sicut affirmat, nullatenus turbare studuit, sed, quantis consiliis et auxiliis potuit, fovere et augere laboravit. Nec occasione schismatis in aliquo malignatus est contra Ecclesiam. Sed ne schismatis malum etiam Angliam occuparet, sicut sæpius fuit, ob domini papæ et Ecclesiæ Romanæ fidelitatem, non superbe, non contentiose, non nimis severe agendum sensit et egit : tolerabiliorem reputans in quibusdam dissimulationem et ad tempus patientiam, quam separationis augere perniciem, ipsius etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ diebus his pleraque dissimulavit et sustinuit, secutus exemplum, et documenta sanctorum. Ait enim Urbanus papa : « Ubi multorum strages jacet, subtrahendum est aliquid severitati. » Item Augustinus : « Ubi per graves disssensionum scissuras, non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut, majoribus malis sanandis, charitas sincera subveniat. » Idem : « Cum quisquam fratrum et Christianorum in Ecclesiæ societate constitutorum, in tali peccato deprehensus, ut anathemate dignus habeatur : fiat hoc ubi schismatis periculum nullum est. » Idem : « Non potest salubris esse correctio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. » Et infra : « Consilia separationis et inania sunt, et perniciosa, atque sacrilega : quia impia et superba sunt, et plus perturbant infirmos bonos quam animosos malos. » Hæc itaque, sicut ait episcopus, ipse secutus, si quid contra Ecclesiam exactum vel actum novit, non mox consensionis culpam contraxit, vel pœnam meruit, si non restitit, si non defensavit, si non vindicavit, cujus hoc officium fuit. Non enim quidquam timide, vel malitiose quidquam omisit, sed utiliter et consiliose quædam dissimulans, quædam sustinens, sæpius etiam dominum regem intrepide, sed benigne, convenit ; multis etiam terrendo, (sed non commovit) ; ponens, sicut instruit Augustinus, ante oculos Dei judicium ; terrens cruentam conscientiam, et simplicem suadens pœnitentiam. Multa multoties vel non fieri, vel corrigi, modestia supplicationis obtinuit, quæ nullatenus impetrasset, si devium contentionis et severitatis incessisset. Cui non debet in vitium deputari, vel ad odium retorqueri, si domini regis gratiam sibi quæsivit aut servavit : præsertim cum apud eum nulli nocuerit, et multis sæpe profuerit. Quod multo levius, et plenius archiepiscopo, tanquam specialius dilecto, potuisset evenisse, si modestiæ et humilitatis viam voluisset elegisse. Non itaque, sicut infert episcopus, officii sui neglector, vel canonum contemptor, aut violator fuit ; quia, si quid forte tunc egit necessitate, non tamen voluntate. Violatores autem canonum definit Damasus papa « qui contra eos non necessitate compulsi, sed voluntarie faciunt vel facientibus consentiunt. » Et, sicut ipse ait, nec mala fecit nec malis consensit, sed, quatenus licuit et utile credidit, quantum potuit obviavit, implens illud prophetæ : « Recedite, exite, et immundum ne tetigeritis. » « Quid est. » ait Augustinus, « tangere immundum, nisi consentire peccatis ? Quid est autem inde exire, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro cujusque gradu atque persona salva pace

fieri potest? Displicuit tibi quod quisque peccavit? non tetigisti immundum. Redarguisti? monuisti? corripuisti? adhibuisti etiam, si res exegerit, congruam, et, quæ non violet, disciplinam? Existi inde. Hoc est immundum non tangere, et voluntate non consentire, et ore non parcere. » Idem : « Neque consentientes sitis malis ut approbetis, neque negligentes ut non arguatis, neque superbientes ut insultanter arguatis. » Item: « Quisquis vel, quod potest, arguendo corrigit, vel, quod corrigere non potest, salvo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat: omnino liber, prorsus securus, penitus est alienus. » Item : « Ita, qui malis sociatur, si mali aliquid cum eis committit, aut committentibus favet: si autem neutrum facit, nullo modo sociatur. Porro, si addat tertium, ut justus in misericordia corripiat, vel, si eam personam gerit, et ratio conservandæ pacis admittit, etiam coram omnibus arguat ; removeat, vel ab aliquo gradu honoris, vel ab ipsa communione sacramentorum, plenissime officium implevit. Ubi autem cætera impediuntur, illa duo retenta semper incorruptum custodiunt ; scilicet ne faciat malum, nec approbet factum. » Ex his itaque se non solum a reatu consensionis malorum excusatum probat episcopus, sed etiam manifestum in se modestiæ providentiæque præfert indicium, dum mala melius tulit, quam si etiam foras extulerit, et per hoc imminens schismatis argumentum impedivit.

Plus etiam dicit, quod exactionibus domini regis non mox vel condescendit, vel condescendendum suasit; sed, cum coepiscopis, non minori periculo, nec impari sollicitudine substitit, donec, aliquandiu post, communiter, ob sedandam regis iram et vitandam Ecclesiæ turbationem non minimam, placuit ut regias consuetudines promitterent generaliter omnes, non expressim aliquas (quia expressa nocent, non expressa non nocent) : consuetudines etiam nomine tamen bonas intelligentes. Cum autem dominus rex, quales voluit, post expressisset, et in scriptum redegisset, id sigillis archiepiscoporum et episcoporum confirmari petens instanter et urgens graviter post multam et integro die cum episcopis protractam hæsitationem, tandem archiepiscopus sint cæteris solus succubuit, et acquievit. Ipse viderit, si digne metum aliquem honori Dei et ordini suo prætulerit; si fidem etiam domino papæ et Ecclesiæ Romanæ servaverit, ad quam arctius de speciali juramento tenetur. Viderit etiam si, post Scyllæam voraginem, non etiam Charibdim inciderit, cum omnem promissionem regi deinde ruperit. Horum omnium se participem et reum negat episcopus, incentoremque schismatis, et perturbatorem pacis Ecclesiæ, tam vere quam probabiliter diffitetur.

Ab inobedientiæ quoque crimine se non minus excusat.

Quidquid enim mandatorum archiepiscopi vidit non lædere statum Ecclesiæ, diligenter, ut asserit, exsecutus est, magis ex officio suo, quam ex obedientiæ debito; quippe ut ad quam se ei non teneri constanter affirmat. In cæteris vero, quorum exsecutio poterat schismatis malum augere, substitit; tum quia necessarium fuit, tum quia ad exsequendum se teneri non credidit; et, licet si ex abundanti, tamen ut undique plenius muniretur, semper ante mandatorum susceptionem, contra cuncta Ecclesiæ regnique ac sui gravamina dominum papam appellavit, ejus audientiam eligens. Cumque trans mare postea coram legatis apostolicæ sedis appellationem prosequi præsto esset, sed non esset qui vel contradiceret vel judicare vellet, incontinenti denuo cum præsentibus coepiscopis appellationem innovavit. Quam dominus papa, per litteras ipsorum et legatorum sibi nuntiatam postmodum ipsis remisit; et eos ab ejus persecutione prorsus absolvit; pacemque ac inducias contra archiepiscopum, quousque in gratiam regis rediret, per litteras suas indulsit. Cum autem interim rumor insonuisset de novis quibusdam minis et molitionibus archiespiscopi, ne posset episcopus, sicut ante, aliquo modo quasi præventus innodari, mox iterum publice provocavit, et omnino recusans ac declinans archiepiscopum, tanquam ex manifestis causis jure sibi suspectum, audientiam domini papæ præelegit. Sic igitur, ut infert, etsi tenetur ei obedire, non tamen aliquatenus inobediens potest deprehendi; præsertim cum non frustratorie, sed juxta necessitatem semper præveniens appellatio, sibi contra crimen inobedientiæ remedium foret et excusatio : præsertim etiam cum eamdem appellationem prosequi nunquam subterfugerit, nec adhuc subterfugere velit.

Sed nec etiam obedire quidquam omnino se debere sentit et asserit. Siquidem ex professione quam Theobaldo, bonæ memoriæ archiepiscopo, fecit in Herefordiensi civitate, se tentum non esse dicit, nisi dum Herefordiensis episcopus exstiterit; quod cum esse desiit, omnino per dominum papam liber et absolutus desiit, et ex ea professione teneri, tanquam tacite, licet non expressim, ad tempus facta, scilicet dum inde maneret episcopus. Cujus rei fortissimum argumentum esse, quod utique non teneretur, si alterius provinciæ fieret episcopus. Sæpius promissionibus conditiones quædam inesse tacite intelliguntur, quamvis non exprimantur, veluti cum dos alicui, propter certam matrimonii spem, absolute promittitur. Non minus enim subest tacita conditio, scilicet ut ita demum promissio teneat, si nuptiæ sequantur. Item, ut in Digesto est, cum inter locatorem et conductorem convenit, ne conductor inter tempora locationis de fundo expellatur ; quamvis nihil exprimatur de solutione pensionis, tamen verisimile est ita convenisse de non expellendo conductore, si pensionibus pareat et, ut oportet, colat. Cum autem, ut adjungit episcopus, ad Londoniensem sedem translatus professionem archiepiscopo minime fecerit, nihil equidem ei debere dicit, scilicet nec suo, etiam Londoniensis Ecclesiæ nomine. Semel enim liberatus, nec per eam in po-

testatem recidit, sicut nec de jure fori filius familiæ, A cum extraneæ personæ filius adoptivus sit, secum tamen patrem adoptivum in potestatem trahit. Magis autem per eam ipsam liberatam dici convenit: præsertim cum de jure non filia, sed mater Cantuariensis Ecclesiæ sit; sicut et a prima constitutione Ecclesiæ in Anglia, diebus quinquaginta duorum apostolicorum fuisse perhibetur, et in scriptis authenticis legitur: sicut etiam beatus Gregorius, in ea Christianitatem renovans, censuit et ordinavit ut deinceps esset prout ejusdem scripta testantur; quamvis secus obtinuerit, occasione paganitatis quæ mox Londoniæ nequivit exstirpari. Propterea sedes archiepiscopalis præter ordinem esse cœpit, et hactenus manet, Cantuariæ: ubi primo renovata est, et inde paulatim per Angliam propagata, reclamanti- B bus tamen assidue Londoniensibus episcopis. Sic igitur bona fide, justisque rationibus se liberum proclamans episcopus, velut semel per auctoritatem apostolicam manumissus et exemptus, nec unquam deinceps novæ subjectionis servituti suppositus, et inobedientiæ se reum in nullo probat, tanquam nec obedientiæ debitorem.

Si replicat archiepiscopus quod saltem tanquam apostolicæ sedis legato sibi tenebatur obedire, contra id episcopus oppositæ appellationis et recusationis obstaculum objicit: qui se solum domino papæ deinceps subjectum fuisse manifeste convincit. Addit etiam quod jure legationis nondum habet archiepiscopus jurisdictionem in Anglia. Siquidem Romanæ sedis legatus ut legatus Cæsaris est, scilicet præses C vel corrector provinciæ vel proconsul. Sic autem in Digesto est: « Proconsuli jurisdictio, scilicet contentiosa, prius non competit quam in provinciam venerit. » Item: « Præses in provinciæ homines tantum imperium habet, et hoc, dum in provincia est. » Nec igitur, ut infert episcopus, potest aliquatenus archiepiscopus ut legatus in Angliam advertere, cum nec in ea sit, nec in eam post tempus legationis venerit.

Sic itaque concludit episcopus sententiam excommunicationis in se latam nullatenus tenere: tum quia prius præter ordinem lata est, cum in se nihil notorium criminis sit, tum quia prius appellavit, tum quia de archiepiscopi jurisdictione non sit.

Archiepiscopus ad hæc: Quamvis, inquit, prædicta in episcopo notoria non sint, quia tamen pu- D blice de eo dicuntur et creduntur, ob ea juste damnatus est; et præter observationem ordinis judiciarii: maxime quia in multis libertas et dignitas Ecclesiæ, per ejus, sicut ipsemet loquitur, dissimulationem et patientiam periclitata sit. Quem ob hoc etiam extra ordinem puniri justum et utile fuit, ut alii rebelles et turbatores Ecclesiæ magis terreantur, et resipiscant, cum sibi dubitare non debeant inferendum quod tanti nominis et potestatis viro jam viderint illatum. Sæpius enim contra strictum rationis tenorem, et institutionis solitum ordinem, necessitatum varietas multa fieri suadet et urget. Quia, sicut ait papa Innocentius: « Aliud est ordo legitimus, aliud usurpatio quod fieri tempus impellit. » Sed Silvester papa similiter in quosdam adversarios suos animadvertisse legitur, sicut ipsemet scribit. Ait enim: « Usiliarus Patricus mandavit me ad se pacifice venire, et pro quibusdam ecclesiasticis dissitationibus in palatium principis, ad primum et secundum velum retinuit omnem clerum et populum, qui mecum veniebat, nisi me solum et Vigilium diaconum meum—me vero vi retentum miserunt in exsilium, in quo sustentor pane tribulationis et aqua angustiæ. Ego tamen non dimisi, nec dimitto propterea officium; sed cum episcopis, quos congregare potui, eos qui talia erga me egerunt anathematizavi. » Idem Vigilio: « Habeto cum his, qui tibi consentiunt, plenæ damnationis sententiam; sublatumque tibi nomen ministerii sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus judicio, et apostolica a nobis auctoritate, damnatus. » Ad hujus igitur exemplum, quod de crimine, quamvis non notorio, tamen sibi manifesto et indubitato, rectissime, quamvis extra ordinem, damnaverit episcopum, congrue sibi videtur archiepiscopus allegare; quasi de jure facere potuerit et fecerit, præsertim cum et domini papæ vice fungatur, cujus etiam legatus est.

Episcopus contra: Non exemplis, inquit, sed legibus judicandum est; nec quid factum sit Romæ, sed quid fieri debuit, attendendum est. Licuit quidem semper et licet domino papæ contra jus strictum sæpius agere, maxime cum necessitas postulet. Quamvis enim legibus vivat, legibus tamen solutus est. Et sicut Christus in se sacramenta nostra complevit, non aliqua sui necessitate, sed nos ad imitandum provocandi voluntate: sic etiam dominus papa sæpe canonibus obtemperat, non quod necesse habeat, sed ut ejus auctoritas et exemplum alios ad obtemperandum urgeat. Sæpius etiam eis non stat. In ejus siquidem potestate est sicut novos condere, sic et veteres moderari, vel temperando vel aggravando, nonnunquam etiam eorum censuram penitus omittendo, vel contra faciendo. Quam utique potestatem solus accepit, et sibi soli continue retinet, et, cum vices suas sæpius aliis credat, in partem quidem vocat sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Quibus etiam si quandoque laxius indulget, non tamen eatenus ut liceat eis aliquid vel extra metas antiquitatis, præsertim quas auctoritate Veteris et Novi Testamenti tenentur observare. Nam nec etiam domino papæ licet has transgredi, sicut est testis Zosimus papa: » Contra Patrum, » inquit, « statuta aliquid concedere vel mutare nec hujus sedis potest auctoritas. » Apud nos inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui dicta Patrum sanxere reverentiam. Et servata quidem semper, etiam a primo hominis peccato, semper antiquitas est, ut criminis reus damnetur, sed deinde, qui confessus, vel convictus, vel citatus fuerit. Nam et Adam est non prius damnatus, quam citatus et commonitus, cum dictum est ei: « Adam

ubi es ? » nec prius quam confessus, cum ait : « Mulier dedit mihi et comedi. » Mala quoque Sodomæ sicut scribit Evaristus papa : » Noluit Dominus audita prius judicare, quam manifeste cognosceret : cum tamen omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Unde ait : *Descendam et videbo utrum clamorem opere compleverint.* Cujus exemplo monemur ne ad proferendam sententiam unquam præcipites simus, aut temere indiligenterque discussa quoquo modo judicemus, dicente veritatis voce : *Nolite judicare, et non judicabimini.* Sed nec aperte traditur, quod adversus hæc aliquid egerit papa Silvester in Usiliarium et Vigilium

Contra ordinem igitur quem etiam tam diligenter Deus ipse servavit, et ex se servandum docuit, quem etiam tam immobiliter servandum auctoritas sanctorum tradit nunquid quod archiepiscopus egit etiam legatus obtinere debet ? et non magis irritum esse ? præsertim cum et simul accusator et judex non potuerit. De suspecto siquidem ait Nicolaus papa : « Quia suspecti et inimici judices esse non debeant, et ipsa ratio dictat, et multis probatur exemplis. Quoniam quid gratius dare quis inimico potest, quam si ei ad impetendum, quem lædere forte voluerit. » Et infra : » Hinc Justinianus imperator pius legibus suis promulgasse dignoscitur dicens : Liceat ei, qui suspectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium recurratur. Ita quodam modo naturale et suspectorum judicum insidias declinare, et inimicorum judicium velle refugere. » Idem : « Anastasius etiam Pirenorum episcopus tertio vocatus, quia non occurrit, a patriarcha suo condemnatus exstiterat. Sed solum quia, cum vocaretur ad synodum, quod inimicus esset ipse qui judicabat, clamavit, a sancta Chalcedonensi synodo ad sententias illatas examinandus reservatur, sed quasi pro nihilo habita condemnatione priori. « Quod item non debeat idem accusator esse, simul et judex, testis est Augustinus dicens : » Quis sibi utrumque audet assumere, ut cujusquam ipse sit accusator et judex ? » Item Fabianus papa : » Nullus unquam præsumat accusator simul esse, et judex, vel testis; quoniam in omni judicio quatuor personas semper necesse est esse : scilicet judices non idem sint, sed per se accusatores, per se judices, per se accusati : » Sicut igitur infert episcopus, ejus qui contra præcedentia omnia, tam manifeste, tam indiscrete, tam præcipitanter egit, quid nisi verborum inanis prolatio et in ventum jactatio putanda est, ut nec nomen sententiæ mereatur ?

Archiepiscopus addit etiam item quod cum intra diutinam exspectationem, multis sæpe supplicationibus, comminationibus, dominum regem flectere studuisset, nec prævaleret, et demum in hoc esset ut securim poneret ad radicem, cum ulterius parcere nec posset nec deberet, episcopus in regis causa tam indubitanter et notorie injusta se primum abversarium, et eatenus vehementem defensorem

A opposuit, ut ipse etiam contra justitiæ prosecutionem appellaverit. Sic consensum notorium in crimine notorio palam et inexcusabiliter ostendens : et ex hoc, quin excommunicatione, quamvis præter ordinem facta, juste firmiterque teneatur, negare nullatenus valens.

Episcopus econtra : Non solum se, sed Ecclesiam Angliæ totam, illius appellationis interpositionem consuluisse, secumque fecisse, respondit; non malis consentiendo, non mala defendendi proposito, sed ob Ecclesiæ Romanæ fidelitatem, suique pacem : scilicet præpediendo nimiam nimisque periculosam archiepiscopi severitatem, ne schismatis augeretur discrimen, quod etiam cum enormi Ecclesiæ damno secuturum fuisse dubitari non poterat, si conatus archiepiscopi processissent : quando etiam constat B humilitate patientiæ melius vicisse potuisse, et jam acerbitatis multiplicatione satis periculosius regem exacerbasse. Si replicat archiepiscopus quod non eo minus, sed etiam magis notorius est mali consensus quod in socia deprehenditur multitudine : contra episcopus magis præpeditionem schismatis probabiliter confitetur; et mali consensum prorsus diffitetur. Sed et id post secundam et etiam tertiam demum correptionem fieri debet, sicut et Dominus in Evangelio præcipit dicens : » Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum; si non audierit te, adhibe tecum unum aut duos; si eos non audierit, dic Ecclesiæ : quod si nec Ecclesiam audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus. « Nihil igitur, sicut concludit C episcopus, virium habere sententia non indigne censetur, quæ nihil etiam ordinis prorsus observare reperitur.

Archiepiscopus ad hæc determinat : Tunc quidem ordinem omittendum non esse, cum servari potest; cum autem non potest servari, pro servato tamen per interpretationem habendus est. Nam et alias etiam apud Deum factum est, quia fieri non potuit, pro facto tamen nihilominus accipitur ; ut in eo qui baptismi seu pœnitentiæ sacramentum desiderat nec implere potest.

» Huic enim, « sicut ait Cassiodorus, » Votum pro opere reputatur, scilicet propter impossibilitatem. Sed et apud homines regula juris est, in omnibus causis id pro facto accipi, in quo quis alium perhorrescit quo minus fiat; ut in codice dicitur de eo qui propter D vim vel metum non appellat : nihilominus enim res jure appellationis agitabitur. Similiter itaque, sicut infert archiepiscopus, jure processisse dicit, in causa contra episcopum, quamvis non in synodo sua, quamvis sine commonitione vel citatione præmissa. Synodum etenim alienam habuit qui suam habere non potuit. Sed et pro citato et præmonito probat habendum, qui se magis etiam obtulisse debuit, ut cujus fama plurimum laborabat; quem etiam multis ex causis satagere vel commonere nequivit : primo quidem, quia magnum chaos terrarum inter se et ipsum sit ; deinde, quia jamdudum apud exteras gentes peregrinus et exsul, eorumque eleemosynis

sustentatus, neminem ad faciendas citationes vel A commonitiones officialem habere possit, nisi forte qui se gratis et pro Deo tantum obtulerit ; tertio, quia, cum aliqui quandoque missi per regis ministros capti, verberati, male tractati, incarcerati, periculoque membrorum aut mortis subditi sunt; cæteri, justo metu præpediti, legationem tam formidabilem subire deinceps ausi non sunt. Sic igitur, ut concludit, legaliter et canonice tanquam contra citatum et præmonitum episcopum, sententia processit, et firmiter obtinet.

Episcopus econtra : Non semper quod fieri debet pro facto habendum, respondit ; cum fieri propter vim vel metum non potest. Namque et alias, ut in Digestis scribitur, in jure proditum est, deprehensione fieri manifestum furem. Cæterum, si cum tibi fur- B tum facerem, abscondisti te ne te occidam, etiam si vidisti furtum fieri, attamen non est manifestum. Cum etiam, propter metum, testamentum non facis, litem non contestaris, rem non evincis, reum non accusas; non tamen vel testamentum factum, vel lis contestata, vel res evicta, vel quis accusatus. Habet etiam similibus multis similiter. Denique quod dicitur propter metum aut vim omissum pro facto accipi, non de his accipitur quæ lex fieri jubet, sed de his quæ ad remedium indulget ; ut sunt appellationes, præscriptionum interpretationes ; nam hæc, si propter vim vel metum omittuntur, pro factis tamen accipiuntur, maxime si quis eas facere non ausum publice protestetur. Propterea quidem archiepiscopus ordinem etiam commonitionum et citatio- C num observasse potuit, hinc plane convincitur, quia multo fortius excommunicationis faciendæ præparatoria præmissæ timere non debuit, quia jam factæ denuntiationis, passim et publice per Angliam post mittere non dubitavit, scilicet litteras suas de evitandis excommunicatis per nuntios suos ardenter præsentans, in episcoporum synodis, in publicis ecclesiarum conventibus, in procerum etiam consessibus. Cum itaque, sicut episcopus infert, ordo nullatenus vel servatus vel pro servato sit, patet quod excommunicatio, facta præter ordinem, excommunicationis nomine digna non sit

Archiepiscopus instat et aliter adhuc. Contra crimen, inquit, notorium appellari non potest. Nam in codice est : « Eis qui aperte manifesteque convicti D sint, appellationis beneficium denegatur. » Item : « Observandum est ne quis eorum qui manifestam violentiam commiserint; audiatur appellans. » Item : in Digestis : « Constitutiones quæ de recipiendis appellationibus loquuntur, locum non habent in eorum personis, quos damnari publice interest. « At, ut assumit quin in rege contra Deum et ejus Ecclesiam periculosissima sit et manifesta transgressio, manifesta etiam circa sui et suorum spoliationem innocentiumque proscriptionem violentia, nec ipse diffiteri potest ; quæ certe palam operum evidentia testatur, super quibus etiam tam consona totius mundi detestatione convincitur. Unde, sicut infert, tanquam aperte manifesteque convictus, nec in eis appellans audiri debet, maxime cum ipsum ob ea puniri publice intersit, ut et ipse resipiscere compulsus salvetur, et Ecclesiæ status reformetur. Itaque, sicut addit, in ejus causa prorsus excluditur appellatio, si nec episcopus nec aliquis pro eo vel appellare potest, vel appellans audiri debet, præsertim cum in Digestis est : « Non liceat in aliena causa cuiquam appellare. » — « Nisi forte, » sicut ibidem excipitur, « quibus mandatum est, vel negotium alienum gerunt quod mox reus ratum habeat. « At, ut assumit, hic nec mandari nec ratum haberi potest : quod nec fieri debet. Solent item sicut et indignum est, audiri appellantes quorum interest : « Sed hos, » sicut et ibidem est, « verum est propriam causam eam defendere. Propriam autem causam eam esse palam est, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet, ut cum procurator victo venditore, vel e converso ; vel creditor, victo debitore, vel e converso. Causa vero regis, ut assumit nec episcopi nec alterius quidquam interesse facit, ut intercessionem interponant ; imo potius patrocinium ad corrigendum communiter Ecclesia tota fidelium adhibere debet. Quia publice interest potius tantum malum coerceri, quam, vel sub alicujus necessitatis palliatione, foveri. Non itaque, sicut concludit, in tam detestandi negotii parte aliquem, vel ab ipso rege, vel ab episcopo, vel ab alio quovis appellatio fieri potest vel facta recipi debet.

Episcopus econtra respondit, et regem et se, vel quemvis, nomine regis juste provocare potuisse: maxime quia dominus rex nunquam se justitiæ subtraxerit, imo semper obtulerit ; sed et instanter et satis anxie postulare non deserit sibi judices contra archiepiscopum delegari ; coram quibus etiam prius satisfacere pollicebatur, dummodo securus esset, sibi postmodum satisfacturum iri : cum inter hæc, contra leges et canones, archiepiscopus in eum et accusator et judex esse niteretur, contra tam manifestum gravamen, et rex et ejus nomine quivis justissime potuit appellare. Præterea licet etiam rex appellare pro se dedignaretur, non eo minus tamen id alii fuerat indulgendum, sicut et indulgetur in causa damnandorum. Nam ut in Digestis est : « Non tantum ei qui ad supplicium ducitur provocare permittitur, verum alii quoque nomine ejus ; non tantum si ille mandaverit, verum quisquis alius provocare voluerit. » Nec distinguitur utrum necessarius sit necne ; creat enim humanitatis ratio omnem provocantem audiri debere : ergo, etsi ipse acquiescat sententiæ ; nec quæritur cujus intersit. Quid ergo si restat, qui damnatus est, perire festinans ? adhuc putem differendum supplicium ? Si hoc itaque, sicut argumentatur episcopus, admittitur in causa periculi corporis contra pœnam temporalem : quanto fortius admitti debet, ubi periclitatur etiam ad mortem æternam animæ, scilicet in anathematis causa. Quanto siquidem corpore dignior est anima, tanto potentius ei

subveniri debet. Item quod episcopus et alii congrue A provocare potuerint et juste provocaverint, hinc ut idem ait, palam est; quia sui plurimum, imo totius Ecclesiæ, simul interfuit, scilicet ne schisma dilataretur, quin etiam contra gravamina propriæ causæ justæ provocaverit ipse, non potest, inquit, negari.

Archiepiscopus addit et item, sibi legationem esse concessam, et animadversionis in rebelles et turbatores Ecclesiæ potestatem indultam, remoto appellationis obstaculo, propterea que nec appellationem sequentem, vel præcedentem impedisse jam factam anathematis ultionem, vel eam ullatenus infirmare.

Episcopus contra: Quamvis, inquit, sine provocationis obstaculo, non tamen contra leges et canones ipsi mandata est exsecutio. Nam, quamvis B etiam liberam et generalem jurisdictionem ex mandato suscepit; non tamen ex hoc consuetum et legitimum jurisdictionis ordinem transgrediendi facultatem habuit: sicut argumento est illud in codice « Siquando talis concessio imperialis processerit, per quam libera testamenti factio concedatur, nihil aliud videri principem, concedere, nisi uti habeat legitimam et consuetam testamenti factionem: neque enim credendum est Romanum principem, qui jura tuetur, hujusmodi verbo totam observationem restitutorum multis vigiliis excogitatam atque inventam velle subverti. » Similiter itaque, sicut infert episcopus quamvis dominus papa legationem etiam generalem et liberam archiepiscopus dederit, si forte dedit, non tamen contra legitimum et consuetum C juris ordinem ei facere quidquam permisit. Qui si contra fecit, sicut utique fecisse supra probatum est, tamen etiam ipso jure cassum et irritum non eo minus est, quia legatus est, vel quia provocatio prohibita est. Item et, sicut addit episcopus, quamvis contra animadversionem archiepiscopi per dominum papam prohibita sit appellatio; non eo minus tamen sibi provocare licitum fuit. Nam et alias, ut in Digestis est: « Cum a principe appellandi nec facultas, ne fas sit, interdum et ipsius sententiam suspendit appellatio. Cum enim præses provinciæ deportandi quem in insulam, vel decurionem puniendi jus non habeat; debet tamen eum adnotare scilicet bonis ejus descriptis, quem deportandum vel puniendum putat: sic deinceps principi scribere, D missa plena opinione scilicet quare deportandum vel puniendum sentiat: ut ita princeps æstimet an sequenda sit ejus sententia, demumque in insulam deportando, vel decurioni, pœnam assignet. » Potuerunt itaque, sicut ibidem dicitur, appellare, non solum quando præses principi scribit, sed etiam quando princeps de insula, seu de pœna rescribit. Quid enim si præses mendaciis apud principem oneraverit eum, quem deportandum vel puniendum laborat. Recte itaque dicitur humanitate suggerente ut, et hoc, et illo tempore, non frustra provocent, quia non adversus principem, sed adversus judicis calliditatem, provocant. Quorum etiam status interesse jubetur, provocatione interposita. Ergo, etsi abstinere ab ordine decurio jussus sit, scilicet per principem et provocaverit, poterit interim participare; cum sit hoc constitutum, et sit juris, ne quid pendente appellatione innovetur. Itaque, sicut infert episcopus, sicut a principe non sit appellandum, nonne similiter et episcopo, quem archiepiscopus per se punire de canonum censura prohibetur, licere deberet, etiam si dominus papa eum ad archiepiscopi suggestionem degradasset, appellatione tamen obviare, statumque sibi integrum retinere? Multo fortius igitur, etsi non dominus papa, sed per dominum papam archiepiscopus in ipsum, etiam sublato provocationis obstaculo, similiter advertisset, sequens tamen idem appellationis remedium ipsi subveniret; quanto magis et præveniens, ne quid fieri posset, impediret. Et hoc igitur in excommunicationis etiam sententia non minus obtinere debere concludit episcopus, non solum si generaliter in quos animadvertendi, sed etiam si specialiter excommunicandi se potestas archiepiscopo, non obstante appellatione, concessa fuerit. Item, ut addit, quamvis appellatio, velut inhibita, sententiam infirmare non posset, infirmat tamen eam præmissa toties contra archiepiscopum tanquam domini papæ postulata cognitio. Nam et utrumque decernit Sixtus papa: « Dum, » inquit, « episcopi Romanam Ecclesiam appellaverint, aut ab ea se audiri poposcerint, nullus eos interim excommunicare præsumat. Quod si aliter a quoquam fuerit præsumptum, nil erit, sed viribus carebit. Juxta quod, etiam Anastasii Pirenorum episcopi depositionem non tenuisse supra memoratum est.

Archiepiscopus post hæc ad specialia quædam transit. Dicit enim se dudum corripuisse episcopum, quod filios sacerdotum contra canones ad sacros ordines promoverit; et inter cæteros unum ad sacerdotii gradum, in ecclesia quadam in qua ipsum patri successisse cognovit: quod incontinentiam etiam clericorum in episcopatu suo non solum non correxerit, sed etiam pretii interventu sustinuerit. Et ob hoc se mox etiam mandatum subdedisse commemorat, nisi de tantis excessibus judicio coepiscoporum satisfaceret. Quod cum, inquit, facere neglexerit, jure in eum tanquam in præmonitum et aperte contumacem anathematis ultio facta est, nec, appellationis occasione, rata non esse debet. Nam, ut dictum est: « Per contumaciam condemnatus, si appellat, non auditur. »

Episcopus econtra se de contumacia nititur excusare, quia nec ut archiepiscopo, tanquam non subjectus, nec ut legato, tanquam suspecto et recusato, tenetur obedire; sed soli domino papæ: maxime postquam ad eum appellaverit, et ipsius audientiam elegerit. Contumaces autem, ut in Digestis est, non judicantur, nisi qui obedire deberent et non obsequuntur, id est qui ad jurisdictionem ejus, cui negant obsequi, pertinent

Sed et plane negat episcopus clericorum inconti-

nentiam muneris interventu permisisse, vel eorum correctionem neglexisse. Quin imo, sicut notum esse respondit, sæpius omnes communiter in synodis, et seorsum in capitulis diligenter commonuit omnibus etiam, ut decuit, sæpius publice comminatus est, et nonnullos demum digne corripuit, et emendavit. Si vero prorsus vitium exstirpatum non est, ait non imputandum sibi, sed magis delinquentium multitudini, vixque, vel nunquam, abolendæ consuetudini. Quod enim a multis peccatur, multum est præsertim id malum, cui tam invicibiliter ex prima damnatione peccati subjaceat genus humanum. Quod item reprehenditur filios sacerdotum ordinasse, nec huc usque quidem confitetur concessum. Omnes quidem administrare nequaquam ignorabat prohibitum esse, sed nec omnes poterat rejicere ; propptereaque quod decuit et potuit fecit. Scilicet archidiaconos suos, quibus plenior est notitia clericorum, et quorum officii est eos præsentare, diligenter adjuravit, et eis districte præcepit, ne quem contra canonem censuram admitterent, vel præsentarent. Si quid igitur contra minus canonice fieri contingit, in archidiaconos, inquit, magis redundare convenit, de filio quoque sacerdotis quem in ecclesia reperit a prædecessore suo prius institutum, et diaconum ordinatum, posteaque per se cuidam archiepiscopi clerico ad annuum canonem gravem satis, de ecclesia solvendum, ex transactione quadam dicit obligatum, et quia de residuo secum capellanum sustentare non poterat; ipsum quidem se promovisse fatetur in presbyterum : præsertim quia non alias eum indignum, sed boni testimonii satis agnovit. Si minus itaque vel in hoc vel in alio diligens fuit, etiamsi archiepiscopo tenebatur obedire, non tamen contumax et ejus mandati contemptor, ut ait, convincitur, quod judicio coepiscoporum, prout mandavit non satisfecit ; quod nec illud subterfugit, nec coram illis, sine accusatore præsente, quem diffitetur excessum corrigere cogebatur. Si quid vero deliquit, domini papa censuram in nullo refugit : quod, sicut auctor est canonum, ita et ultor est transgressionis eorum.

Archiepiscopus demum ait : Quod etiam sententia, quamvis non legitima vel illicita, tamen liget, teste Parisiensi concilio in quo legitur sic : « De illicita excommunicatione lex Justiniani imperatoris, quam probat et servat, decrevit ut nemo presbyter excommunicet aliquem, antequam causa probetur, propter quam canones hoc fieri jubent. Si quis autem adversus eam aliquem excommunicaverit, ille quidem, qui excommunicatus est, majoris auctoritate sacerdotis, ad gratiam sanctæ communionis redeat. Is autem, qui non legitime excommunicaverit, in tantum abstineat a sancta communione tempus, quantum majori sacerdoti visum fuerit. » En, inquit excommunicatio quamvis illicita, vel non legitima, tamen tenet ; adeo quidem ut per majorem sacerdotem ad communionem redire, id est absolvi, debeat, qui sic excommunicatus fuerit. Et hoc igitur etiam in episcopo tenendum consequenter concludit. Item, ut addit : Si prius non tenet sententia, jam tenet cum contemnetur. Nam, ut ait Gregorius : « Sententia pastoris, sive justa, sive injusta sit, timenda est vel tenenda, ne hic qui subest, et injuste forsitan ligatur ipsam suæ obligationis sententiam ex alia culpa mereatur. Is igitur, qui sub manu pastoris sui judicatur, timeat reprehendere, ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat. Si igitur, saltem ex sequenti scilicet contemptus culpa, vere ligatum probat episcopum ; eatenus etiam, ut quamvis injusta sit sententia, tamen omnimodo vitandus sit. Sicut est in concilio Sardicensi in quo legitur sic : « Si episcopus forte iracundus, quod non esse debet, cito et aspere commovetur adversus presbyterum sive diaconum, et eum de Ecclesia exterminare voluerit ; providendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Et idcirco habet potestatem, is, qui abjectus est, ut episcopos finitimos interpellet, et causa ejus audiatur et diligenter tractetur. Ille vero episcopus, qui juste vel injuste eum abjecit, patienter accipiat ut negotium discutiatur, et vel probetur ejus sententia pluribus, vel emendetur. Tamen, priusquam omnia diligenter et fideliter examinentur, eum, qui fuit communione privatus, ante cognitionem, nullus debet præsumere ut communioni sociel. Qui etiam, si communicare præsumpserit, et officium suum agere, gravius ex decretis puniendus arguitur. Nam in concilio Antiocheno est : « Si quis episcopus damnatus a synodo, vel si presbyter aut diaconus a suo spiscopo, et ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, nullo modo liceat eis nec in alia synodo spem restitutionis, aut locum satisfactionis habere. » Item in concilio Martini papæ ; « Si quis episcopus in concilio excommunicatus fuerit, sive presbyter aut diaconus ab episcopo suo, et post excommunicationem præsumpserit sive episcopus ille sive presbyter aut diaconus facere oblationem, vel matutinum vel vespertinum sacrificium in officio suo agere, sicut prius ; non liceat ei, nec in alio concilio spem reconciliationis habere, nec ultra reconciliari. » Item in concilio Africano : « Placuit universo concilio ut, qui excommunicatus fuerit, pro suo neglectu, sive episcopus sive quilibet clericus, et tempore suæ excommunicationis, ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam. Ex his igitur omnibus, sicut concludit archiepiscopus, non solum vere excommunicatus convincitur episcopus, sed etiam contemptu suo prorsus deponendus.

Episcopus econtra : Sententiam illicitam vel non legitimam dici determinat injustam, scilicet ex causa ut cum subest culpa propter quam infertur, vel ex animo, vel cum minore culpa quam deceat forte, per iracundiam vel ignorantiam infertur, juxta illud Agathensis concilii : « Episcopi, si, sacerdotali moderatione postposita, innocentes aut minimis cau-

sis culpabiles excommunicare præsumpserint, a vicinis episcopis commoneantur. » Tales etenim, ut episcopus prosequitur, sententiæ cum ordinatim dantur, nec per appellationem impediuntur, quamvis injustæ sint, tamen utique ligant, scilicet apud Ecclesiam, quamvis non semper apud Deum, cum tamen non fiunt apud Ecclesiam. Ut enim ait Origenes: « Exit a civitate, a fide, a charitate ; per hæc exit de castris ecclesiæ, etiam si voce episcopi non abjiciatur. Si aliquis econtra non recto judicio foras mittitur, sed si non egit, si non meretur, nihil læditur. Interdum enim qui foris mittitur intus est, et qui foris est intus retineri videtur. » Timendam tamen et tenendam vel injustam sententiam, secundum Gregorium, fatetur episcopis, nec contemnendam, ne forte, si contemnatur, ex ipsa, sicut addit Gregorius, tumida superbia reprehensionis, culpa quæ non erat fiat ; scilicet ut deinceps etiam apud Deum ex contemptu teneatur, qui prius apud Ecclesiam de pastoris tantum judicio tenebatur. Hoc igitur est, sicut distinguit episcopus, ubi sententia, sicut de facto, sic de jure quidem aliqua est, licet injusta. Ubi vero, quamvis de facto, nulla tamen de jure, velut quæ datur contra juris ordinem contra appellationem, contra rationem subditam, ibi quidem vere etiam injusta, sicut recte sentit episcopus, vel est, vel dici potest; nec etiam, si non servatur, vel ex contemptu convalescit. Quia quæ ab initio non valent sententiæ tractu temporis convalescere non possunt. Idemque qui contra eam communicaverit, vel non minus officium suum fecerit, prorsus in nullo reus est, nec pœnis præmissorum canonum ullatenus subjacet. Sic igitur integrum sibi statum jure defendit, nec excommunicatum, nec absolvendum se vere probat episcopus, imo nec prorsus ex aliquo vel prius, vel post facto, reum.

II

CAPITULA CONCILII ALEXANDRI TERTII HABITI TURONIS.

Cap. I. Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum Patrum constitutiones invaluit, ut sub annuo pretio sacerdotes ad ecclesiarum regimen statuantur ne id fiat, modis omnibus prohibemus. Quia dum sacerdotium sub hujusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.

Cap. II. Non satis viriliter avaritia in populo arguitur, si ab his qui in clero constituti sunt, et præcipue qui contempto sæculo religiosorum nomen profitentur, et regulam modis omnibus non cavetur. Prohibemus igitur, ne ab his, qui ad religionem transire voluerunt, aliqua pecunia requiratur : neve prioratus aut capellaniæ quælibet monachorum aut clericorum annua distractione vendantur, neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, pro illarum commissione ullum pretium exigatur. Hoc autem simoniacum esse sanctorum Patrum auctoritas manifeste declarat. Unde quisquis hoc de cætero præsumpserit, tam qui dederit, tam qui accepit, partem secum simoniæ non dubitet habiturum. Pro sepultura quoque chrismatis et olei perceptione nulla cuiquam pretii exactio intercedat: neque sub obtentu alicujus consuetudinis reatum suum aliquis tueatur, quia, diuturnitas temporis non minuit peccata sed auget.

Cap. III. Quia in quibusdam episcopatibus decani quidem vel archipresbyteri ad agendas vices episcoporum seu archidiaconorum et terminandas causas ecclesiasticas sub annuo pretio statuuntur, quod ab sacerdotii gravamen et subversionem judiciorum non est dubium redundare, id ulterius fieri districtius prohibemus : quod qui fecerit removeatur a Domino. Episcopus quoque cum hoc in sua diœcesi sustinuerit, et ecclesiastica judicia sua patitur dissimulatione subverti, canonica districtione plectatur.

Cap. IV. Non magnopere antiqui hostis invidia infirma membra Ecclesiæ præcipitare laborat, sed manum mittit ad desiderabilia ejus et electos quosque nititur supplantare, dicente Scriptura : « Es de ejus electis. » Multorum siquidem casum operari se putat, ubi pretiosius aliquod membrum sua calliditate detractum. Inde nimirum est quod se in angelum lucis more solito transfigurans, sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus et ecclesiastica negotia fidelius pertractandi regulares quosdam ad legendas leges et confectiones physicas ponderandas de claustris suis educit. Unde ne sub occasione scientiæ spirituales viri mundanis rerum actionibus involvantur, et in interioribus ex eo ipso deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus providere, de præsentis assensu concilii statuimus, ut nullus omnino post votum religionis, post factam in aliquo religioso professionem, ad physicas legesve mundanas legendas permittatur exire. Si vero exierit, et ad claustrum suum infra duorum mensium spatium non redierit, sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, et in nulla causa si patrocinium præstare tentaverit, audiatur. Reversus autem, in choro, capitulo, mensa et cæteris, ultimus fratrum semper existat, et nisi ex misericordia forte apostolicæ sedis, totius spem promotionis amittat.

Cap. V. Quamvis grave nimis et divini dignum animadversione judicii habeatur quod laici quædam quod sacerdotum est, in ecclesiasticis rebus usur-

pant, majorem tamen incutit formidinem ac dolorem, quod fomitem sui erroris in ipso Deo dicuntur aliquoties invenire, dum quidam fratrum et coepiscoporum nostrorum aliorumque prælatorum ecclesiæ decimas eis et ecclesiarum dispositionem indulgent, et in devia mortis compellunt, qui prædicatione ipsorum ad vitæ viam fuerant revocandi. De quibus dicit Dominus per prophetam: « Peccata populi mei comedunt, et ad iniquitatem provocant animas eorum. » Unde statuimus, ut quisquis alicui laico in sæculo remanenti ecclesiam decimamve concesserit, a statu suo, tanquam arbor quæ inutiliter terram occupat, succidatur, et donec emendet suæ ruinæ jaceat dolore prostratus.

Cap. VI. Majoribus ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus indecorum nimis esse videtur, ut minores clericorum præbendæ recipiant sectionem. Idcirco ut, sicut in magnis ita in minimis quoque membris suis firmam habeat Ecclesia unitatem, divisiones præbendarum aut dignitatum permutationes fieri prohibemus.

Cap. VII. Plures clericorum et quod merentes dicimus eorum quoque qui præsens sæculum professione vocis et habitu reliquerunt, dum communes usuras quasi manifestius damnatas exhorrent, commodata pecunia indigentibus possessiones eorum in pignus accipiunt, ut provenientes fructus percipiunt ultra sortem. Idcirco generalis concilii decernit auctoritas, ut nullus a modo constitutus in clero vel hoc vel aliud usuræ genus exercere præsumat. Et si quis hactenus alicujus possessionem data pecunia sub hac specie in pignus accepit, deductis expensis si sortem suam de fructibus inde percepit, absolute possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto, possessio libere revertitur ad dominum. Quod si post hujusmodi constituta in clero quispiam exstiterit quod detestandis usurarum lucris insistat, ecclesiastici officii periculum patiatur, nisi forte beneficium ecclesiæ fuerit, quod redimendum ei de manu laica hoc modo videatur.

Cap. VIII. In partibus Tolosæ damnanda hæresis dudum emersit, quæ more cancri paulatim se ad loca vicina diffundens, per Guasconiam et alias provincias quam plurimos jam infecit. Quæ dum in modum serpentis infra suas revolutiones absconditur, quanto serpit occultius, tanto gravius Dominicam vineam in simplicibus demolitur. Unde contra eam episcopos et omnes Domini sacerdotes in illis partibus commorantes vigilare præcipimus, ut sub interminatione anathematis prohibere, ne ubi cogniti fuerint illius hæresis sectatores, receptaculum eis in sua terra aut præsidium impertiri quisquam præsumat. Sed neque in venditione aut emptione aliqua cum eis communio habeatur, ut solatio saltem humanitatis amisso, ab errrore viæ suæ resipiscere compellantur. Quisquis autem contra hæc venire tentaverit, tanquam particeps iniquitatis eorum, anathemate feriatur. Illi vero si deprehensi fuerint, per catholicas principes custodiæ mancipati, omnium bonorum amissione multentur. Et quoniam de diversis partibus crebro in unum latibulum conveniunt, et præter consensum erroris nullam cohabitandi causam habentes in uno domicilio commorantur talia conventicula et investigentur attentius, et si inventi fuerint, canonica severitate vetentur.

III

JURAMENTUM MAGISTRI GIRARDI PUCELLE

ET ALIORUM A SCHISMATE REDEUNTIUM.

Ego Girardus refuto et anathematizo omnem hæresim extollentem se adversus sanctam Ecclesiam Catholicam, et præcipue schisma et hæresim Octaviani et Guidonis Cremensis. Ordinationes quoque eorum irritas esse pronuntio, et a modo ut antea obediens et fidelis ero domino papæ Alexandro ejusque successoribus Catholicis. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

IV

NARRATIO THOMÆ ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

De ampulla olei sancti, quos reges Angliæ ungi debent in coronatione, sibi divinitus ostensa.

Quando ego Thomas Cantuariensis archiepiscopus exsul ab Anglia fugiebam ad Franciam, veni ad papam Alexandrum, qui tunc Senonis erat, ut ei ostenderem consuetudines malas et abusiones quas rex Anglorum in Ecclesiam introducebat. Una autem nocte, cum essem in ecclesia Sanctæ Columbæ in oratione, rogavi Reginam virginum, ut daret regi Anglorum et hæredibus suis propositum et volunta-

tem emendandi se erga Ecclesiam et quod Christus pro sua misericordia ampliori dilectione ipsum diligere faceret Ecclesiam. Statim apparuit mihi beata habens in pectore istam aquilam auream, et in manu sua tenens parvam ampullam lapideam ; et accipiens aquilam de pectore suo, ampullam inclusit et aquilam cum ampulla in manu mea posuit, et hæc verbo per ordinem mihi dixit : « Ista est unctio, de qua ungi debent reges Anglorum, non isti qui modo regnant seu regnabunt, quia maligni sunt et erunt, et propter peccata sua multa amiserunt et amittent Sunt autem reges Anglorum futuri, qui unguentur unctione ista, benigni et pugiles Ecclesiæ erunt. Nam isti terram amissam a parentibus pacifice recuperabunt, donec aquilam cum ampulla habeant. Est autem rex Angliæ futurus, qui post unguetur unctione ista, qui terram amissam a parentibus, scilicet Normaniam et Aquitaniam, recuperabit suis. Rex iste erit maximus inter reges, et est ille qui ædificabit multas ecclesias in terra sancta, et fugabit omnes paganos a Babylone, et in eadem plures ecclesias ædificabit, et quotiescunque rex portabit aquilam in pectore, victoriam habebit de inimicis, et regnum ejus semper augmentabitur. Tu autem futurus es martyr. » Et tunc rogavi beatam virginem ut ostenderet mihi ubi custodirem tam pretiosum sanctuarium. Quæ dixit mihi : « Est vir in civitate ista, Willelmus monachus Sancti Cypriani Pictavensis, ejectus injuste ab abbate suo de abbatia, qui rogat papam ut abbatem suum compellat, ut eum in abbatiam reducat. Trado tibi aquilam cum ampulla, ut eam ad civitatem Pictavensium portet, et in ecclesia Sancti Gregorii, quæ est juxta ecclesiam Hilarii, eam abscondat in capite ecclesiæ versus occidentem sub lapide magno. Ibi invenietur tempore opportuno et erit unctio regum Anglorum, Capi... paganorum erit causa inventionis istius aquilæ. » Et hæc omnia sibi tradidi inclusa in quodam vase plumbeo.

PROPHETIA ANTIQUA CIRCA DICTAM AMPULLAM ET REGIBUS ANGLIÆ, ETC.

Ista prophetia transcripta est anno Domini 1407 in festo Sancti Matthiæ de una schedula valde vetusta, qd Fyshborne·)

Anno a creatione mundi sex millibus, quingentis LXXXVII annis, lilium regnans in nobili parte mundi movebitur contra semen leonis, et veniet in terram leonis, et stabit in agro inter spinas regionis illius. Tunc Filius hominis veniet ferens tres feras in brachio, cujus regnum est in terra lunæ. Cum magno exercitu transibit aquas, et ingredietur in terram leonis carentis auxilio, quia bestiæ regionis suæ pellem suam dilaceraverunt. Illo anno veniet aquila a parte orientali, alis extensis sub sole, cum multitudine pullorum suorum, in adjutorium Filii hominis. Illo anno multa castra destruentur : terror magnus erit in mundo ; et in quadam parte leonis erit bellum inter plures reges. Illa die erit diluvium sanguinis et lilium perdet coronam, de qua postea Filius hominis coronabitur. Per quatuor annos sequentes fient in mundo prælia multa inter fidem tenentes, et major pars mundi destruetur. Caput mundi erit in terram declinatum. Sed Filius hominis cum aquila prævalebit. Tunc erit pax in toto orbe terrarum et copia frugum. Et tunc Filius hominis admirabile signum sumens transibit ad terram promissionis, quia primo causæ promissa tunc adimpleta permanebunt.

Aquila est imperator ; Filius hominis est rex noster ; lilium est rex Franciæ ; leo est dux Burgundionum et dictus rex noster habet dictam aquilam cum ampulla.

—

V

COLLOQUIUM INTER CARDINALES ET ARCHIEPISCOPUM.

Hæc est actio, quæ celebrata est inter dominum Cantuariensem et regem Anglorum, inter Gisortium et Triam in præsentia cardinalium, Willelmi de Papia cardinalis presbyteri Sancti Petri ad Vincula, Odonis diaconi cardinalis Sancti Nicolai de carcere Tulliano.

Dominus Cantuariensis, in octavis beati Martini, advenit de Burgundia in regionem Wolcasinum ad Triam oppidum ad colloquium cardinalium qui a rege Anglorum a Cadomo occurrerent archiepiscopo ad Gisortium. Consederunt pariter inter Gisortium et Triam duo illi cardinales cum archiepiscopo Rotomagensi et multi alii ex parte regis : archiepiscopus quoque Cantuariensis sedis apostolicæ tunc nuntiatus legatus et cum eo exsules ejus Joannes Salesberiensis cum Herberto de Boseham, Lombardus de Placentia, Alexander Wallensis, Gaufridus prior de Panteneia et Garinus canonicus, Robertus et Gilbertus canonici capellani Cantuariensis, Joannes Cantuariensis, Alanus, Ricardus, Henricus et multi alii. Cæperunt cardinales multa proponere de charitate domini papæ et sollicitudine multa qua cruciabantur quotidie, pro procuranda pace et securitate domini papæ, Cantuariensis et suorum. Inde de suo adventu de urbe Romana, et laboribus et periculis itineris sui quod fecerant, exeuntes ab urbe mense Martio jam medio et pervenientes in Northmanniam mense Novembrio ; deinde de magnitudine regis Anglorum et de necessitate Ecclesiæ Romanæ, quæ multa beneficia habere solebat de rege et regno ejus, quibus tunc carebat, occasione discordiæ hujus. Deinde de malitia temporis, deinde de amore et beneficiis quibus rex Angliæ providerat

Cantuariensi,et de honore quem ei semper exhibuit. His subjunxerunt querelas et injurias,quibus rex a Cantuariensi se læsum esse conquerebatur,imponens ei inter cætera, quod ei excitaverat guerram regis Francorum : ad ultimum quæsierunt consilium : quomodo indignationem tanti principis placare possent, quia, inquiunt, sine multa humilitate et moderatione et magni honoris exhibitione, remedium tantis periculis adhiberi non poterit.

Hæc autem dicebant consulto, ut animum ejus terroribus frangerent,vel ad indignationem provocarent : quo vel minus sapienter vel minus humiliter responderet. Dominus vero Cantuariensis in omni humilitate et mansuetudine spiritus, sereno vultu, radiantibus oculis, et rosea facie,lingua Latina,facundissime et disertissime primum gratias agit domino papæ de charitate et sollicitudine quam habebat erga se et coexsules suos : mirante omni multitudine, quæ aderat,super prudentiam et responsum ejus.Ad singula enim quæ illi proposuerant, seriatim et eodem ordine respondet, rationibus veris et probabilibus,querelas regis evacuans et injurias Ecclesiæ et damna intolerabilia patenter exponens.Et quia humilitatem et delationem honoris ab eo exigebant, respondit se libentissime omnem humilitatem exhibiturum,et honoris et reverentiæ domino suo regi quantumcunque posset salvo honore Dei, et libertate Ecclesiæ,et personæ suæ honestate et possessionibus ecclesiarum.Et si iis videretur aliquid adjiciendum,rogavit cardinales ut consilium darent dicens se habere propositum acquiescendi sal valibertate conditionis,professionis et ordinis. Responderunt illi se non venisse ut ei, sedut eum consulerent et reconciliationis tentarent viam.Quæsierunt dehinc cardinales ab archiepiscopo,an in sua provincia vellet promittere observantiam consuetudinum Clarendoniæ, id est Cleri-Damni : quibus,secundum quod rex eis persuaserat,muneribus magnis datis et majoribus promissis,reges Anglorum audierant usos fuisse antecessorum suorum archiepiscoporum temporibus : et sic sopitis omnibus querelis in gratiam redire et repetere sedem suam et administrationem et pacem sibi et suis. Ad hæc respondit archiepiscopus,nullum prædecessorum suorum ab aliquo regum ad hanc professionem fuisse arctatum : neque se Deo auctore promissurum unquam ut observet consuetudines quæ Dei legibus patenter adversantur : quæ sedis apostolicæ convellunt privilegium; quæ Ecclesiæ perimunt libertatem ; quas dominus papa Senonis in illorum et multorum præsentia condemnavit : « Et ego,inquit,domini papæ secutus auctoritatem, quasdam earumdem consuetudinum cum observatoribus suis anathematizavi, sicut in multis jam conciliis catholica Ecclesia fecisse dignoscitur.Ideo ipsum scriptum regiarum constitutionum quas apud Cleri-Damnum statuisse dignoscitur, cum pravitatibus quæ in eo continentur in irritum duxi ac quassavi: præsertim eo quod non appellatur ad sedem apostolicam. » (*Vide quæ diximus in præfatione*).

—

VI

SUMMA CAUSÆ INTER REGEM ET THOMAM.

De prima manifestæ inter dominum Cantuariensem et dominum regem discordiæ causa

Henricus, nobilis rex Anglorum,dux Normanniæ et Aquitaniæ et comes Andegaviæ,venit Londoniam Kalendis Octob. anno Verbi incarnati 1163,et archiepiscopus Cantuariensis Thomas et Eboracensis Rogerius et omnes episcopi Angliæ. Sola autem et summa causa concilii fuit, ut metropolitanus Cantuariensis totius Angliæ primas esse solemniter monstraretur ; cui solus in hoc Eboracensis obviavit : cum ecce præter spem omnium,rex Anglorum quædam satis dura proponere cœpit.

Primo enim conquestus est de archidiaconorum violentia,quod aliorum delicta in sua verterent lucra, quod peccatorum pretia exigant,et de his suos supra modum luxus exerceant,cum tamen peccantibus debitam correctionem non impendant : dixitque se velle, ne archidiaconi quemquam quantumcunque infamem super aliquo crimine conveniant, præter officialis sui conscientiam. Moxque ad aliud sermonem vertens : « Cogito, inquit, cogitationes pacis, moveorque multum pro bono pacis, quæ in regno meo clericorum malitia perturbatur, qui rapinas et furta perpetrant. et homicidia plerumque. Peto igitur et volo, ut tuo, domine Cantuariensis, et coepiscoporum tuorum consensu clerici in maleficiis deprehensi vel convicti vel confessi exauctorentur illico,et mox curiæ meæ lictoribus tradantur, ut omni defensione ecclesiæ destituti, corporaliter puniantur.Volo etiam et peto,ut in illa exauctoratione,de meis officialibus aliquem interesse consentiatis,ut exauctoratum clericum mox comprehendat, ne qua ei fiat copia corporalem vindictam effugiendi. »

Ad hæc,dominus Cantuariensis,cum super petitionis hujus responso nec usque mane impetrare posset inducias, secessit in partem cum episcopis suis. Moxque hinc inde allegatum est : episcopi dicebant secundum leges sæculi clericos exauctoratos curiæ tradendos, et post pœnam spiritualem, corporaliter puniendos,quoniam quo digniores sunt ex privilegio, eo deteriores judicantur in delicto ; et quo deteriores in delicto, eo graviori sunt afficiendi supplicio. « Non ergo mirum, inquiunt, et

privationem ordinis sequatur supplicium corporis.» Id ipsum etiam non solum legibus, sed etiam authenticis probabant exemplis ; Levitas Veteris Testamenti proponentes in medium, quos reos forte flagitii lege prohibiti, sequebatur mors corporis ; vel juxta similitudinem criminis, multatio in membris.

Dominus vero Cantuariensis sacris canonibus consentiens, in contrarium allegabat, asserens omnino injustum fore, et contra canones, et contra Deum, si ob unius punitionem delicti, duo quis subeat judicia. « Nec enim Deus judicat bis in idipsum. » — Quod enim, inquit, judicat Ecclesia, aut justum est aut injustum : sed non dabis injustum, erit ergo justum. Quod, cum non contineat absolutionem, continet damnationem. Si ergo damnatur reus, cum exauctoratur, non debet aliud judicium inchoari ad ejusdem condemnationem peccati. Ad hæc quoque cavendum est, inquit, nobis, ne nostro consensu opprimatur et pereat libertas Ecclesiæ : pro qua, exemplo summi sacerdotis nostri, ex officio tenemur usque ad mortem certare. Nondum autem usque ad mortem restitistis. »

Ad hæc episcopi pereuntem ecclesiæ libertatem nullum periculum afferre ecclesiæ dicebant ; sed, aiunt. Potius nunc expedit, ut pereat, ne toti pereamus. Faciamus ergo quod rex petit ; alioquin peribit fuga a nobis, et non erit, qui requirat animas nostras. Regi vero consentientes, hæreditate possidebimus sanctuarium Dei, et in possessionibus ecclesiarum nostrarum securi dormiemus. Malitiæ etiam temporis hujus multa indulgenda sunt. [Hoc enim dictum est propter schisma, quod tunc fuit in Romana Ecclesia : erat namque apud Alemanniam quidam antipapa.] Hæc dicebant episcopi tanquam diei malitia sua non sufficiat, nisi et ipsa augeatur per malitiam episcoporum.

Ad hæc dominus Cantuariensis zelo domus Dei succensus : « Video, inquit, vos vestras inertias sub specie sustinentiæ consolari, et dispensationis vestræ prætextu, sponsæ Christi libertatem suffocari. Et quis vos fascinavit, o insensati pontifices ? Quid prudenti vocabulo dispensationis manifestam iniquitatem vestram contegitis ? Quid vocatis dispensationem, totius Ecclesiæ Christi dispendium ? Rebus vocabula serviant ; non cum rebus pervertantur vocabula. Quod autem dicitis, malitiæ temporis multa fore indulgenda ; assentior certe, sed non ob id peccata accumulanda esse peccatis. Potens est Deus Ecclesiæ suæ conditionem facere meliorem, quamvis non efficiamini deteriores. Nunquid impotens est Deus subvenire sanctæ Ecclesiæ, nisi per vitia doctorum Ecclesiæ ? Arbitror vos compati infirmitatibus Christi, quasi impotens sit sponsam suam erigere, nisi sensibus nostris adjuvetur. Revera tentat vos Deus. Quæso namque quando se debent episcopi offerre discrimini ? Nunquid in tranquillitate et non in discrimine ? Erubescitis certe fateri, quod in tranquillitate. Restat ergo, ut cum in Ecclesia est perturbatio, pastor ecclesiæ opponat se periculo. Nec enim majoris meriti fuit olim episcopis, in suo sanguine Ecclesiam Christi fundare quam nostris temporibus pro Ecclesiæ libertate sanguinem fundere. Et ego quidem, Deo teste, affirmo, non esse nobis tutum a forma illa recedere, quam a sanctis patribus nostris accepimus. Nec nos quemquam morti debemus exponere cum etiam judicio sanguinis nobis non licet interesse. »

Hæc verba mox ad regem relata sunt. Videns illico quamplures Ecclesiæ, non dico columnas, sed arundines, vento agitari et trepidare, audito quod non per omnia voto regis essent pariturі. Et certe
B statim ante minas cessissent, nisi domini Cantuariensis constantiam persensissent. Videns autem rex, in quod in verbo illo, ubi voluit proficere, non valuit, citius ad alia se convertit, sciscitans ab eis, si consuetudines suas regales essent ei per omnia servaturi. Dominus vero Cantuariensis cum consilio locutus. « Etiam, inquit, in omnibus ; salvo tamen per omnia et in omnibus ordine nostro. Et cum postea id ipsum rex a singulis ex ordine quæreret, erat quidem tunc vox illa in ore omnium. Cum vero diutius instaret, volvens et revolvens, si consuetudines suas regales absolute et absque apposita ordinis sui salvatione, simpliciter omnino se ei servaturum promitteret dominus Cantuariensis ; a Christi vicario, quod voluit obtinere non valuit. Turbatus
C est ergo rex vehementer, et omnis Jerosolyma cum illo : subitoque in illa spiritus vehementia exsiliens. Londonia discessit universis negotiis suis infectis, et ratiociniis pendentibus. Videres tunc murmur in populo, commotionem in clero. Episcopi turbati et tremuli, regem abeuntem sunt prosecuti ; metuentes, se non prius regem inventuros, quam audirent se omnia bona sua perdituros. Moxque operati sunt cum rege occultam conventionem, omni mentione Dei et ordinis sui postposita : et tam facile regis petitioni assensum præbuerunt, ut viderentur consensisse antequam ille petisse adeo ut qui inter eos æstimabantur scientiores, ad opprimendam Ecclesiæ libertatem fierent proniores. Cantuariensis autem solus præsul resedit, considerans ad dextram et ad
D sinistram ; nec fuit qui cognosceret eum. Requirebat in fratribus solatium ; at illi abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant. Hacem denique peccatorum videns, et sibi undique imminere discrimen : « Unum, inquit, locutus sum ; quod terreni regis regales nullatenus servarem consuetudines, nisi salvo in omnibus ordine meo. » Ob id offensam regis incurri : ob id episcopi mei dereliquerunt me ; ob id totius orbis oculos offendi. Sed quid ? Velit, nolit mundus : ego cum mortali paciscens homine, nullo unquam tempore Dei mei et ordinis mei immemor ero, Deo volente. Absit a me, ut cujusquam mortalis metu vel gratia Deum inveniar contempsisse ! Si angelus de cœlo venerit, et tale mihi consilium dederit, anathema sit. »

De compromissione et consensu archiepiscoporum et omnium episcoporum super consuetudinibus regni.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, papatus Alexandri anno sexto, illustrissimi regis Anglorum Henrici II anno undecimo in præsentia ejusdem regis facta est hæc recordatio vel recognitio cujusdam partis consuetudinum, et libertatum, et dignitatum antecessorum suorum, videlicet regis Henrici avi sui, et aliorum, quæ observari et teneri deberent in regno. Et propter dissensiones et discordias, quæ emerserant inter clerum et justitias domini regis, et barones regni, de consuetudinibus et dignitatibus regni, facta est ista recordatio vel recognitio coram archiepiscopis, et episcopis, et clero, et comitibus et baronibus, et proceribus regni. Et easdem consuetudines recognitas per archiepiscopos et episcopos, et comites et barones, et per nobiliores et antiquiores regni, Thomas sanctæ memoriæ Cantuariensis archiepiscopus, et Rogerus Eboracensis archiepiscopus, et Gilbertus Londoniensis episcopus, et Henricus Wintoniensis episcopus, et Nigellus Eliensis episcopus, et Willelmus Norwicensis episcopus, et Robertus Lincolniensis episcopus, et Hilarius Cicestrensis episcopus, et Joselinus Saresberiensis episcopus, et Ricardus Cestrensis episcopus, et Bartholomeus Exoniensis episcopus, et Robertus Herefordensis episcopus, et David Menevensis episcopus, et Rogerus Wigorniensis electus, concesserunt et in verbo veritatis viva voce firmiter promiserunt tenendas et observandas domino regi et hæredibus suis, bona fide, et absque malo ingenio, præsentibus istis : Roberto comite Legecestriæ, Reginaldo comite Cornubiæ, Conano comite Britanniæ, Joanne comite de Augo, Roberto comite de Clarend., comite Gaufredo de Mandavilla, Hugone comite Cestrensi, Willelmo comite de Arundel, comite Patricio, Willelmo comite de Ferrariis, Ricardo de Luci, Reginaldo de sancto Walerico, Rogerio Bigot, Reginaldo de Warennis, Richerio de Aquila, Willelmo de Braiosa, Ricardo de Cambilla, Nigello de Mowbray, Simone de Bello-Campo, Humfrido de Boun, Mattheo de Herefordia, Waltero de Meduana, Manasse Biseth Dapifero, Willelmo Malet, Willelmo de Curci, Roberto de Dunstanvilla, Joselino de Baillolio, Willelmo Lanvalis, Willelmo de Caisneto, Gaufrido de Ver, Willelmo de Hastinga, Hugone de Morevilla, Alano de Nova Villa, Simone filio Petri, Willelmo Malduit Camerario, Joanne Malduit, Joanne Mariscallo, Petro de Mara, et multis aliis proceribus et nobilibus, regni, tam clericis quam laicis.

Consuetudinem vero et dignitatum recognitarum quædam pars in præsenti scripto continetur. Cujus partis capitula hæc sunt :

Cap. I. De advocatione, etc. (*Vide has sedecim constitutiones apud Hebertum de Bosham, infra.*)

Facta est autem prædictarum consuetudinem et dignitatum recordatio regiarum a præfatis archiepiscopis, et episcopis, et comitibus, et baronibus, et nobilioribus et antiquioribus regni, apud Clarendonam, quarta die ante purificationem Sanctæ Mariæ perpetuæ virginis, domino Henrico filio regis cum patre suo domino rege ibidem præsente.

De exsilio et proscriptione domini Cantuariensis et propinquorum ejus.

Thomas igitur Deo dignus archiepiscopus Cantuariensis, juxta sanctorum Patrum instituta, quæ ad ecclesiam suam juste pertinere cognovit, congregata conservare et dispersa revocare satagens, prædia Ecclesiæ a prædecessoribus suis minus juste donata vel dimissa, variis tunc de causis, his qui nimia potestate præditi vel affinitate ipsius conjuncti erant, revocare et pristinum jus Ecclesiæ reformare nitebatur, quoniam œconomo Ecclesiæ ecclesiastica prædia colere et augere, non negligere nec minuere licet. Clericos etiam qui de curia regis erant cum eorum deprehenderet incuriam et cætera omnia quæ ad ecclesiasticam jurisdictionem pertinent, ita sibi vindicabat, ut sacrilegi et rerum ecclesiasticarum invasores, cum quibusdam episcopis, et simili schemate clericis, regem et omnem ejus familiam adversus sanctum Domini exasperarent, et in tantum exacuerent, ut post compromissionem illam factam apud Clarendonam, circa proximum Sancti Michaelis festum, præfatus archipræsul Northamtoniam quasi ante tribunal Cæsaris judicandus citaretur. Die statuta, cum ei pro certo intimatum esset quosdam ex regalibus in mortem suam conspirasse, quia interiorem hominem veste sacerdotali, juxta hoc quod dicitur : « Sacerdotes ejus induam salutari, » jam pridem induerat nunc exteriorem indumento sacerdotis superficiario sub birro secretius munivit, crucem propriis manibus bajulans, ne a se suæ passionis elongaretur exemplum. Archiepiscopus igitur nobilis, solo Deo comitatus, cum ab universis et super multis causis impeteretur, ne stans personam sacerdotis oneraret, residens, quod ei divinitus inspiratum est, mirifice respondit majorem scilicet a minoribus suis non debere ad judicium vocari, neque eorum sententia ligari. Ordo enim confunditur, si pastorem ovis feriat, si discipulus magistrum, si filius patrem verberet. Non enim ita pretiosius aurum est plumbo, sicut sacerdotalis dignitas regia potestate sublimior. Laici vero suffraganei sui, imo jam nunc magis refraganei, eum hæc dicentem et sedem apostolicam appellantem nihilominus condemnaverunt. Sed vir sanctus clam ut potuit paucis comitatus, appellationem suam prosequens, sanctissimum papam Alexandrum tertium Senonis invenit, et ad pedes ejus se provolvens, causam sui adventus non ignoranti exposuit. Posteaque, ut pro certo cognitum est, juri archipræsulatus sui in manu domini papæ resignavit, expostulans ut aliquem doctiorem et fortiorem de Anglorum Ecclesia in eorum metropoli constitueret cardinalem. Sanctus autem papa elevans filium suum amplexatur osculatur, lacrymas lacrymis immiscens, Deo, referens gratiam, quod virum tam humilem spiritu

pastorem tam sollicitum in salute ovium, advocatum tam constantem in causa, imo in multis causis Dei invenisset. Dignitatem igitur, quam refutaverat, quia neminem ad hoc onus fortiorem esse cognoscebat, dominus papa reddendam ei decrevit, renitenti et invito. Ventilabatur itaque inter ipsum et regem contentio, rege consuetudines regni sui, ut asserebat, confirmare volente, archiepiscopo imo Ecclesia Romana reclamante, quod illæ consuetudines veritati per electos Dei manifestatæ in multis casibus obloquerentur, veritatique manifeste cedere consuetudines oportere. Invenitur enim Christus aliquando dixisse: « Ego sum veritas, » sed nunquam dixit: Ego sum consuetudo. Et ita altercatio ista sub hoc Marte inter has personas agitabatur, regnante felicissimo rege Ludovico filio Ludovici regis supra Francorum nationem et exhibente præfatum archiepiscopum, quia rebus Ecclesiæ suæ penitus erat proscriptus, necnon et clericos qui secum morabantur, qui similiter possessionibus suis privati erant, quousque ad gratiam sæpedicti regis redirent, et consuetudines, super quibus lis orta fuit et adhuc per appellationem suspensa, se non impugnaturos promitterent.

Nam in eos rex talia promulgaverat edicta, singulis Angliæ vicecomitibus sic mandans :— « Præcipio tibi quod si aliquis laicus in baillia tua Romanam curiam appellaverit, eum capias et firmiter custodias donec voluntatem meam præcipiam ; et omnes reditus et possessiones clericorum archiepiscopi saisias in manum meam, sicut Randulphus de Broch et alii ministri mei tibi dixerint, et omnium clericorum qui cum archiepiscopo sunt, patres et matres, fratres et sorores, nepotes et neptes ponas per salvos plegios et catalla eorum donec voluntatem meam inde præcipiam. Et hoc breve tecum afferas cum submonitus fueris. »

Singulis vero episcopis scripsit sic : — « Nostis quam male Thomas archiepiscopus operatus est adversum me et regnum et quam male recesserit. Et ideo mando tibi quod clerici sui qui circa ipsum fuerunt post fugam suam et alii clerici qui detraxerunt honori meo et honori regni, non percipiant aliquid de reditibus illis quos habuerunt in episcopatu tuo nisi per me, nec habeant aliquod auxilium nec consilium a te. Teste Ricardo de Luci apud Merlebergam.

Sed cum nec propter proscriptionem sui vel clericorum suorum sanctus sacerdos in aliquo flecteretur, jussi sunt tam majores quam parvuli utriusque sexus de cognatione sua, necnon et quidam familiares ejus ut magis ex his contristaretur exsulare. Prætaxatus vero archiepiscopus cum parvulorum deportationem cognosceret, quorum adhuc alimenta in maternis pendebant uberibus, ita contristatus est tanquam ipsius animam pertransisset gladius. Sed reminiscens quoniam Abrahæ dictum est : « Egredere de terra et de cognatione tua, » sicuti et terram ita et cognationem suam postponendam Ecclesiæ honori penitus destinavit, quia contra Dominum nulli hominum aliquid debetur.

VII

DE JURAMENTIS CONTRA ROMANAM ET CANTUARIENSEM ECCLESIAM PUBLICE PER ANGLIAM PRÆSTITIS.

Anno ab Incarnatione Dominica 1069, rex Henricus jurare facit omnem Angliam, a laico duodecim vel quindecim annorum supra, contra dominum papam Alexandrum et beatum Thomam archiepiscopum, quod eorum non recipient litteras neque obedient mandatis, et si quis inventus foret litteras eorum deferens, traderetur potestatibus tanquam coronæ capitalis inimicus regis. Archiepiscopus, hoc audito, tanto compatiens errori et apostasiæ, misit litteras, quæ sequuntur (*vide epist. S. Thomæ, col.* 550), ad quosdam timoratos Dei ut cæteros absolvant.

Capitula vero constitutionum, quas rex Henricus eodem anno in Normannia constituit et justitiis suis, Ricardo de Luci et duobus archidiaconis Galfrido Ridell Cantuariensi et Ricardo Pictaviensi, omnibusque principibus et populis Angliæ juranda et servanda contra dominum papam et archiepiscopum mandavit, continentur in prima parte epistolarum cum capitulis dignitatum regiarum et consuetudinum avitarum, quæ apud Clarendonam in præsentia domini regis ab archiepiscopis, episcopis, et baronibus et nobilioribus et antiquioribus regni recordatæ sunt et confirmatæ.

(*Has constitutiones in Normannia anno* 1169 *promulgatas vide in Quadrilogo secundo.*)

VIII

FRAGMENTUM AD FISCUM PERTINENS.

Dicetis super sacramentum vestrum quid vicecomes vel bailivi eorum ceperint quoquomodo de singulis hundredis, singulis villatis, singulis hominibus postquam rex transfretavit. Dicetis quot et quas ter-

ras vicecomes vel bailivi eorum emerint vel invadiaverint. Dicetis quid et quantum vicecomes vel bailivi eorum dederit justitiis errantibus. Dicetis quid actum sit de catallis fugitivorum, qui propter assisam de Clarenduna fugerunt. Dicetis, si aliquis fuit retentus et postea præmio relaxatus et reversus, Dicetis quid datum sit ad filiam regis maritandam, et cui traditum sit. Dicetis si vicecomes vel bailivi eorum domini villarum aliquam pacem fecerint vel faciant cum hominibus gravatis ne querimonia coram rege vel justitiis veniret. Dicetis de admerciatis si quis relaxatus fuerit et per quem. Dicetis si aliquis est qui homagium non fecerit domino regi A vel filio suo. Dicetis de dominiis domini regis, si sic sunt ut rex præcepit antequam rex transfretavit. Dicetis de his qui habent aliquam bailiam de rege in custodia, sive de archidiaconatibus; sive de episcopatibus, sive de abbatiis vel de aliqua eschaeta, quid ipsi vel bailivi eorum ceperint, vel quid in bailia illa acquisierint. Dicetis quid forestarii vel bailivi eorum ceperint de forestis domini regis, et si aliquem relaxaverint, qui retentus fuerit de foresta. Dicetis quid domini villarum vel seneschalli eorum ceperint præter rectam consuetudinem, Dicetis quid et quantum archidiaconi vel decani ceperint injuste et sine judicio.

—

DE SCHISMATIS INNOVATIONE.

Hoc est jusjurandum quod juravit Joannes Sil. et Henricus de Oxenfordia apud Coloniam, cujus occasione juramenti schisma jam fere emortuum revixit in Alemannia, et ipse cum socio Ricardo de Ilcestre hæresi damnata involutus est, sicut in Anglia etiam participatione illius grandis et insignis schismatici Coloniensis Reginaldi excommunicationis sententiam contraxerunt.

Cum clerum plurimum et principes suos ad concilium suum in hac solemnitate Pentecostes imperator adunasset, Sabbato et secunda feria tractatum est de pace et concordia inter nos et ipsum reformanda. Ad hæc superveniens Coloniensis electus in medio omnium protestatus est: « Domine imperator concilia quæ adversus papam Alexandrum huc usque captasti ad destitutionem ejus, nihil tibi profuerunt, nihil ei nocuerunt. Nam et de nostris plurimi ei obediunt et adhærent, sicut dominus Moguntinus et alii. Sed si mihi et consilio meo acquieveritis, in promptu erit et Alexandri dejectio et papæ nostri Paschalis exaltatio. En ego acquisivi parti nostræ quinquaginta episcopos cum archiepiscopis suis et plures numero de dominatione regis Angliæ, qui papæ Paschali adhærebunt et nobis, si vox Alexandri obe- C dientiam et eo decedente cujusque de parte ejus electi abjuraveritis. Inque certitudinem hujus rei ecce præsentes adsunt duo nuntii regis Anglorum parati in persona domini sui júrare, quod ratum habebit et jurabit quod vos hic jurabitis super hoc et statuetis. » Placuit imperatori forma consilii, et se nomen Alexandri et obedientiam in perpetuum abjuraturum promisit. Cumque clerus de sententia et consensu interrogaretur et instantius conveniretur, ait Magdeburgensis et plurimi alii; quoniam futura incerta sunt et plerumque quem eligunt principes, abjicit Deus, et quem populus approbat, improbat Deus, temerarium esse hujusmodi sacramentum et se prius regalia relicturum quam ita juraturum. Ait imperator eum oportere et regalia retinere et cum eo ita jurare. Cumque jam excandesceret ira imperator, Magdeburgensis ad mitigandum vel differendum rem ait: « Si dominus Coloniensis, B qui hujusmodi consilium et sacramentum induxit, primus omnium abjuraverit Alexandrum et juraverit quod ordinationem suam et consecrationem a Paschali recipiet, de secreto animi sui certiores nos reddet: omnem scrupulum suspicionis pravæ mentibus nostris auferet: nosque sic in hujusmodi sententiam et sacramentum facilius inducet. » Acquievit imperator. Cumque Coloniensis ita primo jurare jussus detrectaret, et etiam usque ad lacrymas reniteretur, vehementer accensus imperator ait: « En apparet quod tanquam proditor operatus sis adversum me et animam meam. En apparet quod sanum consilium dedit mihi Moguntinus defuncto Octaviano dicens quod cum Dominus, eo mortuo, me a periculo maximo jam liberasset, caverem mihi ne me iterum periculo consimili involverem. Unde tibi missis mandatis scripsi ne me inconsulto do substituendi pontificis electione quidquam tractares, tu vero clam me auctoritate tua istum elegisti et *Te Deum laudamus* per te decantasti. Parasti nobis foveam; primus modo incides in eam. » Sicque Coloniensis primus et absolute juravit in supradictam formam, Posmodum imperator obedientiam vestram et cujusque de parte vestra electi abjuravit: hoc sane retento et determinato quod si contigerit et nos et Paschalem decedere et utraque pars in unam personam eligendam concorditer convenerit, liberum sit ei assentire et eam recipere. Tunc Coloniensis adjecit ita, si de consensu vestro fuerit celebrata electio et addidit quod faceret principes suos jurare et eos qui aderant, et eos qui aberant, in partibus suis et provinciis suis in consimilem formam et quod ipso decedente imperatore non prius alium imperialibus insignibunt, quam ipse substituendus idem præstet sacra-

mentum abjurationis. Tunc juravit dux Saxonum marchio Albertus, quidam comes palatinus frater imperatoris et quidam sororius ejus. Magdeburgensis archiepiscopus tandem et cum lacrymis abjuravit, hoc adjecto, quandiu regalia retinebit et si omnes qui aberant idem jurent. Postmodum Brunensis duoque alii suffraganei ejus juraverunt et nuntii regis Angliæ in personam ejus. Duo episcopi excusati per absentiam archiepiscopi sui non juraverunt, sed dilatum est eorum et cæterorum, qui aberant, sacramentum usque ad octavas Petri et Pauli.

—

X

GRADUS COGNATIONIS INTER REGEM ET REGINAM.

Hanc computationem præsentaverunt Pictavienses cardinales, quando sanctus Thomas exsulabat, sed non sunt auditi.

Sic computati sunt gradus cognationis inter regem Anglorum et reginam. Willelmus rex Anglorum et Robertus comes Moritonii uterini fratres fuerunt. De Willelmo natus est Henricus; de Henrico Mathildis imperatrix; de Mathildi rex Henricus. Item de Roberto comite nata est Beatrix comitissa Pictaviensis; de Beatrice Willelmus comes; de Willelmo comite Alienoris regina.

—

XI

REVOCATIO ARTICULORUM QUOS REX HENRICUS SECUNDUS VOLUIT ECCLESIAM ANGLICANAM OBSERVARE.

In Dei nomine, Amen! Anno Domini 1173, coram venerabilibus in Christo patribus et dominis, domino Alberto divina dignatione tituli Sancti Laurentii in Lucina et Theodwino tituli Sancti Vitalis presbyteris, cardinalibus, et apostolicæ sedis legatis, priore et conventu Ecclesiæ Cantuariensis ac aliis quampluribus regni Angliæ personis, in Ecclesia conventuali Sanctæ Trinitatis Cantuariensi congregatis. Nos Henricus Dei gratia rex Angliæ, dux Normannorum pœnitentiam a vobis dominis legatis auctoritate apostolica in remissionem peccatorum nostrorum injunctam, humiliter et devote perficere volentes, in litteris scriptis publice et palam revocamus, abdicamus, renuntiamus et resignamus omnes illas malas consuetudines, contra illas antiquas libertates Ecclesiæ Anglicanæ per nos nequiter inductas, easque et earum singulas pro nobis et hæredibus nostris totaliter dimittimus in perpetuum, pro quibus beatus Thomas nuper Cantuariensis archiepiscopus usque ad mortem decertavit. Præterea ad honorem omnipotentis Dei, beatæ Mariæ Virginis et omnium sanctorum, ac in remissionem peccatorum nostrorum, concedimus pro nobis et hæredibus nostris, quod Ecclesia Cantuariensis ac omnes aliæ ecclesiæ Anglicanæ sint liberæ, et habeant omnes libertates illæsas, sicut habere consueveruut ante coronationem nostram. Et quod omnes ecclesiæ in regno nostro Angliæ per nos vel hæredes nostros de cætero fundandæ gaudeant omnibus et singulis libertatibus prædictis. Ita quod occasione vocationis earumdem, vel alicujus earum, temporalia earumdem ecclesiarum per nos vel hæredes nostros concedenda minime in manus nostras seu hæredum nostrorum capiantur seu salsentur; et si aliqua occasione præmissa capiantur seu saisentur, volumus et concedimus per præsentes quod sine dilatione integre restituantur et liberentur, nulla inde exactionis alicujus ratæ ratione præmissa per nos vel hæredes nostros ab iisdem vel ab aliqua earumdem aliqualiter exigenda vel præcipienda. Protestamur etiam et promittimus bona fide pro nobis et hæredibus nostris ad auxiliandam, corrigendam, emendandam et dilatandam prædictam revocationem, abdicationem, renuntiationem, resignationem nostram forma meliori, ad honorem Dei et Ecclesiæ, ad nos vel hæredes nostros ad hoc per archiepiscopum Cantuariensem seu per aliquem prælatorum regni nostri porrecta, qui pro tempore fuerint ac hoc debite fuerint requisiti. Acta sunt hæc anno Domini supradicto.

XII

HÆC SUNT CAPITULA PURGATIONIS.

Quam præstitit Eboracensis quarta manu juratorum, quorum unus fuit magister Vacarius.

Quod ipse consuetudines avitas, super quibus A vertebatur controversia inter regem et dominum Cantuariensem, nec scripto nec juramento firmaverat.

Quod ipse nee opere nec sermone, nec per se nec per interpositam personam, scienter aliquid machinatus est, quod dominum Cantuariensem in mortem traheret.

Quod litteras domini papæ in Angliam destinatas de inhibitione coronationis filii regis nec recepit nec vidit, nec aliquid fieri fecit, quo minus eas videret vel reciperet.

Quod ipse in coronatione filii regis debitum juramentum recepit integre, nec aliquid omisit quod in coronatione regis Angliæ præstari solet.

—

XIII

STEPHANI LANGTON

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

TRACTATUS DE TRANSLATIONE BEATI THOMÆ.

1. Translationis beati Thomæ memoriam annuæ B devotionis studio recolentes ante mentis oculos statuamus, quod debellatoribus Ecclesiæ primitivæ dicitur per prophetam, ut nostræ servitutis debitum fidelius persolvamus, et ad ministerium nostrum implendum validius accingamur. Ait siquidem Zacharias: « Bibentes inebriabuntur quasi vino, et replebuntur ut phialæ et quasi cornua altaris, et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui, quia lapides sancti elevabuntur super terram. » Nulli vero videatur indecens aut indignum, quod agere volentibus diem festum bellatores proponimus in exemplum. Necessarium est enim, ut solemnia celebrantes sint ad spirituale prælium expediti, ne dum sanctorum merita venerantur, inimicorum jaculis vulnerentur. Quod bene significat C ille bellator egregius, Judas videlicet Machabæus qui sancta mundare disponens et templum Domini dedicationis officio renovare, ordinavit viros, qui pugnarent interim adversus eos qui erant in arce.

2. Hujus exemplo solemnius insistentes, contra malignos spiritus in arce superbiæ residentes viriliter dimicemus. Qui peccati venenum festivitatis vino miscentes interficiunt infelices, qui solemnitatum obtentu negotium ventris agunt, et spirituale gaudium exsultatione carnali corrumpunt. Imitemur ergo charissimi, Matathiam et filios ejus, qui cum fidelibus Antiocho resistentibus provide statuerunt, ut contra gentes, quæ tempore Sabbatorum in eos insurgent, unanimiter dimicarent. Nos namque prudenter et fortiter hostibus resistamus, qui Sabbata nostra perturbant, et iniquis subreptionibus machinantur, ut spirituale gaudium, in perniciem transeat animarum, quod ad earum remedium est statutum. Si enim lætitiæ frena laxantes prætextu lætitiæ, lasciviam amplectamur, et abjecto cingulo disciplinæ viri ecclesiastici fuerint dissoluti, hostes ecclesiam intuentes ejus Sabbata deridebunt. Cum igitur in psalmo legamus, quod in justorum tabernaculis vox exsultationis resonet et salutis, si justi esse volumus, attente curemus, ut si apud nos fuerit vox exsultationis, eadem sit et salutis. Nec exsultatio salutem excludat, aut temporale gaudium dolorem perpetuum introducat.

3. Tota mentis intentione vitemus, ne juxta Thadæi testimonium Dei nostri gratiam in sanctorum gloria constitutam in luxuriam transferamus. Quoniam in judicium sunt proscripti, et damnationis titulo jam notati, qui temeritatis hujus audaciam attentare præsumunt. Dies enim festos quos in hac vita lætitia prosequitur, inhonestæ vitæ terminus juxta verbum propheticum in lamentationem convertet et luctum. Quis namque miretur, si Domino servire cogantur in pœnis, qui eum coegerunt in suis servire peccatis, juxta quod conqueritur per prophetam qui suam et sanctorum gloriam ad voluptatem retorserunt et culpam? Modum autem et formam solemnitatibus celebrandis scriptura præscribit, quæ cujusdam festivitatis celeberrime gaudia prosequens asserit omnem secundum facien

sanctorum fuisse jucundum. Qualis vero sit ista solemnitas, Apostolus docet dicens: « Fornicatio, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. » Vir enim sanctus, licet in Jericho conversetur, faciem tamen euntis in Hierusalem non amittit, quia licet eum in mundo detineat conversatio corporalis, faciem tamen retinet ad cœlestia suspirantis.

4. Bellatores itaque primitivos, sicut diximus, imitemur, quorum probitas nos invitat, ut in diebus festis hostes fortiter impugnemus. Sermo propheticus laudans ait: « Bibentes inebriabuntur quasi vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris, » etc. Hæc verba non solum præliatores primos indicant, sed et sanctorum solemnia celebrantes reformant. Tria namque notantur in his verbis, propter quæ salubriter statutum est, ut Ecclesia solemniter celebret festa sanctorum. Prima causa est gaudium, ut in Domino gaudeamus eorum beatitudini congaudentes, quos ipse pie dilexit, excellenter ornavit stola gloriæ induit, et magnifice coronavit. Gaudium autem notat prima clausula verbi prophetici supra præmissi. Secunda causa est exemplum, ut nos qui sanctorum merita recensemus, in sensu bonorum operum eorum vestigiis insistamus, et eos mentis gressibus imitemur, de quorum patrocinio gloriamur. Secunda clausula supraposita denotat hanc causam. Qui enim pro virium facultate sanctorum operibus se conformant congrue vasis sacris et altaris cornibus conferuntur, ut sequentia declarabunt. Tertia causa est subsidium, ut qui de sanctorum meritis gratulantur, de eorum patrocinio glorientur. Nec eis in auxilio sancti desint sed obsequium sibi factum vicissitudine grata compensent. Hanc tertiam causam notat tertia clausula verbi præmissi. Viatorem ad superna tendentem, et per festivitatem annuam ad continuam suspirantem refrigerant ista tria. Quoniam ab exemplo deducitur, a subsidio sustentatur, a gaudio refovetur. Exemplum enim obtinet vicem ducis, subsidium adjutoris, et ne solatium ei desit, gaudium his duobus assistit.

5. Quid autem magis expedit viatori, quam ut iter ejus sit certum, securum, et lætum ? Ad quæ omnia sufficiunt ista tria: « Quoniam exemplum certitudinem, subsidium securitatem, gaudium, lætitiam administrat. » Ecce quanta suavitas ex observantia festivitatem emanat, quæ per gaudium, de quo diximus, indicatur. Ecce qui fructus de solemnitatibus colliguntur, si pia devotione fuerint observatæ, quos subsidium et exemplum superius expressa designant. Unde cum propheta sanctos lapides super terram elevandos dixisset, insinuans per hoc verbum sanctorum corpora gloriose de tumulis transferenda, quantum translationis gloria si fructuosa fidelibus, mox declarare volens adjungit: « Quid enim bonum ejus est ; et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines ? subsidium et exemplum, quæ de solemniis oriuntur, sicut superius est ostensum, frumentum indicat electorum. Sicut enim in area trituratur, ut granum a palea separetur, sic in Ecclesia discussa sunt gesta sanctorum, ut excussa palea vanitatis tam sancta sit eorum memoria, quam solemnis, et grana sine paleis reservantes eorum adjuvemur auxiliis, et informemur exemplis. Frumentum etiam in horreo mundo reponitur, ut servetur, nec absque munditia cordium possunt votiva solemnia, prout decet observari. »

6. Gaudium autem sanctum, quod festivitatibus et annexum, per vinum germinans virgines indicatur. Vinum namque spiritualis lætitiæ munditiam germinat virginalem, quia castitatem nutrit et servat. Sed vinum lætitiæ sæcularis generat aut germinat meretrices, quia libidinem, incitat et inflammat. A festivitatibus ecclesiasticis sit alienum hoc vinum, in quibus est vinum aliud propinandum. Unde Dominus per prophetam eunuchos ejus Sabbata custodire testatur. Illos, inquam, eunuchos, « qui, » sicut in Evangelio ipse dicit, « semetipsos propter regna cœlestia castraverunt. » Hi sunt qui pro cœlestis regni desiderio turpitudinem noxiæ voluptatis a sua carne resecant et abscindunt. Notandum autem quod egregie solemnitatum utilitas commendatur, dum ad eam sublimiter extollendam bonitas et pulchritudo junguntur. Sic nempe fratrum concordiam commendavit Psalmista, cum ait: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! » Sic etiam, Christianæ devotionis obsequium in timore divino consistens et observantia mandatorum, vir sapiens laudat dicens: « Nihil melius quam timere Deum, et nihil melius quam respicere in mandatis illius. »

7. Tria superius memorata, scilicet gaudium, subsidium, et exemplum, quæ festivitatibus, ut diximus, sunt annexa, notavit Dominus per prophetam dicens: « Filios advenæ, qui adhærent Domino ut colant eum, omne custodientem Sabbatum ne polluat illud, et tenentem fœdus meum, adducam eos in montem sanctum meum, et levabo eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi super altare meum. » Advenam sacra Scriptura populum gentilem appellat. Unde populo Judaico dictum est: « Advena qui tecum versatur, in terra ascendet super te, eritque sublimior, tu autem descendes et eris inferior. » Hoc autem est evidenter impletum in populo Judaico et gentili. Nos igitur advenæ filii sumus omnes, qui de gentibus orti sumus. Evidenter autem cultus divini modum et formam expressit sermo propheticus, cum de colentibus Deum ait: « Qui adhærent Domino, ut colant eum. » Scriptum quippe est: « Qui adhæret Domino, spiritus unus est. »

8. Docet autem Dei cultores, ipsum in festivitatibus venerantes, esse spiritum et non carnem, quia

spiritualem lætitiam, non carnalem exigit cultus Dei, A Econtrario de equis Ægypti, per quos potentes sæculi designantur, dicitur per prophetam : « Equi eorum caro, non spiritus. « Sunt enim plerumque mundi potentes ad spiritualia segnes et tardi, sed ad carnalia veloces et prompti, et impletur in eis illud propheticum : « Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est loquitur, nullus qui super peccata sua agat pœnitentiam, dicens : Quid feci? Omnes conversi ad cursum suum quasi equus impetu vadens ad prælium. » Recte vero subjungitur : Omne custodientem Sabbatum, non polluat illud et tenentem fœdus meum. Qui enim festivitatem divino cultui deputatam aliqua transgressione violat, fœdus cum Domino initum non observat. » Antiquitus autem fœdus effusione sanguinis firmabatur. Nos igitur in B festis eorum, qui sanguinem suum pro Christo fuderunt, fœdus quod cum Domino nostro contraximus, toto mentis desiderio confirmemus. Legitur quod quando populus Israel fœdus cum Domino Josue mediante percussit, ipse pergrandem lapidem in sanctuario statuit, quem hujus negotii testem fecit. In sacra Scriptura per lapides plerumque sancti martyres designantur, sicut sequentia declarabunt. Lapis ergo pergrandis in sanctuario Domini erigitur, cum alicujus martyris magni reliquiæ in Ecclesia sublimiter exaltantur.

9. Cum igitur hodie recolamus, qualiter lapis grandis in sanctuario sit erectus, id est Thomas martyr gloriosus de tumulo elevatus, ad hunc lapidem cordis dirigamus intellectum, et defigere stu- C deamus in eo nostræ mentis affectum, ut devotionis nostræ testis esse possit et velit. De his autem qui sinceris mentibus Deum colunt, dicitur consequenter : « Adducam eos in montem sanctum meum et lætificabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi sicut altare meum. » Quibus verbis primo notatur exemplum secundo gaudium, tertio suffragium. Quæ tria superius sunt expressa. Sanctorum enim exemplum nos in montem Domini, æternæ scilicet beatitudinis sublimitatem adducit. Exemplum namque, sicut diximus, ad superna tendentibus viam rectam exhibet vice ducis. Unde dicitur per Psalmistam : « Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum D et in tabernacula tua. » Quid rectius lucis nomine qua Dei gratia figuratur, sine qua nihil lucidum, nihil serenum, sed omnia tenebrosa?

10. Veritas autem est conversatio sancta justorum. Impiorum namque vita vanitas est et mendacium, veritas autem vita bonorum. Unde dicitur per prophetam : « Pacem et veritatem diligite. » Justus quippe pacem cum proximo, veritatem diligit in seipso. Deducunt namque lux et veritas virum justum, eum in montem et in tabernacula adducentes : quia prævia Dei gratia per sanctorum exempla regnabimus in patria, proficiemus in via. Mons siquidem, in quo civitas ædificatur, ad patriam ; tabernacula, quæ sunt viatorum, referuntur ad viam. Spirituale vero gaudium, quod festivitatibus annuis et annexum, exprimitur evidenter, cum subjungitur : Lætificabo eos in domo orationis meæ. » In holocaustis et victimis, de quibus additur consequenter, sanctorum suffragia denotantur. Victimas enim et holocausta pro vobis offerimus, cum eorum merita, qui per fidem regna vicerunt, in seipsos in odorem suavitatis ei obtulerunt, pro nobis Domino præsentamus, ut eorum precibus ejus offensam placare possimus.

11 Nunc verbum propheticum ab initio propositum perscrutemur. « Bibentes inebriabuntur quasi vino, » etc. Frequenter in sancta Scriptura per comestionem et potum spiritualis lætitia designatur. Hinc Ecclesiastes ait : « Omnis homo qui comedit et bibit et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est. » Bona de laboribus suis videt, qui in sanctis operibus se exercet, et laboris sui fructum constituit præmium sempiternum. De quo scriptum est : « Bonorum operum gloriosus est fructus. » Est autem spirituale gaudium vitæ laudabilis condimentum. Convenienter enim exultant, qui laboribus fructuosis et honestis insudant. Hinc apostolus Petrus ait : « Communicantes Christi passionibus gaudete. » Non enim eum exultare decet, qui passionis imitationem abhorret: « Quia non erit consors Redemptoris in gloria, qui non fuerit consors ejus in pœna. « Quia testante Apostolo, qui non compatitur non conregnabit. » Est autem passionis consortium quia gustantibus amarescit, spirituali lætitia dulcorandum. Unde Domino dicitur per prophetam : « Occurristi lætanti et facienti justitiam. » Dominus enim quasi promptus auxiliator occurrit ei, qui cum gaudio carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigit.

12. Cum ergo comedit homo et bibit, et de labore suo bona percipit, hoc donum Dei est juxta testimonium Salomonis. Dominus enim solus est, qui mentem afflictam exhilarat, et patientis animum inter tormenta lætificat. Qualiter autem comedat et bibat, qui bonis operibus vigilanter insistit, sententia quæ præcedit, evidenter aperit et ostendit. Præmittitur enim istud : « Cognovi, quod non esset melius, nisi lætari, et bene facere in vita sua, comedere, et bibere, et collætari. » Idem enim est de laboribus bona videre, quod bene facere in hac vita. Spirituale quoque gaudium notans in Canticis sponsus ait : «Comedite, et bibite, et inebriamini, charissimi. « Sicut per cibum et potum spiritualis lætitia, sic per inebriationem abundantia talis lætitiæ denotatur. Dicat ergo patenter, gaudeant et exultent quicunque Domino per amicitiam sunt conjuncti. Plenius tamen gaudeant, qui per altiorem charitatis amicitiam ei familiarius appropinquant. Quid tamen admonitionem istam præcedat, sollicite perpendamus. Postquam enim dixerat, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo, conse-

quenter amicos ut comedant, charissimos autem ut inebrientur, invitat.

13. In horto suo Dominus cum aromatibus myrrham metit, cum in Ecclesia recipit corporum disciplinam bonorum operum admistione conditam. Mellis nomine contemplatio figuratur. Et rei convenit hæc figura, cum sit mellifluus supernorum aspectus. Contemplationem melli contulit, qui ait : « Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, ita perscrutator majestatis conprimetur a gloria. » Favus est dulcedo mentis interna, contemplationi supernorum adjuncta. Favum ergo cum melle suo comedit dominus, quia gratum est ei contemplationis obsequium, cum dilectione cordis oblatum. Mordax est vinum et vulnerum corporis curativum. Unde per vinum compunctio figuratur. Quæ cum sit intus pungitiva, spiritualium vulnerum est medela. Per lac. quo simplices et parvuli nutriuntur, cordis simplicitas intelligitur. Grataner ergo cum lacte Dominus vinum bibit, quia dolorem illum acceptat, quem ei cordis simplicitas recommendat.

14. Post ita præmissa sequitur competenter : « Comedite, amici, » etc. Decenter enim exsultant, qui talibus obsequiis Deum placant. Quoniam autem inebriatio, sicut diximus, spiritualis lætitiæ notat abundantiam, recte qui Dominum in sanctorum memoria venerantur, inebriandi dicuntur, ut aperte notetur, quod sancti lætitia debeant abundare. Notandum autem, quod nobis ebrietas animum, quem exhilarat, a temporalibus alienat. Unde scriptum est : « Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. » Qui enim aliorum animos exhortatione salutis separat a terrenis, ipsius animus avelletur ab eis, ejus operante clementia, qui in fortitudine vinctos educit. Unde Dominus per prophetam ait : « Si convertens convertam ad te, et ante faciem meam stabis. Et si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. » Hinc etiam per eumdem prophetam dicitur : « Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino, a facie Domini et a facie verborum sanctorum ejus. » Inebriat intuentem facies Creatoris, quia contemplantis animum a transitoriis rebus eripit, ad bona sempiterna deducit. Inebriat etiam auditores divini sermonis auditus, quia terrenorum amorem verba sancta depascunt, et desiderium æternorum accendunt. Unde vivis carbonibus comparantur, qui cibaria, paleamque consumunt. Spiritualis autem lætitia, sicut ebrietas mentem supernis inserit, a terrenis avertit. Inebriantur hoc modo, qui nostram matrem venerantur, ut cœlestibus intendentes fugitiva bona despiciant, et permanentia concupiscant.

15. Rursum ebrietas doloris sensum adimit, adeo quod ebrius etiam cum dolenda sustinet, hilarescit; unde vocem ebrii vir sapiens ita format : « Verberaverunt me, et non dolui, traxerunt me, sed non sensi. » Hinc etiam Jeremias sub persona carnalis hominis loquens ait : » Inebriavit me absynthio. » Cujus verbi sensum aperiens beatus Gregorius sic exponit : » Ebrius quod patitur nescit. » Absynthio ebrius est, qui amaritudines mundi tolerat, et tamen quid patitur, ignorat. Fuerunt ergo tanquam ebrii bellatores Ecclesiæ primitivæ, qui cum interna lætitia corporum tormenta vicerunt, et juxta verbum Apostoli : « Rapinas bonorum suorum cum gaudio susceperunt. » Spiritualis autem jucunditas, similiter ut ebrietas tristitiæ sensum tollit ; et mentibus persecutione pulsatis, hilaritatem sanctam infundit.

16 Qualis autem exsultatio sanctorum festivitates debeat comitari, declaravit Psalmista cum ait : « Exsultationes Dei in gutture eorum et gladii ancipites in manibus eorum. » Humani generis inimicus illis confidenter tendit insidias, quos sæculi gaudiis invenit irretitos. Profondius enim infirma sua discutit dolens animus, quam exsultans. Nisi namque tentator callidus tempus lætitiæ tentationi congruere cognovisset, nequaquam filiis et filiabus Job in domo primogeniti fratris sui vescentibus, ipse concussis angulis domus totam beati viri progeniem exstinxisset. Quoniam igitur plerumque, sicut diximus, mentem in tentationis laqueos exsultationis aditus introducit, valde necessarium est, ut dum exsultatio guttur occupat, manus gladium apprehendat. Illum, inquam, gladium, quem Apostolus nominat, Dei Verbum. Opus autem est, ut gladius in manu portetur, quia parum est Dei verbum in corde versari, nisi quis illud studeat operibus implere. Manus igitur gladium apprehendat, ut quod corde sentitur, bonorum operum testimonio confirmetur. Unde beatus Job ait : « Arcus meus in manu mea instaurabitur. » Arcus instauratur in manu, cum instrumentum pugnæ cælestis, de quo jacula mittuntur in hostes, bonæ conversationis adjutorio roboratur.

17. Præsens igitur festivitas, sic lætitiæ recipiat blandimentum, ut severitatem gladii non excludat. Qualis etiam lætitia debet esse festivitatibus sanctorum annexa, manifeste demonstrat quod dicitur per Psalmistam : « Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. » Cum timore serviendum est Domino, quia sic exsultatio timore debet acui, sicut timor exsultatione condiri. Decet enim, ut si servitii spiritualis occasio sæcularem lætitiam introducat, timoris magisterium eam premat, ut in refectione sacra dulcedinis simul et acriminis serviat condimentum. Quod etiam alibi monstravit aperte Psalmista, cum ait : « Deduc me, Domine, in via tua, ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. » Per viam Domini ambulat, qui sapienter ei ministrat. Ministrans autem Domini veritatem ingreditur, cum ejus ministerium ad cœlestia retorquetur. Ministerii vero modus aperitur, cum dicitur : « Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. »

18. Eleganter expressit, qualiter in obsequio Domini sit gaudendum, qui lætari petiit, ut timerent. Talis enim debet esse lætitia, ut timoren Domini nullatenus minuat, et talis esse timoris custodia, quæ spiritualem lætitiam non excludat. Unde postquam Psalmista præmiserat : « Servite Domino in

timore, » recte subjungit : « Et exsultate ei cum A
tremore. » Cum enim Ecclesiæ filios oporteat salutem suam cum timore et tremore, sicut dicit Apostolus, operari ; necesse est, ut cum exsultatio foris adest, ejus ingressum timor interius moderetur, ne tota veniens ad cor intret, et ad immoderatum ejus ingressum infirmatio suffocetur. Hoc autem periculum timor et tremor excludant, videlicet ut mens mala quæ possunt accidere, sollicite pertimescat, et corpus mentis obsequio se reverenter addicat.

19. Sequitur : « Replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. » Per phialas et altaris cornua, nobis est insinuata justitiæ duplex forma, variis considerationibus observanda. Sancta namque conversatio, ut ita dixerim, nunc ab angusto tendit in latum, phialæ figuram exprimens, quæ fundum habet an- B
gustum, sed patulum os et amplum : et dum in altum ascendit, paulatim in latitudinem se diffundit. Ita justitia, dum proficit, paulatim incrementum suscipit et in bonis operibus dilatatur. Interdum autem sanctitas progreditur in acutum, sicut altaris cornua sumunt initium a latitudine, sed deinceps se coarctant, itaque in acumine terminantur.

20. Assimilatur his cornibus justitia consummata, quæ cum perfectionem fuerit assecuta, per humilitatis modestiam se constringit, cum in meritorum excellentia prius fuerit dilatata. Attendit enim Verbum Sapientis viri dicentis : « Quanto magna est potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. » Hac consideratione vir justus, quanto magis in perfectionem se erigit, tanto per humilitatem amplius C
se substernit, ne superba de se sentiat, et per præsumptionem præcipitatus corruat, aut per inanem gloriam evanescat.

21. Qualiter justitia proficiens dilatetur, Salomon docet dicens : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem. » Justitia namque cum incipit, primo tenui luce clarescit. Sed cum perfectionem attigerit, claritatis suæ radios circumquaque diffundit. Hinc per Psalmistam dicitur : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilastati cor meum. » Et iterum : Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi. » Hinc etiam in Proverbiis ad Filium Pater ait : « Viam justitiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur D
gressus tui, et currens non habebis offendiculum. » Justitia namque festinans ad præmium, nec angustia coarctatur, nec offendiculo præpeditur, quia Dominus ei contraria dissipat, et ejus impedimenta complanat. Hinc etiam cum profectus David Scriptura sacra describeret, ait : « David proficiens, et semper seipso robustior erat, domus autem Saul decrescens quotidie. » Justus enim per incrementa meritorum ascendet, injustus autem per malorum operum decrementa decrescet.

22. Qui autem profectui virtutum insistit, quasi semetipsum proficiendo transcendit. Carnis enim corruptelam deserit, et spirituale fastigium potenter accingit. Nonne super semetipsum excreveratis, qui ait : « Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus ? » Nonne super se ascendere videbatur, cum dicebat : « Quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora meipsum extendo ? Quod de virtutis incremento prædiximus, videlicet, quod justitia proficiens dilatatur, fuit evidenter in templi fabrica figuratum. Superius namque tabulatum in templo majorem latitudinem obtinebat, inferius vero minorem. Nam infimum tabulatum quinque cubitos latitudinis habuit, medium vero sex superius autem septem.

23. Tabulata, quibus templi parietes decorantur, sunt fideles Ecclesiæ, qui eam vestiunt et ornant, sicut dicitur ei per prophetam : « Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabit tibi eos quasi sponsa. » Bene autem tabulata viros Catholicos indicant, quorum corda charitas dilatavit, disciplina cœlestis excidit, simplicitas complanavit. Huic sensui bene congruit, quod tabulata fuerunt in superioribus latiora, quia fidelium mentes ad temporalia se constringunt, et ad cœlestia se expandunt. Similiter autem templum quod Ezechieli fuit ostensum, superius fuisse latius perhibetur. Qui autem templi nomine figurentur, docet ille qui ait : « Nescitis quia templum Dei estis ? » Et si suave videtur hoc verbum, pungiturum est valde quod sequitur : « Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. »

24. De templo etiam superius memorato legitur audisse propheta : « Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis Confunduntur namque salubriter peccatores cum eis proponitur in exemplum vita justorum. In hoc enim speculo maculas suas agnoscunt. et eas lacrymando diluunt, et pœnitentiæ lamentis abstergunt. Eleganter autem hoc templum superius fuisse latius memoratur, quia, sicut diximus, corda justorum coarctantur in infimis, et dilatantur in summis. Sunt enim corda bonorum thuribulo valde similia, quod cum sit clausum inferius, superius est apertum. Secundum hanc similitudinem piæ mentes ad terrena se claudunt, et aperiunt ad superna. Hoc quia in Apocalypsi legitur, Angelum tenuisse thuribulum, quod sanctorum orationibus erat plenum. Illorum namque cordium angeli sunt custodes, de quibus orationum fumus ascendit, quarum odore Dominus demulcetur, et suavitate placatur.

25. Nunc Scripturæ testimoniis ostendamus, quomodo perfecta justitia, cum consummata fuerit, se constringit, et quæ dilatatur in imo, quomodo coarctatur in summo. Quod arcam Noe figuravit expresse : scilicet eam superius unus cubitus consummavit. Quid per arcam Noe melius, quam Ecclesia figuratur, quæ sinu mentis expanso Spiritus sancti flatum accipit, cujus impulsu sæculi fluctus secat, et ad vitæ portum tota cordis intentione festinat ? Hæc dilatatur in imo, et coarctatur in summo, quia quæ latitudinem et longitudinem inferius habuit,

postquam in virtutis exercitio se diffudit, dum re- A tributionem supernam attendit, opera sua despicit, et ea tanquam modica perpendit, sub humilitatis custodia se comprimit, et inflationem noxiam virtutis pede restringit. Hæc esse sollicite facienda Salvator ostendit, qui discipulis suis ait : « Cum omnia bene feceritis, semper dicatis : Servi inutiles sumus. » Qui omnia bene facit in bonis operibus se dilatat. Sed qui postea se servum inutilem reputat, per humilitatis modestiam se coarctat. Hinc rursus ad sponsam in Canticis sponsus ait : « Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. »

26. Plerumque ventris nomine mens significatur, eo quod cogitationes in mente sicut cibaria digeruntur in ventre. Unde dicitur per prophetam : « Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. » Quem B autem dolorem plangeret, mox aperuit, cum subjunxit : « Sensus cordis mei turbati sunt. » Fuit ergo prophetæ plangenti mentis tribulatio dolor ventris. Hinc etiam de impio scriptum est : « Uterus ejus præparat dolos. » Constat autem, quod carnalis uterus dolos præparare non potest, sed uterus dolos præparans est animus fraudis machinamenta pertractans. Venter itaque, sponsæ signanter, acervo tritici comparatur, qui cum sit latus in imo, tamen est angustus in summo. Quia fidelis anima prius in bonorum operum exercitio se diffundit, demum post contemplationem cœlestium in se redit, et per humilitatem, ut diximus, se constringit.

27. Bene autem acervo tritici comparatur, quia, palea vanitatis excussa, meditationis sacræ thesau- C rum, quasi grana tritici in horreo conscientiæ congregat et servat. Hic autem acervus liliis dicitur esse vallatus, quia fidelis animus undique munditia castitatis est cinctus. Nec solum lilio, sed liliis vàllari dicitur, quia veræ castitatis geminus est effectus ; videlicet, ut et cor complectatur et corpus. Unde per byssum retortam et duos turtures figuratur in lege. Præmissis consonat, quod Sapientia de se dicit : « Ego quasi cypressus in monte Sion, » Intelligitur autem hoc verbum, sicut de capite, sic de membris, ut una sit vox capitis et membrorum. Cypressus pulcherrimam comam habet, cujus summitas surgit in comam. Est ergo vir justus quasi cypressus, quia coma pulcherrima est conversatio speciosa. Dicitur autem esse quasi cypressus in D monte Sion, quoniam in contemplationis vertice constitutus cœlestium donsideratione se premit, et dum intra mentis se sinum colligit, sub humilitatis custodia se constringit.

28. Mundanus autem usus hujus rei manifestum ostendit exemplum. Nam et avis domestica, aliis avibus capiendis assueta, se premit, cum prædam conspicit, quam ardenter appetit, et ad quam dirigendam sese sentit. Quis ergo miretur, si mens in humilitate se comprimat, dum prædam beatitudinis considerat, ad quam inhianter aspirat ? Per phialas igitur et altaris cornua, sicut, diximus, figurantur viri spirituales, divini prælii bellatores, et virtutum ornamentis instructi, tanquam armatura cœlesti. Dicuntur autem phiale a phialui, quod est vitrum in Græco, quia proprie vasa vitrea vocantur vasa phialæ. Unde de luxuriose bibentibus dicitur per prophetam : « Bibentes in phialis vinum. » Luxuriæ namque non sufficit ut gustui placeat vini sapor nisi visum quoque demulceat ejus color. Unde Salomon in Proverbiis cohibere volens luxuriam istam, ait : « Me intuearis vinum, quando flavescit, et cum splenduerit in vitro color ejus. » Quod autem periculum sit annexum consequenter ostendit : « Ingreditur blande et in novissimo mordebit, ut coluber, et quasi regulus venena diffundet. » Regulus aves volantes inficit, coluber autem latibula quærit et colit. Bene ergo vinum colubro comparatur et regulo. Colubro, quia libidinem provocat, cujus turpitudo quærit abscondi. Regulo vero, quia vinum immoderate sumptum viros magnos interdum enervat, qui duabus alis, abundantiæ scilicet et potentiæ volare poterant ad superna, si recte dirigerent iter suum.

26. Licet autem phialæ dicantur vasa vitrea, phialæ tamen erant aureæ, quæ jubente Domino fuerant in tabernaculo præparatæ. Hoc autem bene congruit viris justis, ut sint quasi vitrei, et tamen in veritate sint aurei. Videlicet ut sint quasi debiles, tamen vere sint fortes. Tales voluit esse justos, qui sicut dictum est supra, discipulis suis ait : « Cum omnia bene feceritis, semper dicatis : servi inutiles sumus. » Fortis est utique, qui omnia bene facit, sed debilem se reputat, qui inutilem servum se vocat. Nonne vas aureum fuit ille, qui plus omnibus laboravit, tamen quasi vas vitreum se exhibuit, qui se nec dignum apostolatus nomine judicavit? In hoc autem vitri similitudinem habeant viri justi, ut solis radium et claritatis lucem admittant, venti tamen flatum excludant, videlicet ut gratiam recipiant, sed noxiæ tentationi resistant. Sunt autem phialæ oblationi libaminum reputatæ. Spirituales ergo viri replentur ut phialæ, si sacrarum cogitationum et piarum intentionum oblationibus cum bonorum operum studiis copiose redundent. Sciendum tamen quod liquida libamina dicebantur. Decet autem quod liquidæ sint oblationes justorum. Quod utique fiet, si per devotionis ardorem animus liquefiat. Unde dicitur per Psalmistam : « Effundo in conspectu tuo orationem meam. » Effundi potest oratio, si fuerit lacrymosa, sed nequaquam effunditur, si per cordis duritiam fuerit congelata. Dicebantur etiam libamina, quia ministri degustando probabant, utrum essent ad offerendum idonea. Sic Domino ministrantes cogitationes suas et intentiones debent quasi gustando discutere, ne quid in eis occurrat, quod Domino debeat displicere.

30. Replentur etiam ut altaris cornua viri sancti. Super altaris cornua sanguis hostiæ ponebatur, unde et eo repleri dicuntur. Hæc igitur solemnia celebrantes velut altaris cornua sanguinis aspersione replentur, quia martyrem venerantes passionis ejus

memoria imbuuntur. Illorum autem mentes memoria martyris imbuit, quorum conversatio fortitudinis ejus formam in se ostendit. Imitantur enim martyrem, quibus licet non sit datum pati pro Christo, pro ejus tamen amore labentia cuncta despiciunt, carnem affligunt, et ad promerenda cœlestia se potenter accingunt.

31. Nobis itaque, qui speciali martyris protectione gaudemus præcipue congruit, ut nos in ejus obsequio specialiter affligamus, dicente Scriptura : « Qui transfert lapides affligetur in eis. » Lapidum nomine martyres figurari sequentia declarabunt. Lapides ergo transferunt, qui translationi martyrum obsequia suæ devotionis impendunt. Qui scilicet eorum reliquias de locis humilibus elevant, ut sublimius et solemnius cum debita veneratione reponant. Nos igitur lapidem pretiosum transtulimus, cum translationi martyris obsequium quale potuimus, exhibere curavimus. Ut itaque supra positum scripturæ verbum impleatur in nobis, ob venerationem ipsius, qui se pro Domino hostiam obtulit, carnem nostram Domino viventem hostiam immolemus, ut a nobis concupiscentias noxias et prava desideria resecemus. Sic itaque Domino largiente servitutis nostræ mysterium impleamus, ut pro modulo suo capiti membra respondeant, et Patrem Filii pro viribus studeant imitari.

32. De viris quoque justis additur consequenter in verbo prophetico, quod suscepimus exponendum : « Salvavit eos quasi gregem populi sui. » Illum namque populum Dominus elegit ad salutem, qui cum ratione vigeat, per quamdam tamen similitudinem se gregi conformat. Decet enim, ut fideles Domino servientes per sapientiam et discretionem sint populus, per mansuetudinem et simplicitatem sint grex. Unde dicitur per Psalmistam : « Nos populus et oves pascuæ tuæ. » Populus sunt et oves, qui sunt prudentes ut homines, et simplices velut oves. Hinc iterum per Psalmistam dicitur : « Qui deducis velut ovem Joseph. » Vir justus per vias rectas deducitur ad superna, cum in bonis operibus proficit quasi Joseph ; Joseph enim interpretatur *augmentum*. Et tamen ut ovis nec simplicitatem deserit, nec mansuetudinem derelinquit, viri sancti Creatori dedicati taliter ad patriam deducuntur, quia profectui vigilanter insistunt, pastorique suo simpliciter et humiliter acquiescunt. Unde religionis eminentiam bene significat turris gregis, de qua legitur in Scriptura. Per gregem enim humilitas, per turrim altitudo significatur. Quid est igitur turris gregis, nisi sublimis humilitas, aut humilis altitudo ? Quarum utramque status religionis observat, quia sublimitas est in opere laborantis, et humilitas in æstimatione laboris. Unde Balaam castra filiorum Israel videns ait : « Quam pulchra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel, quasi valles nemorosæ ? » Per castra filiorum Israel religionie acies figurantur, quæ vallibus nemorosis egregie comparantur, quia vallis est humilis nemus altum. Quid est igitur vallis nemorosa, nisi depressa sublimitas, aut humilitas exaltata ? Quam conversationis formam religiosi bene conservant, quia sunt in cordibus suis humiles et in operibus suis excellentes.

33. Sequitur in verbo prophetico : « Salvavit eos Dominus Deus eorum, quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. » Salutem ergo fidelium operatur sanctorum lapidum elevatio super terram. Quod lapidum nomine sancti martyres designentur, qui solidi fuerunt in constantia, fortes in justitia, duri contra tormenta, testatur ille qui ait : « Quos imbres montium rigant, et non habentes velamen amplexantur lapides. » Montium imbres rigant, quos viri tam scientia, quam vita sublimes verbis pariter et exemplis informant. Velamine autem carent, qui B bonorum operum ornamenta non habent. Sunt namque virtutum opera quasi vestes, quibus anima decenter ornatur, et pudendorum actuum fœditas operitur, ne a superbo judice videatur. Unde scriptum : « Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet ; » et Apostolus Corinthiis scribens ait : « Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, domum non manu factam habemus in cœlis. » Et paulo post addit : « Si tamen vestiti, et non nudi inveniamur. » Ducitur namque vestitus ad regna, sed nudus ejicitur ad tormenta. Hinc iterum scriptum est : « Nonne vestimenta calida sunt, cum perflata fuerit terra austro ? » Austro terra perflatur, cum Spiritus sancti gratia repletur. Unde sponsus ait in Canticis : « Surge aquilo, veni C auster, perfla hortum meum et fluent aromata illius. » Rectissime potest dici hortus Domini quies claustri, in quo doctrina cœlestis inseritur, sancta conversatio propagatur, vitiorum frutices succiduntur. Dominus igitur est rogandus, ut ab horto suo flatum aquilonis excludat, ut ad eum libere flatus australis accedat, quia claustralibus incumbit orare, quod Dominus inimici insidias repellat ab eis, et Spiritum sanctum requiescere faciat super eos. Facit autem aromata fluere flatus austri, id est Spiritus sancti gratia procurante per laudabilis famæ præmium ad eos, qui foris sunt, odorifera claustralium opera derivantur, quatenus exempla justorum confundant, impios autem convertant. Est itaque Spiritus sanctus auster et ejus inspiratio flatus austri. Opera vero D bona, sicut diximus, per vestimenta signantur. Facit itaque vestimenta calida flatus austri, quia virtutum opera reddit devotione ferventia cœlestis inspiratio cor illuminans et inflammans, quoniam ab austro veniunt lux et calor. Quos igitur montium imbres rigant, et non habentes velamen lapides amplexantur, quia peccatorum sarcina prægravati, cum fuerint doctrinis salubribus eruditi, vel propria calamitate compulsi, martyrum reliquias venerantur, ut eorum nuditas sanctorum intercessione tegatur.

34. Rursus de lapidibus istis scriptum est : « In præruptis silicibus aquila commoratur. » Per aquilam vir contemplativus intelligitur, qui suæ mentis intuitum justitiæ in sole defigit, qui sublimia vo-

lando penetrans, considerationi supernorum intendit. « Præruptum autem est, ut dicit beatus Gregorius, cujus pars cecidit, pars subsistit. » Præruptis ergo silicibus recte martyres comparantur, quorum corpora per martyrium ceciderunt, spiritus autem in cœlestibus requiescunt, et sicut de viris sanctis canitur, reddentes terræ corpora, beatas cœlo animas intulerunt. In præruptis ergo silicibus aquila commoratur, quia contemplativi martyrum obsequio deputati in eorum memoria requiescunt, et eorum venerationi et imitationi se totos impendunt. Alioquin nequaquam in silicibus commoratur aquila, nisi martyribus servientes, tam mente quam corpore servitutis suæ debitum studeant exhibere. Nequaquam commoratur in silice, qui psallit aut cantat coram martyre, mens autem ejus vagatur exterius in sæculi vanitate.

35. Sunt ergo lapides sancti, sicut ostendimus, martyres Jesu Christi. Super terram ergo sancti lapides, elevantur, cum reliquiæ martyrum de tumulis transferuntur. Notandum autem, quod non tantum super terram ejus sancti lapides elevandi dicuntur, quia sanctorum reliquiæ non solum superius elevantur, sed in Ecclesia, quæ terra Domini appellatur, eorum elevatio reverenter impletur. Ex hoc salutem Dei populo provenientem sermo propheticus, quem prosecuti sumus ostendit. Speremus igitur et nos, quod martyris nostri translatio, quam solemniter celebramus, nobis in præsenti veniam peccatorum, et salutem perpetuam nobis apud Dominum obtinebit percipiendam post hujus vitæ decursum. Roboraverunt autem valde spem istam quædam signa, quæ misericordia Dei vobis ostendit, quando translatio facta fuit. Provisum namque fuerat ab his, qui martyrem transtulerunt, ut feria tertia transferretur, quia feria tertia passus fuit, ut talis dies ejus gloriæ deserviret, qualis ejus passioni ministerium suum impendit. Sed in Christo testamur præter humanam providentiam accidisse, Dei gratia taliter procurante, quod anno quinquagesimo passionis ipsius, venerabile corpus ejus gloriam translationis accepit. Quid autem nobis per istum insinuatur eventum ? Quinquagenarii nobis virtus indicat, quem remissionis numerum esse constat, quod nullus sacræ paginæ lector ignorat. Ex hoc igitur quod anno quinquagesimo transferri voluit, spem certam nobis tribuit, quod nisi per nos steterit; remissionis nobis gratiam obtinebit.

36. Aliud autem accidit, quod humana deliberatio nullatenus ordinavit. Bissextilis siquidem fuit annus translationis, in quo est plenus dierum numerus et perfectus, ut ex hoc eventu speremus, quod martyris intercessio dies nostros in præsenti complebit in bono, et perducet nos ad dierum plenitudinem in futuro.

37. Contigit et illud memorabile, quod ad martyris gloriam procurante Domino creditur accidisse. Martyr enim fuit ea die de terra translatus, qua rex Henricus, cujus tempore passus est, fuit in terra

A sepultus, ut impleretur hoc modo quod legitur in Scriptura : « Mons cadens defluit, et saxum de loco suo transfertur. » Montes sunt, qui terram plenam altitudine sua transcendunt, et in sublimitate cacumen suum attollunt. Montes itaque sunt reges et principes, qui terrarum dominium obtinent, et sublimiores sunt cæteris eminentia potestatis. Mons ergo magnus cecidit, cum regem mortuum sinus terræ suscepit. Defluente igitur monte saxum est de loco suo translatum, quia regis corpore in terra deposito, martyris corpus est honorifice sublevatum. Miracula quoque varia translationis tempore martyr fecit, per quæ favorem suum translationem exsequentibus et venerantibus adesse monstravit.

38. Ad translationis corporis beatissimi Thomæ B meritis gloriam declarandam, parabolam evangelicam ad memoriam revocemus : « Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. » Quod beatus martyr, cujus solemnia celebramus, lucerna fuerit ardens et lucens, cœlum et terra testantur. Ardens, inquam, sanctitatis exemplo, lucens documento salutifero. Dominus hanc lucernam accendit, cum electum suum in apicem eximiæ prælationis erexit. Hanc etiam lucernam emunxit, cum martyrem suum exsilio diuturno, contumeliis, damnis et injuriis innumeris affligi permisit. Fuit enim hæc tribulationum immensitas tanquam emunctorium hujus lucernæ, quia quod beatus vir purgandum habuit, fornacis hujus flamma con- C sumpsit. Dominus hanc lucernam exstinxit, cum servum suum martyrio consummavit. Sed dum corporaliter eam exstinxit, spiritualiter eam magis accendit, quia sanctitatis ejus titulum post mortem ipsius crebris miraculorum testimoniis illustravit. Lucernam ergo suam Dominus nequaquam abscondit, quia martyris sui gloriam virtutum assertione monstravit. Aliquandiu tamen sub modio latuit hæc lucerna, sed eam Dominus opportuno tempore revelavit. Cum mensura quædam modius appellatur, recte per modium potest tumulus designari, qui se mortuo commensurat, et se corpori tumulando conformat. Sicut autem modio mensuratur annona, quæ indigentibus erogatur, sic de tumba martyris largitas divini muneris sæpe provenit infirmis. Latuit D igitur lucerna sub modio, quandiu martyr requievit in tumulo. Sed eam de latebris nunc eductam supra candelabrum Dominus exaltavit, quia martyris reliquias de tumulo reverenter assumptas in loculo pretioso martyris usibus deputato sublimiter collocavit. Capsam enim martyris quid rectius dixerim quam candelabrum luminis, quæ lumen illud egregium, quod ad se tam corde, quam corpore venientes illuminat, intuentibus repræsentat ? Ad hanc ergo lucernam, charissimi, totis mentibus accedamus, et ei vitæ nostræ maculas præsentemus, quia ut dicit Apostolus : « Omnia quæ arguuntur, a lumine manifestantur. » Si igitur ad claritatem hujus luminis accedamus, malum quod in nobis prius videre nequivimus,

ejus beneficio cognoscimus. Ad memoriam revocemus quod in Evangelio scriptum est : « Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. » Fugiamus tamen istud exemplum, et quod sequitur imitemur : « Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. »

39. Rursum, ut translationis fructum et gloriam plenius indicemus, illud Scripturæ testimonium attendamus : « Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, stultus ut luna mutatur. » Sapiens, in Proverbiis notificans stultum, ait : « Stultus transilit et confidit. » Stultus enim est, qui mandata transgreditur, et tamen sibi de impunitate blanditur. Specialiter autem stultus est, evangelica veritate testante, qui super arenam ædificat domum suam. Arena est temporalis abundantia, quia sterilis est et gravis. Sterilis Salomone dicente : « Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. » Gravis, Apostolo teste, qui ait : « Qui divites volunt fieri incidunt in desideria multa, inutilia, et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. » Hinc etiam Salomon ait : « Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, afflictio spiritus. Vanitas sterilitatem indicat, afflictio spiritus gravitatem. Stultus ergo super arenam ædificat domum suam, quia terrenorum amator figit in temporalibus desideriis mentem suam. Hic autem ut luna mutatur. Cum mundana mutabilitas lunæ nomine designetur, bene stultus dicitur ut luna mutari, quia mundanam vicissitudinem imitatur, quem extollunt prospera, frangunt adversa. Homo vere sanctus in sapientia manet ut sol. Justum est, ut Domino servientes omnes sint sancti. Unde Moysi dictum est : « Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, et dices ad eos : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. » Specialiter tamen sancti sunt, qui contemplationi cœlestium sunt addicti. « Sanctus enim, ut ait Beda, Græce dicitur ἅγιος, *agios*, quod sonat, *extra terram*. Sancti ergo sunt, qui a temporalibus separati in cœlestibus conversantur. Unde dicitur per Prophetam : « Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus. » Sicut interpretatio nominis indicat, Israel est supernorum inspector et cœlestium contemplator. Sunt autem primitiæ frugum in agro Domini, qui cœlestibus sunt intenti, quia superna ferventius concupiscunt, quanto sæpius eorum consideratione se pascunt. Est autem sanctus homo ut sol, qui calidus est, et fervet animo, lucet exemplo. Manet autem in sapientia sanctus, sed eam cito deserit homo stultus, si interdum eam assumit. Unde scriptum est : « Quoniam aspera nimium est sapientia indoctis hominibus et non permanebit in illa excors. » Econtrario dicitur viro isti : « In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua serva vias ejus. Investiga illam, manifestabitur tibi, et continens factus ne derelinquas eam. » Quod homo sanctus beatus martyr fuerit, Dominus ipse patenter ostendit. Quem amaritudine pressurarum a dulcedine temporalium ablactatum Dominus ad mensæ suæ delicias invitavit, et ei beatitudinem, ad quam aspirare debuit, patefecit. In sapientia vero mansit, quia dum vixit, fideliter Deo servivit ; novissime vero pro eo vitam suam impendit. Fuit autem ut sol, qui sanguinis sui radiis sanctam Ecclesiam illustravit.

40. Elevationem igitur hujus solis solemniter veneramur, cum translationem hujus martyris sinceris mentibus celebramus. Quod igitur scriptum est servorum ejus congregatio diligenter attendat : « Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo. » Luna lumen trahens a sole est hæc congregatio, quæ ab exemplo martyris vivendi formam assumit. Luna igitur in ordine suo stet, quoniam elevatus est sol, id est martyri servientes ab ordinis sui regula non declinent. Sed patronum suum in sublimi positum coram oculis suis videant, et eum in bonis operibus adjutorem confidenter exspectent. Qualiter autem ad observantiam ordinis prosit sublimitas solis, colligitur ex subjectis. Sol enim elevatus in altum, ministrat abundantiam luminis et caloris. Speremus itaque quod sol noster de tumulo elevatus servis suis lumen tribuet, quod ab eis tenebras ignorantiæ nocivæ repellet, calorem etiam conferet, qui mentes eorum ad amorem divini cultus accendet. Faciet etiam abundantia luminis, quod servetur honestas, et quæ turpitudinem, si fieret, revelaret. Unde nihil sustinet inhonestum. Abundantia vero caloris efficit, ut secundum ordinem cuncta fiant. In his autem duobus religionis summa consistit, ut ab his, qui religioni colla supponunt, juxta verbum Apostoli, honeste et secundum ordinem cuncta fiant. Sol item elevatus in altum attrahit guttas maris. Unde sol justitiæ de se dicit : « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. » Tanquam sol, qui mundum illuminat, de se dicat : « Ego cum elevatus fuero super terram, attraham innumeras maris guttas. » Prodest itaque viris justis gloria translationis, quia solis elevatio lunam in ordine suo servat. Prodest et peccatoribus hujus mundi, quia sol cum fuerit elevatus, guttas attrahet aquæ salsæ, quibus peccatores rectissime comparantur, tum propter brevitatem et salsuginem vitæ mortalis, tum propter amaritudinem peccatorum.

XIV

TRACTATUS DE PROMISSIONE BEATI THOMÆ MARTYRIS,

VIDELICET

Quod talis esset sibi successurus, qui ecclesiæ Pontiniacensi recompensaret pro liberalitatibus sibi tempore sui exsilii impensis.

1. Qui gubernationem hujusmodi Deo attribuunt, A recte sentiunt, quia nec folium quod vento rapitur, ejus èxcedit potentiam ; nec ipse ventus, qui de thesauris ejus producitur, flandi habet potentiam contra ipsius imperium. Quamvis enim homines, utpote animales, quædam hujus mundi opera admirentur, quasi absque gubernatoris magisterio contra rectitudinis ordinem corruptibiliter defluant et excurrant, ut exclamare valeant cum propheta, dicentes : » Quare via impiorum prosperatur, bene est his qui perverse agunt ? » tamen nequaquam est pertinaciter asserendum quidquam in hoc mundo fieri, nisi Deo gubernante, aut aliquoties permittente ; cum enim ipse sit causa prima et principalis influens super omnia causata fluxu ordinatissimo et serenissimo, certum est quod illa quæ ab B ipso causam accipiunt, ad finem bonum rectissime ordinantur.

2. Mala autem in causalia sunt, nec habent rectum ordinem neque finem. In quantum enim a bono deficiunt ; in tantum ad nihil tendunt, et non est in eis nisi privatio boni quod nihil ponit in re, sicut claudicatio in homine vel equo nihil ponit nisi privationem recte ambulandi. Quamvis igitur ratio reddi non possit de omnibus, quare hoc vèl illud fiat, manet tamen apud Deum de omnibus certa causæ redditio, nobis quidem occulta, ei autem qui lucem habitat inaccessibilem manifesta. Hinc est quod sacri expositores atque doctores conati sunt per mysticas expositiones et allegoricas significationes de rebus mirabilibus probabiles reddere rationes, C quorum inumerabilia sunt exempla, de quibus uno posito plura possunt intelligi si oportet. Ponamus ergo illius maximi doctoris beati Gregorii unum exemplum, et sit totius sequentis materiæ fundamentum. Ait enim super Evangelium beati Joannis, ubi de resurrectione Domini agitur, in hunc modum : « Cum discipulis consternantis fuit nuntiatum Dominum de monumento fuisse sublatum, tunc, inquit, currebant duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro. » Quid, ait beatus Gregorius, quid, fratres, quid cursus iste significat ? ex interrogatione sua volens alicujus significationis magnum elicere argumentum. Huic interrogationi volo aliquid annectere nequaquam pro nostro tempore negligendum. Quamvis enim incuria homi- D num neglectu suo multa prætereat, quibus optata successibus præbere debuit incrementa, nos tamen ea quæ digna sunt relatu comperimus, ne obliterari valeant, pro parte studuimus fideliter adnotare. Siquidem colendæ occurrit memoriæ recolendum, quod beatus Thomas Cantuariensis archiepiscopus atque primas exsilium eligens maluit exsulare, quam Cantuariensem Ecclesiam cui præfuit ancillare. Egressus igitur ab Anglia venit Pontiniacum, et ibi sex annis, ut dicitur, exsilii jura perpessus, in visionè admonitus, ubi ante aram beati Stephani in contemplatione prostratus, ut laboris sui bravium æternæ felicitatis coronam perciperet, redire in Angliam est hortatus. De qua visione sanctus pontifex, et statim martyr post futurus, factus hilarior, ad promissam sibi victoriæ coronam ocius properavit. Quem fratres ipsius monasterii vultu lugubri, et pene, ut erat, funebri lacrymabiliter subsequentes suppliciter exorabant, ne eos desereret, ne eos ipsos tantæ spei solatio destitueret, ne ipsos tanquam orphanos relinqueret, sed apud ipsos vel omnino maneret, vel si sic oporteret, quanta posset celeritate rediret. Ad hoc pius Pater brevi se sermone absolvit dicens : « Sic fieri oportere, nec divinis jussionibus contraire.» Sed hoc fore sciendum quod graves expensas et largos sumptus, quos monasterium tempore suæ necessitatis præbuerat, aliquis successorum suorum sufficienter recompensaret, quod fratres monasterii illius multæ simplicitatis, tunc quasi intelligere non poterant ; sed subsequens res probavit eventus, sicut legitur de discipulis Jesu Christi, ut dicitur : « Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum ; sed posquam resurrexit a mortuis, tunc cognoverunt, et hæc fecerunt ei. » Ita verissime non cognoverunt fratres monasterii Pontiniacensis quid beatus Thomas vellet dicere per hæc verba ; sed postmodum cognoverunt quod de his diceret, sicut in sequentibus apparebit. Eo enim passo et martyrio coronato, et miraculis coruscantibus declarato, quod justam causam fuerat prosecutus, aliis et aliis subtitutis, jam excesserat memoriam factum verbum illud martyris ore prolatum, sed congruo tempori reservatum.

Post aliquos enim dicti martyris successores tandem in Cantuariensem Ecclesiam instituitur per apostolicæ sedis providentiam, magnus ille et famosus doctor Ecclesiæ, videlicet dominus Stephanus de Languetone Romanæ Ecclesiæ cardinalis, qui accepto pallio et litteris ad suum propositum necessariis, nuntiis in Angliam ante præmissis, subsequi properabat. Sed veniens in partes Galliæ, a præmissis nuntiis ad se redeuntibus responsum accepit, quod

rex Angliæ pro eo quod alium instituere decreverat, eum admittere recusabat : super quo licet sæpius per apostolicæ sedis litteras et legatos rex fuisset admonitus, tamen in suo proposito perstitit induratus : sicque præfatum archiepiscopum Stephanum ad Pontiniacense monasterium contigit accedere, ac finem causæ per sex annos instar beati Thomæ martyris in exsilio exspectare. In tantum enim invaluit regis commotio, quod tota Anglia propter hoc ecclesiastico supposita exstitit interdicto. Quin imo, invalescente contradictionis procella, plures ex episcopis Anglicanis pro devotione et obedientia de ipso regno oportuit secedere, et ad archipræsulem suum se transferre. In cujus rei argumentum unus ex ipsis videlicet Wigorniensis episopus apud Pontiniacum postmodum est sepultus. Timor autem erat archipræsuli ne præfatum monasterium tantorum præsentia gravaretur, sed gaudium erat fratribus, quot tot et tantos pro causa tam nobili suscipere meruerunt. Postquam vero procellosa tempestas post nubilum conquievit, præfatus antistes cum honore debito vocatur in Angliam, ex quo sibi et sui ortum est gaudium, sibi autem soli magnæ sollicitudinis et angustiæ incitamentum. Pensabat autem vir prudens largos sumptus sibi et suis exhibitos recompensare ; sed unde tunc temporis compensaret nec habuit, nec unde habere posset de facili non invenit. Quantum ergo ad hoc tristis abiit! Sed hanc tristitiam postmodum nobili compensatione redemit. Nam, postquam honoris sui plenitudinem est adeptus, quinquaginta marcarum reditus Pontiniacensi monasterio in perpetuum delegavit. Tunc credebatur impletum quod a beato Thoma, ut superius est expositum, fuerat prophetatum sibi successorem aliquem post ipsum debere substitui, qui satisfaceret pro utroque, verum licet hæc opinio aliquantisper duraverit, et videretur a multis quod sic omnino ante promissum tunc fuisset solutum, nec esset qui contrarium autumaret, tamen aliter videmus impletum.

4. Nam, mortuo eodem archiepiscopo, et apud Cantuariam in pace sepulto, post aliquantum temporis beatus Edmundus cathedram archiepiscopalem suscepit, non sponte, sed invitus. Cathedram Cantuariensem elegit suscipere non humana ambitione, sed divina, ut credimus, dispensatione qua suscepta quod clam latebat in pectore, postmodum luculentius prodibat in messe. Erat enim quasi quædam lucerna sub modio posita : sed postquam super candelabrum est elata, tunc certe patuit his qui in domo Dei ambulant confidenter. Nam in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus, et pro zelo justitiæ, nec regem pertimuit, nec regni majores nec etiam domesticos, quos rex allexerat in persuasionibus effrenatis tempus redimere volentes exaudivit ; sed potenti virtute accinctus, murum pro domo Domini se posuit, et malens instar prædecessorum suorum affligi pro populo Dei in exsilio quam temporalis peccati habere jucunditatem in patria. Se igitur subtraxit ab Anglia, et monasterium Pontiniacense est ingressus quasi muro inexpugnabili circumseptus : et in abscondito faciei Domini a conturbatione hominum veluti in tabernaculo Domini conquievit. Sed ex hac quiete intimum dulcedinis elegit Dominus evocare famulum suum ad statum interminabilem quietis æternæ.

5. Mortuus est itaque in ætate bona, mente secura, spe certa, consummatione beata, sepulturæ suæ locum eligens, ubi ipse et antecessores sui antea aliquando fuit degens. Verum quia nunquam post aurum abiit, nec in pecuniæ thesauris speravit, non habuit unde Pontiniacensi monasterio retribueret, pro omnibus quæ retribuit illud sibi. Ne tamen videretur ingratus, fecit quod potuit, et decem marcarum reditus priori pensioni quam dominus Stephanus assignaverat, adjecit. Et sic iterum credebatur impletum quod supra a beato Thoma meminimus repromissum. Sed certe largius scit providere Dei benignitas quam sperare audeat humana infirmitas. Non enim sine causa dictum est a Domino : « Qui reliquerit domum vel fratres propter me, centuplum accipiet in præsenti, et vitam æternam in futuro. » Adeo enim benignus et largus est noster paterfamilias, quod non solum dilectores suos remunerat in futuro, sed etiam bene utentibus præstat præmia in præsenti unde quod dilecto suo in vita defuit, ipse prædilectus et diligens in dilectoris sui morte supplevit. Nam coruscantibus miraculis, ad ejus excubias ægri veniunt et sanantur, munera deferuntur, et quæ ad mundi luxum deputata fuerant in auro et lapidibus pretiosis, ad tumbam sacri pontificis dedicantur. Videres ibi regales fibulas coruscare, aurea discriminalia emicare, monilia insertis gemmis pretiosissimis quodammodo scintillare, gemmatos de diversis pretiosis lapidibus annulos radiare, et diversarum imaginum species quasi sanctum Domini adorare. Sed et promiscui sexus et vulgi oblationes veluti quasdam minutias et forte apud Deum maximas quasi in gazophylacium Domini comportare. Et sic certe absque omni dubio oculo ad oculum hodie videmus impletum quod voce prophetica beati Thomæ martyris olim fuerat prælibatum, nam in duplum vel in quadruplum credimus restitutum quod circa sacros pontifices plura liberalitate fuit depensum. Et hæc potuit esse una ratio et non minima quare sit divina providentia, ut beatus pater Edmundus se pro se ac pro suis antecessoribus quasi obsidem daret, et solvendo charitatis seu hospitalitatis debitum, civiliter tamen indebitum se et illos liberaliter liberaret ; et putandum quod fratres domus ipsius hoc debitum recipiant, ut debitum a donatoribus tanquam donum omnia convertentes ad ipsum beati Patris feretrum adornandum.

6. Nunc igitur convertere aliquantulum, o lector, si vis simplici oratione fore contentus, et dic cum B. Gregorio verba ipsius ad tuum referens intellectum. Quid, fratres, cursus iste significat? An casu

gestum cre litis quod electus ille Domini B. Thomas juris ecclesiastici maximus propugnator, excurrens de Anglia in Pontiniacense monasterium se locavit, et per sex annorum curricula ibidem aliasque perendinans in Domino militavit; et tandem rediens cursum suum felici martyrio consummavit. Nulliusne considerationis existit quod successor ipsius magnus ille Stephanus cardinalis consummatus in archiepiscopum, antequam ingrederetur in Angliam, eam pro libertate fere consimili apprehendens, antecessoris sui vestigia subsecutus, tot annis ibidem commoratus, et tandem ad propria revocatus, in pace apud Cantuariam est sepultus? Nunquid a mysterio charitatis vacare credimus quod tantorum etsi non inferior successor B. Pater Edmundus in patria sua laudabiliter conversatus, absens et nesciens ad apicem metropoleos sublimatus, tandem indutus lorica justitiæ pro justitia exsulans apud sæpedictum monasterium in assuetis sanctæ vitæ operibus aliquandiu conversatus, ibidem tumulatus, et postmodum ad locum honori suo congruum est translatus? An hoc totum quod circa tam eximios tres, videlicet patriarchas sives primates, quod idem est in re, sed diversum in nomine, casui vel fortunæ, et non patiens ascribi debeat dispositioni divinæ? Voluitne ea fieri pro nihilo qui dixit de duobus passeribus comparatis dipondio, quod nec alter cadet super terram sine Patre nostro cui est cura de omnibus? Nunquid major cura est illi de duobus passeribus quam de tribus pontificibus? de quibus primus exiens de finibus suis post exsilium est regressus et martyrio consummatus. Secundus antequam patriam ingressus exsilium est perpessus, et tandem in sua sede locatus, ibidem etiam est mortuus et sepultus. Tertius vero inthronizatus in pace exsulans sine pace temporis, in exsilio quæsivit pacem pectoris et invenit, et ab hac transivit ad pacem æternitatis. Est ergo in omnibus tribus multa conformitas, et inter se discreta diversitas, de quibus licet aliquid ratione subnixum quid significet, cogitare et probabiliter cogitatum calamo licet humili exarare, et qui dictum causari voluerit, habeat licentiam cancellandi, vel materiam ipsam in meliorem formam et habitum transformandi.

7. Doctor gentium, Apostolus sanctus, Patres Veteris Testamenti in catologo sub quodam epilogo ponens, nominatim expressis aliquibus aliis a justitiæ operibus designatis, tandem concludit et dicit quod tales per fidem vicerunt regna. Fides enim testimonium accepit ab operibus, ab opere operante magis quam ab opere operato; unde sic concludit in fine: « Et hi omnes testimonio probati sunt. » Patres etiam Novi Testamenti testimonio fidei probati sunt, quia testes facti sunt usque ad mortem, unde in laude Innocentium dicitur quod testimonium reddiderunt Domino Jesu Christo etiam non loquentes; et idcirco a Græco vocabulo, quod sonat *testis*, martyr vel martyres sunt vocati. Unde non incongrue quæri potest quomodo B. Thomas martyr

A proprie dici possit, cum pro fide martyrium non acceperit, ut videtur. Constat enim regem Angliæ sub quo passus est, et similiter illos a quibus passus est Christianos fuisse ac fideles, saltem fide informi, nec agebatur ad hoc ut jam dictus præsul ali quem articulum fidei cogeretur defendere, aut arisidolorum thura imponere. Sed erat quæstio inter regem et præsulem de quibusdam juribus, quæ unus injuriam, alter justitiam, æstimabat. Quæ quidem quæstio salva fide utriusque et moveri poterat et finiri. Sed ad hoc satis congrue respondetur, quod est fides articulorum, et est fides sacramentorum, et est fides catholicæ dignitatis et ecclesiasticæ libertatis. Pro fide articulorum in symbolis expressorum astiterunt sancti in agone certaminis contra

B principes, sed paganos. Pro fide sacramentorum et potestate clavium constituerunt doctores Ecclesiæ contra hæreticos atque schismaticos a fide devios. Pro fide ecclesiasticæ libertatis pugnatum est et pugnant hodie fortes ecclesiarum prælati contra principes et tyrannos nomine tenus Christianos. In hac igitur ultima acie fortes facti sunt in bello B. Thomas, dominus Stephanus, et sanctus Edmundus, et suo testimonio probaverunt, quod non minus est testis qui defendit ecclesiasticam libertatem, quam is qui propugnat articulate fidei Christianitatem. Alioquin non diceret Dominus improperanter malis Ecclesiarum rectoribus per Ezechielem: « Non opposuistis vos murum pro domo Domini, ut staretis in prælio contra ascendentes ex adverso. »

C Magna enim potestate munivit Dominus vicarium suum, videlicet B. Petrum, cum tradita ei potestate clavium, ligandi scilicet atque solvendi, statim adjecit pollicens, quod portæ inferi contra hanc auctoritatis potentiam minime prævalerent. Portas inferi hæreses voluit intelligi et tyrannicas potestates.

8. Secundum ergo præceptum legis divinæ qua dicitur: « In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, » manifestum est quod per hos testes tres eximios probata est peroptime causa atque defensio ecclesiasticæ libertatis, et pro indicio demonstrativæ probationis, ratio poscebat ut duo saltem ex tribus in Cantuariensi ecclesia, cujus causa agebatur, in monumentum victoriæ duo testes legitimæ probationis non solum vivi, sed et defunctorum corpora

D remanerent, ut essent quasi titulus triumphalis suffraganeos suos ad similia provocandi, et in spe certaminis victoriam obtinendi, nec oportebat ut tertius adderetur qui dispensatione divina ad ampliandum ecclesiastici honoris titulum utiliter ad alias servabatur. Non est enim in præjudiciabile Cantuariensi Ecclesiæ quod corpus B. Patris Edmundi ibidem cum aliis minime requiescit, quia ex hac causa nihil deperit, nec honor ejus inde vilescit. Imo bene rem intuenti, certum quod tam personæ quam loco ex hoc plurimum honoris accrescit. Manet autem ejus memoriale quod non derelinquetur in sæcula, quod talis fuit Cantuariensis archiepiscopus, et qui illius sedis patronus fuit et defensor in terris, et procul-

dubio eorum qui credenda crediderint est pius intercessor in cœlis. Sed posito quod corpus ejus inhumatum fuisset in Anglia, quid honoris et gratiæ pro tot beneficiis tantis patribus et successive exsulibus Gallia tunc haberet? Anglia quidem tunc læta foret, sed Francorum patria, in qua fulserunt tam præclara miracula, tractum modici temporis tam celebrem memoriam aboleret. Nunc autem dispensatione divina, ut credimus, melius est provisum, ut unum regnum gaudeat, se talem Deo genuisse devotum, et tantum habuisse patronum; et aliud regnum similiter tali sibi collatum cœlitus fore donum, retinere scilicet thesurum, vas, inquam, corporis sui omni lapide pretiosius.

9. Est et aliud memorabile et considerabile in hoc facto. Prædecessores sui B. Thomas et dominus Stephanus fuerunt ad suam ecclesiam solemniter revocati, utrum vere, an fictitie, nos facti ignari existimus, et melius rei probavit eventus. Sanctus Christi Domini confessor Edmundus non fuit aliqua solemnitate debita adhibita revocatus. Quomodo ergo venisset invitus, vel potius impudicus, qui pudicitia tam mentis quam corporis fuit hominum reputatione et rei Christianitate conspicuus? Fecit ergo quod debuit, et ultro se, ne fontem daret in frontibus, non ingessit, sed eorum loco et patria se subtraxit, qui ut ipsum possent retrahere libenter ad tempus cum ipso extra patriam exsularent, et exsilium post vitam sustinerent, quod inviti in vita cum ipso sustinuisse volebant. Providit ergo Deus melius, ut sine ipsis consummaretur in patria, in qua non erat eis calumniandi vel insultandi larga data licentia, quæ ipsius patris vitam atque miracula facile suffocasset, si ejus corporis præsentiam in patris ipsius patria habuisset. Unde provisum est ut illis detraheretur detractionis materia, et Dominus sanctum suum per hoc proveheret ad majora. Exstant enim ipsius miracula miraculosa tam in Anglia, cui præfuit, quam in Francia quam adivit.

10. Alia, et ut videtur, uberior nunc ratio occurrit, quare separationem dictorum patrum Dei dispensatio sic providit. Certum est quod in Anglia B. Edmundi regis et martyris refulgent miracula pretiosa, quibus patria illa mirifice decoratur, et Deus in sancto suo mirabilis prædicatur. Posito autem et constante quod beatus confessor Christi Edmundus locum sepulturæ suæ fuisset in illa regione sortitus, ex æquivocatione nominis, saltem apud imperitos fuisset miraculorum attributio obumbrata, et per consequens forsitan diminuta. Et quamvis inter sanctos nulla sit prorsus dissensionis materia, quin potius gaudium et exsultatio, sicut de bono proprio de alterius prælatura: vulgus tamen ignarum facile contentionis materiam assumeret, et de sanctorum miraculis et meritis plusquam ratio exigeret, disputaret. Substracta est igitur controversiæ calumnia, et magis relucent miracula ab uno ad alium relata. Et hoc nescio an in spiritu quasi videtur, quod Dei confessor Edmundus, ut regi Edmundo cum quadam reverentia sanctis congrua, regnum cederet, in quo prius ille pie regnaverat, et per martyrii gloriam tempus et locum præanticipaverat, ut qui erat prior loco et tempore, ei cederetur charitatis honore. Et est verisimile, quod si tam pium regem B. præsulis Edmundi tempora habuissent, quod nequaquam de illa patria excessisset. Quin imo videtur ipso facto quod præsul martyrem honoravit, cum locum, ut dictum est superius, ei cessit. Nam æquivocationis ab eo sortitus est vocabulum, et non casualiter, sed secundum divinæ prædestinationis eventum. Nam ut in ejus legenda diffusius enarratur, mater S. præsulis cum ipsum gestaret in utero veniens ad tumbam B. martyris, motus vitales primum sensit in parvulo quem gestabat in utero, et infans Edmundus nondum Edmundus videtur motu suo martyrem salutasse, et per hoc communis vocabuli gratiam impetrasse. Jam vivus mortuum salutavit, et moriens viventi in cœlo martyri locum dedit. Qua in re quid aliud est pensandum, nisi quod factum est a Domino factum esse credatur, per quem quidquid in vivis agitur, aut mortuis, ordinatione rectissima sive occulta seu etiam manifesta, per Dei providentiam dispensatur.

11. Sed et hoc in fine credimus adnectendum, quod ratio superius posita exigebat B. Thomam martyrem in Dorobernensi Ecclesia tumulari, ad cujus gloriam est provisum, ut tantus doctor et pontifex cardinalis et primas tandem ei succederet, qui de loco sepulturæ ipsius sanctum corpus ipsius laudabiliter et condigne transferret, et Scripturarum super translatione ipsa monumenta relinqueret, sicut hodie in Cantuariensi Ecclesia reperitur, quod videlicet præfatus dominus Stephanus archipontifex B. Thomæ martyris corpus de crypta in qua statim in morte ipsius collocatum fuerat, propriis manibus ad superiora supremi altaris loca transposuit, et præsente rege Anglorum et fere cunctis pontificibus et principibus, aliisque regni optimatibus, in aureo et gemmato quasi stellato solio collocavit, et modum translationis et ordinem luculento sermone descripsit, et cum eo quem prudenter descripserat in Domino obdormivit. At B. præsul Edmundus similem non in loco, sed in modo, omnino habere meruit sepulturam, et translationis etiam modum consimilem et consimilibus indiciis gloriosum. Sepultus est enim in Pontiniacensi ecclesia cum gloria et honore, sicut superius est narratum. Sed postquam Domino complacuit sanctum suum amplius sublimare, ut excellentior locus ipsum exciperet, et celebritatis ejus memoriam duplicaret, tunc, inquam, auctoritate apostolica est provisum, ut ad hujus translationis gloriam commendandam, cardinalis Albanensis episcopus, antea Rothomagensis archiepiscopus, et non solum ipse, verum etiam Tusculanus episcopus, similiter cardinalis, cum pluribus archiepiscopis et episcopis advenirent, et coram Francorum rege illustri, et quasi coram tota familia procerum regni Franciæ translationis obsequium devotissime celebarent.

Similitudo igitur permaxima est in istis, quod utraque translatio de mandato summi pontificis per cardinales hinc et inde, per archiepiscopos et episcopos utrobique, per reges et utriusque regni principes, et per multitudinem fidelium populorum cum omni veneratione, qua fieri decuit et oportuit et potuit, ut completa, ut ipso facto quasi digito potuit demonstrari, quod Deus et non homo ad honorem sanctorum suorum et ad excitandum devotionem fidelium hæc insignia voluit procurari. Qui se vult in sanctis gloriosum et admirabilem et superlaudabilem et superexaltabilem in omnibus et ex omnibus et præ omnibus prædicari. Cui est honor et gloria, imperium et potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Explicit tractatus de promissione beati Thomæ martyris facta Pontiniacensibus.

—

XV

EXCERPTUM E COD. REG. MUSEI BRITAN. 13 E. VI.

Omissis omnibus quæ vel in juventute, vel in archidiaconatu vel in præpositura, vel in officio cancellariæ Thomas egerit, de quo scribere proposuimus, discordiam inter Henricum regem Anglorum Matildis imperatoris filium, et eumdum promotum in Cantuariensem archiepiscopum protractam diutius, sub certis capitulis breviter cum tali signaculo ɔ-c denotatis fine laudabili concludamus.

Thomas creatus archiepiscopus regis resignavit sigillum.

Archiepiscopus ad postulationem regis distulit archidiaconatum Cantuariensem transferre.

Clarenbaldus sine professione quærebat benedictionem accipere, regem habens fautorem.

Comes de Clara Rogerus homagium facere noluit archiepiscopo, rege consentiente.

Willelmus de Ros regem non archiepiscopum agnovit ut dominum.

Willelmus Einesfordiæ dominus Laurentium expulit ab ecclesia, quem excommunicavit archiepiscopus, rege non certiorato.

Nuntii regis censuetudines, quas avitas vocant, a domino papa roborari non impetraverunt.

Ab archiepiscopis et episcopis confirmatæ sunt regni consuetudines.

Philippus de Broc canonicus Bedfordiæ, propter maleficium est expulsus a regno.

Joannes Mareschaldus archiepiscopo pro maneerio quodam adversarius instructus est in curia regis.

Archiepiscopus adversus episcopos appellavit et ab iis appellatus est.

Archiepiscopus tractus in causam ante legatos Willelmum Papiensem et Joannem Neapolitanum, ablatorum petiit restitutionem, sed non impetravit.

Rex archiepiscopo dare signum pacis in osculo penitus abnegavit et abjuravit.

Archiepiscopus post pacem factam in Angliam rediens, plures armatos occurrentes invenit.

Quæ circa personam archiepiscopi die Martis qualiter evenerint invenietur.

Willelmus Senonensis archiepiscopus, domino papæ litteras direxit.

Ab episcopis concurrentibus Ecclesia Cantuariensis reconciliata fuit.

Thomas archiepiscopus canonizatus est a domino papa Alexandro.

Quoties inter archiepiscopos Canturienses tibi Thomas protomartyr in Anglia Normannorum temporibus inter legendum occurrerit, toties ejus vitam laudabilem, actus eximios, exsilium, passionem, in morte constantiam, post transitum ab hac luce cœlestem ad patriam crebra miraculorum insignia, sub silentio non prætereas.

1172 clero totius provinciæ Cantuariorum generaliter Londoniæ convocato, præsente Henrico filio regis et regni justitiariis, Thomas Cantuariorum archidiaconus et regis cancellarius, nemine reclamante, solemniter electus est in archiepiscopum. Electionem factam sine aliqua contradictione recitavit Henricus Wintoniensis episcopus apud Westmonasterium in refectorio monachorum, quarta feria ante Pentecosten. Electus autem Sabbato Pentecostes ordinatus est in presbyterum in Ecclesia Cantuariæ a Waltero Roffensi episcopo, in ordinationibus et in dedicationibus faciendis Ecclesiæ Cantuariensis vicario. Sequenti die Dominica consecratus est ab Henrico Wintoniensi episcopo, vice Londoniensis Ecclesiæ tunc vacantis, episcopo Londoniensi Ricardo secundo rebus humanis exempto, quod ad jus suum spectare dicebat Walterus Roffensis episcopus, sed non obtinuit.

Nuntiis ad dominum papam directis, quem ad Gallias descendentem Willelmus de Monte Pessulano tanquam dominum ligium suum receperat honorifice, celeri relatione perlatum est, quod suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ sibi pastorem elegerant, qui concurrentibus omnium votis jam a propria synodo fuerat consecratus. Acceptum fuit verbum istud in auribus domini papæ. Litteris igitur episcoporum, litteris etiam prioris et conventus Sanctæ Trinitatis, litteris quoque regis in medium recitatis, sub audientia cardinalium in consistorio postulatione facta, facilis et jucundus juxta petitionem ab omnibus datur assensus. Pallium itaque cum ea gravitate, cum ea remoratione, cum ea solemnitate qua consueverant nuntiis est commissum,

quod Thomas archiepiscopus in sede Dorobernensi A conditionibus solitis involutus, et sacramento constrictus, ab altari majore suscepit. Postquam autem induit vestes summis sacerdotibus, Domino disponente, collatas, habitum sic mutavit, ut mutaret et animum. Nam curiæ curis interesse non approbans, ut eximeretur a curia, vacans orationi, superintendens Ecclesiæ suæ negotiis, nuntium in Normanniam regi direxit, renuntians cancellariæ, sigillum resignans. Quod altius in cor regis ascendit, in se solum causam resignationis tam subitæ retorquentis. Audierat namque quod Maguntinus archiepiscopus in Teutonica sub rege, quod Coloniensis archiepiscopus in Italia sub imperatore, nomen sibi vindicent archicancellarii. Qui nec promiscuis actibus æstimant turbari rerum officia si gestant in dextra B baculum pastoralem, et ad expediendas regni vel imperii necessitates et pacem Ecclesiæ procurandam propensius accingantur, dummodo cancellarius curiæ sinistro lateri sigillum allateret nunc regis nunc imperatoris, qui dicitur protonotarius.

Thomas Cantuariorum archiepiscopus obviam regi veniens, cum rediret in Angliam, receptus est in osculum, sed non in plenitudine gratiæ, sicut vultus statim aversus omnibus qui convenerant, patenter ostendit.

Thomas ex archidiacono Cantuariensi sumptus ad archiepiscopatum, ad instantissimam regis postulationem diutius distulit archidiaconatum transferre. Transtulit tandem ut rex petivit, sed gratiam regis ad tempus subtractam, ut videbatur sibi postmodum redintegratam non ad plenum agnovit.

Clarembaldus abbas electus Sancti Augustini benedictionem ab archiepiscopo Thoma quærebat accipere, sed in ecclesia propria, sed sine professione, sed spe cujusvis in posterum subjectionis prorsus ademptæ. Cum autem rex se verbis hujusmodi non opposuerit, partibus antiquitatis in finibus stare persuadens, et eas omnibus modis quibus id fieri potuisset inducens, alteram inclinatior videbatur in partem.

Capitula quæ sequuntur quære infra in hoc codice anno 1173, etc., etc., etc.

SANCTI THOMÆ
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
EPISTOLÆ

EPISTOLA PRIMA.

AD PAPAM ALEXANDRUM.

Litteræ consolationis, quas vestra nobis dignata est paternitas destinare, magnum quidem mediocriter anxiato afferre possent remedium: aut si saltem nostra circa unum aliquid figeretur angustia, spem nonnullam respirandi possemus ex eis concipere. At quoniam de die in diem malitia invalescit, multiplicantur injuriæ, non nostræ, sed Christi, imo quia Christi, eo magis nostræ, succedentibus sibi invicem more fluctuum procellis, solum nobis videmus imminere naufragium. Nec aliud consilium superesse, nisi ut ipsum quasi dormientem in navi pro viribus nostris excitantes dicamus: *Domine, salva nos perimus.* Et hoc sane aptiorem malignandi D nacta est iniquitas occasionem, quod statum sanctæ Romanæ Ecclesiæ infirmiorem conspicit, ut vere liqueat, quod quidquid in caput, sive bonum sive malum, sive dulce sive amarum defluit, per barbam descendens, nec oram vestimenti relinquit intacta C ctam. Eripitur Jesu Christo, quod sanguine suo comparavit. In ipsam ejus sortem potestas sæcularis manum extendit. Adeo ut nec sanctorum Patrum sanctiones, nec statuta canonum, quorum apud nos etiam nomen exosum est, nec clericis quidem patrocinari valeant modo, qui ab hac jurisdictione huc usque speciali privilegio fuerunt exempti. Et quoniam enarrare vel prosequi scripto, quæ patimur, longum esset et tædiosum, ad vestram mittimus paternitatem magistrum Henricum, fidelem et familiarem vestrum et nostrum, in cujus ore posuimus singula, seriatim prout vidit et audivit, vobis exponenda. Et si placet, credite, tanquam si nos loquentes audiretis viva voce. Hoc tamen sciatis, quoniam, si fieri posset, multo libentius vos in persona visitaremus nostra, quam in alia. Loquimur vobis sicut Patri et domino: et quod dicimus, summo silentio petimus occultari. Nihil enim nobis tutum est, cum omnia fere referantur ad regem, quæ nobis in conclavi vel in aurem dicuntur. Væ nobis, qui in hæc servati sumus tempora, quorum diebus accesserunt

hæc mala! Qui in priori statu tanta potiti fuimus libertate, quam modo dura et pessima servitute recompensamus? Fugissemus saltem, ne in direptionem patrimonium Crucifixi dari videremus; sed quo, nisi ad eum, qui nostrum refugium et virtus est, ignoramus. De Wallensibus, et Oweno, qui se principem nominat, domine, provideatis, quia dominus rex super hoc maxime motus est et indignatus. Charissime Pater et domine, bene valete.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

Causa Thomæ ante dominum papam.

Ad audientiam tuam, Pater sanctissime, confugio, ut qui Ecclesiæ libertatem tanto tui discrimine redemisti, eam vel solam vel maximam meæ persecutionis causam attendas, quod exemplo tuo usus sum. Dolui enim statum Ecclesiæ labefactari paululum, et jura ejus in avaritiam principum dissipari, et occurendum credidi morbo venienti. Et quo plus illi Domino meo, cui post Deum cætera debeo, me sciebam obligatum, eo tutius iniquis ejus instigationibus arbitrabar resistendum, donec obtinuerunt illi, et serenitatem ejus offuscaverunt mihi. Exinde, ut mos est apud principes, criminationes et calumnias injecerunt in occasionem persecutionis meæ, et ego ejici malui quam subscribere. Accessit etiam his malis, quod vocatus sum coram rege tanquam laicus, ut satisfacerem, et unde mihi suffragia speraveram, sum destitutus. Animadverti enim in dominos et confratres nostros episcopos istos pro aulicorum arbitrio in me paratos animadvertere. Ita cunctis incursantibus fere suffocatus ad tuæ pietatis audientiam quæ nec in extremis agentes negligit, respiravi. Sub quo demonstraturus asto me nec ibi fuisse judicandum, nec ab illis. Nam quid aliud esset, patres mei, nisi vestra vobis jura subtrahere? Quid aliud quam spiritualia temporalibus submittere? Semel natum hoc exemplum esset ad multa. Ideoque credidi firmius resistendum, quod affectus proclivior nocendi nasceretur, si prius debilitatem agnoscerent. At inquient, reddenda erant Cæsari quæ Cæsaris erant. Sed, etsi in pluribus obtemperandum sit regi, in illis tamen obtemperandum non est, quibus efficitur, ne rex sit. Non essent illa Cæsaris, sed tyranni, in quibus, etsi non pro me, pro seipsis ei resisterent. Nam si illi extremum reservatur judicium, qui potens est judicare corpus et animam, nunquid extrema erit inter homines et summa potestas ei qui judicat secundum spiritum? Si justam foverent causam quid, me impetebant? Quid me arguunt, si ad eum appellavi, apud quem mentiri vel non licet, vel non expedit? Aut injuste in me causabantur, aut de justitia vestra diffidebant. Dupliciter enim confundebar, si coram sanctitate vestra convincerer. Nec miror tum laicos in clerum hujusmodi machinari conscriptionem, sed dominos et fratres meos non solum hujus factionis conscios, verum etiam prolocutores exstitisse admiror. Nam quid eorum persecutionem metui, pro quibus tantis occursibus me opposueram? Obtinuis-

A sem, si voluissent illi. Sed male caput agit, si a membris destituitur, quin etiam si oculi linguam contra caput assumant. Si bene prævidissent, in se perniciem machinabuntur, et eorum usi sunt principes auxilio in eorum servitutem. Quæ hæc tanti odii causa fuerat, ut pro me exstinguendo seipsos exstinguerent? Ita dum spiritualia pro temporalibus negligunt, deficiunt in utrisque. Quid quod me etiam reclamantem, et audientiam vestram appellantem patrem suum in præjudicio damnare ausi sunt? Quid si eamdem in universam Ecclesiam cum offenso nobis principe conspirationem fecerunt? Et te, Pater sanctissime, suspicio ita poterat attingere. At, inquient, regi tenebantur ex debito Domini. Sed illi corporaliter, mihi spiritualiter. Cui potius teneri
B potuerunt quam sibiipsis? Nonne potius corporalium damnum quam spiritualium negligendum fuit? Inquiunt rursus, hoc tempore principem non fuisse provocandum. Quam subtiliter in suam servitutem argumentatur? Imo ipsi provocant, qui excessibus suis alas præbent, et suffragium. Quievisset enim ille nisi acquievissent illi. Et quo tempore magis constantia exigitur quam inter persecutores? Nonne familiares ex persecutionibus comprobantur? Si semper succumbant, quomodo obtinebunt? Necesse est aliquando resistant. Condescende ergo, Pater sanctissime, in fugam meam et persecutionem, et me aliquando magnum fuisse reminiscere tempore tuo, et propter te injuriis lacessitum. Utere rigore tuo, coerce eos, puorum instinctu nomen hujus per-
C secutionis erepsit. Nec domino regi horum aliquid imputetur, qui hujus machinationis est minister potius quam repertor.

EPISTOLA III.

AD EUMDEM.

Venerande Pater et domine, quantum Cantuariensis Ecclesia beati Augustini, qui eam tam moribus quam lapidibus fundavit, ejusque successorum vitæ excellentia ac morum prærogativa meruerit exaltari, prudentiam vestram minime latere existimamus. Sane sub eorum sana dispositione et provida dispensatione, primaria dignitate atque primatus honore, multorum privilegiorum attestatione, decorari obtinuit. Siquidem inter omnes occidentales Ecclesias tam dignitate claruit, quam erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam tam fide quam devotione præsti-
D tit. Profecto a suæ matris sanctæ Ecclesiæ Romanæ sinu, etiam schismatis tempore ingentibus tribulationibus ad id ipsam mergentibus, avelli nunquam potuit. Cæterum nostris temporibus, in quos fines sæculorum devenerunt, crebris adversitatis tunsionibus agitata servituti incipit subjici. Nam ecce, qui velut filius ejus tanquam matris ubera ab ineunte fere ætate suxisse dignoscitur, ipsius undique latera concutit, cujus suffragiis ad eum honorem, quo nunc fruitur, ipsum sublimatum fuisse constat. Dominum Eboracensem archiepiscopum loquimur, qui cum omnem reverentiam sæpe fatæ Ecclesiæ impendere deberet, eam pristina dignitate privare moli-

tur. Cum enim in universa provincia nostra antiqua libertate potiremur, temporibus nostris, quod non ante qualibet occasione usurpatum est, sicut ipse optime novit contra crucem crucem erexit, cruci crucem opposuit, Christum significans esse divisum, crucis scandalum suscitavit. Cumque ipse a nobis fraterna charitate admonitus desistere nollet, sanctitatis vestræ litteras, quibus ne id faceret inhibebatur, ei porreximus. At vestrum contemnens mandatum, nihilominus crucem bajulavit. Quid tamen post quatuor pluresve dies nos ad audientiam vestram super falsa suggestione appellavit, sancti Lucæ diem appellationi præfigens. Ad quem, Domino disponente, in promptu ei plenissime responsuri occurremus. Verum si urgentissima causa impediente præsentiam vestram adire non poterimus, Odonem subpriorem Ecclesiæ nostræ, procuratorem in præsenti causa, et in omni incidenti quæstione constituimus, nos ratum habituros, quidquid fecerit, firmiter promittentes. Valeat et vigeat semper sanctitas vestra, Pater charissime.

EPISTOLA IV.

AD EUMDEM.

Abutitur Ecclesiæ patientia rex Angliæ et tanta immanitate in sponsam Christi jugiter sævit, ut Petrus, cujus fidei et zelo illa commissa est, gladium cogatur educere, et persecutorum Christi in virtute sancti Spiritus malitiam cohibere. Iterato enim rapitur Christus, et ad crucem trahitur, discipuli dispergunturqui tamen ad impetum turbinis non abjecerunt omnino fidem, aliis iterum machinantibus quomodo Filium Dei prodant in osculo pacis, et sub juris obtentu et reverentia legis justitiam subjicere valeant, et Deum legitime impugnare. Quia memores officii nostri, et judicium Dei, in quo nulli parcetur culpæ, formidantes, pro justitia mutire ausi sumus, dati sumus in opprobrio multis, expositi pro Christo periculis omnibus tanquam signum ad sagittam. Tandem addicti exsilio cum omnibus nostris, clericis et laicis, mulieribus et parvulis, pusillis et majoribus, ut nec reverentia Ordinis, nec conditio sexus, nec ætatis miseratio quidquam iræ detraheret aut furori. Multi eorum jam in exsilio mortui sunt: quos quoniam innocenter pro justitia patiebantur, confidimus ad requiem convolasse, et cum electis laborum suorum recepisse mercedem, plurimi vero adhuc exspectant misericordiam Dei, in fame et siti, in frigore et nuditate. Alii tenentur in vinculis: inter quos capellanus noster sacerdos religiosus, qui de conscientia et consensu regis remanserat in Anglia ipso post illam, quam dicunt, appellationem mandante tenetur afflictus in carcere. Hæc omnia sustinuimus, tentantes an per patientiam mansuetudinis nostræ possemus aliquo modo mitigare sævitiam ejus. Sed quanto plura patimur, tanto magis crudescit immanitas, ut publice fateatur se nullo modo posse placari, nisi ei ad nutum exponatur Ecclesia et de consensu nostro recipiantur ab omnibus consuetudines, immo perversitates suæ, non modo canonibus et legibus adversæ, sed Evangelio Christi penitus inimicæ. Quia ergo non acquiescimus, et prædicamus Deo potius obediendum quam homini quærit animam nostram ut cum ea auferat Ecclesiæ libertatem, et in regno suo sedis apostolicæ privilegia usquequaque convellat.

Hoc proposito nuper in capitulo Cisterciensi proximo denuntiavit inimicitias toti Ordini, et quod omnes domos eorum exterminabit a terra sua nisi Cistercienses me exsulem et proscriptum pro domino, et fidelitate Ecclesiæ Romanæ, et cleri libertate, ejiciant a monasterio Pontiniacensi, invito abbate loci et fratribus, qui pro reverentia precum vestrarum, et Christianissimi regis Franciæ et optimatum Galliæ interventu, benignissime et liberalissime plurimam mihi et meis, quod eis rependat Altissimus, humanitatem exhibuerunt, et adhuc, si licuerit, exhibere parati sunt. Et licet tribulemur et conteramur soli cum parvulis nostris, qui fidem divitiis et deliciis prætulerunt, pro libertate totius Ecclesiæ, tamen ad subversionem justitiæ et libertatis, quorumdam episcoporum citra mare et ultra nititur consilio, qui præ cæteris sapientes sunt ut faciant mala, et eloquentes ut dedoceant legem. Hi sunt os ejus, hi calamus, horum freti auxilio fautores ejus gloriantur, quod nos nostris confodiant jaculis, et spoliis opprimant. Habent fiduciam, quod Jordanis influat in ora eorum. Verumtamen respondebit eis justitia sua, et nos per misericordiam Dei Petrus, cum quo et pro quo dimicamus, in fortitudine brachii vestri expediet. Annuntiavimus impio sæpius impietatem suam, ne sanguis ejus requiratur de manibus nostris. Minas intentastis et vos, ut vel sic evitaret laqueum damnationis. Sed ipse obsurdescens ad omnem Domini vocem, se ipsum præcipitavit in laqueum, dum violentas manus injecit in sacerdotem. Leges impugnat, imo et Evangelii, quantum in ipso est statuta convellit. Suam ponit schismatis cum schismaticis portionem, quibus communicat, et cum eis varias et nefarias contrahit obligationes, et anathematis sententiam sciens et prudens incurrit. Novit enim et ipse, quod qui violentas manus in clericos injicit, facto ipso excommunicatus est. Nonne facientis culpam habet in talibus, qui fieri mandat, imo compellit? David legitur interfecisse Uriam, sed gladio filiorum Ammon. Achab arguitur et punitur effudisse sanguinem Naboth, quod ministerio impiorum factum est nomine ejus, et ratihabitione convincitur placuisse.

Placeat itaque dignationi vestræ tantis mederi morbis, et nostræ, imo Ecclesiæ Dei afflictioni prospicere, ut severitate justitiæ absolutionem quærere compellatur, qui temeritate sua et contemptu legis, et potestate in caput suum, operum pravitate anathematis condemnationem intorsit. Episcopus Londoniensis honorem usurpavit in Anglia contra morem antiquum et perpetuam æquitatem, ut glorietur in provincia nostra nihil mandari posse aut statui

nisi per ipsum, aliis non æquanimiter ferentibus Pharisaicum hoc ejus supercilium. Dissimulavimus primo, exinde corripuimus hunc tumorem, sed quia ad perniciem indurescit, eum diu sine correctione non poterimus sustinere. Cohibeat Dominus linguam Londoniensis a malo, et labia Lexoviensis ne loquantur dolum, ad interitum ejus cui ministrant consilia, et etiam suum. Joannes de Oxeneford sanctitatis vestræ præsumit apparere conspectibus, et quasi re bene gesta, et schismaticis de schismate perpetrando, quod exinde convaluit præstito juramento, iteratis dolis apostolicam sedem appetit, ut quam perjurio nequivit subvertere, impura purgatione et fraudibus exquisitis decipiat. Qui nisi characterem bestiæ reportet in fronte, timemus ne quidquid honoris reportaverit sibi, in confusionem sedis apostolicæ, et totius Ecclesiæ ignominiam, et confortationem schismaticorum convertatur. Cætera posuimus in ore nuntiorum nostrorum, quibus, si placet, fidem habeat majestatis vestræ dignatio, et provideat ne innocentia nostra periclitetur in adventu domini Willelmi Papiensis, per quem persecutores nostri palam gloriantur se operaturos nostram depositionem. Ignoramus tamen an in hac venturus sit potestate, sed certum habemus, quod nisi cogamur a Majestate vestra nullius nos nisi sanctitatis vestræ, credemus judicio. Meminisse potestis si placet, qua fide nobiscum, qua charitate nobiscum ambulaverint quidam, qua sinceritate procuraverint preces regis Angliæ, justificantes causam hominis Ecclesiam persequentis, adversus quem terra clamat exigentibus culpis, et cœli revelabunt, nisi quia velatæ non sunt et occultæ iniquitates ejus. Absit ab Ecclesia Dei, ne illa compleantur, quæ presbyter, clericus memorati amici nostri et domini, nuper promisit regi Angliæ; scilicet ut causam, quæ inter nos vertitur, legatus ad regis definiat voluntatem. Frater sacerdotis, qui tenetur in vinculis, expediet cætera. Miseremini, si placet, nostri, et eorum, imo totius Ecclesiæ Dei.

EPISTOLA V.

AD EUMDEM.

Amantissimo Patri et domino ALEXANDRO Dei gratia summo pontifici, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, debitam et devotam obedientiam.

Satis superque sustinui, Pater amantissime, correctionem regis Angliæ exspectans, nec ullum omnino patientiæ meæ fructum obtinui, quin potius detrimentum et exterminium auctoritatis et libertatis Ecclesiæ Dei, dum incaute sustineo, cumulavi. Conveni eum multoties per nuntios religiosos et idoneos, et ad debitam satisfactionem frequentius invitavi. Litteris etiam, quarum transcripta vobis misi, divinam ei severitatem et ultionem, nisi resipisceret, intentavi. Ipse vero magis ac magis proficit in deterius, conculcans et deprimens Ecclesiam Dei, sed et personam meam, et eos qui mecum exsulant, adeo persequens, ut etiam beneficia servorum Dei, qui nobis Dei et vestri causa victualia provident, minis et terroribus suis auferre conetur. Scripsit enim abbati Cisterciensi, ut sicut abbatias ordinis, quæ in ipsius potestate sunt, diligit, ita nos a beneficio et familiaritate ordinis faciat alienos. Quid multis? Eo usque sub patientia nostra tam ipsius regis, quam officialium ejus profecit impietas, ut si multitudo virorum, quantumlibet religiosorum, rem vobis ut est, interpositis etiam juramentis assereret, miror si vel sic eorum assertioni credulitatem aliquam vestra sanctitas adhiberet. Hæc igitur cum anxietate cordis attendens, et periculum tam regis quam meum considerans, perniciosas illas non tam consuetudines quam pravitates, quibus perturbatur et confunditur Anglicana Ecclesia, publice condemnavi, tam observatores quam exactores earum fautores etiam et consiliatores et adjutores, quicunque fuerint, sive clerici sive laici, generaliter excommunicationi subjiciens. Scriptum etiam et auctoritatem scripti, quo perversitates illæ fuerant confirmatæ, cassavi: et episcopos nostros a juramento, quo ad observationem earum violenter astricti fuerant, relaxavi. Et hæc sunt, quæ in scripto illo specialiter condemnavi:

Quod non appelletur, pro causa aliqua ad sedem apostolicam sine regis assensu.

Quod non liceat episcopo excommunicare aliquem, qui teneat aliquid de rege, absque licentia ipsius.

Quod non ponatur terra ejus vel officialium suorum sub interdicto sine ejus licentia vel officialium suorum.

Quod non liceat episcopo excommunicare aliquem de perjurio vel fide læsa.

Quod clerici vel viri religiosi trahantur ad sæcularia judicia.

Quod laici, seu rex seu alii, tractent causas de ecclesiis vel decimis.

Quod non liceat archiepiscopo vel episcopo venire ad vocationem domini papæ absque licentia regis.

Et alia in hunc modum. Nominatim etiam excommunicavi Joannem de Oxeneford, qui communicavit schismatico et excommunicato illi Reginaldo Coloniensi, quique contra mandatum Domini et vestrum usurpavit sibi decanatum Saresberiensis Ecclesiæ, et in curia imperatoris, quale ipse audistis, præstitit juramentum.

Similiter etiam Ricardum de Ivelcestre, denuntiavimus excommunicatum, eo quod inciderit in eamdem hæresim damnatam, communicando illi nominatissimo schismatico Coloniensi solemniter, et publice machinando et fabricando omnia mala cum schismaticis et Teutonum illis in perniciem Ecclesiæ Dei et maxime Ecclesiæ Romanæ, quique præstitit juramentum de contrahendo matrimonio cum duce Saxonum. Et una Ricardum de Luci, et Jocelinum de Baillolio, qui regiæ tyrannidis fautores, et hæreticarum illarum pravitatum fabricatores exstiterunt.

Randulphum etiam de Broc, et Hugonem de Sancto Claro, et Thomam filium Bernardi, qui posses-

siones et bona Ecclesiæ Cantuariensis absque licentia et consensu nostro usurpaverunt.

Omnes, inquam, istos anathematis vinculo innodavimus. Verum in personam regis nondum sententiam dedimus, daturi forsitan per misericordiam Dei celerius, nisi resipuerit, et ex his quæ fecimus, apprehenderit disciplinam. Ut ergo, beatissime Pater, apostolicæ sedis auctoritas, et Ecclesiæ Dei libertas, quæ in partibus nostris tota fere periit, utcunque valeant restaurari, necesse est et modis omnibus expedit, ut quod a nobis gestum est, ratum omnimodis habeatis.

EPISTOLA VI.

AD EUMDEM.

Amantissimo domino, et Patri sanctissimo Alexandro, Dei gratia summo pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, miser et miserabilis exsul, salutem, et contra sævitiam principum semper animi constantiam.

Solliciti de statu et prosperitate vestra optaveramus jam pridem certum salutis nuntium audisse de vobis et de confratribus nostris, quid egerit etiam vobiscum, et cum Ecclesia sua Dei magnificentia. Insonuit enim auribus nostris, et toti Galliæ verbum, quod noviter factum esse dicitur a Domino. Videlicet illum Fredericum schismaticum, ignominiose humiliatum, factum sine honore coram populo et gente. Verum quoniam rumoribus credi oportere, et non oportere fas est, paternitatem vestram affectuose sollicitamus, ut recurrentibus litteris et nuntio per vos citissime audiamus et congaudeamus, si fecerit vobiscum Deus, quod facere consuevit sperantibus in se, non ponentibus carnem brachium suum, non habentibus fiduciam in principibus, in quibus non est salus. Si egerit vobiscum, sicut egit cum Ezechia de Sennacherib, retorquens pœnam in ipsum, qui moliebatur demoliri ipsum Ezechiam cum universa gente sua. Si sic se rei habet eventus, sicut fama divulgavit, benedictus Deus, qui novit facere misericordiam cum servis suis. Ecce quanta Dei potentia, quam magna ipsius miseratio : *Nisi enim ipse custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*. Non est a sæculo audita virtus Dei manifestior, si recte pensetur quid evenerit, justitia ipsius justior, qua contrivit ipsos fabricatores hujus malitiæ, tantæ persecutionis auctores, consumpsit etiam eos morte famosissima. Ipsum etiam utinam jam et principem viventem dederit in opprobrium omni populo, in derisum omni transeunti, ut ab omnibus digito monstretur, et fiat de ipso quasi celebre proverbium in ore vulgi dicentis : *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum*. Si confisus in potentia sua defecit in ipsa vanitate sua, cui satius fuisset, et gloriosius ad homines moriendo succubuisse impugnando suos adversarios, quam vivendo fieri despectui cunctis, et in derisum. Hæc Dei virtus et fortitudo brachii ipsius. Quis ergo audeat de cætero habens Christi vices in terra obsequi voluntati principum in confusionem Ecclesiæ non puniendo delinquentes? Audeat, qui voluerit, non ego, ne transferatur in me pœna delinquentis, ne judicer culpabilis ex dissimulatione vindictæ, ne transeam in culpam, qui culpam non admisi. Satis credo dictum esse domino meo in parte ista. Qui sapienter investigabit opera Dei, qui diligenter attendet ipsius magnalia, prudenter intelliget quid de cætero opus sit. Præterea noscet sanctitas vestra accidisse nobis quod verebamur, quod prædicabamus lucidum esse de præsumptione et insolentia domini Willelmi Papiensis, sicut ex litteris nobis statim in adventu suo transmissis potestis perpendere, a quo magis sperabamus juxta tenorem mandati vestri ad dominum regem Francorum, et ad nos emissi, solatium de consolatione pacis, quam confusionem de quæstionum decisione inter regem Anglorum et nos. Non enim ipse est, cujus in hac causa subjici debeamus ditioni. Præsertim cum instantia regis magis coegerit vos ad ipsum mittendum, quam ipse coactus, et missus venerit a vobis. Credimus quidem non esse juri consentaneum, nos ejus subire judicium vel examen, qui quærit sibi facere commercium de sanguine nostro : de pretio, utinam non iniquitatis, quærit sibi nomen et gloriam. Proinde supplicamus paternitati vestræ affectuose, si ei cura est de nobis, ut evacuetur potestas ejus, si quam tamen habet, circa nos et negotia nostra : transferatur malleus iste a nobis, qui potius elegit esse malleator clericorum obsequendo principibus, quam regum offensio consequendo gratiam divinam. In his vero et aliis, si placet sanctitati vestræ, quæ lator præsentium vobis manifestabit, intuitu pietatis et exsilii nostri petimus suppliciter a vobis exaudiri. Compatiatur miseriæ nostræ diuturnæ vestra serenitas, cujus finem omnes exspectant. Resumat vires præceptoris auctoritas, exerat gladium beati Petri, ulciscatur Christi et suorum injuriam. Sentiant manus Petri graves, qui eas contempserunt pro tempore dissimulantes, ut vel sic respiret libertas Ecclesiæ, quæ tanto tempore languit depressa, et gaudeat mundus glorificans Deum, qui fecit vobiscum misericordiam suam, quatenus resurgat per vos navicula Petri, quæ ab omnibus fere credebatur submersa, exspiret tyrannorum præsumptio, quæ videbatur obtinuisse. Multa sanctitati vestræ circa materiam istam haberem scribere, sed, ne fiam vobis sermone longo molestus, finem facio optans audire et videre de vobis, quod desiderat anima mea. Verumtamen unum solum adjicio, quod nequaquam silentio prætereundum est. Credebat forte dominus Willelmus cum rege suo tractu temporis delusisse auctoritatem vestram ex fortuitis casibus. Sed Domino vertente casus adversos in melius deludetur ipse, qui vos sperabat delusum ; per Dei misericordiam incidet in laqueum, in quem optando sperabat vos et nos incidisse. Valeat sanctitas vestra, et, ut bene sit nobis, vigeat in tempora longa.

EPISTOLA VII.

AD EUMDEM.

Miseriarum cumulus, et dolorum acerbitas nostrum, et coexsulantium nobis corda perculerat, et Christianissimum regem et optimates regni Francorum compassione Ecclesiæ, datæ, ut videbatur in adventu Joannis de Oxeneford, in manus eorum, qui quærunt animam ejus, ut auferant eam, gravissimo læserat scandalo, ut exulceratus animus quereretur fidem, et veritatem subiatas esse de terra. Sed quod pietati vestræ retribuat Pater misericordiarum, sanctissime judex amantissime Pater et Ecclesiæ De fidelissime custos, secundum multitudinem dolorum in cordibus nostris consolationes vestræ lætificaverunt animas nostras. Jam enim spe salvi facti sumus, et Christianissimus rex Galliæ, et regnum ejus apostolatui vestro, quem Deus optimum faciat, et in tempora longa protendat, innumeras agentes gratias, totam indignationem suam retorquent in illos, qui se de majestate vestra juramentis suis triumphasse gloriabantur. Rex enim ipse, postquam dignationis vestræ excusatorias recepit litteras, prudentiæ, justitiæ, sanctitatis et beatitudinis vestræ gloriam prædicat et extollit, et malitiam et fraudes eorum, qui falsis rumoribus scandalizaverant Ecclesiam Gallicanam, obloquentibus gaudenter exponit, et interdum invitis adversæ partis, si forte adsunt, ingerit auribus. Amplius tamen lætatus est post vestrorum colloquium legatorum, quos reverenter admittens, ab eis, sicut ipse fatetur didicit illos non venisse, ut libertati Ecclesiæ præjudicent aut nobis, sed component inter regem Angliæ, et nos, et si fieri potest, inter ipsum et Ecclesiam faciant pacem. Et utinam Deo auctore prosperentur in via ista, inqua nos promptissimos ad honorem Dei, et libertatem Ecclesiæ habebunt adjutores. Et vocati ab eis ad colloquium ad diem decimam in terrarum confiniis, cum tunc, ut ex conscientia loquamur, non nisi tres equos in domo nostra haberemus, obtinuimus nobis adjici septem dies, quibus coexsules nostros, qui miserabiliter dispersi sunt, possemus convocare, utpote necessarios ad solatium iteneris peragendi, et consilium verbi tractandi. Quibus vix tam brevi termino, et tanta rerum penuria convenire valentibus, in octava beati Martini dominis vestris legatis occurrimus inter Gisortium et Triam, Christianissimo rege, destinatis ad hoc ministris, quod ei in misericordia uberi retribuant Deus, nos et proscriptos Christi coexsules nostros undique confluentes, liberaliter et benignissime exhibente. Et sicut vobis ab aliquibus intimatum est, persecutores nostri sedulo procurant, ut itineribus et sumptibus vexemur, et expensarum onere, et tædio, regi Francorum, qui nobis inter alios pauperes Christi eleemoynam suam erogat, onerosi reddamur et odiosi. Viderentur enim magnum malitiæ suæ recepisse compendium, si non exturbare possent de habitaculo cœlitus præparato, et præriperent solatium eleemosynæ principis, sicut A excusserunt subsidium ordinis Cisterciensis. Venit cum dominis nostris solus archiepiscopus Rothomagensis, episcopis et abbatibus provinciæ nostræ, quos res evocasse voluerat, retentis Rothomagi. Proposuerunt ergo nobis ab initio duritiam regis, malitiam temporis, necessitates et calamitates Ecclesiæ, quæ fere ubique terrarum, excepta Francia, impugnatur, et vix tolerabilibus colliditur procellis, adjicientes multa de magnitudine principis et potentia, de amore et honore, quem Ecclesiæ Romanæ exhibuit, de familiaritate, et gratia, et beneficiis, quæ in nos exercuit, exaggerantes etiam querelas et injurias, quibus se a nobis et nostris læsum esse conqueritur, dicens quod ei procuravimus guerram regis Franciæ, et comitis Flandrensis. Suaserunt, B ut multa humilitate, et plenæ devotionis et moderationis exhibitione studeremus placare indignationem ejus, si forte aliqua ratione posset tanta feritas mansuescere, et immoderata asperitas mitigari. Quæsierunt et consilium a nobis, qui eum consuevimus posse plenius, qualiter possent illius duritiam emollire. Nam et ad illos se exhibuit duriorem, ex quo didicit, quod non licebat eis, juxta promissiones Joannis de Oxeneford, in nos pro voluntate ejus contra Deum et jura omnia condemnationis ferre sententiam. Quid autem episcopis suis audientibus dixerit, verbo nuntii, Deo propitiante, quam scripto commodius intimabitur auribus vestris. Nos vero gratias agentes dignationi vestræ, quæ a Deo de pace Ecclesiæ et nostra, quæ est gloria Dei et vestra, C sollicitatur, suspiciones, quibus non rex notare molitur, rationibus veris et probabilibus evacuavimus, et ipse rex Franciæ die sequenti, quatenus ad ipsum spectat, in præsentia cardinalium sub religione juramenti purgavit innocentiam nostram, quæ sicut Imperator cordium et Judex novit, ab hac culpa immunis est. Neque enim adeo hebetes sumus, et tardiores ad credendum legi, prophetis, et Evangelio, ut in articulo tantæ necessitatis relictis spiritualibus telis, et munimentis apostolicæ disciplinæ, carnalia credamus arma, præsertim sacerdotibus, corripienda. Novimus enim non esse in principibus confidendum, et quod maledictus est, qui ponit carnem brachium suum. Et ne tale quid de nobis probabiliter fingi posset, a colloquio regis non ipsos diu D suspendimus, donec tandem ab ipso evocati accederemus, ut ei præsentaremus excusationis nostræ litteras, et domino Ottoni legato, qui ob hanc causam nobis Papiam clericum suum miserat, impetraremus transitum et conductum. Habebat enim rex legationis hujus suspectum eventum, tum quia rex Angliæ impetraverat; tum quia meminerat, ut dicit, se alia vice læsum ab eis, quando vos nuper in patrem et dominum receperat, tum quia glorificationem Joannis de Oxeneford, et similium molestissime audiebat. Excusatione autem nostra gratanter admissa et transitu impetrato, reversi sumus ad habitatiunculam paupertatis nostræ, in patientia præstolantes salutare Domini. Et quia humilitatem et mo-

derationis exhibitionem, quibus tantus princeps A placaretur, a nobis domini vestri legati exigebant, respondimus non libentissime et devotissime ei tanquam domino et regi nostro omnem humilitatem, et obsequium et devotionem ad illorum consilium exhibituros, salvo honore Dei et apostolicæ sedis, et libertate Ecclesiæ, et honestate personæ nostræ, et possessionibus Ecclesiarum. Et si eis videretur aliquid adjiciendum his, aut demendum, aut immutandum, rogavimus ut dicerent nobis, quia in nostra voluntate erat illis obtemperare, quatenus conditionis et professionis nostræ necessitas pateretur. Dicentes autem se super hoc certum non habere consilium, nec venisse tunc ut nobis, sed ut et nos consulerent, tentando quæsierunt, ut verbis domini Willelmi utamur, quia non sumus meliores quam B patres nostri, an vellemus in præsentia eorum regi promittere nos observaturos omnes consuetudines, quibus usi fuerant antecessores ejus temporibus decessorum nostrorum, et ita sopitis hinc inde querelis omnibus, si tamen hoc impetrare possent, quod facile non credebant, recipere sedem nostram, et redire in gratiam ejus. Non vero respondimus neminem decessorum nostrorum ad hanc professionem ab aliquo regum fuisse arctatum, neque nos Deo rectore unquam profitebimur observantiam illarum consuetudinum, quæ Ecclesiæ Dei perimunt libertatem, sedis apostolicæ convellunt privilegium, et legi Dei patenter adversantur, a quibus nos Senonis in eorum, et multorum præsentia per vestram misericordiam absolvistis. Adjecto, quod a memoria nostra Deo C miserante non excidet verbum apostolico ore dignum, quia ante deberemus cervices nostras spiculatori feriendas exponere, quam talibus pravitatibus consentire, et turpi commercio rerum temporalium, aut aviditate vivendi curam sic relinquere pastoralem. Lectæ sunt in præsentia eorum reprobæ illæ consuetudines, quarum aliquas condemnaveramus, imo et ante nos ab initio cum observatoribus suis catholica Ecclesia in multis conciliis anathemate condemnavit. Quæsivimus ergo, an non modo eas observare, sed etiam dissimulare liceat sacerdoti sine periculo ordinis et salutis. At hæc adjecimus nos regi fecisse fidelitatem salvo ordine nostro, et eam ei libenter servabimus, ita quod fidem Deo debitam irritam non faciamus. Intulit ergo unus, quem ab initio, ut scitis, D habuimus, et debuimus habere suspectum, quod melius esset nobis omnino cedere, quam Ecclesiam sic vexari. Et circa hoc suasorii sermones multiplicati sunt, quo viva vox commodius referet. Retulimus itaque inferenti, quod ob hanc causam non cedemus, quia et exemplo perniciosum esset, et proficeret in ruinam ecclesiasticæ libertatis, et fortasse in fidei Christianæ dispendium. Quis enim auderet mutire de cætero? Quis pastoribus simili modo cedentibus ascendet ex adverso, ut se murum opponat pro domo Israel? Addidimus nec vos, nec aliquos apostolicos viros Ecclesiam Dei talibus exemplis informasse. Nonne pastoribus fugientibus, sicut historiarum fide celebre est, tota Ægyptus ad idololatriam rediit, ubi ab initio maxime religio vigebat. Hinc alio progressi quæsierunt an illorum vellemus stare judicio super his quæ vertuntur inter nos et regem. Et quidem si refugeremus judicium, causam regis justificare videremus, et nostra fortasse apud plerosque læderetur opinio, cum tamen illum, qui adversarius exstitit, non debeamus, si placet, habere judicem, nec alicubi ad hoc tuti esse possimus, nisi in præsentia vestra. Nostra siquidem et nostrarum proscriptione, et aliorum vexatione, et damnis sic rex ille terruit et territat universos, ut nullus, eo sciente, audeat nostri meminisse in bonum. Habita horum omnium comtemplatione sic temperavimus responsionem, ut nec diceremus nos detrectare judicium, nec tam discriminoso nos immergeremus litigio. Diximus enim nos et nostros sede, administratione, et bonis omnibus spoliatos, cum ad omnia fuerimus restituti, libenter, ubi, et quando debebimus, vestrum, aut cujus, aut quorum de mandato vestro oportuerit judicium subituros. Justitiam enim nec volumus nec voluimus declinare. Interim nulla nos ad litigandum ratione compelli, nec paupertatem nostram ad hoc sufficere, nec liberalitatem serenissimi regis sine molestia ad hoc posse protendi, ut nos et coexsulantes pauperes Christi nummis suis, quibus ad præsens indiget, exhibeat diu in domibus alienis. Nam ubi victualibus abundat, expensæ nostræ facilius tolerantur. Processerunt ad tertiam quæstionem sciscitantes an episcoporum, qui appellaverant contra nos, litem sub eis judicibus vellemus excipere, sed respondimus nos vestrum super hoc non recepisse mandatum, nec inopiam nostram ad tantos sumptus, et lites esse idoneam. Hoc autem agebatur ab adversariis nostris, sicut didicimus ab his, quos res latere non poterat, ut sub quacunque occasione nostram possent in præsentia legatorum notare personam, et sic quamcunque læsionem ingerere. Conjiciunt enim quod nullus provincialium nobis auderet assistere contra regem, et sic viderentur nostram procurasse ruinam. Rex autem solos illos evocavit, qui nobis ab initio hujus turbinis adversantes, qui incentores tantæ malitiæ, esse noscuntur, videlicet Eboracensem archiepiscopum, et episcopos Londoniensem, et Cicestrensem, accito cum eis et Wigorniensi, ut velamento ejus aliorum malitia pallietur. Cæterum, sicut vestra potest meminisse discretio, isti, qui nunc regis voluntati acclamant præ cæteris, et sicut publice notum est, sitiunt sanguinem nostrum, litteris suis in petitione pallii nostri et electionis formam, et personam nostram multis laudum præconiis extulerunt. Nunc autem veritati contradicentes et sibi, se ipsos mentiendi et adulandi audacia comtemptibiles reddiderunt, dum ad nutum principis velut servi comici, modo aiunt, modo negant. Hi sunt, Pater, qui dant cornua peccatori, et si non satis insanit, instigant illum, subjicientes pulvinar cubito, et caput vitiis languidum in cervicalis

mollitie faciunt obdormire. Cum itaque etiam illi, qui debebant et videbantur esse columnæ Ecclesiæ, consilio, auxilio, auctoritate, obsequiis, et sumptibus contra eam et nos animent, et arment divinæ legis et parvitatis nostræ persecutores, non est nobis tutum aut possibile subire judicium, nisi in præsentia sanctitatis vestræ, et sub vestro ipsius examine. Licet enim de sinceritate alterius legatorum sperare debeat Ecclesia et nos de eo confidamus, præsertim in his quæ Dei sunt, tamen non est homo præter vos, cui hanc causam Domini committere audeamus. Alterum vero legatum talem faciat Deus, qualem saluti suæ esse expedit et qualem esse decet Romanæ Ecclesiæ presbyterum cardinalem. Veremur autem ne contingat quod, si reminisci placet, prænovimus eventurum, si forte prudentiam, eloquentiam et auctoritatem domini Willelmi cum potestate et voluntate dura regis Angliæ accideret convenire. Veremur ne tales nobis formato consilio porrigantur petitiones, quarum nobis molestus sit auditus, effectus impossibilis, aut displicens Deo, et mundo odiosus. Et quia vobis omnium ecclesiarum sollicitudo incumbit, circumferte, si placet, oculos in occidentem, attendite, et videte qualiter ibi tractetur Ecclesia; indicet vobis dominus Otto, quem spiritu Dei agi credimus, quid viderit et cognoverit de Ecclesia et provincia Turonensium, quid de Anglicana audierit, quid expertus sit in Normannia, et credimus vos dicturos cum lacrymis : *Quia non est dolor, sicut dolor iste.* Ut enim de Cantuariensi et Turonensi Ecclesiis taceamus, quas tractat, ut audistis, et utinam plenius sciretis, septem episcopatus vacantes, in provincia nostra et Rothomagensi, jam a multo tempore tenet in manu sua, nec aliquos ibi patitur ordinari pastores. Clerus regni datus est satellitibus suis in conculcationem et prædam. Si ista, Pater optime, dissimulamus, quid in die judicii respondebimus Christo? Quis Antichristo resistet venienti, si tantam patientiam vitiorum et criminum jam accommodamus præambulis ejus? Talibus enim dissimulationibus insolescunt potestates, reges gentium transeunt in tyrannos, ut Ecclesiæ nullum jus, nullum privilegium nisi de eorum arbitrio censeant relinquendum. Sed beatus qui tenet, et allidit parvulos ad petram. Nam si Judas ex mandato legis non exterminat Chananæum, ei in hostem et stimulum perpetuo coalescit. Confortare, Pater et esto robustus, plures nobiscum sunt, quam cum illis. Contrivit Dominus malleum impiorum Fredericum, percussurus et alios in brevi, nisi resipiscant, et cum Ecclesia Dei pacem habeant. Et ut tandem faciamus finem vestri oris duntaxat exspectamus judicium, aut illius qui spiritum principum auferre consuevit, et liberare pauperem a potente. Nuntiorum vox plura supplebit, quæ scripto non credidimus committenda. Hoc certum habeat vestra serenitas, quia, si voluissemus a principio pravis consuetudinibus acquiescere, non esset alicujus cardinalis, imo nec hominis alicujus necessarius interventus. Frustra quoque nobis, auctore Domino, Siculorum aut Hungarorum proponuntur exempla, quæ nos in die judicii minime excusarent, si tyrannorum barbariem præferremus apostolicis institutis, et sæcularium insolentiam potestatum crederemus potius formam esse vivendi, quam testamentum æternum, confirmatum sanguine et morte Filii Dei. Ut igitur prædicta omnia fine lacrymabili concludam, attendat sanctitas vestra, si iste debet esse fructus laboris et operis, ac exsilii nostri, ut judicemur nudi, miseri, privati omnibus bonis, ac subeamus causarum angustias, eo quod ausi sumus nos opponere ferocissimo oppressori Ecclesiæ in defensionem libertatis ipsius, qui exspectabamus in dies de desolatione nostra solatium, de exacta miseria gaudium, de injuria Christi dignam a Deo, et a vobis in oppressores Ecclesiæ ultionem. Nonne sufficere poterat his, qui quærunt animas nostras, quod quosdam morte affecerunt ex nostris; paupertas quoque et calamitas nostra, in qua vix agimus vitam, alienis eleemosynis viventes, nisi auctoritate legationis istius, quæ nunquam fuisset, trahamur et protrahamur per annos et annos, a dolore in dolorem, a miseria in confusionem; jus etiam nostrum et justitia convertatur in ruinam nostram et miserorum nostrorum? Deus bone, quis erit hujus doloris finis? Exsurge, Deus judica causam tuam, vindica sanguinem servorum tuorum, qui nequiter exstincti sunt, et aliorum, qui intolerabiliter afflicti deficiunt, cum sit nemo qui de manu inimicorum nostrorum, præter dominum papam, et perpaucos secum, velit nos eripere. Vivat et valeat sanctitas vestra in tempora longa, ut vivamus et convalescamus nos et miseri nostri.

EPISTOLA VII.

AD EUMDEM.

Amantissimo domino, et Patri sanctissimo Alexandro, Dei gratia summo pontifici, Thomas miseræ Cantuarensiensis Ecclesiæ humilis, ac miser, et miserabilis exul, debitæ subjectionis famulatum, et per omnia de præcipuis Ecclesiæ inimicis triumphare.

Celebre proverbium est : *Quod redimi potest, sive temporis productione, sive alias, non timetur.* Est aliud quippe celebrius : *Facilius est vitare discordem, quam declinare fallacem.* Inde est quod celsitudini vestræ notificamus, qualiter dominus noster rex Angliæ, fallaciis et falsis promissionibus suis, cum videremur esse in januis pacis, sicut etiam ab omnibus suis sperebatur et credebatur, noviter nos decepit occasione quorumdam nuntiorum suorum a majestate vestra redeuntium, qui jactabant et simulabant se obtinuisse a vobis, ad regis petitionem et instantiam, mandatum et auctoritatem in depressionem Cantuariensis Ecclesiæ irreparabilem, et nostram, quod Deus avertat, et coexsulum nostrorum ruinam. Decepit utique nos hac vice,

sicut et sæpius, nec solum nos, sed et viros religiosos portantes nobis ex parte sua verba pacis, quæ sanctitati vestræ per latorem præsentium intimanda commisimus, nec non archiepiscopum Rothomagensem, et Sagiensem episcopum mittentes nobis de conscientia et voluntate ac mandato suo litteras, quarum transcriptum vobis transmittimus. Verumtamen quidquid de nobis fecerit, utinam serenitatem vestram blandis et inanibus promissis vel hac vice non deluserit, sicut gloriatur pluries se fecisse, ut protractione temporis contingat inopinate, quod nunquam videant ejus oculi aut audiant aures. Et quoniam multoties opportune, importune prudentiam vestram sollicitavimus, multoties pulsavimus ad aures serenitatis vestræ, ut auctoritate beati Petri huic tanto malo, tantæ persecutioni severitatis censura finem debitum imponeretis; nec adhuc, peccatis nostris exigentibus, exauditi sumus, ad salutem Anglicanæ Ecclesiæ, ad revelationem depressionis nostræ et nostrorum, quæ in dies adversum nos ex patientia et exspectatione vestra, quæ utinam delusoriis promissionibus ulterius non fallatur, exercetur durior et acerbior, in tantum ut vix amodo spirare valeamus. Nec est nobis inter nostros quisquam, qui de cætero velit se huic periculo supponeret, subjicere tanto discrimini, præsertim cum multos de illis in hujus negotii prosecutione mors amara comprehenderit. Mittimus sanctitati vestræ latorem præsentium, qui intuitu pietatis et sola liberalitate sua suscepit negotium nostrum ad nos perferendum benigne, utinam efficaciter. Hunc petimus, si placet, sicut desideratis ab eo exaudiri in ultima necessitate vestra, qui dat salutem regibus, qui aufert spiritum principum, si cura et vobis de vita nostra et salute, a benignitate vestra benigne recipi, et benignius exaudiri super his, quæ postulamus a serenitate vestra per ipsum, qui effecti sumus proscripti et miseri, non ut securius vivamus et quietius, declinando tanti persecutoris importunitatem, sed ut vigeat Ecclesia Dei, et valeat temporibus posteris efficacius respirare in libertatem. Feliciter namque dura et gravia sustinentur ad tempus, ut feliciora succedant. Et quidem si de rege nostro jam diu nobis fuisset creditum, jam pridem, sicut pro certo credimus, per Dei misericordiam obtinuisset Ecclesia, et vos de ipso victoriam, atque exemplo illius in cæteris principibus gloriam et honorem. Sors namque tyrannorum hæc est, ut *qui terret, plus ipse timeat.*

EPISTOLA IX.

AD EUMDEM.

Amantissimo domino et Patri sanctissimo ALEXANDRO, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, miser ac miserabilis exsul, salutem, et inter omnia pericula firmam et veram obedientiam.

Mittimus sanctitati vestræ latorem præsentium pro conditione sua nobis admodum familiarem, pro ingenti capacitate, ut credimus, fidelem. Eum, si placet, pro nobis et de nobis benigne exaudiat clementia vestra, prout decet et expedit miseriæ nostræ, quæ jam amicis nostris desperatione facta est tædiosa, utinam non odibilis; vobis, unde magis dolemus, sicut plures judicant, dissimulatione manifesta non utinam contemptibilis; inimicis nostris etiam compassione miserabilis. Exurge, Domine, et noli tardare amplius. Illumina faciem tuam super nos, et fac nobiscum secundum misericordiam tuam, et cum miseris nostris præ nimia pressura deficientibus, salva nos, quia perimus. Non confundamur inter homines, non insultent nobis adversarii nostri, imo Christi et Ecclesiæ, non fiat fortuna nostra in derisum genti et populo, quia nomen tuum invocavimus super nos. Non nobis, Domine, non nobis, sed in nomine Domini Jesu Christi, fac tibi grande nomen, repara gloriam tuam, revela fama tuæ nomen, quæ in reversione illius excommunicati et perjuri schismatici, Joannem de Oxeneford loquor, falsa illius prædicatione in partibus Galliæ vehementer est depressa. Novit Deus quia non mentior, et si mihi non creditur, quæratur ab his de Gallia, qui honorem vobis magis affectant, qui amplius optant Ecclesiæ proventum. Famæ, dico, quæ hactenus apud homines viguit inculpata, quæ inter omnia pericula servata est illæsa, quæ cæteris perditis sola intemerata remansit, quæ ubique locorum sana habebatur et celebris. Resumat itaque vires præceptoris auctoritas, reform et nobile factum, prius commendabile, sed male postea denigratum, ut sentias garrulus ipse se falsa sparsisse, prædicasse mendacia. Experiatur severitatem, qui remissionem demeruerat: perferat ultionem, qui abusus est benignitate, ut agnoscat mundus eum reperisse Christi vicarium fundatum in firma petra, non facile mobilem, non baculum arundineum, sicut maligni submurmurant sed æquitatis et justitiæ observatorem, non acceptorem personarum, nemini parcentem in judicio, de juris æquitate fideliter et æque dispensantem regi pariter ac privato. Valeat sanctitas vestra, ut valeamus et nos, et miseri nostri.

EPISTOLA X.

AD EUMDEM.

Amantissimo domino, et Patri sanctissimo ALEXANDRO, Dei gratia summo pontifici, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, miser ac miserabilis exsul, cum suis exsulibus salutem et omne bonum.

Mittimus sanctitati vestræ latores præsentium fideles nostros, duos videlicet de miseris et coexsulibus nostris, quos tamen ad præsens possumus, et sicut possumus, ut per eos audiatis et intelligatis certiori et miserabili relatione quæ circa nos noviter acta sunt his diebus, miseriarum etiam nostrarum et nostrorum angustias, quæ quidem immanes sunt.

Et suscipiamus a sanctitate vestra, si placet, celeriter debitam et diu dilatam oppressionis Ecclesiæ et nostræ liberationem ; dolorum etiam nostrorum per manum misericordiæ vestræ levamen, ne immaniter et multipliciter depressi deficiamus in tribulatione ista, quæ non fuit a diebus dolorum districtior. Protracti enim sumus jamdiu, et sicut novit excellentia vestra, trahimur, etiam et protrahimur, non minus crudeliter quam inique, per tempus et tempora in miseria et dolore, ut vel sic infra longi temporis metas afflictione deficiat anima nostra, exstinguamur attriti, deficiamus penitus exacti miseriarium augustiis, exspiret interim auctoritas vestra, quod absit ! quæ per Dei misericordiam contra iniquorum desiderium, contra malignantium fraudem relevatura est miseriam nostram et aliorum antequam finiatur. Inclina igitur, domine, aurem tuam, et audi ; aperi oculos tuos, et vide, si fuit iniquitas sicut ista ; attende diligentius, si est dolor, sicut dolor noster et nostrorum, qui dati sumus in direptionem nisi subito subveniat nobis per manum vestram Dei misericordia. Facti sumus in subsannationem et derisum his, qui in circuitu nostro sunt auctoritate legatorum vestrorum, qui utinam non magis enormiter quam præsumtuose egissent circa nos et Ecclesiæ negotia. Si enim hæc facta sunt nobis ab ipsis in viridi, quid fiet in arido, si duratura est ista legatio, quæ nunquam fuisset ? Suspenderunt ipsi nos, quantum in eis est, ab omni auctoritate, quam habebamus in ecclesiis Angliæ et personis, quod nunquam gratia Dei et vestra ad alicujus principis vel alterius instantiam factum est a vobis, nec fiet per Dei misericordiam, sicut ex certa promissione indulsit nobis vestra sublimitas. Utquid, domine, tribuisti legationem homini, de cujus introitu attendisse debuerat dominus meus, ut salva pace ejus loquar, quis deberet esse futurus legationis hujus fructus, pensasse etiam ejusdem exitum, cujus anima tota effusa fuit ab initio, et est in ruinam ecclesiasticæ dignitatis, et vestram, ut vel sic fiat principi gratus? Domine, domine, ad te sunt oculi nostri ne pereamus. Adjuva nos, domine, et fac nobiscum secundum promissiones tuas, quæ utinam non in vanum lætificaverint animas nostras. Sustinuimus enim ad vestræ celsitudinis mandatum. Sustinuimus, inquam, pacem, et non venit. Exspectavimus per manuum opera legatorum vestrorum bonum, et ecce nobis major afflictio, turbatio ferventior. Miserere ergo nostri, domine, miserere nostri, nemo post Deum qui pugnet pro nobis, nisi tu solus cum fidelibus tuis. Miserere, inquam, nostri, ut misereatur vestri Deus in districto examine cum redditurus fueris rationem villicationis vestræ. Non est enim ad quem habemus refugium post Deum, nisi ad te, cum etiam ipsi opponant se nobis favore hominum, qui intuitu pietatis et justitiæ, ob reverentiam etiam sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ, nobiscum stare debuerant, et pugnare pro nobis. Exhaustis siquidem sumptibus et vexationibus innumeris, non est nobis certe A de cætero quo prosequamur vexationum istarum vel minimam. Succurrit itaque nobis et Ecclesiæ nostræ, si placet, celeriter tua sublimitas, et imponat finem huic malitiæ, ne protrahatur ulterius, quoniam tempus est. Vix enim est, ut etiam præ nimiis angustiis spirare valeamus : accelera ergo ut sentiamus gratiæ tuæ beneficium antequam moriamur. Valeat et vivat in tempora longa dilecta nobis et super omnia post Dei amorem necessaria tua sancta benignitas, ut tua munificentia incipiamus et nos reviviscere, qui jam incepimus mori. Præterea noscat discretio vestra, quod tribus diebus, antequam supervenirent nobis mala ista, exierant nuntii a nobis cum litteris nostris, quibus nuntiabamus sanctitati vestræ, qualiter a legatis vestris dis- B cesseramus. Scribebat enim vobis rex Francorum Christianissimus et regina, et quidam de principibus et episcopis regni sui, quidamque minores amici vestri, lætantes et glorificantes Deum, gratiasque Deo et vobis agentes, eo quod manifestum erat ex adventu legatorum vestrorum, sicut id ipsi domino regi ore ad os insinuaverant, falsa esse ac mendacissima, quæ Joannes ille orator de Oxeneford, et alii nuntii regis prædicaverant de gravamine et dejectione nostra futura per legatos. Unde scandalum ineffabile ortum erat in toto regno Francorum, et apud omnes ad quos rumor ille pervenerat præterquam apud adversarios Ecclesiæ et nostros. Sed versa est cithara ista in luctum, et lætitia ista in mœrorem, factusque est error iste pejor priore. C Petimus itaque, ut placeat sanctitati vestræ supervenienti morbo celerem adhibere medicinam, quatenus fiat omnibus in manifesto, sicut rei veritas se habet, centra conscientiam vestram et mandatum ista fuisse præsumpta. Valeat iterum sanctitas vestra et in eternum.

EPISTOLA XI.

AD EUMDEM.

Amantissimo Patri et domino ALEXANDRO, Dei gratia summo pontifici, Thomas Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, miser ac solito miserabilior exsul, salutem et debitam in omnibus, etiam in adversis, obedientiam.

Remittimus srnctitati vestræ latorem præsentium, D qui fidelius et diligentius negotii sui miseriam, et qualiter cum ipso et cum fratribus suis occasione litterarum vestrarum in regno Angliæ actum sit, vobis exponet : ad quorum relevamen, nisi citius per manum vestram divina subvenerit clementia, subversa est penitus illius ordinis conditio. Sentiant ergo ipse et fratres sui, si placet, sibi preces nostras profuisse, quorum injusta vexatio apud sanctitatem vestram digne facit eos exaudibiliores. Et utinam dominus meus altius attendat, ac firmius apponat animo, in quantam et in quam irrevocabilem confusionem Anglicana nuper venerit Ecclesia in omni ordinis genere, qui in eodem regno habitat, ex inaudita et illa miserabili indulgentia, quam gloriatur, quorum-

dam amicorum suorum de curia interventu, qui utinam magis essent amici Dei et Ecclesiæ, quam sui, magis affectarent divina gaudere gratia, quam favore principum, regis nostri, utinam non persecutoris Ecclesiæ, extorsisse industria. Quæ etsi creditur a vobis de facili posse revocari in irritum, exstat tamen impetrati facinoris exemplum, in tantum ut si ad præsens impetratis gaudere valeat, residet tamen apud ipsum et successores suos obtenti beneficii origo, cujus impetrandi sibi perpetuo ac successoribus suis nacta opportunitate concepit audaciam, qui nec ausus sperare est aliqua sui vel amicorum suorum arte debitam pro excessibus suis contra se et complices suos evadere posse sententiam. Verum unum est, quod nos miserabiliter consolatur, ut salva pace vestra dixerim, quia sic novit Ecclesia Romana beare amicos suos et fideles, Melius tamen consoletur eam Deus, quam sibi providerit, et Ecclesiæ Anglicanæ ac nobis, ac miseris nostris in parte ista. Scio quidem, unde magis doleo, quia nunquam ævi senio crimen obruitur, nunquam scelus oblivione repellitur, verum exempla fiunt, quæ facinora esse destiterunt. Valeat et vigeat sanctitas vestra, et citius, si placet, dignetur miseriam nostram sublevare ut saltem vivere valeamus, qui utcunque vivendo perimus. Novit Deus, quod immerito.

EPISTOLA XII.

AD EUMDEM

Sanctissimo domino et Patri charissimo, ALEXANDRO Dei gratia summo pontifici, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, et omnem cum devotione obedientiam.

Ad pedes majestatis vestræ confugiunt miseri nostri, qui nutu divino reservati esse creduntur, ut fratrum suorum crudeliter interemptorum cladem deplorare valeant, et jam fere pereuntis Ecclesiæ miserias exponant in auribus vestris. Jam enim rarus est, qui etiam cum magna difficultate inter tot pericula et mortes audeat prosequi necessitates nostras, cum alii incarcerati, alii capti, alii flagellati, alii mortui diebus fere singulis audiantur. Et rex Anglorum, qui tantorum malorum causa esse dignoscitur, non modo impunis remaneat, sed gaudeat in confusione Ecclesiæ, et in periculis rideat alienis; cum diu, si Spiritu Dei ageretur, mansuetudo vestra, in multa patientia sustinens, debuerat ad pœnitentiam provocasse. Sed ille, dum peccata peccatis et minora majoribus cumulat, sibi videtur thesaurizare iram, et temeraria provocatione accelerare vindictam. Toto quinquennio in Ecclesiam debacchatus est, et ego, quod sine timore non eloquor, Christum in membris fere quotidie video crucifigi, profanari sancta, lacerari et conculcari Ecclesiam, cui custos a domino fueram deputatus, et nondum cum Petro exserui gladiam verbi Dei, ut Malchi sævientis auriculam amputarem. Quoties lego zelum Phinees, Eliæ, Matathiæ, filiorumque ejus, quoties menti meæ fervor apostolicus occurrit, quoties sanctorum Patrum, qui se principibus et potestatibus murum opposuerunt pro domo Domini, gesta revolvo, toties ingemisco periculum meum, et miseræ animæ, animæ scilicet meæ timeo justam ex dissimulatione injusta et indebita patientia condemnationem. Cum enim facientes et consentientes comparentur in crimine, et qui potestate divinitus accepta non corrigit quæ non ambigit corrigenda, consentientis cadat in culpam, tremendum mihi video imminere judicium, qui tantas enormitates tandiu remissione, quod vereor, nimia pertuli subditorum. Nam beatus, qui talium parvulos nascentes exstinguit, aut natos, quam cito tenentur, allidit ad petram. Vereor, Pater, ne sanguinem illius, et commalignantium sibi de manu mea requirat Dominus. Timeo ne proscriptorum suorum, et in causa Ecclesiæ laborantium usque ad mortem, neces multas exigat durus judex, cum scriptum sit, quoniam *maledictus est, qui gladium cohibet a cruore.* Nam, ut ait Salomon: *Qui delicate nutrit servum, postea illum sentiet contumacem.* Et hoc quidem crebris Ecclesia et certissimis sentit experimentis. Si quis enim primos ejus cohibuisset impetus, si quis instigantium ad mala et furorem procurantium perculisset temeritatem, nequaquam tot et tantas pestes arbores pestiferæ germinassent. Nam tenerorum vitia citius abolentur, et cum diuturnitate invaluerint, quodammodo transeunt in naturam. Et certe tanta fuerat reprimenda præsumptio, tum sui ipsius corripienda enormitate, tum quia totum orbem Latinum pernicioso corrumpit exemplo. Audiat, quæso, clementia vestra per dominum Gratianum subdiaconum vestrum, cui ex re nomen esse credimus, eo quod tanquam filius gratiæ causam Ecclesiæ fideliter et prudenter in omni modestia et sinceritate studuit et procurare. Audiat, inquam, qualiter in occidente nostro, nisi citius Deo propitio subveneritis, occidat Ecclesia; et tandem misereatur, et tantis miseriis debitum imponat finem. Si enim exspectaveritis ut nuntii regis et malitiæ fautores non habeant mendacia quæ prætendunt, et nobis et vobis, et illis vita deficiet. Et in districto examine cogetur quilibet nostrum sine personarum acceptione sui operis reddere rationem. Ecce nunc dicit se non a me exigere rationem administrationis cancellariæ suæ, nec pecuniam quam tunc acceperim aut promiserim, sed id solum petit, quod me tempore archiepiscopatus mei dicit accepisse de rebus suis. Sed Deo propitiante cunctis apud nos notum est, quo ei jam super hoc reddita ratione non teneor. Item dicit se non controversatum esse de consuetudinibus suis, quas tamen mutato duntaxat verbo sibi servari petit nomine *dignitatum*. Et ego quidem dignitates regni libenter servabo, sicut sæpius obtuli, *salvo ordine meo et fidelitate Ecclesiæ Romanæ.* Sed ut novam juramenti formam in Ecelesiam Dei inducam, auctore Deo, et pietate vestra mihi prospiciente, nulla necessitate induci potero. Nam quod a me nunc obtinebti,

ab omnibus episcopis et Ecclesia tota indubitanter exiget. Observationem canonum, sed nec Evangelii mandata se impleturos aliqui jurare compelluntur; certe nec tutum esset, et episcopi ad observantiam consuetudinum vel dignitatum arctabuntur, inaudito exemplo, juramenti necessitate? Forma fidelitatis exigit in ecclesia Gallicana et Anglicana, ut prælati ecclesiarum principibus jurent se servaturos eis fidem, in indemnitate vitæ, membrorum, honoris terreni, *salvo ordine suo*: et hæc forma etiam reprobis consuetudinibus ejus inserta est. In hac forma juravi, sic me jurasse publice profitebor, et hac debet esse contentus: nec ego in hac parte transgrediar tenere terminos a Patribus constitutos. Instat etiam, ut mihi et meis ablata, imo Ecclesiæ, non restituat aut satisfaciat, dicens majores suos, B quorum mensuram in persecutione Ecclesiæ implet aut supergreditur, multos de meis fugasse majoribus quibus nihil unquam restituerunt. Sed ne trahatur ad consequentiam, citius providendum est, ut pernicies deleatur exempli. Nam qui posteris relinquit erroris exemplum, eos merito in culpam impulisse convincitur. Sicut Jeroboam filius Nabath legitur fecisse peccare imitatorem sui sceleris Israel. Quis autem dimittet peccatum, si ablata non restituat aut satisfaciat? Utique omni sollicitudine procurandum est, ut sicut ille auctoritatem criminis a decessoribus trahit, sic idem posteris suis relinquat exemplar correctionis. Alioquin verendum est, ne ille successoribus suis fiat Jeroboam, et ego, si de cætero a debita cessavero correptione, meos velut alter Heli, C aut potius sacerdos excelsorum, in ruinam damnationis præcipitem. Nec me quisquam detrectare concordiam, dummodo fiat in Domino et sine læsione Ecclesiæ, mentiatur. Quia non sum adeo vecors, ut quæ in temporalibus maxima et hominibus gratissima sunt, tanta facilitate contemnam, nisi quia pro his nolo dispendium facere æternorum. Nemo dum me accusat in contemptu, suum in appetitu vanæ quietis aut mundanæ supellectilis tueatur errorem; quia Deus, qui irrideri non potest, revelabit in brevi, quando ante tribunal ejus astabimus omnes, qua mente quis vixerit. Illum conscientiæ inspectorem et testem habeo, illum exspecto judicem, quem contra æquitatem nullus fallit astutia, nec viribus flectit. Recolite, pater, quanta vos ille miseratione respexit, quomodo vestros, imo Ecclesiæ ad D gloriam nominis sui protriverit inimicos, et cum eo exsurgite in adjutorium ejus, qui in membris suis injuste proscribitur, torquetur, conspuitur et crucifigitur. Audite, si placet, miseros nostros, et preces, quas per eos vobis porrexit, et adhuc porrigit Cantuariensis Ecclesia, clementius exaudite, ut a patre suo post tantas miserias consolationem debitam se gaudeat recepisse. Conterite persecutores ejus, et eos, quos Satanæ tradidimus in interitum carnis, quorum nomina vobis exprimentur, si ad vos venerint aut miserint, excommunicatos, donec Ecclesiæ Dei satisfaciant et nobis, haberi faciatis. Nuntii vo- A bis, quæ fuerant dicenda, supplebunt, licet cumulum miseriarum Ecclesiæ Anglicanæ non sufficiant, prout necesitas exigit, explanare. Valeat semper et vigeat sanctitas vestra.

EPISTOLA XIII.

AD EUMDEM.

Sanctissimo domino et Patri charissimo ALEXANDRO Dei gratia summo pontifici THOMAS Cantuariensis Eccles. min. sal. et om. cum summa devotione obedientiam.

Quæ acta sunt a magistro Viviano de negotio Ecclesiæ Dei, et nostro post recessum domini Gratiani, et quam sollicite, sanctitati vestræ breviter intimare curavimus. Quod ipse vero moram fecerit in Francia aliquam post socii sui recessum, in confusionem opprimentium Ecclesiam creditur accidisse, ut justitia Ecclesiæ, quam multi pravitatis actu nitebantur offuscare, in conspectu omnium gentium declararetur. Studuit quidem præfatus filius vester morem homini gerere, ut vocatus ab ipso, sicut asserit, litteris suis et multa instantia ipsum inclinaret ad pacem. Cujus ex multis et magnis promissionibus spem indubitatam acceperat, et eo usque promissiones ejus secutus est, donec in conspectu Christianissimi regis et procerum Franciæ convinceret malitiam et duritiam ejus. Quantum vero laboraverit, ut regnum et nostri colloquium uniretur, quantam operam et diligentiam reformandæ paci ibidem adhibuerit, quam instanter universos et singulos, quos ad hoc idoneos esse credebat, sollicitaverit, verbis exponere non sufficimus. Et nisi præsentes fuissemus, vix possemus fidem referentibus adhibere. Quia ergo in mora ejus justitia Ecclesiæ amplius per Dei misericordiam, qui non derelinquit sperantes in se, sicut nobis videtur, et omnibus qui interfuerunt, manifestata est, majestati vestræ profusis genibus supplicamus, quatenus ipsum ad sinum clementiæ vestræ redeuntem paterna pietate recipiatis.

EPISTOLA XIV.

AD EUMDEM.

Apostolicæ sedis auxilium sæpe cogimur implorare, qui in contemptum Dei, et vestram, pater, injuriam, multis, magnis, et continuis torquemur afflictionibus, contumeliis dehonestamur, et provocamur injuriis. Quæ vero personam lædunt, minus revocantur ad animum, sed species impietatis est, tantam et tam manifestam Christi injuriam sub inani prætextu patientiæ dissimulare. Loquar ergo semel adhuc ad dominum meum in conspectu Dei pro Ecclesia ejus, quæ parvitati meæ commissa est, faciens verbum, ne sanguis ejus, cujus languor jam ascendit ad summum, et damnatio eorum, qui eam cruciant et exstingunt, taciturnitati meæ possit ascribi. Et quidem si clamorem illius, quem in angustiis suis emisit per eos meum, ab initio vestra pietas exaudisset, collidens ad petram parvulos Ba-

bylonis, et parturientis malitiæ germina comprimens, nequaquam in tantam impietatem persecutoris nostri temeritas excrevisset. Sed divina mansuetudo vestra, quæ suo merito et universalis Ecclesiæ precibus Spiritus sancti gratiam possidet ampliorem, postponens tenuitatis meæ consilium, vasa iræ in multa et longa patientia censuit supportanda, ut delinquentes filios paterna benignitas ad pœnitentiam provocaret. Quod etsi ad præsens totam Ecclesiam Dei non mediocriter læserit, probabile tamen est hoc a Spiritu sancto, qui consilia vestra regit, et opera dirigit, fuisse procuratum, ut iniquitas, quæ multis et exquisitis dolis latere gestiebat, patientia vestra semper abutens, revelata facie prodiret in publicum, et opprobria Ægypti videntibus cunctis detegerentur. Siquidem Joannes de Oxeneford, et omnes alii tantæ impietatis ministri, cum a sede apostolica gloriosi, et quasi de justitia triumphantes reverterentur, dederunt cornua peccatori, et auctores et incentores hujus erroris, quasi per se non satis insanirent, impunitatis et gloriæ suæ calcaribus cœperunt acrius instigare. Venenatos tamen animos, aut potius venenosos, non opportuerat amplius toxicari, nec Achitophel aut Judam temporis nostri excitari, aut animari ad facinus. Ex abundanti tamen illi, quos tali legatione fungentes vestra pietas adoptavit in filios, et honoribus sublimavit, Ecclesiæ Anglorum, facti sunt in arcum pravum, ut misera Cantuariensis Ecclesia, aliarum tamen omnium in insula mater, utpote quæ illas generavit et educavit in Christo, merito dicere possit : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, et mei proprii, quos genui et exaltavi, conculcaverunt, et vulneraverunt me, et adhuc exquirunt animam meam, ut auferant eam.* Non utique quod de vestra liberalitate, quæ pia fuit, aut illorum promotione, quæ sperabatur utilia, contristetur, sed dolet quod vobis infideles sunt, et perniciosissimi, et manifestissimi persecutores Ecclesiæ. Ipsi enim sunt qui sævitiam domini regis instigant et accendunt, et modis omnibus elaborant, non modo ut mihi omnis reverentia subtrahatur, hæc enim pridem jam impleverunt, sed ut meum et coexsulantium mihi, qui jam pauci sunt, eo quod plures a facie persequentis in fata concesserunt, nomen deleatur de terra. Præceperatis autem tum aliis, tum maxime episcopo Londoniensi, ut pacem Ecclesiæ, quod ut creditur facile posset, adhibita diligentia studeret reformare. Sed ille ex quo audivit, quod debitam animadvertendi in malefactores Ecclesiæ mihi vestra gratia restituerat, et contulerat facultatem, statim per se et complices suos commovit ei conturbavit terram, timens sanandas esse contritiones ejus, quæ per eum fuerat conturbata. Neque id in occulto, sed passim. Et quo manifestior esset ejus iniquitas, Londoniæ in celeberrimo loco, ubi ad ratiocinia publica tractanda totius regni officiales convenerant. Debuerat ei sufficere, quod tandiu sustinuit eum clementia vestra, quod sententiam anathematis ex causa inobedientiæ et aliorum scelerum, quæ manifesta sunt, incurrerat alias impunitus, sed ab impunitate conceperat cujuscunque præsumptionis audaciam, habens fiduciam quod Jordanis influeret in os ejus. Nam ab ejus consilio dependent tam Saresberiensis episcopus, hactenus inobediens et rebellis, quam Randulphus de Broc, qui Cantuariensi Ecclesiæ incubat, et alii depopulatores nostri. Unde exigente ratione juris, et urgente stimulo conscientiæ, quæ nos de tanta taciturnitate in tanto periculo Ecclesiæ vehementer accusat, eumdem Londoniensem et Saresberiensem episcopos, et præfatum Randulphum cum aliis, quorum nomina superius scripta sunt, ex justis et manifestis causis publice excommunicavimus, citantes adhuc alios, qui factionis et seditionis eorum noscuntur participes exstitisse. Quos auctoritate Domini nisi resipuerint, vinculo anathematis innodabimus et apostolicæ majestatis compellemus adire tribunal, charactere bestiæ designatos. Provideat itaque sanctitas vestra Ecclesiæ libertati et paci, quia si nobis hac vice credideritis, omnia ad vestrum libitum componentur, et oculo ad oculum videbimus, quia superbientis et parvulos terrentis Moab arrogantia major est, quam fortitudo. Approbate, si placet, quod facimus, et vos ipsi, quod necessitas exigit, manum apponite, conterite audaciam et malitiam impiorum; ne si, quod absit, illi prout hactenus fecisse visi sunt prævaluerint, salus Ecclesiæ conteratur et pereat. Ad hæc supplicamus, ut petitiones nostras, et quas dudum porreximus, et quas modo porrigimus, jubeatis effectu celeri prosequente compleri, quia ex sententia animi nostri omnes ad honorem vestrum spectant, et Ecclesiæ proficiunt ad utilitatem.

EPISTOLA XV.

AD EUMDEM.

Ecclesiæ pacem, quam jugi sollicitudine pietas vestra procurat, illi præ cæteris magis impediunt, quos opportebat tum pro debito officii sui, tum pro mandati vestri reverentia, in reformatione ejus amplius laborare. Luget ergo Ecclesia, quod decoloratur et denigratur a filiis; et quia spolia ejus diripiunt, qui custodes illius fuerant instituti. Nam si Gaufredus archidiaconus noster, et Reginaldus Saresberiensis, et Joannes de Oxeneford, nomine et quæstu decanus quondam in Christo excellentis Ecclesiæ, ministerio autem et cultu satellites curiæ, itemque complices eorum, regis animum non pervertissent, Ecclesiæ pax, ut creditur, jam esset ad nuntiorum vestrorum adventum reformata. Nam qui ministrant arma iniquitati, fere omnes apud nos clerici sunt, quorum aliqui de vestra familiaritate et sedis apostolicæ privilegio gloriantur, ut dicant se quidquid fecerint, nulli nisi Romano pontifici responsuros. Quæ gloriatio, si vera est, et Ecclesiæ Romanæ decolorabit famam, et totius Ecclesiæ, quod absit, in brevi subvertetur honestas, dum omnes ad omnia privilegiatorum provocabuntur exemplis. His facile est sumptibus ex rapinis ministratis frequentes iterare

discursus, et ut sibi, cum ignoti et inopes ante fuissent, faciant nomen et quæstum, crebra curiarum sollicitatione procurantes, quantum in eis est, ut Ecclesia nunquam habeat pacem. Qua de causa nunc ad vos properare dicuntur Reginaldus de Saresberia, et Ricardus Barre, qui cujus fidei et modestiæ sint, auctore Domino, nuntiis vestris referentibus audietis in brevi. Interim certum habeat vestras paternitas, quod nominatim excommunicatis scienter communicaverunt, adeo ut præfatus Ricardus se contulerit ad Gaufredum archidiaconum nostrum, quem excommunicatum noverat, ut illius patrocinetur errori, et illi et aliis excommunicatis passim communicet. Quocirca supplicamus sanctitati vestræ ut cum ad vos venerint, sic eos tractetis et participes anathematis, nec eorum sollicitatione admittatis ante reditum nuntiorum vestrorum. Nam si delusores istos vel hac vice durius tractaveritis, pacem, Deo propitio, pro voto facietis.

EPISTOLA XVI.

AD EUMDEM.

Longanimitatis vestræ divitias, imo et divinæ copiam bonitatis contempsit hactenus rex Angliæ, ignorans aut dissimulans, quod eum patientia vestra studuit ad pœnitentiam revocare. Ad preces et commonitiones obsurduit, gloriatus ad ignominiam sedis apostolicæ, et in contumeliam beati nominis vestri, quod ei privilegium indulsistis, quo quandiu voluerit, tutus erit adversum nos, et Ecclesiam Cantuariensem, licet illam et nos atrocius persequatur, et ut facilius rem falsam et incredibilem persuadeat universis, rescripta litterarum, quas ei contra nos, et utinam non contra vos, indulsistis, per Alemanniam, Franciam, Angliam, et diversas provincias adjacentes ventilari facit. Sic vestram remunerat benevolentiam, has mansuetudini rependit gratias, ut fiant semper novissima ejus atrociora prioribus. Sed auctore Deo, quod utinam ab initio credidissetis, nunc in conspectu omnium declarata est justitia nostra, et causa exsilii et proscriptionis, et quo tota ipsius vergat intentio. Nuper enim in secundo colloquio, audientibus Christianissimo rege et cunctis qui hinc inde aderant, confessus est post comminatorias vestras, quas sæpius refutaverit, vix tandem recepit, quod nihil aliud a nobis quærit, nisi observantiam consuetudinum suarum, quas sicut vidistis, et adhuc potestis intueri, divinæ legi constat et sacris canonibus penitus adversari. Ad instantiam vero Christianissimi regis, et religiosorum quos miseratis, adhibitis multis intercessoribus, ut taceret consuetudines, mutavit quidem verbum, sed non mutavit propositum. Exegit enim, ut profiteamur in verbo veritatis simpliciter et absolute nos facturos, quod fecerunt antecessores nostri, et hac sola via, ut dicebat, poterimus habere Ecclesiam nostram et pacem in regno, sed nondum tamen gratiam ejus. Quod quidem ideo adjicit, quia nos auctoritate rescripti vestri putat officii debiti potestate esse privatos, donec velit nos in suam gratiam revocare. Cum vero nobis religiosi viri, Simon prior de Monte-Dei, et frater Bernardus hanc ejus petitionem proposuissent, respondimus non esse plene in conscientia nostra, quid fecerint antecessores nostri, licet aliquos eorum ex scriptis authenticis pro causa simili noverimus exsulasse, et tandem obtinuisse, ut sicut reges, quæ sibi crediderant competere, jura vendicabant, ita quæ Dei erant, Deo redderentur. Nos autem paratos esse ad omne obsequium ejus, etiam ultra quam facerint antecessores, salvo ordine nostro. Cæterum novas, et præter formam Ecclesiæ, quæ a nullo antecessorum nostrorum præstitæ sunt, inire obligationes, nobis esse illicitum: tum quia perniciosum esset exemplo, tum quia vos ipse, quando in urbe Senonensi nos ab illarum Deo et Ecclesiæ odibilium consuetudinum observantia et obligatione per vim et metum extorta absolvistis, specialiter, increpatione gravi præmissa, et quæ auctore Deo ab animo nostro nunquam excidet inhibuistis, ne nunquam ulterius nos alicui in causa simili obligemus nisi salvo honore Dei et ordine nostro. Adjecistis etiam, si placet reminisci, quod nec pro capite, nisi salvo honore Dei et ordine suo, se debeat episcopus obligare. Promisimus itaque viris religiosis, quod si rex mandatum vestrum impleret, restituendo nobis gratiam suam et pacem, et Ecclesiam cum his quæ nobis et nostris abstulit, ei et liberis suis, salvo honore Dei et ordine nostro, totis viribus studebimus inservire; sed sine auctoritate vestra nobis illicitum esse diximus mutare formam ecclesiasticam, quam occidentalis tota tenet Ecclesia, et quæ etiam in reprobis illis consuetudinibus quæ sunt nostri causa exsilii, patenter expressa est. Ibi siquidem continetur, quod electi debent ante consecrationem regi jurare, quod ei fideles erunt, circa vitam, membra, et honorem terrenum, salvo ordine suo. Utquid ergo nos soli in captiosa obligatione quæ a nobis exigitur, honorem Dei et indemnitatem ordinis cogimur reticere? Quis enim Christianus unquam hoc a Christiano exegit? Religiosorum instantiam responsionum varietate delusit: et modo aiens, modo negans, dimisit querulos, quod eis opera perierat et impensa. Simulavit tamen episcopos Angliæ se evocaturum, ut eos consulat. Sed in veritate nuntiorum, quos ad vos destinavit, præstolatur adventum. Nam ut ab eis, quibus oportet haberi fidem, vere didicimus, gloriati sunt, quod sicut fecerunt alia vice, promissis aut minis, quod rex desiderat, contra nos a vobis impetrabunt. Incredibile tamen est, quod apostolica sedes compellat aliquem reticere honorem Dei, aut prohibeat salvandi ordinis facere mentionem. Et profecto si nuntios ejus confusos, ut justum est, remiseritis, liberabitis Ecclesiam Dei, et sedis apostolicæ famam. Agatis ergo, si placet, viriliter, quia si terrere volueritis impium, indubitanter credimus quod Ecclesiæ pacem, et pereuntem animam Deo reddetis. Experti estis quid apud eum mansuetudo profecerit.

Nunc alia aggredimini via et procul dubio in rigore A justitiæ citissime triumphabitis. Exigite quod nobis ablatum est usque ab novissimum quadrantem, ne tantæ rapinæ impunitas apud coætaneos et posteros divulgata tam illi, quam successoribus præstet audaciam similiter delinquendi. Nam si cognoverimus pœnitentem, ut viam satisfaciendi velit ingredi, vestro præeunte consilio, juris poterimus temperare rigorem prout Ecclesiæ Dei, nostris et futuris temporibus viderimus expedire. Alioquin perseverans in crimine, et tantum in Ecclesia faciens scandalum, quo jure absolvetur? Deo siquidem vinculis impœnitentiæ ligatus est, et Lazaro deterius et acrius compeditus. Nam si res ablata reddi potest, et non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Unum est quod plurimum affectat, et in quo, propitiante B Deo, mentitur iniquitas sibi, quia si luctum, quod Deus avertat, Ecclesiæ Catholicæ videret, incunctanter Ecclesiam Anglicanam, sed et omnem, quæ in ejus potestate est, subjiceret legibus suis. Hoc autem vobis certum sit, quod ea quæ a nobis exigit, servare non possumus, et apostolicæ sedi fidem et debitam obedientiam. Hæc enim sibi invicem adversantur. Hoc etiam rogamus attentius, ne malefactores et excommunicatos nostros, si forte ad vos venerint aut miserint, in præjudicium nostrum faciatis absolvi, quia si alia vice non esset factum, Ecclesia jam pace debita frueretur. Sane si nos compulerit, quod Deo propitiante nec pro temporali vita facturus est, ad hanc obligationem, non enim excidit a memoria nostra quid vobis et Ecclesiæ C Romanæ in receptione pallii juraverimus, non modo episcopos, sed et clerum universum similiter obligabit tanto fretus exemplo. Et quidem facile est, ut impunitam ejus audaciam alii principes imitentur. Quod autem a nobis exigit, nec a militibus, nec a rusticis exigitur in terra nostra.

EPISTOLA XVII.

AD EUMDEM.

Si causam nostri, Pater sancte, malitia adversariorum apud vos non denigrasset exsilii, credimus indubitanter, quod rex Angliæ tandiu et tam immune non abuteretur patientia vestra. Sed ecce, Deo propitiante, ipsius persecutoris nostri testimonio veritas declarata est. Nuper enim, cum ad pedes ejus D flexis genibus in omni humilitate imploraremus coram rege Christianissimo, archiepiscopis, episcopis, comitibus, proceribus et omnibus qui aderant, professus est se nihil aliud a me quærere, nisi ut consuetudines regni sui, quas antecessores nostri suis principibus servaverunt, conservare, et hoc tanquam sacerdos et episcopus absolute et præcise, sicut nuntii nostri vobis fideliter exponent, repromitterem in verbo veritatis. Placeat itaque sanctitati vestræ latores præsentium, fideles nostros et proscriptionis nostræ participes, qui omnibus interfuerunt, clementer audire, et Anglicanæ Ecclesiæ jam in extremis agenti, nisi dextera Dei et vestra subveniat, celerem conferre medicinam. Posuimus enim verba nostra in ore eorum. Gloriatur autem rex Angliæ, quod ei privilegium contulistis, quod licet in sedem nostram redierimus, omnis potestas nostras evacuata est, donec eam nobis restitui velit. A sæculo inauditum est apud nos, quod aliquis episcopus se principi sæculari obligare cogatur ulterius, quam ad conversationem eorum, quæ continentur in forma fidelitatis. Veremur ergo, ne si, quod absit! et Deo auctore semper aberit, a nobis ulterior cœperit obligatio, pernicies exempli alios inficiat principes, et non modo coætaneos nostros, sed successores nostros involvat. Et quidem planum est, quod si petitæ consuetudines prævaluerint, auctoritas apostolicæ sedis in Anglia penitus evanescet, aut erit minima. Quod sicut ex majorum scriptis et relationibus seniorum publice notum est, pridem contigisset, nisi Cantuariensis Ecclesia se principibus pro fide sedis apostolicæ, et Ecclesiæ libertate studuisset opponere. Rarus enim illi Ecclesiæ præfuit, quid non aut gladium subierit pro justitia, aut pertulerit molestias exsilii, aut proscriptionis injuriam. Unde mirum est, et omni stupore dignum, quod apostolicæ majestatis potius, quam nostri nominis persecutor se in causa tali plures apud vos gloriatur invenisse et habere fautores. Nec vos oportet de cætero vereri, ne transeat ad schismaticos, quia sic eum Christus in manu famuli sui regis Francorum subegit, ut ab obsequio ejus non possit amplius separari.

EPISTOLA XVIII.

AD EUMDEM.

Ecclesiæ persecutor et nostros abutitur patientia vestra, nesciens aut dissimulans quod eum vestra benignitas in multa mansuetudine sustinet, ut habeat spatium pœnitendi; et si, quod absit! in furore perstiterit, vestra, qua condemnabitur, justitia manifesta sit in conspectu omnium nationum. Nam quoties nuntii ejus a vestra redeunt sanctitate, fit insolentior, et in Ecclesiam Dei crudelius sævit, et ab impunitate, qua diu elatus est, majorem concipit audaciam delinquendi, quasi non manifesta sint opera ejus provocantia judicium inexorabile in caput suum. Siquidem Joannes de Oxenefort, quasi non satis insaniret homo, eum in reditu suo amplius instigavit, nobisque subtraxit obedientiam et reverentiam provinciæ nostræ; excommunicatos sine juramento et satisfactione fecit absolvi. Qua justitia, viderit Deus et judicet. Secutus eum Joannes Cumin se majora gloriatus est impetrasset. Et ut Christianissimum regem et optimates regis Francorum a nostra et coexsulantium nobis subventione retraheret, peragrans Franciam, et in Burgundiam irrumpens, in ecclesiis et nobilium domibus disseminabat se certum esse de nostra cita dejectione, dicens tamen se tempus et modum reticere, quia revelare secretum sedis apostolicæ non audebat. Qui vero nunc novissime redierunt, jactitant indultam regi dilatio-

nem, et potestatem nostram a vobis esse suspensam ut nec in ipsum, nec in aliquam personam terræ suæ justitiæ manum ex quacunque causa possimus extendere. Abbas etiam S. Augustini gloriatus est, quod benedictionis munus suscepisset a vobis, si tutum fuisset, ut tonderetur. Et utinam, quod in vicinia sua nondum creditum, benedictione fieret dignus. Nec reticent se, nisi petitiones earum promoverentur, inimicitias Ecclesiæ catholicæ denuntiasse, et a curia recessisse cum indignatione, sed fratrum vestrorum, qui columnæ videntur Ecclesiæ, sedulitate et diligentia ad curiam fuisse revocatos. Hæc in compitis prædicant, ut eorum magnanimitas innotescat. Et fortasse ut nationum principes ad similia provocentur. Et quidem, pater sancte, officii nostri potestas facile suspendi poterit. Sed dextra Dei, quæ jam capita deprimit tyrannorum, cobiberi non potest. Timent fideles vestri, ne dum exercendæ justitiæ meliora tempora exspectatis, optima elabantur. Nam in arcto positi sunt. Et qui terret, plus ipse timet. *Confortare*, inquit Dominus, *et esto robustus, ne timeas a facie eorum, quia tecum sum.* Jactitationibus nuntiorum regis non crederetur, nisi quia cardinalis in eadem opinione est, et nos verbo et litteris fecisset certiores. Misimus ergo dilectissimum filium vestrum, fidelissimum vobis, et per omnia nobis probatum, participem tribulationis nostræ, magistrum Lombardum, qui miserias nostras, et partis adversæ malitiam plenissime novit, et ea quæ in Ecclesia Gallicana dicuntur de his quæ contra nos fiunt, fidelissime referet. Si placet, ipsum sicut nos ipsos audite: quia fidelior vobis et Ecclesiæ, nobisque commodior non potuit inveniri. Audite ergo, si placet, hunc conscientiæ nostræ testem, miseriarum Ecclesiæ inspectorem, assertorem veritatis, amatorem justitiæ, et apostolicæ sedis affectu et devotione filium probatissimum, quem mittimus, ut saltem per eum solatium conferatur Ecclesiæ Anglicanæ, quæ sic attenuata et afflicta est, ut de cætero necessitates suas nuntiorum discursibus exponere nequeat, sed Deo soli cogatur exponere, et committere causam suam. Persecutores Ecclesiæ exspectant et desiderant, quod eis divina subtrahat miseratio, videre fidelium lugentium in transitu vestro dolorem, ut post dies vestros Ecclesiam subjiciant servituti, nemine contradicente. Eo enim tendunt, quas contra Deum et justitiam implorant dilationes. Sed divina discretio vestra, Pater sanctissime, studiosius providebit, ut ante exitum vitæ tantas puniat enormitates, ne de injuriæ Dei dissimulatione cogatur in die judicii reddere rationem.

EPISTOLA XIX.

AD EUMDEM.

Anima mea, pater, in amaritudine est, qui cum miseris coexsulibus meis, ex quo per litteras vestras, quibus nos, ut placuit, suspendistis, opprobrium hominum factus sum, et abjectio plebis. Et quod acerbius urit animam meam, Ecclesia Deo iniquorum est exposita voluntati. Magnis viris, Flandrorum comiti, et aliis regni summatibus persecutor Ecclesiæ et noster certam pacis nostræ spem dederat, sed in reditu nuntiorum suorum vestra fretus auctoritate nobis omnem reconciliationis præclusit viam. Illi ergo, et alii amici nostri quid facerent, sic facto vestro quasi clava Herculea percussi et repulsi? Utinam quæ super hoc episcopi, et proceres, et plebes utriusque regni loquuntur, audiret auris vestra, et oculus videret scandalum, quo repleta est Ecclesia Gallicana. Quid de cætero non sperabit homo ille, qui per homines solis criminibus, aut aliis maculis insignes sic circumvenit habentes clavem scientiæ, et dispensatores æquitatis subvertit, et vanis territat comminationibus, et impellit sedis apostolicæ majestatem? Non est enim dubium, quis vos Joannes de Oxeneford deceperit, impune tamen. Et certe primo decipi, præsertim in re tanta, incommodum est. Quod licet dissimuletur, tota ætate nostra cum dolore sentiet Ecclesia Anglicana. At ille venerabilis abbas S. Augustini, qui quondam monachus fugitivus, et suis excommunicatus meritis, ecclesiam, cui nunc præest, dilapidat et incestat, et alii nuntii regis nunc vestram longe deterius deceperunt sanctitatem. Ecce enim rex ille, qui nihil aliud nisi mortem vestram desiderat aut nostram, voti compos effectus est sperans, quod Deus avertat, sub hujus dilationis tractu horum alterum eventurum. Sed monetis, ut interim patientiam habeamus. Non attenditis, pater hoc *Interim*, quam sit dispendiosum Ecclesiæ, et quantum vestræ detrahat honestati. Interim episcopatus et abbatias vacantes in proprios abusus redigit nec in illis patitur ordinari pastores. Interim in omnes parochias, ecclesias, et loca venerabilia, et totum clerum irrevocabili furore debacchatur. Interim tam ipse, quam alii persecutores Ecclesiæ licitum coæquant libito. Quis interim ovium Christi curam geret, et eas excutiet a faucibus luporum, qui jam non circumeunt, sed caulas ipsas ingressi mordent, lacerant, et occidunt nemine reclamante? Cui enim pastorum non præripuistis vocem? Quis episcoporum non est in nostra suspensione suspensus? Nam sicut sine exemplo, ita et sine merito facta est, et tam illi, quam aliis principibus, et vestro tempore, et post dies vestros præbebit audaciam conculcandi Ecclesiam, proscribendi innocentes, denuntiandi inimicitias Ecclesiæ Romanæ, nisi connivendo vel dissimulando communicet, et auctoritatem præstet iniquitatibus eorum. Ecce enim præ manibus habent vestræ dispensationis exemplum, nec dubitum est, quin tam ab ipso, quam a posteris ejus nisi citius occurrat dextera vestra, trahatur ad consequentiam, et quasi in privilegium redigatur, ut pro quocunque scelere nec in regem, nec in personas regni, nec in terram liceat excommunicationis aut interdicti sine auctoritate sedis apostolicæ promulgare sententiam, Et profecto sic processu temporis poterit ab hoc exemplo malitia convalescere, ut nec ipse Romanus

pontifex in toto regno inveniat, qui ei contra regem aut principes velit aut audeat obedire. Hoc est enim quod agitur ab illis, hoc est quod nostro causam dedit exsilio. Nec enim est, sicut quosdam dominos nostros, fratres vestros audio susurrare, quod mihi imputari debeat visitationes Angliæ, quæ decessorum vestrorum tempore solebant fieri, vobis esse subtractas. Mihi potius, et Christi pauperibus, coexsulibus meis, fuerat imputandum, quod vobis aliquid reservatum est in terra illa. Legatur, si placet, libellus reprobatatarum consuedinum, quas contra Ecclesiam vindicat, et nostri exsilii causa sunt, et plane videbitis, quomodo antequam proclamaremus, appellantium ad vos ora præcluserit, quomodo sine juratoria cautione personas ecclesiasticas transfretare prohibuerit, quomodo suffocaverit electionum jura, quomodo omnia judicia tam ecclesiastica quam mundana traxerit ad examen curiæ suæ, quomodo in eisdem consuetudinibus omnem ecclesiasticam jugulaverit libertatem. Quis vestro aut decessorum vestrorum tempore appellans ad Ecclesiam Romanam prece vel pretio, vel jure contra eum justitiam potuit obtinere? Appellationem decessoris sui luit adhuc Exoniensis episcopus, ecclesiam de Boseham suæ Ecclesiæ contra omnem justitiam subtractam dolens. Saresberiensis episcopus, cui se nunc favere simulat propter inobedientiæ crimen, castrum de Divisis et alias possessiones Ecclesiæ suæ multas amittit, quia ipsum ad faciendam restitutionem juramenti religione arctatum decessorum vestrorum Anastasii et Adriani litteris ausus est convenire. Non sufficiet dies, si voluero similia, quæ contra singulas ecclesias regni præsumpta sunt, percurrere, cum aliis hoc modo possessiones ablatæ sint, et omnibus in commune perempta libertas, ut nec spes liberationis alicui relicta sit. Legatur, inquam, Deo reprobus ille libellus; et videant domini nostri fautores regis, quid privilegii, quæ prærogativa reservetur eis in terra ejus. Sed dicunt fortasse odio nominis mei confectum esse libellum. At certe ab initio susceptæ potestatis libertatem Ecclesiæ quasi jure hæreditario persequitur. Nunquid eram archiepiscopus, quando pater ejus nuntios beati Eugenii terram suam intrare prohibuit? Nunquid eram archiepiscopus, quando Gregorius S. Angeli diaconus cardinalis, tyrannidem hujus prævidens, persuasit domino Eugenio, ut Eustachium filium regis Stephani coronari non permitteret, dicens facilius posse teneri arietem per cornua, quam cauda leonem? Hæc vobis historia nota est. Et quas litteras impetraverit tunc, qui nunc Eboracensis est, et Ecclesia persequens cum rege illo nomen meum, imo ecclesiasticam libertatem conatur exstinguere. Nunquid eram archiepiscopus, quando rex ob injuriam appellationis ecclesiam de Boseham in episcopum Lexoviensem transtulit, qui eam grammatica sua et arte placitandi contra justitiam Exoniensis Ecclesiæ tueretur? Sed et Sicestrensis episcopus quid profecit adversus abbatem de Bello, qui privilegiis apostolicis fretus, cum ea nominasset in curia, et abbatem denuntiasset excommunicatum, eidem incontinenti coram omnibus communicare compulsus est sine omni absolutione, et eum recipere in osculo pacis? Sic enim placuit regi et curiæ, quæ ei in nullo contradicere audebat. Et hoc, sanctissime Pater, contigit tempore decessoris vestri et nostri. Qui vero odio mei mala hæc omnia contigisse loquuntur, dicant si noverint, quis in regno ejus tempore suo sit de eo, vel de his quibus patrocinari voluit, auctorite sedis apostolicæ justitiam consecutus? Certe, quod meminerim, nec unum proferent, multosque poterunt nominare, qui odio Romani nominis sub eo periclitati sunt. Achardus abbas S. Victoris, electus in episcopum Sagiensem, quare non permissus est ordinari? Quia electionem ejus confirmaverat summus pontifex Adrianus. Quare permisit rex, ut idem postmodum fieret episcopus Abrincensis? Plane quia nulla voluntatem ejus præcessit electio. Similiter et Frogerius in Ecclesiam Sagiensem non electus, sed intrusus est, et ego nondum promotus eram. Nec ambigo, quin jam inter nos super libertate Ecclesiæ fuisset exstincta contentio, nisi in Ecclesia Romana voluntatis suæ, ne perversitatis dicam, patronos reperisset. Retribuat illis Deus, prout Ecclesiæ suæ et illis expedit, et dijudicet inter nos potentissimus et æquissimus Judex. Utique non esset mihi necessarium patrocinium illorum, si Ecclesiam Dei voluissem exponere, et acquiescere voluntati ejus. Siquidem florere potueram, et regui divitiis et deliciis abundare, timeri, coli, et honorari ab omnibus, et meis in voluptate et gloria mundi providere pro libitu. Sed quia nec indignum et miserrimum peccatorem, florentem tamen in sæculo præ cunctis conterraneis, meis, ad Ecclesiæ suæ regimen vocavit Dominus, ipsius gratia præeunte et cooperante, elegi abjectus esse in domo ejus, et exsilium, et proscriptionem, et extremam miseriam finire cum vita, quam facere dispendium ecclesiasticæ libertatis: et traditiones hominum, præsertim iniquas, præferre legi Dei. Faciant hoc, qui sibi longos dies pollicentur, et de suorum conscientia meritorum præstolantur tempora meliora. Ego enim certus sum, quoniam breves dies mei sunt, et si tacuero impio iniquitatem suam, sanguis ejus requiretur de manu mea ab illo, cui non suffragante hominis patrocinio de commissis et omissis rationem redditurus sum. Ibi aurum et argentum non proderit, nec munera, quæ excæcant etiam oculos sapientum. Astabimus in brevi ante tribunal Christi, per cujus majestatem et tremendum judicium vos, sicut patrem, et dominum, et summum in terra judicem obtestor, ut Ecclesiæ suæ et mihi justitiam exhibeatis de his, qui quærunt animam ejus, ut auferant eam. Nec patiamini diutius eam tam contumeliose conculcari pedibus impiorum. Adeo attenuatus sum et afflictus, ut qui aliena quadra et Christianissimi regis sustentor alimonia, non possim de cætero vobis instare per nun-

tios, quibus quid porrigam, omnino non habeo. Placeat itaque majestati vestræ, Cantuariensis Ecclesiæ finire miseriam, et quæ nuper in utroque regno emerserunt, et pullulant, et malignantibus præbent audaciam delinquendi, tollere scandala, sanctitatis vestræ puerum absolvendo, et scribendo Christianissimo regi, et Ecclesiæ Gallicanæ, quod nisi rex Angliæ commonitiones vestras audierit, et nobis pacem et ablata cum Ecclesiæ libertate restituerit, extunc nos in eum et terram suam nostri officii potestatem exercere conceditis, et sententiam, quam Domino auctore feremus, vultis ab omnibus episcopis inviolabiliter observari.

EPISTOLA XX.

AD EUMDEM.

Quot angustias ac tribulationes, multas et malas, pro libertate sanctæ Dei Ecclesiæ tuenda in diuturno cum copiosa et innumera Christi pauperum multitudine exsilio, jam fere per septennium laborantes miserabiliter sustinuerimus, vestra, Pater sanctissime, plenius noscere debet prudens discretio, a cujus animo de facili non possumus credere, quod sustinuerimus, elabi. Sed vestræ potius, Pater charissime, debet radicitus inhærere memoriæ cum quo etiam, domine mi charissime, scilicet cum rege Anglorum fere usque ad mortem in agone contenderimus vestra plenius novit experientia, qui, sicut et nos, ipsius versutias et deceptiones rerum experientia, didicistis. De nostris quidem vel de alienis, qui pro Ecclesiæ nostræ et nostris ad vos de cætero velit transire negotiis, in diuturno exsilio adeo extenuati vix aliquem, imo veraciter nullum reperimus. Unde, domine et Pater charissime, sanctitati vestræ provoluti genibus, pro Ecclesia Anglicana, pro nobis, et pro vita nostra temporali supplicamus, quatenus et Ecclesiæ occidentali, et vitæ nostræ, ne turpiter a tyranno prostrati corruamus, in petitionibus, quas sanctitati vestræ per magistrum Lombardum et nuntios nostros, quos ad eum et ad paternitatem vestram direximus, nos benigne et plenarie in eis exaudiatis, et ad subsidium Ecclesiæ Dei, et vitæ nostræ in posterum nobis quantocius mittere dignemini. Præsentium siquidem latorem, virum honestum et religiosum, sanctitati vestræ destinavimus, supplicantes et rogantes attentius, quatenus eum vice nostri benigne suscipiatis, et ea, quæ vestræ paternitati per eum communicanda domino Ostiensi et magistro Lombardo significamus, sicut Dei Ecclesiæ occidentali, et præcipue Cantuariensi, cupitis esse prospectum pariter et vitæ nostræ, prout petimus, omnino et plenarie exaudientes, citius adimpleta nobis remittere per nostrum nuntium vestra paternitas dignetur. Si magister Lombardus præsens fuerit, penes eum litteræ istæ remaneant; sin autem, apud dominum et patrem nostrum dominum Ostiensem, vel filium gratiæ Gratianum. Valeat sanctitas vestra, Pater sanctissime, in tempora longiora.

EPISTOLA XXI.

[AD EUMDEM].

Trecensis comes Ecclesiam Sancti Stephani a jurisdictione episcopi et matricis Ecclesiæ subjectione conatur eximere. Voluntatem vero ipsius posse non credimus adimpleri, nisi majori Ecclesiæ quid ei jure communi competit auferatur; et privilegium quod ei vestra benignitas recte contulit, non sine suspicione injuriæ devocetur in irritum, et cum animarum periculo peccandi libertas in ulteriorem licentiam porrigatur. Scitis enim, ut arbitramur, pro parte qui mores in illa civitate dominentur; qui præ cæteris ibi floreant homines, quibus si modicum id timoris et verecundiæ quod nunc ab episcopali auctoritate de vicino imminet subtrahatur, verendum est ne in infamiam Ecclesiæ Romanæ, et quod magis timendum est, in periculum salutis eorum qui hanc emancipationem quærunt aut faciunt, criminibus ab impunitate detur audacia et consequenter totius honestatis et religionis eversio. Ad hæc ei non una subtrahetur ecclesia, sed ita mutilabitur potestas episcopalis ut vix aliquam enormitatem in tota civitate valeat emendare. Nam ad illius ecclesiæ sanctum, illico confugient universi, ubi iis publicæ potestatis gratia patrocinabitur, et apostolicæ sedis munimine protegentur. Ut ex animi sententia, loquamur, illi episcopo justius fuerat adjutores vicinos provideri ut illa arca ab immunditiis purgaretur, quam ipsum debilitari ne curam animarum pro debito officii valeat exercere. Vix enim his diebus ad hoc unus episcopus qualibet religiosus sufficiet. Utique talis emancipationis apud nos exemplum nec auditur nec legitur, et utinam semper alienum sit a sanctitate temporis vestri? Sperabatur quod devotionem episcopi, qui vobis efficiosus semper exstitit et fidelis et quem scitis habitare inter struthiones et scorpios, velletis alio modo consolari et confortare, ut ad cervices inimicorum Christi comprimendas gladium columbæ validius extendere posset, et incredulos revocare ad prudentiam justorum, et quidem quidquid alii loquuntur, confidimus adhuc quod potius episcopo vires dabitis, ut in his quæ Dei sunt valeat confortari, quam ut Ecclesiæ suæ in tantam animarum perniciem auferatis, quod ipsa toto tempore decessoris hujus episcopi dignoscitur possedisse. Supplicamus itaque majestati vestræ quanta affectione possumus, ut sæpe dicto episcopo suam in prælibata causa justitiam servetis illæsam, et in quibus expedire videbitis necessitati ipsius et utilitati Ecclesiæ, petitiones ejus jubeatis effectui mancipari. Novit Deus nos ipsa scripsisse magis comtemplatione famæ vestræ et honestatis Ecclesiæ, quam antedicti favore episcopi vel odio comitis, quem teste Deo et conscientia nos ut nobilem virum et amicum nobis sincera in Christo charitate diligimus: et eum in aliis ubi Ecclesia non lædatur, nec periclitetur fama vestra, desideramus et petimus a vobis exaudiri in Domino. Vodis, pater

fidelitatis et, quod magis est, veræ charitatis vinculo tenemur astricti : nec salva conscientia silere possumus ubi quid in honoris vestri dispendium cernimus et credimus attentari. Quæcunque in magnis rebus geritis, posteritati per sibi succedentia sæcula consecrantur quia simul ac in notitiam Ecclesiarum veniunt, inseruntur annalibus et seriem insigniunt chronicorum. Hæc si minus vestram moverint sanctitatem, quod tamen credibile non est, saltem rationi vestræ divini judicii timor occurrat ex eo proveniens omni jure quod in omnibus fere sic emancipatis Ecclesiis languet disciplina regularis, tepescit religio, crebrescunt vitia, viget enormitas, quia vicinis pontificibus subtracta est auctoritas correctionis et Romanus pontifex procul est ut videat vel audiat in Ecclesiis suis frequenter emergentes excessus : quos tandem si forte audierit, quod plerumque de causa non liquet, cognitionem et correctionem aliis et interdum negligentibus aut alias corruptis prout libuerit mandat, et sæpe circa majora vel propria occupatus minoribus et alienis vacare non potest, et interim pereunt animæ de quibus redditurus est in districto examine rationem.

EPISTOLA XXII.

AD EUMDEM.

Illustri Flandrorum comite et viro clarissimo Roberto cancellario ejus, præposito Sancti Audomari, sæpe, preces pro nostra et nostrorum necessitate relevanda porrexit vestra dignitas, quas illi semper devote suscipere curaverunt et magnifice adimplere. Nam ut de nobis ad præsens taceamus, quibus illorum benignitas in tot augustiarum articulis, et tam longa proscriptionis et exsilii acerbitate nunquam defuit, quotquot de nostris ad illorum clementiam confugerunt, tanta ab iis humanitate recepti sunt, tanta liberalitatis indulgentia recreati, ut non tam pauperes, exsules et proscriptos viderentur suscipere, quam in familiaribus suis venerari Dominum majestatis. Sed licet præfatus comes et nobilitate generis et quod magis est, virtute animi et pacis et justitiæ cultu et militaris exercitii gloria ei amplitudine principatus et affluentia divitiarum, alios post Christianissimum regem regni principes antecedat : devotio tamen quam habet ad apostolicam sedem, reverentia quam ecclèsiis et viris ecclesiasticis exhibet, liberalitas quam exercet in sanctos : pietas quam desolatis Christi membris impendit præposito maxime ascribenda sunt ; qui Domino suo salubria et honesta præstat consilia, cujus arbitrio præcipue non solum domus comitis, sed tantus optime regitur principatus. Nam ab ejus decreto pendet omnium administratio, et si quid adversus Ecclesiam præsumptum est, ad juris formam patenter et provide revocatur. Laudandus est ergo Dominus, qui talem consiliarium præelegit : laudandus et ille qui per vias rectas iter Domini dirigit. Uterque vobis fidelis est et devotus, ut in toto regno, quod ex animi sententia dicimus, pariter nequeant inveniri similes illis, qui tanta devotione et efficaciæ vestris per omnia cupiant inservire mandatis. Hi sanctitati vestræ petitiunculam porrigentes nostris se credent, quod et nos de vestra pietate præsumimus, posse suffragiis adjuvari, qui si grandem rem petiissent a vestra majestate digni sunt exaudiri. Petunt enim et nos quanta possumus supplicatione cum iis, quatenus præposito donetis præbendam in ecclesia Sancti Martini Turonensis, quod filio vestro christianissimo regi gratum fore non dubitamus et eidem ecclesiæ credimus profuturum. Nam multas necessitates ejus potenter expediet et fretus viribus amicorum de ipsis potentum faucibus, auctore Deo frequenter excutiet prædam. Pulsat ad ostium vestrum ut introducatur per apostolicam manum furtivum Simonis posticum adhibita cautione declinans, quo multi subripere non erubescunt nec formidant. Patet enim hæc via quæ plurimis et jam usu pariter et vetustate trita est, sed vir justus et timoratus non incedit per eam ; hanc præbendam, Pater, non uni dabitis personæ sed multis : in quibus sumus et nos, quia quod in antedicti præpositi bonis invenitur commune proscriptorum Christi patrimonium est nec audebit quisquam eo vivente in tota terra comitis quidpiam machinari quod aut Ecclesiæ lædat aut vestram debeat offendere sanctitatem. Uno ergo et modico beneficio tantum comitem et totum id quod potest obligabitis vobis et præpositum de fideli vestro facietis emptitium.

EPISTOLA XXIII

AD EUMDEM.

Venerabilis vir et virtutum radiis Gallicanam illustraturus, Deo, ut speramus, juvante Ecclesiam, dominus Senonensis ad sedem apostolicam sicut intelleximus accedere desiderabat a sanctitate vestra gratiam consecrationis ex proposito recepturus. Sed devotissimus filius vester christianissimus rex Francorum hinc pericula itineris metuens, inde regni necessitates patenter exponens, præsentibus episcopis provinciæ Senonensis et optimatibus regni, electi suspendi consuluit iter, consecrationem ejus potius fieri quam differri, sicut ab iis qui præsentes fuerunt, accepimus. Tractus itaque et quodam modo compulsus quadam violentia charitatis et publicæ necessitatis instinctu, a propria Synodo consecratus est, rege et regina et primoribus regni præsentibus qui Ecclesiæ et regno dicebant incolumitatem subtrahi, si tanti viri consilio et auxilio destituerentu[r] vel ad horam, præsertim in tanta collisione regnorum et machinationibus Teutonum qui sub prætext[u] simulatæ utilitatis jam fere exstincti schimati[s] fraudulentibus promissionibus conantur incendi[a] renovare. Utinam, pater, vidisset oculi vestri quan[ta] prudenter, quam efficaciter molimina eorum nupe[r] evacuerit dominus Senonensis. Nam plurimi pro[ce]rum et etiam quidam magni nominis quos a[d] præsens tacemus, exaudiri vota Teutonum et ini[...]

cum iis fœdera consulebant. Et quia schismaticorum machinamenta non cessant, quin regem Christianissimum crebris legationibus et magnis promissis sollicitent, et plurium tam episcoporum quam procerum fidem evertere nituntur, non est ei nec aliis recte sentientibus visum tutum esse, ut tantæ fidei et prudentiæ virum a se maxime sub hac tempestate discedere patiatur. Placeat itaque sanctitati vestræ quod de jam dicto Senonum salubriter, ut publice speratur, factum est, gratum habere et hominis fidelissimi vobis et Ecclesiæ Dei perutilem tam debiti pallii munere quam privilegiorum collatione honorare personam, quæ quanto plus potestatis a vestra majestate recipiet, tanto efficacius apostolicæ sedis poterit honori et utilitatibus inservire. Nam quanto major fuerit, tanto magis per eum vigebit Ecclesia Romana in regno Francorum.

EPISTOLA XXIV.

AD EUMDEM.

Testatur vir eloquentissimus oratoris in eo maxime promoveri successus, si prænoverit judicis, auditorumque personas, et pro qualitate eorum sermonis moderetur officium. Hanc sententiam ad multa alia probabiliter arbitror dilatandam, præsertim cum nemo debeat ignarus esse conditionis ejus, cum quo contrahit, et sibi maxime, si secus spem aut opinionem occiderit, imputare debeat, qui commune negotium de proprio maluerit arbitrio committere fortunæ manibus, quam vires ejus et eventum prometiri, inspectis tum aliis circumstantiis, tum præcipue qualitate consortis. Quod, pater, si vestra discretio in causa Ecclesiæ et regis Anglorum ab initio attendisset, nequaquam in tantas calamitates incidisset Anglicana Ecclesia, nec Gallicana, quod sine dolore non loquimur, tam pernicioso attentaretur aut opprimeretur exemplo. Præmonuerunt tamen vos multi fideles nostri, quod rex Anglorum expugnari quidem austeritate facilius potest, sed nulla mansuetudine, nullis obsequiis aut beneficiis emolliri. Blanditur his quos timet, hos solit obsequiis quos rebus aut moribus, aut honestioris famæ titulo privare desiderat. Sed monentibus tunc credere noluistis. Si publica omnium attestatio vera non novit, saltem ipsa experientia vel nunc perusadeat et compellat mutare sententiam, ut persecutori Ecclesiæ respondeatis pro merito, et qui divinam et apostolicam contemnit auctoritatem, sentiat prophetam esse in Israel, et zelum Petri nondum a sede apostolica exsulasse. Nam si Ecclesiæ inimicus est et schismatis incentor, debet puniri et conteri. Si amicus, propter obsequia castigari et emendari oportet. Sed proverbium est : *Timeri Danaos et dona ferentes*. Utique nuntii regis Anglorum quodammodo Danai sunt, et si non consortio generis, arte tamen et imitatione Sinonis. Hi vobis satisfactionem promiserunt, ut Ecclesiæ Dei calamitatem protenderent, et exsilium nostrum. Impetraverunt ut adhuc rex ille per archiepiscopum A Rothomagensem, et episcopum Nivernensem conveniretur, quasi jam satis conventus non fuisset, et malitia ejus non provocasset judicium. Clamant enim contra illum cœli et terra, et soli, qui lateribus vestris assident, non audiunt cardinales. Sed certe quisquis obsurdescit hic, audiet in judicio verbum asperum : *Ite, maledicti, in ignem æternum*. Præfatus archiepiscopus et episcopus mandati vestri formam excedentes, dilationes indulgent, regis obtemperant voluntati, et sive errore sive dolo, sicut ex litteris quas vobis mittimus, potestis advertere, perpetuant Ecclesiæ calamitatem.

Londoniensis episcopus, quem pro voluntate vestra præcepistis absolvi, et qui sicut contra justitiam, ita et contra formam, quam expressistis, B absolutus est, Ecclesiæ pacem et nostram impedit, et prævio Eboracensi archiepiscopo, et assistentibus sibi clericis regis, quos benignus recipere et efficacius consuevistis audire, molitur contra professionem suam, ut coronato contra Deum per manum jam dicti Eboracensis filio regis, Cantuariensis Ecclesia nunquam habeat pacem. Inhibueratis quidem ne fieret, sed illi econtrario gloriantur se obtinuisse a vobis, ut fiat, sive manu Eboracensis archiepiscopi, sive cujuscunque episcopi ministerio rex voluerit. Et quia hoc detrectant episcopi provinciæ nostræ, Sagiensis episcopus, signifer eorum, qui Deum non verentur, se hoc, si alii defuerint, de familiari mandato vestro gloriatur esse facturum. Jam ex hac causa transfretavit. Spinis sepiat, quo C niam aliunde non est auxilium, Dominus vias ejus. Cætera posuimus in ore latoris præsentium, in quo vobis, quanta possumus, affectione supplicamus, ut in negotiis nostris ei fidem habeatis, et petitiones quas sanctitati vestræ per eum mittimus, celerius, quoniam id Ecclesiæ necessitas et nostra postulat, jubeatis effectui mancipari. Quidquid autem agant, sciatis quod neque mors, neque vita, nec præsentia, nec futura, per gratiam Dei separabunt nos a charitate, obedientia, et obsequio vestro, quia indubitanter scimus, quod spiritus vester non requiescit in eis, qui ab acceptione personarum et munerum favore suo patrocinantur injuriis, et ponunt cum impiis portionem, sacrilegum videntes, et currentes cum eo. Nomen vestrum sit benedictum in sæcula, et Ecclesiam, pro qua vos oportebit reddere ratio- D nem, celerius et efficacius consoletur.

EPISTOLA XXV.

AD EUMDEM.

Serenissimo domino et patri charrissimo Alexandro Dei gratia summo pontifici, Thomas S. Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem et omnem cum summa devotione obedientiam.

Miserationis oculo respexit Deus Ecclesiam suam, et tandem tristitiam ejus in lætitiam commutavit. Nec dubium, pater, quia si nobis vera dicentibus ab initio fuisset creditum, cornua retunderentur eorum, qui ventilabant, conterebant, et variis pla-

gis vulnerabant Ecclesiam, ut exterminata prorsus libertate ejus et evacuata auctoritate divinæ legis vigerent consuetudines aut potius abusiones veterum tyrannorum, Romanus pontifex nesciretur in Anglia, et sponsæ Christi privilegia sine reparationis spe delerentur. Ecce enim ad novissimas litteras vestras, quibus domino regi Anglorum innotuit, quod ei ulterius non parceretis, sicut nec pepercistis Frederico dicto imperatori, cum intellexisset terram ejus amotis omnibus subterfugiis interdicto subjiciendam esse, et episcopos, si qui forte non obedirent, suspendendos et excommunicandos, illico nobiscum pacem fecit ad honorem Dei, et maximam, ut speramus, Ecclesiæ utilitatem. Nam de consuetudinibus, quas tanta pertinacia vindicare consueverat, nec mutire præsumpsit. Nullum a nobis vel aliquo nostrorum exegit juramentum. Possessiones quas occasione dissensionis hujus Ecclesiæ nostræ abstulerat, prout eas in chartula expresseramus, nobis concessit, pacem, et securitatem, et reditum omnibus nostris promisit et osculum, si tamen vellemus eum eatenus perurgeri, ut non modo in omnibus articulis victus appareret, sed ut perjurus diceretur ab his, qui audierant ipsum jurasse quod non erat nos ea die in osculo recepturus. Nos autem habito plurimorum sapientium consilio, et maxime domini Senonensis, qui pacem nostram cæteris sollicitius et efficacius procurabat, cum ipso ad colloquium regis accessimus, quem Deo faciente, qui omnes illos amoverat, qui sanctitatem vestram variis dolis circumvenire soliti sunt, adeo mutatum invenimus, ut quod sine circumstantium admiratione non contingit, animus ejus in nullo videretur a quietis conciliis abhorrere. Nam ut nos procul adventantes conspexit, a circumfusa turba exsiliens occurrit properus, et capite detecto nos in salutationis verba prorumpere gestientes salutatione prævenit, et habitis paucis sermonibus, solis nobis præsentibus cum domino Senonensi, nos, illo divertente, stupentibus universis, traxit in partem, et diu tanta familiaritate collocutus est, ut videri posset, nunquam inter nos aliquam fuisse discordiam. Omnes fere, quotquot aderant, lætissima admiratione stupentes, plurimorum genis lacrymarum imbre madentibus, glorificabant Deum, et benedicebant beatam Magdalenam in cujus solemnitate rex conversus est a viis pristinis, ut toti terræ suæ lætitiam reformaret, et Ecclesiæ redderet pacem. Corripuimus eum adhibita moderatione, quam opportuerat adhiberi, vias quibus incesserat et pericula quæ undique imminebant patenter ostendimus. Rogavimus et monuimus ut rediret ad cor, ut dignos fructus pœnitentiæ faciens, et Ecclesiæ, quam non mediocriter læserat, manifesta boni compensationes satisfaciens, purgaret conscientiam, et redimeret famam. Nam ab iniquis consiliariis potius, quam a propriæ voluntatis instinctu grave utriusque dispendium patiebatur. Cum autem hæc omnia non modo patienter, sed et benigne audiret, et emendationem promitteret, adjecimus sibi necessarium esse ad salutem et liberis suis, ad incolumitatem et indemnitatem concessæ divinitus potestatis, ut in eo sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ matri suæ diligentius satisfaceret, in quo eam nuper gravissime læserat. Nam filium suum contra jus antiquissimum Ecclesiæ nostræ fecerat enormiter coronari, usurpatione archiepiscopi Eboracensis, qui contra vetustissimam consuetudinem, et post prohibitionem vestram, et etiam in aliena provincia, consecrationem hanc exsequi cæca nimis et temeraria ambitione præsumpsit. In quo ille paululum reluctans, protestatus tamen ante se nihil proponere vel propositurum esse animo contendendi. Quis, inquit, coronavit, et regem Willelmum, qui sibi Angliam subjugavit, et reges
B succedentes? Nonne Eboracensis, aut alius episcopus, prout illi placebat, qui coronandus erat in regem? Ad quæ nos, quod ex celebri gentis nostræ claret historia, respondimus, quod eo tempore quo Anglia capta est a Normannis, Cantuariensis Ecclesia proprium non habebat antistitem, sed quasi captiva tenebatur a quodam Stigando, qui illam sicut et Wintoniensem, et Londoniensem, et Wigorniensem, et Eliensem ecclesiam publicæ potestatis et amicorum viribus contra inhibitionem Romani pontificis occupaverat, apostolicæ sedis communione carens et gratia. Unde et de mandato ejus a præfato rege captus in carcere diem obiit. Qua necessitate tunc, quod nec ante, nec post lectum est vel auditum, archiepiscopus Eboracensis, qui clarioris erat
C opinionis, illi regi coronam imposuit. Lanfrancus vero filium ejus regem Willelmum, cognomento et colore Rufum, consecravit in regem præsente Thoma Eboracensi archiepiscopo, nec in eo sibi officio aliquid vindicante. Post cujus obitum cum sanctus Anselmus Cantuariensis archiepiscopus exsularet, ex eadem causa qua et nos, unus suffraganeorum Cantuariensis Ecclesiæ scilicet Girardus Herefordensis, vice archiepiscopi sui tunc absentis regem Henricum, non contradicente archiepiscopo Eboracensi, consecravit. Revertente autem ab exsilio beato Anselmo, accessit ad eum rex Henricus, tradens ei diadema, et rogans ut eum coronaret, nec imputaret illi quod ipsum necessitate regni præpediente non exspectaverat, Fatebatur enim coram omnibus hanc esse Cantuariensis Ecclesiæ dignita-
D tem, ut Anglorum reges inungat et consecret. Et hac quidem satisfactione placatus sanctus archiepiscopus approbavit quod a suffraganeo suo factum fuerat, et regi coronam imposuit. Quare ergo tunc siluit Eboracensis archiepiscopus, et sibi Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeum præferri sustinuit? Nunquid Thomas senior, qui Eboracensem regebat Ecclesiam, et Lanfranco Cantuariensi de litteris et amicorum copia intumescens multas labores texuit et ecclesiam suam ampliavit in plurimis, hic obmutuisset, pauperi cedens episcopo, nisi sibi de archiepiscopi Cantuariensis primatu et dignitate constaret? Deinde post triginta et sex annos regem Ste-

phanum, prædecessorem vestrum, a decessore nostro Willelmo fuisse consecratum, præsente Turstano Eboracensi archiepiscopo, nec se immiscente negotio, aut contradicente, certo certius est. Quo post novem et decem annos in fata collapso, bonæ memoriæ Theobaldus Cantuariensis archiepiscopus, qui pro vestra promotione cum suis omnibus labores innumeros, damna irreparabilia, et pericula plurima memoratu et relatu horrenda sustinuit, et regnum quod in aliam familiam jam transierat avi vestri liberis restituit, vos inunxit et coronavit in regem, præsente isto Eboracensi Rogerio qui nunc est, et ut scitis, nec cooperante nec contradicente, nec aliquid agente, nisi eo modo, quo minimus episcoporum, sacris indutus vestibus audiens intererat solemnitati.

Cur ergo tanta facilitate animi, aut potius consiliariorum vestrorum pravitate, matrem vestram Cantuariensem Ecclesiam, sine causæ cognitione, jure antiquo spoliastis, quod plus quam octoginta annis inconcusse possedisse dignoscitur? Nunquid perpetuare voluistis inimicitias inter Ecclesiam et libros vestros? Aut si tantum præsumptionis Eboracensi archiepiscopo fuerat indulgendum, ut novo regi munus consecrationis inpenderet, cur provinciam suam excedens invasit nostram? Cur tam ipsum, suam suffraganeos nostros in crimen inobedientiæ impulistis? Receperant enim inhibitionem domini papæ, ne hoc in absentia nostra aliquo modo præsumerent. Denique si substitutionem filii et consecrationem properabatis impleri, cur eos, quos ab ore summi pontificis nominatim, et a nobis excommunicatos esse constabat, a tanti sacramenti solemnitate non curastis excluderet? Nunquid consecratio sine participio exsecrationis non videbatur implenda?

His et pluribus aliis ad hunc articulum pertinentibus, quæ epistolaris brevitas non admittit, diligenter et modeste propositis, rogavimus attentius, ut hujus læsionis nostræ jacturam pro amore Dei, et salute sua, et libertatem indemnitate repararet, et tantæ præsumptionis emendaret excessum. Ille vero se de mandato vestro, quod pridem obtinuerat, adversus hanc petitionem nostram tutum esse respondit, et super hoc litteras protulisse, quibus constitit episcopis celebraturis hoc munus sibi indultum esse, ut filium suum faceret a quocunque vellet episcopo coronari. Ad quod ei respondentes supplicavimus, ut reduceret ad animum quando et quare litteras impetrasset, quibus suum episcoporum defendere nitebatur excessum. Constabat enim eas, quando Cantuariensis Ecclesia vacabat, eo proposito fuisse impetratas, ne Eboracensis archiepiscopus, si præfatam Cantuariensem Ecclesiam diutius vacare contingeret, ad innovandi regis coronationem præ cæteris provinciæ nostræ episcopis auderet aspirare. Et ut, domine mi rex, hæc fidelius et familiarius recolatis, nonne tunc palam solebatis asserere, quod filium vestrum malletis decollari, quam ut sæpe dictus Eboracensis capiti ejus hæreticas manus imponeret? Certum vero est, quod priori mandato per posterius derogatur. Esto ergo, quod tunc tales litteras impetraveritis, nostræ vero, quia posteriores sunt, illis debuerant derogasse, unde constat vobis, et aliis sapientibus, cujus momenti habendum sit quod contra jus usurpatum est, præsertim cum regis consecratio, sicut et alia sacramenta, de jure causam habeat, et totam subtantiam nanciscatur. Neque hæc dicta videantur, quod degradari velimus filium vestrum, aut in aliquo minorari quia successus ejus et ampliationem gloriæ exoptamus, et ad eam laborabimus modis omnibus in Domino, sed ut indignationem omnipotentis Dei et sanctorum, qui in Cantuariensi Ecclesia requiescunt, et graviter injuriati sunt, a nobis et ab illis pariter arceatis. Quod fieri posse non credimus, nisi per condignam satisfactionem; quia a sæculis inauditum est, quod aliquis Cantuariensem Ecclesiam læserit, et non sit correctus aut contritus a Christo Domino. Subintulit ergo rex vultu hilari et voce jucunda: *Si filium meum diligitis, duplici jure facitis quod debetis. Nam et ego vobis illum dedi filium, eumque, ut meminisse potestis, recipistis de manu mea. Et ipse vos tanta affectione diligit, ut aliquem inimicorum vestrorum recto lumine nequeat intueri. Eos enim jam continuisset, nisi obstitisset reverentia et timor nominis mei. Sed scio quod vos gravius de eis, etiam quam oporteat, ulciscetur, quam cito tempus et occasionem acceperit. Nec dubito quin Ecclesia Cantuariensis nobilissima sit inter omnes ecclesias Occidentis, nec eam jure suo privari volo, quin potius juxta consilium vestrum dabo operam ut et in hoc articulo relevetur, et pristinam in omnibus recuperet dignitatem. Illis autem, qui me et vos hactenus prodiderunt, Deo propitio sic respondebo, ut exigunt merita proditorum.* Cum ergo equo desiliens me humiliarem ad pedes ejus, ille arrepto scansili me coegit ascendere, et visus illacrymari, ait: *Quid multa? Domine mi archiepiscope, restituamus nobis invicem veteres affectiones et alter alteri quod potuerit bonum exhibeat, et præcedentis odii prorsus simus immemores. Sed mihi, quæso, coram his, qui procul aspiciunt, honorem exhibeatis.* Et transiens ad illos, quia paucos ibi quos lator præsentium indicabit, videbat amatores discordiæ, et odii incentores, ait, ut tam illorum quam omnium, ne quid mali dicerent, ora præcluderet: *Si ego, cum archiepiscopum ad omne bonum paratum inveniam, ei vicissim bonus non fuero, tunc ero nequior cæteris hominibus, et mala quæ de me dicuntur, vera esse probabo. Nec aliud consilium honestius aut utilius crediderim, quam ut ipsum studeam benignitate præcedere, et tam charitate quam beneficiis superare.*

Sermonem regis cum summa gratulatione fere quotquot aderant, exceperunt. Misit ergo ad nos episcopos suos, qui monerent, ut petitionem nostram coram omnibus faceremus. Et si quorumdam ex ipsis consilio credidissemus, in arbitrium ejus contulissemus prorsus et nos et totam causam Ecclesiæ. Nam ab initio usque nunc a Scribis et Pharisæis suis

egressa est iniquitas, et de auctoritate seniorum invaluit qui debuerant regere populum. Sed benedictus Deus, qui non permisit, ut in consilium illorum transiret anima nostra, et Ecclesiæ libertatem aut justitiam Dei exponeremus cujusque hominis voluntati. Illis autem dimissis, habita deliberatione cum domino Senonensi et Christi pauperibus sociis peregrinationis et proscriptionis nostræ, in eo firmavimus propositum, ut nec quæstionem consuetudinum nec damnorum quæ Ecclesiæ nostræ intulerat nec usurpatæ consecrationis querelam, nec ecclesiasticæ libertatis aut honoris nostri dispendium aliquo modo conferremus in arbitrium ejus. Et sic accedentes ad regem et suos, cum omni humilitate rogavimus per os domini Senonensis, qui verbi nostri bajulus erat, ut nobis gratiam suam restitueret, pacem et securitatem tam nobis quam nostris, Cantuariensem Ecclesiam et possessiones ejus, quas exceptas in chartula legerat, et ut misericorditer emendaret quod contra nos et Ecclesiam nostram fuerat in filii sui coronatione præsumptum : promittentes ei amorem et honorem, et quidquid obsequii regi et principi potest ab archiepiscopo exhiberi in Domino. Ille verbum acceptans annuit, et nos et nostros qui aderant, recepit in gratiam suam. Et quia non præceperatis, ut ipse nobis et nostris ablata restitueret, neque a nobis poterat impetrari aut poterit Deo auctore, ut ea remittamus, juxta mandatum vestrum repetitio eorum dilata est, non sublata. Nam si præcepissetis eo vigore, quem in novissimis litteris expressistis, ut restituerentur, haud dubium quin satisfecisset, et posteris dedisset exemplum toti Ecclesiæ Dei maxime apostolicæ sedi perpetuo profuturum. Tandem itaque nobiscum multa et diu conferens, cum nos duo soli fere usque ad vesperam collocuti essemus, secundum morem familiaritatis antiquæ, in hoc convenimus, ut eo discedente rediremus gratias acturi Christianissimo regi, et aliis benefactoribus nostris, reversuri ad ipsum rebus compositis, et aliquandiu moraturi circa eum antequam redeamus in Angliam, ut omnibus innotescat in quantam familiaritatem et gratiam nos receperit.

Exspectabimus autem in Francia donec redeant nuntii nostri, quos ad recipiendas posesssiones nostras destinavimus, quia non et in animo nostro, ut redeamus ad ipsum, quandiu de terra Ecclesiæ passum pedis abstulerit. Nam in restitutione possessionum facile advertemus, qua sinceritate agatur nobiscum. Nec tamen veremur quin impleat quod promisit, nisi eum præpediant consiliarii, quos depravatæ conscientiæ stimulus quiescere non permittit. Hi siquidem ne comprehendantur in operibus manuum suarum, errores suos impunitate donari moliuntur, auctoritate et consortio regiæ majestatis. Hi nos in sortem Balaamitarum conantur impellere, ut vivificantes animas, quæ non vivunt, criminosos in scelere deprehensos absolvamus sine pœnitentia et confessione erroris. Quam utique potestatem Deus, nec alii indulsit, nec retinuit sibi. Nisi acquieverimus, pacem et concordiam cum domino rege initam machinantur infringere. Sed, Deo auctore, nec sic nos inducent, ut sedem ponentes ex adverso Altissimi, gloriemur inaniter nos aut vivificare quos mortificat aut mortificare quos ille vivificat. Certum enim est quamcunque pastoris sententiam jure veracissimo non tenere, si divino judicio reprobatur. Nos tamen sub ipso discessu nostro, sive paci invidens, sive amicis et familiaribus pospicere volens, ad instantiam, sicut dicitur, Gaufredi Cantuariensis archidiaconi, Lexoviensis episcopus satis argute et instanter, rege, episcopis et proceribus præsentibus, sollicitavit circa articulum istum, dicens oportere, ut quemadmodum dominus rex fideles nostros in gratiam receperat, ita nos omnes, qui cum illo steterant, in gratiam reciperemus. Cui respondimus, hic, si placeret illi, distinctionem necessario admittendam. Nam in eis, quorum advocationem susceperat, erant homines diversæ conditionis, et alii nocentiores, alii minus, alii in communione Ecclesiæ, alii excummunicati, contactu et participatione anathematis aut sententia, alii in sumni pontificis constitutionem inciderant, et sine auctoritate ejus absolvi non possunt, allii ex variis causis a nobis vel ab aliis pastoribus suis justo sunt anathemate condemnati. Proinde in personis et causis tam dissimilibus ratio juris et æquitatis vetat idem esse judicium. Nos autem ad omnes, quantum in nobis est, pacem et charitatem habentes, domini regis audito consilio, ad honorem Ecclesiæ Dei, suum, et nostrum, necnon et salutem illorum, quibus reconciliatio quæritur, negotium Deo, propitio moderabimur, ut si quis eorum, quod absit ! pace caruerit, reconciliationis expers, hoc sibi, non nobis debeat imputare. Cum autem ad hæc præfatus Gaufredus archidiaconus, adhuc excommunicatus, sicut incentor discordiæ ita et contemptor justæ sententiæ, tumidius responderet, dominus rex, ne suborientia hinc inde verba causas odii et sopitæ inimicitæ, fomitem instaurarent, nos de turba extrahens, rogavit ne curaremus quæ dicerentur a talibus, et ut pacato animo et tranquillo et licentiam et benedictionem dantes, cum gratia Dei et sua rediremus ad hospitium nostrum.

Postea vero accepimus, quod venerabiles viri, dominus Rothomagensis et episcopus Nivernensis, quos inter nos et dominum regem jusseratis esse mediatores, et qui de pace nostra solliciti exstiterunt, episcopo Sagiensi transeunti in Angliam dederunt in mandatis ut excommunicatos nostros absolveret, sed incertum est, an ei formam quam illis dederatis, præcripserint, aut si præscripta est, an eam sitidem episcopus secuturus. Verumtamen nec illis mandare licuit, nisi quatenus potestatem a vobis acceperunt, nec ille aliquid egit, si fines, quos præscripseratis, excessit. Unde si placet, necesse est, ut si aliter absoluti sunt, præcipiatis eos sententia, qua tenebantur, arctari, donec secundum Ecclesiæ formam jurent, ut ante jusseratis, se vestro

mandato parituros, et illis, qui taliter absolvi meruerint, in virtute obedientiæ injungatis, quatenus mandatum,quod eis ex parte vestra faciemus, inviolabiliter observent, vel ad vos infra terminum, quem præfigetis, accedant,ut audiant vestrum præceptum, subjecta pœna,nisi paruerint, ut in pristinam sententiam sublato appellationis obstaculo reponatur. Neque hæc dicimus, Deo teste, vindictam expetentes,cum scriptum esse noverimus : *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium, tuorum,*sed, ut Ecclesia correctionis exemplo possit per Dei gratiam in posterum roborari,et pœna paucorum multos ædificet. Nam, ut Spiritus sanctus auctor est,*flagellato pestilente sapiens eruditur.* Nec vigere poterit apostolicæ sedis auctoritas, nisi percellantur et hi, qui laicorum patrocinio abutentes, excommunicati aut prohibiti præsumpserunt divina celebrare. Quid enim solus episcopus,quantumlibet Ecclesiæ Romanæ devotus,poterit, si ab obedientia ejus ad nutum potentum recesserint sacerdos et clerus suus ? Nihil enim est, quod Ecclesiam magis debilitet, quam quod apostolica sedes talia, cum emergunt, facile præterit impunita. Hæc dicentes scimus nobis in his exsequendis, si placuerit vobis, magnos, Deo tamen propitio vincibiles, imminere labores. Sed præelegimus arctam et augustam viam sequi, quæ ducit ad vitam, quam latam et spatiosam,quæ per illecebras sæculi trahit ad inferos. De mandato vestro damnorum nostrorum ad præsens tacita est repetitio. Placeat serenitati vestræ, qualiter vos hic procedere oporteat a latore præsentium exaudire et injuriam corrigere, quæ nobis et Ecclesiæ nostræ illata est in coronatione filii regis, alio contra morem antiquum et mandatum vestrum invadente jus nostrum et provinciam nostram. Necessitas nos coegit excedere modum scribendi, timor et reverentia de dicendis plura reprimere compulerunt, sed apostolica dignatio et clementia paternæ mansuetudinis immoderationi, si placet, veniam dabit, et quæ dicenda fuerant, a latore præsentium solita pietate exaudiat, et petitiones, quas per eum porrigimus, celerius jubeat adimpleri.

EPISTOLA XXVI.

AD EUMDEM.

Ex quo, Pater, in auribus regis Anglorum comminationis apostolicæ tuba personuit, et tam sibi quam terræ suæ severitatem Ecclesiæ credidit imminere, nobiscum pacem fecit, promittens firmiter, quod de tota mandati vestri continentia non iota præteriret aut apicem, quin eam penitus adimpleret. Cum autem sic declinasset turbinem sententiæ imminentis, in quibusdam articulis a pactione resiliit, subtrahens nobis adhuc quasdam possessiones Ecclesiæ,quas decessor noster in omnibus diebus vitæ suæ inconcusse possedit, et nos exinde, donec in Anglicanam Ecclesiam tempestatis hujus procella surrexit. Promittit tamen interdum, cum super

A earum restitutione convenitur a nobis, quia si exspectaverimus ei devotionem pristinam exhibentes, quod ita satisfaciet nobis, ut nulla justæ conquestionis relinquatur occasio. Cæterum promissionibus fidem demunt, et noti mores hominis et operis non exhibitio,quia nihil adhuc ab eo præter verba postuimus impetrare.Quod ut vobis evidentius constet,latorem præsentium et litteras,quas a procuratoribus, qui negotia nostra in Anglia expedire debuerant, ad sanctitatis vestræ præsentiam curavimus destinari : interim quantum in nobis est,modis omnibus caventes rescindere pacis initiæ conventionem, licet conscientiam nostram remordeat, quod damna Ecclesiæ Dei, et Christi pauperibus,et pro justitia Dei exsulantibus, et proscriptis, sacer-
B dotali non exquirimus auctoritate. Timemus enim supra modum exempli perniciem coætaneis, nisi divina pietas medeatur, et posteris nocituri. Sed quia nobis sic faciendum esse majestatis vestræ et dominorum nostrorum, qui circa vos sunt, prudentia censuit,pro bono pacis siluimus et silemus,nihil divini juris, quod inspectore cordium teste in auribus vestris et Ecclesiæ dicimus, impœnitentibus remittentes aut remissuri. Scimus autem, quod in extremo examine districtus judex non præteribit irrequisita,ad quem lacrymabiliter quotidie clamat concussa et lacerata Ecclesia: *Domine, vim patior, responde pro me.* Cum ipsa et pro ipsa clamamus et nos,juxta consilium et mandatum vestrum,amplectentes interim pacis umbratilis occasionem,donec
C aspiret dies, et evanescentes inclinentur umbræ. Captabimus autem gratiam hominis, quantamcunque salva libertate et honestate Ecclesiæ, poterimus, et testimonio conscientiæ nostræ experimentum facturi, an vel sic valeat ad mansuetudinem revocari. Misit nobis clementia vestra litteras, quas ad correptionem et correctionem tam Eboracensis archiepiscopi, quam coepiscoporum nostrorum certum est conceptas et dictatas a Spiritu sancto, et quæ regis excessus auctoritate, quæ successorem Petri et vicarium Christi decet, redarguunt. Sed quia timemus,ne teneras viri præpotentis aures verbum mordax exulceret, et nuper initam pacem impediat, sanctitati vestræ tota devotione prostrati supplicamus, quatenus detracta mentione excessuum regis, et enormitatis præstiti
D juramenti, et consuetudinum perversarum, et non exactæ cautionis in coronatione novi regis,eamdem sententiam in præfatum archiepiscopum et episcopos infligatis,eo quod in provincia nostra,nobis pro justitia et libertate Ecclesiæ exsulantibus,coronationem hanc exercere præsumpsit cum omnibus constet,quod Ecclesia nostra per multos annos coronandi regis possessionem habuit,et quod ea non debuerit sine judicio spoliari. Sic enim ad gloriam Dei, et honorem apostolicæ sedis speramus præsumptionem tantam facile et commode posse puniri, et paci Ecclesiæ nullum ex hoc afferri impedimentum. Necessarium quoque dicimus,ut domino regi scri-

batis affectuose, quia ad hoc in specula totius Ecclesiæ Dominus sedem apostolicam ordinavit, ut omnium fidelium causas examinet, et pro merito in retributione pœnæ aut præmii respondeat universis. Ideoque neminem debere turbari, si ea dictante, quilibet in sinu colligat causam suam, ne coram angelis et hominibus ex causa indisciplinationis mittatur in ignem æternum. Regi plurimum detulistis, sed licet ei peperceritis, dissimulare non audetis excessus et crimina sacerdotum. Ad hæc quia veremur, ne pax recens ex variis causis impediri valeat aut turbari, suspensionem aut excommunicationem episcoporum nostrorum, qui ad Dei et vestrum honorem, quod in verbo ejus dicimus omnia pro viribus ex conscientia referemus, si placet committatis arbitrio, excipientes, si visum fuerit, et vestro judicio reservantes archiepiscopum Eboracensem, qui malorum omnium incentor et caput est. Et quanquam Londoniensis episcopus signifer totius hujus seditionis, ne schismatis dicamus, exstiterit, rogamus, ut nobis tam illi, quam Saresberiensi episcopo liceat misereri, si sine schismatis instauratione juxta mandatum vestrum puniri non possunt. Et quia præcepistis, ut in verbo hoc juxta consilium Christianissimi regis Francorum procederemus, reprimendo vel ostendendo litteras vestras, sicut procedimus de consilio ejus, monentis, ut speciales litteras impetremus a vobis de suspensione Eboracensis sine læsione regis, et alias de excommunicatione duorum episcoporum, et tertias de omnium suspensione episcoporum. Hoc etiam impetrato, ut singulis utamur, prout tempus exegerit et necessitas causæ. Fluctuat enim, licet ad portum venisse videatur, Ecclesia Anglicana. Et nisi rex ei promissæ pacis conditiones impleverit, necesse habet, ut adversus insidias malignantium, et persecutorum incursus, muniatur armis et protectionis consolationis vestræ. Quod quidem ita fiet, si litteris vestris præceperitis venerabili fratri nostro domino Meldensi, et probatæ religionis viro B.... abbati S. Crispini Suessionensis, quatenus regem conveniant, ut possessiones Ecclesiæ, et damna nostris et nobis illata restituat, sciturus severitatem ecclesiasticam exercendam in ipsum et terram suam, nisi mandatis vestris optemperaverit. Etsi nec sic duxerit acquiescendum, conferte nobis, si placet, auctoritatem, quam domino Rothomagensi contulistis, et episcopo Nivernensi, aut etiam ampliorem, quia quanto ille potentior et ferocior est, tanto ad ipsum vinciendum et reprimemdum arctiora vincula magis necessaria sunt et durior baculus. Præterea quia turbationibus hujusmodi seminarium et fomes exstitit, quod Eboracensis Ecclesia matri suæ S. Cantuariensi Ecclesiæ subtraxit obedientiam, redintegrate, si placet, Ecclesiæ Anglicanæ unitatem, præcipiendo, quatenus omni appellatione et occasione remota, Eboracensis archiepiscopus et ecclesia sua nostræ jure primatus obediat. Quod si decessorum vestrorum vestigia volueritis imitari, liquet faciendum esse registris eorum diligenter inspectis. Neque hoc, quod Deus, novit, quærimus ad gloriam nostram, qui utinam pastorale non suscepimus officium! procul dubio morte æterna aut plurimis plenum angustiis; sed ut in diebus nostris et vestris frequenter emergentium schismatum præcidatur occasio, et Anglicanæ Ecclesiæ perpetua vestro beneficio pax reddatur. Hæc vobis dicimus coram illo, qui utriusque nostrum judex est, et cui tenemur de omnibus reddere rationem. Ille vobis inspiret, et doceat quid potissime facere debeatis.

Audistis agonem nostrum, sed, ut nostratum proverbio dici solet, *solus ille, cui vicinatur ignis, sentit ardorem*. Credimus nos in Angliam profecturos, ad pacem, an ad pœnam, nobis incertum est; sed divinitus ordinatum, quæ sors nos exceptura sit. Ideoque paternitati vestræ commendamus animas nostras, gratias agentes vobis et apostolicæ sedi super omnibus consolationibus, quas nobis et nostris in tanto necessitatis articulo ministravit. Præterea noveritis indubitanter, quod venerabilis frater noster Bartholomeus Exoniensis episcopus a culpa præsumptæ coronationis immunis est, et sub hac tempestate ab adversariis Ecclesiæ propter justitiam multa sutinuit.

EPISTOLA XXVII.

AD EUMDEM.

Venerabili patri et domino in Christo charissimo Alexandro Dei gratia summo pontifici Thomas Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister salutem et omnimodam cum summa devotione obedientiam.

Quam justis et quam honestis conditionibus cum domino nostro rege Anglorum pacem fecerimus, ad vestram notitiam tam ex nostra, quam multorum intermeantium relatione credimus pervenisse; et qualiter idem dominus noster resilierit a pactis et promissionibus suis. Quod tamen non tam illi credimus imputandum quam sacerdotibus Baal et falsorum filiis prophetarum, qui totius discordiæ incentores ab initio exstiterunt. Sed horum omnium primicerii sunt Eboracensis ille et episcopus Londoniensis, qui quondam, cum essetis Senonis, a vobis redeuntes, domino rege nondum adito vel audito, nos in curia clementiæ vestræ pedibus assistentes possessionibus nostris spoliare non timuerunt, cum illis indubitanter constaret nos duarum appellationum causas apud vos exercere, ut pote qui appellati eramus ab archiepiscopo Eboracensi et tam illum quam coepiscopos nostros appellaveramus ab iis itidem appellati. Cum ergo hi Balaamitarum signiferi, nos cum domino rege pacem fecisse audissent, associatis sibi Saresberiensi et aliis complicibus suis, circuierunt mare et aridam, ut initam pacis rescinderent unitatem, per se et per alios domino regi et suis suadentes concordiam regno inutilem et inhonestam esse, nisi donationes Ecclesiarum nostrarum, quas rex fecerat, stabiles manerent et nos cogeremur regni consuetudines, super quibus inter nos est orta contentio firmiter observare. Adeoque profecerunt

in perversitatibus suis, ut eorum instinctu dominus rex omnes reditus nostros et nostrorum post pacem in festo beatæ Mariæ Magdalenæ factam usque ad festum beati Martini abstulerit, tunc demum nobis reddens domos vacuas et horrea demolita. Clerici tamen sui, scilicet Gaufredus Ridel archidiaconus noster et Nigellus de Saccavila duas ecclesias nostras, quas de manu laica acceperunt, adhuc detinent occupatas : et ipse plures Ecclesiæ nostræ possessiones, quas se in pacis reformatione promiserat redditurum, nobis et Ecclesiæ nostræ reddere contradicit. Et licet aliter, quam ipsum deceret, contra pacta sua, ut pluribus notum est, versaretur, nos tamen enormia damna Ecclesiæ et irreparabilia videntes, et præcaventes graviora, nostro et dominorum cardinalium præeunte consilio, ad Ecclesiam nostram laceratam et conculcatam redire decrevimus, ut si eam non possemus erigere et reformare, saltem cum ipsa pereuntes, confidentius pro ipsa præsentes spiritum redderemus. Quod cum illi nuntii nostri certius didicissent, ambiguum est, quid veriti consilium inierunt cum officialibus regis, et sceleratissimo illo filio perditionis Randulpho de Broc, qui in Ecclesiam Dei publicæ potestatis abutens viribus jam per septem annos licentius debacchatus est. Decreverunt ergo, ut armata manus portus maris, ad quos nos venturos suspicabantur, militum et satellitum custodia et diligentia observaret, ne terram possemus intrare, quin omnem supellectilem nostram curiosius perscrutarentur, et omnes litteras, quas impetravimus a majestate vestra, nobis auferrent. Sed nutu divino contigit, ut machinamenta eorum nobis per amicos innotescerent, quæ impudentia eorum ex nimia præsumptione non patiebatur esse abscondita. Nam satellites, quos prædiximus, armati littora circuibant, gressus suos dirigentes, prout eis jam dicti Eboracensis, et Londoniensis, et Saresberiensis episcopi dictabant. Elegerant enim ad executionem hujus malitiæ, quos nobis noverant maxime esse infestos : scilicet Randulphum de Broc, Raginaldum de Warenne, Gervasium Cantiæ vicecomitem, qui palam minabantur se, si forte præsumeremus applicare, nobis caput amputaturos. Sæpe dicti vero episcopi Cantuariam venerant, ut si satellites publicæ potestatis non insanirent satis, eos amplius instigarent. Itaque consiliis eorum diligentius exploratis, una die antequam mare ingrederemur, præmissæ sunt litteræ vestræ ; sed et illæ, quibus Eboracensis suspendebatur, et Londoniensis et Saresberiensis revocabantur in sententiam anathematis, eis traditæ sunt. Die sequenti navem ascendimus et in Angliam pervenimus navigatione felici, adducto nobiscum ex mandato domini regis Joanne decano Saresberiensi, qui armatos, quos prædiximus, vidit, non sine dolore et rubore accelerantes ad navigium nostrum, ut adventantibus vim inferrent. Præfatus ergo decanus timens, ne si quid nobis aut nostris mali inferretur, in domini regis redundaret infamiam, obviam processit armatis, denuntians eis ex parte domini regis, ne nos aut nostros læderent, quia hoc esset ipsum regem, cum quo pacem feceramus, nota proditionis inurere, persuasitque eis, ut ad nos accederent inarmati. Illi tamen, quia Simonem Senonensem archidiaconum nobiscum adduxeramus, qui amicos, quos habet in Anglia decreverat visitare, exegerunt ab eo juramentum fidelitatis, quo se regibus nostris contra omnes homines obligaret, nec vos excipientes, nec alium. Sed nos non permisimus, ut talis obligatio præstaretur, veriti ne clerus regni ad simile juramentum cogeretur auctoritate exempli, si domestici nostri obligationes hujusmodi præstitissent. Quod utique in dispendium sedis apostolicæ, ut auctoritas ejus evacuetur aut minuatur, in regno moliuntur sæpe dictus Eboracensis et Londoniensis et Saresberiensis, et complices sui. Officiales vero qui juramentum exegerant, pauciores erant, quam ut nos possent contra voluntatem nostram in eo loco ad aliquid cogere, eo quod populus reditui nostro gaudens, si vires pararentur, fortior erat. Inde ad Ecclesiam nostram venientes, cum magna devotione a clero et populo recepti sumus, licet intrusi adhuc violenter incubent ecclesiis nostris, in quibus in omni peste et vexatione Ecclesiæ præcipui sunt Gaufredus Ridel, archidiaconus noster, et Nigellus de Saccavilla clericus ejus ; quorum alter, scilicet Gaufredus, occupat ecclesiam de Otteford, alter, videlicet Nigellus de Saccavilla, ecclesiam de Herges, quas cum fructibus perceptis nobis et clericis nostris quorum sunt, ex mandato vestro reddere debuerant. Præcepistis enim domino Rothomagensi et episcopo Nivernensi, ut eos absolverent accepto secundum morem Ecclesiæ sacramento, et præciperent auctoritate vestra nobis ecclesias cum fructibus resignari. Postquam vero ad Ecclesiam nostram venimus, incontinenti nos adierunt officiales regis, denuntiantes ex parte ipsius, sicut eos dominus Eboracensis, et Londoniensis, et Saresberiensis episcopi informaverant, ut suspensos episcopos et excommunicatos absolveremus, quia quod contra eos factum fuerat, in injuriam regis redundabat, et in eversionem consuetudinum regni, promittentes episcopos provinciæ nostræ post absolutionem venturos esse ad nos, et juri se salvo honore regni libenter parituros. Nos autem respondimus non esse judicis inferioris, ut superioris sententiam solvat, et quod nulli hominum licet infirmare, quod apostolica sedes decreverit. Quia tamen illi instantius perurgebant, et minabantur dominum regem, nisi eis acquiesceremus, mira et stupenda facturum, diximus eis, quod si Londoniensis et Saresberiensis episcopi jurarent coram nobis in forma Ecclesiæ, se vestro mandato parituros, nos pro pace Ecclesiæ et reverentia domini regis cum consilio ipsius, et domini Wintoniensis, et aliorum fratrum nostrorum, subjiceremus periculo, et faceremus quidquid salva reverentia vestra, et eos tanquam fratres in Christo charissimos diligeremus, et in omni mansuetudine et humilitate tractaremus. Quod cum episcopis ab

intermeantibus referretur, respondit Eboracensis, A quærens seditionis consortes, et schismatis incentores, juramenta hujusmodi, nisi de voluntate regis non debere præstari, præsertim ab episcopis, quia erat contra dignitatem principis et consuetudines regni. Ei vero ex parte nostra responsum est, quod iidem episcopi antea a nobis excommunicati fuerant, et non nisi præstito juramento, cum nos multis sollicitationibus interpellassent, absolvi meruerant. Et si nostra sententia sine juramento episcoporum solvi non debuit, multo minus vestra, quæ longe fortior est, et incomparabili nobis et mortalibus cunctis auctoritate subnixa. Ad quam responsionem, sicut nobis retulere qui præsentes aderant, episcopi adeo moti sunt, ut decreverint venire ad nos, et secundum morem Ecclesiæ recipere absolutionem, B non ducentes tutum, ut pro conservandis regni consuetudinibus Ecclesiæ se opponerent, et impugnarent apostolicas sanctiones. Sed homo pacis inimicus et Ecclesiæ turbator Eboracensis dissuasit, consulens ut potius adirent dominum regem, qui eis semper patrocinatus est, et nuntios mitterent ad novum regem, qui persuaderent ei, quod eum deponere volumus, cum nos, Deo teste, si ipse Ecclesiæ profuturus est, mallemus eum non modo unum regnum possidere, sed amplissima et plura regna terrarum. Hujus vero legationis signifer est archidiaconus noster, nam Eboracensis et duo præfati episcopi citius transfretarunt, ut quod Deus, avertat, circumveniant dominum regem, et adversus Ecclesiam exacerbent iram ejus. Fecerunt autem evocari C senas personas vacantium ecclesiarum, ut consilia eorum contra canones coram rege, in alieno regno, fratribus suis absentibus, celebrent electionem episcoporum provinciæ nostræ. Quod si sic electos noluerimus consecrare, videntur sibi habere causam seminandi discordiam inter nos et dominum regem Nihil enim est, quod magis timeant, quam pacem Ecclesiæ, ne forte videantur opera eorum, et corrigantur excessus. Cætera plura supplebit nuntius, quæ ne tædium pareret, schedulæ non censuimus inserenda. Vos, si placet, preces nostras clementer audite. Valeat in æternum sanctitas vestra, charissime Pater.

EPISTOLA XXVIII.

AD EUMDEM PRO FRATRIBUS DE NOVO BURGO.

D Quanta mala sanctis viris fecerit, et jugiter faciat Eboracensis archiepiscopus, tum a multis, tum a præsentium latoribus discretionem vestram credimus audivisse. Auget audaciam hominis quod hactenus omnia pro libitu gessit, impune credens universa licita quæ videt inulta. Nec credit judicèm esse in Israel, qui super tot tantis et tam manifestis excessibus nunquam venire visus est in judicium, aut mirabilium suorum reddere rationem. Confidit in multitudine divitiarum quas supra modum congessit, augens,

Si potuit, recte, si non quocunque modo rem

Pauperibus his qui urgente necessitate, sicut a viris plenis fide didicimus, ad sedem apostolicam confugerunt, nunc demum dentes et ungues infixit, nec desistet quin spoliet, mactet et perdat, nisi iis clementia domini papæ et nostra subveniat, et quia vestræ virtutis est et consuetudinis liberare pauperem a potente et egenum a diripientibus eum, causam præsentium pietati vestræ attentius commendamus, rogantes quatenus illum apostatantis angeli imitatorem dejiciatis et eliminetis, ne polluat ulterius sanctorum Sancta. Ecclesiæ Dei nulla major potest evenire calamitas, quam si in eam insurgant, qui ei pro debito offici debuerant patrocinari, et pro ipsa in articulo necessitatis ponere animas suas. Sensit hoc ab annis pluribus Ecclesia Anglicana, in qua vix invenitur iniquitas quæ non egressa sit a senioribus, qui videbantur regere populum, et ab his qui Ecclesiæ beneficiis nutriti provecti sunt et ditati; adeoque jam inpudentissimus error invaluit, ut pontifices Evangelium erubescant, et glorientur se carnificium exercere, non tamen pecora immolantes, sed fratres suos pro quibus Dei filius immolatus est Christus. Nec timent ut requirantur hæc ab iis, sperantes in multitudine divitiarum suarum et præsumentes de familiaritate sæcularium potestatum. Nam si quis Patrum velit imitari vestigia, et in operibus suis episcopi faciem conetur exprimere, statim non modo contemptui, risui, sed et plurimis periculis patet: cæteris tamen omnibus graviora sunt quæ a falsis fratibus inferuntur. Quis eorum signifer sit, quis fuerit inter regnum et sacerdotium auctor discordiæ, quis exstiterit rancoris et totius perversitatis incentor, perspicuum est ab operibus suis, sed quia nos causa illa contingit, injurias et damna Ecclesiæ Dei et nobis et nostris illata illius reservamus examini, qui ait: *Mihi vindictam et ego retribuam*, et vestro quem constituit dominum domus suæ et principem omnis possessionis suæ. Interim vero causam fratrum de Novo Burgo et clericorum qui cum ipsis ad pedes majestatis vestræ confugiunt, paternitati vestræ attentius commendamus, rogantes quatenus eos, sicut a viris probatæ fidei accepimus, injuste oppressos dignatio miserationis consoletur. Nisi enim pietas vestra subveniat, religiosis domibus, prout vobis viva voce plenius referent, excidium imminet, nec diu stare poterunt ante faciem tribulantis. Iterato enim contra Altissimum se Lucifer erexit; ponens sedem suam ab aquilone, ibidem Christum mutilaturus, quia totum occupare non potest imperium, nisi vicarius Petri occurrat in Spiritu et virtute Eliæ conterens malleum universæ terræ.

EPISTOLA XXIX.

AD OMNES CARDINALES.

Venerabilibus dominis suis, et Patribus, universis episcopis, presbyteris, diaconibus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dei gratia cardinalibus, THOMAS, eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis,

miser ac miserabilis exsul, salutem, ac debitum per omnia famulatum.

Misero verba facere grata haud est facile, miserabili servare modum in dicendo, sane difficile. Detur ergo, petimus, indulgentia misero, miserabili venia. Credimus vos, Patres sanctissimi, divina inspirante gratia, ad hoc in summo fastigio constitutos, ut removeatis injustitias, præsumptiones abscindatis, laborantibus in sacerdotio benigne subveniatis, opprobriisque et calamitatibus eorum nullatenus locum exhibeatis, sed oppressis gravatisque feratis auxilium, calumniantes reprimatis durius, opprimentes gravissime puniatis. Non enim perturbare perversos, non resistere persequentibus Ecclesiam, nihil aliud est quam fovere. Consentire namque videtur occulte, qui manifesto facinori non obviat. Intelligimus inde non aliter vobis licere, quam ut omnes conatus vestros huic causæ nostræ, quæ inter regem nostrum et nos, imo inter vos et ipsum præcipue versatur, in qua universalis salus infestatur Ecclesiæ, officiosissime de cætero impendatis. Inieratis cum ipso certamen, erat vobis jam in limine victoria, si non religionis vestræ circumvenisset auctoritatem, sicut creditur a peritis, prædicatur a transeuntibus, affirmatur ab his, qui regis intima noverunt arctius, captiosa calliditas, falsa spes pacis, quæ potius extorquetur a tyrannis præparatione certaminis, quam legationis licitatione. Præparatione enim belli pax obtinetur. Digna certe pœna huic miserationis vestræ viscera claudi, qui libertatem Ecclesiæ quærit exstinguere. Decet ergo vos esse vacuos ab omni offensa, ab aliena gratia penitus liberos, si recte tractatis aliena negotia, si loquimini veritatem in populo; si diligitis, qui facitis judicium in gente. Dominus enim dicit: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Ipsa utique ubique diligenda, ubique est observanda. Sola enim ipsa operatur pacem, et conservat. Unde Isaias: *Erit opus justitiæ pax.* Et David in Psalmo: *Justitia et pax osculatæ sunt.* Amant enim se hæc duo eatenus, ut qui facit justitiam, pacem inveniat, nec aliter. Sic ergo agite, sic observate justitiam, quibus judicandi potestas credita est, ut cum venerit justus Judex, reddens unicuique juxta merita sua, pro bene observata justitia digna vos mercede remuneret.

Quid plura? Hæc in summa reduco vobis ad memoriam, quoniam serius parva scintilla fuit in Alexandria, sed quia dissimulante justitia non est statim oppressa, ejus totum orbem fere flamma populata est. Et, ut veniamus ad rem, dicite Patres sanctissimi, qua conscientia dissimulatis injuriam Christo illatam in me, imo certe in vobis, qui Christi vicem gerere debetis in terra? Nonne causa mea similis vestræ est, imo penitus vestra? An simulatis vos ignorare, quod rex Anglorum occupavit, et singulis diebus occupat possessiones ecclesiasticas, libertatem Ecclesiæ subvertit, extendit manus suas in christos Domini, passim et sine delectu in clericos,

A alios incarcerando, alios truncando, aliis eruendo oculos, cogendo alios ad duellum, alios ad examinationem ignis vel aquæ, episcopos etiam non servare metropolitano suo obedientiam, minores clericos prælatis suis non obedire, non habere se excommunicatos, cum rite fuerint excommunicati; imo, quod deterius est, omnimodam tollit Ecclesiæ libertatem, ad instar grandis illius schismatici oppressoris vestri, qui quærit funditus eviscerare Ecclesiam. Si hæc fiunt impune a rege nostro, quid fiet ab ejus hæredibus? Quid sustinebitur a successoribus vestris? Attendite, quoniam crescunt quotidie mala, crescunt occasiones et ingenia malorum. Deus bone, facietne ista impune? Non hac via Christus incessit, non apostoli, quorum imitatores esse debe-
B tis, et nos vobiscum. Quare receditis a viis Domini, in quo est vobis fiducia? Verendum est ne, quod absit! contritio et infelicitas sit inviis vestris, ne viam salutis non agnoveritis, quod non sit timor Domini in vestris oculis. Quis eripiet vos de manu tribulantis? Quis liberabit vos de belluæ faucibus, quæ jam in januis est, ut vos absorbeat, omnes, si non Deus ipse? Certe non argentum, non aurum, non humana gratia, non favor principum. Nolite ergo, nolite confidere in principibus, nec in filiis hominum, in quibus non est salus: *Maledictus enim qui confidit in homine, qui ponit carnem brachium suum.* Facite, domini mei, facite aliis, quod vobis desideratis a Christo fieri, ut evadatis periculum, quod est e vicino. Eadem enim mensura reme-
C lietur vobis, qua ipse mensi fueritis. An nescitis, quoniam argentum vestrum projicietur foras, aurum vestrum erit in sterquilinium, argentum et aurum non poterit vos liberare in die furoris Domini. Nolite ergo, nolite thesaurizare vobis iram in die iræ, sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, resistendo oppressoribus, subveniendo oppressis. Alioquin judicet inter vos et me et coexsules meos, orphanos, viduas, infantes in cunabulis, cæterosque omnes clericos et laicos Deus ipse, apud quem non est personarum acceptio: requirat ipse sanguinem mortuorum meorum de manibus vestris, ut vindicet simulationem istam, qui sedet in Excelso justus Judex, considerans dissimulationes vestras et injustitias, redditurus unicuique vestrum, prout gesserit
D mecum, sive bonum, sive malum

Exposuistis quippe nos, equidem immeritos, signum ad sagittam, ut nec jacula jaculantis undique in nos pressi, valeamus elidere, nec evadere possimus, nisi in potenti manu Dei, jacientium sagittas. Fecistis nos opprobrium omni transeunti, subsannationem vicinis nostris, derisum his, qui in circuitu nostro sunt: utinam non vos ipsos! Deus bone, quis erit de cætero vigor in membris, si capitis ipsius robur emarcuerit? Jam certe clamitatur in plateis, prædicatur per civitates et vicos, quia non fit justitia Romæ de potentibus. Ut quid sepitis vias nostras spinis? Cur objicitis nobis offensionis lapidem? Quid tollitis nobis omnem nostram auctoritatem, ne vin-

dicemus injuriam Christi, ne redimamus damna die- A rum nostrorum, quibus nemo succurrit, ne compensemus Ecclesiæ jacturam, prout nunc possumus, ecclesiastica saltem censura, ne silentio convalescat inconcussa impunitas, sed prodeat in lucem tantæ concussionis auctoritas, tam affectatæ præsumptionis ultio merita, ut appareat tempore postero tam enormia, tam detestabilia, nullatenus impune, sed immerito attentata fuisse. Certum tenete, exspectatio ista plurimum habet periculi, salutis nihil. Alias curandus est is morbus, si non eo per dissimulationem vestram vultis infici reges universæ terræ. Dulcis enim est omni tyranno amara servitus Ecclesiæ, nec tolli facilis, si non fit ei citissime ipsa sua dulcedo amara severitate justitiæ. Eo jam perventum est, ut sequatur rex noster etiam Siculos, imo certe præ- B cedat. Curritur undique a clericis Angliæ ad suam curiam, fiunt curiales capellani, sub obtentu isto astringuntur jurisjurandi necessitate, ut vel sic in terra sua liberius obtineat de cætero, quod hoc tempore de voluntate sua pro jure constituit. Itur cursim in dispendium Ecclesiæ non reparabile, cum sit nemo, qui currenti non cedat, qui redarguat delinquentem efficaciter, qui puniat ejus utiliter excessum. Quid erit nobis et vobis ulterius in terra illa, si celerius non occurratur huic tanto periculo, si non retundatur acrius hujus tam enormis novitatis periculosa præsumptio, vos ipsi judicetis. Disposueram certe animam meam in hac parte liberare, viriliter subvenire periculo, si non hujus facti me, sicut credimus, immerito æstimassetis indignum. C Indulgeat Deus hoc facientibus. Erat mihi quippe cum ipso facilior ad pacem accessus, si, quod absit! sine vobis Ecclesiæ discrimina dissimulare curassem. Verum, quidquid mecum egeritis, quidquid agatis, per misericordiam Dei nihil fit a me sine vobis, nihil in præjudicium Ecclesiæ, si vita comes mihi succurrit. Hanc viam elegi, hanc, Christo duce, non mutabo sententiam, hæc est enim mihi via salubris. Hæc vobis scribo, non ad indignationem aliquam, novit Deus, qui scrutator est cordium, sed ad cautelam, ne veniat super vos dies Domini, sicut fur, dies ultionis qui nemini parcit. Credite ergo mihi fideli vestro per omnia, dilectissimi domini, resumite vires, accingimini gladio verbi Dei potentissimi, exerite gladium beati Petri, injuriam Christi vindicate et suorum, nulli parcat oculus vester, fa- D cite judicium et justitiam sine dilatione omni patienti injuriam. Hæc est via regia, hæc est via quæ ducit ad vitam. Hac vobis incedendum est, ut sequamini vestigia Christi, vestigia apostolorum, quorum estis vicarii. Non simulatione, non ingenio regenda est Ecclesia, sed justitia et veritate, quæ se observantem liberat ab omni periculo. Hoc facite, et habebitis pro certo Deum adjutorem, nec timeatis vobis de cætero quid faciat vobis homo. Bene valete, ut bene sit nobis, et toti Ecclesiæ.

EPISTOLA XXX.

AD ALBERTUM PRESBYTERUM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus Alberto presbytero cardinali, salutem et debitam reverentiam.

Nil nobis hac tempestate jucundius dari posset, quam vestræ copia præsentiæ, ut de statu nostro conferre possemus ad invicem, et vestræ discretionis consilium reportare, quod in omnibus vivax et efficax sumus experti. Jucunda, inquam, nobis esset hujusmodi collatio, quia perquam necessaria. Paucos enim vel nullos apud nos reperimus, qui puræ veritatis tramite non claudicantes incedant, quasi non magis quæ sua sunt quærant et curent, quam quæ Jesu Christi, studentes potius terreno regi placere, quam cœlesti displicere formidantes. Loquimur nobis tanquam speciali patrono et amico fidelissimo, non verentes animum nostrum vobis aperire medullitus, ut tamen quod dicimus, ad aliam non transeat audientiam, in fide et dilectione suppliciter obsecrantes. In tot et tantis apud nos sanctæ Ecclesiæ libertas impugnatur, ut vix ad videndum sufficere possimus vel audiendum. Emergunt quotidie nova, et prioribus inaudita sæculis exiguntur. Imponitur silentium legibus, et regula canonum a sorte Domini penitus exclusa, novis legibus subjiciuntur clerici, et pro voluntate laicæ potestatis agitantur. Scimus quia dominum regem tenere diligitis et fideliter, ideoque manifestius vobiscum loquimur, ut acrius condoleatis. Difficile et longum est omnia scripto complecti, ideoque magistrum Henricum, fidelem et familiarem vestrum et nostrum, ad vos transmittimus, qui secundum quod vidit et audivit, rerum seriem gestarum vobis plenius exponet. Cui, si placet, credite tanquam nobis. Si tamen fieri posset, mallemus in propria persona nostra vos visitare, et vivas a vobis audire et reddere voces, quam aliter. Nullum, nisi Deus dederit, nobis adest consilium, quia inter barbaros nobis esset melius servire, quam hæc mala diebus nostris in sancta Ecclesia videre. Valete, charissime domine.

EPISTOLA XXXI.

AD EUMDEM.

Utinam, dilecte mi, aures vestræ sint ad ora nostratum, et audiant illa, quæ in ignominiam Ecclesiæ Romanæ cantitantur in compitis Ascalonis! Aliquid consolationis novissimi nuntii nostri videbantur a sede apostolica retulisse in litteris domini papæ, sed earum auctoritas evacuata est missis a latere litteris, ut in perniciem Ecclesiæ Satanas absolveretur. Soluti sunt enim apostolico mandato Londoniensis et Saresberiensis episcopi, quorum alter incentor schismatis, et totius malitiæ artifex, ab initio dignoscitur exstitisse, et tam Saresberiensem quam omnes, quos potuit, in crimen inobedientiæ impegisse. Nescio quo pacto pars Domini

semper mactatur in curia, ut Barabbas evadat, et A Christus occidatur. Auctoritate curiæ jam in finem sexti anni proscriptio nostra, et Ecclesiæ calamitas protracta est. Condemnantur apud vos miseri, exsules, innocentes, nec ob aliud, ut ex conscientia loquar, nisi quia pauperes Christi sunt et imbecilles et a justitia Dei recedere noluerunt : absolvuntur e regione sacrilegi, et homicidæ, raptores, impœnitentes, quos mundo reclamante, nec a Petro, si præsideret apud Deum absolvi posse, libera voce, Christo auctore, pronuntio. Ait enim in Evangelio secundum Lucam : *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum ; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Nunquid otiosa sunt verba Christi, quibus ait : *Si* B *pœnitentiam egerit, si conversus confiteatur, dicens pœnitet me* ? Nequaquam de otiositate verbi redditurus est in die judicii rationem, sed potius eos damnaturus, qui contra formam, quam dedit, iniquos sine confessione et pœnitentiam vanis absolutionibus justificare præsumunt, et vivificare animas quæ non vivunt. Certe si res ablata reddi potest, et non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Profecto Spiritus sanctus, ut scriptum est, effugiet fictum, quoniam ipse veritas est, et non figmentum. Obliget se, qui audet, nec venturi judicis formidet sententiam. Raptores, sacrilegos, homicidas, perjuros, sanguinarios, et schismaticos impœnitentes absolvat; ego quæ Ecclesiæ Dei ablata sunt, impœnitenti nunquam remittam. Nonne nostra, aut potius Eccle- C siæ spolia sunt, quæ nuntii regis cardinalibus et curialibus largiuntur et promittunt? Quæ iniquitas manifesta est, si illa, quæ in Ecclesiam Dei apud nos exercetur, occulta est ? Nos Ecclesiæ libertatem tueri non possumus, quia sedes apostolica proscriptionem nostram jam in finem sexti anni protraxit. Viderit Deus, et judicet. Sed pro ea mori parati sumus. Insurgant qui voluerint cardinales, arment non modo regem Angliæ, sed totum, si possunt, orbem in perniciem nostram, ego Deo propitiante nec in vita, nec in morte ab Ecclesiæ fidelitate recedam. Causam suam de cætero committo Deo, pro quo exsulo proscriptus, ille medeatur, ut novit expedire. Non est mihi ulterius propositum vexandi curiam : eam adeant, qui prævalent in iniquitatibus suis, et tri- D umphata justitia, et innocenti captivata, in confusionem Ecclesiæ redeunt gloriosi. Utinam via Romana non gratis peremisset tot miseros innocentes ! Quis de cætero audebit illi regi resistere, quem Ecclesia Romana tot triumphis animavit, et armavit exemplo perniciosa manante ad posteros ? Valeat semper sanctitas vestra, nostri memor ante Deum.

EPISTOLA XXXII.

AD EUMDEM.

Interemptorum pro causa Domini, etc. Vide epistolam similem ad Hyacinthum cardinalem directam.

EPISTOLA XXXIII.

AD EUMDEM ET THEODWINUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus ALBERTO et THEODWINO cardinalibus.

Ecclesiæ molestias et innocentium afflictiones, miserias eorum, qui zelum Dei habent, tanto vobis acerbiores esse non dubitamus, quanto vos pro certo novimus institutis apostolicis familiarius et dulcius adhærere. Et quidem Ecclesia Dei stare non poterit, si in ruinam ejus proni sunt, quibus incumbit illius procurare salutem. Si enim pastores amore aut odio. cupiditate aut neglectu, spe aut metu temporalium, locum suum deserant, aut vitiis cedant, restat ut eorum candelabrum moveatur, et populo fiant in laqueum et ruinam. Unde ut coram Deo loquamur, quem judicem exspectamus, et invocamus ut judicet causam suam, licet dominum nostrum regem Angliæ plurimum dilexerimus, et ex totis viribus ante impositum sacerdotium ad nutum servierimus, sine conscientia tamen criminis, ex hoc ei in injuriam Dei et conculcationem Ecclesiæ nolentes consentire, pro Deo nos opposuimus, malentes ipsum offendendo revocare ad veniam, quam adulando præcipitare in gehennam. Causa quam contra nos exercet, inter ipsum et Deum est, quia nos nihil aliud ab eo quærimus, nisi quod Ecclesiæ suæ æterno testamento pro ea in suscepta carne immortalis reliquit Deus. In fide ergo et charitate Christi, ipso teste Christo, supplicamus vobis, ut exsurgatis nobiscum in auxilium Ecclesiæ naufragantis, et auctoritate, et prudentia vobis collata occurrite homini huic, cui nullorum successuum copia sufficit, si Ecclesia Dei gaudet libertate. Si nobis aut nostris non creditis, interrogate de moribus hominis Gallicanam, et Turonensem Ecclesiam, Aquitanos quoque et Normannos, et Romipetas de regno Anglorum confluentes, et profecto non erit aliquid, in quo de sinceritate causæ nostræ possitis ambigere, nisi sponte obtenebraveritis oculos, ne quod verum est, valeant intueri. Confidimus in vobis abundantius, præsertim in causa Dei, et ad vestrum, prompti sumus obsequium. Et quod nos non possumus, supplebit Deus, remetiens, in qua mensura nobis mensi fueritis. De nobis autem pro certo tenete, quia satius ducimus mortem incurrere temporalem, quam promereri æternam, et extremas pro Christo subire miserias, quam miseræ servitutis angustias perpetuare. Nam hujus controversiæ exitus trahetur ad consequentiam temporum futurorum, ut aut perpetuis, quod absit ! ærumnis lugeat Ecclesia, aut perenni gaudeat libertate. Nec esset cardinalis vel cujusquam hominis necessarius interventus nobis aut nostris, si regi ab initio voluissemus in his, quas apud cleri damnum statuit, non consuetudinibus, sed pravitatibus consentire, et absque ulla ordinis nostri salutatione apposita simpliciter et absolute subscribere. Ergo : ille in tantis iniquitatibus statuendis, Romana Ecclesia consentiente aut dissimulante, prævaluerit, quis contra eum audebit mutire de cætero ? Quis de manu

hæredum ejus excutiet, quod tanta non virtute, sed pertinacia pater obtinuit? Quis alios principes, æque nobiles et potentes, prohibebit similia vendicare? Malorum enim exempla citius rapiuntur, et posteri relictis majorum vitiis rarissime ad exercitia virtutis assurgunt. Si vestri laboris et nostri fructus est, ut principes Ecclesiam subjiciant servituti, et nos conterant, quia ausi sumus zelare legem Dei, justitiam protestari, et eis ex adverso ascendere pro domo Israel, rarus admodum vel nullus de cætero erit, qui non sequatur omnino principum voluntatem qui Romanæ Ecclesiæ fidem servet, qui decreta sedis apostolicæ revereatur, qui summi pontificis mandatis obediat, qui non ipsam Dei legem contemnat, ut fabulam, ut verba sine veritate et fructu. Causam itaque Ecclesiæ vobis specialiter committimus, quos columnas Ecclesiæ stabiles esse confidimus. Ad eorum enim auxilia in necessitate recurrendum est, qui et auctoritatem justitiæ et voluntatem miserationis implendæ a Domino acceperunt. Nec ignorare vos credimus, quoniam eorum, quæ contra Deum vel secundum Deum feceritis, mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem refundet justus Judex in sinus vestros. Amen.

EPISTOLA XXXIV.

AD BERNARDUM PORTUENSEM EPISCOPUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus BERNARDO Portuensi episcopo, salutem et debitam reverentiam.

Hortatur nos, et loquendi præstat fiduciam sanctitatis vestræ nota constantia, ut quæ sancta Ecclesia in nobis, et aliis membris suis in Anglorum regno patitur, vestræ discretioni curemus innotescere, sperantes a vobis sanum reportare consilium, et necessariam tanto dolori medicinam. Verum attendentes hujus nostræ calamitatis seriem nec facile nec tutum esse paginæ mandari, mittimus ad vos magistrum Henricum, fidelem et familiarem vestrum et nostrum, ut fida relatione, prout vidit et audivit, universa vobis exponat, dictis ejus fidem adhiberi, tanquam nostris, postulantes. Vos autem, domine, juxta datam vobis a Deo sapientiam, secundum quod de statu nostro cognoveritis, consilii vestri solatium nobis, imo et toti Anglorum Ecclesiæ impartiri non differatis; quoniam in arcto positi sumus, nec ullum præter Deum, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ auxilium exspectamus. Valeat, et subveniat nobis sanctitas vestra.

EPISTOLA XXXV.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus BERNARDO Portuensi episcopo.

Consolationis vestræ verba animo gaudente recepimus sed ab adverso receptis incontinenti litteris, quas rex Angliæ in læsionem nostram, et apostolicæ sedis confusionem facit in utriusque regni compitis et conventibus publicari, versa est in luctum
A cithara nostra et gaudium nostrum transiit in mærorem. Nam benefactoribus nostris onerosi reddimur et tædiosi, ex quo in desperationem pacis nostræ missi sunt, audito quod persecutor Ecclesiæ et noster, qui nos spoliis nostris impugnat contra justitiam Dei, prævaluit in comminationibus suis, et vanitate, et malitia multa. Viderit Deus, et judicet inter me et ipsum, et alios quorum patrocinio usus est, ut possit licitum libito coæquare, et in Ecclesiam Dei impune debacchari, nemine reclamante. Si Dei voluntas est, ut in exsilio pro libertate Ecclesiæ moriamur, oderetur sacrificium, quia decrevimus mori potius quam ad qualecunque mundi pretium distrahere Ecclesiæ libertatem. Absit enim a nobis, ut regi impio vendamus hæreditatem
B patrum nostrorum, quam legem Dei esse Scriptura sacra docet in Spiritu! Verum quia sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ, quæ nunc fere destructa est, a multis diebus patrocinium impendistis, supplicamus sanctitati vestræ, quatenus ei nunc, velut in extremis agenti, celerem feratis opem. Ut dominus papa suspensionem, quam nobis inflixit, solvat, aut terminum coarctet, scribens etiam regi Francorum et Ecclesiæ Gallicanæ patentibus litteris, quod nisi rex Anglorum juxta commonitionem et comminationem suam nobis pacem et ablata cum Ecclesiæ libertate restituat, exinde nos in eum et terram suam officii nostri potestate uti concedat, et sententiam, quam in malefactores Ecclesiæ et nostros tulerimus, ratam habendam esse decernat, et præ-
C cipiat ab omnibus terræ suæ episcopis inviolabiliter observari, donec satisfacere compellantur. Præterea precamur attentius, ut Ecclesiæ Cantuariensi in miseriæ suæ solatium impetretis plenam reformationem primatus sui, et ut præcipiatur archiepiscopo et Ecclesiæ Eboracensi, ut nobis obedientiam tanquam primati suo exhibeant. Cum enim ejusdem primatus per vos confirmationem obtinuerimus, honor erit vobis et gloria, si plenum robur obtineat confirmatio a vodis impetrata. Ut autem charitas vestra aliquod habeat tribulationis nostræ solatium, noveritis quod Christianissimus rex fortunam nostram reputat suam. Valete.

EPISTOLA XXXVI.

AD EUMDEM.

D Missi sunt ad regem Angliæ nuntii multi, quorum omnium fuit labor infructuosus. Et quomodo novissimis istis, D. Gratiano et Viviano, opera et impensa perierit, si placet, ab ipsis referentibus potestis audire. Rex et sui nunc, ut semper, impedierunt pacem, cum ego et coexsules mei nuntiis sicut dominus Senonensis et episcopi, qui præsentes aderant, audierunt, usquequaque obtemperavimus. Et adhuc quidem, quantum salvo ordine meo et fidelitate Ecclesiæ Romanæ potero, regis et regni dignitates conservare et augere paratus sum. Sed auctore Deo nova et perniciosa fidelitatis forma exemplo mei in Ecclesiam Dei nunquam inducetur. Peto autem

ut mihi et meis ablata restituat aut satisfaciat, quæ gratis et absque causa resident penes ipsum. Nam et nuntiis et aliis pluribus palam confessus est, quod de toto tempore cancellariæ nec pecuniæ nec administrationis exigit rationem. Nec me tantum perturbant damna rerum, quantum perniciesexempli, quod coætaneos et posteros facile impinget in errorem et ausum similia attentandi, si pestis hæc impunita et irrequisita remanserit. Cætera, ne scripturam protrahendo vobis fastidium generetur, in ore pauperum Christi, qui diriguntur ad vos, posita sunt, quos, si placet, audite et exaudite pro Christo, cujus negotium prosequuntur, et date operam et diligentiam, ut Ecclesia debitam consequi valeat libertatem. Si vero præambulos Antichristi Londoniensem episcopum et Gaufredum Ridel ad curiam venire contigerit, sic eos tractate, sicut Antichristi membra tractari decet a christo Domini.

EPISTOLA XXXVII.

AD BOSONEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, BOSONI cardinali.

Indubitanter credimus, et verum est, neminem esse in curia, qui plenius vobis noverit, quantam fidem, obedientiam, et devotionem Cantuariensis Ecclesia sedi apostolicæ consueverit exhibere. Nam, ut taceamus de aliis decessoribus nostris, quorum doctrina, virtutibus et exemplis illustratur Ecclesia, qui jam miraculis, Deo meritis eorum respondente, coruscant, novissimus decessor noster, vester quidem amicus, et Romanæ Ecclesiæ devotissimus filius, bis a sede propria pro fide et obedientia exclusus est, rege Stephano hoc in eo persequente, quod contra prohibitionem ejus vocatus a domino papa Eugenio ad concilium Remense venerat, cæteris episcopis domi contra obedientiam remanentibus, exceptis tribus qui de mandato regis venerunt, ut aliorum absentiam excusarent. Alia autem, ut scitis, causa persecutionis ejus exstitit, quod contra prohibitionem Romanorum pontificum filium regis Eustachium noluit coronare. Quem aliorum episcoporum in tota insula nostra vidistis aut legistis se pro tuenda libertate Ecclesiæ, pro conservandis institutionibus Patrum, pro reverentia et obedientia sedis apostolicæ, præter Cantuarienses, se opposuisse principibus? Et nostra quidem ætate nec unus exstitit; et si veteres revolvantur historiæ, nullus occurret. Cantuariensem vero alii pro lege Dei fuderunt sanguinem; alii fundendum persecutoribus obtulerunt. Si vero consuetudines, aut potius abominationes, quæ exiguntur a nobis, decessoris nostri tempore viguissent, se, rege prohibente decessor noster ex causa obedientiæ non exposuisset naufragio, nec ei summus pontifex gratias, quas devotione meruerat, in pleno concilio retulisset: *Eo quod*, ut verbis ejus utamur, *natando potius, quam navigando ad concilium venerat.* Si perversitates hæc viguissent, utique post prohibitionem apostolicam coronasset filium regis, quoniam hoc fieri oportere decrevevat curia ejus. Nam et quosdam eorum, qui nos persequuntur, ille rex habuit hujus fomitis incentores.

Nonne recolitis quomodo ille, qui nunc Eboracensis est, Romam profectus sit, regis illius et procerum procurans negotium; ut quia Cantuariensem archiepiscopum non poterant flectere, saltem prohibitionis apostolicæ solutionem a domino papa Eugenio impetrarent? Sed quid nota revolvimus, præsertim in auribus vestris, qui tenetis memoriter illius temporis gesta, et fidem ac devotionem Cantuariensis Ecclesiæ non modo lectione librorum, sed visu et auditu plenissime didicistis? Hæc vobis devota semper exstitit, et auctore Deo nostris temporibus ipsius ad vos devotio non tepescet. Siquidem justum est, ut potius augeatur, cum a tempore Guidonis Pisani familiaritatem, personaliter contraxerimus, et nobis mediantibus amicitiam inieritis cum decessore nostro. Nobis autem propositum est, ut pro ætatis processu charitas invalescat, et si opportunum fuerit, cumulentur obsequia. Unde dilectioni vestræ supplicamus attentius, quatenus hæc ad domini papæ notitiam reducatis, ut cum cæteris aut præ cæteris dominis et amicis nostris impetretis ab eo, ne tradat bestiis Ecclesiam semper Deo et sedi apostolicæ famulantem, et nos cum illa in brachio extento eripiat de manibus eorum, qui quærunt animam nostram, ut auferant eam, et in depressione nostra totius Ecclesiæ perimant libertatem. Nam et rex Stephanus ab antecessoris nostri persecutione non destitit, antequam piæ recordationis dominus Eugenius, omni cessante appellationis obstaculo, in caput ejus anathematis, et in terram interdicti sententiam præcepit ab omnibus episcopis auctoritate apostolica exerceri. Lupus enim ab ovili facile non arcetur, nisi clamore canum terreatur et baculo.

EPISTOLA XXXVIII.

AD GRATIANUM PROTONOTARIUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus GRATIANO.

Impiorum molimina gratiæ filiis in finem nocere non possunt; quia Deus eos supra vires tentari non patitur, ad electorum utilitatem cuncta dirigens, et de singulis eventibus rerum profectum mirabiliter eliciens gloriosum. Et quidem fidem vestram respexit Dominus, qui moram magistri Viviani, et quidquid post recessum vestrum gessit in Francia, convertit in gloriam nominis vestri, vos in Deum constituens Pharaoni. Ex quo enim dominus rex Anglorum cognovit, quod cum domino Senonensi, cujus zelum timet supra quam dici possit, ad curiam revertebamini, et vos promptos animadvertit ad justitiam exercendam, illico per se et per suos præfatum Vivianum sollicitare studuit, ut rediret, promittens se ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiæ per eum pacem esse facturum, si ille procuraret, ut cum eo colloquium haberemus. Dicebat enim

se hanc illi velle impendere gratiam, eo quod morigerum senserat sibi, cum tamen magis absentia vestra, quam præsentia ejus, gratiæ Dei cooperaretur, et perurgeret ad pacem. In spe ergo pacis, sicut plenius innotescet ex litteris vocationis nostræ, accessimus ad colloquium, in quo quid actum sit, ex his quæ subscripsimus domino Senonensi et sociis nostris, facile discretio vestra perpendet. Timemus enim, ne si cuncta retexamus, prolixitas orationis fastidium generet, præsertim cum certum teneamus diligentiam vestram circa plurima occupatam. Sed sicut non potest Æthiops mutare pellem, aut pardus varietates suas, sic fallaciam et fraudem exuere nesciunt, qui ab initio vitæ usque ad ætatem maturiorem docuerunt linguam suam loqui mendacium, et ut inique agerent, laboraverunt.

Ut ergo magistri Viviani verbis utamur, hoc in tantarum promissionum summa inde reperit, quod rex ille præ cunctis mortalibus sophistice vixit et loquitur, ut Deo et hominibus debeat esse odibilis. Cessit tandem præfatus magister in sententiam vestram; et sicut ab eis accepimus, quibus fides adhibenda est, fallaciam regis apud S. Dionysium patenter arguit, et sicut audivimus, pecuniam, quam ei recessuro miserat, accipere recusavit, detestans duplicitatem et malitiam ejus. Ei quoque rescripsit increpatorias, exhortatorias, et comminatorias litteras, sicut nobis significatum est, quarum exemplum vobis jussimus præsentari. Quicunque vero familiaritatis initæ viderunt exitum, aut Vivianum loquentem audierunt, publice protestabantur solum ex omnibus, qui ad regem Anglorum missi fuerant. sapere Gratianum. Si Vivianus in curia consonaverit istis, ibidem illo auctore, velit, nolit, nominis vestri titulus clarius elucescet. Si partem, quam apud nos detestatus est, fovere ausus fuerit, dignus est cum proditore Christi ignominiosam suspendii subire damnationem. Speramus autem de illo viciniora saluti et honestati quia quantum deprehendere potuimus, et, qui nobiscum erant, et sicut indubitanter a multis accepimus, laudabiliter in extremis versatus est. Rei series vobis innotescet ex ordine. Vos, si placet, necessitates nostras et honestatem Ecclesiæ adhibita diligentia promovete. Nam si dominus papa, et Ecclesia Romana extenderit manum suam in retribuendo nobis citissime quies dabitur, et auctoritas Ecclesiæ Romanæ, tam in Anglia, quam in cismarinis terris regi Angliæ subditis, inflorescet.

EPISTOLA XXXIX.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Gratiano cardinali (30).

Gratias habemus benignitati vestræ multimodas super his, quæ nobis a merodi lectionis fonte prolata per latorem præsentium mandare curastis. Sciturus pro certo, quod si ad nos venissetis, sicut desiderabamus, omnimodum vobis honorem, quem possemus, cum exactissima diligentia, tum intuitu personæ vestræ, quam plurima dilectione amplexamur, tum intuitu devotionis, quam erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam habemus, vobis utique exhibuissemus, brevioremque etiam in partibus nostris transitum et tutiorem habuissetis, si ad nos venissetis, quanquam æmuli et invidi nostri, quasi ad detrimentum nostrum, se mutuo simul frueremur colloquio, aliter vobis persuaserint. Quo siquidem nobis nequissime defraudato plurimum dolemus. Rogamus tamen attentius cum quanta supplicatione possumus, quatenus de cætero, si placet, sub quadam dilectionis prærogativa personam nostram, sed et Ecclesiam Cantuariensem pietatis intuitu familiarem vobis habeatis, et patrocinium nobis in opportunitatibus nostris diligenter pro loco et tempore præstetis, miseratus saltem tribulationum et angustiarum nostrarum, quas pro parte aliqua, quanquam minima, jam novistis. Sciturus absque omni ambiguitate, quia neque mors, neque vita, neque instantia aliqua poterit nos separare a fidelitate domini papæ et Ecclesiæ Romanæ; etsi forte prius ipsa, quod absit! prorsus nobis defuerit. Valete, latorique præsentium, si placet, fidem habete super his quæ vobis ex parte nostra plenius viva voce intimaverit.

EPISTOLA XL.

AD EUMDEM.

Nullus præter vos ab Ecclesia Romana pro causa Ecclesiæ missus est ad regem Anglorum, qui eam non læserit, et cornua non dederit peccatori. Vos autem illam erexeratis, ut pax in brevi necessario sequeretur, nisi resumptis a curia viribus convaluisset iniquitas. Videbamur quidem nuper aliquid solatii recepisse in litteris domini papæ, sed auctoritas earum, antequam porrigerentur, evanuit, missis e regione litteris, quibus Satanas solutus est, ut liberius sæviat in Ecclesiam Dei. Absolutis enim, de mandato domini papæ, Londoniensi et Saresberiensi episcopis, omnes animati sunt, ut regis sequantur voluntatem, qui ita fautores suos, quamlibet criminosos, expedit, qui de sede apostolica sic triumphat, cujus nuntii contra Deum et justitiam ejus semper redeunt gloriosi. Bonorum contra consternantur corda, cum tam patentem et tantam iniquitatem videant in viis suis jugiter prosperari. Ecce quomodo punita est injuria vobis illata, et nuntiis domini papæ, ecce quomodo fidelitas nostra remunerata est, et Ecclesiæ Dei repressa calamitas. Ecce quomodo vindicatum est, quod Angliam nuper extortis juramentis ab obedientia domini papæ conatus est separare. Dei quidem miseratio est, quod

(30) Notabit lector Gratianum inter cardinales positum esse. Quod inde factum est quod Gratiani nomini in quibusdam manuscriptis cardinalis titulus adhæret. At Gratianus, ut puto, nunquam cardinalis fuit.

non potuit, quia malitia ejus ex contingentibus nihil omisit. Exsilium et proscriptionem nostram jam per sex annos protraxit curia : innocentes, miseri, pro libertate Ecclesiæ gratis in itinere perierunt, et persecutores Ecclesiæ spolia nostra cardinalibus et curialibus promittunt et largiuntur, et sic Barabbas dimittitur, et crucifigitur Christus. Creditores exhausti sunt, et si quos movebat miseratio exsilii nostri, visis his quæ fiunt a domino papa, mittuntur in desperationem. Sed et hæc in monte Dominus videbit, et judicabit fines terræ majestas illa terribilis, quæ aufert spiritum principum. Nos per gratiam ejus, sive vivi, sive mortui, ipsius sumus et erimus parati pro libertate Ecclesiæ exsilium, proscriptionem, et omnia mundi incommoda, quandiu ipse visum fuerit, sustinere. Utinam inveniamur digni, qui persecutionem pro justitia patiamur! Certe ob hanc causam non modo cardinalibus, qui Ecclesiæ auctoritate Ecclesiam impugant, nos, ut Domino placuerit, torquendos exponimus, sed, etsi totus mundus, quod absit! insurgat, ab Ecclesiæ fidelitate quam professi sumus, Deo miserante, non recedemus. Cui de cætero curæ sit et nostri misereri, et Ecclesiæ, quam apostolica sedes exponit, tueri libertatem. Nos ex proposito curiam non vexabimus, sed causam cedemus illis, quorum ibi acceptatur iniquitas, et qui venalitatem ejus prædicant, et cantitant in plateis. Parcentes autem reticemus quid, quibus ex causa mercimonii hujus donatum est, quid promissum. Nec dubium quin aliqui eorum, qui triumphatores redierunt, se non triumphasse maluerint. Vos autem, qui Ecclesiæ patrocinium in tanto periculo suscepistis, in bono perseverate proposito, non nostri, quid nihil posse permittimur, contemplatione, sed illius qui vestrum procul dubio in retributione uberi remunerabit obsequium, et nobis dabit, ut secundum quod volumus et debemus, dilectioni vestræ condignam officii vicem rependere valeamus. Interim vestri memores erimus ante Deum, et vos, si placet, affectione simili meminiretis nostri.

EPISTOLA XLI.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, domino Gratiano.

Experientiam rerum matrem et nutricem esse, philosophiæ celebris apud antiquos et vera sententia est, et ipsius Apollinis testimonio comprobata. Nec immerito, cum expertus quisque de rebus, in quibus versatus est, possit fidelius judicare, et inexperti de rebus incognitis sit plerumque vana et fraudulenta imaginatio. Quæ idcirco præmiserim, ut vel nunc animadvertatur, quanto periculo Ecclesiæ et meo, aut potius apostolicæ sedis, cujus privilegia non sine multo et ejusdem discrimine tueri aggressus sum, dominus papa mihi exspecto credere noluerit, qualiter sibi et Ecclesiæ Dei agendum esset cum domino rege Angliæ. Ecce enim ut facta est

A vox nuperrimæ comminationis apostolicæ in auribus ejus, qua constitit ipsum reponendum esse in conditione Frederici dicti imperatoris, et terram ejus subjiciendam esse interdicto, et mandati prævaricatores episcopos suspendendos et excommunicandos, illico ad honorem Dei et Ecclesiæ, ut ex conditionibus insertis pacto concipi debuit, utilitatem, pacem fecit, cujus formam ex litteris domino papæ missis planum est intelligere. Nec dubium, quin infra duos primos exsilii nostri annos eam fecisset, si eum ab initio hac via aggressus esset dominus papa, aut quos ad ipsum destinavit in primis habuissent spiritum nostrum, quid enim rex potuisset in illos, cum perpetuo verum sit: *Nec speres aliquid, nec extimescas, exarmaveris impotentis iram?* B Aut quid tentavit in vos, quem nec prece, nec pretio, nec blanditiis, nec minis, aut quibuscunque sollicitationibus deflectere potuit a via recta? Verum quia Romana Ecclesia, quod pace omnium in aure vestra dixerim, posuit firmamentum suum formidinem, aut res captat, aut personas accipit, et auctoritate, qua præeminet, iniqua gerentibus non occurrit, propterea flagella Dei gravia, et toti mundo vix portabilia veniunt super eam, ut instabilis facta fugiat a facie persequentis, et in tribulationibus vix subsistat. Sed apud quem rectius ista deplorem, quam apud eum, qui a præfactis vitiis per gratiam Dei immunis solis miseris compassus est, et solatium tulit, et tanto regi et omnibus complicibus suis in faciem restitit, eo quod erat reprehensibilis, C et gratis et nimis impugnabat Ecclesiam? Et quia strenuitas vestra Cantuariensem Ecclesiam protexit in adversis, par est et merissime consentaneum æquitati, ut se patrocinio et voluntati vestræ subdat in prosperis.

Vestrum erit quod placuerit dictare prece vel jussu, quia in nostro, mei dico et meorum proposito est, vestris obtemperare mandatis. Ex sinceritate ergo conscientiæ vestrum affectamus obsequium, ad vos latorem præsentium destinamus, tam ipsum quam petitiones, quas per eum domino papæ porrigimus, dilectioni vestræ affectuosius commendantes. Hoc autem certo certius sit, et per vos innotescat domino nostro, quia si in omnibus articulis causæ nostræ, aut potius suæ, eumdem rigo-
D rem exercuisset, regem ad satisfaciendum de omnibus facile potuisset urgere. Quæ scienter hic, et de industria reticentur, nuntius, Deo propitio, viva voce supplebit. Provideat etiam vestra discretio, ut urgentiores et efficaciores litteræ, quas dominus noster pro Ecclesia regi Anglorum transmisit, registro inserantur; quia posteris magnum incitamentum virtutis est, quoties eos animaverint exempla majorum. Ad negotium vero nostrum spectantes, litteras quas accepimus, remittimus vobis, ut si forte editorum exemplaria desint, ea mutuare possitis a transcriptis.

EPISTOLA XLII.

AD HENRICUM PISANUM PRESBYTERUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, HENRICO presbytero cardinali.

Si vobis aliter locutus fuero,quam animæ meæ, in me ac vos æque videbor injurius, et neutri satis fidus. Nam quod sæpe expertus sum, salus mea et Anglicanæ Ecclesiæ incolumitas de vestro post Deum pendet consilio. Licet autem affectus sit plurimus ad vos, et in vobis confidentia multa, verba tamen multiplicari non expedit, quorum paucitas sufficit sapienti, præsertim cum et opem ferre necessitatibus amicorum soleat charitas non rogata. Ex litteris, quas domino papæ mittimus, et nuntii relatione, qui frater est religiosi sacerdotis incarcerati, in quo calculo causa nostra, imo certe vestra, et B totius Ecclesiæ Dei versetur, facile advertetis. Vestræ erit de cætero providentiæ tantis obviare morbis, tam sceleratos et pestiferos consilio et auxilio prævenire, et evacuare conatus. Distulimus in regem anathematis, quam meruerat, et continuis jugiter provocat injuriis, ferre sententiam; sed ipse, dum manus violentas injicit in sacerdotes Christi, ecclesias possessionibus spoliat et libertate, in caput suum intorsit anathema. Canon enim nec potestatem excipit nec primatum, sed pariliter peccantes pari condemnationis pœna percellit. Nisi forte leges ecclesiasticas civilibus comparandas censeatis et vos, quæ sicut Anacharsis conqueritur, aranearum assimulantur telis, quæ muscas impediunt et retinent, sed diruptæ volatilia grandiora C transmittunt. Hoc est enim quod judicibus ecclesiasticis improperat Dominus, ut fere cum gentibus dicant:

Et tantum miseris irasci numina possunt?

Sed non ita lex Domini, quæ ultionem inchoat a sanctuario suo, et in eos, qui præsunt, durissimum exercet judicium, et potentes dictat potenter puniendos. Cum Madianitibus fornicatus legitur Israel, et principes pœna criminis percelluntur. Ait enim Dominus: *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis.* Et cum animam, quæ peccaverit, justitia mori decernat, ut nec pater filii, nec filius iniquitatem patris potet, qua transpositione divinæ legis efficitur, ut potestates comedant uvam acerbam, et obstupescant dentes privatorum, D ut potens solvatur in crimine, et innocentia pauperis supplicio addicatur? Fidem, quæso, nuntiis habeatis, et operam detis et diligentiam, ne presbyter clericus Willelmi Papiensis promissionem veram nuper fecerit regi Angliæ, pollicens ei quod dominus suus, legatione accepta, causam Ecclesiæ, quam fovemus, ad regis diffiniet voluntatem. Certum vero sit, quod nos personam nostram vel causam Ecclesiæ non credemus nisi judicio domini papæ, cui Ecclesia Anglicana stabit, aut cadet. Stabit autem per misericordiam ejus, in quo fundata est, et cujus est redempta sanguine. Meminit vestra discretio, qua sinceritate quidam nobiscum ambulaverint, ut A illorum judicium ex justa causa possimus declinare.

(*Vide etiam epistolam, quæ incipit*: Satis superque etc., *ad Conradum Mog. arch. una cum Sabino, Henrico et Hyacintho cardinalibus directam.*)

EPISTOLA XLIII.

AD HUGONEM CARDINALEM DE BONONIA.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus HUGONI cardinali de Bononia.

Gratias agimus dilectioni vestræ super amore, quem nobis et nostris semper exhibuistis, desiderantes ut devotioni vestræ valeamus, auctore Domino, pro meritis respondere. Et quia ex præcedentium exhibitione bonorum de vestra gratia plenam fiduciam obtinemus, rogamus attentius, quatenus contra persecutores ecclesiasticæ libertatis et sedis apostolicæ hostes, qui apud nos Dei auxilio jam fere consumpti sunt, exsurgatis in adjutorium nobis; quia fidelium spes est salutem Ecclesiæ esse in januis, si dominus papa totius malitiæ incentorem episcopum Londoniensem et complices suos, quos exigentibus culpis excommunicavimus, severitatis apostolicæ corripuerit gladio. Nec oportebit graviorem ulterius exercere vindictam, si nos permiserit pestilentiam membrorum curare languorem, et putrida, quæ curam non admiserint, resecare. Valete.

EPISTOLA XLIV.

AD HUMBALDUM OSTIENSEM EPISCOPUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, Humbaldo Ostiensi episcopo, salutem et promptum cum reverentia famulatum.

Sanctitati vestræ, quam in templo Dei columnam veneramur immobilem, dignum duximus aperire, quot et quantis oppressionibus Ecclesia Dei laboret in partibus nostris, et quam periculosam tam in nobis, quam in aliis membris suis ærumnam sustineat. Ad hoc vobis plenius intimandum mittimus magistrum Henricum, fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium, nostrumque familiarem, rogantes ut verbis ejus fidem adhibeatis, tanquam ex ore nostro procedentibus. Necessaria nobis est vestri consilii festinata responsio, et cum de die in diem super nos indebitarum exactionum, imo sacris canonibus et ordini nostro penitus adversantium, invalescat insolentia, ad vos post Deum confugimus, aliud refugium non habentes. Valeat memor nostri sanctitas vestra.

EPISTOLA XLV.

AD EUMDEM ET HYACINTHUM

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, Humbaldo episc. Ostiensi et Hyacintho cardinalibus.

Nos alii verbis, sed vestra rebus et operibus benignitas consolatur. Doluistis vicem nostram, et calamitem Ecclesiæ, et pauperum Christi coexsulantium nobis angustias sic habuistis, ut vestras. Præmia fraternæ charitatis et veræ compassionis fructum vobis in illa die retribuet justus Judex, qui misericordibus in gratia uberi misericordiam pollicetur. Non abiistis post aurum, quo nuper ac

læsionem nostram, et apostolicæ sedis confusionem capti sunt quidam, quorum patrocinio receptis litterris apostolicis, quas lectitari facit in utriusque regni compitis, rex Anglorum se de Romana Ecclesia gloriatus est triumphasse. Nec immerito. Voti siquidem compos effectus est, et nunc in Ecclesia Dei, nemine contradicente, pro libito debacchatur, sperans, quod Deus avertat, dominum papam vel me pro voto suo interim moriturum. Nihil enim est, quod magis desideret, quam alterutrius mortem. Invitatis ad patientiam, sed hanc jam quadriennio habuimus in passionibus maximis expositi cum coexsulibus nostris, in fame et siti, in frigore et nuditate, ad omnem impetum fortunæ, sævientis. Quis enim coexsulantium infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Sed quod gravius cruciat, Ecclesiam in miserabilem redigi servitutem, sine mœrore nec videre nec eloqui possum. Patior itaque, sed invitus, quia compatior, et utinam compatiantur domini nostri cardinales, qui omnes patientiam prædicunt, sed alii de virtutis conscientia, alii ad culpæ suæ dissimulationem. Novit utique Dominus qui sint ejus, et Ecclesia jam sentit ex parte, qui non sint ejus. Nam rex Anglorum prædicat, qui sui sint, nec tacitum est quod et quibus erogatum sit aurum, sed munera ejus spolia nostra, spolia pauperum Crucifixi, imo ipsius Christi spolia sunt, imo minima portiuncula spoliorum. Quid ergo eis qui tyrannorum manibus Christum spoliant respondebit in illa die, quando vivos et mortuos judicabit, singulis et universis testimonium conscientia perhibente? Nec hæc dicta credantur, quod alius patientiæ terminus esse debeat, quam corona, vel quia nos exsules et proscripti Christi in causa ejus non disponamus ante mori, quam vinci, sed quia necesse habemus nostro et aliarum dominum, et amicorum consilio in tantis angustiis sublevari. Nam qui nostræ potestatis suspensionem in arbitrium regis Anglorum contulit, scilicet donec redeamus in gratiam ejus, nobis omnem pacis præcludit viam. Invitaverat nos per comitem Flandrensem ad colloquium suum, sed cum ei nuntii sui rescriptum hoc apostolicum porrexissent, adeo elatus est, ut Deum et homines pari furore contempserit, sed præ cæteris Romanos. Placeat itaque dilectionis vestræ, quam Deus necessitati Cantuariensis Ecclesiæ patrocinari disposuit, impetrari a domino papa per vos et alios amicos Dei, ut aut suspensionem hanc solvat, aut terminum coarctet scribens regi Francorum, etc.

EPISTOLA XLVI.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis HUMBALDO Ostiensi episcopo.

Clarissimi oratoris præclara sententia est: quod primo decipi incommodum, secundo omnino stultum; tertio, turpe. Sed utinam nuntii regis Anglorum, dolis et minis armati, sedis apostolicæ religio-

A nem ter quaterque non elusissent, si tamen de circumventione queri possunt, qui scientes et prudentes per dissimulationem criminis publice peccantibus delinquendi audaciam præstiterunt. Quomodo enim potuit Ecclesia Romana, quæ in universum orbem providentiæ suæ oculos circumducit, et ad quam provinciarum negotia referuntur, ignorare, quod lippis et tonsoribus notum est, quod in plateis prædicatur, quod cantitatur in compitis Ascalonis? Proscriptionem meam et meorum jam quinquennio pertuli, ad vos tam Ecclesiæ quam propria, deploravi injurias, coexsulantium mihi funera in Christo, pro quo passi sunt, dormientium partim vidistis, et plura audistis. Et tamen regis Anglorum, cujus in depressionem Ecclesiæ et sanctorum conculcationem
B manus extenta est, furor nondum cohibetur a vobis. Ubi quæso, pater, vestri sacerdotii zelus, quo se patriarchæ, prophetas, apostoli, et apostolici viri principatibus et potestatibus opposuerunt pro domo Domini, stantes in prælio in die discriminis, et per fidem regna vincentes? Nunquid hæc scripta sunt, ut fabulæ sint narrantium, non exempla morum et forma vivendi? Hæc enim prædicatorum volvuntur in ore, sed, quod sine rubore et dolore non eloquor, quod vita convincit, non habentur in corde; aut certe se retinentur in conscientia, quasi quædam in animo scribuntur justissime eorum, qui bona docent et non faciunt, damnationis argumenta.

Et quidem mihi præ cæteris timeo, ne sanguis Ecclesiæ tandiu, et tam atrociter, et palam afflictæ,
C et adhuc inultæ, cito requiratur a me: eo quod in brevi stabimus omnes ante tribunal Christi, sine acceptione personarum reddituri rationem de operibus et dissimulationibus nostris. Sed regem quod ratio exigebat, ut convinceretur malitia ejus, voluistis sæpius commoneri, et commonitus est per litteras et nuntios extraneos, per subdiaconos, per cardinales vestros, per episcopos, per abbates, et nunc tandem in fine anni quinti quasi peremptorio edicto per dominum Gratianum, et magistrum Vivianum, et semper facta sunt novissima ejus deteriora prioribus. Referet hoc dominus Gratianus, qui in tanta sinceritate et maturitate versatus est in hoc negotio, ut Dei et hominum magnam gratiam debeat meruisse. Nec per eum stetit, nec per nos, quod pax reformata non est. Sed quia rex modo ait, modo
D negat, et versibilitate Protea vincit, Gaufredus quoque archidiaconus jam fere factam impedivit pacem, persuadens regi, ut nulla ratione componeret, nisi extorta obligatione servandarum consuetudinum, quas ut facilius obtineat, favorabiliori nomine nuncupat *dignitates*. Ego vero concedo, et gratum habeo, ut salvo ordine meo valeant et vigeant omnes regis et regni dignitates. Sed ut observantiam earum jurem, non acquiesco. Quippe qui nec canones, nec Evangelii mandata me impleturum jurare præsumo, nec populum terræ juramento hujusmodi video coarctatum. Labora adhuc, ut ablata restituere, vel pro his satisfacere non compellatur, quod evidenter

injustum est, præsertim cum ipse palam confessus sit, quod ei de administratione cancellariæ non teneor. Nuntii supplebunt plura, quos, si placet, clementer audire, et petitiones nostras more solito promovere dignemini. Valeat dominus, et Pater meus.

EPISTOLA XLVII.

AD EUMDEM

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus Ostiensi episcopo HUMBALDO, postea papæ.

Sæpe quidem cogimur in vestræ sanctitatis auribus ærumnas nostræ miseriæ deplorare; quia illæ supra numerum et modum multiplicatæ sunt. Et præter vos nullus est, vel admodum rarus, qui nos consoletur in tanta tribulatione, aut spem solatii repromittat. Taceantur ad præsens, quæ sustinuimus funera propinquorum, sacerdotum Christi cædes et vincula, feralis edicti atrocitas, quo sævitia Herodiana sine miseratione conditionis, ordinis, ætatis, et sexus exterminavit et proscripsit omnes, qui ex quacunque causa venerant in suspicionem, quod ad nos essent habituri charitatem, aut servaturi Deo et Ecclesiæ ejus fidem. Et ut diuturnitate cruciatus circa cruoris invidiam Herodis vinceretur immanitas, vagientium cunas relegavit, a matrum seu nutricum sinibus avulsit parvulos lactentes et sugentes ubera. Nam quo magis protrahitur, acerbior est vis doloris, quantalibet pœna in momentum contracta mansuescit. Sufficere debuerat persecutori nostro, quod hactenus impune torsit Ecclesiam, quod nos et nostros sic afflixit exsilio et proscriptione quinquennii, exspectantes ut eum patientia nostra ad Pœnitentiam provocaret. Antiquæ, si placet, revolvantur historiæ, veterum tyrannorum recenseantur gesta, nascentis Ecclesiæ percurrantur annales, nec facile occurret in omnibus persecutoribus ejus, qui sic unum hominem fuerit persecutus, ut tantam innocentium stragem tot exquisitis artibus studuerit adimplere. Cum ergo ipsorum testimonio tam evidens sit propositum ejus, qui licet, ut dictum est, tanta aviditate sitiat sanguinem nostrum, avidius tamen appetit Ecclesiæ perimere libertatem, et auctoritatem apostolicæ sedis a finibus sedis exterminare; mirabile est in oculis omnium sapientium timentium Dominum, qua ratione eum tandiu Romana Ecclesia sustinuerit, qua patientia audierit tot injusta et enormia postulantem, cum illa divinitus instituta sit eradicare et disperdere omnem potestatem et altitudinem extollentem se in injuriam et contumeliam Christi.

Parcere subjectis, et debellare superbos,

fuit gentilium eminentia Romanorum: et certe Christi doctrina superbos humiliat, et exaltat humiles. *Ecce*, inquit, *constitui te super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.* Nunquid apud Petri successores, Christi vicarios, debet esse acceptio personarum? Hæc utique non est apud Deum, qui unicuique tam principi quam plebeio respondet ad meritum. Quænam gloria est apud Deum, vel apud homines, pauperioribus jura decernere, et potentiores a maximis flagitiis et multis nulla juris auctoritate coercere? Certe vera justitia potentes potenter punit, et in his qui præsunt, gravissimum exercet judicium. Quis unquam Romano pontifice sciente et vidente tanta licentia abusus est Ecclesiarum bonis, quanta nunc abutitur rex Anglorum? Ecce jam quinquennio possedit episcopatum nostrum, et omnium nostrorum bona: item Lincolniensem, Bathoniensem, Herefordensem, Eliensem episcopatus redegit in usus proprios. Landavensis Ecclesiæ possessiones fere omnes distribuit militibus suis. Bangorensem, quæ jam fere decennio episcopum non habuit, non patitur ordinari. Quid de abbatiis dicetur, quas detinet? Nam illorum numerus incertus est. Et hoc quidem se licenter facere gloriatur jure consuetudinem, quas Ecclesia Romana, ut omnium vestrum pace dictum sit, ab initio publice debuerat condemnasse cum auctoribus et observatoribus suis, tanquam Deo inimicas et contrarias perpetuæ legi. Si eis, Pater, voluissemus dedisse locum, nihil prorsus dispendii nobis provenisset aut nostris. Et adhuc si cedere voluerimus, ad omnem familiaritatem et gratiam regis, et totius regni dominium expeditissima patet via. Sed absit! ut propriæ utilitatis commercio publicam prodamus Ecclesiæ libertatem, sedis apostolicæ privilegium convellamus ab Ecclesia et pro temporalium compendio subeamus dispendium æternorum. Et quia nolumus Ecclesiam dejicere, dejectionem nostram rex quærit a vobis. Quia legem Dei transferre nolumus, ut ei succedat iniquitas tyrannorum, quærit ut nos citra necessitatem, præter utilitatem, contra auctoritatem ad aliam Ecclesiam transferamur. Quia vero vocantem ad iniquitatis consortium sequi nolumus, petit nos evocari a vobis, ut in transitu possit nostri sanguinis cum iniquitatis suæ consortibus qualecunque exercere commercium.

Quid enim aliud sibi vult, quod Mediolanenses, Cremonenses, et Parmenses in exterminium nostrum mercede corruptos sollicitat? Quid Papiensibus aut aliis Italiæ civitatibus nocuimus unquam, ut nostrum exsilium procurarent? In quo læsimus sapientes Bononiæ, qui nec sollicitati precibus et promissis, perniciei nostræ, quam causam audierant, voluerunt dare consensum? Certe nos Robertum de Basevilla non proscripseramus, et tamen sollicitationibus inductus est, ut nostram apud vos perpetuaret proscriptionem. Dolo tamen postea cognito, pœnitentia ductus rogavit, ne ipsius injusta petitio audiretur. Ricardus Syracusanus electus, corruptus accepta spe Lincolniensis episcopatus, persecutores nostros juvit opibus, armavit consilio, viribus roboravit. Nam et ipsi regi Siculo, intra cujus fines modo consistitis, ut eum caperent in perniciem Ecclesiæ et

nostram, filiam regis Angliæ copulandam in matrimonium promiserunt. Nonne frangentes panem, et familiam leoninam, et gentem latronum et alios Romanos potentissimos, quasi castra conductitia adduxerunt, ut non tam flecterent, quam frangerent Ecclesiam Romanam? Sed et pacem imperatoris et Saxonum repromittunt. Et quod omnes Romanos data pecunia inducent, ut faciant fidelitatem domino papæ, dummodo in nostra dejectione regis Angliæ satisfaciat voluntati. Patet quam securum transitum, quam jucundum commeatum nobis diligentia hominis præparabat. Profecto non satis curabat, unde satisfieret creditoribus nostris, unde sociis, si quis tamen inveniri posset, ad procinctum itineris necessaria ministrarentur, unde sumptus itineris procederent, et solatia proscriptæ multitudinis quæ post quinquenne exsilium egens et afflicta erat in tantis calamitatibus deserenda. Eadem sane diligentia procurantium hæc, quoniam regis nomen in hanc suspicionem deducendum esse non credimus, poterant hospitum utensilia toxicari, et difficile est vitam servare incolumem, cui insidiatur is, qui jus habet in familiam totam. Et ne in hac parte schedula protrahatur et verba, quoad vita comes fuerit, nos pro nulla unquam vocatione tot et tantis periculis ingeremus. Nam si quis ex quacunque causa mortem non detrectat, vitam facilius poterit ferro vel laqueo terminare.

Nuper autem misit idem rex nuntios suos, episcopum videlicet Sagiensem, et Gaufredum Cantuariensem archidiaconum, ad Christianissimum regem sollicitans eum precibus et promissis, ut nos ejiceret de terra sua. Sed vir Deo plenus respondit se hoc jus hæreditarium ab antecessoribus contraxisse et semper fuisse consuetudinis regni Francorum, ut omnes pro justitia exsulantes benigne recipiat, et eis debitæ humanitatis solatia impendat. Et dixit se nunquam tam laudabilem hæreditatem, et Deo gratam ex causa qualibet deserturum. Adjecit etiam, quod nos receperat de manu domini papæ, quem solum in terris habet dominum, et ideo nec pro imperatore nec pro rege, nec pro aliqua mundi potestate dimissurum, quin foveat nos et causam nostram, quandiu necesse fuerit quoniam Deus, nobiscum est, et pro tuenda lege ipsius tot injurias et damna sustinemus. Hoc responso confusos dimisit et nobis, quod ei Deus retribuat, solito benignior et liberalior est, licet benignus et liberalis semper exstiteris. Dicit autem se probaturum in causa nostra sinceritatem et vigorem Ecclesiæ Romanæ, et veritatem domini papæ, cujus fidem et constantiam in eo commendat plurimum, quod regem Angliæ in petitionibus injustis ab eo, gaudet esse repulsum. Si tamen vera sunt, quæ audivit a rumigerulis, et dominus papa perseveraverit in eo quod ei promisit nobis. Sunt in parte adversa, qui nos ablatorum restitutionem petere dissuadeant, et si forte de pace agendum fuerit, omnia perfunctorie pertransire, non attendentes quam periculosum esset exemplo, A cum lucro succensa cupiditas hinc animari possit, ut pro libitu releget et proscribat episcopos, et tandem in gratiam Ecclesiæ redeat, si quacunque jactura illius qualemcunque fecerit pacem. Nam hujusmodi dissimulatio cupidas incendit potestates, et perversis hominibus præstat audaciam delinquendi. Meliusque nobis esset non fuisse natos, quam Ecclesiam induxisse pestem tam perniciosi exempli: præsertim cum illi facile sit damna rerum immunitatibus, privilegiis, et possessionibus incultis, et aliis beneficiis nostro præeunte consilio ex parte maxima compensare.

Neque hoc, si dominus papa nobis astiterit, difficile est extorqueri. Quia licet prætendat minas, totus terrore concutitur, ex quo contumaces episcopos, et B alios malitiæ suæ complices, et satellites iniquitatis, Satanæ tradi vidit in interitum carnis. Nam si isti contriti fuerint, citius et facilius perdomabitur, et fulgura ejus in pluviam convertentur. Expertis credite, qui novimus hominis mores, qui portavimus pondus diei et æstus, nec adhuc pro Domino et Ecclesiæ libertate formidamus congressum, credite, inquam, quia ejus ingenii homo est, ut non possit nisi suppliciis emendari. Et quia totius malitiæ ejus incentor episcopus Londoniensis, qui nuper in tantam prosiliit impudentiam, ut dixerit se Cantuariensi Ecclesiæ, cui professionem fecit, nullam, ex quo translatus est, debere obedientiam; gloriatur etiam, quod cathedram archiepiscopalem ad Ecclesiam Londoniensem transferri faciet: necesse est tantæ C iniquitatis caput conteri, ut Anglicana Ecclesia convalescat. Opposuerunt se illi nuper scissuram Ecclesiæ molienti fratres et coepiscopi nostri, ad quos subvertendos de cismarinis partibus regis officiales attraxit, ut per eos affligantur, qui cum ipso accipere characterem bestiæ non acquieverint. Placeat itaque dignationi vestræ, quam in Cantuariensis Ecclesiæ patronatum dominus suscitavit hæc ad mentem domini papæ reducere, et pro more vestro confirmare in subventione Ecclesiæ fratres vestros, et impetrare, ut per nostrarum tolerantiam passionum acquirat apostolica sedes Anglicanæ Ecclesiæ libertatem. Nam mori præelegimus in exsilii acerbitate pro Domino, quam videre Ecclesiam exsecrandis tyrannorum traditionibus profanari, et divinæ legis evacuari vigorem. Date veniam, quia verba D protrahere protracta cogit necessitas, et nonnulla pars solatii est in aure dulcissimi Patris et piissimi domini proprias effundere calamitates. Siquidem:

Dulce loqui miseris, veteresque reducere questus.

Et ut hæc sæpius ad memoriam reducatis, vestris provoluti pedibus affectuosius imploramus. Valeat semper sanctitas vestra, nostri memor ante Deum.

Hæc sunt nomina excommunicatorum, qui incorrigibiles et contumaces inventi, denuntiati sunt secunda denuntiatione: Gaufredus Cantuariensis archidiaconus, Robertus vicarius ejus, Ricardus de

Ivelcestre, Ricardus de Luci, Willelmus Giffard, A Adam de Cheringis.

EPISTOLA XLVIII.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, Ostiensi episcopo.

Sicut ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant, sic ad agendas pietati vestræ gratias flexis genibus mentis debemus accedere, ut per vos in ministerio Ecclesiæ roboremur, qui a vestra miseratione post Deum vires accepimus, ne caderemus in manu hostili. Amici nostri et proximi nostri steterunt contra nos, persecutorum gladios acuentes, et ut nos confunderent et contererent, etiam sub ipsis facti sunt in arcum pravum. Sed fides vestra in camino tribulationis nostræ et pressura Ecclesiæ semper examinata clarescit, et charitas non querens quæ sunt, sed quæ Jesu Christi, a Patre misericordiarum obtinuit pacem, quam mundus dare non poterat, aut sperare. Nos enim ad dominum nostrum regem Angliæ in humilitate debita accedentes, cum eo fecimus pacem cujus tamen tota substantia subsistit in spe, sed quæ auctore Deo non confundet. Nam ut res sequatur, qui cœpit, ipse perficiet. Instabant aliqui eorum, etiam qui columnæ Ecclesiæ videbantur, ut nos et totam causam Dei conferremus in arbitrium ejus, sed a nobis, Deo propitio, nec obtentum est nec obtinebitur, ut quæstionem damnorum, quæ Ecclesiæ Dei et nobis illatæ sunt, aut querelam consuetudinum, imo potius abusionum, aut divinæ legis, velint, nolint principes fidelibus observandæ custodiam in arbitrium hominis conferamus. Quantalibet enim potestas divinitus ordinata minor est eo, qui instituit eam, et impœnitentibus peccata dimitti non posse perspicui et perpetui juris est. Et si res ablata ab eo, qui solvendo est, non reddatur, constat pænitentiæ veritatem non exhiberi, sed exerceri figmentum malitiæ mendacio palliatæ, aut, ut verius dictum sit, bis pollutæ. Error siquidem pristinus perseverat, et nova fraude calcatius cumulatur. Cætera supplebit nuntius, quem et petitiones, quas per eum domino papæ porrigimus, paternitati vestræ desideramus attentius commendari et promoveri.

EPISTOLA

AD HYACINTHUM DIACONUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, HYACINTHO cardinali diacono, salutem et cum summa devotione reverentiam.

Inundaverunt mala super capita nostra, contumeliis et injuriis supra modum afficimur, saturati sumus opprobriis : et qui insurgunt in nos forte vivos deglutissent nos, nisi quia ad summi consilii angelum et sanctam Romanam Ecclesiam confugimus, in qua post Deum spei nostræ summa consistit, a qua si, quod Deus avertat, ceciderimus, omni consilio destituti, quid nobis agendum sit, penitus ignoramus. Ut igitur eorum, quæ patimur, seriem plenius cognoscatis, mittimus ad vos magistrum Henricum, fidelem et familiarem nostrum et vestrum, ex cujus relatione status nostri miseriam perpendere poteritis. Et, si placet, credite ei in his quæ ex parte nostra vobis dixerit, tanquam si ex ore nostro audiretis. Non differat, quæso, vestra discretio suum nobis aperire consilium, quoniam in arcto positi sumus, et a vobis, in quo maximam habemus fiduciam, tanquam amico nostro præcipuo et patrono, solatium exspectamus. Valeat, et compatiatur nobis sanctitas vestra.

EPISTOLA L.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, HYACINTHO B diacono cardinali.

Ecclesiam Anglorum et nos posuimus in manibus vestris, ut profectus noster ad vestram, de cujus ope nitimur, gloriam esctissime referatur, et desolatio nostra ad vestrum spectet dispendium, qui nos et nostra vestræ affectione promptissima devovimus voluntati. Persecutores Ecclesiæ eatenus in malitia processerunt, ut ultra progredi nequeant, sed velint, nolint deficient in se ipsis, nisi eis Ecclesia Romana in perniciem suam dederit vires. Fulmina eorum in tonitrua convertentur, et turbo ventositatis hujus facile solvetur imbre. In brevi futurum est, auctore Deo, ut viceritis, dummodo citam et certam possitis exspectare victoriam, Mementote Pompæi vestri, quem Cæsar itidem vester insuperabilem esse dicebat, si tam bene sciret vincere, quam bene noverat C pugnare. Egerat prima rex Angliæ, ut ad sedem apostolicam nulla fieret appellatio, suam schismatis cum schismaticis posuit portionem ministerio, imo perjurio Joannis de Oxeneford, qui nunc vestris audet apparere conspectibus ; sed eo nunc perductus est, ut coactus sit confugere ad sedem Petri, et domini papæ invocare nomen, quod ante inhibuerat invocari. Et quidem ad Ecclesiam Romanam recte confugeret, si declinaret injuriam, non inferret ; si devotionem præsentaret Ecclesiæ, et non ipsius quæreret subversionem ; si non plus noceret fictas amicitias et falsum spondens obsequium, quam nocuerit manifestum professus inimicum. Ecce dulcissime Pater et Domine, modo apparebit, qui viri sitis. Reducite ad mentem, quoniam

D *Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps:*
Ne vos decipiant animi sub vulpe latentes.

Si quid unquam vestri contemplatione compendii in dispendium Ecclesiæ feceritis ad preces ejus vel munera, ipsemet in confusionem vestram, et apostolicæ sedis opprobrium, more suo præconabitur istud, et quod nunc sæpe et multis dicere consuevit scilicet omnia Romæ esse venalia, tunc passim prædicari faciet super tecta. Utinam solus audissetis, quæ locutus sit de legatis illis quos recepit et etiam de illo quem simulat se amare, et quem denuo dicitur petiisse legatum ! Solus, inquam, ut probra solutioris linguæ stultorum et credulorum

non infecissent aures. Benigne, si placet, suscipite nuntios nostros, per quos cætera audietis. Et compatimini sacerdoti, quem post illam, quam dicunt, appellationem capi violenter fecit, et conjecit in carcerem, cum postea non debuerit contra nos aut nostros aliquid innovare, si appellati sumus, imo qui eo præsente appellavimus, et jam biennio exspectantes sententiam postulamus. Advertite qualiter ecclesias possessionibus et libertate spoliaverit, qua immanitate nos persequatur et nostros pro libertate Ecclesiæ, pro fidelitate sedis apostolicæ patientes, et paratos pati adhuc pro viribus, quas nobis Deus contulit. Presbyter, clericus Willelmi Papiensis, nuper promisit regi Angliæ, quod ad voluntatem ejus definiet dominus suus causam instam, accepta legatione. Sed certum sit, quod nos nec personam nostram nec causam Ecclesiæ credemus ei, cujus affectionem ad nos et regem pridem satis experti sumus. De vultu domini papæ judicium istud prodiet, cui Ecclesia stat aut cadit. Stabit autem per misericordiam Dei, et auxilium et consilium vestrum.

EPISTOLA LI.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Hyacintho cardinali.

Quanto magis de vestro sinceritatis dilectione confidimus, tanto confidentius in negotiis nobis et ecclesiæ nobis commissæ emergentibus ad vos, sicut ad unicum et extremum suffragium recurrimus. Inde est, quod de vobis, sicut de amico specialiter dilecto, indubitatam obtinentes fiduciam sinceritati dilectionis vestræ ad memoriam reducimus, vos dignanter nos et ecclesiam nostram, imo vestram potius, sub vestra protectione admisisse, dignitates cujus et jura illibata servare nunc temporis necessarium est, et plurimum nobis et vobis expedit operum exhibitione demonstrare. Exhibitio enim operis, probatio est dilectionis. Nos igitur dilectionem vestram modis quibus possumus attentius exoramus, quatenus dignitates, libertates, et jura Ecclesiæ nostræ intacta et illibata conservari, studio et prudentia vestra sollicite procuretis. Sed de his hactenus.

Ecce, domine mi, litteras domini Papiensis, quas in initio adventus sui, non penitus pompositatis gloria carentes, nobis destinavit, has equidem poteritis inspicere, nec eas, ut credimus, nota cujusdam jactantiæ invenietis omnino carere. Ejus vero adventum sperabamus nobis consolationem conferre et pacem qui potius nobis contulit desolationis augmentum, quam consolationis auxilium. Jactitat enim dominum papam ipsum in terram regis Angliæ misisse principaliter ad terminandas quæstiones, quæ inter nos et regem vertuntur, sicut Ecclesiæ Dei viderit magis expedire. Non credebamus, nec penes curiam Romam hoc promeruimus, ut ipsius subjiceremur arbitrii judicio, quem curiæ universitas nobiscum pariter bene novit nostrum esse inimicum et ecclesiæ nostræ, necnon et hostem plusquam manifestum. Sed nos ut vobis veraciter dicimus ipsius in æternum declinabimus judicium. De cætero omnem in vobis spem et fiduciam nostram secundario post Deum ipsum penitus projicimus, attentius rogantes, at cum per eum pacem et reconciliationem aliquam nullatenus speremus, sollicitudinem prudentiæ vestræ ita efficaciter adversus eum apud dominum papam exhibeatis, quatenus personis, tam cismarinis, quam transmarinis litteris suis firmiter præcipiat, et in virtute obedientiæ injungat, ut sententiam quam in regem et terram ipsius rationabiliter promulgabimus, firmiter teneant et observent. Præterea partes vestras diligentius interponatis, ut confirmationem primatiæ nostræ, quam in primo adventu nostro Senonis dominus papa nobis concessit, per vos obtineamus. Valete et memores estote nostri, sicut sumus et vestri, et latorem præsentium, quanto maturius poteritis, et expedire et ad nos transmittere, ecclesiæ statum, domini papæ, et vestrum nobis significantes, procuretis. Iterum valete.

EPISTOLA LII.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Hyacintho cardinali.

Interemptorum pro causa Domini et Ecclesiæ libertate sanguis clamat ad Dominum; et miseri, qui residui sunt, omnes ad sanctitatis vestræ confugiunt pedes in miseriis istis. Quot et quanta ab impiis Anglicana Ecclesia toto quinquennio isto pertulerit, soli illi noverint, qui experti sunt, quorum primus ego cum miseris coexsulibus meis proscriptis Christi Jesu. Ipse, cujus expugnatur hæreditas, lex conculcatur, profanantur sancta, sic causæ suæ cito propitius adsit, sicut conscientiæ meæ fidelissimus testis assistit, et pro innocentibus contra persecutores et oppressores eorum, quam promisit, ferat sententiam. Commonitus est rex Anglorum per litteras, per nuntios, per abbates, per episcopos, per subdiaconos curiæ Romanæ, per cardinales, et nunc tandem quasi peremptorio edicto, per dominum Gratianum, et magistrum Vivianum, qui quatenus profecerint, referente domino Gratiano, qui fideliter, modeste, et in omni sinceritate in hoc negotio versatus est, et nunc festinat ad vos, potestis audire. Non enim stetit per nos, quo minus pax reformaretur, sed per illum qui confidit in potentatu suo, in divitiis Ecclesiæ, cujus impune diripit spolia, in dolositate suorum, et familiaritate quorumdam vestrorum, quos hactenus in perversitatibus protegendis habuit defensores. Nam quod mundus sentit, dolet, ingemiscit, nullus adeo iniquam causam ad Ecclesiam Romanam defert, quin ibi spe lucri concepta, ne dixerim odore sordium, adjutorem inveniat et patronum. Sed et hoc in monte Dominus videt, ante cujus tribunal citius omnes astabimus, de operibus et conscientiis responsuri. In quo vero ca culo nunc causa nostra resederit, si placet, audite: rex acquiescit, ut ego et mei redeamus ad nostra, domos scilicet vacuas, honorem Dei servaturi, salvis digni-

tatibus suis, quarum nomine pravas illas intelligit A consuetudines, quas audistis, et quas constat lege divina et auctoritate Ecclesiæ Romanæ esse damnatas. Nos autem admittimus, ut salvo honore Dei et fidelitate Ecclesiæ Romanæ, regni valeant et vigeant dignitates, quæ sub mensura divini honoris cohibendæ sunt. Non enim ad illarum formam coarctandus est honor Dei. Sed ille non acquiescit, nisi absolute profiteamur sub religione juramenti observantiam dignitatum, quod nondum fecit nec minimus de populo terræ. Nec ad hoc alicubi arctatus est clerus, ut se vel sacros canones vel Evangelii mandata juret observaturum. Certe nec tutum esset, quia in multis offendimus omnes. Detrectat ablata restituere vel satisfacere, cum tamen et præfatis nuntiis domini papæ et aliis papam professus sit, B quod de tempore cancellariæ non teneor illi. Hanc tamen detentionis injustæ prætendit rationem quod antecessores sui nostris, quos sæpe fugaverunt, redeuntibus nihil restituisse reperiuntur. Sed hoc falsum esse convincitur ex historiis, et attestatione vivorum.

Nunquid ergo cohibendus non est, qui majorum violentias et impietates usurpat pro lege? Utique si, quod absit! in isto prævaluerit, pessimum iniqui compendii cunctis gentibus, et sæculis relinquit exemplum. Releget ergo, et proscribat quot et quantos, et quandiu voluerit, et cum redierint, petitiones eorum hoc exemplo, imo jam lege excludet. Nam Deum testem invoco in animam meam, quod me magis movet pernicies exempli, quam temporalium C jactura rerum. Cum itaque novas et indebitas exigat obligationes, cum tam perversas sub nomine *dignitatum* vindicet consuetudines, non persuadeat vobis quispiam, quod ego pacis generem impedimentum, sed ille qui Dei subvertit legem et totam turbat Ecclesiam. Quidquid potero facere salvo ordine meo, et sine pernicie exempli, libenter faciam pro recuperanda gratia ejus, et pace mea. Sed absit, ut scienter faciam contra Deum pro quiete momentanea, et non tam perituris quam pereuntibus bonis! Hæc diligentius scripsi paternitati vestræ plus tamen de necessariis, ne scripta fastidium generarent, in ore nuntiorum posita sunt, quos, si placet, ut consuevistis in benignitate recipite, et causam Ecclesiæ fovete ut vestram, quoniam Dei causa D est. Et ego parvuli mei sumus et erimus semper vestri.

Similiter domino Alberto presbytero cardinali.

Item domino Theodwino presbytero cardinali.

EPISTOLA LIII.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Hyacintho cardinali.

Si laborantem agricolam oportet primum post redditas Deo primitia sedere, justissimum est, ut vestram charitatem, quæ in sublevatione sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ fere jam pereuntis, plus et diutius jam laboravit, et quod magis est, fidelius et efficacius, laboris sui ab ea in omni gratiarum actione et exhibitione obsequii percipere fructus. Nam cum aliorum amicorum fere omninum fides esset exinanita, vos illorum animos a pusillanimitate in spem erexistis, solidastis manus dissolutas, genua debilia roborastis, et attentius auditor verbi, verus Christi discipulus, consors apostoli, hæres Petri, fratres vestros, qui ad cultum justitiæ, et patronatum Ecclesiæ præordinati erant, exemplo confirmastis et verbo. Expetierat enim Satanas Ecclesiam Romanam in tribulatione vestra, sicut et nostra, ut eam cribraret sicut triticum, et suos probaret, et convinceret infideles. Sed Christus de ipsa tentatione proventum operatus est lætum, et utilem fidelibus universis, sed vobis, qui alios superastis in fide, præ cæteris gloriosum. Nos enim per gratiam Dei et vestram, cum domino rege Anglorum fecimus pacem, ad honorem Dei et Ecclesiæ, ut speramus, utilitatem, cujus formam lator præsentium vobis exponet, quem desideramus vobis attentius commendari, et petitiones, quas habet in manibus, quia consuevistis industria, promoveri.

(*Vide etiam epistolam, quæ incipit*: Satis superque etc., *ad Conradum et alios directam.*)

EPISTOLA LIV.

AD JOANNEM CARDINALEM JOANNIS ET PAULI.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Joanni cardinali Joannis et Pauli.

Discretioni vestræ non exstat incognitum, quanta sinceritate fidei, obedientiæ devotione, et exhibitione obsequiorum Cantuariensis Ecclesia præ cæteris omnibus totius insulæ nostræ sedi apostolicæ semper adhæserit, nec ab ejus unquam, sive prosperorum blanditiis, sive turbinibus adversorum, potuerit fidelitate divelli. Hæc vestro solebat gaudere patrocinio, et a vobis decessoris nostri tempore in tribulatione exspectare solatium, et in opportunitatibus suis vestro concilio instrui, et auxilio roborari. Vobis devota erat, suisque connumerabat successibus, si dabatur facultas obsequendi, si ex merito suo vobis officiosa videbatur in aliquo. Nos quoque ipsi, qui ejus, dignatione divina, licet indigni, gerimus administrationem, sæpe, quod memori mente recolimus, operam dedimus et diligentiam, ut vestræ voluntati et vestrorum usibus serviretur: et utinam non excidisset a memoria vestra! Sed quia in hac parte videtur obliviosior, quam expediret nobis, rogamus ut saltem fratri nostro, quem officii vestri non credimus esse immemorem, credatis de nostra ad vos devotione. Si autem vobis in persona nostra post adeptum episcopatus gradum non servivimus, utique nobis voluntas non defuit, sed facultas. Sperabamus de vobis, præ multis, nostrum non auferentes, etsi differentes obsequium. Decreveramus nos, quod differebatur, cum accessione devotionis et obsequii amico et domino benigne præstolanti multiplicius refusuros. Unde miramur supra modum, quis vos

ab amore Cantuariensis Ecclesiæ et protectione nostra averterit, præsertim in causa Dei, quæ si periclitaretur, quod absit ! totius Anglicanæ Ecclesiæ libertas deperiret, Romanæ sedis auctoritas arceretur ab Anglia, et ad nutum regis procederent universa. Si voluissemus ei ab initio in consuetudinibus, quas petit, consentire, nec vestro nec alterius interventu ad ipsum indigeremus. Vos videritis, an ad verba juratoris insignis,cujus fraudes, Deo propitiante, detectæ sunt, tam cito fuerit recedendum ab amico,tam facile Cantuariensis Ecclesiæ contemnendum obsequium. Illa tamen nec sic repulsa et læsa recedet a vobis,neque nos, si placuerit vobis, a vestro desistemus obsequio,quin accepto tempore honori vestro et vestrorum studeamus devotius inservire. Hac itaque voluntate et conscientiæ securitate confisi rogamus attentius,quatenus Cantuariensem Ecclesiam se vobis offerentem non abjiciatis, non deseratis causam Dei, quæ indubitanter est in manibus vestris, ne et vos deserat Deus, qui et de vobis, in quo judicio judicaveritis, judicavit. Experiatur nunc Cantuariensis Ecclesia veteris amici fidem, quia qui amicum in necessitate deserit, non illius amicus est, sed fortunæ. Unde vobis tanquam amico et domino fideli intimamus,quia non tantum vobis proderit illius juratoris et similium amicitias colere, quantum oberit, si Cantuariensis Ecclesiæ projiciatis obsequium. Nam servile ingenium est, quod duntaxat suppliciis emendatur.

EPISTOLA LV.

AD EUMDEM.

Venerabili fratri,et utinam amico, domino JOANNI Neapolitano, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali, THOMAS eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, miser ac miserabilis exsul, salutem,et sic transire per bona temporalia, ut æterna non demereatur.

Verbum evangelicum est : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.* Et nunc quidem quæ fuit unquam adversus sublimitatem vestram nostra iniquitas, quæ parvitatis nostræ indevotio, ut non fieret nobis tempore tribulationis nostræ benigna vestra solertia, non faceret nobiscum vestra benevolentia,imo quod durius est, destiterit aggravari manus vestra super exsulis et proscripti importunitas ac molestias, non continuerit opera vestra et industria semper accepto tempore miseri hominis augere miseriam ? Non debuit certe talis testimonium conscientiæ fieri gloria vestra. Parcat itaque de cætero, si placet, parcat, quæso, et nunc tempus est ut parcat, cessetque indignatio vestra infortunati hominis exaggerare infortunium, et innocentiam lacerare. Nam et si quando fuerim felix, pro modo temporis didici et nunc esse infelix, nec felicius est infelici, quam nosse sortem suam. Præterea quomodo unquam potuit a memoria vestra excidere, quod petitione domini regis Francorum in virgulto suo apud Aurelianum, præsente comite Theobaldo, susceperit nos vestra discretio de manu ipsius propria protegendum, ac de cætero fovendum adversus omnes homines, excepto domino papa ? Quorsum evanuit ista susceptio ? Non equidem credimus extunc temporis culpa ipsius regis aliqua excidisse,scimusque pro certo ex parte nostra nullum erga vos intercessisse delictum,quo debuerimus et gratiam vestram demeruisse,et promeruisse offensam. Hæc hactenus.

Cæterum ut veniamus ad rem, accedit Londoniensis cum multa acceleratione ad curiam, sicut dicitur,suasus a vobis, ut nemine de nostris ibi nuntiis invento,paucisque amicis,nunc blandis adulationibus,nunc promissionibus innumeris,nunc nimis ac terroribus suis ac regis, ibi consequatur gratiam unde magis meruit recipere pœnam, inde absolutionem extorqueat, unde magis meruit reportare condemnationem. Nec prætendat quisquam vestrum hanc esse sedem misericordiæ,quæ frequentius pietatis intuitu consuevit misereri peccantibus, quam corripere delinquentes. Verum respondemus vobis, quod dicit Scriptura : *Amant se justitia et pax eatenus, ut qui facit justitiam, inveniat pacem, et non aliter. Justitia etenim et pax invicem osculatæ sunt.* Unum tamen est quod petimus super omnia, nunquam a mente vestra fieri alienum, quoniam semper protrahitur avaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæque prædæ avidissima vorago, neque habendi fructu felix,et cupiditate quærendi miserrima. Videte ergo, si placet, ne vos decipiat versuti hominis artificiosa malignitas, palliata religio,illicita curiositas, promissio vana, munera, quod absit, quæ excæcant oculos, et vim auctoritatis inclinant. Quorum finis interitus, quorum fructus pulvis et cinis, quæ exsufflata in ventum facile evanescunt. Ne inhonesti lucri captura invitatus, scelus, quod vindicari debet in homine isto, auctoritate vestra tegatis.

Quid plura ? Spiritus sanctus faciat vobiscum, ut ministerio vestro et confratrum vestrorum reveletur filius perditionis,convertatur iniquitas ipsa in caput suum. Dissipet Deus consilium Achitophel, et statuat eum contra faciem suam, ut recipiat in curia ista quod gessit inique,et reportet inde quod dignum est, ubi solet et debet exeri gladius beati Petri ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. Quatenus sit inde gloria in cœlis coram Deo et angelis ejus,et fiat pax in terra bonæ voluntatis hominibus.

Valeat semel et semper vestra dilectio,ut inde sit melius nobis et miseris coexsulibus nostris, præsertim in instanti negotio.

EPISTOLA.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, JOANNI Neapolitano cardinali titulo Joannis et Pauli.

Sancta Cantuariensis Ecclesia diu et familiaritate et patrocinio vestro gavisa est ; et adhuc in spe vestræ miserationis et consolationis exsultat. Unde

ad sinum dilectionis vestræ fiducialius transmittit A miseros suos, qui fratrum suorum pro fide et libertate Ecclesiæ interemptorum neci superstites relicti sunt. Sanguis interemptorum clamat ad Dominum, adversus persecutores et oppressores Ecclesiæ, et utinam non contra me, et contra illos qui se nobiscum opposuisse debuerant pro legibus paternis et domo Domini. Audite, si placet, et intelligite a nuntiis, qui nuper missi sunt, quanta evidentia duplicitatis et pravitatis convicta sit duritia regis Anglorum, et in quibus finibus Ecclesiæ causa resederit. Nunc enim, ut semper, stetit per regem, quominus pax reformaretur. Ego enim quatenus potero, salvo ordine meo, et fidelitate Ecclesiæ Romanæ, dignitates ejus fovendas et augendas libens admitto, sed non acquiesco, ut nova et perniciosa fidelitatis forma B exemplo mei in Ecclesiam inducatur. Ablata mihi et meis, aut satisfactionem omni jure repeto, ne pernicies exempli, si tam manifesta rapina irrequisita remaneat, vertatur in legem, et tam posteris quam coætaneis nostris præstet audaciam similiter delinquendi. Vos itaque, si placet, exsurgite in adjutorium jam fere deficientis Ecclesiæ, et persuadete domino papæ, et fratribus vestris, ne diutius tam manifestam injuriam Christi dissimulent, cui nobiscum sine personarum acceptione reddetis in brevi cunctorum operum rationem. Nam opportunitas sæpe, dum exspectatur, elabitur. Et culpæ particeps est, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Nuntii supplebunt cætera, quos si placet, pro Christo audiatis in causa Christi. Et si forte Londoniensis episC copus et Gaufredus Ridel ad Ecclesiam Romanam venerint, eos velut antichristi membra tractate, qui jam mysterium iniquitatis suæ operatur in illis. Valeat sanctitas vestra.

EPISTOLA LVII.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Joanni presbytero cardinali Neapolitano.

Fraternitatem vestram in Christo convenio, ut Anglicanæ Ecclesiæ assistatis pro Christo. Hoc enim mihi a vobis promissum indubitanter et gratanter recolo, quod mihi consilium, auxilium et patrocinium firmissime promisistis, ubicunque et contra quemcunque mihi justitia suffragaretur. Nunc autem in quo calculo mea, ima Anglicanæ Ecclesiæ causa D consistat, ex nuntiis domini papæ, domino Gratiano et magistro Viviano, et a venerabili Petro Carnotensi archiediacono potestis audire, et plane, si placuerit, cognoscetis quod non ego, sed rex et sui, more solito, pacis impedimentum attulerunt. Nam dignitatis ejus, quantum salvo ordine meo et fidelitate Ecclesiæ Romanæ licuerit, servare paratus sum et augere, sed novam et perniciosam fidelitatis formam in Ecclesiam, Deo propitio, numquam inducam. Ablata quidem mihi et meis restitui, aut Ecclesiæ satisfieri peto, quia nunc auctore Deo constat, quod ex nulla, vel injusta causa resident penes ipsum. Nuntiis enim domini papæ, et pluribus aliis palam confessus est, quod de toto tempore cancellariæ nec pecuniæ nec administrationis illi debeo rationem. Agite ergo, si placeat, ut tollatur exempli pernicies, quæ coætaneos et posteros occupabit, si, quod absit! tam manifesta rapina et injuria Christi remanserit impunita. Jam enim convicta est duritia ejus, nec est quare debeat ulterius supportari, nisi qui fovet aut dissimulat errorem, in se ipsum alieni criminis provocet ultionem. Ego et coexsules mei, imo Ecclesia Anglicana, pro cujus libertate persecutionem patimur, et proscripti variis torquemur injuriis, Deo de cætero committimus causam nostram, aut, ut rectius dixerim, suam, ut ipse, in cujus conspectu in brevi sine acceptione personarum, sine suffragio numerum stabimus reddituri de actibus et voluntatibus rationem, dijudicet inter nos, et persecutores et oppressores Ecclesiæ, et ad gloriam nominis sui promissionis, qua parvulos suos in præsentia corporis consolatus est, citius exhibeat veritatem. Interim de promissione vestra et charitate præsumens, affectuosius supplico, quatenus miseros nostros præsentium portitores benignius exaudiatis, et causam Christi promoveatis pro Christo, si autem ad Ecclesiam Romanam venerint episcopus Londoniensis et Gaufredus Ridel, sic illos tractate, ut tractari debent, qui seminant inter fratres discordiam. Cantuariensis Ecclesia suum vobis præsentat obsequium, quod promptissima devotione vobis et vestris impendet, cum vestro patrocinio, quod speramus, eruta fuerit a tribulatione malorum et dolore.

EPISTOLA LVIII.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Joanni cardinali titulo Joannis et Pauli.

Audivit Ecclesia Gallicana vos in causa Ecclesiæ Anglorum mutasse sententiam, ut a patrocinio persecutorum, quos per ignorantiam fovebatis, credendo his, qui spem suam mendacium posuerunt, vestra discretio præ cæteris transiret in consortium illorum, qui patroni fuerant veritatis. Audivit, inquam, et lætata est valde, quoniam hæc est mutatio dexteræ Excelsi et Ecclesiæ Dei ad libertatem, et nomini vestro proficiet ad gloriam sempiternam. Sermo gratus in auribus omnium, sed gratissimus nobis et Ecclesiæ Cantuariensi, quæ semper vestro consueverat gaudere patrocinio, et se vestram in gratiam rediisse lætatur. Justum est ergo, ut ad obsequium vestrum revertatur et cultum. Et nos propensiorem operam dabimus et diligentiam, ut vestris devotissime jussionibus obsequatur. Fuimus enim vestri, et vestri esse desideramus, proni quidem ad obsequium si rex Anglorum, quam corde gerimus, officiosam expedierit voluntatem. Nec dubium, quin a persecutorum nostrorum, quo vobis noxiores fuerint, patrocinio desistatis, quoniam iniqui, avari sunt, et fabri mendaciorum : in omnibus negotiis circumvenientes amicos, et credulos sibi. Et cum eos deceperint aut

læserint, solvuntur in risum, et quasi de hostibus triumphantes, de sua sapientia gloriantur. Valeat semper chara nobis in Domino vestra fraternitas. Valete.

EPISTOLA LIX

AD MAINFREDUM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Mainfredo cardinali, qui captus fuerat apud Anconam.

Gratias agimus Deo, qui vos ad consolationem Ecclesiæ suæ eripuit de ore Leonis, et de manu bestiæ liberavit, et de omni exspectatione Cremensis hæresiarchæ, et Frederici, et totius plebeculæ schismaticorum. Sensimus, ut ex animi nostri sententia loquamur, absentiæ vestræ damna, qui ad petitionem regis Angliæ, nostro non præcedente merito, suspensi sumus, die restitutionis nostræ, ut jactitat, collata in arbitrium ejus. Domine mi, si fuissetis hic, vigor ecclesiasticus, ut spes est, non ita mortuus esset aut languidus, nec illi regi, nec complicibus suis, satellitibus Satanæ, collata auctoritas in Ecclesiam interim debacchandi. Sed nunc certum est, quod his perversitatibus toto conatu, quoniam timetis Dominum, et diligitis decorem domus ejus, studebitis obviare. Placeat itaque dilectioni vestræ impetrare a domino papa, ut suspensionem solvat, aut terminum coarctet, scribens regi Francorum et Ecclesiæ Gallicanæ patentibus litteris, quod nisi rex Anglorum juxta commonitionem suam et comminationem nobis pacem, et ablata cum Ecclesiæ libertate restituat, exinde nos in eum et terram suam officii nostri potestate uti concedat, et sententiam, quam in malefactores Ecclesiæ et nostros tulerimus, ratam habendam esse decernat, et præcipiat ab omnibus terræ suæ episcopis inviolabilem observari, donec satisfacere compellantur. Præterea precamur attentius, ut Ecclesiæ Cantuariensi in miseriæ suæ solatium impetretis plenam reformationem primatus sui, ut præcipiatur archiepiscopo et Ecclesiæ Eboracensi, ut nobis obedientiam tanquam primati suo exhibeant. Cum enim ejusdem primatus per vos confirmationem obtinuerimus, honor erit vobis et gloria, si plenum robur obtineat confirmatio a vobis impetrata. Ut autem charitas vestra aliquod habeat tribulationis nostræ solatium, noveritis, quod Christianissimus rex fortunam nostram reputat suam.

EPISTOLA LX.

AD OTTONEM TITULO SANCTI NICOLAI DE CARCERE TULLIANO DIACONUM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Ottoni tit. S. Nicolai de carc. Tulliano diacono cardinali.

De vestræ sinceritatis dilectione et fidei integritate multiplices vobis gratiarum actiones referimus, sicut ei de quo indubitanter confidimus, et quem inter amicos nostros nobis charissimum et præcipuum reputamus. Memores quidem existimus, quod litteris benignitatis vestræ nobis multas grates retulistis; quia regem Francorum pro vobis ita diligenter interpellavimus, et quam potuimus ad negotium vestrum A effectui mancipandum operam adhibuimus. Indubitanter vero sciatis, quia penes regem et alios amicos nostros non solum in hoc, sed et in omnibus quæ poterimus, quantum divina gratia, nobis indulserit, consilium et auxilium ad honorem vestrum efficaciter impendemus. Memoriter enim tenemus et semper tenebimus, quoniam ex quo nostri notitiam habuistis, propter regum amorem, aut principum favorem nullatenus nos voluistis deserere, aut pro alicujus emolumenti cupidine nos a dilectione vestra alienare. Sicut autem vobis per magistrum Papiensem significavimus, talis hora fuit, qua, ut litteras vestras reciperet, pro magnitudine pecuniæ regem nollemus interpellasse, tum pro pudore quem habuimus, tum pro tergiversatione quam ex ipso rege perpendimus. B De eo quod causa legationis, vel sicut legatus terram suam ne ingrederemini vobis interdixit, fecit quod voluit, nec deberetis idcirco irasci, quia sicut discretio vestra melius novit, non mirum debet videri, si is qui facilis est in dicendo, facilis sit in mutando. De pace nostra facienda non possumus non admirari, quæ protractu temporis videtur protelari, et juxta quorumdam opinionem, quasi quodammodo enervari. Cujus rei causa dilectionem vestram propensius exoramus, quatenus ad eam reformandam inter nos et regem adeo diligentem et efficacem operam studeatis adhibere, ut ab omnipotenti Domino condignam possitis retributionem recipere, et nos de cætero efficaciæ vestræ teneamur omni tempore obnoxiores permanere. Valeat sanctitas vestra in C longa tempora.

EPISTOLA LXI.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Ottoni cardinali.

Audito adventu magnitudinis vestræ, proscriptorum Christi coexsulantium nobis exhilaratus est cœtus, et quasi ad consolationem Ecclesiæ et cleri liberationem de cœlo missus sit angelus, exsultavit, et gratias egit omnis Ecclesia sanctorum. Et licet multis suspectus sit collega vester, dicentibus quod acceptor est personarum et munerum, et domini regis intimus fautor, ut ei velit in omnibus patroci- D nari, et nos, imo Ecclesiam Dei confodere, et jugulare spoliis nostris: nominis tamen vestri, virtutum rectius dixerim, clarescit opinio, ut angelum Domini cum Moyse, id est, Spiritum sanctum in lege prævium habeatis, qui custodiat vos semper, et Deum recentem habere non patiatur, ut verbo Dei aut munus, aut personam præferatis, aut causam. *Non est*, inquit propheta, *Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ ejus in omni tempore.* Unde et vos per vias mundas, et vias planas iturum esse Ecclesia Anglicana non ambigit; quia per vias rectas iter habiturum indubitanter confidit. Nec veretur, ne in prostitutionem justitiæ accipiatis supellectilem nostram, qui scitis, quod pecuniam sic acquisitam non

licet mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Utique

Non habet eventus sordida præda bonos.

Insultant nobis quamplurimi, et præcipue nostri, imo Ecclesiæ adversarii, dicentes recte contra nos missum esse cardinalem Sancti Petri ad Vincula, ut ministerio ejus Petrus denuo vinculetur, cum tamen ego interim credam, quod familiaritas, quam cum domino rege in nostra depressione contraxit, ad Ecclesiæ proficiet liberationem, et salutem regis, et gloriam Dei. Unum tamen est, quod plurimum vereor, ne quis fratrum, de quibus Apostolus queritur, egrediens a facie Domini collectas pridem agrestes coloquintidas immisceat pulmentario prophetarum, ut sensum divinum agrestibus porcorum, id est voluptuose viventium, subruat cibis, et mentem legis imaginatio vitæ subvertere moliatur. Sed cum ab uno de filiis prophetarum mortem esse in olla vir Dei audierit, farinam grani, quod pro nobis in terra mortuum est, ut multum fructum afferat, in ollam projiciet, ut innatæ malitiæ germen bonis de cætero nocere non possit. Ego vos arbitror virum Dei nobis a Domino destinatum, qui desolatam in Anglia lætificet Sunamitidem, et potentem Syrum curet a lepra, et Giezitas adhærentes ei debita crimini condemnatione percellat. Si his amotis gloriosum nostrum regem revocaveritis, illico, ut spes est, pœnitebit, fatebitur culpam, et humiliter satisfaciens Ecclesiæ restituet libertatem, et pacem, et nobis omnibus ablata cum integritate, securitate et gratia. Nec ultra contendet de conservandis consuetudinibus, quas, ut taceam damnationem, quam eis perpetuæ leges infligunt, dominus papa Senonis de unanimi fratrum concilio, vobis, ut opinor, audientibus, condemnavit, nex exiget juramenta, quæ salva fide et religione observari non possunt. Sed hæc vobis plenius innotescent, cum episcopos videnitis Balaamitas, non omnes dico, sed plurimos, qui vana vident et stulta, nec aperiunt unde ad pœnitentiam debeat provocari. Hi contra nos, imo contra Ecclesiam loquuntur sedentes in porta, et psallit in nos etiam, qui non bibit vinum. Quia ergo in vos omnium oculi directi sunt, honori Dei et paci Ecclesiæ, si placet, insistite, et præscribite qui nos facere oporteat, ut Ecclesia Dei debita gaudeat libertate. Nihil enim est, quod salva conscientia et honestate fieri possit, quod non libentissime faciamus pro recuperando amore domini regis. Chaos inter nos firmatum est, ut nullus nostrum ad vos valeat pertransire, etiamsi velit, et sumptus habeat. Valeat semper dominus meus, et proscriptorum misereatur

EPISTOLA LXII

AD EUMDEM.

Dominus Cantuariensis, Ottoni cardinali.

Gratias, non quas debemus, seu quantas interim possumus, agimus dilectioni vestræ, quæ pro nobis, imo pro Ecclesia Dei multa sustinuit, et nos pro viribus consolata est in omni tribulatione nostra. Confessus est nuper rex Anglorum coram rege Christianissimo, archiepiscopis, episcopis, proceribus et omnibus qui aderant, quod nil aliud quærit aut quæsivit a nobis nisi observantiam consuetudinum, quarum plures apostolicæ sedis convellunt majestatem et Ecclesiæ præjudicant libertati. Qualiter autem res processerit, latores præsentium plenius indicabunt. Et quia noluimus in consuetudinum suarum verba simpliciter et absolute jurare, discessit indignatus, non sustinens honoris Dei vel ordinis nostri vel divinis juris aliquam fieri mentionem. Supplicamus itaque bonitati vestræ de qua, sicut de nobis ipsis confidimus, quatenus nobis assistatis in causa Domini, et necessitatem nostram imo Ecclesiæ Dei, quam a nuntiis audietis, sicut nostra et omnium spes est, apud dominum papam expedire studeatis.

AD SABINUM EPISCOPUM.

(*Vide epistolam ad Conradum Moguntinum et alios directam, quæ incipit:* Satis superque, etc.)

EPISTOLA LXIII.

AD THEODWINUM.

Interemptorum pro causa Domini, etc. (*Simus est epistolæ quam ad Hyacinthum cardinalem direxit.*)

(*Vide etiam epistolam aliam quæ incipit* Ecclesiæ mol., *etc., ad Albertum et Theodwinum missam.*)

EPISTOLA LXIV.

AD WILLELMUM PAPIENSEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus Willelmo Papiensi salutem et contra principem insolentiam fortitudinem.

Litteras celsitudinis vestræ nuper accepimus, speciem mellis in initio propinantes, venenum in medio, oleum in fine. In quibus continetur vos ad partes istas nunc temporis descendisse ad terminandas quæstiones inter dominum regem Angliæ et nos prout expedire videbitis. Non credimus vos ad hæc venisse, nec certe vos ad hoc suscipimus, multis ex causis, quas loco et tempore opportuno manifestabimus. Verumtamen si quid boni et pacis per manum vestram nobis acciderit, Deo gratias et vobis. Valeat celsitudo vestra, ut inde nobis sit melius.

EPISTOLA LXV.

AD EUMDEM.

Venerabili domino, et amico de meritis diligendo Willelmo, Dei gratia tituli Sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali, et apostolicæ sedis legato, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, et contra principum insolentiam fortitudinem.

Gratias habemus dilectioni vestræ, quod litteris celsitudinis vestræ parvitatem nostram nunc tandem visitare dignatus estis, quæ quidem ex præsentis temporis statu pensatur a multis, non ex præterito, quam Deus in futuro de misericordia sua, cum voluerit, et dignum judicaverit, erigere poterit in meliorem. Quod dicitis, sicut videtur multis, vos in varia proposita circa dilectionem nostram esse distractum, hoc factum fuisse utilitatis nostræ causa, ne haberemini suspectus a rege, quo minus fieret

devotus Romanæ Ecclesiæ, minusque benignus ad faciendam nobiscum pacem, novit Deus, qui inspector est cordium, ipseque rei manifestabit effectus. Si vero nunc temporis descendistis in terram suam prout litterarum vestrarum habet continentia, ad decidendas quæstiones, quæ inter nos et ipsum vertuntur, sicut magis expedire videritis Ecclesiæ hoc certe possibile est. Verumtamen credimus nos pro certo nosse, ad quid veneritis, et ad quid debeamus suscipere. Unde est quod discretionem vestram quam plurimum exhortatam cupimus esse in Domino, ut sic vos in hoc negotio habeatis, ut inde sit honor Deo, relevamen Ecclesiæ, gloria vobis in populo et gente. Si vero aliquid boni et pacis nobis et Anglicanæ Ecclesiæ per operam vestram et industriam acciderit, gratias Deo, et vestræ sollicitudini. Et utinam pio compassionis attendatis effectu, quanta nos et Ecclesia Anglicana sustinuerimus gravamina, et adhuc sustineamus, quantumque lædatur universalis Ecclesia in nostro gravamine. Ad hoc quidem negotium universorum respiciunt oculi, ipsiusque finem exspectant, in quo vel sumet sibi cornua principum insolentia, vel quod dignius est, sustinebit defectum. Et utinam magis patiatur defectum, quam ex adventu vestro resumat vires. Valete, et ut nobis sit melius et Ecclesiæ, valete semper.

EPISTOLA LXVI.

EUMDEM.

Venerabili domino et fratri in Christo charissimo Willelmo, Dei gratia tituli Sancti Petri ad Vincula presbytero cardinali, et apostolicæ sedis legato, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, et contra principum insolentiam animi fortitudinem.

Ex litterarum vestrarum tenore perpendimus et vos illustrissimi domini nostri regis Francorum meram obtinuisse gratiam, et obtenta gaudere, Quod quidem gratum habemus et tenemus acceptum, eoque amplius, quod in hac parte nec instantia vestra, et aliorum amicorum nostrorum frustrati sumus, et quod petebamus, nostrum successit ad votum. Unde sicut sua residet in animo nostro gratia grata, petimus ob ipsius amorem et reverentiam, cujus, sicut dicitis, circa nos et negotium nostrum sollicitudo non modica est, quod retribuat ei, qui facere potest, bonorum retributor altissimus. Sit nobis vestra gratior impensa, quam quidem, etsi a multis retro temporibus affectuose affectavimus, nunc pro certo domini Carnotensis, et magistri P....... Papiensis interventu effectuosiorem imploramus, ut gaudere debeamus de impetrata, et sentiat Ecclesia, quæ nobiscum vexatur nimis injuriose, et nos cum ipsa ne benevolentia vestra provectum, et ex provectu recipiamus quod justum est. Scimus equidem et firmum tenemus, quoniam sicut paria delicta mutua compensatione abolentur, sic vicissitudines gratiarum devotione mutua connectuntur. Satis credimus dictum esse sapienti. Præterea de pace futura, cujus spes melior vobis promittitur, omnipotenti Deo, dummodo fiat Ecclesiæ commodo et nostro. Quod utinam altius attendatis, et animis vestris inseratis argutius, curantes ne vana spe deludamini, et falsis promissionibus sollicitudo vestra evacuetur. Revera verum est, quoniam sapiens dissimulat in tempus. Sed proverbialiter dicitur : *Dum exspectatur tempus, fugit, labitur e manibus, nec redit ad votum.* Et medicus : *Dum dolet, accipe.* Ego vero dico vobis, quod opto non facile transeat aures nostras, nec lubrice labatur ab animo vestro, fortunam præsentem, quæ nuda vestris paret conspectibus, pressis manibus tenete : utimini ea pro tempore, lubrica enim est, nec invita teneri potest. Hæc hactenus. Cæterum de adventu vestro Parisiis triduo ante si placet, nobis renuntiate, ut si forte equitaturas invenire poterimus, quæ apud nos hoc tempore propter guerram tenuiter habentur discretioni vestræ loco congruo occurramus, et fruamur desiderato colloquio vestro. Sin autem, quod absit ! mittamus vobis aliquem familiarium nostrorum, qui renuntiet nobis statum vestrum, et quo divertere disponatis. Valete nostri non immemor, ut melius sit inde nobis et miseris nostris.

EPISTOLA LXVII.

AD EUMDEM.

Venerabili domino et fratri Willelmo, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, ac miserabilis exsul, salutem, et sic agere ut vivat in Domino.

Non credebam me tibi venalem proponendum emptoribus, ut de sanguine meo comparares tibi compendium de pretio iniquitatis, faciens tibi nomen et gloriam. Alias tibi curandus esset proventus, si non status tui nimis periculosi oblitus. fortunæ ludibria pensares dissimiliter. Sed forte ut id ageres efficacius, fortunam meam præsentem in consilio habuisti, cujus dum tristia spectas, lætiora quandoque sperare debueras. Alternæ enim sunt rerum vicissitudines, et sicut de successibus prosperis lapsus est facilis, sic et in contrarium. Nec prudentiam tuam latere credo, licet hoc experimento non senseris, nihil esse tam firmum, cui non sit periculum e vicino, sic et versa vice. Hæc idcirco tibi scribo, ut subitos fortunæ casus diligentius de cætero examines, examinatos observes, observatis indulgeas. His certe casibus exponenda non fuerat Petri navicula, quæ etsi sæpius concuti, convelli non novit; quæ etsi pluries jactata fluctibus, non submersa consurgit. Hujus itaque si veri piscatoris, si optimi gubernatoris verus vis esse discipulus, nauta bonus, sicut serenitatis gratiam multoties tibi fecit aura serena, sic impetuoso turbini, invalescenti tempestati omnes ingenii tui vires, teipsum etiam animo forti sub omni discrimine opposuisse debueras. Si enim de manu ejus

gratanter suscepisti, pacifica, cur non patienter tolerabis adversa, forte ad momentum exspiratura? Sic magister ille Petrus Princeps apostolorum resistendo principibus, non cedendo, sed dissipando pacem iniquitatis sanguine suo, nomen meruit in terris, et in cœlis gloriam. Sic crevit vigor Ecclesiæ, cum crederetur exstingui. Hæc etiam in summa tibi opto, sic agas feliciter, ut vivas in Domino. Vale, ut et inde melius valeam.

EPISTOLA LXVIII.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis, WILLELMO Papiensi.

Festinat ad reditum dominus Gratianus, qui cum magistro Viviano ad hoc destinatus est ad regem Anglorum, sicut indubitanter accepimus, ut duritia ejus, si nobis pacem non reformaret, manifestius convinceretur. Qualiter autem in negotio processum sit, ex nuntiis referentibus, auctore Deo, plenius audieritis, et si placet, magistrum Petrum Carnotensem archidiaconum, virum quidem litteris et honestate conspicuum, interrogate; quoniam et ipse mansuetudinem et modestiam præfati regis expertus est, et qua devotione Romanam veneretur Ecclesiam. Sed et vos ipsi præsentes audistis et vidistis, quomodo premat Ecclesiam, et mores hominis rerum experientia familiarius didicistis. Quid ergo amplius ad convincendam duritiam ejus pro Ecclesia desideratis testes? Ipsi enim, prout credimus, ab ore hominis audistis, et operis publicatione, ut speramus de vobis, inviti vidistis blasphemiam. Unde ad serenitatis vestræ patrocinium fiducialius recurrit misera Ecclesia Anglicana, supplicans ut ei feratis opem, ne in hac tribulatione deficiat. Reducite, si placet, ad animum quomodo me et causam Ecclesiæ receperitis de manu Christianissimi regis Francorum, qui superstites miseros nostros secure confugere præcepit ad pedes clementiæ vestræ. Nam magna pars proscriptorum Christi, pro fide et libertate Ecclesiæ agonizantium, de mundo sublata est, et apud Patrem misericordiarum sanguinis sui, qui injuste effusus est, implorat ultionem. Illa, ut confidimus, assistit vultui Dei, nos qui residui sumus, adventum aut vocationem Domini præstolantes, interim quanta possumus supplicatione clamamus ad vos, ut vestra intercedente industria justitiam suam Ecclesia consequatur et pacem. Quanam juris consequentia residebunt apud regem sine satisfactione impune bona Ecclesiæ, quæ diripuit, cum ille, sicut nuntiis domini papæ et pluribus aliis palam confessus est, de toto tempore cancellariæ, cujus aliquando simulabat deberi rationes, nunc nihil exigat, sed hoc prætendat, quod sui meis antecessoribus, quos sæpe fugaverunt, nihil redeuntibus reddiderunt. Hoc tamen, ut pace ejus dictum sit, ex multis rationibus constat non esse verum. Sed ne pernicies exempli vertatur in legem omnibus modis occurrendum est. Nomine *dignitatum* damnatas nititur consuetudines instaurare. Sed omnem pravæ suspicionis occasionem a me amoveam, quatenus potero, salvo ordine meo et fidelitate Ecclesiæ Romanæ dignitates ejus libenter observabo, et eas in Domino multiplicare curabo et augere. Sed absit, ut exemplo mei nova faciendæ fidelitatis forma in Ecclesiam inducatur, præsertim perniciosa. Nec vos latere creditur, quanta me immunitate persecutus sit Londoniensis episcopus, totius hujus discordiæ incentor, cui, si placet, tanquam inobedienti et excommunicato vos pro domo Domini opponatis, quoniam in depressione illius et Gaufredi Ridel, ut spes fidelium est, cessabit tempestas. Cætera posita sunt in ore nuntiorum, quos, si placet, benigne recipite, et causam Christi, quam portant pro Christo, promovete. Valeat sanctitas vestra.

EPISTOLA LXIX.

AD EUMDEM.

Venerabili domino et Patri charissimo WILLELMO, Dei gratia S. R. E. presbytero cardinali, THOMAS eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, salutem, et sinceræ devotionis obsequium.

Nobis in aure sanctitatis vestræ verba multiplicare non expedit, cum sinceritas vestra prona sit in patrocinium veritatis, et malitia partis adversæ latere nequeat ante oculos sapientis, et ignominiosum reputet charitas amicum pro libertate Ecclesiæ diutius afflictum consolatione debita non recreare. Hæc de vobis est fiducia Christianissimi regis, hæc nostra, qui per ipsum redivimus in gratiam vestram. Hæc spes fidelium prædicantium gloriam nominis vestri. Hac igitur animati et roborati supplicamus attentius, quatenus juxta quod promisistis domino regi Francorum, viriliter exsurgatis in auxilium Ecclesiæ et nostrum, et ecclesiasticæ libertatis et apostolicæ sedis hostes data divinitus sapientia conteratis. Facile enim est, si Romana Ecclesia jam paratam decreverit acceptare victoriam, ut fugiant et dispereant inimici a facie ejus. Nam territi latebras quærunt, et nesciunt quo se vertant.

EPISTOLA LXX.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus WILLELMO Papiensi cardinali.

Veritatis obumbrari quidem, sed exstingui non potest, et lux tenebrarum molestias gratius acceptatur. Utinam et vobis ab initio constituisset, quod nunc ex ipsius persecutoris nostri testimonia omnibus notum est! Nuper enim coram rege Christianissimo, archiepiscopis, episcopis, comitibus, proceribus, et omnibus qui aderant, publice professus est hanc solam esse causam exsilii et proscriptionis nostræ, quod nolebamus ei consuetudines observare quas antecessores nostri consueverant decessoribus ejus. Adjecit etiam constanter, quod nihil aliud quidquam quærebat a nobis, nisi ut hoc simpliciter et absolute promitteremus ei in verbo veritatis, ita scilicet, ut non adjiceremus: *Salvo ordine nostro, vel*

honore Dei, vel aliquid eorum, quæ honestatis et conscientiæ possent incolumitatem tueri. Et quia nolumus absolute promittere consuedines, quarum aliquæ sedis apostolicæ auctoritatem evacuant, et Ecclesiæ perimunt libertatem, discessit rex pace infecta. Supplicamus itaque dilectioni vestræ, quatenus patrocinium Cantuariensis Ecclesiæ, imo justitiæ indefatigate suscipiatis. Et sicut nobis benignitas vestra promisit in discessu vestro, pro libertate Ecclesiæ et persona nostra, qui ad obsequium prompti sumus, stare, ut decet honestatem vestram, non gravemini, sed et opponatis vos his, quos veritati et justitiæ constat hactenus fuisse oppositos, et nuntiis nostris in his, quæ vobis ex parte nostra proposuerint, indubitanter credatis.

EPISTOLA LXXI.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Willelmo Papiensi.

Justum est, ut Ecclesia Cantuariensis, quæ post Deum vestra et paucorum amicorum industria et labore venit ad portum, vobis et vestris in omni devotione et exhibitione obsequii se obnoxiam recognoscat. Nam inter præcipios et primos amicos et dominos vobis ascripsimus, quod Dei præeunte auxilio erepta est a tribulatione malorum et dolore. Transistis pro ea maria, penetrastis et superastis Alpes, in partibus nostris pugnastis ad bestias, et in ipsa curia, ubi validius et acrius expugnabamur, sæpe et diu portastis pondus diei et æstus; et tandem quia labor vester erat in Domino, sapienter et viriliter triumphastis. Sensimus hoc nuper in concordia, quam inivimus cum domino rege Angliæ, cujus formam, si placet, a latore præsentium audiatis, et petitiones, quas per eum domino papæ porrigimus, solita bonitate promoveatis, habeatisque hominem attentius commendatum.

EPISTOLA LXXII.

AD UNIVERSOS ECCLESIÆ FILIOS, CHARTA PROTECTIONIS ET LIBERTATIS ECCLESIÆ CHRISTI CANTUARIENSIS CONCESSA.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem et benedictionem.

Præteritorum casus temporum idcirco litterarum memoriæ commendantur, ut per transacta mala vel præsentia futura cautius valeant evitari. Ad omnium igitur notitiam volumus pervenire, quod sancta Cantuariensis Ecclesia, a cujus uberibus coaluimus, quæ nos auctore Deo, licet indignos, in id quod sumus promovit, in odium capitis nostri, multis calamitatibus et anxietatibus variis usque in septennium pressa est, quod fere tota novit Latinitas, et adhuc minis et damnis innumeris quotidie fatigatur. Quæ cum sol esse soleat occidentis, et in nostris temporibus ejus offuscata est charitas, quodlibet tormentum, sed etiam mille mortis genera, si tot occurrerent, liben- A tius exciperemus in Domino, quam sustineremus sub dissimulatione his diebus mala quæ patitur. Nos itaque, licet parati sumus pro pace illius et indemnitate caput et corpus persecutoribus exponere, et ne pereat vel quid modicum perdat, perire, quidquid de nobis contingat, indemnitati tamen ipsius in futurum prospicere volentes, ipsam Ecclesiam cum omnibus personis, terris et tenementis suis, pertinentiis et proventibus, libertatibus quoque et dignitatibus suis, sub Dei pretectione et curiæ Romanæ et nostra ponimus, prohibentes ex parte Dei, sub perpetuo etiam anathemate, ne quis jura Cantuariensis Ecclesiæ absque consensu totius capituli monachorum Cantuariensis, aliquo integumento vel causa alienare præsumat. A sæculis enim B inauditum est, quod aliquis Cantuariensem Ecclesiam læserit, et non sit contritus vel correctus a Christo Domino. Raptores igitur et alienatores possessionum, dignitatum et rerum, et detentores, consentaneos quoque et participes, et quincunque secreta capituli malitiose revelaverit alicui hominum, usque ad condignam satisfactionem perpetuo anathemate condemnamus, nec volumus pati ut aliquis alterius professionis vel ordinis secretis capituli misceatur. Ea quoque specialiter, quæ ad dilectos filios nostros monachos ejusdem Ecclesiæ pertinent, videlicet villas, possessiones, earumdemque villarum et possessionum ecclesias et exenia cum pertinentiis et proventibus, sicut in suis continetur munimentis, iis in perpetuum confirmamus. Officialium quoque C suorum et servientium ponendi vel amovendi, omniumque quæ ad eos pertinent, tam intus quam extra, liberam concedimus et confirmamus in perpetuum disponendi libertatem, sicut iis melius et utilius visum fuerit de communi consilio capituli sui. Quatenus, sicut easdem habemus in possessionibus nostris, secundum chartas regum, libertates, similem habeant in portionibus potestatem, salva nobis et successoribus nostris regulari disciplina. Adjicimus ad hæc auctoritate qua fungimur, et indulgemus, ut in malefactores Ecclesiæ, si semel et secundo commoniti noluerint emendari, suspensionis, excommunicationis et anathematis ferant sententiam. Et ut liceat iis omni tempore contra omnia gravamina sedem apostolicam appellare. Et, quia D minantur adversarii quod sedem metropolitanam vel primatis Angliæ, quæ a tempore beati Gregorii per sanctum Augustinum in Cantuaria statuta est, alias velint transferre, sub perpetuo prohibemus anathemate, ne quis hominum aliquo integumento vel causa unquam hoc attentare præsumat. Prohibemus etiam ne episcopi Cantuariensis Ecclesiæ suffraganei, vel abbates alibi consecrentur quam in Ecclesia Cantuariensi, cui tenentur ex professione et debita subjectione, nisi de communi consensu totius capituli monachorum Cantuariensem, nec chrisma vel oleum per Cantuariensem provinciam dividendum aliunde quam ab Ecclesia Cantuariensi, aliquo tempore percipiatur. Volumus etiam et obsecramus

in Domino, ut monachi Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeis ejusdem Ecclesiæ,episcopis, scilicet et abbatibus,omnem reverentiam exhibeant et honorem.Ipsi quoque episcopi monachos Cantuariensis Ecclesiæ in vera quæ Deus est diligant charitate. Dignum siquidem est et consonum rationi, ut qui eidem Ecclesiæ Cantuariensi debita tenentur ex professione simul et subjectione, veram adinvicem observare debeant dilectionem, salva nobis et successoribus nostris debita reverentia et auctoritate. Clericis quoque et laicis, qui coexsules nostri facti sunt et participes laboris, omnia jura sua, reditus et ecclesias confirmamus et obsecramus in Domino, ne quis iis injuriam vel molestiam faciat. Si quis autem hominum hujus nostræ confirmationis paginam infringere vel Ecclesiam Cantuariensem in aliquo vexare vel diminuere voluerit, vel dilectis filiis nostris, monachis aliquam inferre voluerit molestiam, æternam Dei et nostram habeant maledictionem,nisi ante mortem cum restitutione ablatorum condignam fecerit restitutionem. Omnibus autem diligentibus et foventibus eam, Dei Omnipotentis optamus gratiam et sanctorum omnium, qui in Ecclesia Cantuariensi requiescunt societatem et nostram donamus benedictionem. Amen !

EPISTOLA LXXIII.

AD SUFFRAGANEOS CANTIÆ PROVINCIÆ.

Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis venerabilibus fratribus suis, Londoniensi, cæterisque totius Cantiæ provinciæ episcopis, sic transire per bona temporalia,ut non amittant æterna.

Fratres mei dilectissimi, quare non consurgitis mihi adversus malignantes ? Utquid non statis mecum adversus operantes iniquitatem ? An ignoratis quoniam dissipabit Dominus ossa eorum qui hominibus placent ? Confundentur, quoniam Dominus sprevit eos. Satis novit discretio vestra, quoniam error, cui non resistitur, approbatur : et veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Videturque, testante Gregorio, consentire errori, quid ad resecanda,quæ corrigi debent,non occurrit. Inde est quod dominum regem Angliæ satis superque sustinuimus, nec ullum ex eo sustinentiæ nostræ assecuta est Ecclesia Dei compendium. Periculosum et intolerabile de cætero nobis visum est tantos illius, officialiumque suorum circa Ecclesiam Dei et ecclesiasticas personas excessus,ut hactenus, impunitos relinquere : præsertim cum sæpissime nuntiis et litteris,modisque aliis, prout decuit,studuerimus eum a perverso proposito suo revocare. Et quoniam vix ab eo auditi sumus,nullatenus tamen exauditi, scriptum illud, in quo illæ,non consuetudines, sed potius pravitates,quibus perturbatur et confunditur ad præsens Anglicana Ecclesia,continentur, ipsiusque Scripti auctoritatem, invocata Spiritus sancti gratia,publice condemnavimus et cassavimus. Universos etiam observatores,exactores, consiliatores, seu defensores earum excommunicavimus.Omnesque vos episcopos a promissione,qua contra institutionem ecclesiasticam ad earum observationem tenebamini, auctoritate Dei et nostra absolvimus. Quis enim dubitat sacerdote Christi,regum et principum, omniumque fidelium patres et magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur,si filius patrem,discipulus magistrum sibi conetur subjugare,et iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere,a quo credit se non solum in terra,sed etiam in cœlis ligari posse et solvi. Proinde ne in hujus sententiæ commissum incidamus,auctoritatem ipsius scripti, ipsumque scriptum cum pravitatibus, quæ in eo continentur, in irritum duximus et cassavimus. Præsertim his : Quod non appelletur ad sedem apostolicam super aliqua causa, nisi licentia regis. Quod non liceat archiepiscopo vel episcopo exire de regno, et venire ad vocationem domini papæ,sine licentia domini regis. Quod non liceat episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de rege in capite, sine licentia regis, vel terram ipsius vel officialium suorum sub interdicto ponere. Quod non liceat episcopo coercere aliquem de perjurio vel fide læsa. Quod clerici trahantur ad sæcularia judicia. Quod laici, seu rex seu alii, tractent causas de ecclesiis vel decimis. Et alia in hunc modum.

Denuntiamus etiam excommunicatum, et ex nomine excommunicamus Joannem de Oxeneford,qui in hæresim damnatam incidit, præstando juramentum schismaticis, quo schisma jam fere emortuum in Alemannia revixit ; communicando etiam illi nominatissimo schismatico Reginaldo Coloniensi ; et quia contra mandatum domini papæ et nostrum Saresberiensis Ecclesiæ decanatum sibi usurpavit. Quod quidem factum, tam juri contrarium, quam Ecclesiæ Dei exemplo perniciosum, penitus cassavimus,et revocavimus in irritum, præcipientes episcopo Saresberiensi et capitulo in virtute obedientiæ, et in periculo ordinis sui, ne de cætero visis litteris nostris ex eo facto eum decanum haberent.

Similiter et Ricardum De Ivelc. denuntiamus excommunicatum, et excommunicavimus,eo quod in eamdem hæresim damnatum inciderit, communicando eidem Reginaldo Coloniensi schismatico ; machinando etiam et fabricando omnia mala cum schismaticis et Teutonicis illis in perniciem Dei et Ecclesiæ, et præsertim Ecclesiæ Romanæ ex pactis contractis inter dominum regem et ipsos.

Excommunicamus etiam Ricardum de Luci, et Jocelinum de Baill.,qui pravitatum illarum auctores et fabricatores exstiterunt.

Radulphum etiam de Broc, qui bona Ecclesiæ Cantuariensis, quæ alimenta de jure sunt pauperum, occupavit et detinet, hominesque nostros, tam clericos quam laicos, cepit, et in captione tenet.

Hugonem quoque de sancto Claro, et Thomam filium Bernardi, qui ejusdem Ecclesiæ Cantuariensis

bona et possessiones absque conniventia nostra A occupaverunt, et tenent.

Omnesque etiam qui de cætero in possessiones et bona Ecclesiæ Cantuariensis contra voluntatem nostram et consensum manus violentas extendent, eadem excommunicationis sententia innodavimus, juxta illud papæ Lucii : *Omnes Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores a liminibus ejusdem matris ecclesiæ anathematizamus, damnamus atque sacrilegos esse judicamus.* Et non solum eos, sed etiam eis consentientes, quia non tantum qui faciunt rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna et agentes et consentientes comprehendit. Et alibi dicit Scriptura : *Qui consentit peccantibus, et alium peccantem defendit, maledictus erit apud Deum et homines, corripieturque* B *increpatione sævissima.* Et iterum : *Si quis peccantem defendit, acrius quam qui peccavit coerceatur.*

Sane in domini regis personam ferre sententiam adhuc distulimus, expectantes si forte divina inspirante gratia resipiscat ; in proximo tamen laturi eam, nisi citius resipuerit. Et inde est quod fraternitati vestræ mandamus, atque in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus viros prætaxatos, qui a nobis excommunicati sunt vos quoque, prout decet, excommunicatos et habeatis, et denuntiari faciatis, juxta illud decretum Honorii papæ : *Curæ sit omnibus episcopis excommunicatorum omnia nomina tam vicinis episcopis, quam suis parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus ecclesiæ cunctis venientibus inculcare, quatenus in utraque* C *diligentia excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus denegetur, et excusationis causa omnibus auferatur.* Tibi autem, frater episcope Londoniensis, in vi obedientiæ injungimus, quatenus litteras præsentes aliis venerabilibus fratribus et coepiscopis nostris omnibus de provincia nostra manifestes et ostendas. Valete in Christo; et pro nobis orate instanter.

EPISTOLA LXXIV.

AD EOSDEM

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis et apostolicæ sedis legatus venerabili fratri GILBERTO Lon. ep. cæterisque Cantiæ provinciæ episcopis universis salutem.

Si curamus esse quod dicimur, et nostri nominis, D qui appellamur episcopi et pontifices, nosse volumus significationem, oportet nos jugi sollicitudine considerare et imitari vestigia illius, qui pontifex in æternum a Deo constitutus se ipsum pro nobis Patri obtulit in ara crucis, et de summa cœlorum specula omnium actus et actuum intentiones jugiter speculatur, tandem unicuique redditurus secundum opera sua. Vices enim illius in terris gerendas suscepimus, adepti sumus gloriam nominis, honorem dignitatis, fructusque laborum spiritualium temporaliter possidemus, apostolis et apostolicis viris in ecclesiarum fastigiis succedentes, ut nostro ministerio peccati et mortis destruatur imperium, et in fide et profectu virtutum coalescens ædificium Christi crescat in templum sanctum in Domino. Et quidem episcoporum multus est numerus. Qui docendi et pascendi sollicitudinem et instantiam diligentiorum promisimus in consecratione, et verbis quotidie profitemur, sed utinam fides pollicitationis de testimonio operis convalescat! Messis utique multa est, nec ad eam colligendam et congregandam in horreum Domini unus sufficeret aut pauci. Ex quo lege divina cœpit agi populus Dei in Hebræorum duntaxat gentes consistens, judices oportuit multiplicari, et esse plures correptores vitiorum, et morum correctores, quia legislator solus tantæ multitudinis onera non poterat sustinere. Electi sunt itaque, mandante Domino, septuaginta seniores, et adducti ad ostium tabernaculi, quod præfigurabat Ecclesiam. Acceperunt a Deo partem spiritus Moysi, per quem lex intelligitur, ut prophetarent, et populi examinarent et deciderent causas : majoribus tamen reservatis, et referendis ad examen illius, cui totius legis erat credita dispensatio. Et si Scripturas perscrutemur attentius, inveniemus hos Hebræorum præpositos exstitisse, quos ab exactoribus Pharaonis in Ægypto legimus flagellatos, adeo ut tædio affecti, et variis attriti suppliciis nomina sua eorum Ægyptiis fetere quererentur. Quia tamen patientibus habuerunt, et Moysi obtemperantes acquieverunt verbo Dei, hoc præeunte gratia per fidem et jugem laborum experientiam meruerunt, ut cum Moyse præficerentur populo, cujus salutem procuraverant : et qui studiose audierant, doctores ex discipulis redderentur.

Sed et in initio nascentis Ecclesiæ, sicut beatus docet Apostolus : *Christus cœlos ascendens, ut adimpleret omnia, quosdem quidem dedit apostolos, quosdam prophetas, alios evangelistas, alios pastores et magistros, ad instructionem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Neque enim omnia uni committenda erant officia, sed unumquodque membrum suo donandum erat officio, ita tamen ut caput, in quo velut in arce et quodam capitolio virtutum omnes congeruntur sensus, et universis et singulis provideret, et ei vicissim omnia famularentur pro ratione suæ conditionis. Doctor gentium, qui gloriatur se non ab homine, neque per hominem Evangelium didicisse, sed instructum esse a Christo, post annos quatuordecim ascendit Hierosolymam, et cum Ecclesiarum principe de fide contulit, ne forte in vacuum curreret vel cucurrisset. Et ut plurimus patet exemplis, singula Evangelii flumina ad mare, unda orta sunt, redeunt, ut iterum fluant. Siquidem fons paradisi unus est, sed in plura rescinditur flumina, ut undique irriget terram.

Quis Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum et fontem catholicæ doctrinæ ambigit esse? Quis claves regni cœlorum Petro traditas esse ignorat? Nonne in fide et doctrina Petri totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in unitate fidei et agnitione Fi-

lii Dei ? Necesse quidem et multos esse qui lantent, multos qui irrigent, quoniam hoc exigit processus verbi, et dilatatio populorum, cum et antiquus populus, cui unum sufficiebat altare, plures ex necessitate magistros habuerit, nedum modo in concursu et affluentia gentium, quibus Libanus non sufficit ad succendendum, et animalia non modo Libani, sed nec totius Judææ sufficerent ad holocaustum. Sed quicunque sit qui rigat aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi qui plantavit in fide Petri, et doctrinæ ipsius acquiescit. Sane ad eum maxima populi judicia referuntur, a Romano examinanda pontifice, et dispositi sub eo matris Ecclesiæ magistratus, quatenus in partem sollicitudinis acciti sunt, creditam exercerent potestatem. Ut sacerdos, quod in plebe sibi commissa expedire non potest, ad episcopum referat qui negotia supra se ad archiepiscopum reducit aut ad primatem, a quibus quidquid maximum fuerit, Romano pontifici reservatur. Ordinem hunc Petrus docuit: hunc usque modo catholica servavit Ecclesia, nec unquam, auctore Domino, quidquid moliatur iniquitas, subvertetur.

In regno autem Anglorum, quod sine dolore multo ad mentem reducere, aut sine lacrymis dicere non valemus, multum præsumitur adversus Petrum. Sedis apostolicæ, quantum in perversis potestatibus est, attentatur et periclitatur auctoritas, dum illi, quos necessitas pro compendio pœnitentiæ, vel remedio causæ, aut visitationis debito compellit ad dominum papam iter arripere, ab itinere suo præpediuntur, spoliantur, tractantur atrocius, et transfretare prohibentur, vel ab his qui occasiones quærunt ut faciant mala, coacti ideo illicita de præpediendis clericis et pœnitentibus præstiterunt sacramenta. Manus itaque violentas injicientes in clericos facto sub anathematis condemnationem incurrunt. Inde est, quod nos sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate utentes, fraternitati vestræ apostolica auctoritate in virtute obedientiæ, in periculo ordinis vestri præcipiendo mandamus, quatenus de cætero hoc fieri inhibeatis, et eos qui in clericos manus violentas injiciunt, publice excommunicatos denuntietis, et per episcopatum vestrum denuntiari faciatis, et conterminalibus coepiscopis vestris, ut hoc ipsum in episcopatibus faciant suis, domini papæ et nostra præcipiatis auctoritate.

Ad hæc eodem modo, et sub eadem interminatione præcipimus, ut his qui appellantes, aut pœnitentes, ad dominum papam vel ad nos tendentes, impediunt, aut redeuntes a domino papa vel a nobis, denuntietis quoniam sententiam anathematis incurrunt: tam hi qui hoc faciunt in propria persona, quam regis officiales, qui ad hoc facinus compellunt alios. Illos autem, qui coacti de transeuntibus impediendis juramenta illicita præstiterunt, ab hoc juramento absolvimus, ut a tanta iniquitate desistant postmodum, et de commisso pœnitentes discant potius Deo quam homini de cætero obedire. Si quis

A autem ecclesiæ suæ justitiam promovens, et apostolicæ sedi fidem servans, dispendia reformidat, meminerit, quoniam Ecclesia virtutes, quam momentaneas opes longe totius et utilius thesaurizat. Christus, qui Ecclesiæ Romanæ præsidet, omnes adversarias cohibet potestates. Et qui potentes potenter puniet, omnem decrevit puniri inobedientiam. Non humiles tamen adducens in judicium, sed gloriosos terræ humiliat Ecclesiæ ministerio, adversus quam nec portæ inferi prævalebunt.

Pudeat vos, dilectissimi, iniqua exercere judicia, ut juxta quod nobis insultant proceres regni, si pauper offendit in minimo, illico a nobis et officialibus nostris ab Ecclesia excludatur; si dives committit crimina, non conveniatur vel verbo, ut in sic decer-
B nentes possit illud ethnicum retorqueri :

Et tantum miseris irasci numina possunt.

Providete vobis et ecclesiis vestris, ne si hanc injuriam Romanæ Ecclesiæ ulterius dissimulaveritis, merito videamini adversus eam cum impiis conspirasse, et appellantium præclusisse vias. Nec de dispendio ejus vestrum quæratis compendium. Mementote potius, quomodo salvi facti sunt patres nostri, quomodo et quibus tribulationibus Ecclesia creverit et dilatata sit : quas procellas evaserit navis Petri, quæ Christum habet vectorem. Qualiter ad coronam pervenerint, quorum fides ex tribulatione clarius elucescit. Sic Moyses meruit populi principatum ; sic septuaginta judices assecuti gratiam prophetalem ; sic David sublimatur in regem ; sic apostoli
C constituti sunt judices orbis. Sic omnium sanctorum turba processit, ut perpetuo verum sit, quia non sæculari exsilii nullus sit omnino transitus ad delicias regni. Tibi autem, frater Londoniensis, damus in mandatis et in virtute obedientiæ et in periculo ordinis vestri apostolica auctoritate præcipimus, quatenus præsentes litteras aliis fratribus et coepiscopis nostris comprovincialibus adhibita celeritate et diligentia ostendas, et quod in iis continetur districte observari facias. Vale!

EPISTOLA LXXV.

AD EOSDEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis venerabilibus fratribus suis, universis Can-
D tuariensis provinciæ Dei gratia episcopis, si tamen universi scribunt, salutem, et id agere quod nondum agunt.

Fraternitatis vestræ scriptum, quod tamen de prudentiæ vestræ communi consilio non facile credimus emanasse, nuper ex imperato suscepimus. Cujus continentias plus videtur habere mordacitatis, quam solatii ; et utinam magis esset emissum de pietatis studio, de charitatis affectu, quam de obedientia voluntatis. Charitas enim *non quærit quæ sua sunt*, sed quæ Jesu Christi. Erat quippe de jure officii vestri, si veritatem habet Evangelium, quod quidem habet, si recte agitis ejus officium, si fideliter ejus

negotium geritis, cujus repræsentatis figuram, magis A eum timere, qui potest animam et corpus mittere in gehennam, quam qui potest corpus occidere : magis Deo obedire quam hominibus, patri quam domino : ejus exemplo, qui factus est Patri obediens usque ad mortem. Mortuus itaque est ipse pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur ejus vestigia. Commoriamur ergo et nos ei, ponamus animas nostras pro liberanda Ecclesia a jugo servitutis, et opressione tribulantis, quam ipse fundavit, cujus comparavit libertatem sanguine proprio, ne si secus egerimus, merito comprehendat nos illud evangelicum : *Qui amat animam suam plus quam me, non est me dignus.* Optime nosse debueratis, quoniam si justum est, quod præcipit imperator, ejus debetis exsequi voluntatem; si vero contrarium, respondere: B *Quoniam oportet non magis obedire Deo quam hominibus.* Unum vobis dico, ut salva pace vestra loquar, multo tempore silui, exspectans si forte inspiraret Dominus vobis, ut resumeretis vires, qui conversi estis retrorsum in die belli. Si forte saltem aliquis ex omnibus vobis ascenderet ex adverso, et opponeret se murum pro domo Israel, simularet saltem inire certamen contra eos, qui non cessant quotidie exprobare agmini Domini. Exspectavi, non est qui ascendat. Sustinui, non est qui se opponat; silui, non est qui loquatur ; dissimulavi ego, non est qui vel simulatione certet. Reposita est mihi de reliquo querelæ actio, ut merito clamare habeam : *Exsurge, Deus judica causam meam.* Vindica sanguinem Ecclesiæ, quæ eviscerata est, quæ facta est oppres- C sione exanimis. Superbia enim eorum, qui oderunt ejus libertatem, ascendit semper nec est de cætero qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Utinam, fratres dilectissimi, is esset nobis affectus in defensionem libertatis Ecclesiæ, qui paret et propinatur nobis in ejus confusionem litteris vestris, ut credimus, minus legitime appellatoriis! Verum fundata est ipsa supra firmam Petram, nec est qui eam possit evellere, etsi concutere. Utquid ergo quæritis me confundere ? Imo vos ipsi in me : imo et me vobiscum ; hominem qui suscepi omne in me periculum, sustinui tot opprobria, toleravi tot injurias, expertus sum etiam proscriptionem pro omnibus vobis. Expediebat quidem unum affligi pro ecclesia ista, ut vel sic excutiatur a servitute. Discutite D mente simplici causam istam, examinate negotium diligenter attendite quis ejus debeat esse finis, ut deducta majestate imperii, postposita penitus personarum acceptione, quarum Deus acceptor non est faciat ipse vobis intelligere, quid est quod egeritis, quidque quod intenditis agere. Auferat ipse Deus velamen de cordibus vestris, ut cognoscatis quid agere debeatis! Dicat ex omnibus vobis qui noverit, si unquam post meam promotionem alicujus vestrum tuli bovem aut asinum, si alicujus pecuniam, si alicujus causam inique judicavi, si alicujus vestrum dispendio comparavi mihi compendium : reddo quadruplum. Si vero non est quod offenderim, utquid me solum derelinquitis in causa Dei ? Quare vos ipsos vobis ipsis opponere curatis in causa ista, qua nulla specialior est Ecclesiæ ?

Nolite, fratres, nolite vos ipsos et Ecclesiam Dei, quantum in vobis est, confundere, sed convertimini ad me, et salvi eritis. Dominus enim dicit : *Nolo mortem peccatoris, quantum ut convertatur, et vivat.* State mecum viriliter in prælio, apprehendite arma et scutum et exsurgite mihi in adjutorium. Accingimini gladio verbi Dei potentissimi ut simul omnes fortius et validi valeamus una resistere pro officii nostri debito adversum malignantes, adversum operantes iniquitatem, adversum eos qui quærunt tollere animam Ecclesiæ, quæ est libertas, sine qua nec viget Ecclesia, nec valet adversum eos, qui quærunt hæreditate sanctuarium Dei possidere.

Festinemus ergo simul omnes id agere, ne ira Dei descendat super nos, tanquam super negligentes pastores et desides. Ne reputemur canes muti, non valentes latrare. Ne exprobretur nobis a transeuntibus : *A senioribus Babylonis egressa est iniquitas.* Revera si me audieritis, scitote quoniam Dominus erit vobiscum, et cum omnibus vobis in cunctis viis vestris ad faciendam pacem, et defendendam Ecclesiæ libertatem. Alioquin judicet Deus inter me et vos, et Ecclesiæ confusionem requirat de manibus vestris. Quoniam velit, nolit mundus, necesse est ipsam stare firmiter in verbo Domini, in quo fundata est, donec veniat hora ejus, ut transeat de hoc mundo ad Patrem. Judicabit Deus de eo, quod reliquistis me solum in certamine, nec est qui velit mecum ascendere ad pugnam ex omnibus charis meis. Solum adeo, ut cogitet quilibet vestrum vel dicat: *Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se!* Sed reposita est mihi hæc spes mea in sinu meo, quoniam solus non est, cum quo Dominus est, qui cum ceciderit, non collidetur ; supponit enim ipse Dominus manum suam.

Ut itaque veniamus ad rem, dicite, fratres mei, exciditne a vestra memoria, quid ageretur mecum et cum Ecclesia Dei, dum adhuc essem in Anglia ? Quid in exitu meo, quid post exitum, quid etiam agatur diebus istis? Quid maxime apud Northamtonam cum iterum judicaretur Christus in persona mea ante tribunal præsidis, cum arctaretur Cantuariensis ob injurias sibi et Ecclesiæ Dei passim illatas, et sine delectu, Romanam audientiam appellare, et bona sua, quæ male dicimus sua, cum sint bona pauperum, patrimonium crucifixi, quæ potius ei sunt commendata, quam donata, sub Dei ponere protectione et Ecclesiæ Romanæ ? Quis unquam, etsi aliquando injuste proscriptum divina declaravit clementia, vidit, audivit Cantuariensem judicari, condemnari, cogi ad fidejussionem in curia regis a suis præcipue suffraganeis ? Ubi et inventa ista juris vel canonum auctoritas adversa, imo perversitas ? Utquid enormitas ista non parit vobis erubescentiam, erubescentia non immittit confusionem confusio non elicit pœnitentiam, pœnitentia non

excutit satisfactionem coram Deo et hominibus ? Ob tot quidem et tantas Deo et Ecclesiæ ejus illatas injurias in me, et mihi propter Deum, quas sustinere non debui salva conscientia mea, nec sine discrimine vitæ meæ potui emendare, nec dissimulare sine animæ periculo, elegi potius declinare ad tempus, ut habitarem salubrius in domo Domini quam in tabernaculis peccatorum, donec completa esset iniquitas, revelarentur corda iniquorum, et manifestarentur cogitationes cordium. Ita tot injuriarum illatio fuit causa appellationis meæ. Hæc fuit occasio recessus mei, quem dicitis inopinatum, qui magis secundum ea quæ proponebantur adversum me, et quæ agebantur mecum, si veritatem loquimini qui novistis, debuisset fuisse inopinatus, ne impediretur præscitus. Sed Domino vertente casus adversos in melius, prospectum est domini nostri regis honori et suorum, ne quid fieret in me in ipsius ignominiam et generationis suæ. Melius etiam consultum est his, qui suspirabant in necem meam, qui sitiebant meum sanguinem, et qui aspirabant ad fastigium Ecclesiæ Cantuariensi, ut vulgo dicitur et creditur, in nostram perniciem, utinam minus ambiotiose quam avide! Appellavimus et appellati sumus, rebus Ecclesiæ Cantuariensis, nostrisque, et nostrorum, sicut juris exigit ratio, in tuto manentibus, nostram prosecuti sumus appellationem.

Si nobis discedentibus, et in dicessu nostro turbata sunt, prout dicitis, sibi imputet qui causam dedit, qui hoc procuravit. Facientis procul dubio culpa hæc est, non recedentis ; persequentis, non declinantis injurias. Damnum enim dedisse videtur, qui causam damni dedit. Quid plura ? Præsentavimus nos curiæ, nostras et Ecclesiæ exposuimus injurias, adventus nostri causam et appellationis exposuimus, non adfuit qui nobis responderet vel in aliquo. Exspectavimus, nec venit qui nobis aliquid objiceret. Nulla adversum nos reportata sententia antequam veniretur ad regem ; nobis adhuc de more exspectantibus in curia, si forte nobis aliquid opponeretur, ad nostros accensum est officiales, interdictum est eis, ne in aliquo super temporalibus nobis obedirent, ne nobis vel nostris quidquam ministraretur ab ipsis contra mandatum regis et conscientiam ; te, frater Londoniensis, cum Ricardo de Ivelcester, et Eboracensi, sicut dicitur, dictante sententiam. Festinatum est inde ad dominum regem ; viderit ipse, in caput ejus convertatur, qui hoc dedit consilium. Sine judicio, sine ratione, post appellationem, nobis etiam adhuc in curia morantibus, spoliata est Ecclesia, spoliati sumus et nos cum nostris, proscripti et ipsi clerici cum laicis, viri cum mulieribus, mulieres cum in fantulis in cunabulis. Addicta sunt fisco bona Ecclesiæ, patrimonium crucifixi ; pars pecuniæ conversa in usus regios, pars in tuos, frater Londoniensis, si vera sunt quæ audivimus, et tuæ ecclesiæ. Quam, si ita est, exigimus a te, præcipientes tibi in virtute obedientiæ, quatenus infra quadraginta die post istarum susceptionem litterarum, quidquid inde tulisti, vel in usus ecclesiæ tuæ conversum est, remota omni occasione et dilatione, infra tempus prænominatum nobis integrum restituas. Iniquum enim est et juri valde contrarium ecclesiam ditari de alterius ecclesiæ incommodo. Si laudas auctorem, scire debes super rebus ecclesiæ ablatis eum legitime non posse præstare auctoritatem, qui violentam facit, injuriam.

Quo ergo jure perverso, quo canonum ordine transposite poterunt se tueri raptores sacrilegi bonorum ecclesiasticorum invasores, non restitutis ablatis ecclesiæ? Opponent ne appellationis obstaculum ? Absit ! Quæ nova, imo quæ juri contraria introducitis in ecclesias istas ? Videte quid agatis. Certe cudetur in vos faba ista ; et in Ecclesias vestras, si non melius vobis prospexeritis. Periculose enim ageretur cum Ecclesia Dei, si raptor sacrilegus, alienorum bonorum invasor maxime Ecclesiæ, tutus esset adversus eam appellationis auxilio. Frustra enim juris implorat auxilium, qui juri non obtemperat, imo qui est juri contrarius ; suntne istæ injuriæ quas addimus injuriis, labores quos laboribus adjicimus, quia ista et alia enormia, quæ fiebant et quæ fiunt in ecclesia ista, non sustinuimus, quia gravati appellavimus, quia recessimus a curia, quia ausi sumus super injuriis Ecclesiæ et nostris conqueri, et super his omnibus non tacemus, quia ista paramus corrigere ? Periculose ecce affligitur, cui saltem conquerendi solatium denegatur. Vos amici mei, qui altiora sapitis inter alios, qui geritis vos aliis prudentiores, quoniam solent filii hujus sæculi prudentiores esse filiis lucis, utquid decipitis fratres vestros et subditos ? Quare inducitis eos in errorem istum ? Quæ auctoritas, quæ scriptura contulit hanc principibus prærogativam in ecclesiasticis, quam vos vultis eis conferre ? Nolite, fratres, nolite jura regni et Ecclesiæ confundere. Discretæ quidem sunt potestates istæ, quarum unam vim et potestatem sortitur ex altera. Legite scripturas, et invenietis quot et qui periere reges, qui visi sunt sibi sacerdotale officium usurpare. Provideat ergo vestra discretio, ne ob istam pressura divina vos atterat injuriam. Quam, si venerit, non effugietis de facili.

Consulite etiam domino nostro regi, qui ejus comparatis gratiam Ecclesiæ dispendio, ne, quod absit ! pereat ipse, et domus ejus tota sicut periere qui in consimili deprehensi sunt delicto. Si vero ab hoc incœpto non destiterit, qua animi conscientia non puniemus ista, qua puritate conscientiæ ista dissimulabimus? Dissimulet quidem qui hanc habet dissimulandi auctoritatem, non ego, ne veniat in animam meam ista dissimulatio ? Innuitis litteris vestris imo aperte dicitis me regno reclamante, Ecclesia etiam suspirante et ingemiscente fuisse promotum. Scitis quid dicat veritas? *Os quod mendacium scienter loquitur occidit animam.* Verba vero sacerdotis semper comitem debent habere ve-

ritatem. Deus bone, nunquid non erubesceret aliquis de plebe ista dicere ? Consulite conscientias vestras, advertite formam electionis, consensum omnium ad quos spectabat electio, assensum principis per filium suum, et per eos qui ad hoc missi sunt. Filii etiam cum omnibus primatibus regni. Si aliquis eorum contradixit, si reclamavit vel in aliquo, loquatur qui noverit, dicat qui est conscius. Si vero inde turbatus fuerit aliquis, non dicat pro sua molestia toti regno et Ecclesiæ factam fuisse injuriam. Litteras quoque domini regis et omnium vestrum diligentibus attendite, postulantes nobis cum multa instantia pallium, et obtinuisse. Sic se habet rei veritas. Verum si quem torsit invidia, si quem afflixit ambitio, si cui tam pacifica, tam legitima, tam sine contradictione facta electis dolorem et amaritudinem impressit animi, eatenus ut ob hoc machinetur et velit turbari omnia, indulgeat ei Dominus et nos, eo quod culpam suam minime taceat, suamque animi indignationem in conspectu omnium publice confiteri non erubescat.

Dicitis me de exsili sublimatum ab ipso in gloriam. Non sum revera

. . . . *atavis editus regibus.*

Malo tamen is esse, in quo faciat sibi genus animi nobilitas quam in quo nobilitas generis degeneret. Forte natus sum paupere tugurio ? Sed, cooperante divina clementia, quæ novit facere misericordiam cum servis suis, quæ eligit humile ut confundat fortia, in exilitate mea, antequam accederem ad ejus obsequium, satis copiose, satis abundanter, satis honorifice, sicut ipsi novistis, prout quis abundantius inter vicinos meos et notos, cujuscumque conditionis fuerint, conversatus sum. Et David, de post fetantes assumptus, constitutus est ut regeret populum Dei, cui aucta est fortitudo et gloria, quoniam ambulavit, in viis Domini. Petrus vero de arte piscaria electus, factus est Ecclesiæ princeps, qui sanguine suo meruit pro nomine Christi in cælis habere coronam, et in terris nomine gloriam. Utinam et nos similiter faciamus! Successores enim Petri sumus, non Augusti. Novit Dominus, quo intuitu nos ipse desideraverit sublimari. Respondeat ei sua intentio, et nos respondebimus ei pro officii nostri debito, fidelius per misericordiam Dei in severitate, quam qui blandiuntur ei in mendaciis. Meliora enim sunt verbera amici quam fraudulenta oscula inimici.

Impingitis nobis ingratitudinis notam per quamdam insinuationem : credimus, quia nullum peccatum criminale est quod importet infamiam, nisi processerit ex animo. Unde si quis homicidium invitus commiserit, etsi homicida dicatur et sit, non tamen homicidii reatum incurrit. Sic dicimus : etsi domino nostro regi obsequium debeamus jure Domini, si teneamur ad reverentiam præstandam jure regio, si hominum sustinuimus, si filium paterno affectu convenimus si in conventum, non auditi et dolentes necessitate officii censuram severitatis exercemus,

A plus credimus nos pro ipso facere et cum ipso quam contra ipsum: plus ex eo promereri gratiam quam ingratitudinis notam vel pœnam. Sæpissime certe beneficium confertur invito. Unde commodius ejus prospicitur indemnitati, qui etsi non alias ; urgente necessitate revocatur a perpetratione delicti. Præterea defendit nos ab ingratitudinis nota pater noster et patronus, qui est ipse Christus. Jure paterno tenemur ad ejus obedientiam, qua non observata puniemur justa exhæreditationis pœna. Potest enim pater exhæreditare filium ex justa causa. Ipse enim dicit: *Si non annuntiaveris impio iniquitatem suam et moriatur in delicto suo, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Ergo, si delinquentem non convenimus, si non audientem non corripimus, si pertinacem non coercemus, committimus in mandatum, et B tanquam inobedientiæ rei jure exhæreditamur. Jure patronatus, quia ejus sumus liberi ; quoniam, cum essemus servi peccati, facti sumus liberi justitiæ per ejus gratiam, obligamur ei ad reverentiam et obsequium. Unde quoniam nemini, nisi salva ejus fide, tenemur obnoxii, si sit contra eum in dispendium Ecclesiæ pertinaciter, merito, si non punimus commissum pro ea parte sollicitudinis, in quam vocati sumus, collatum revocabit a nobis ob ingratitudinem, ipse solus beneficium, ex quo vere apparebimus ingrati.

Proponitis nobis periculum Ecclesiæ Romanæ, jacturam temporalium. Periculum quidem nostrum et nostrorum, nec fit mentio de periculo animarum. C intentatis etiam comminatorium de recessu domini regis, quod absit, a fidelitate et devotione Romanæ Ecclesiæ ! Absit, inquam, ut unquam domini nostri regis devotio et fides ob temporale commodum vel incommodum a fidelitate et devotione discedat Ecclesiæ ! Quod quidem criminale et damnabile esset in privato, nedum in principe, qui multos secum trahit post se. Absit etiam, quod quis ejus fidelis hæc unquam cogitare debeat, nedum dicere supinus aliquis, nedum episcopus! Videat itaque discretio vestra, ne oris vestri verba inficiant aliquem, vel plures, in animæ suæ dispendium et damnationem, ad instar calicis aurei, qui dicitur Babylonis, interius et exterius veneno illiniti, de quo cum quis biberit, non timeat venenum, cum viderit aurum, et sic in D publicum veniat vestri operis effectus. Ille enim, qui non fallitur, opus furtivum producit in lucem, et machinationes denudat iniquas. In tribulatione quidem et sanguinis effusione consuevit Ecclesia crescere et multiplicari. Proprium enim est Ecclesiæ, ut tunc vincat cum læditur, tunc intelligat cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur. Nolite ergo, fratres, super ipsam flere, sed super vos ipsos, qui facitis vobis nomen, sed non grande ex hoc facto et dicto in ore hominum ; qui provocatis in vos Dei odium et universorum ; qui paratis innocenti laqueum ; qui cuditis novas et ingeniosas rationes in subversionem libertatis Ecclesiæ. Fratres, per misericordiam Dei in vanum laboratis. Stabit enim ipsa Ecclesia, etsi sæpius concussa, in ea fortitudine et firmitate, in

qua firmiter fundata est, donec veniat generale dissidium, donec filius ille perditionis surgat, quem non credimus de partibus occidentalibus ascensurum, nisi perverse mutatus fuerit ordo rerum, et series Scripturarum. Si vero de temporalibus agatur, plus timere debemus animæ periculum quam temporalium. Scriptura vero dicit: *Quid potest homini totum mundum lucrari, animæ vero suæ sustinere dispendium ?* Periculum itaque nostrum et nostrorum penitus abjicimus. Non enim timendus est ille, qui corpus perdit, sed qui corpus et animam.

Arguitis nos super suspensione venerabilis fratris nostri Saresberiensis episcopi, et excommunatione Joannis illius schismatici ex decani, prius, ut dicitis, inflicta pœnaliter, quam de cognitione processa legitime, quam de ordine judiciorum canonice prodita. Respondemus, quoniam utrumque istorum notavit juxta pœnæ sententia, illum suspensionis, excommunicationis istum. Si perfecte tenetis negotii seriem, si recte attenditis judiciorum ordinem, non erit, ut credimus, hæc vestra sententia. Hoc quidem habet auctoritas, quæ vos latere non debet, quoniam in manifestis et notoriis non desideratur ista cognitio. Perpendite diligentius, quid actum sit a Saresberiensi super decanatu post domini papæ prohibitionem et nostram, sub excommunicatione factam et tunc rectius intelligetis, si de manifesta inobedientia suspensio recte sequitur. Unde beatus Clemens : *Si prælatis suis non obedierint cujuscunque ordinis universi, omnesque principes tam inferioris quam superioris ordinis, atque reliqui populi, non solum infames, sed etiam extorres a regno Dei, et consortio fidelium, et a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt.*

De Joanne de Oxeneford dicimus, quia diversis modis excommunicantur diversi : alii lege eos denuntiante excommunicatos, aliis ententi anotati, alii communicatione et participatione excommunicatorum. Illum vero, quoniam incidit in hæresim damnatam communicando schismaticis, et domini papæ excommunicatis, reatumque et maculam excommunicationis in se contraxit, quæ pestis more lepræ inficit et intingit, consimilique pœna facientes et consentientes confundit, et quoniam contra domini papæ mandatum expressum, et nostrum sub anathemate, decanatum Saresberiensem excommunicatus usurpavit, denuntiavimus et excommunicavimus, et excommunicatum firmiter tenemus. Et quod de eo factum est in decanatu, et super decanatu, cassavimus, et cassatum tenemus, sicut et dominus papa jam ipsemet cassavit auctoritate octavæ synodi, cujus hæc est sententia : *Si quis palam vel absconse cum excommunicato locutus fuerit, aut junctus communione, statim in se contrahit excommunicationis pœnam.* Et concilium Carthaginiense dicit : *Qui communicaverit cum excommunicato, si clericus est, deponatur.* Videat ergo discretio vestra, ne quis vestrum cum eo communicaverit. Calixtus enim papa dicit: *Excommunicatos quosque a sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem justam, nec cum eis in oratione, aut in cibo, aut potu, aut osculo communicet, aut* Ave *eis dicat. Quia quicunque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverint, juxta apostolorum institutionem simili excommunicationi et ipsi subjacebunt.* Hic est ordo canonicus, non canonibus, ut credimus, incognitus, sed auctoritate canonum fultus.

Et ne miremini, si quandoque condemnatur absens, legite Paulum, qui absens publice fornicantem cum noverca sua non convictum testibus, non confessum etiam absentem, cujus criminem omnes sciebant, et non arguebant, sicut nos istius, quem non de jure defendit regia potestas, ejecit a cœtu fidelium, et judicavit eum tradi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret, sicut et nos istum. Cæterum quoniam hoc tempore in partibus illis multa hujusmodi, et satis gravia, in absentia nostra fiunt enormia, quæ de cætero, licet absentes corpore, præsentes tamen auctoritate, salva animi nostri conscientia præterire nec debemus, nec possumus incorrecta, tibi frater Londoniensis, qui nosse debueras illud Gregorii septimi: *Si quis episcopus fornicationi presbyterorum aut diaconorum, vel crimini incestus, in sua parochia, pretio, precibusve, sive gratia interveniente consenserit, vel commissum auctoritate sui officii non impugnaverit, a suo suspendatur officio*; illudque Leonis: *Si qui episcopi talem consecraverint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprii, honoris evaserint, ordinationis jus ulterius non habebunt, nec ulli unquam sacramento intererunt, quod immerito præstiterunt*: quoniam in istorum sententiam canonum, sicut pro certo audivimus, deliquisti dupliciter, mandamus tibi, et in virtute obedientiæ mandando injungimus, quatenus, si ita est, infra tres menses post istarum susceptionem litterarum, venerabilium fratrum vestrorum coepiscoporum consilio de tanto excessu sic studeas te offerre correctioni et satisfactioni, ne cæteri tuo exemplo in consimile delictum incidant, et nos pro negligentia tua debeamus tibi severius mandatum proponere.

Opponitis nobis contra metum gravaminum non remedium per appellationem, sed impedimentum, quo minus, sicut intelligimus, exerceamus adversum malefactores, et invasores bonorum ecclesiasticorum, disciplinæ censuram ecclesiasticæ ; ne in dominum nostrum regem, vel terram suam, in personas vestras et ecclesias, aliquid statuamus eo ordine, quo progressi sumus contra Saresberiensem, sicut dicitis, et ejus decanum. Absit a nobis, ut aliquid in eum vel terram suam, vel in vos et ecclesias vestras inordinate statuerimus vel statuamus ! Sed quid est, si eo delinquitis modo, vel consimili, quo jam deliquit Saresberiensis, nunquid hac appellatione potestis suspendere auctoritatem nostram, ne in vos vel ecclesias vestras severitatis disciplinam exerceamus, si delicti enormitas hoc

exiget? Advertite diligentius, si hæc legitima appellatio, et quæ sit appellationis forma? Scimus quoniam omnis appellans aut suo nomine appellat, aut alieno. Si suo; aut a gravamine quod ei infertur, vel quod timet sibi inferri. Certum tenemus, quod nullum vobis gravamen, Deo gratias, a nobis illatum est, unde debeatis ad appellationis confugere remedium. Nec credimus vos ad præsens habere causam adversum nos aliquam, quæ specialiter vestra sit. Si contra metum gravaminum, ne quid de cætero statuam in vos vel ecclesias vestras, videte si sit iste metus qui debeat cadere in homines constantissimos, si hæc sit appellatio quæ debeat suspendere omnem auctoritatem et potestatem nostram, quam habemus in vos et ecclesias vestras. Creditur vero a sapientibus, credimus et nos eam nullius esse momenti, tum quia formam appellationis habere non videtur, tum quia rationi consentanea non est, imo totius juris penitus auxilio destituta.

Si alieno appellastis nomine, aut domini regis, aut alterius. Si non alterius, domini regis. Si domini regis, certe nosse debuerat discretio vestra, quoniam introductæ sunt appellationes ad propulsandam injuriam, non ad inferendam: ad sublevandos oppressos, non ad amplius opprimendos. Unde si quis non confidentia justæ causæ, sed causa afferendæ moræ, ne contra eum feratur sententia, appellaverit, hujusmodi appellationem non esse recipiendam. Quis enim erit Ecclesiæ status, si subversa ejus libertate, si rebus ejus occupatis ac detentis episcopis a propria sede expulsis, vel non pacifice cum omni securitate omniumque ablatorum restitutione admissis, raptores, occupatores, invasores, ne coerceantur, libere appellaverint, et se défenderint per appellationem? Quæ erit ista Ecclesiæ destructio? Videte quid agatis, quidque dicatis. Nonne vicarii Christi estis, nonne vices ejus in terra geritis, nonne vestrum est convenire, corripere, coercere malefactores, ut vel sic desistant Ecclesiam Dei persequi? Utquid non nimis est, si ipsi sævierint in Ecclesiam, nisi et nos pro eis vobis ipsis et Ecclesiæ in perniciem opponatis? Quis unquam audivit hæc mirabilia? Et audietur et prædicabitur in omni populo et gente, suffraganeos Cantuariensis Ecclesiæ, qui cum metropolitano suo ob defensionem Ecclesiæ, ejusque libertatis, haberent vivere et mori, omniaque sustinere dispendia, velle ad mandatum regium, quantum in ipsis est, suspendere potestatem ipsius et auctoritatem, ne severitatis disciplinam exerceat in delinquentes adversus Ecclesiam. Unum certe scio: duorum personam simul gerere non recte potestis, appellantium et appellatorum. Vos estis qui appellastis, vos estis adversum quos appellatur. Nonne una est Ecclesia, et vos de corpore ejus estis? En certamen satis legitimum, satis canonicum, ut qui membra sunt Ecclesiæ, ineant certamen cum capite suo, quo est Christus. Timeo, fratres, ne, quod absit! dicatur de

A vobis: *Isti sunt sacerdotes, qui dixerunt: ubi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt eam.* Præterea discretionem vestram latere non credimus, quoniam non solent audiri appellantes, nisi quorum interest, aut quibus mandatum est, aut qui negotium gerunt alienum. Interestne vestra, ut non coerceantur delinquentes adversus Ecclesiam? Absit! Imo certe contrarium. Si vero qui subvertit Ecclesiæ libertatem, qui bona ipsius invadit et occupat, ac in suos convertit usus, in sui defensionem minime super hoc auditur appellans, et multo minus pro eo appellantes. Ergo nec domino regi suffragatur a vobis pro ipso edita, nec videtur vobis prodesse pro ipso appellatio emissa. Unde si in hoc casu appellare non potest, nec mandare, sic nec vos super hoc ab ipso B mandatum suscipere. Adjicimus etiam vos in parte ista nullatenus ejus gerere posse negotium. Nemo enim episcoporum alterius contra se negotium gerere potest, maxime in oppressione Ecclesiæ, cujus ipse defensor est: et præsertim cum generaliter læditur Ecclesiæ conditio. Ergo si nec vestra interest appellare, nec super hoc mandatum valetis suscipere, nec alienum gerere negotium, nec auditur appellatio vestra, nec de jure tenetur.

Estne igitur ista devotio, et consolatio vestra, fraternæ charitatis affectus metropolitano vestro, pro vobis omnibus exsultanti, a fraternitate vestra exhibitus? Indulgeat vobis Deus hanc inclementiam. An ignoratis, fratres, quod chaos magnum in fraudem legis et canonum inter nos et vos firmatum sit, C ut non possit aliquis de vestris sine discrimine capitis, vel captionis, vel truncationis membrorum, ad nos transire, etsi de nostris aliqui liberius possent, si vellent, ad vos transmeare? Et idcirco miramur, quem ordinem exigitis, ubi nullus ordo circa nos, vel circa ecclesias vel ecclesiasticas personas, sed horror, qui utinam sempiternus non sit, et injuriæ observantur, cum spoliati simus, et nostri? Quorum quidam, tam clerici quam laici, capti redempti sunt post appellationem nostram factam apud Northamtonam, et vestram adversum nos. Cum etiam post istam, quam dicitis, appellationem edictum generale sit propositum, sicut dicitur, ut nemo de nostris inventus sit in terra Anglicana, qui non capiatur: nemo vestrum vel aliorum amicorum nostrorum litteras nostras vel nuntios audeat suscipere. D Et hæc reverentia appellationi debita, exhibita, et observata, infra cujus tempus, si justa est, nil innovari oportet: vos ipsi videritis. Quo ergo jure, quo ordine desideratis a nobis litteras vestras et nuntios benigne suscipi et audiri? Non hoc ideo dicimus, quidquid nobiscum agatur et cum nostris, ut quidquam circa personam domini regis vel terram suam, circa personas et ecclesias vestras unquam inordinate fecerimus, vel per Dei misericordiam facturi simus.

Credebamus quidem, si recte intelligitis, si cupitis utiliter Ecclesiæ subvenire, de nimis ordinata et longâ patientia magis a vobis culpari, quam de severitatis

mora commendari. Mora enim trahit ad se periculum, quia nimis ordinata patientia plus habet remissionis quam commendationis, plus vitii quam virtutis. Et inde est, quod breviter vobis dicimus et affirmamus constanter, dominum nostrum regem nullatenus fore injuste gravatum, si adversus eum, a domino papa et a nobis ipsis legitime litteris et nuntiis ac sæpissime conventum, satisfacere cum possit nolentem, severitatis censura processerit. Non enim injuste gravatur, quem jus punit legitime. Et ut omnia brevissimo fine concludam, certum tenete, quoniam raptores, invasores, occupatores bonorum Ecclesiæ, ejusque libertatis subversores nec tuetur juris auctoritas, nec appellatio defendit. Præterea, fratres, si cupitis ei prodesse, prout justum est, quod et nos cupimus, novit Deus qui scrutator est cordium, procurate ei subvenire illo modo, quo non offendatis in Deum, non in Ecclesiam, non in ordinem vestrum. Quo etiam expeditius et salubrius animæ suæ periculum, quod jam in foribus est, valeat evadere. Hæc idcirco diximus, si inspirante ei divina clementia, de consilio vestro satisfecerit Ecclesiæ, gaudebit ipsa de filii sui reversione, et cum gratiarum actione et devotione multiplici parata fuit, et est semper eum suscipere : gaudebimus et nos.

Judicium vero vestrum, quo dicitis eum satisfacere volentem, paratum etiam satis dare, si super aliquo de libertatibus Ecclesiæ inter ipsum et nos, sicut dicitis, orta est contentio, quod quidem satis miramur, si alicui vestrum hoc est in dubium, cum toti fere mundo sit notum, quoniam non est consentaneum rationi, imo penitus juri contrarium, si non suscipimus imo quia non suscipimus, in quo delinquimus ? Estne causa ista sufficiens, estne peremptoria, quo minus sæpissime et canonice conventus, non satisfaciens, injurias superaddens injuriis, severitate divina corceatur ? Absit ! Scimus enim vos nulla ratione in hac causa judicis officio inter ipsum et nos fungi posse. Tum quia adversarii ejus estis, et esse debetis in ea ob defensionem libertatis Ecclesiæ, cujus partis defendendæ, officii vestri necessitate, cura vobis commissa est, et sollicitudo credita : quam si negligenter omittitis, si periculose dissimulatis, vos ipsi videritis. Tum quia non legimus superiores ab inferioribus metropolitanos maxime a suis suffraganeis, judicari posse. Tum quia nobis et Ecclesiæ quidam vestrum suspecti sunt : utinam non omnes : diversis rationibus, quas in præsenti tacemus.

Audiat itaque dominus meus postulationem fidelis sui, consilium episcopi, patris exhortationem, ut beneficiat ei Deus, et augeat dies ejus, et annos filiorum ipsius in tempora longa ! Permittat ecclesiam suam frui pace et libertate sub ipso, tanquam sub rege Christianissimo, Ecclesiam Romanam uti jure et libertate in terra sua, quam habere debet, et habet in cæteris regnis ! Restituat Cantuariensi Ecclesiæ et nobis jura sua et libertates, et omnia ablata cum pace et securitate nostra, ut libere et quiete possimus Deo militare sub ipso, et ipse debeat obsequio

A nostro uti, prout ei placuerit, salvo honore Dei et Ecclesiæ Romanæ, et ordine nostro ! Istæ sunt dignitates regiæ, leges optimæ, quas petere debet rex Christianissimus et observare, quibus gaudere debet, et sub ipso florere Ecclesia. Istæ sunt leges obtemperantes legi divinæ, non derogantes, quas qui non observaverit inimicus Dei constituitur. *Lex enim Domini immaculata, convertens animas.* De legibus enim suis dicit Dominus : *Leges meas custodite.* Et propheta : *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes scripserunt injustitias, ut opprimerent pauperes in judicio et vim facerent causæ humilium populi Dei.* Non erubescat ergo dominus meus redire ad cor, humiliari in cordis contritione et humilitatis mansuetudine coram Domino, satisfacere ei et Ec-
B clesiæ ipsius de illatis injuriis ! Cor enim contritum et humiliatum Deus non despicit, sed amplectitur sincerius. Sicut et sanctus David, qui cum peccasset, humiliavit se coram Domino, petivit misericordiam, et obtinuit veniam. Sic et rex Ninivæ et civitas tota, cum interminata esset subversionis severitas, quoniam in cinere et cilicio humiliavit se Domino, mutata sententia meruit ultionis censuram contritione cordis et lacrymarum compunctione redimere.

Non hæc, fratres, vobis scribimus, ut facies vestras confundamus, sed ut, lectis litteris nostris et intellectis, valeatis et velitis officii vestri necessitates fortius et validius exercere. Opto vos de cætero semper melius agere, ut sit vobis pax celerior, et amplior
C libertas Ecclesiæ. Orate pro nobis, ut non deficiat in tribulatione fides nostra, sed et secure possimus dicere cum Apostolo : *Qui neque mors, neque vita, neque angeli, neque aliqua creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ subjecit nos tribulationi, donec veniat qui venturus est, qui faciet nobiscum misericordiam suam, et ducet nos in terram promissionis, terram fluentem lacte et melle, quam non dabit nisi diligentibus se.* Valete omnes semper in Domino, et instantius oret, petimus, pro nobis tota Anglicana Ecclesia.

EPISTOLA LXXVI.

AD OMNES EPISCOPOS ANGLIÆ.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus e sedis Apostolicæ legatus, venerabilibus fratribus et
D amicis in Christo charissimis, omnibus episcopis per Angliam et Walliam constitutis, salutem, et in his quæ Dei sunt, felici perseverare proposito.

Ad nos iterato perlatum est verbum abscondatum, et sæculis omnibus abscondendum, scilicet quod nobiscum de pace cum domino nostro rege tractatur, et in injuriam sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ et nostram suadetur ei, ut per manum venerabilis fratris nostri Eboracensis archiepiscopi filium suum faciat coronari. Nos quidem ex conscientia nostrâ ad reformationem pacis in Domino nos semper obtulimus, parati etiam nunc domino regi et filio suo debitum honorem et reverentiam in Christo per omnia exhibere : et si

domino regi placuerit, pro debito officii nostri inungere et coronare in regem, sicut antecessor noster ipsum dominum nostrum, cujus incolumitatem Deus ad honorem suum et utilitatem cleri et populi in omni prosperitate per longa tempora tueatur, dignoscitur consecrasse. Unde major et evidentior injuria matri nostræ Cantuariensi Ecclesiæ irrogaretur et nobis, si hoc alius cujuscunque instinctu usurpare præsumeret. Prohibet hoc auctoritate, qua cunctis præeminet, summus pontifex, sicut ex litteris ejus, quas vobis mittimus, potestis advertere, et ei qui hoc attentare præsumpserit, si quis tamen est, periculum honoris, officii, et beneficii patenter imminere denuntiat. Nos etiam ipsius auctoritate freti universitati vestræ in virtute obedientiæ, in periculo ordinis et beneficii sub anathemate præcipiendo mandamus, ut hoc nullus vestrum attentet, nec attentanti assistat, sed apostolica auctoritate quilibet vestrum exquisita diligentius opportunitate inhibeat præsumptori, ne hoc usurpet, et a communione illius abstineat. Valete semper, dilectissimi fratres in Christo.

EPISTOLA LXXXVII.

AD FILIOS ECCLESIÆ PER CANTIAM CONSTITUTOS.

CHARTA DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ

THOMAS, Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, Anglorum primas et apostolicæ sedis legatus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ fidelibus per parochiam nostram Cantiæ constitutis, salutem.

Cum ecclesiarum jura nostræ jurisdictioni subditarum sollicite debeamus conservare, eademque minuere præsumentes festina et digna animadversione punire, majori tamen vigilantia Ecclesiam Cantuariensem, cui nos divina præfecit misericordia, ejusdemque libertates ac dignitates, ab antiquo ei jure competentes, integras et illæsas nos convenit conservare. Unde universitati vestræ, clericis tamen specialius, auctoritate qua fungimur inhibemus, ne quis ullum ex parochianis suis vel alium quemlibet, qui in cœmeterio Cantuariensis Ecclesiæ se sepeliri petierint, vel amici sui pro eo, impedire præsumat. Clericus etiam, in cujus parochia defunctus erit, usque ad Ecclesiam corpus defuncti comitetur. Quod si noluerit, monachi libere defuncti corpus ad Ecclesiam obsequiis rite peractis deferant et sepeliant. Porro eadem quoque auctoritate inhibitum esse sancimus, quod si quis in prædicta ecclesia vel infra ambitum murorum, ecclesiam et curiam nostram et monachorum, cui gentium homicidium vel furtum fecerit, sanguinem fuderit, personam quamlibet dicto vel facto injuriaverit, vel alicui illicitum commiserit, ne quis archidiaconus, decanus vel præpositus, ulla ve justitia ecclesiastica seu sæcularis se intromittere præsumat. Soli enim personæ archiepiscopi et monachis ecclesiæ nostræ correctionem et satisfactionem delictorum in memoratis locis contingentium reservanda esse constituimus. Quod si quis hanc nostram constitutionem infringere præsumpserit, vel veniæ contravenire attentaverit, Dei omnipotentis indigna-

A tionem et nostram procul dubio se noverit incursurum!

EPISTOLA LXXVIII.

AD OMNES QUI CONT. D. PAPAM JURAVERUNT

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, omnibus in Anglia constitutis, qui contra dominum papam Alexandrum juraverunt.

Sciatis, charissimi, quod ex multa tribulatione et angustia cordis scripsimus, non quidem ut vos contristemus, sed ut intelligatis, quantam charitatem habeamus abundantius in vobis. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Christi Jesu. Unde cognitis, quæ tam corporis proxime quam animæ vestræ periculo, et ad ipsius quidem Dei injuriam vestris inaudita temporibus
B gesta sunt, non modicum contristamur, et confundimur propter vos. Patet siquidem fama vulgante, qualiter dominum papam, qui ipsius Christi imaginem gerit, et me pariter, qui licet indignus, pater tamen et episcopus animarum vestrarum sum constitutus, abjuraveritis. Hoc enim præ cæteris, quæ in exemplum justi judicii Dei jam pluribus annis sustinuimus, nobis ad incredibile pressuræ nostræ augmentum accessit. Illud quippe tam detestabile, tam flagitiosum juramentum, quantum jam generat scandalum mundo, offensam Deo, vobis culpam, nobis afflictionem! Præpositos siquidem a Deo abjurare, ipsius qui præpositos constituit injuria est, et non nostra, qui præficimur, sed potius ejus, qui præfecit, inhonoratur potestas, et evacuatur obedientia. Quod
C profecto vitium, vobis confidentur dico, sed lacrymabiliter propter vos, idololatriæ par et simile est, ut ait propheta: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Unde et statuto veteris legis tales tanquam veri idololatræ corporalis mortis reportabant sententiam. Vos autem fecisse videmini, quod deterius est, qui non solum repugnatis, sed etiam repugnaturos vos juramento firmatis. Illud denique quale est, oves pastores abjicere? Profecto qui pastores suos deserunt, jam lupus invasit. Et nisi pastor, quem abjuraverunt, nunc protegat, depascet eas in finem: multa Scripturarum testimonia et sanctorum exempla in vestri detestationem delicti possent induci.

Verum tanti excessus enormitas etiam extremæ
D intelligentiæ hominibus claret. Si tamen non spontanei, sed inviti accessistis, in parte quidem excusatur peccatum, sed non excusatur omnino. Satius enim fuisset corpus ipsum perdere, quam juramentum tam exsecrabile perpetrasse. Unde filii mortis universi vos, quæ juxta quod propheta ait de populo suo: *Et vos plaga inimici percussi estis, castigatione crudeli.* Verum ad manifestandam sollicitudinem quam pro vobis habemus ad Deum, vulneri tam sævo fomentum, quod solum nunc superest, adhibere curavimus, et de tam illicito juramento pœnitentes, illos præsertim qui non spontanei, sed coacti juraverunt, vice beati Petri, apostolorum principis, et Romani pontificis, et nostra absolvimus; venerabili-

bus fratribus nostris diœcesanis episcopis, et etiam minoribus sacerdotibus, ubi sedes episcopales vacare contigerit, vices nostras in exteriori satisfactione jam dictis pœnitentibus injungenda committentes, omnes in scite volentes, vos tali juramento nequaquam esse obnoxios, nec ut pareatis obligari, ne instar Herodis sub prætextu pietatis efficiamini impii, et juramento excusetis scelus ipso deterius, juxta quod quidam ait : *Non est observandum juramentum, quo malum incaute promittitur*. Et item : *In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti ne facias*. Et multa, quibus nunc supersedeo, his consonantia sunt.

In fine autem obsecro vos ego vinctus in Domino; obsecro quidem vos tanquam filios mihi semper in Christo amplectandos, ut digne ambuletis vocatione, B qua vocati estis, ut ipsius Christi primo fidem tenentes, postea ipsius obediatis præpositis, subjacentes eis : *Ipsi enim pro vobis vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Scire autem volo vos, fratres, quia et juramenta illicita, et cætera enormia multa, quæ pravis suggestionibus in oppressione justitiæ et veritatis circa nos facta sunt, ipsa favente veritate magis evenient ad ipsius profectum. Veritas enim claudi et ligari potest, vinci vero non potest, quæ et suorum paucitate contenta est, et multitudine hostium non terretur. Spiritus autem consilii et sapientiæ det vobis id ipsum sapere in alterutrum, ut unanimes uno ore honorificetis pastores et episcopos animarum vestrarum, quos constituit ille magnus pastor ovium in sanguine æterni testamenti C Jesus Christus, et per charitatem Spiritus sancti, ut patri vestro jam naufraganti orationis vestræ manus porrigatis, ut liberer ab infidelibus, prohibentibus etiam, ne in ecclesia pro me in carcere fiat oratio, quæ tamen commune fidelium et infidelium suffragium est.

Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis, quia male præstito juramento resipueritis, et condigne et humiliter pœnitueritis. Cæteros vero Deus aut cito convertat, aut temporaliter affligat, quousque resipuerint, et condignam pœnitentiam egerint.

EPISTOLA LXXIX.

AD SUFFRAGANEOS SUOS

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, suffraganeis suis. D

Gratias ago Deo meo, cui nunc servio in vinculis meis, quod obedientia vestra jam in Dei ecclesiarum orbe divulgata est. Hæc est nunc gloria mea, quod nunc habitamus in unum rejecto illo infelicissimo Juda, velut putridissimo membro amputato, per quem in nostro corpore tantum scandalum venit, qui velut jumentum inquietum in junctura non trahebat, sed unitatis nostræ turbabat jucundum. Unde gloriam illi dantes, qui virtute sua Catholicæ suæ columnas confirmavit, rogamus vos, fratres amantissimi, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a nostro sensu, neque terreamini, neque per ipsum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam ab Ecclesia missam. Hæc ideo dixerim, quia multi venient, et certe scio neque dubito, quod aliqui jam venerunt, qui velut pestilens ventus adducti mendaciorum aurugine terram corrumpunt. Sunt enim isti prophetæ Baal, missi ut decipiant populum, et ut religiosa mendacia dictorum facilius fidem inducant. A prophetis Hierusalem ista egreditur pollutio supra terram. Ecce enim professionis nostræ sunt, qui persequendo nos movent pedes suos, et non quiescunt, qui epistolas mendacio plenas in orbem dirigunt, aures audientium polluunt, et linguis suis nos toto orbe consectantur. Facti enim divitiarum servi, ad dominorum nutum, a quibus se sperant acceptu-ros, comicorum instar servorum, modo aiunt omnia modo negant. Verum dolorem id temperat, quod jampridem mater nostra interiorem hanc viscerum passionem sustineat. Unde et Dominus ipse hujusmodi prophetis, qui etiam sub statu veteris legis pauci non erant, comminatur in propheta : *Ecce*, inquit, *cibabo eos absynthio, et potabo felle*. A prophetis enim Hierusalem egressa est pollutio super terram, neque ab ista ægritudine penitus sanabitur, donec is venerit, qui sanabit omnes languores, et renovabit ut æquitæ juventutem suam. Vos quidem, fratres, nolite audire prophetas istos. Radulphus vero Landavensis qualisqualis archidiaconus, et Ricardus Barre dicuntur principes prophetiæ. Nolite, inquam, credere. Propheta quippe vaticinii fine monstrabitur. Et scietis indubie quod in brevi nec in longos profecto dies, Domino faciente, sermones vani in tempore visitationis peribunt. Cum enim jam particularis discessio venerit, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, de instantia Dominici diei nulla quæstio est. Vos autem state et confortamini in Domino, ne dies ille tanquam fur vos comprehenbat. Ecce enim dedit vos Deus hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æneum super omnem terram, regi terræ, et principibus ejus, et populo terræ. Si bellaverint adversus vos, non prævalebunt, quia Dominus erit vobiscum. Unde nos de obedientia vestra non minimum confidentes, firmiter vobis injungimus, et in virtute obedientiæ præcepti nostri auctoritate inhibemus, ne in novas obligationes juramenti, seu etiam pollicitationis a vobis exactæ declinetis. Alioquin vos, quod Deus avertat, in inobedientiæ reatum prolapsos adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. De cætero, fratres, orate, ut rumoribus falsiloquorum oppressis, et multiplicis fraudulentiæ dolis, veritas Dei currat, et clarificetur per nos, et liberemur ab importunis et malis hominibus, qui jamdiu veritatem Dei in mendacio detinuerunt. Et Deus patientiæ et solatii det vobis id sapere in alterutrum, secundum Jesum Christum, ut onera nostra invicem portantes, unanimes, et uno ore honorificemus Patrem Domini nostri Jesu Christi, et sponsam ejus matrem nostram, sanctam et apostolicam Ecclesiam.

EPISTOLA LXXX

AD CLERICOS ET LAICOS CANTIÆ.

Thomas Cantuariensis, clericis et laicis per Cantiam constitutis.

Noverit universitas vestra, dilectissimi fratres, quod nos ex justis manifestis causis publice excommunicavimus Gilbertum Londoniensem episcopum, Randulphum de Broc, et alios quorum nomina superius scripta sunt. Denuntiamus ergo vobis, sicut charissimis filiis et fratribus nostris, ut ab eorum communione, donec resipiscant et condigne satisfaciant, prorsus abstineatis. Præterea noveritis quod vos a subjectione et obedientia Gaufredi archidiaconi et Roberti vicarii ejus absolvimus; et prohibemus, ne iis obedientiam aut reverentiam exhibeatis, donec super crimine inobedientiæ condigne satsifaciant nobis et Ecclesiæ Dei, quam plurimum læsisse noscuntur; nec eorum exactiones sustineatis alterius. Non turbetur cor vestrum in his, neque formidet, quia, Deo propitiante, contra malignantium tergiversationes et appellationum subterfugia sedis apostolicæ munimine tuti sumus.

EPISTOLA LXXXI.

AD CLERICOS CANAIÆ

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, omnibus clericis per Cantiam constitutis, et in Christiana communione degentibus, salutem, et *Deo potius quam hominibus obedire.*

Novit vestra discretio pro parte, quot et quantas injurias Ecclesiæ Dei et vobis et nobis intulerit dominus rex Anglorum, et quandiu ipsum et suos in multa patienta sustinuerimus, exspectantes ut eum nostra mansuetudo ad pœnitentiam provocaret. Nunc autem quia ille domini papæ et nostra patientia semper abusus est, et in periculum animæ nostræ redundabit si tantas Christi injurias ulterius dissimulaverimus, universitati vestræ in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo ordinis et beneficii, apostolica auctoritate et nostra præcipiendo mandamus, quatenus, nisi prædictus dominus noster rex infra purificationem beatæ Mariæ Ecclesiæ Dei et nobis debitam satisfactionem exhibuerit, extunc penitus a divinorum celebratione cessetis, excepto baptismo parvulorum, pœnitentia, et viatico, quod pro necessitate conficiendum est, clausis ecclesiæ januis, et laicis personis exclusis, sine campanarum pulsatione et solemnitatibus, quas tempore quietis lætitiæ exercere Ecclesia consuevit. Præterea Gaufredum Ridel et Robertum vicarium ejus, Ricardum de Ivelcestria, Willelmum Giffard, Ricardum de Luci, Nigellum de Saccavilla, et Adam de Cheringis excommunicatos et evitandos esse sub eadem interminatione denuntiare præcipimus: et ne quis parochianorum vestrorum Roberto vicario, quem beneficio ecclesiastico privavimus, deinceps obediat, auctoritate domini papæ et nostra prohibemus; et ne exactionibus, quas exercere solitus est, ulterius acquiescant. Ad hæc nisi Joannes decanus Saresberiensis, et Wido decanus Walthamensis, et Joannes Cumin, et Radulphus Landavensis archidiaconus, et Wimarus alumnus comitis Hugonis, infra nativitatem Domini Ecclesiæ Dei, quam læserunt, et nobis satisfecerint, publice denuntietis eos tanquam excommunicatos extunc esse vitandos. Omnes autem, qui ecclesias vel ecclesiastica beneficia de manu laicorum accipiunt, qui clericos et ecclesiasticas personas ad inobedientiam compellunt, qui domini papæ nuntios et nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt, qui ad evitandam legitimam correctionem, ut justitia Ecclesiæ opprimatur, ad sæculi confugiunt potestates, qui traditione hominum et potentum usurpationes sive abusiones divinæ legi præferendas prædicant, aut præferri compellunt et sacerdotes alienæ ordinationis, qui post exitum nostrum sine auctoritate nostra præsumpserunt, sive concessionem usurpantium vices nostras habuerint, sive non, in episcopatu nostro divina celebrare, nisi postquam hæc eis denuntiatio innotuerit, a tanta præsumptione destiterint; illos etiam qui eos de cætero admiserint in ecclesiis suis, hos, inquam, omnes excommunicatos esse publice denuntiari præcipimus. Ne timeatis, dilectissimi filii, a multitudine vel facie eorum, quia plures nobiscum sunt quam cum illis, vobisque cito de cœlo dabitur consolatio, sanctis omnibus procurantibus apud Deum, ut adversarios Ecclesiæ ad gloriam nominis sui mature convertat aut conterat. Perseverantiam fidei et obedientiæ vobis divina gratia largiatur, sine qua, ut nostis, coronam justitiæ nullus assequitur.

EPISTOLA LXXXII.

AD DECANOS CANTIÆ

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, decanis Cantiæ.

Novit dilectio vestra, quomodo in perniciem Ecclesiæ dominus rex, sedis apostolicæ patientia et nostra semper abutens, deteriora præcedentibus malis semper adjecerit. Inde est quod vobis in virtute obedientiæ, in periculo ordinis, officii et beneficii præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies a susceptione præsentium in ecclesiis jurisdictionis vestræ omnia divina, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, prohibeatis officia celebrari, hujus interdicti sententiam, quantum in vobis est, faciatis ab omnibus inviolabiliter observari. Ad hæc sub eadem interminatione præcipimus, ut procuretis, quomodo litteræ nostræ conventui Cantuariensis Ecclesiæ præsententur.

EPISTOLA LXXXIII.

AD WILLEMUM SUBPRIOREM ET CONVENTUM CANTUARIENSEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus, dilectissimis in Christo filiis, Willelmo subpriori, et Odoni, et cæteris fratribus, qui in sancta Can-

tuariensi Ecclesia Domino famulantur, salutem, et pacem, quam sicut mundus nescit, ita solam Christus agnoscit.

Quot et quanta pro honore Dei, pro libertate Ecclesiæ, pro sedis apostolicæ reverentia, et privilegiis ejus conservandis huc usque parvitas nostra pertulerit, vestra quidem non potest ignorare nec dissimulare debet fraternitas, quæ licet nostris et Christi pauperum nobis in ipso coexsulantium necessitatibus, ut oportuit, nondum communicaverit, tamen acerbitatem exsilii, proscriptionis injurias, contumelias detractorum, persecutorum atrocitates, dolos insidiantium, tyrannorum vires in personam et domum nostram solutius, acrius, et pertinacius effusas, ex relatione multorum audivit, et partim oculata fide conspexit. Cæterum in omnibus his gravissima tuere nobis pericula, quæ pertulimus a falsis fratribus, prætendentibus pacis officia, et obsequia pietatis, et clam tendiculas operantibus. Tendebant laqueos et acuebant ut gladium linguas suas, et aliorum machinas erigebant, ut nobis et nostris prorsus de cœtu viventium deletis, sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ titulum abolerent, et ei auferrent honoris et præeminentiæ gloriam, quam sanctorum, qui in ea requiescunt, constat sanguine, et laboribus multis et magnis acquisitam. Retribuet illis Dominus secundum opera eorum, et secundum nequitias adinventionum ipsorum. Horum incentor et signifer exstitit ab initio Londoniensis ille, qui primus scidit Anglicanæ Ecclesiæ unitatem in perniciem ecclesiasticæ libertatis et nostram. Regis et officialium suorum animos armavit et manus; deinde fratri et amico nostro Eboracensi archiepiscopo assistens et cohærens, quosdam de fratribus nostris exquisita calliditate circumvenit, ut contra matrem suam, cui ad fidem obedientiam ex professione tenebantur astricti, domino papæ pro antedicto archiepiscopo, qui ex quo a Cantuariensi Ecclesia in archiepiscopatum promotus est, ei semper quantas scivit et potuit, tetendit insidias, scriberent, quatenus ei liceret crucem suam salutiferæ crucis æmulam, quia in stipite elationis posita est, per provinciam nostram deferre, ut ad parilitatem Ecclesiæ Cantuariensis quodammodo videretur accedere.

Parcat illis Deus, qui circumventi sunt, et eos qui circumvenerunt, aut compulerunt simplices et infirmos fratres, ad honorem suum aut convertat, aut conterat. Reticeamus ad præsens, quod morosius esset enarrare, quot et quantis, et quibus sollicitationibus et machinamentis exsilium et proscriptionem nostram, cum jam dicto archiepiscopo, et Ricardo de Luci, et Ricardo tunc Pictaviensi archidiacono, præsente nuntio domini papæ, dictavit, et fecit jam protelari in annum quintum, et tyrannorum ministerio Christi pauperes innocentes compellat vivere miserabiliter relegatos, ne propriam injuriam prosequi videamur. Hæc fecit ille Cantuariensis Ecclesiæ filius, verus utinam. Hæc fuit

A exhibitio fidei sacerdotis, et episcopi professi fidem et reverentiam. Hæc opera fratris, amici, familiaris, adhærentis lateri et ordini nostro, qui emergentibus Ecclesiæ necessitatibus nobiscum primus fuit in concilio sacerdotum. Diu, dilectissimi, tacuimus, et eo usque dissimulavimus in periculis et criminibus tam manifestis ut sanctis habentibus spiritum Dei, et viris discretis videretur patientia nostra ignaviæ et remissionis potius nomine digna, quam virtutis. Ille autem quid fecit? Errorem ejus, ne furrorem dixerimus, quo mentis malitiam patefecit, inviti loquimur, neque vos patienter audietis, qui alterum Absalon in sanctæ civitatis subversionem plane cognoscetis armari, ut hæreditatem vestram et sanctorum, quibus vestra clarescit ecclesia, glo-
B riam transferat ad Aquilonem. Similis illi, qui usurpatione gloriæ, non conformitate bonitatis Altissimo voluit coæquari. Gloriatur enim, quod cathedram episcopalem Londoniis statuet, et quod Ecclesiæ Cantuariensi nullam debet obedientiam, quia ex quo translatus est, nec iteravit professionem. Quid ad hæc turbamini, et cogitationes ascendunt in corda vestra, ut lacrymas nequeat læsa pietas continere? Scimus enim, quia nullus vestrum est, aut admodum rarus, et eidem patricidæ comparandus, si quis tamen ad hanc vocem non ingemiscat, cujus animum non exulceret et pertranseat vis doloris, et qui corde et visceribus extractis non mallet præmori, quam videre quod præsumptuosus ille minatur. Sed nutu divino contigit, ut se proteret ini-
C quitas ejus, et qui præcipitare decrevit innocentes, debitam properet ad ruinam, et cum auctore suo pro usurpatione gloriæ irreparabilem excipiat casum. Quis enim contra sanctorum sedem Ecclesiam Cantuariensem, a sæculis tam immaniter insurrexit, et non est præcipitatus ex alto? Quot et quantos persecutores vestros præcipitavit Dominus ante faciem vestram? Itaque consolamini, fratres, experti quod major sit arrogantia Moab, quam fortitudo ejus; et prope est ex quo diuturnos tumultus exercet, ut in nocte vastetur et conticescat. Sed nunquid vos, quibus fere præ cæteris tanta paratur injuria, dissimulabitis ulterius, et a vindicta, quoniam Deus suæ ultor injuriæ et nostræ læsionis,
D cum his qui terram Merob inhabitant, continebitis manus? Sed tenetis quod scriptum est: *Maledicite terræ Merob*, dixit angelus Domini. Et illum quidem jam apprehendit maledictio, quoniam culpis exigentibus traditus est Satanæ in interitum carnis, et charactere bestiæ insignitus, a fratribus et coepiscopis, qui rectum sapiunt, evitatus, ne eos ex participatione lepræ macula damnationis inficiat. Accingimini ergo filii potentes, et estote parati contra subversionem ecclesiæ vestræ in prælium. Si quis Domini est, jungatur nobis, et quisquis conatibus ejus favet animo, manifeste cohæreat illi. Amodo namque duobus dominis servire non poteritis, aut episcopis obedire, quia Dominus ventilabrum judicii sui misit in terram, ut grana a

paleis discernantur. Qui vero illi cohæserint, Deo propitiante similes ei erunt in interium carnis, facti in combustionem et cibum ignis. Nulli enim de cætero parcemus, quia pro modo culpæ exerceatur et ratio vindictæ. Unde quia universitatem vestram, quod Deus novit, sincera charitate diligimus, et pro jure matris nostræ S. Cantuariensis Ecclesiæ, ut præsens indicat dies, si res exigat, decrevimus, animas ponere, vobis consulendo, monendo et in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus duos de fratribus vestris quos ad hoc, vestro communicato consilio, necessarios decrevimus, præparetis, ut sufficienter instructi cum nuntiis nostris possint occurrere homini tam malitioso: et ex rescriptis privilegiorum nostrorum dominum papam et curiam Romanam sufficiant præmunire, et in auditorio ejus expugnare, et proterere publicæ salutis hostem. Nunc enim apparebit, qua fide, qua devotione, quo zelo quisque vixerit hactenus, et militaverit ecclesiæ suæ. Dissimulavimus culpas eorum, qui excommunicatis nostris communicaverunt, licet nomina eorum pro magna parte teneamus expressa, sed de cætero nisi cautius egerint, dissimulationi non erit locus. Excommunicati vero sunt, quorum nomina subscribuntur inferius, nobisque tam de justitia, quam de clementia sedis apostolicæ indultum est, ut nullius appellationis obtentu differamus in eos rigorem ecclesiasticum exercere. Nam dominus papa cognita malitia adversantium, quæ per se patens est, et justitia nostra, quæ cunctis liquet, ita procul dubio in causa nostra procedit, sicut in fratris uterini necessitate judicat procedendum.

Eramus ad consolationem vestram ampliora dicturi, sed consulta ratione substitimus, interim exspectantes et orantes, ut fiat omnium nostrum cor unum et anima una in Domino, ne aliquis quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi, et quod publicæ utilitati expediat, et libertati Ecclesiæ et dignitati in posterum. Confortamini pusillanimes, quia prope est ut videatis gloriam Dei, et confusionem et ignominiam eorum, qui Ecclesiam Dei persequuntur. Non confidat quis in mundana supellectili, vel satellitum familiaritate, quia.

Non habet eventus sordida præda bonos.

Et infidelium nulla est fides. Et ne a nobis districtius exigatur, si eorum qui Ecclesiam persequuntur, et quos, ut pœnitentiam agerent, in multa patientia jam fere toto quinquennio supportavimus, magnas et manifestas culpas ulterius dissimulaverimus, fraternitati vestræ denuntiamus nos publice excommunicasse Gaufredum Cantuariensem archidiaconum, et Robertum ejus vicarium, Ricardum de Ivelcestre, Willelmum Giffard, Ricardum de Luci, Adam de Cheringe, et item eos qui officia vel beneficia ecclesiastica contra sacrorum canonum institutionem de manu laica acceperunt, vel usurpaverunt propria temeritate. Similiter et illos qui domini papæ nuntios vel nostros, ne Ecclesiæ necessita- A tes prosequantur, impediunt. Vobis ergo auctoritate domini papæ et nostra mandamus, quatenus eos tales habeatis in archiepiscopatu nostro et haberi faciatis, quales haberi solemniter excommunicatos sacrorum canonum disciplina præscribit.

EPISTOLA LXXXIV.

AD EOSDEM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et sedis apostolicæ legatus, dilectis in Christo filiis, WILLELMO subpriori, et toti conventui Cantuariensis Ecclesiæ, salutem, et in fidei et obedientiæ virtute constantem perseverantiam.

Lamentati sumus quinquennio cum propheta stupentes præ dolore et admiratione, quomodo domina B gentium, provinciarum princeps, et quondam numerosa filiorum sobole, et populorum affluentia gloriosa, et, quo gloriosior, et illustrior est Britanniarum mater, nutrix et propagatrix in Christo, tandiu in solitudinem, miseramque in servitutem redacta sit, ut nec libertatis audeat meminisse, nec ad quod fundata est, gentibus edisserere legem Christi, et publicare ecclesiasticas sanctiones. Supervacaneum erit referre, præsertim vobis, qui præsentes vidistis, et audistis atroces injurias, et quæ sine miseratione et omni reverentia juris adversus Deum et Ecclesiam præsumpta sunt. Sperabatur quod nostra dominum regem patientia posset ad pœnitentiam provocare: sed, quod sine lacrymis enuntiare non possumus, immanitas ejus ab impunitate semper ascendit, et ex C dissimulatione factus est inhumanior. Timemus ergo ne sanguis ejus, et jam fere deficientis ecclesiæ de manu nostra merito requiratur, si tantus excessus remanserit ulterius impunitus, et irrequisitus a nobis. Nam et Heli ob id periisse describitur, quod filiorum videns et increpans culpas, uti maluit affectione et mansuetudine patris quam severitate et auctoritate pontificis.

Ne ergo nos ex criminis dissimulati consensu justitia reos damnationi deputet ante Deum, vobis in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo officii, gradus et beneficii, apostolica et nostra auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus nisi infra purificationem beatæ Mariæ virginis Ecclesiæ satisfecerit, et tam illi quam his qui pro ea exsulant aut D proscripti sunt, debitam reddiderit pacem, a divinis cessetis officiis, excepto quod exclusis laicis sine solemnitate campanarum et ecclesiasticæ lætitiæ signis, voce demissa canonicus mos viris religiosis indulget. Nec timeatis eos, qui interdum a Domino permittuntur ad majorem coronam electorum corporaliter sanctos affligere, et in animas nihil possunt quia in hoc conflatorio patenter judicabit Dominus quos in futuro debeat coronare. Illos autem qui ecclesias et ecclesiastica beneficia contra canonicas institutiones accipiunt de manu laicorum, qui clericos pœnis aut terroribus ad inobedientiam compellunt, qui domini papæ nuntios et nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt, qui tra-

ditiones hominum divinæ legi præferendas docent, A et usurpationes sive abusiones potentum cogunt Christianæ religionis institutionibus anteponi, et nominatim Gaufredum Cantuariensem archidiaconum, et Robertum vicarium ejus, Ricardum de Ivelcestre, Wilelmum Giffard, Nigellum de Saccavilla, Ricardum de Luci, Thomam filium Bernardi, Adam de Cheringis publice excommunicavimus. Quod si nec in subditorum pœnis excessus correxerit rex Angliæ, exinde personæ ejus, quod inviti dicimus, in dispendium salutis nostræ, sicut hactenus fecimus auctore Domino, non parcemus. Nam miseratio talis impietas esse convincitur, cum scriptum sit, quod qui virgæ parcit, odit filium. Ad hæc eadem auctoritate sub eadem interminatione præcipimus, ut Joannem decanum Saresberiensem, Widonem B decanum Walatham, Joannes Cumin, Radulphum Landavensem archidiaconum, Wimarum presbyterum alumnum comitis Hugonis, a die Nativitatis Dominicæ tanquam excommunicatos evitetis, nisi Ecclesiæ Dei quam læserunt, et nobis satisfactionem debitam curaverint exhibere. Verbum Dei luceat in cordibus et operibus vestris ut timorem Dei præferentes humano, vobis acquiratis coronam gloriæ, et exemplo obedientiæ et fortitudinis feliciter ad coævos transmittatis et posteros.

Similiter Ricardo priori, et capitulo Dovræ, et Cantiæ monasteriis.

EPISTOLA LXXXIV.

AD EOSDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, WILLELMO C subpriori et conventui Cantuariensi.

Quot et quantas persecutiones jam per sex annos gratis pertulerit Ecclesia Anglicana, tanto certius agnoscitis, quanto acerbius ipsa rerum experientia pro magna parte sensistis. Quia ergo dominus rex, dum in multa patientia sacræ Romanæ Ecclesiæ et nostra provocatur ad pœnitentiam, non modo non corrigitur, sed semper adjicit deteriora prioribus, ne sanguis ejus et compereuntis Ecclesiæ requiratur a nobis, universitati vestræ in virtute obedientiæ, sub periculo ordinis et gradus præcipiendo mandamus, quatenus in Ecclesia Cantuariensi cessetis infra quindecim dies a susceptione præsentium ab omnibus divinis, excepta pœnitentia morientium et viatico, quod januis clausis, et laicis exclusis, sine D campanarum pulsatione et omni solemnitate lætitiæ confici religionis favor exposcit. Præcipimus autem, ut auctoritate nostra de hujus specialis mandati tenore utentes, omnibus decanis per archiepiscopatum constitutis denuntietis in virtute obedientiæ, in periculo ordinis, officii et beneficii, quatenus in omnibus ecclesiis juridictionis eorum hujus interdicti sententiam, quantum in eis est, faciant inviolabiliter observari. Vos Deo potius quam hominibus obedientes gratia Dei custodiat.

Similiter abbati de Faversham, et aliis abbatibus, et prioribus per archiepiscopatum constitutis, nisi quod non tenentur aliquid præcipere decanis.

EPISTOLA LXXXVI.

AD GAUFREDUM RIDEL ARCHIDIACONUM CANTUARIENSEM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus GAUFREDO Ridel archidiacono Cantiæ.

Exspectavimus tempore longo fidelitatem tuam, devotionem, et obedientiem. Sed quia fidelitas tua parum nobis huc usque attulit emolumenti, devotio minus exhibuit gratiæ, obedientia nihil tibi comparare debuit meriti, mandamus tibi, et in virtute obedientiæ, ac in periculo ordinis tui et possessionum tuarum præcipimus, quatenus post susceptionem litterarum nostrarum infra quadraginta dies conspectui nostro te repræsentes, servaturus domino fidem, patri devotionem, obedientiam archiepiscopo tuo, ut vel sic discas officii tui necessitates exercere, cujus utinam digne emolumenta senseris.

EPISTOLA LXXXVII.

AD EUMDEM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, et apostolicæ sedis legatus, GAUFREDO inobedienti, archidiacono Cantuariensi, consultius sibi prospicere propter inobedientiam.

Misimus tibi jam pridem præceptorias sub interminatione pœnæ, sub dilatione quadraginta dierum, quatenus infra eosdem ad nos venires, satisfacturus nobis pro officii tui debito. Mittimus nunc correctorias, et merito punitorias, si non veneris responsurus nobis de inobedientia, satisfacturus de communicatione excommunicatorum nostrorum, excepturus de utroque quod meruisti. Hujus rei exsequendæ damus tibi diem peremptorium, quadragesimum equidem a præsentatis tibi litteris nostris, sive fraude tua minus a te receptis, sive præsumptione refutatis. Veni, ut evadas pœnam pro non veniendo. Accelera, ut lætetur Ecclesia de conversione tua. Ne confundaris, ut sentias commodum de confusione, ut convertaris, sit tibi quod meruisti.

EPISTOLA LXXXVIII.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, GAUFREDO archidiacono Cantuariensi.

Justum est ut ei, qui in manifesto inobedientiæ crimine perseverat, a subditis obedientia subtrahatur. Et qui scienter communicat his quos excommunicatos esse non ambigit, se ipsum ex nefanda participatione eorum condemnationi immergit. Nos autem miramur supra modum, qua temeritate præsumas in clericos et parochianos Ecclesiæ Cantuariensis, magisterium gerere, et nostrum videlicet episcopale officium, investituras ecclesiarum faciendo, et tradento curam animarum, quam ipsis archidiaconis sanctorum Patrum decreta subtrahunt, exercere, et plebanas ecclesias onerare variis exactionibus, præsertim cum et publice excommunicaverimus, sicut ipsum Londoniensem, Ranulphum de Broc, et reliquos quorum nomina superius scripta sunt. Clericos quoque et parochianos nostros

ab obedientia et reverentia tua prorsus absolvimus, A donec memor fidei et juramenti quod nobis præstitisti, cum satisfactione condigna redeas ad obedientiam nostram. Prohibemus autem auctoritate domini papæ et nostra, in virtute obedientiæ, in periculo salutis et ordinis, ne de cætero te intromittas de archidiaconatu nostro, donec a nobis absolvi merearis. Hoc autem tam tibi quam omnibus notum sit, quod omnes investituras ecclesiarum, quæ in absentia nostra factæ sunt, auctoritate domini papæ et nostra in irritum revocamus, et tibi interdicimus, ne parochianos Ecclesiæ Cantuariensis tua communione contamines. Et quidem, Deo propitiante, contra malignantium tergiversationes et appellationum subterfugia, sedis apostolicæ munimine tuti sumus, subjicientes et illos B anathemati, qui ex mandato domini regis, aut propria temeritate nostra vel nostrorum occupaverunt bona, aut in proscriptionem innocentium, aut pauperum Ecclesiæ Christi depopulationem, conciliis, aut delationibus, aut dolis ipsius regis animum investigaverunt. Et item eos, qui nuntios domini papæ et nostros ne prosequantur Ecclesiæ necessitates, impediunt. Præcipimusque eos a participatione fidelium abstinere, donec resipiscant et condigne satisfaciant.

EPISTOLA LXXXIX.

AD GUNTHERIUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, GUNTHERIO dilecto suo.

Rediens ad nos Gilbertus canonicus, quem mise- C ramus ad curiam, indicavit nobis Magistrum Herveum super negotiis nostris nihil hactenus effecisse, sed spei bonæ promissionibus detineri. Ecce autem tempus et locus, in quo, favente Deo, prædicta negotia facile poterunt consummari. Dominus enim et amicus noster Moguntinus electus magnus est modo, sicut esse debet, in oculis domini papæ, et facillime nunc ab eo, quidquid petierit, impetrabit. Scripsimus igitur ei, ut ipse apud dominum papam pro nobis sit, postulans instanter ab eo, negotia nostra celerius ad finem debitum perducantur. Nec enim scimus quid superventura dies pariat. Instet igitur, et cum omni sollicitudine curam gerat vigilantia tua, ut dum memoratus amicus noster, dominus electus Moguntinus, præsens est, negotia D nostra, prout Magistro Herveo dictavimus, effectui mancipantur. Diligenter autem observa, ne ad notitiam Willelmi Papiensis, sive Joannis Neapolitani negotia ipsa perveniant. Et ne forte negotiorum qualitas memoriam tuam effugerit, petitio nostra est, ut dominus papa nobis et Ecclesiæ nostræ pristinam primatus ex integro restituat dignitatem, et præcipiat firmiter atque constituat, ut Eboracensis archiepiscopus, remota appellatione, crucis honore præ se ferendæ deposito, jure primatus nobis et ecclesiæ nostræ subjectus sit, nec ullatenus de cætero prædictum crucis honorem in provincia nostra sibi audeat usurpare. Præcipiat quoque nihilominus atque constituat, ut remota similiter appellatione, abbas S. Augustini nobis professionem faciat, et in ecclesia nostra, si fieri potest, vel alibi benedictionem pastoralem de manu nostra recipiat. Ut igitur ad ista nobis impetranda præfatum dominum et amicum nostrum, dominum Moguntinum, totis viribus impellere studeas, et volumus et rogamus. Si enim, quod absit! præsentis temporis opportunitatem vacuam abire permiserimus, nunquam forsitan huic similem nancisci poterimus.

EPISTOLA XC.

AD JOANNEM CANTUARIENSEM CLERICUM SUUM

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, JOANNI Cantuariensis, salutem.

Quomodo de novo facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his, non modo qui in circui nostro sunt, verum etiam omnibus fere gentibus utriusque regni, et Francorum et Anglorum, et forte imperii, qualisque fama, ne dicamus infamia, et scandalum circumvolat per aures et ora omnium in dominum papam, unde magis dolemus, Deus novit, quam de propria persona, et in totam curiam graviter invehentium, et insultantium, et opprobria inexpiabilia improperantiam, ex subscriptis aliquatenus poteris perpendere, et domino papæ, et amicis, si qui tamen sunt, secretius intimare. Ecce Joannes de Oxeneford, et alii regis nuntii a curia redierunt, extollentes se supra id quod dicitur, aut quod colitur Deus; dicentes se impetrasse in curia quidquid desideraverunt: videlicet, quod rex exemptus sit potestate omnium episcoporum, præterquam domini papæ, quoad excommunicationis innodationem; et quod habiturus sit legatum quem petivit, Willelmum scilicet Papiensem, qui inimicus noster est plus quam manifestus, cum plenitudine potestatis in omnem terram regis, ut ædificet, et plantet, et præsertim eradicet, et evellat, omni remedio appellationis sublato, et maxime ad decidendam principalem, quæ inter regem et nos vertitur, causam; et omnes incidentes, omni exceptioni, omne de cætero, ut dicitur, præjudicium allaturas. Et cum hac pompa, cum hoc fastu rediit Joannes de Oxeneford in Angliam. Ei cum applicuisset in portu quodam, invenit ibi prope fratrem nostrum Herefordensem episcopum. auram prosperam ad transfretandum, furtim saltem exspectantem: quia palam non poterat, prohibitus a ministerialibus regis ex parte regis, et litteris ejus. Quo invento, inhibuit ei primo ex parte regis ne transiret, deinde ex parte domini papæ. Episcopo autem quærente, sicut nuntius suus, qui ad nos postea venit dominum suum excusaturus, nobis retulit, utrum super hoc litteras domini papæ haberet? dixit, se habere, quibus inhibebat dominus papa et eis et aliis episcopis Angliæ, ne venirent ad vocationem nostram, neque in aliquo nobis obedirent, quousque veniret legatus de latere domini papæ, a rege impetratus, qui et causam super appellatione

quam fecerant, et causam etiam principalem inter regem et nos, et omnes alias incidentes cum plenitudine potestatis, remoto omni appellationis obstaculo, terminaret. Cumque instaret episcopus, ut litteras inspiceret, dixit se non habere præ manibus quia miserat eas cum impedimento suo usque in Wintoniam, quæ distat a portu Hamtonæ per duodecim milliaria. Misit itaque episcopus, habito consilio cum suis, Wintoniam cum Joanne Magistrum Edwardum clericum suum, virum probum, ut credimus, et fidelem, qui vidit litteras una cum Londoniensi episcopo, similiter transfretare volente. Qui Londoniensis, visis litteris, prorupit in vocem gratulabundus dicens : *De cætero Thomas meus non erit archiepiscopus*. Adjecit etiam Joannes : Quia privilegiata erat persona, ne de cætero posset a nobis excommunicari, nec etiam conveniri nisi in præsentia domini papæ, et liberam se habere potestatem donandi decanatum Saresberiensis Ecclesiæ cui vellet, et omnibus imminutam et suspensam esse nostram dignitatem et jurisdictionem usque in adventum legati venturi. Hæc omnia mandavit nobis episcopus per capellanum suum, canonicum regularem, virum religiosum, quem miserat ad nos, excusaturum, quare non venerit ad vocationem nostram. Vocaveramus enim eum semel, et secundo et tandem tertio, cum peremptorio edicto, quatenus infra purificationem nobis exhiberet præsentiam suam, tanquam vir magnæ auctoritatis, et familiaris regi, tractaturus de pace inter regem et nos, si quo modo fieri posset.

Hæc omnia paratus erat canonicus jurare, se ita accepisse ab ore episcopi, nobis ex parte ejus significanda. Quæ si vera sunt, tunc procul dubio suffocavit, et strangulavit dominus papa, non modo personam nostram, sed et se, et omnes ecclesiasticas personas utriusque regni: imo etiam utramque Ecclesiam, tam Gallicanam quam Anglicanam. Quid enim exemplo hoc pessimo non audebunt cæteri principes terrarum adversus ecclesiasticas personas ? Ad quem recurrent ? Quomodo confidere poterunt de Ecclesia Romana, præ non pro ipsa stantes et usque ad sanguinem decertantes, ita deseruit, et destituit? Quid erit, si manentibus his inauditis, et detestandis privilegiis, et emancipationibus tam personæ regis quam aliorum, sub quocunque prætextu contingat, quod Deus avertat, ut decedat dominus papa, vel ut in urbe turbata fuerint omnia ?

Certe transferentur hæc in hæredes, nec poterunt avelli a manibus eorum. Et quod deterius est, alii principes hoc exemplo similia extorquebunt privilegia, et emancipationes ab Ecclesia, velit nolit ipsa; et sic peribit omnis Ecclesiæ libertas, et episcoporum jurisdictio atque potestas, cum non sit qui cohibere possit, vel coercere tyrannorum flagitia, quorum tota intentio est, hodie grassari in Ecclesiam Dei, et ejus ministros; nec desistent, quousque eos, sicut et alios, in servitutem redegerint. Quis tamen erit finis, adhuc nescimus. Verum id scimus, quia supra modum gravamur, sive vera sint, sive non, quæ proponuntur. Non enim obediunt nobis, nec respiciunt nos in aliquo sicut solent, vel episcopi, vel abbates, vel alii de clero Angliæ, jam quasi certi super depositione nostra. Verum securus sit dominus papa, quod nulla ratione intrabimus terram regis litigaturi, nec stabimus judicio inimicorum nostrorum, et præsertim Papiensis, qui non sitit, nisi sanguinem nostrum, ut attineat sedem nostram, quæ revera, ut accepimus, ei promissa est, dummodo a nobis possit liberari. Est et aliud, in quo gravamur, quia nobiles viri tam proceres, quam episcopi, et alii prælati de regno Francorum, jam quasi desperati de nobis, coexsules nostros quos misericorditer sustentabant, nobis remiserunt, qui frigore et fame de cætero peribunt, sicut et quidam jam perierunt. Hæc omnia domino papæ diligenter insinua, ut remedium aliquod contra hæc mala nobis provideat, sicut petimus ; si quid zeli Dei in eo remansit, quod adhuc speramus, et utinam spes non confundatur. Vale, et quam citius poteris, nuntium nobis istum remitte, per quem de his et aliis certioremur, utpote in arcto constituti, si vera sunt, quæ proponuntur.

EPISTOLA XCI.

AD ALEXANDRUM ET JOANNEM FIDELES SUOS.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, ALEXANDRO et JOANNI fidelibus suis, salutem.

Ante discessum vestrum innotuit vobis, nos misisse canonicum regularem de S. Joanne ad dominos cardinales cum transcripto litterarum domini papæ de excommunicatis nostris sub juramento absolvendis in hanc formam, ut omnia nobis et nostris ablata restituerent ; alioquin in eamdem, in qua prius fuerant, reponerentur sententiam. Postea vero ipsas litteras domini papæ ipsis cardinalibus per dominum Osbertum subdiaconum curiæ misimus, ad quas per præfatum canonicum nobis responderunt, quod prædicti excommunicati, quorum nomina eis in schedula expressamus, ex regis mandato et ejus auctoritate reditus nostros et nostrorum perceperant, et ideo non posse, dum in terra ejus moram facerent, in illos justitiam exercere : adjicientes etiam nomen nostrum ipsi regi adeo esse odiosum ut nec ipsi nec alii auderent de nobis cum eo loqui, nec eum super his, quæ ad nos spectant, aliquo modo convenire. Dixit etiam dominus Otho ipsi nuntio secretius, quod etiam apud vos secretum sit, nemini præterquam domino papæ et fidelioribus amicis nostris revelandum, quia pro nihilo mandaret eis dominus papa aliquid hujusmodi, quod esset contra regem, quem dum moram facerent in terra sua, nec pro ipso papa, nec pro alio eum aliqua ratione offenderent. Et ideo omnimodis expedit, imo plus quam necessarium est, ut omnem quam poteritis, operam adhibeatis, et pro viribus apud dominum papam efficiatis, quatenus sæpe dicti cardinales revocentur, et a terra tota ipsius regis sub pœnæ interminatione exire compellantur. Sed et de Londo-

niensi et Saresberiensi memoriter teneatis, et efficere satagatis, quod vobis injunximus. Litteras etiam domini regis pro nobis, et litteras cardinalium, quas per prætaxatum canonicum nobis miserunt, et litteras domini Ottonis privatas, quas et apud vos privatas esse volumus, domino papæ duntaxat ostendendas, per latorem præsentium vobis mittimus.

Ad hæc significatum est nobis per aliquem, quia juxta quod Willelmus Papiensis suggessit regi, et forte aliis, nisi præsensisset de voluntate domini papæ nos posse transferri, id nunquam rex in quo modo est, propositum arripuisset, nec in ea stetisset. Verum sciat dominus papa et alii amici nostri, quod et eis constanter et firmiter proponatis, quia permitteremus nos potius interfici, Deus novit, qui scrutator est cordium, quam pateremur nos a matre nostra Cantuariensi Ecclesia cum vita avelli, cum nos enutrierit et exaltaverit in id quod sumus. Unde et pro nihilo ad id operam darent, quia citius quodvis subiremus discrimen. Adjiciatis etiam, quia si non esset aliud, nisi quod aufert homo ille possessiones ecclesiæ nostræ, et aliarum ecclesiarum in terra illa, mallemus, Deus scit, mori quavis morte, quam turpiter vivere, ipso nec impune ferente, et debitam a nobis pœnam, nisi forte satisfecerit, non reportante.

EPISTOLA

AD EOSDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Joanni et Alexandro clericis suis.

Quæ in colloquio regum in octava S. Martini apud S. Dionysium habito gesta sunt, plenius agnoscetis ex rescripto litterarum, quas domino Senonensi transmisimus. Sed quia verebamur fastidium, nonnulla quæ ibi desunt, ei domino et amico nostro per vos communicanda litteris præsentibus curavimus exarare. Nam sic ei res facilius innotescet, cum viva voce referre possitis plurima, quæ litteris illis minime censuimus inferenda. Exegerunt a nobis dominus Rothomagensis, et episcopus Sagiensis qui pacis reformandæ mediatores esse debuerant, quatenus exprimeremus immobilium nomina possessionum, quas nobiscum Ecclesiæ Cantuariensi restitui petebamus, ad quod respondimus nos, qui tanto tempore absenter fuimus, et caruimus omnino gentis et terræ nostræ commercio, scire non posse quas terras dominus rex aut officiales ejus alienaverint aut distraxerint, sed omnes nobis restitui volebamus, quas antecessor noster bonæ memoriæ Theobaldus archiepiscopus habuit, quoad vixit, et nos ipsi, quando ad regimen Cantuariensis Ecclesiæ accessimus, et postea quando profecti sumus ad concilium Turonense, et semper, antequam rex nos et Ecclesiam persequeretur.

Et præter istas petivimus et petimus terram, quam Henricus de Essexia tenebat de nobis, quia illo ex tali causa exhæredato, in dominium et proprietatem Ecclesiæ redire debuit, sicut illæ quas de rege tene-

A bat, ad illum redierunt. Feudum quoque Willelmi de Ros nobis abstulit, contra juramentum quod regi Stephano præstitit, quando eum adoptavit in filium, et accepto hominio ejus ipsum regni instituit hæredem. Juravit enim tunc solemniter et publice, quod terras, quas rex Stephanus, dominus et adoptionis jure pater suus, Ecclesiis contulerat, eis perpetuo conservaret. Abstulit etiam nobis terram de Mundeham, quam contra Deum et salutem suam, et omnem æquitatem Joanni Mareschallo contulit, qui nutu divino, ut scitis, beatissimo Anselmo suam vindicante injuriam, cum liberis suis, quos prædæ futuros successores opinabatur, post paucos dies defunctus est. Has autem tres possessiones, scilicet Henrici, Willelmi, et terram quam Joanni contulit, expresse petivimus

B et petimus, malentes exsulare perpetuo, quam istis ablatis dispendiosam Ecclesiæ facere pacem. Mediatores autem nos in bona spe terrarum restituendarum verbis ponere nitebantur, sed circa mobilia, quæ abstulit, loquebantur tepidius, quamvis Sagiensis, et Magister Vivianus nobis mille marcas, si pax procederet, restituendas assererent. Hoc enim se dicebant accepisse ex ore ejus. Nos autem exegimus medietatem ablatorum ad necessarios usus, domini papæ vel religiosorum consilio de residuo pariturí. Quia super omnia perniciem veremur exempli, et saluti nostræ timemus, pariter et illius: nostræ quidem, si tantum sacrilegium dissimulatione foverimus: illius vero, et non restituat cum solvendum sit, aut satisfaciat de ablatis, quia, in ta-

C li casu constat prorsus non dimitti peccatum, si non restituatur ablatum. Sunt autem variæ species compensationum, quas et ille implere sufficit sine magno sui dispendio, et nos parati recipere. Nam ui ei remittamus impœnitenti præsertim, quod Ecclesiæ Dei abstulit, divina nos protegente clementia, nullis unquam machinationibus obtinebit. Si tamen pœnituerit, et de parte satisfecerit, nos eum de reliquo pro devotione, quam exhibebit Ecclesiæ, et charitate, quam ad nos habebit, supportabimus in omni patientia. Quia tam Romanæ quam Anglicanæ Ecclesiæ expedit, ut aliquid habeat penes se, quod ei tumultus et seditiones molienti recte possit opponi. Alioquin quisquis eum prorsus expediet, immanitatem ejus armabit ad ecclesiam jugulandam.

D Nunc autem in eo calculo constitutus est, et imminentem sibi et terræ suæ sententiam adeo timet ex quo dominum Senonensem et Gratianum illum, cujus memoria in utroque regno in gloria et benedictione est, cognovit ad curiam proficisci, ut nihil domino papæ negare audeat quidquid simulet et minetur, si in terras ejus cismarinas aggravare decreverit manum suam, et nuntios ejus confusos remiserit. Nec oportebit, ut sententia sortiatur effectum quia sola comminatio facillime quidquid intentatum fuerit, obtinebit. Misit nuper in Angliam Gaufredum Ridellum, ut torqueat personas ecclesiasticas, et ad inobedientiæ crimen nefariis obliget sacramentis. Is cum Ricardo Pictaviensi archidia-

cono, et aliis officialibus regni, præcepit ex parte regis, ut omnes episcopi Londoniæ convenirent, præstituri cautionem de servando edicto regis, ne quis nuntium aut litteras domini papæ vel nostras, inconsulto rege recipiat ; ne pareat interdicto, si fuerit promulgatum ; ne sententiam anathematis in aliquem fidelium regis ferre præsumat. Sed nullus episcoporum vel abbatum præter illum emissarium S. Augustini, in illo conciliabulo officialium comparere voluit, eo quod præelegerunt incurrere publicæ potestatis offensam, si eam declinare nequiverint, quam derelinquere legem Dei. In primis ergo dominus Wintoniensis publice potestatus est, et solemniter prædicat se mandatis apostolicis, et Ecclesiæ Cantuariensis, cui ex professione fidem et obedientiam debet, cum omni devotione, quoad vixerit, per omnia pariturum : et ut idem faciant, clericis suis indicit. Imitatur eum episcopus Exoniensis, ad omnem promptus obedientiam, et se in religiosorum collegio recepit, donec transeat iniquitas. Norwicensis vero prohibitus ex parte regis, præsentibus officialibus, excommunicavit comitem Hugonem, et alios, prout sibi fuerat imperatum : et descendens a pulpito, cambucam, baculum scilicet pastoralem, super altare posuit, dicens se visurum, quis in terras vel res ecclesiæ suæ manus extenderet. Ingressusque claustrum cum fratribus vivit.

Cestrensis vero similiter exsequi paratus est imperata, et ut ab officialibus tutus sit, secessit in illam partem episcopatus sui, quam Wallenses inhabitant. Ex quo perspicuum est dominum papam ad gloriam Dei et perpetuum honorem apostolicæ sedis in Anglia triumphare, ut ibi floreat et fructificet auctoritas ejus, si in vigore perseveraverit, nec rejecerit coronam sibi divinitus præparatam. Nescit enim impietas quo se vertat, et semper, ut sui perhibent, habet ante oculos dominum Senonensem, et filium gratiæ Gratianum. Ad cujus gloriam plurimum proficit mora, quam fecit Vivianus, qui nunc tandem dolos expertus est illusoris, et malitiam ejus, et fraudes varias non destitit apud nos in compitis prædicare. Quod cum in Ecclesia Romana fecerit, si tamen fides in homine est, etiam testimonio ejus amplius justificabitur dominus Gratianus in operibus suis. Vos autem et per vos et per dominum Hyacinthum elaborate, ut secundum quod promisit, confutet nuntios illusoris sui. Et si hoc fecerit, et vobiscum fideliter ambulaverit, litteras, quos pro eo scribimus, porrigatis domino papæ. Quia sicut pro certo didicimus, nunc in recessu regem perfidiæ constanter arguit, et famam, quam prius læserat, ex magna parte redemit. Si vero voluerit ingredi duabus viis, quod tamen non credimus, quia pecuniam dicitur respuisse, et litteras retineatis, et ne nocere valeat, estote solliciti. Sollicitaverunt nos quidam ex conscientia et mandato regis, ut ad ipsum in Normanniam proficiscamur : nes hoc detrectamus implere si nobis in confinio terrarum, ut promissum est, occurrerint, qui nobis et nostris

A sufficiant præstare securitatem. Vos autem instate, ut dominus papa inhibeat, ne novam, et præter morem Ecclesiæ Gallicanæ et Anglicanæ præstemus cautionem, ne a forma, quam regi scriptam misimus, dominus papa recedat ; ut partem condecentem ablatorum nobis restitui præcipiat ; ut terreat regem metu interdicti in terris cismarinis ; ut regi Anglorum diligentius scribat, quatenus nos recipiat in osculo pacis ; et jubeat in aliis litteris, ut terras ablatas, quas prænominavimus, sine quibus pax esse non potest, Ecclesiæ Cantuariensi restituat. Item prohibeat ne aliquem, nisi præstito secundum morem et formam Ecclesiæ juramento, ab anathematis vinculo præsumamus absolvere. Quoniam inter jura consuetudinum, quas vendicat con-
B tra Deum, si credatur expertis, manifeste cognoscetur hoc fere esse perniciosissimum. In quo si a præsumptione sua ceciderit, non magnopere, ut speramus, ne sæpius confundatur, insistet cæteris. Ad hæc ut dominus papa christianissimo regi de consolatione nostra gratias agens, scribat exhortatorias et animatorias, interserens in eis quantum sit crimen sacrilegii, Ecclesiæ bona diripere, et sine justa causa personas ecclesiasticas exquisitis occasionibus fraudare suis bonis, et quod peccatum sine pœnitentia et satisfactione, præsertim cum tempus adest et rerum copia suppetit, non dimittitur. Quoniam si res ablata, cum reddi possit, non redditur, phantastica pœnitentia est, et non vera quæ proficiat ad salutem, sed accumulat damna-
C tionem.

Mittimus vobis petitionem, quam porreximus regi a qua nullo modo recedatis, nisi possitis meliorare causam, et litteras quas misimus magistro Viviano, et quas ille, ut accepimus, misit Anglorum regi. Quo plenius instructi negotium Ecclesiæ possitis commodius promovere. Si garrulorum quispiam præsumat arguere, quod terram ejus nolumus ingredi, nisi nos recipiat in osculo pacis, Robertus de Silliaco, redeat in mentem ejus, quem nec pacis osculum publice datum, nec fides corporaliter regi Franciæ præscita fecit esse securum : nostræque cautelæ, nisi rationis expers sit, ut credimus, illico veniam dabit. Nos et vos dirigat Dominus, ut faciamus in omnibus ipsius voluntatem, et sive per prospera sive per adversantia nobis, debitam ecclesiæ suæ restituat
D libertatem. Hæc Patri nostro domino Ostiensi, et cætera quæ Senonensi archiepiscopo scripsimus, significabitis ex parte nostra, deinde ex consilio ejus reliquis amicis nostris, qui exspectant et procurabunt redemptionem Israel.

Lexoviensis episcopus, nos, ut scitis, persequitur, amici tamen indutus nomine, et Sinonis sui, quem sub episcopi professione vivendo semper expressit, formam imitatus, dantis arma Danais in Amazones, et Amazonibus tela in Danaos ministrantis, ut suæ quieti provideat, nunc viris ecclesiasticis in sæculares, nunc sæcularibus in ecclesiasticos arma ministrat. Inspicite litteras, quas modo pro Londo-

niensi episcopo, cujus merita nostis, scribit, et ad mentem reducite, quæ nobis consuevit dare consilia, et alterum plane videbitis Sinonem inter Danaos et Dardanos discurrentem. Nam et iste, si virtutem nominis attendatis, Si non est, fovens est, et non in sinu suo : lingua concinnat dolos, et ex abundantia cordis fere semper in amicorum causis et negotiis fidei voluit, terit, et replicat *Sic et non*. Presbyter clericus domini Papiensis idem perseveravit in causa nostra, qui fuit ab initio. Quod quid sit, non latet, ut credimus, dominum Gratianum. Nam et illi, dum præsens esset, astitit, et regi postea semper adhæsit.

EPISTOLA XCIII.

AD EOSDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Alexandro et Joanni nuntiis suis.

Solliciti estote circa negotium nostrum, et contra adversarios nostros cautelam et continuam vigilantiam habeatis, præsertim adversus illum spurium, fornicarium, et ecclesiasticæ pacis inimicum, sacerdotis filium, Reginaldum de Saresberia, qui personam nostram, in quantum potest, diffamat ubique, et deturpat, dicens nos proditorem esse, et sibi fidem nostram dedisse quod patrem ejus non læderemus in aliquo. Quod utique ipsi non plus, quam cani faceremus. Dicit etiam, quod si dominus papa decederet, faceret nos deleri de libro vitæ, jactitans curiam Romanam ita venalem esse, ut intervenientibus muneribus quid velit, possit impetrare. Suggessit etiam regi Anglorum hujusmodi petitiones facere domino papæ, ut alicui episcopo in Anglia C committeret auctoritatem coronandi filium ipsius regis, et consecrandi episcopos, ut vel sic dominum papam deciperet. Cui cum respondisset rex se, ut credebat, a domino papa petitiones illas non posse impetrare, respondit Reginaldus : Dominus papa ut stolidus et fatuus aget nisi petitionibus tuis satisfecerit. Rogamus idcirco dilectionem vestram, de qua sine dubio confidimus, ut cum Hugotione Romano amico nostro, qui de Francia Romam profectus est, et cæteris amicis nostris et vestris pro nobis, sed et pro justitia et libertate Ecclesiæ viriliter stetis, et ad hoc vigilanter tota intentione laboretis, ut ille commentor fraudis, machinator doli, fictor falsitatis, sua pravitatis opinione frustratus undique confundatur, et ita ejus iniquitas per vos D delegatur et in eum redundet, ut doleat se ad curiam venisse, et a suæ iniquitatis teste, quem assidue gerit in pectore, merito torqueri dignoscatur. Nam sicut bene novistis, si dominus papa petitionibus regis in hac parte, quod Deus avertat, aliquo modo acquieverit, sciat indubitanter auctoritatem Ecclesiæ Romanæ in Anglia in perpetuum perituram, ita ut auctoritatis apostolicæ aliquis ibi mentionem facere non audeat. Si vero dominus papa, prout sibi expedierit, nuntios ejus confutatos et proposito suo frustratos dimiserit, sciat nos in proximo, per misericordiam Dei, pacem habituros. His enim duobus A articulis, videlicet coronationi filii sui, et consecrationibus episcoporum insistit rex Anglorum, et valde arctabitur ad pacem nostram faciendam, si constantiam domini papæ viderit. Inter cætera vero caveatis, ne cum prænominato Hugotione in præsentia cardinalium sive aliorum aliqua verba super negotio nostro habeatis, sed cum opportunitatem habueritis, secretius cum ipso de exsecutione negotii tractetis. Ita quidem ut non possit deprehendi vos aliquam cum ipso familiaritatem habere.

EPISTOLA XCIV.

AD ROGERIUM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, et sedis apostolicæ legatus, venerabili fratri Rogerio Eboracensi archiepiscopo, et sedis apostolicæ legato, salutem et utriusque vitæ successus.

Discretio vestra plenius novit, quod Deus in eos vindex est, qui acceptæ gratiæ immemores retribuunt mala pro bonis, et eos quos exigentibus meritis colore et venerari debuerant, accepta occasione nocendi, lædere non formidant. Quot autem et quanta bona a S. Cantuariensi Ecclesia accepertis, et qualiter illa vos promoverit ad summum sacerdotii gradum, in auribus reverentiæ vestræ non necesse est replicare ; tum quia fere omnibus notum est, tum quia incredibile est quod hæc a pietatis vestræ memoria possint excidere. Et quidem adhuc eadem mater vestra parata est, qnandiu vestræ visum fuerit sanctitati, amoris et reverentiæ cultu prosequi, quod cœpit in vobis, optans et orans sibi ab eminentia vestra rependi vicissitudinem pietatis. Nec stabit per nos, quin solliciti simus servare vobiscum unitatem spiritus in vinculo pacis. Et licet simus exsules et proscripti pro Domino, speramus quia, illo propitiante pro quo patimur, vobis poterimus obsequii vicem referre in domino. Percipimus autem susurrii venas, quod sinceritatem vestram quidam in injuriam S. Cantuariensis Ecclesiæ animare et armare nituntur, ut filio domini regis, cujus vias Deus dirigat in beneplacito suo, diadema imponatis, et ipsum contra fas promoveatis in regem. Quod quia contra dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ, si forte, quod absit, præsumeretur, esse manifestissime constat, hoc tam vobis quam omnibus episcopis Angliæ dominus papa, sicut ex litteris ejus, quas vobis transmittimus, perspicuum est, interdicit : et nos, ne ab aliquo attentetur, auctoritate apostolica prohibemus, super hoc adversus omnem animam hoc molientem appellantes, diemque præfigimus purificationem S. Mariæ. Et ne quis eorum, qui jurisdictioni nostræ metropolitico aut legationis jure subjecti sunt, huic temeritati assistat, in virtute obedientiæ, et sub anathemate penitus inhibemus.

Similiter omnibus episcopis Angliæ.

EPISTOLA XCV.

AD EUMDEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri et amico

Rogerio, Dei gratia Eboracensi archiepiscopo, et A sedis apostolicæ legato, salutem, et pastorales excubias feliciter adimplere.

Quantis calamitatibus diutius afflicta sit Mater nostra, a cujus uberibus coaluimus, et quæ utrumque nostrum auctore Deo in id quod est, promovit, sancta Cantuariensis Ecclesia, fraternitatem vestram latere non potest, præsertim, cum totus fere Latinus orbis contritiones ejus hactenus contra fas et æquum, et supra omnem modum invaluisse cognoverit. Exspectaveramus correctionem domini regis, quem clementia summi pontificis et patientia nostra, et divini judicii, quod maxime fidelis anima reveretur, timor, debuerant ad pœnitentiam provocasse. Sed ille Dei misericordia et hominum patientia quoad causam hanc semper abutens, damna damnis B indesinenter adjecit, et atrocissimas injurias gravioribus cumulavit injuriis. Ne ergo sanguinem ejus in compereuntis Ecclesiæ ob nimiam patientiam et injustam dissimulationem de manibus nostris requirat Dominus, fraternitati vestræ litteras apostolicas destinamus, rogantes et obsecrantes in Domino Jesu Christo, et unitate charitatis, et fœdere pacis ecclesiasticæ, et auctoritate domini papæ, per fidelitatem, quam sedi apostolicæ debetis, denuntiantes, quatenus infra quindecim dies a susceptione præsentium per totam provinciam vestram, quæ in potestate præfati regis est, omnia divina, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, prohibeatis officia celebrari, et ab omnibus subditis vestris interdicti sententiam quantum in vobis est, C faciatis inviolabiliter observari. Ne vos, quod absit, cum his qui in scelere suo perituri sunt pœna damnationis involvat. Portitori vero istarum prospicite, sicut vobis et ordini vestro cupitis esse prospectum. Fraternitatem vestram per vias rectas deducat Altissimus, et faciat participem illorum, quibus in Evangelio promissum est regnum cœlorum.

EPISTOLA XCVI.

AD CONRADUM MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM ELECTUM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Conrado Moguntino electo, se et quod sibi.

Rediit nuntius noster quem miseramus ad curiam. Adhuc pendent negotia nostra, et spei bonæ promissionibus detinentur. Verum quoniam in hujusmodi negotiis dilatio periculose nonnunquam D admittitur, ad specialem amicum nostrum nos convertimus, ut ipse pro nobis sit, et pro parte nostra laboret, enixius implorantes. De cujus persona si forte, quod absit, dubitatis, cui loquimur ipse est; vos, inquam, specialis et unicus, præcordialis et intimus amicus noster in Domino, cui negotia nostra cum tota fiducia commendamus, orantes, si tamen apud talem amicum precibus opus est, ut ea promovere, et ut in præsentia tua ad finem debitum perducantur, modis omnibus instare dignemini. Ecce enim tempus et locus, in quo petitiones nostræ repulsam nullo modo patientur. Sicut ergo vitam et animam nostram diligitis, ita petimus ut pro nobis et ecclesia nostra sollicitus esse curetis, postulantes instanter a domino papa, ut in recompensationem omnium laborum nostrorum, quos ambo pro fide et unitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ sustinemus, nobis et Ecclesiæ nostræ pristinam primatus restituat dignitatem. Juxta quod vobis præscripsimus, et clerici nostri Herveus et Guntherius vobis præscribent. Rogamus præterea, ut nos de statu vestro erga dominum papam, et dominos cardinales, et ipsorum erga vos, per nuntium vestrum, si ipse moram feceritis, celerius certificare curetis. Sciatis autem quod de nostris nihil audivimus. Valete.

EPISTOLA XCVII.

AD EUMDEM, ET SABINUM, HYACINTHUM ATQUE HENRICUM CARDINALES

Dominus archiepiscopus Conrado Moguntino archiepiscopo et Sabino episcopo, Jacintho et Henrico sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, salutem et promptam ad obsequium voluntatem.

Satis superque sustinui, domini patres, correctionem regis Angliæ exspectans, nec ullum omnino patientiæ meæ fructum inveni. Exsecutus sum circa eum et nuntiis et litteris et modis aliis quidquid debui, sed ipse, patientia et sollicitudine mea semper abutens, magis magisque procedit in deterius, conculcans et deprimens Ecclesiam Dei, meamque personam inexorabili odio persequens interim, ut abbati Cisterciensi jam scripserit, ut sicut abbatias ordinis sui quæ in ipsius potestate sunt diligit, ita nos et coexsules nostros a beneficio et familiaritate ordinis alienet. Cum igitur excessus et impietas ipsius et ministrorum ejus difficile quidem explicari, sed difficilius credi possit, periculum tam meum quam ipsius attendens, perniciosas illas non tam consuetudines quam pravitates, quibus perturbatur et confunditur Anglicana Ecclesia, scriptum etiam et auctoritatem scripti quo fuerant confirmatæ, publice condemnavi, tam observatores quam exactores et paternos earum fautores, etiam et consiliatores seu adjutores, quicunque fuerint sive clerici sive laici, generaliter excommunicans et episcopos nostros a juramento, quo ad earum observantiam violenter astricti fuerunt, absolvens. Sunt autem hæc quæ in scripto illo specialiter condemnavi. Quod nec appelletur ad sedem apostolicam qualicunque de causa absque assensu regis. Quod non liceat episcopo excommunicare aliquem, qui teneat aliquid de rege in capite, vel terram ejus vel officialium suorum sub interdicto ponere absque licentia ipsius regis. Quod non liceat episcopo coercere aliquem de perjurio vel fide læsa. Quod clerici vel viri religiosi trahantur ad judicia sæcularia. Quod laici seu rex seu alii tractent causas de Ecclesiis vel decimis. Quod non liceat archiepiscopo vel episcopo venire ad vocationem domini papæ sine licentia regis, et alia in hunc modum.

Nominatim etiam excommunicavi Joannem de

Oxeneford qui communicavit schismatico et excommunicato illi Reginaldo Coloniensi, quique contra mandatum domini papæ et nostrum, usurpavit sibi decanatum Saresberiensis Ecclesiæ, et in curia imperatoris pro schismate renovando præstitit juramentum. Similiter et Ricardum Ivelchester denuntiavimus excommunicatum et excommunicavimus eo quod incidit in eamdem hæresin damnatam, communicando nominatissimo schismatico illi, machinando etiam et fabricando omnia mala cum schismaticis et Teutonicis illis in perniciem Ecclesiæ Dei, et maxime Ecclesiæ Romanæ ex pactis contractis inter regem Angliæ et ipsos : et Ricardum de Luci et Jocelinum de Baill., qui regiæ tyrannidis fautores et hæreticarum illarum pravitatum fabricatores exstiterunt: Randulphum de Broc et Hugonem de sancto Claro, et Thomam filium Bernardi, qui possessiones et bona Ecclesiæ Cantuariensis absque licentia et consensu nostris sibi usurpaverunt. Excommunicavimus etiam omnes, qui de cætero in possessiones vel in bona Ecclesiæ Cantuariensis manus contra voluntatem et assensum nostrum extendunt. Ipsum tamen regem nondum personaliter excommunicavimus, exspectantes adhuc correctionem ejus, quam tamen excommunicare non diffitemur, ni celerius resipuerit.

Unde dilectionem vestram instantius precor et moneo, ut constanter in hac parte vos habeatis, dominum papam studiosius commonentes, ut quod a nobis factum est, ratum habeat, alioquin et auctoritas apostolica minuetur ultra modum in partibus illis, et libertas Ecclesiæ, quæ jam ex maxima parte deperiit, tota sine dubio deperibit. Ecce enim crescunt hæredes ipsius regis, qui paternæ crudelitatis imitatores existent, nisi perniciosa genimina cum immenso vigore severitatis ecclesiasticæ fuerint radicitus amputata. Ego autem multo magis vellem non solum usque ad sanguinem, sed usque ad ipsam mortem resistere, quam in Ecclesia Dei tam flagitiosa piacula diutius impunita relinquere. Sciatis autem Dominum Rothomagensem et quosdam alios regi in faciem dixisse, nullum ex eis contra mandatum domini papæ communicaturum, quin potius sententiam, si in eum et terram ipsius lata fuerit, ad jussionem domini papæ firmiter observabunt. Scimus autem et certum habemus, quod obstinatio regis citissime frangeretur, si in terram ejus cismarinam districta sententia poneretur.

EPISTOLA XCVIII.

AD EUMDEM.

Dominus Cantuariensis, C. Moguntino archiepiscopo.

Omnia nostra ideo vestra reputamus, quia nos ipsi omnino vestri sumus. Sufficere debet hoc ad persuasionem. Petimus itaque ut nostræ prospiciatis necessitati, quam ex rescripto litterarum quas domino papæ mittimus facile advertetis. Illud enim mittimus vobis, non minus de vobis confidentes quam

A de nobis : quia de vestris negotiis æque sollicitamus ac nostris.

Ecce Joannes ille schismaticus de Oxeneford, qui perjurio suo nostrum, quantum potuit, procuravit exsilium, sedem apostolicam appetit, ut eam circumveniat et subruat æquitatem. Rogamus ut respondeat ei iniquitas sua, et domi sentiat esse Petrum, qui quidquid iterato dejiceret eum coram regibus et principibus ausus est impugnare. Discat prophetam esse in Israel qui tempore accepto justitias judicet. Presbyter clericus domini Papiensis regi Anglorum nuper promisit quod dominus suus legatione accepta causam, quæ inter nos et ipsum vertitur ad voluntatem ejus definiet, et de nostra depositione jam gloriantur palam hostes Ecclesiæ persecutores
B nostri et imo Christi. Nos autem nisi inevitabilis necessitas cogat, nullius excipiemus judicium nisi domini papæ, magis Ecclesiæ subversionem Anglicanæ et Romanæ confusionem timentes quam nostram. Vigilate igitur apud dominum papam et Cardinales ut saluti suæ prospiciant coram Deo et honori coram hominibus. Nam quidquid in alterutra parte fecerint, memoriale erit in sæculum sæculorum.

EPISTOLA XCIX.

AD EUMDEM.

Animæ suæ dimidio, salutem, quam sibi, et ampliorem, quum sibi sit minima.

Inter optimam conscientiam et durissimam fortunam constitutus ignoro, quomodo et animo meo et
C tempori parcam. Angit me animi mei amaritudo periculo meo dicere quod sentio, urget me temporis importunitas periculo Ecclesiæ silere quod non debeo. Deus bone, quo me vertam ? Utrobique certe periculum est. Ad dicendum etiam sine periculo non sufficio, dicendo cum Ecclesiæ discrimine deficio, tacendo cum ipsa pereo. Verum ne Ecclesiæ periculo peream, et ergo dolendo dico rem dolendam nimis. Capta est urbs inclyta, quæ jam fere totum subegerat orbem, subversa humana gratiæ aviditate. Et quæ gladio perire non poterat, occidentali veneno infecta succumbit. Proh dolor ! Ipsius occasu fit undique dispendium libertatis Ecclesiæ compendio temporalium. Itur in ipsius ruinam per anfractus divitiarum: prostituta est ut fornicaria, quæ multo-
D rum libidini patet in platea, fornicantur cum ea quilibet potentum, ut subacta cedat ambitioni concipiens iniquitatem, et pariens pressuram immeritis. Væ nobis : Quid faciemus ? Urbis ruit auctoritas, et cervix nostra quomodo non flectetur? Exclusis filiis admittuntur privigni, ut bonis maternis utantur extranei, quibus alendi erant legitimi hæredes. Et quæ benigne in sinum suum susceptura erat oppressos, in visceribus charitatis curatura languentes, opprimentes elevat, mole gravaminum conterit depressos. Quo erit nobis refugium de cætero, si non præstita satisfactione meruerint inde absolvi, unde amplius erant condemnandi ; si exterserint tanquam re bene gesta remissionem, qui meruerant ultionem ; si re-

portaverint de indulgentia gloriam, qui conscii de A merito exspectabant pœnam? O utinam non me reperisset sors ista superstitem, ne viderem mala gentis nostræ, et sanctorum; nisi quia, ut Scriptura dicit, necesse est amore justitiæ temporaliter multa pati justos mala. Haberet tamen aliquid solatii, si radicis amaritudinem compensaret dulcedo fructum. Solent enim dura principia meliori fine concludi. Verum ne quid desit ad coronam, hac tempestate cedit nobis in contrarium, ut qui dura sentimus initia, evacuata spe boni, more contrario exspectemus duriora. Exclusi enim sumus a sinu matris, clausa sunt nobis patris viscera, detraxit immeritus benemeriti spolia, tulit male conscius rem bene conscii, comprehendit piger bene currentis bravium, rapuit puniendis legitime certantis coronam. Ego vero miser in quo deliqui, quid mali promerui? Si supra opinionem hominum devotionem exhibui, si contra voluntatem amicorum fidem servari, si relictis omnibus devotionis affectu, contemplatione fidei nudus et abjectus cum meis miseriis secutus patrem meum et dominum, exposui me omni periculo, eritne ista confusionis nostræ retributio, restauratio perditorum, radicis amaræ dulcedine fructum compensatio. Annon erunt ista de cætero in ore vulgi remunerationis iniquæ proclamatio? Videat Deus, examinet ipse, judicet hanc juris æquitatem. Res miranda nimis, res admiratione stupenda, cuditur jus nomini imo, ut verius dicam, juri contrarium, justitiæ et æquitatis perimens auctoritatem. Transit in jus persecuti persecutoris temeritas, ut excipiat pœnam C de victoria donandus, reportet gloriam merito inglorius, vincat vinciendus. Nunquam fuisset ista legatio tantorum ministra malorum, in tot exsulum fabricata perniciem miserorum, totius Ecclesiæ peremptura compendium. Certe nec si se ruperint, poterunt me avellere Christo juvante a tramite justitiæ, a liberatione servitutis Ecclesiæ, pro ea parte sollicitudinis, in qua vocatus sum, a charitate Dei, quæ nos subjecit tribulationi, donec veniat justus judex, qui æqua lance dispensabit utrique, juveni pariter et seni, regi ac privato, omnibus æque prout quisque meruerit. Hunc expeto judicem, hunc injuriarum nostrarum ultorem expeto fultus optima conscientia, securus devotione sincera, solidatus in fide vera, certus amore justitiæ sustinentes injuriam D nulla debere ratione confundi; zelo vindictæ confringentes cornua persequentium Ecclesiam spe remunerationis æternæ nullatenus posse privari. Hæc animæ suæ scribo dimidio, ut sentiat amici dolentis angustias, patientis pellat dolores, pereuntis pressuras tollat. Non est enim dolor, sicut dolor meus. Traditus namque prædicor in manus inimicorum, proditus ad voluntatem invidorum, lacerandus dentibus malignorum, perimendus unius meorum judicio persecutorum. Res nefanda nimis, sui crudelitate horribilis, sui malignitate odibilis, sui facilitate contemptibilis, sui iniquitate damnabilis in æternum. Suffecisse debuerat, Papiensibus Italiam subvertisse, nisi et orbem cum Ecclesiæ libertate sua cura perimerent. Haberem vobis scribere plura, si non confectus injuriis, et contumelis affectus timerem dolorum meorum relatione mentis vestræ turbare quietem, exaggerare sollicitudines, infestare jucunditatem, quam expedit mihi valere, ne peream. Valeat ergo pars sana mei, ut convalescat ægrota. Festinet mihi subvenire, ne tota depereat, ut inde recipiat in terris gloriam, et in cœlis coronam. Valeat iterum et semper, habeatque fidem, si placet, huic nuntio, cæterisque per Dei misercordiam in brevi venturis.

EPISTOLA C.

AD EUMDEM.

Animæ suæ plus quam dimidio THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ miserabilis exsul, salutem, et se totum, deducta miseria, cujus semper expertes amicos esse desidero.

Consoletur vos Dominus in omnibus angustiis vestris, qui vicem meam et coexsulantium mihi doluistis ut vestram, et, quod rerum experienta didici, proscriptionis et multimodæ miseriæ stimulos studuistis ab Ecclesia Dei, et paupercula domo nostra totis viribus propulsare. Suspensionem nostram in utriusque regni compitis quasi voce præconia jactitat rex Angliæ, et in testimonium confusionis meæ, quo me reddat magis onerosum et odiosum hominibus, litteras apostolicas profert. Gloriatur et terminum sibi datum, donec me recipere velit in gratiam, quod, si licuerit, facturus est ad Kalendas Græcas, id est nunquam. Monetis ut interim patienter feram, virtutem patientiæ magnis laudibus prædicatis, et non cogitatis non deesse, qui de latere illud comicum ingerat: *Omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis damus.* Tu autem si hic sis, aliter sentias. Quis enim jugulatur doloris expers, nisi stupidus et insensatus? Sed et hoc, quoniam ita necesse est, quandiu Domino visum fuerit, fortem animum tolerare jubebo: non autem ego, sed gratia Dei mecum. Sinceritatem quoque, et amicitias, et diligentiam dominorum cardinalium commendatis: et ego quidem de quibusdam eorum non diffido, præsertim in causa Dei, et Ecclesiæ Romanæ, potius quam mea vel meorum. Retribuat illis Deus bona, quæ faciunt et facturi sunt proscriptis exsulibus Christi. Alios autem revocet, ut sentiant id ipsum in Domino, nec ad subversionem justitiæ, et ignominiam sedis apostolicæ, et suam damnationem munera captent, facientes ex calumnia quæstum, et sequantur retributiones. Sed et illi se mihi et meis compati scribunt. Ethicus vero subridens ex adverso respondet: *Omnes compatiuntur, nemo succurrit.* Et quidem recte. Opera enim, quæ ipsi faciunt, testimonium perhibent de eis. Consultis ut modis omnibus elaborem mihi pacem reformare tyranni, persecutoris et tortoris Ecclesiæ. Sed viam pacis præclusit mihi Ecclesia Romana, et quidem cardinalium, quorum ille, sicut

jactitat, consiliis agitur. Nuper enim, data spe pacis, me per comitem Flandrensem jam secundo fecerat ad colloquium evocari, cum sui et cardinalium suorum nuntii a domino papa redeuntes, et suspensionis meæ litteras porrigentes, ei dederunt cornua, quibus possit, quoad voluerit, et pacem rejicere, et interim Ecclesiam Dei tanquam auctoritate sedis apostolicæ ventilare. Scribitis quod in dispendium Ecclesiæ Romanæ laborat fortuna rescindere potentissimarum civitatum Italiæ unitatem. Quare hoc, anime mi, credis accidisse, nisi quia Deo liberatori vestro non condignas agitis gratias, sed quæritis quæ vestra sunt, quasi manus vestra excelsa, et non Dominus anni præteriti magnalia gesserit? Nec pro nobis hoc dixerim et aliis, qui recta gradiuntur via, sed pro his, qui Ecclesiam Dei persecutoribus exponunt et lucra sectantur. Et quia Cantuariensis Ecclesia fere destructa est, et ego et coexsules mei attenuati et afflicti supra modum precor attentius, ut adhibitis amicis impetretis a domino papa, ut in solatium miseriæ reformet primatum Ecclesiæ Cantuariensis, etc.

EPISTOLA CI.

AD EUMDEM.

Animæ suæ dimidio, salutem quam sibi.

Desiderio magno exspectabamus in dies audire nuntium salutis de domino papa, de vobis et de fratribus vestris. Exspectavimus, nec venit qui bonum afferret aut certum nuntium. Et quoniam animo desideranti nihil satis festinatum est, mittimus ad vos datorem præsentium ut recurrente littera aut per eumdem citissime cognoscamus utrum, sicut fama divulgante apud nos in pluribus disseminatur locis, magnificaverit Dominus facere misericordiam cum Ecclesia sua et vobiscum, dissipando et conterendo persecutores Ecclesiæ suæ et vestros. Quod quidem certius credentur credimus, quoniam solet ipse terribilis esse apud principes terræ et terribilis in consiliis super filios hominum, qui militant adversus eum et impugnant Ecclesiam; et nunc, ut credatis verbis Psalmistæ dicentis: *Nolite confidere in principibus nec in filiis hominum, in quibus non est salus*: tempus est ut postposito favore principum, prætermissa fiducia quam habebatis in hominibus, ei soli firmiter de cætero adhæreatis, qui non derelinquit sperantes in se; in eo solo spem ponatis, qui novit dissipare consilia principum, in ipso faciatis virtutem, quoniam si fidem ei servaveritis, ad nihilum deducet omnes inimicos Ecclesiæ et vestros. Facite ergo judicium amodo et justitiam omni petenti, omni patienti injuriam ut, sicut ad desideria vestra liberavit vos Dominus ad instanti periculo quod jam erat in foribus ab oppressione tribulantis, subveniatis et vos injuriam sustinentibus, reprimendo constanter tyrannorum sævitiam, puniendo delinquentes. Sic exaltabitur Dei Ecclesia, resurget ipsius vigor, qui multo jam tempore languet depressus. Hoc facite, ut gaudium sit vobis coram A Deo et angelis, honor et gloria in populo et gente, revelamen Ecclesiæ. Hoc hactenus. Cæterum ut cognoscatis nobis jam accidisse quod verebamur, quod prædicabamus jam quasi in manifesto esse de præsumptione domini Willelmi Papiensis et ipsius insolentia, videte litteras suas statim in adventu suo ad nos transmissas, in quibus ipse gloriatur, sicut ipsi perpendere potestis eum nunc temporis in terram regis Angliæ descendisse ut cum domino Odone decidat quæstiones quæ vertuntur inter ipsum regem et nos, prout magis videbit expedire Ecclesiæ. Præterea mandavit domino regi et suis in damnum nostrum et confusionem se venisse ad faciendum volontatem suam. Si in viridi hæc facit, quid faciet in arido? Nunquam fuisset auctoritas ista, B unde generatur scandalum populo, dispendium Ecclesiæ, nobis confusio, qui potius solatio egebamus, ut qui jam triennio cum tot generibus hominum exsilii sustinuimus incommoditatem, alienis cum rubore vivimus eleemosynis: nec credebamus eum venisse ad decidendas quæstiones inter regem et nos, nec sic a domino papa et a vobis hoc intellexeramus, sed ad pacem nostram faciendam, si quo modo permitteret eam Deus fieri opera ejus et industria, quod tamen minime credimus, cum ipse totus sit regius et paratus omnimodis ad gratiam suam consequendam et « quocunque modo rem. » Multoties vero proposueramus domino papæ et vobis, et adhuc firmiter proponimus, nunquam per Dei misericordiam in aliquo nos subituros ejus judicium vel examen, qui de sanguine nostro sibi quærit facere commercium, de pretio, utinam non iniquitatis, quærit sibi nomen et gloriam. Petimus ergo ne addatur dolor dolori nostro et discrimen discrimini, quatenus si aliqua dilectioni vestræ cura est de nobis, per vos et per amicos vestros in aliquod desolationis nostræ solatium evacuetur ejus potestas circa nos et negotia nostra, si quam tamen habet, quod non facile credimus, quia, novit Deus, ante permitteremus nos excommunicari et manere in excommunicatione usque ad diem obitus nostri, quam extra curiam Romanam subiremus ejus judicium vel examen in aliquo. De plano enim contra canones est ejus subdi ditioni, qui ob gratiam regis inimicus noster fuit et est, sicut patet et « lippis et D tonsoribus, » quique ad hanc potestatem obtinendam super nos multiplici laboravit ingenio. Semper recusavimus eum judicem apud dominum papam per nuntios nostros et adhuc recusamus et omni tempore recusabimus. Efficiat ergo benigne et constanter sollicitudo vestra quod petimus. Valete semper ut nos bene valeamus et experiamur, si placet, in hac petitione nostra et in aliis quas vobis transmisimus, benevolentiam vestram et desiderii nostri fructum.

EPISTOLA CII.

AD FULCONEM DECANUM ET CAPITULUM REMENSE.

Dominus Cantuariensis, FULCONI decano Remensi, totique capitulo.

Quoniam in corpore, et de corpore Christi consti-

tuti, alter alterius membra sumus, mutuis obsequiis nobis invicem deservire, piaque necessitudine *alter alterius onera portare* debemus: tanto nimirum affectuosius, quanto firmius ad idem præter catholicæ communionis vinculum speciali quoque clericalis professionis nexu tenemur astricti. Ut præsertim quando nos adversis dispensatio supernæ miserationis erudire decrevit, casibus ingruentibus occurrant fraternæ charitatis cum hilaritate solatia : tanto promptius atque gratantius exhibenda, quanto comprehenduntur esse et imminente necessitate magis debita, et fervente tribulatione opportuniora. Inde est, quod possessionibus nostris pro voluntate principis atque domini nostri in præsentiarum destituti, præsentium latorem magistrum Philippum de Calcia, clericum nostrum, morum conversatione et litterarum notitia commendabilem, qui quoniam inter procellas, quæ excanduerunt, nobis, sicut debuit, adhæsit, rebus suis est exspoliatus, serenitatis vestræ charitati transmittimus, attentius obnixiusque rogantes, quatenus intuitu Dei, amorisque nostri, atque obsequiorum gratia, ei, tum instandis exilii necessitas ingruerit, in necessariis, prout ipsum decet, ipsi provideatis. Nos enim, quod ei boni feceritis, velut nobis impensum, feremus : et secundum quod pro loco et tempore patuarit occasio, prono promptoque affectu pariter et effectu, mutua benedictionum exhibitione, debita cum devotione respondebimus. Valeat et vigeat charitas vestræ fraternitatis.

EPISTOLA CIII.

AD EUMDEM FULCONEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, FULCONI decano Remensi.

Audita promotione vestra plurimum exhilarati sumus, non dubitantes factum esse a Domino, cujus opus est unire fidelium voluntates, ut eorum sit cor unum et anima una, quod de vobis tanto laudabilius, quanto unanimius fecit Remensis Ecclesia. Qui ergo tot animorum vota direxit in eligendo, ille vobis in ministrando gratiam largiatur, ut sicut eam bonorum omnium fontem et fomitem prædicastis, sic ad gloriam Dei eamdem præventricem et adjutricem in omnibus operibus sentiatis. Optamus hoc vobis, et pro vobis oramus, licet indigni simus pro alio exaudiri, qui propria non sufficimus delere commissa. Verumtamen de misericordia ejus præsumimus qui pro impiis mortuus est, quod ad preces confitentium peccatorum (*sic*); qui ut diffitentes revocare ad veniam, et fugientes traheret ad salutem, persecutores et hostes quadam violentia charitatis, manente tamen arbitrii libertates, urgeret ad gratiam, dorsum posuit ad flagella, crucis ignominiam suscepit et pœnam, et ex his quæ passus est, scholam rectæ fidei et veræ virtutis instituens, persuasit mundi pericula pro veritate gratanter amplectenda, et electis nullum esse cum mundi voluptate commercium. Hinc et nobis ampliore est fiducia, quia A parvitatis nostræ misericorditer preces admittet, pro quo pesecutionem patimur, dati in opprobrium et derisum his, qui ignorant Deum, versi in tædium etiam his, quibus nondum fuimus enerosi.

Dispersis sumus cum exsulibus nostris in omnem ventum, solique sunt miseriæ nostræ participes, qui ab Apostolo didicerunt communicare necessitatibus pauperum Christi, quibus etsi pro merito suo et voto nostro non sufficiamus rependere quod merentur, certissimum est, quod mercedem optimam consequentur cum accessione gratiæ et gaudii in misericordia uberi. Contrahunt enim cum eo debitore, qui te centuplum cum æterna gloria reddere consuevit, et calicem aquæ frigidæ irremuneratum relinquere dedignatur. Cæterum quia nos adhuc fla- B gellantis patris verbera comprimunt, et persecutoris nostri nundum mansuescit immanitas, rogamus attentius, ut in vestris et sanctorum, qui vobis noti sunt orationibus nostri memoriam exsilii haberi faciatis, ut nos pro cujus lege contendimus in agone, sine peccato conservet, ne deficiat fides nostra, et persecutores nostros, si prædestinati sunt, convertat, et expediat ecclesiam suam. Hoc ipsum per vos deposcimus ab Ecclesia Remensi, quam sincera diligimus charitate, agentes ei gratias de honore et amore, quem nobis exhibuit in coexsulibus nostris, magistro Philippo, Radulpho, et aliis, quorum necessitatibus communicasse dignoscitur. A vobis autem hoc specialiter cogitur nostra necessitas postulare, quatenus adolescentem latorem præsentium, soro- C ris nostræ filium, exhibeatis in domo vestra, et litteris insistere compellatis in scholis grammaticorum, ut vestris necessitatibus et vestrorum provideat pauperum pater et judex orphanorum.

EPISTOLA CIV.

AD ROTRODUM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, ROTRODO archiepiscopo Rothomagensi.

Sicut novit vestra prudentia, multo jam tempore correctionem domini regis exspectavimus, nec ullum adhuc in eo diligentiæ vel sustinentiæ nostræ fructum invenimus. Unde et congrue, licet cum interno mentis dolore, dicere cogimur : *Sustinuimus pacem et non invenimus ; quæsivimus bona, et ecce turbatio.* Discrimen ergo tam nostram, quam regis ipsius D attendentes, si excessus tantos impunitos, ut hactenus, vellemus relinqueret, damnavimus nuper atque cassavimus scriptum illud, in quo hæreticæ illæ pravitates continentur. In irritum duximus præsertim hæc : *Quod non liceat episcopo*, etc. Ut superius *in epistola ad Monguntinum directa et in plerisque aliis* continetur usque : *in recipuerit.* Omnes, inquam, istos vinculos anathematis innodavimus. Quos etiam volumus et rogamus, ut et vos excommunicatos denuntietis. Excommunicavimus etiam omnes, qui in possessiones et bona Cantuariensis Ecclesiæ absque voluntate et assensu nostro de cætero manus extendent.

EPISTOLA CV.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus Rothomagensi archiepiscopo.

Meminit vestra discretio, qualiter ex mandato nuntiorum domini papæ, juramento præcedente nostros excommunicatos absolveritis, scilicet Gaufredum Cantuariensem archidiaconum, Nigellum de Sacca-villa, et Thomam filium Bernardi, concepta spe pacis Ecclesiæ, quæ per hanc dispensationem credebatur citius provenire. Nos autem id æquanimiter interim sustinentes, in omni mansuetudine fidem promissionis exspectavimus usque ad terminum, quem dominus papa præfixerat nuntiis, ut redirent. Et quia pax secuta non est, præfatos Gaufredum, Nigellum, Thomam, elapso termino publice excommunicavimus, vobisque secundum sacrorum canonum institutiones denuntiamus, ut eos per provinciam vestram, prout eccclesiatisca disciplina præscribit, tanquam excommunicatos faciatis a cunctis fidelibus evitari. Ediximus etiam more canonico, quatenus Joannes decanus Saresberiensis, et Guido decanus de Waltham, et Joannes Cumin, et Radulphus archidiaconus de Landaf, et Wimarus presbyter infra octavam beati Martini satisfaciant Ecclesiæ Dei, quam læserunt, et nobis, quia tunc, auctore Deo, eos excommunicabimus, nisi interim satisfecerint. Excommunicavimus etiam illos, qui nuntios domini papæ aut nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt.

EPISTOLA CVI.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, ROTRODO Rothomagensi archiepiscopo et ejus suffraganeis.

Sacrorum canonum auctoritate præcipitur, ut quilibet episcopus excommunicatorum suorum nomina denuntiet vicinis episcopis; qui suis parochianis indicent, ut ipsis excommunicatis aditus ecclesiasticus ubique præcludatur, et excusationis causa omnibus auferatur. Nam qui etiam illis, qui se conqueruntur injuste ligatos, ante utriusque partis justam examinationem scienter communicaverint in oratione, aut cibo vel potu, aut osculo vel etiam *Ave* dixerint, aut sermonis commercium exercuerint, nisi quid ad eorum conversionem debeat pertinere, juxta sacram canonum institutionem, cui ex proposito impium, et pertinaciter obviare hæreticum est, excommunicationi simili subjacebunt. Scienti constitutiones Ecclesiæ loquimur et tenenti, qui zelum legis habens docet eum prætimeri, qui corpus et animam potest mittere in gehennam. Nec diffidimus, quin apostolicæ sedis decreta, quorum observationem in ipsa consecratione professio pontificis exprimit, sæcularium potestatum præferatis edictis. Nec persuaderi potest, quod humanus dies prudentiam sanctitatis vestræ possit impellere, ne contemplatione cujuscunque damni vel commodi imminentis, velit cum aliquibus criminosum iniqui-
A tatis inire consortium. Audivimus autem, et quasi certum tenemus, quod excommunicati nostri, quos ex justis et manifestis causis, urgente necessitate officii, et persuadente ratione juris excommunicavimus, ad provinciam vestram frequenter accedunt. Unde nostrum et vestrum præcavantes periculum, eos secundum Ecclesiæ normam nominibus propriis curavimus designare, ne ex eorum participatione labem damnationis commissa vobis Ecclesia contrahat.

Hæc autem sunt eorum nomina: Gilbertus Londoniensis archiepiscopus, etc. Denuntiamus ergo vobis ex parte domini papæ et nostra, quatenus, prout canonum censura præscribit, eos studiosus evitetis, et per provinciam vestram denuntiatione publica fa-
B ciatis a cunctis fidelibus evitari. Sunt et alii solemni vocatione citati a nobis, quos auctore Deo in die Dominicæ ascensionis excommunicabimus, nisi interim condigne satisfacere curaverint Ecclesiæ Dei, quam læserunt, et nobis; sunt Gaufredus Ridel Cantuariensis archidiaconus, Robertus vicarius ejus, Ricardus de Ivelcestre, Ricardus de Luci, Adam de Cirringis, et Wuillelmus Giffard. Eos quoque simili sententia condemnavimus et excommunicavimus, qui bona Cantuariensis Ecclesiæ et clericorum nostrorum sive ex mandato domini regis, sive ex propria temeritate occupaverunt, aut qui in proscriptionem innocentium, aut depopulationem pauperum Ecclesiæ Christi malignis consiliis et delationibus, et versutiis ejusdem domini nostri regis ani-
C mum instigaverunt, aut nuntios domini papæ et nostros, ne prosequantur Ecclesiæ necessitates, impediunt, donec resipiscant, et condigne satisfaciant. Nec se quisquam fraudulentia verborum, aut prætextu subreptæ absolutionis, aut innocentiæ conetur excusare; quia impœnitentes aut persistentes in scelere, aut voluntate peccandi, non apostolus, non angelus, non quæcunque potestas potest absolvere coram Deo, qui eos judicii severitate condemnat, quos Ecclesia Satanæ tradit. Diu, et utinam nonnimium, tantas Christi injurias et contumelias dissimulavimus, exspectantes ut patientia nostra fructum pœnitentiæ operaretur in illis; sed quia superbia et impietas eorum ascendit semper, de cætero potestate divinitus collata utemur, Deo propitiante, sedis apostolicæ auctoritate muniti contra appel-
D lationum subterfugia, et malignantium tergiversationes.

EPISTOLA CVII.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, Rothomagensi archiepiscopo.

Gratias agimus dilectioni vestræ, quæ nostri curam gerit; sed utinam vestra sollicitudo in illa, quam dicitis, episcopi Londoniensis absolutione mandatum domini papæ non excessisset! Scitis enim, quid vobis in communi negotio sine collega licuerit: præsertim cum ille nondum conventus fuerit, nec constabat quod ille, si conveniretur, non posset ad-

esse,qui nec conventus est, cum tunc demum alteri vestrum aliquid in hac causa licuerit, si alter adesse non posset. Hanc enim conditionem dominus papa inserit, quam constat non exstitisse, ut exinde fortasse constet sapientibus, an aliquid actum sit deficiente conditione. Sed quid ista protrahimus ? Vos scitis quid egeritis, et nos Deo auctore, quid vobis competat, non ignoramus. Quod autem præcipitis esse secretum, quomodo secretum esse valeat ? Procurent qui possunt : si qui tamen. Quia antequam mandatum vestrum reciperemus, apud vos cantitabatur in compitis, et apud vos ipsius Londoniensis diligentia divulgatum est, qui in civitate nostra et in ecclesia solemniter divina celebravit.

EPISTOLA CVIII.

AD CAPITULUM ROTHOMAGENSE.

Venerabilibus fratribus G.... decano, archidiaconis, et toti clero, et populo Rothomagensi, THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, et utriusque vitæ successus.

Ad vestram credimus pervenisse notitiam, qualiter dominus Gratianus et magister Vivianus nuntii domini papæ, excommunicatos nostros, scilicet Gaufredum, Ridel, Nigellum de Saccavilla, Thomam filium Bernardi, concepta spe pacis absolvi fecerint, accepto prius ab eis juramento, quod mandato eorum stare deberent; et quia post absolutionem eorum, pax ut debuit, secuta non est, imo per aliquem eorum qui absoluti fuerant, ut dicitur, impedita, præfati nuntii domini papæ infecto negotio redeuntes, dederunt in mandatis venerabilibus Patribus, Rothomagensi et Burdigalensi archiepiscopis, præcipientes, auctoritate Domini papæ et sua in virtute obedientiæ, quatenus præfatis Gaufredo, Nigello et Thomæ denuntiarent in virtute juramenti, quod præstiterant, ne fruerentur collatæ sibi absolutionis beneficio, nisi infra festum beati Michaelis tunc imminens esset pax Ecclesiæ reformata ; sed se gerent excpmmunicatos, ex quo constaret eis nos in illos anathematis tulisse sententiam. Quia ergo infra terminum illum Ecclesia non obtinuit pacem, sed illius sunt auctæ et multiplicatæ injuriæ, sæpius dictos Gaufredum, Nigellum, et Thomam anathematis vinculo innodavimus, vobis et aliis ecclesiis secundum canonum instituta denuntiantes, ut caveatis illorum communionem, quousque mereantur absolvi. Siquidem vobis non est incognitum, quod qui scienter excommunicatis communicare præsumit, se ipsum laqueo similis damnationis astringit. Morem quoque canonicum exsequentes denuntiavimus Joanni decano Saresberiensi, Guidoni decano Waltham, Joanni Cumin, Radulfo Landavensi archidiacono, Wimaro presbytero, quatenus Ecclesiæ Dei, quam læserunt, et nobis infra octavam beati Martini satisfaciant, quia nisi interim satisfecerint, eos extunc auctore Domino excommunicabimus. Excommunicavimus etiam omnes illos, qui nuntios domini papæ et nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur,

A impediunt. Tota jam quinquennio molestias exilii, proscriptionis injurias, et multiplices nos et nostros persequentium, et patientiam provocantium stimulos in multa mansuetudine sustinuimus, sed injuriam Christi, et tantas Ecclesiæ lacerationes non audemus ulterius sustinere, ne nostræ, quod absit ! desidiæ vel negligentiæ merito debeat imputari, quia ex dissimulatione reus convincitur ante Deum, qui pro debito officii culpas non reprimit aut arguit subditorum. Si vero dominus rex, et quicunque nos læserunt, in reformatione ecclesiasticæ pacis debitum honorem Deo reddiderint, et charitatis officia studuerint adimplere, nos per gratiam Dei singulis sinceræ charitatis affectione jungemur, et sua in Domino jura cuique curabimus illibata servare ; sed regi operosius et efficacius,
B tanquam Domino amantissimo, et omni jure cæteris in mundanis omnibus præcellenti. Solum Deum, et quæ Dei sunt, illi et suis, si permiserit, censemus præferendum, et voluntati ejus sic obtemperamus in omnibus, ut solus ordo collatus a Domino, qui sine dispendio salutis, divinæ legis, et Christianæ institutionis prævaricationes non admittit, nobis permaneat illæsus et illibatus. Det vobis Deus cor, et colatis eum, ipsius fideliter implendo voluntatem, et habendo memoriam, nostri in orationibus, eleemosynis, et Deo placitis operibus vestris. Illud ethicum ad mentem reducite : *Quia mors æquo pede pulsat regum turres, et pauperum tabernas.*

Similiter scriptum est omnibus episcopis Normanniæ, ut archiepiscopo : et capitulis, ut Rothoma-
C gensi.

EPISTOLA CIX.

AD WILLELMUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Reverendo Patri et amico charissimo, WILLELMO, Dei gratia Senonensi archiepiscopo, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, quidquid devotio potest exsulis et proscripti.

Impossibile est ut animus quiescat impii, quem conscientiæ stimulus semper exagitat, perpetuumque timorem incutit, ne per singula momenta recipiat quod meretur. Sic æstuantem jugis sollicitudo premit, et dum omnes homines, etiam bene promeritos et amicissimos, suspicionibus lacerat, ex propria culpa perfidiæ putat aliis deesse, quam in conscientia non habet fidem. Sic rex Anglorum, audita pro-
D fectione vestra, suæ conscius iniquitatis, et veritus zelum legis, ei perseverantiam virtutis, quam habetis et exercetis in Domino, supra modum timet ne in terram ejus cismarinam sanctitati vestræ legatio committatur, quia in tota Ecclesia Gallicana ei alius non occurrit, per quem malitia ejus reprimi possit aut conteri. Sed nec in Ecclesia Romana veretur aliquem, sicut sui testantur, præter dominum Gratianum. Quia si gloriatio ejus vera est, quotquot alii ad ipsum ex quacunque causa accesserint, ad nutum ejus, et interdum non sine nota sinistræ opinionis, convertibiles inventi sunt. Quia ergo dominum Gratianum in comitatu vestro redire didici adeo turbatus est, ut animi motum dissimular

nequiverit, dicens quod per vos cogendus erit ad pacem, aut cum magno sui suorumque dispendio perpetuam ignominiam subiturus.

Evocavit itaque magistrum Vivianum per suas, et domini Rothomagensis, et Gaufredi Ridelli litteras. Eique, sicut idem Vivianus in publica plurimorum audientia confessus est, corporaliter fidem dedit, quod in pace Ecclesiæ reformanda domini papæ mandatum et ipsius consilium sequeretur. Fecit et litteras signari sigillo suo, quas ostendit quibus voluit, promittens in illis, quod pro amore domini papæ nobis redderet Cantuariensem Ecclesiam, et possessiones ablatas nobis et nostris, et pacem et securitatem, ut ad tractandum pacis verbum, quam vestro et domini Gratiani metu, quidquid alius glorietur, quærere videbatur, præfatum Vivianum validius perurgeret. Sed de ablatis non faciebat aliquam mentionem, nisi quod innuebat, quod si illius in reformatione pacis sequeremur arbitrium, nos collocaret in capite regni, et nulla ratione pateretur egere. Revocato autem magistro Viviano, et verbis ejus habente fidem, simulata devotione profectus est ad sanctum Dionysium, re autem vera, ut faceret quod pene fecit, id est ut regem Christianissimum circumveniret. Convenit enim inter eos in colloquio apud S. Dionysium, ut ei alendum et instituendum traderet Ricardum filium suum, et ut comitem S. Ægidii Turonas evocaret, eidem Ricardo responsurum super comitatu Tolosano. Siquidem locus ille prudenter commodissimus visus est, ubi subsidiarii partium tutissime conveniant, et litigantium natales libere protestentur. Et qui jus dicturi sunt, quam ratio exegerit partem, altari sine trepidatione vel aliqua cunctatione condemnent.

Nos ad illud colloquium compulerunt accedere dominus rex Franciæ, et magister Vivianus, et alii sapientes, ut nobis Parisiis constitutis, et illo apud S. Dionysium existente, posset de vicino pax nostra commodius tractari. Ubi cum illum sæpe dictus Vivianus instantius et diligentius conveniret, ut impleret promissionis fidem, resiliit more suo, et talem se Viviano exhibuit, ut ad nos rediens pluribus assidentibus palam dixerit, quod hominem adeo mendacem se vidisse vel audisse non poterat recordari. Sed et ipsi præsenti, multis audientibus, sicut ab eis post accepimus, quæ fuerant dicenda non tacuit. Imo duplicitatem ejus patenter arguens, ex magna parte, quam prius læserat, redemit famam, conquerens quod adeo captus fuerat dolis ejus. Quod quidem vobis ideo intimamus, ut si ad Ecclesiam Romanam rediens partes illusoris fovere præsumpserit aut fraudes occulere, rei veritatem domino papæ et cardinalibus vestra dilectio possit fidelius intimare. Nam, sicut nutu divino contigit, ut re strenue gesta rediret dominus Gratianus, et ut vos, quem Deus firmissimam columnam, ut persæpe loquimur, in Ecclesia sua posuit, et qui mores hominis plenius nostis, ad sedem apostolicam acciperetis iter; sic ejusdem nutu creditur accidisse, ut Vivianus, quidquid haberet in animo, ad illustrandam justitiam Ecclesiæ et dilatandam gloriam Gratiani, remanserit in Francia; ut rex Anglorum per fautorem suum hominibus, quos decipere consuevit, amplius innotescat, et fallacia verborum dominum papam et curiam, ei huc usque nimis credulam, de cætero minus solito circumscribat.

Cum vero præfatus Anglorum rex a S. Dionysio recedens prope montem Martyrum transitum faceret, illuc occurrimus, petentes ab ipso per venerabiles viros, dominum Rothomagensem et episcopum Sagiensem, et alios quosdam, qui se verbo ingesserant, quatenus nobis pro amore Dei et domini papæ, et nostris gratiam suam, pacem, securitatem, possessiones et ablata restitueret, offerentes nos paratos esse exhibere illi quidquid archiepiscopus principi debet. Illi autem respondit se ex animo, libenter remittere ex parte sua offensas et querelas, si quas contra nos habuerat: et de his, quæ proponere vellemus adversus eum, paratum esse stare judicio curiæ domini sui regis Francorum, vel judicio Ecclesiæ Gallicanæ, aut scholarium Parisiensium. Quo audito, respondimus nos curiæ domini regis, si ei placeret, aut Ecclesiæ Gallicanæ non refutare judicium, malle tamen, si illius sederet animo, cum illo amicabiliter componere, quam litigare. Et si ecclesiam et possessiones nobis et nostris vellet restituere, et gratiam, et pacem, et securitatem præstare nobis in osculo pacis, parati eramus hæc recipere, postulantes ut mobilium ablatorum medietatem Ecclesiæ redderet ad solvenda nostra et nostrorum debita, ad sarta tecta reficienda, ad instruenda prædia, et reparandas varias Ecclesiæ necessitates, quæ ad summum calamitatis officialium suorum depopulatione et fraude perducta est. Et ne vota nostra modum viderentur excedere, et ut pacta ad declinandam lubricitatem hominis in scripturam redacta fidelius tenerentur, ei petitionem, quam vobis scriptam mittimus, ad nuntiorum suorum arbitrium castigatam et temperatam fecimus offerri, ut omnibus innotesceret nos nullam pacis, quæ Ecclesiæ Dei tolerabilis sit, detrectare conditionem. Sed ille, audito scripto, et ab omnibus propter nimiam modestiam approbato, materna respondit lingua: sic anfractus verborum, quod familiare habet, invertens, ut simplicioribus videretur universa concedere, cautioribus autem perversas, et non ferendas immiscere conditiones. In uno tamen consentiunt universi, quod nos in osculo pacis recipere non acquievit. Subintulit ergo Christianissimus princeps, quod pro tanta quantitate auri, quantus ipse est, non consuleret ut terram ejus, nisi prius accepto publicæ pacis osculo, ingrederemur. Et comes Theobaldus adjecit, quod stultissima præsumptio esset multis circumstantium sibi invicem dicentibus et reducentibus ad animum, quid Roberto de Silliaco acciderit, quia nec ipsum osculum ad pacis et securitatis custodiam satis firma cautio videretur: Sed nec istud responsum suum nobis per præfatos

episcopos pacis, ut sperabatur, mediatores, aut per alios significare curavit; imo nobis præstolantibus responsionem versus Medontam deflexit iter. Allatus est autem ei in via dominus Philippus, benedictus filius Christianissimi regis, quem, ut aiunt, qui attulerant, subtristis vidit, tenuiter allocutus est, et cum festinatione dimisit. Deus tamen præelecti pueri sui inspiravit animam, et linguam formavit, et direxit, ut cum astantiam admiratione festinantem ad discessum moneret et rogaret, quatenus diligeret regem et regnum Franciæ, et ipsum, quia per hoc Dei et hominum gratiam consequeretur. Comitatus est autem eum dominus rex Franciæ usque Medontam, et inde usque prope Paciacum, exspectans ut juxta condictum traderet Ricardum filium suum. At ille se hoc facturum promisit in colloquio Turonensi, in quo manifeste deprehenderunt dominus rex et sui, quod res cum eis agebatur in dolo. Et sicut ex consequentibus signis visum est, in minori charitate discesserunt ab invicem, quam ab initio convenissent. Nec creditur colloquium illud, quod ille captat, esse futurum, quia machinatio hæc multis patet impedimentis. Nos sine responso ejus ad loca consolationis nobis divinitus provisa reversi sumus, spem nostram projicientes in eum, qui non deserit sperantes in se, et dilectionis vestræ solatium præstolantes. Rex autem Angliæ ad magistrum Vivianum postea nuntium misit, et viginti marcas, ut aiunt, rogans ut se iterum intromitteret de pace reformanda. Sed ille, sicut pro certo accepimus, et pecuniam respuit, et respondit ei litteris, quarum dilectioni vestræ exemplum mittimus. Nec est quod ipsum ad pacem tantopere urgeat, quantum metus ille, quem de vestra et D. Gratiani profectione concepit. Nec Vivianum captat ob aliud, nisi ut vestras et Gratiani non incidat in manus. Nobis etiam relatum est, quod Ægidium Rothomagensem archidiaconum, et Joannem de Oxeneford, et Joannem Sagiensem misit ad curiam ut impediant ne vobis in terram suam legatio concedatur, aut aliud quod ei vel comiti Flandriæ possit esse molestum. Vos nuntiorum personas pro parte novistis, sed fortasse plenius nostri, qui nostri gratia vobiscum sunt. Cum ergo de vestra sinceritate et domini Gratiani, quam expertus est, fide tantus hominem illum timor invaserit, luce clarius est, quod si eum dominus papa ab initio terruisset auctoritate summi pontificis potius quam sustineret pia mansuetudine patris, jam Ecclesia Dei a multis diebus serenata fuisset, et detumuisset furor hominis, qui fugientes et imbelles sine miseratione persequitur, et viriliter resistentibus cedit. Miseriæ nostræ conditionem pro parte, quia fastidiosum esset recensere singula, deploravimus in auribus vestris: vestræ dignationis et charitatis erit impetrare a domino papa ut Ecclesiæ Dei et nobis, et miseriis nostris, expedientem et se dignam provideat pacem, quia in eum oculi omnium directi sunt, expectantes quid facturus sit in causa ista. Si raptor ablata non restituerit aut satisfecerit, si novam et præter Ecclesiæ morem a nobis obligationem extorserit, præsertim auctoritate summi pontificis, pernicies exempli non delebitur in sempiternum, sed a nobis transferetur in alias nationes. Quid autem minus exigi potuit, quam id quod de suorum arbitrio contracta et castigata continet subscripta petitio? Sane, si dominus papa vel nunc tandem nuntios ejus confusos remiserit, et in terras ejus cismarinas aggravare proposuerit manum suam, nihil volet præcipere, quod non sine difficultate et mora valeat obtinere. Nam proceres Ecclesiæ favent, solique clerici, quam venenosis consiliis seminaverunt, furoris pertinaciam rigant exhortationibus, et instigationibus fovent et promovent. Quorum alii in Anglia debacchantur in tormentis Ecclesiæ, alii vero crebris discursionibus nunc apostolicam sedem, nunc adversus Ecclesiam publicas orbis Latini sollicitant potestates. Quod autem sine dolore et stupore non dicimus, sæculi potestates ad tanti flagitii consortium nequeunt inclinare, sed in Ecclesia Romana semper inveniunt aliquos, quos scelerati propositi se gloriantur habere consortes.

EPISTOLA CX.

AD WALTERUM ALBANENSEM EPISCOPUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, WALTERO Albanensi episcopo.

Otiosum est in auditu ejus verba prætendere, qui ex paucis multa perpendere consuevit, et magistra charitate amicis justa petentibus non deesse. Quod in multis et magnis frequenter experti, ad sinum clementiæ vestræ latorem præsentium, cum omni fiducia destinamus, tam ipsum quam petitiones, quas per eum domino papæ porrigimus, sanctitati vestræ affectuosius commendantes, et rogantes attentius, ut eas dilectio vestra solita bonitate studeat promovere. Audietis, si placet, ab ipso, qualiter cum domino rege Anglorum fecerimus pacem ad honorem Dei, et, ut speramus, Ecclesiæ utilitatem, et dilatandam apud Anglos auctoritatem apostolicæ sedis. Nuntius supplebit cætera, quæ hic scienter et de industria reticentur.

EPISTOLA CXI.

AD GAUFREDUM AUTISSIODORENSEM EPISCOPUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, GAUFREDO Autissiodorensi episcopo.

Secutus fidem vestram potius quam rationem meam, non sine labore mei et meorum, quos de diversis locis evocaveram, accessi usque Pontisaram, cum omni humilitate reformandæ pacis, quæ sperabatur, acceptans occasionem. Ubi receptis litteris vestris, quibus me et meos innotuit esse delusos, persuasus sum, ne de cætero credam omni spiritui, et ne tam facile coexsules meos, Christi pauperes et proscriptos, affligam amplius discursibus vanis et sumptibus magnis. Et si mihi credidissetis vera dicenti, utrique nostrum utilius esset prospectum. Nunc autem insipiens factus sum: quis me coegerit, quis induxerit, plenius scitis. Nec hoc

dico, quod vobis impensæ Deo sollicitudinis non habeam gratiam, sed ut uterque nostrum de cætero cautius negotietur, et verba meminerit esse verba. Si ergo aliud audieritis, ne miremini. Et quia fidem vestram secutus sum, offerens me ad omnem conditionem pacis in Domino, precor ut qualiter mecum actum sit et agatur, per vos innotescat domino Cisterciensi, qui reconciliationis hujus, ne delusionis dicam, vobiscum est institutus procurator. Expedit enim honestati vestræ et illius, ut veritas pluribus innotescat. Valete.

EPISTOLA CXII

AD DAVID BANGORENSEM ARCHIDIACONUM.

Thomas, Dei gratia Cant. archiep. et apos. sedis legatus, David dicto archidiacono Bangorensis Ecclesiæ, salutem et cordis oculos salubriter aperire.

Mater tua, Bangorensis Ecclesia, ab annis multis luget proprio viduata pastore, et qui eam consolari debuerant, acerbiores inimici facti sunt inter angustias. Quorum tu præambulus et signifer esse diceris ab his, qui et matris Ecclesiæ miserias ingemiscunt et bona illius in abusus filiorum et filiarum suarum queruntur esse conversa; et quod intolerabilius est, ordinationem Ecclesiæ tuis machinationibus lacrymabiliter asserunt impediri. Unde, quia tantæ præsumptionis excessus ulterius dissimulare nec possumus nec debemus, tibi in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus ad nos, omni excusatione cessante, juxta mandatum apostolicum infra quatuor menses post harum susceptionem litterarum accedas, nostris monitis et præceptis in Domino pariturus, aut exinde, si neglexeritis, officio et beneficio ecclesiastico irreparabiliter privandus, et si nec sic resipueris, Satanæ tradendus in interitum carnis. Siquidem apostolicum nos oportet implere mandatum, et naufragantis Ecclesiæ periculis maturius subvenire. Te monitis obtemperantem in beneplacito suo gratia Dei custodiat.

EPISTOLA CXIII.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Bangorensi archidiacono.

Grate suscepimus litteras dilectionis tuæ, et gratias inde tibi referimus. Sed hæc esse poterit summa occasio, qua tibi majores et uberiores gratiarum actiones referre habebimus, si te circa pacem Ecclesiæ Dei, et clericorum disciplinam sollicitum audierimus. De eligendo vero episcopo hæc tibi et fratribus tuis mandamus, ne de aliquo fiat electio vel nominatio, donec visis litteris nostris et nuntio consilium nostrum super hoc negotio audieritis. Nos enim prout Dominus concesserit, ad pacem Ecclesiæ Dei et vestram modis omnibus studium adhibere curabimus. Audivimus clericos vestros ad alienas provincias ordinationis causa migrare, quoq utrum verum sit scire cupientes, per fidelitatem, qua nobis teneris præcipimus, ut nos inde certos reddas. De præsen-

A tium autem latore, qui ad vos per multa pericula venit, hæc tibi mandamus et præcipimus, ut ecclesiam suam et decimas plenarias eum in pace habere facias, et ab injuriis et violentiis, quas ei decimarum causa infert Arthurus de Chargis, immunem facias, eumque de cætero ab ejus inquietatione cessare compellas. Quod si facere contempserit, infra purificationem beatæ Mariæ suam nobis præsentiam satisfacturus exhibeat.

EPISTOLA CXIV.

AD EUMDEM ET CANONICOS BANGORENSES

Thomas Cantuariensis archiepiscopus archidiacono, et canonicis Bangorensibus, salutem quam meruerunt.

Perlatum est ad aures nostras, vos in Deum, et nos, et Ecclesiam Cantuariensem, matrem vestram, gravissime et sine meritis deliquisse. Quia, sicut nobis assertum est, machinamentis Arthuri et sociorum suorum consilium pariter et assensum vestrum in damnum Cantuariensis Ecclesiæ, quæ mater vestra unanimiter præbuistis. Nec, ut credimus, tam detestabile factum, tam nefandum facinus aliquatenus factum fuisset, nisi vos consilium et assensum in eo dedissetis. Sed tibi, David, loquimur: a memoria tua non debuit ullatenus excidisse, quod noster juratus es, similiter et Cantuariensis Ecclesiæ, nec tu aut canonici Bangornensis Ecclesiæ debuissent consensisse, ut episcopus Ecclesiæ suæ, si quis tamen ibi esset, in Hiberniam ivisset, et ibidem
C sacramentum recepisset, quasi a novo metropolitano sibi constituto. Et idcirco mandando tibi præcipimus et in periculo beneficiorum et ordinis injungimus, ut tu cum filio tuo, et tribus aut quatuor de majoribus et potioribus personis Ecclesiæ, mediante quadragesima, nostro te conspectui repræsentes, responsurus et satisfacturus de his et aliis, quæ tibi objicientur. Nihilominus universitati vestræ præsentium significatione præcipiendo mandamus, et in periculo beneficiorum et ordinis vestri vobis injungimus, quatenus infra præscriptum terminum vos nobis repræsentetis. Nos enim de episcopi vestri electione vobiscum tractabimus. Prohibemus etiam vobis apostolica auctoritate et nosfra, ne de electione episcopi interim aliquid faciatis, aut quem-
D quam eligatis.

EPISTOLA CXV.

AD EOSDEM CANONICOS.

Quia Ecclesiam Dei liberam esse decet, et præsertim in electionibus celebrandis obtinere debet unanimitas fratrum, non violentia potestatis, vos a juramento, quod contra bonos mores et sacrorum canonum disciplinam Owenus Wallensium princeps dicitur extorsisse, ut nullum scilicet vobis in episcopum nisi de ipsius eligeritis arbitrio, dominus papa clementer absolvit, præcipiens ut quem vobis assignaverimus, omni appellatione et contradictione postposito, pontificem recipiatis. Inde est quod universitati vestræ in virtute obedientiæ præcipi-

endo mandamus, quatenus juxta quod vobis nuntii nostri intimaverint mandatum apostolicum cum omni diligentia exsequamini ; scituri quod si neglexeritis, in personas vestras anathematis, et in ecclesiam et loca quæ inhabitatis interdicti sententiam, auctore Domino, proferemus. Valete.

EPISTOLA CXVI.

AD BATHONIENSEM CLERUM ET POPULUM.

Vobis, dilectissimi fratres, etc. (*Vide infra similem epistolam ad clerum et populum Cicestrensem directam.*)

EPISTOLA CXVII.

AD HILARIUM CICESTRENSEM EPISCOPUM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, Cicestrensi episcopo.

Quia dominum regem Angliæ satis superque sustinuimus, nec ullum ex eo sustinentiæ nostræ fructum percepimus, periculosum et intolerabile nobis omnino visum est tantos illius et officialium ejus excessus jam ex hoc, ut hactenus, impunitos relinquere : præsertim cum et nuntiis, et litteris, et modis aliis studuerimus, nec potuerimus eum a perverso proposito revocare. Proinde scriptum illud, in quo illæ non consuetudines, sed potius pravitates continentur, quibus perturbatur et confunditur Anglicana Ecclesia, publice damnavimus et cassavimus et ipsius scripti auctoritatem. Universos etiam observatores et exactores earum, consiliatores et adjutores, seu defensores excommunicavimus : et episcopos nostros a promissione, qua tenebantur ad observationem earum, absolvimus. Auctoritatem etiam scripti, et ipsum scriptum, et quæ in ipso continentur, in irritum duximus. Et præsertim hæc: *Quod non liceat episcopo*, etc. Ut supra (*in epistola ad Moguntinum archiepiscopum directa et in aliis* usque : *Nisi resipuerit.*

Unde est, quod mandamus vobis et in virtute obedientiæ præcipimus, ut eos qui a nobis excommunicati sunt, vos quoque, prout decet, excommunicatos et habeatis, et denuntiari faciatis, juxta illud decretum Honorii papæ : *Curæ sit omnibus episcopis excommunicatorum nomina tam vicinis episcopis quam suis parochianis pariter indicare eaque in celebri loco posita præ foribus ecclesiæ cunctis venientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus denegetur, et excusationis causa omnibus auferatur.*

EPISTOLA CXVIII.

AD CLERUM ET POPULUM CICESTRENSEM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis archiepiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, priori et Roberto archidiacono, et toti clero et populo Cicestrensis Ecclesiæ, Christianam communionem habentibus, salutem, et *Deo potius quam hominibus obedire.*

Vobis, dilectissimi fratres, esse non potest incognitum, quod et atrocitate criminis et temporis diuturnitate jam fere totum Latinum replevit orbem. Taceantur ad præsens, quas vidistis et doluistis, innocentium proscriptiones, sileatur bonorum Ecclesiæ confiscatio inaudita, atrocitatem suppliciorum, concussionem pauperum, quæ referri nequeunt, animus et lingua dissimulet, tantum publicæ libertatis, et salutis nostræ, qui Christi tam patentes injurias nimis diu siluimus, et exempli perniciem non curavimus, ut oportebat, delere publice, pariter defleamus. Luctus enim communis esse debet, ubi exhonoratur Dominus ac redemptor, et judex omnium Christus ; ubi libertas Ecclesiæ perimitur ; ubi publica salus in periculo est. Lugent Ecclesiæ pastoribus destitutæ ; sine sacramentorum plenitudine decedunt parvuli ; ecclesiarum et virginum consecratio cessat; non est in populis multis qui criminos confitentes excipiat ad consolationem ; non est qui publice pœnitentes absolvat ad veniam ; non est qui errantium delicta debita correctione redarguat; qui causas possit examinare et finire majores ; qui promoveat quos necessitatibus suis desiderat Ecclesia promoveri, nisi forte conductus quis alienus episcopus, aut coactus, lege Domini prohibente, falcem mittere in alienam messem. Ubi vero majores Ecclesiæ pontifices suos habent et in minoribus necessaria provisa sunt subsidia sacerdotum, ab officiis suis publicæ potestatis edicto et violentia suspenduntur, cum in majores personas, aut quantulumcunque beneficii aut officii a domino rege habentes, eis curam pastoralem exercere non liceat, nisi venia impetrata.

Hæc autem quantum divinis obvient institutis, et universorum saluti derogent, verbis astruere supervacuum est, cum res ipsa tardioribus etiam perspicua sit, nedum vobis qui sensus habetis exercitatos in lege Domini. Plurima, ne simus onerosi, consulto reticemus, quæ quisquis fidelium non attendit, cæcus est ;qui non dolet, caret sensu, qui proficiat ad salutem. Dum commonitus est dominus noster rex per litteras, per nuntios, per episcopos, per abbates per subdiaconos curiæ per clarissimos cardinales, ut tam male præsumpta corrigeret, plenum in multa amaritudine ecclesiæ dolentis et languentis effluxit quinquennium, et non est inventus qui causam apud ipsum relevaret ex omnibus charis ejus. Quodque magis delendum est et stupendum, quod sine gravi mœrore non recolimus aut dicimus, quidam de clarioribus episcopis infideles inventi sunt, et arma iniquitatis ope auxilii et consilii persecutoribus contulerunt.

Si recolatis, dilectissimi, quæ in injuriam Christi et in depressionem Ecclesiæ, nostramque et nostrorum contritionem sub hac tempestate gesta sunt, juste ut credimus, mirabimini, quod tam patienti animo potuimus hæc omnia tolerare, præsertim cum a multo tempore, sicut multi noverunt, plenam habuimus potestatem reprimendi et coercendi persecutores nostros. Quorum tamen tanta fuit immanitas, ut antiqui mitius egerint in confessores Christi, quorum si priscas revolvatis historias, cognatus et amicos nequaquam lædebant, nisi ex publica confessione consortes haberentur et tituli. Quia ergo nec diutur-

nitate patientiæ, nec multa humilitatis exhibitione A præfati domini nostri ira deferbuit, sed ab impunitate pertinacior et atrocior factus est, tantos excessus ejus irrequisitos ulterius prætermittere non audemus. Nam dissimulatio culpæ comparatur assensui; et facientes et consentientes pari pœna lex divina condemnat. Inde est quod vobis, dilecti filii, decane, archidiaconi, et qui archidiaconorum geritis vices, in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo dignitatis et ordinis, apostolica auctoritate et nostra præcipiendo mandamus, quatenus, nisi sæpedictus dominus rex infra purificationem beatæ Mariæ memoratas enormitates debita satisfactione correxerit, et Ecclesiæ debitam cum libertate et dignitate reddiderit pacem, extunc prorsus cessetis a divinis, et ea per totum episcopatum vestrum penitus in omnibus ecclesiis B eadem auctoritate, et sub eadem interminatione celebrari prohibeatis; excepto baptismo parvulorum, et pœnitentia, et viatico, quod clausis januis, et laicis personis exclusis, confici licet sine campanarum pulsatione, et solemnitate cantus et lætitiæ, quam in diebus jucundis consuevit Ecclesia exercere. Nec timeatis eos, qui interdum a Domino permittuntur ad majorem coronam electorum corporaliter sanctos affligere, et in animas nihil possunt, quia in hoc conflatorio patenter judicabit Deus, quos in futuro debeat coronare.

Illos autem, qui ecclesias et ecclesiastica officia vel beneficia contra canonicas institutiones accipiunt de manu laicorum, qui clericos pœnis aut terroribus ad inobedientiam compellunt, qui domini papæ nuntios C et nostros, ne necessitates Ecclesiæ prosequantur, impediunt, qui traditiones hominum divinæ legi præferendas docent, et usurpationes sive abusiones potentum cogunt Christianæ religionis institutionibus anteponi, et nominatim Cantuariensem archidiaconum Gaufredum, et Robertum vicarium ejus, Ricardum de Ivelcestre, Willelmum Giffard, Nigellum de Sacca-Villa, Ricardum de Luci, Thomam filium Bernardi, Adam de Cheringis publice excommunicamus. Quod si nec in subditorum pœnis excessus suos correxerit rex Anglorum, exinde personæ ejus, quod inviti dicimus, in dispendium salutis nostræ, sicut hactenus fecimus, auctore Deo non parcemus. Nam miseratio talis impietas esse convincitur, cum scriptum sit: *Quod si virgæ parcit, odit filium.* Ad hæc D eadem auctoritate, et sub eadem interminatione præcipimus, ut Joannem decanum Saresberiensem, Guidonem decanum Waltham, Joannem Cumin, Radulphum Landavensem archidiaconum, Wimarum Presbyterum alumnum comitis Hugonis a die nativitatis Dominicæ, tanquam excommunicatos evitetis, nisi infra Ecclesiæ Dei, quam læserunt, et nobis satisfactionem debitam curaverint exhibere. Verbum Dei luceat in cordibus et operibus vestris, ut timorem Dei præferentes humano, vobis acquiratis coronam gloriæ, et exemplum obedientiæ et fortitudinis feliciter transmittatis ad posteros.

In eamdem formam clero et populo Lincolniensi.

Et clero et populo Bathoniensi.

EPISTOLA CXIX.

AD RICARDUM CONVENTRENSEM EPISCOPUM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri RICARDO Coventrensi episcopo salutem.

Scripseramus vobis et aliis fratribus nostris ut suspenderetis denuntiationem excommunicatorum nostrorum, donec innotesceret a nuntiis domini papæ qui ad reformationem pacis Ecclesiæ venerant, si possent eam juxta formam quam dominus papa præscripserat, impetrare a domino rege. Sed quia dominus rex mandatis apostolicis non acquiescit, et nuntii infecta pace revertuntur, vobis in virtute obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus præfatos excommunicatos nostros, scilicet Gaufridum Cantuariensem archidiaconum, Robertum vicarium ejus, Ricardum de Ivelcestria, Willelmum Giffard, Joannem Cumin, Nigellum de Saccavilla, Ricardum de Luci, Adam de Cheringis, Thomam filium Bernardi, denuntietis excommunicatos esse et eos per parochiam vestram, prout canonum censura præscribit, præcipiatis ab omnibus fidelibus evitari. Similiter denuntiate excommunicatos esse, qui ecclesias aut officia vel beneficia ecclesiastica contra sacrorum canonum institutionem de manu laicorum accipiunt, et qui nuntios domini papæ vel nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur impediunt, et qui personas ecclesiasticas divina celebrare contra prælatorum suorum obedientiam cogunt. Quia omnes ipsos justo anathemate catholica et apostolica damnat Ecclesia. Vale.

EPISTOLA CXX.

AD HUGONEM DUNELMEMSEM EPISCOPUM

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, H, Dunelmensi episcopo.

Noverit vestra fraternitas, quod nos ex justis et manifestis causis, urgente necessitate officii, et ratione juris persuadente, publice excommunicavimus Gilbertum Londoniensem episcopum, et Jocelinum Saresberiensem, et reliquos, quorum nomina superius scripta sunt. Denuntiamus ergo vobis auctoritate domini papæ et nostra, ut, eos prout canonum censura præscribit, denuntiatione publica faciatis per episcopatum vestrum a cunctis fidelibus evitari. Non turbetur cor vestrum in his, neque formidet, quia contra tergiversationes malignantium et appellationum subterfugia, Deo propitiante, sedis apostolicæ munimine muniti sumus. Hæc sunt nomina excommunicatorum: Ranulphus de Broc, etc.

EPISTOLA CXXI.

AD ÆGIDIUM EBROICENSEM ELECTUM.

THOMAS archiepiscopus Cantuariensis ÆGIDIO Ebroicensi electo.

Exhortationis vestræ litteras ea devotione suscepimus qua comperimus scriptas, intuentes eas ex charitatis adipe prodiisse et formatas spiritu discre-

tionis et singulas apices præferre timorem Dei. A Quia autem, ut scribitis, os iniqua loquentium cum ampliori solito licentia dilatatur apud vos, vetus quidem apud nos querela fuit, sed detractorum numerosior populus, et excogitata detractationis figmenta quæ gratis diu protulimus, frontem nostram assiduitate patientiæ validius attriverunt, nobis ad animum reducentibus quod in filios prophetarum totus Israel linguas exacuit et ubique domus exasperans est. Sed nunquid ideo Deuteronomium a tabernaculo Domini sacerdotes ejicient, inferentes altare Damasci cum profanis ritibus nationum? Utique non fiet sine énormi periculo prophetarum, ut recedente ab iis spiritu sancto cogantur a mulieribus divinam inquirere voluntatem. Manet quidem prælatos Ecclesiarum dura provincia, ut Deo et hominibus placere non possint, et Apostolus, ut ipse de se testatur, si hominibus placuisset non fieret servus Christi. Unde, si sub tanto onere timetis et ingemiscitis, non miramur; sed metum relevat consolatio Scripturarum, cum constet quia Bezeleel vix decennis tabernaculum illius operosioris diligentiæ et magnificentioris impensæ, quod Ecclesiam tanta varietate circumdatam præfigurat, Deo mandante construxit, et David de post fetantes electus est ab illo, qui nascentis Ecclesiæ jaciens fundamenta, infirma mundi elegit ut fortia quæque confunderet, et ignobiles extulit, ut in judicio sedeant cum principibus et senatoribus terræ.

Vos tamen non dubitamus et sanguine generosum esse quod ad mundi gloriam spectat, et confidimus vitam vestram sicut litterarum et facundiæ, ita et virtutum titulis longe clarius illustrari, et utinam manus nostras extendere possimus ad os vestrum, id est quod monetis operibus adimplere. Ad quod petimus orationum vestrarum suffragiis adjuvari, votum habentes, bona nostra, si qua sint, vobis apud Deum et homines prodesse sicut nobis. Dominum vero regem sincere diligimus et ei et liberis suis per omnia serviemus in Domino, fidelius, obsequentes quam illi qui ponunt pulvillum sub omni cubito et cervical subjiciunt omni capiti impinguantes illud oleo peccatoris. Et quidem sic esse dies Domini qui instat declarabit. Vos interim nos vestri dilectores ut consuevistis diligite, quia, Deo auctore, apud nos charitas vestri nec tepuit nec tepescet. Valete.

EPISTOLA CXXII.

AD NIGELLUM ELIENSEM EPISCOPUM ET RIC. ARCHIDIACONUM SUUM.

THOMAS Dei gratia, etc. venerabili fratri NIGELLO, eidem gratia episcopo Eliensi, et RICO archidiacono suo, salutem, et dirigere prudenter in futura prospectum.

Sacrorum canonum disciplina præscribit, ut episcopi excommunicatorum suorum nomina comprovincialibus denuntient, ne una ovis morbida gregem fidelium contaminare possit. Nos autem ex speciali mandato domini papæ comitem Hugonem anathematis vinculo innodavimus, et præcipimus ut sententiam, quæ ex summi pontificis processit arbitrio, faciatis prout canonicis edictis decretum est, in omnibus episcopatus vestri ecclesiis publicari. Secuti quoque auctoritatem sedis apostolicæ, quam habemus præ manibus, excommunicavimus Gilbertum Londoniensem, et Jocelinum Saresberiensem episcopos, Randulphum de Broc, et cæteros ut supra. Præcipimus itaque vobis in virtute obedientiæ, et in periculo dignitatis et ordinis, quatenus tam præfatum comitem, quam jam dictos episcopos, et cœteros prænominatos, faciatis per totam diœcesim vestram publice denuntiari excommunicatos, et a cunctis fidelibus, prout ecclesiasticæ doctrinæ vigor exigit, evitari. Quod si unus vestrum, quacunque B impediente necessitate, non potest exsequi, alter id modis omnibus, sicut honorem et officium diligit, exsequatur. Tu vero, fili archidiacone, tibi diligentius in hac parte provideas, ne a te districtius exigatur, si sub prætextu infirmitatis episcopi, mandatum domini papæ et nostrum minus fuerit adimpletum, aut ecclesia, quæ nunc, ut fama est, ex tuo pendet arbitrio, tua culpa perniciem contrahat, aut enorme dispendium patiatur. Valete in Domino.

EPISTOLA CXXIII.

AD ROBERTUM HEREFORDENSEM EPISCOPUM

THOMAS *Dei gratia Cantuarienis Ecclesiæ humilis minister, venerabili fratri* ROBERTO, *eadem gratia Herefordensi episcopo, salutem et per omnia benefacere.*

C Si litteræ nostræ fraternitatis tuæ excitavere sollicitudinem, utinam nec affectu desidem repetissem, nec circa officii suscepti effectum minus vigilem. Elegi ego abjectus esse anathema pro omnibus vobis, opprobrium hominum et abjectio plebis, ne viderem mala sanctorum, et dissimularem injuriam gentis nostræ, exspectans si quis forte ex omnibus vobis zelans legem Dei, Ecclesiæ libertatem saltem affectans, exiret post me et veniret, ut non daremus cornua peccatoribus. Et ecce tu, quem credebam mihi a Domino datum esse, ut mecum ædificares, evelleres, et plantares, propinas mihi stimulum in ruinam, solatium in desolationem, prædicans humiliationem, imo dejectionem, annuntians bonum, cum undique sit perturbatio, in perniciem Ecclesiæ et D clericorum. Et cum deberes animi vacillantis firmare constantiam, sustinere mecum congressum ad defendendum patrimonium Crucifixi, ad reprimendos et expugnandos hostes Ecclesiæ, instillare auribus meis, inspirare animo meo, ut obsecrarem instantius, arguerem arctius, et increparem durius. Quod si me non audirent, exclamare certe debueras contra me: Exsurge, quare obdormis? Exere gladium beati Petri, vindica sanguinem servorum Christi, qui effusus est, injurias Ecclesiæ, quæ in nobis et nostris fiunt tota die.

Exciditne a memoria tua, quantis sim afflictus injuriis, quibus contumeliis affectus, cum in persona mea contra omnem auctoritatem, contra omnem juris

formam, iterum judicaretur Christus ante tribunal principis? non revoco certe ad animum propriæ personæ injuriam, etsi Ecclesiæ. Attente diligentius, altius in corde tuo repone, quid ageretur ante exitum meum, quid in exitu, quid postea, quid etiam agatur singulis diebus in terra illa circa Dei Ecclesiam, et ejus ministros. Qua animi constantia dissimulare potes tu, de quo sperabatur, quod esses redempturus Israel, a servitute liberaturus Ecclesiam? Et nunc quia tanto tempore tacuisti, doleo super te, frater, fili mi primogenite. Timeo ne succedat tibi, qui tollat tua primogenita, et auferat primogeniti benedictionem: quod absit a te! Verumtamen etsi hactenus nimium siluisti, resume vires, fili charissime. Clama, ne cesses, exalta vocem tuam contra eos, immitte eis timorem, mitte contritionem, excute satisfactionem, ne ira Dei descendat super eos, et tota gens pereat, vel, quod absit? majores in gente. Ultio enim divina jam in januis est. Hæc tibi scribo, non ad confusionem tuam, sed ad cautelam, ut fultus auctoritate Dei et nostra, de cætero valeas et velis officii tui necessitates fortius et validius exercere. Hoc unum in summa scire te volo, per misericordiam Dei non extorquebitur a me Ecclesiæ confusio. Præterea gratias tibi ago, quod vel nunc visitasti me, et solatio tuo confortasti. Quid plura? Unum est, quod sine multa animi mei amaritudine sustinere non valeo. Fleo siquidem super dilectissimo domino nostro rege. Timor enim et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ, eo quod videam domino meo regi tribulationem et angustiam imminere. Nec mirum. Commovit enim Ecclesiam Dei, et conturbavit eam, ostendens clero suo dura, et potans eum vino erroris. Propterea dicit ei Dominus: *Ubi sunt nunc sapientes consiliarii tui, qui dederunt tibi consilium insipiens? Qui dicebant: Filius sapientium tu es, filius regum antiquorum, quorum consuetudines observandæ sunt in Anglia. Quas qui non observaverit, non est amicus Cæsaris. Hostis est coronæ. Reus judicio.* Sed certe, quod magis est, amicus est crucis Christi. Quoniam væ his qui condunt leges iniquas, et scripserunt injustitias, ut opprimerent pauperes in judicio, et vim facerent causæ humilium populi Dei; ut essent Ecclesiæ et viduæ præda eorum, et clericorum, aliorumque diriperent bona. Quid facient in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugient auxilium, et ubi derelinquent glorias suas, ne incurventur sub vinculo, et cadant cum interfectis? Ubi sunt nunc sapientes ejus? Procedant, annuntient ei, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Anglia. Stulti facti sunt sapientes ejus, emarcuerunt principes ejus, deceperunt Angliam, angulum populorum. Dominus immiscuit in medio ejus spiritum vertiginis. Errare fecerunt Angliam in opere suo, sicut errat ebrius, vomens et tremens. Et non erit Angliæ opus, quod faciat caput et caudam. Qua comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt. Et dixerunt: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei,* expro-

A brando sacerdotibus et principibus ejus. Quo confugietis a manibus nostris, aut in quo est vobis fiducia? Quare recessistis, et obstitistis præceptis nostris? O quam inanes cogitationes istæ, quam pessimæ operationes in conspectu Domini! Videt quidem, quoniam vanæ sunt. Ipse enim irridebit sic cogitantem, si coperantem, proscipiciens quod prope veniat dies ejus, et jam in januis sit. Et dicetur: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem suum, sed speraverunt in multitudine divitiarum suarum, et prævaluerunt in vanitatibus suis.* Sed frustra hæc faciunt. Non relinquet Dominus Ecclesiam suam, clerum suum sine defensore, sine ultione gravissima. Fundata et enim supra firmam petram: petra autem est ipse Christus, qui eam proprio sanguine B suo fundavit. Certe si non ista emendaverint, non ferent ea impune, quoniam conculcaverunt Sancta sanctorum, domum Dei, sacerdotes ejus injuriis afficiendo, verbisque probrosis. Hi sunt, quibus ipse Dominus ait: *Dii estis et filii Excelsi omnes*; et alibi: *Qui vos odit me odit*; *qui vos spernit, me spernit*; *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Revertantur ergo ad cor, abjiciant mala ista a se, agant pœnitentiam cum summa humilitate. Alioquin verendum, quod absit! ne cito veniat Dominus noster, adducens super eos et terram eorum gladium retributionis et ultionem gravissimam. Ecce veniet Dominus noster et non tardabit et salvabit nos. Ipse equidem nunquam derelinquit sperantes in se. Propheta enim dicit: *Spera in Domino et fac* C *bonitatem et pasceris in divitiis ejus.* Et alibi: *Exspecta Dominum, et viriliter age; confortetur cor tuum et sustine Dominum; citoque liberaberis de laqueis venantium et a verbis asperis.* Et, ut cætera omnia debito fine concludam, quoniam ostendit nobis Dominus, quæ et quanta oporteat nos pati pro nomine suo et pro defensione Ecclesiæ, necesse habemus, ores tu et tota Ecclesia tibi commissa instanter pro nobis, ut quod nostris meritis non valemus, tua et sanctorum virorum intercessione, qui in dictione tua sunt, sustinere valeamus, et ob id gratiam sempiternam consequi mereamur. Vale et confortare. Valeat et tota Anglicana Ecclesia, et confortetur in Domino, ut et nos bene valeamus.

EPISTOLA CXXIV.

D AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, ROBERTO Herefordiensi et ROGERIO Wigorniensi episcopis.

Et ratio juris et fidei ac honestatis vestræ sinceritas et sacrarum juge exercitium litterarum nobis facile persuadent, quod nullius turbinis impetus charitatem vestram a fide et obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ poterit separare: ad quam cum ex institutione Filii Dei, Ecclesiam in se petra solidissima fundantis, omnis anima teneatur, arctiori quidem vinculo astrictus est ordo pontificum, qui in consecratione de observatione legis divinæ et sacrorum canonum, et de obedientia mandatorum sedis apo-

stolicæ, et eorum a quibus munus consecrationis A accipiunt, verbo et scripto specialiter profitentur. Sed et nos Ecclesiæ Romanæ pro comprovincialibus nostris non ambigimus obligatos, cum illa utriusque vestrum electionem, procreaverit, et nostro ministerio consecrationem. Unde etiam vos personæ nostræ magis oportet esse obnoxios, nedum apostolicæ sedi, cui fidem et odedientiam solus infidelis, aut hæreticus, aut schismaticus subtrahit. De vestra itaque fide et obedientia plenissimam fiduciam obtinentes, fraternitati vestræ litteras apostolicas mittimus, ut vobis et per vos aliis fratribus vestris innotescat, quoniam dominus papa nobis vices suas commisit in regno Anglorum.

Loquimur scientibus et docentibus legem, et quos non credimus esse de numero eorum, qui tenentes B legem Dominum nescierunt: et non in fraudem Scripturæ, quæ solvi non potest, sed propriæ salutis quærunt, ut impugnando fidem fideles videantur, et habeantur jurisperiti, cum perdentes se et alios perdiderint jura, et putentur filii esse obedientiæ, cum qualicunque prætextu inobediantiam suam potuerint colorare; sed frustra. Quia non est sapientia, non est consilium contra Dominum, qui jam testimonio patentis operis cœpit revelare consilia cordium, et parvulos suos jugiter consolatur, nec permittit eos tentari supra id quod possunt. Clamat terra adversus impios, et cœli revelabunt iniquitatem eorum. Consolamini itaque, consolamini, dilectissimi, dicit Dominus, quia in proximo est, ipso auctore liberatio vestra. Et nisi fides vestra defe- C cerit, salus nobis in janius est, et jam præ foribus ecclesiarum vestrarum pulsat, ut admitattur. Interim vobis in virtute obedientiæ apostolica auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus adhibita celeritate et diligentia procuretis, ut fratres nostri et coepiscopi conterminales vestri, Wintoniensis videlicet, et Bathoniensis, Saresberiensis, Cestrensis, Exoniensis, Menevensis, vestra sedulitate cognoscant nobis legationis officium, sicut ex litteris domini papæ patet, esse commissum. Sed ante eas fratri nostro episcopo Londoniensi cum litteris nostris a vobis eadem auctoritate ostendi præcipimus, ut ipse eas et comprovincialibus et Dunelmensi ostendat. Quia in periculum vestrum, imo et aliorum omnium vertitur, nisi hoc domini papæ et totius Ecclesiæ negotium D fidelius et diligentius geratur.

EPISTOLA CXXV.

AD EUMDEM

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Robberto episcopo Herefordensi.

Pervenit ad aures nostras querimonia, quod canonici de Brumfeld circumventione quadam et dolo facti sunt monachi in monasterio de Gloucestria: quodque possessiones et bona Ecclesiæ hac occasione translata sunt ad prædictum monasterium. Canonicus etiam quidam ipsius Ecclesiæ, qui iter arripuerat veniendi ad nos, ut super tam enormi facto nobis conquereretur, sicut accepimus, captus est et incarceratus. Super qua re fraternitati vestræ mandamus quatenus rei veritatem simul cum Wigornensi episcopo diligentius inquiratis et investigetis, eamque nobis insinuare litteris vestris non differatis. Damus etiam vobis in mandatis, atque in vi obedientiæ præcipimus, quatenus a præsentium litterarum susceptione infra duos menses, omni excusatione et occasione remota, iter veniendi ad nos arripiatis. Habemus enim de magnis et arduis Ecclesiæ negotiis tractare vobiscum, ad quæ expedienda plurimum indigemus vestra præsentia. De cætero noverit fraternitas vestra, quod nos damnavimus atque cassavimus scriptum illud, in quo hæreticæ illæ pravitates continentur, et in irritum duximus quæ in eo scripta sunt. Et præsertim hæc: quod non liceat episcopo excomminicare, etc.

EPISTOLA CXXVI.

AD GODEFRIDUM LANDAVIENSEM EPISCOPUM.

Thomas archiepiscopus Cantuariensis, Godefrido Lanelvensi episcopo.

Apostolicis sine contradictione et mora parendum est institutis, et cum omni celeritate et diligentia mederi convenit languoribus et periculis animarum. Inde est quod mandatum apostolicum exsequentes fraternitati vestræ mandamus quatenus juxta præceptum domini papæ redeatis ad Ecclesiam cui vos præfecit Dominus, aut ipsam resignando curam ejus cedatis alteri qui auctore Deo præesse valeat et prodesse. Alioquin Ecclesiam illam non sustinebimus ulterius pastore proprio viduari; sed ordinationi illius juxta quod in mandatis accepimus intendemus. Valete.

EPISTOLA CXXVII

AD EUMDEM.

Vestra fraternitas ignorare non debet quod privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Vos autem, sicut accepimus, in alienis episcopatibus Ecclesiarum vacantium alienas oves solvere præsumitis et ligare, et petitione laicorum aut aliorum quibus sacramentorum dispensatio non incumbit ecclesias dedicatis exercetis alia quorum non accepistis ab apostolica sede vel matre vestra Cantuariensi Ecclesia potestatem. Quod tanto credibilius videtur quando certius constat vos sine speciali mandato Romani pontificis dudum quod minime licebat, quantum in vobis fuit, absolvisse excommunicatos nostros non observato tenore litterarum domini papæ. An hoc recte feceritis, vestra discretio providebit, quoniam oportebit super his reddere rationem. Nam persistentes in scelere et voluntate peccandi qui Ecclesiarum bona diripiunt et iis incubant violenter, nec ipse Petrus coram Deo posset absolvere. Ne ergo cujuscunque instinctu de cætero similia præsumatis, prohibemus in virtute obedientiæ, in periculo dignitatis et ordinis, ne curam pastoralem et episcopale officium extra proprium episcopatum ulterius exerceatis; sed ea sitis potestate con-

tenti, quam vobis Ecclesia contulit in ordinatione vestra. Hoc autem vobis non interdicimus qui ad preces coepiscoporum vestrorum quibus communicare licuerit, vices eorum cum necessitas exegerit in rebus licitis impleatis; sed vos ab ecclesiarum vacantium et episcoporum qui excommunicati sunt officio præcipimus abstinere et curam pastoralem exercere quatenus facultas adfuerit in proprio episcopatu.

EPISTOLA CXXVIII.

AD LINCOLNIENSEM CLERUM ET POPULUM.

Vobis....... (*Vide similem epistolam ad Cicestrenses directam*).

EPISTOLA CXXVIII.

AD GILBERTUM HEREFORDIENSEM POSTEA LONDONIENSEM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, venerabili fratri G. eadem gratia Herefordiensi episcopo, salutem.

Quam sit nobilis et famosa præ ceteris regni hujus civitatibus civitas Londoniæ, nulli nostrum incognitum est; in qua videlicet ob publica regni negotia et domini regis conversatio et procerum regni soleant frequentiores esse conventus. Inde est, quod Ecclesia Londoniensis suo jamdudum orbata pastore, talem sibi desiderat episcopum subrogari, qui civitatis ipsius excellentiæ honestæ vitæ merito, litterarum scientia, rerum quoque prudentia sæcularium adæquetur. Magna itaque super hoc deliberatione habita, convenerunt in hoc unanimis cleri postulatio, voluntas domini regis et nostra, ordinatio quoque apostolica, ut ob communem regni utilitatem et Ecclesiæ necessitatem, ad Ecclesiæ Londoniensis regimen transferri et in ea curam et sollicitudinem pastoralem gerere debeatis. Suscepto igitur in hoc domini papæ mandato, ipsius vobis auctoritate injungimus, quatenus postulationi Londoniensis Ecclesiæ, quæ de vestra ad eam translatione in præsentia domini regis et nostra unanimi totius cleri assensu celebrata est, assensum præbere non differatis, et ad ejus regimen tanto devotius et maturius accedatis, quanto ipsa tantæ personæ consilio et gubernatione dignoscitur indigere. Ad hoc fraternitatem vestram commonemus attentius, ut ad quod trahit vos obedientiæ necessitas, vestræ quoque dilectionis contemplatio affectuosius invitet, ut quem nobis sinceræ dilectionis conjungit affectus, loci quoque vicinia ad nostras et Ecclesiæ Dei necessitates commodius valeat exhibere. Valete.

EPISTOLA CXXIX.

AD GILBERTUM LONDONIENSEM.

T. Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, venerabili fratri GILBERTO quondam Dei gratia Herefordiensi, nunc vero eadem gratia Londoniensi episcopo, salutem.

Noli graviter ferre, dilecte in Domino frater, quod tibi majus onus imposuimus, quod te ad majoris ecclesiæ curam vocavimus, confidentes id divina miseratione salubriter fuisse provisum. Hoc mores tui, hoc nota religio, hoc sapientia data desuper, hoc opus bonum, quod in Herefordiensi Ecclesia operatus es promeruerunt, ut dicatur tibi: « Amice, ascende superius: super pauca fuisti fidelis, merito supra multa constitueris. » Non homini rudi et inexperto navigationis sicut ex humilitate scribis, navim Petri commisimus, verum illi qui jamdiu exercitatus in flumine, amodo debet eamdem in alto gubernare. Lucerna accensa, quæ quasi sub modio abscondebatur, jam super candelabrum posita est, ut longe lateque luceat in domo Domini. Cantuariensi Ecclesiæ, quæ in regno Anglorum est sicut caput in corpore, Londoniensis familiarius adhæret præ cæteris, ad quam te Deo auctore transtulimus, ut e vicino matris tuæ Cantuariensis Ecclesiæ, cui debes omne quod potes, nobiscum possis onera sustinere. Præterea, cum dominus papa tibi specialiter curam animæ domini nostri regis commiserit, ubi te sedere magis decet quam in regia urbe, quo crebrius propter negotia publica veniens, frequenter tuis instruatur colloquiis et consiliis solidetur. Venire ergo ne formides, quo virtus tua te vocat, quo Dominus præcipit, de ope nostra et auxilio, quanta debetur amico et coadjutori, consolationem percepturus. Credimus siquidem hanc esse mutationem dexteræ Excelsi, eamque a divinæ dispositionis fonte emanare, non modo ut Ecclesia Cantuariensis in negotiis suis fortius tanto nitatur auxilio, verum etiam ut imperfectum nostrum, quod in multis videmus, tua beatitudine suppleatur. Utinam si fieri posset, priori die Dominico Londoniam venisses, ut tuum adventum digno susciperemus honore, ubi tunc præsentes aderamus. Nunc autem, quoniam negotia nostra illinc nos avulsere, archidiacono nostro vices nostras commisimus, adjuncto etiam illi domino Roffensi, si præsens adesse poterit. Valeat in Christo fraternitas tua, dilectissime frater.

EPISTOLA CXXIX*.

AD EUMDEM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis venerabili fratri GILBERTO eadem gratia Londoniensi episcopo magis in Christo gloriari quam in sæculo, amplius sperare in Domino quam in mundi amplexibus.

Licet tibi jam diu et plura scribere debuerimus, quoniam materia multa est, eligimus ad præsens dicendi compendium, ut inter hæc initia brevibus tibi, quod sentium, aperiamus. Nulla forsitan pro nobis, vel pauca, sed aliqua tibi de te, et pro te in instanti mandare curamus, reducendo tibi ad memoriam, qua conscientia sustinueris, qua animi patientia dissimulaveris injuriam Deo illatam in nobis, nobis propter Deum, tibi etiam in nobis, dum traheretur iterum ante tribunal principis, cum iterum pararetur Dominus Jesus crucifigi in nobis. An ut tua, te et tuos servares illæsos ab onere confiscationis, ac incommoditate exsilii? Certe non sic se Christus servare voluit, cum etiam animam suam

pro suis poneret, quorum ipse frater et caro est, A nobis relinquens exemplum, ut et nos similiter faciamus. Non sic apostoli, qui non timuerunt fidem Christi et nomen protestari coram principibus et potestatibus sæculi, in vitæ suæ discrimen et carnis. Hæc tibi dicimus de radice charitatis, non de rancore aliquo, ut vel sic revocetis ad animum, et de conscientiæ macula, vitioque patientiæ, si tamen in ea vitium esse potest, quam certius, ut pace tua dixerimus, credimus debere dici de more loquendi remissionem vel negligentiam, penes te confundaris commodius, de sustinentia non parum exemplo damnosa, et apud Deum ac homines effectuosius repares famæ tuæ integritatem, affectuosius pœnitendo de hujus patientiæ vitiose commisso. B Hujus rei gratia hortari te cupimus, ne gloriam mundi quasi stantem aspicias, ne plus tibi, aut pro te, aut tuis tua diligas, quæ revera non tua, sed Christi pauperum esse debent, et sunt, ut ad verum veniatur; et sic te et tua, ea tua quæ sic dicimus, perdas, ne blandiens præsens prosperitas sui finem tibi abscondat, et adversitas sine fine succedat. Alternæ enim sunt rerum vicissitudines, facilisque de successibus prosperis lapsus est in contrarium. Ne lætitia temporalis luctum tibi æternum, et operiat quem parit, et pariat quem operit. Ne mors longe a te esse putetur, et præoccupet improvidum, et vita, dum exspectatur, deserat male conscium. Sicut scriptum est: *Cum dixerit, pax et securitas, tunc subitus veniet interitus, tanquam in utero habentis, et non effugient.* C Hæc nos tibi scripsisse credas ad majorem cautelam, ut habita tecum ratione præteritorum, præsentium, et futurorum, sic corrigas errata, ut de correptis gaudeas, et de gaudio tuo fraterna tibi charitate congaudentes, fructum gaudii et nos consequamur sentiendo, et sentiamus consequendo. Valete.

EPISTOLA CXXX.

AD EUMDEM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister GILBERTO eadem gratia episcopo Londoniensi, quod semel hoc iterum, sic transire per bona temporalia, ut non amittat æterna.

Mirandum et vehementer stupendum, virum prudentem, sacris litteris eruditum, præsertim religionem habitu præferentem, adeo manifeste, ne dicam D irreverenter, et timore Dei postposito, aversari veritatem, justitiæ resistere, et ad omne fas nefasque confundendum, statum sanctæ Ecclesiæ, quam ipse fundavit Altissimus, velle evertere. Veritas est quæ dicit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Non sani igitur capitis esse dignoscitur qui intentat ei ruinam: homini similis montem magnum fune circumligatum tentanti dejicere. Sed nunquid ira vel odio defervui, ut exacerbatus jaculari compellar hujusmodi verba in fratrem meum, et collegam, et coepiscopum meum? Absit. Sed de litteris tuis, quas mihi per archidiaconum tuum destinandas accepi, talia collegi. Neque enim de spinis uvas, aut ficus de tribulis colligere potui.

A Ut clareat, an ita sit, proponamus eas, et continentiam earum in lucem proferamus. Finis collatus principio similitudinem scorpionis conformat: illud blandiens ad nos ingreditur, ille pungens nos acerbe, silentium nobis imponere machinatur.

Quid enim aliud est primo recognoscere debitam nobis subjectionem, et subjectioni cohærentem obedientiam promittere, deinde ne obedire debeas, ad appellationem convolare? Nunquid apud me sunt, *Est et non*, dicit Apostolus. Sed neque apud apostoli deberent esse discipulum. Necessario acceperunt discipuli a Domino potestatem calcandi super serpentes et scorpions. Habitat enim Ezechiel et hodie cum scorpionibus. Et illud vide quo sensu dixeris: *Ad appellationis remedium confugimus.* B Christi sequelam te dicis: in hoc dicto secus inveniris. Omnium enim malorum nostrorum efficax imo efficacissimum remedium commendavit nobis Christus obedientiam, non solum verbo, sed evidentissimo exemplo factus obediens Patri suo usque ad mortem. Et tu qua fronte appellas remedium obedientiæ impedimentum? Quod non remedium sed detrimentum rectius habet nominari. Sed e qua fiducia hoc præsumis? Sperasne te habiturum defensorem ad non obediendum illum, qui vindicandi in omnem inobedientiam et officium accepi et præceptum? Male est hoc sperare de eo, et in ipsum graviter offendere. Poterant te retardare al hujusmodi præsumptione, quas jam passus es prima et secunda repulsio. Viva quippe vox tu C primum, et deinde litteræ tuæ ad persuadendum compositæ expertæ sunt quam firmiter stet, quan sit vicarius Petri, quem non precibus, non donis nec comminationibus, vel promissis movere po tuisti. Sed tertio attentandus est, ut Domini su exemplo tertia attentatione triumphum reportet.

Porro ut nihil deesset gravaminis, defixisti ter minum tuæ appellationi anni fere spatium. Ne miserius es nostri exsilii, vel laboris sanctæ Eccle siæ, sponsæ Christi, quam ipse sibi suo sanguin acquisivit. Et ut hæc omittam, non omittenda ta men, providere debueras, cui te favere dicis, do mino nostro regi, qui, quandiu, sic aget in nos, v in Ecclesiam Christi, nec ad bella procedere, v D in pace degere animæ suæ periculo poterit. A reliqua transeamus. Quædam commemoras turba esse in discessu et ex discessu nostro. Timeant tu bationis hujus auctores et consiliarii, ne et ip turbentur. Magnis me laudibus extollis quasi d bono principio meæ peregrinationis. Et quidem s pientis est famam non negligere, et discreti e nulli magis de se quam sibi credere. De injuri insimulor, quasi illatis domino nostro regi. Se quia nullam designas ex nomine, nec ego scio c respondere debeam. Quia igitur superficie ten accusor superficie tenus in hac parte me excus Hoc tamen interim accipe responsum: Quia nulli mihi conscius snm, nec propterea justificatus sun De comminatorio minaris, quod nos in eum co

misimus. Quis pater videt filium aberrare, et tacet? Quis virga non percutit, ne gladium incurrat? Desperat pater de filio, quem comminatione non corripit vel flagello. Absit autem ut tecum sentiamus dominum nostrum regem, impatientem correptionis, ad exterminationem apostasiæ lapsurum. Non enim Patris cœlestis plantatio eradicabitur.

Navem concutit sævissima tempestas. Clavum teneo, et ad somnum me vocas. Congeris et statuis ante oculos nostros beneficia nobis a domino nostro rege collata, et de exili me commemoras ad summa provectum. Ut autem his aliquantisper respondeam, in insipientia mea tamen, de quam exili putas! Si tempus, quo me in ministerio suo præstituit, respicias, archidiaconatus Cantuariæ, præpositura Beverlaci, plurimæ ecclesiæ, præbendæ nonnullæ, alia etiam non pauca, quæ nominis mei erant possessio tunc temporis, adeo tenuem, ut dicis, quantum ad ea quæ mundi sunt, contradicunt me fuisse Quod si ad generis mei radicem et progenitores meos intenderis, cives quidem fuerunt Londonienses, in medio concivium suorum habitantes sine querela, nec omnino infimi. Sed ut aliquando, mundi tenebris semotis, judicemur a lumine veritatis, quid gloriosius, nasci de mediocribus vel etiam infimis, an de mundi magnatibus et honoratis, cum dicat Apostolus: *Inhonestiora membra corporis nostri abundantiori circumdamus honore?*

Stemnata quid faciunt?

ait gentilis poeta. Quid habet dicere Christianus, episcopus, litteratus et religiosus? Sed fortassis de exiguitatis meæ memoria notam confusionis mihi objicere voluisti. Confundere vero patrem, quantum cedat in reatum, ipse videris ex præcepto, quod de honorando patre recepisti.

Pro gratia vero regis nobis commendanda, commemoratione beneficiorum ejus non multum fuit laborandum. Testem enim Deum invoco, nihil sub sole me gratiæ ipsius et saluti præponere: tantum salva sint quæ Dei sunt et sanctæ Ecclesiæ. Non enim aliter poterit feliciter regnare vel secure Esto, quia ita est, multo sunt plura, et etiam ampliora, quam tua explicet oratio, beneficia ejus erga me. Debui ne pro his omnibus, vel etiam si centumplicarentur. Ecclesiæ Dei libertatem exponere? Quanto minus pro famæ meæ, quæ sæpius a vero deviarat, conservatione. Si minus in aliis egi, in hoc nec tibi nec alii parco, nec angelo, si descenderit de cœlo, sed statim, ut audiero talia commonentem, audiet ex me: *Vade retro, Satana, non sapis quæ Dei sunt.* Absit a me ista dementia. Avertat a me Deus dementiam istam, ut aliquatenus persuadear aliquibus tergiversationibus inire commercium de Christi corpore, unde ego Judæ venditori, et Dominus meus Judæis assimiletur emptoribus Christi.

De promotione vero mea, quam scribis factam matre domini regis dissuadente, regno reclamante, Ecclesia, quod licuit, suspirante, hoc tibi respon-

A deo: quod regni reclamationem non audivimus, sed potius acclamationem. Dissuasio vero genitricis domini nostri, si qua fuit, usque ad publicum non prodiit. Potuit autem fieri aliquas ecclesiasticas personas ad eamdem promotionem, ut solet, aspirantes suspirasse, cum se sentiret ab ea, quam concepe rant, spe decidere: qui et hodie fortassis, in ultionem sui casus, præsentis dissensionis auctores sunt et consiliarii. *Sed væ illi, per quem scandalum venit.* Prætaxatis vero obstaculis, et aliis, si quia fuerunt, divina prævaluit dispensatio, ut est hodie cernere. Exigor itaque ab ea, quæ ipse est, justitia nulli omnino eum postponere, qui me statuit in gradu isto sua miseratione.

Illud etiam quod ad justificandum dominum regem
B videris proposuisse, judicavi non prætereundum leviter, vel absque discussione. Et utinam a justitia non dissentiret, et nostra adversus eum minus justa appareret querela! Dicis ipsum ad satisfaciendum semper fuisse paratum. Hoc te confidenter dicere, hoc te asseris prædicare. Sustine igitur paulisper, et ad interrogata responde. Illud quod dicis »paratum ad satisfaciendum, quo sensu intelligis? Illos, quorum se Deus dicit patrem et judicem, orphanos, pupillos, viduas, innocentes, et omnino quæ nos movet controversiæ ignaros, vides proscribi, et taces clericos exterminari, et non reclamas; alios bonis suis spoliari et contumeliis affici, et non contradicis; servientes meos in vincula conjici et teneri, et obmutescis; matris tuæ Cantuariensis Ecclesiæ bona
C diripi, et non resistis; me patrem tuum gladios cervici meæ jamjam imminentes vix evasisse, et non doles. Sed quod deterius est, cum persecutoribus meis, et in me Dei et Ecclesiæ ipsius, et hoc non in occulto, stare non erubescis. Estne hoc satisfacere, perpetrata mala non corrigere, et malis deteriora de die in diem adjicere? Sed fortassis illud in contrarium intelligis, ut satisfacere sit voluntati impiorum deservire, secundum illud: *Inebriabo sagittas meas sanguine*

Sed dicis mihi: *Pater mi, de quibus me calumniaris, absolvo me paucis. Tunicæ meæ timeo.* Verum est, fili mi, et nimis verum quod respondes. Et ideo gladium non habes. Quod enim scribis ipsum paratum stare judicio regni sui, quasi condigna satisfactio sit hæc; quis est in terra, vel etiam in cœlo,
D qui de divina dispositione præsumat judicare? Humana judicantur, divina penitus inconcussa relinquuntur. Quanto melius, frater mi, illi salubrius, tibi securius intimares ei, et persuadere modis omnibus elaborares voluntatem Dei de conservanda pace Ecclesiæ suæ, de non appetendis his, quæ concessa non sunt ejus administrationi, de honorandis sacerdotibus Dei: nec qui sint attendat, sed cujus servi sint.

In Saresberiensem episcopum, et Joannem de Oxeneford, non decanum, ut dicis, sed decanatus invasorem, me præjudicio abusum calumniaris. Sed meminisse debuisti quædam manifesta præcedere ad judicium. Et motum te dicis. Quidni?

Luccalegon trepidat, paries cum proximus ardet.

Et utinam bene movearis ab eo, in quo non bene A fecisti ! Sciat ergo et intelligat, te intimante, dominus meus, quia qui dominatur in regno hominum, sed et angelorum, duas sub se potestates ordinavit : principes et sacerdotes. Unam terrenam, alteram spiritualem ; unam ministrantem, alteram præeminentem ; unam cui potentiam concessit, alteram cui reverentiam exhiberi voluit. Qui vero his vel illis de suo jure subtrahit, Dei ordinationi resistit. Non indignetur itaque dominus noster deferre illis, quibus summus omnium deferre non dedignatur, deos appellans eos sæpius in sacris litteris. Sic enim dicit : *Ego dixi* : *Dii estis*, etc. Et : *Constitui te Deum Pharaonis*. Et : *Diis non detrahes*, id est sacerdotibus. Et de eo qui juraturus erat, loquens per Moysen, ait: *Applica illum ad deos*, id est ad sacerdotes. Nec præ- B sumat dominus noster judices suos velle judicare. Terrenis enim potestatibus non sunt commissæ claves regni cœlorum, sed sacerdotio. Inde scriptum est : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est*. Paulus etiam dicit : *Nonne angelos judicabimus* ? *Quanto magis homines* ?

Illud etiam, te suggerente, commemoretur domino nostro, dignum memoria et imitatione, quod in ecclesiastica Historia legitur de Constantino imperatore, cui, cum oblatæ fuissent scripto actiones contra episcopos, accusationis quidem libellos accepit, et accusatores convocans, in eorum conspectu eosdem incendit, dicens : *Vos dii estis a vero Deo constituti, ite et inter vos causas vestras disponite. Quia dignum* C *non est, ut nos homines judicemus deos*. O magnum imperatorem ! O discrete regnantem in terra ! Quæ aliena sunt non usurpantem, et regnum æternum in cœlo promerentem. Studeat itaque dominus rex tantum, tam discretum, tam felicem imitari principem cujus et memoria laudabilis frequentatur in terris et vita perpetua ac gloriosa habetur in cœlis. Alioquin timeat, quod in Deuteronomio Dominus minatus est dicens : *Homo quicunque fecerit in superbia ut non exaudiat sacerdotem aut judicem, morietur*. Ad hoc enim vocatus est, et in hoc ipsum temporalis regni pax et magnificentia, de qua nos commones, ministratur ei de cœlo. Alioquin non salvatur rex per multam virtutem suam, nec si subdantur ei regna, et inclinentur nationes.

Sed hæc hactenus. Quoscunque autem prætaxata- D rum habuisti conscriptores litterarum, quod tibi responsum est, noverint sibi esse responsum. De cætero, fratres, vos commonefacio, rogo et obsecro, ut vos non separent schismata, nec obnubilent simultates, sed sit vobis in Domino cor unum et anima una. Et audiamus illum qui dicit: *Pro justitia agonizare pro anima tua, usque ad mortem certa pro justitia. Et Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Non obliviscamur illum districtum judicem, ante cujus tribunal constitutos sola non veritas judicabit, amoto timore et fiducia omnis terrenæ potestatis. Valeat in Domino sanctitas vestra.

EPISTOLA CXXXI.

AD EUMDEM GILBERTUM ET ALIOS EPISCOPOS ANGLIÆ.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, GILBERTO Londoniensi, et omnibus episcopis Angliæ.

Mittimus vobis litteras domini papæ, quibus præcipit sub anathematis interminatione, ut clericis nostris universa cum integritate reddantur, quæ eis ablata sunt, cuicunque commissa sint ex mandato regis. Inde est quod nos sub eadem interminatione vobis apostolica auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus infra duos menses post harum susceptionem quidquid exinde recepistis nobis restitui faciatis, ne vobis juxta quod dominus papa comminatur, eveniat. Præcipimus etiam, ut parochianos vestros, qui eorum reditus aut bona abstulerunt vel receperunt, ad restitutionem eorum similiter compellatis.

EPISTOLA CXXXII.

AD EUMDEN.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, GILBERTO Londoniensi episcopo.

Meminimus nos juxta constitutionem sanctorum Patrum vobis denuntiasse, quos propter injurias sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et Cantuariensi, et aliis ecclesiis in regno Angliæ illatas excommunicavimus et in virtute obedientiæ præcepisse, ut eos tanquam excommunicatos per episcopatum vestrum faceretis evitari, et hoc ipsum denuntiaretis fratribus et coepiscopis vestris. Quod si injunctum obedientiæ munus ad honorem Dei et Ecclesiæ Romanæ, et utilitatem Ecclesiarum, et salutem vestram, ut fieri oportuit, fideliter implevistis, charitati vestræ congratulamur in Domino. Sin autem, dolemus quidem non tam læsione nostra, quam pro domini papæ, et sedis apostolicæ injuria, et vestra : quod ad honorem suum et nobis salubriter Deus avertat incommodum. Licet enim plerisque remissa videatur manus et lenta indignatio summi pontificis, certe tamen efficax est et gravis, et exigentibus meritis insanabile vulnus interdum infligere consuevit. Non est enim sub sole, qui de manu ejus possit eruere. Solus infidelis, aut qui eum errore superat hæreticus, aut schismaticus apostolicis obtrectat obedire mandatis. Scienti legem loquimur, et qui publice docet obedientiam omnibus victimis præferendam, ut non oporteat sapientem moveri, et præsertim in religione nutritum, et religionis exercitationibus tritum, quæ affectiones virtutum, aut virtutes affectionum obedientiam comitentur. Moliri potest quis fraudem contra animam suam, sed verbum Dei veritate, quam substantialiter habet, defraudari non potest dicens : *Væ illis, qui justificant impium, et dicunt bonum malum, et ponunt tenebras lucem*. Et nunc quidem dicit illis *Væ* ; sed in brevi *Væ* acerbissimum inferet : potentes quidem potenter puniens, et judicium durissimum exercens in eos, qui

inutiliter præsunt, et impio impietatem annuntiare detrectant. Tunc autem qui fideliter obedierint, triumphantes feliciter coronabit, et interim adversus injustitiam decertantes multipliciter consolatur.

Rogamus igitur et obsecramus in Domino Jesu, ut, quoniam mala adversus Ecclesiam multiplicantur in terra, et culpis nostris exigentibus nimis invaluerunt, exsurgatis in adjutorium Ecclesiæ Dei, et gladium verbi, qui vobis creditus est, exeratis in virtute Spiritus sancti ad vindictam malorum et bonorum solatium, ne eum sine causa portetis et vos. Quos autem segniores vel tepidiores videritis ad justitiam faciendam, erigatis et animetis, vobisque dictum intelligatis a Christo in articulo passionis suæ, quoniam ab impiis iterum crucifigitur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Vos autem nos ad liberationem Ecclesiæ habebitis adjutores et prævios, et in his, quæ ad honorem Dei pertinere noverimus, in nullo deerimus vobis, quatenus nobis vires divina clementia ministrabit. Sed et dominus papa debitam opem libenter impendet, et nobis jam, ut iniquitati possimus efficacius obviare, vices suas commisit in regno Angliæ, sicut ex litteris ejus, quas vobis transmittimus, potestis advertere. Mandamus itaque fraternitati vestræ, et in virtute obedientiæ, et in periculo ordinis vestri, apostolica auctoritate præcipimus, quatenus eas fratribus et comprovincialibus vestris episcopis, et Dunelmensi episcopo ostendatis adhibita celeritate et diligentia, et easdem postmodum nobis restitui faciatis. Prædicta eadem auctoritate, et sub eadem interminatione jubemus, ut horum portitoribus, qui domini papæ negotium gerere dignoscuntur, debitum exhibeatis honorem, et eorum sic provideatis indemnitati, sicut honori vestro vultis esse prospectum.

EPISTOLA CXXXIII.

AD EUMDEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, utinam vero fratri, Gilberto Londoniensi episcopo, declinare a malo, et facere bonum.

Excessus vestros, dum licuit, supportavimus: et utinam mansuetudo patientiæ nostræ, quæ nobis ultra modum damnosa exstitit, in totius Ecclesiæ perniciem non redundet! Sed, quia patientia nostra semper abusi estis, et neque dominum papam, neque nos in verbo salutis vestræ voluistis audire, sed obduratio vestra in deteriora semper excrevit, nos urgente necessitate officii et ratione juris persuadente ex justis et manifestis causis, anathematis sententia percellentes vos excommunicavimus, et a corpore Christi, quod est Ecclesia, donec condigne satisfaciatis, amputavimus. Præcipimus ergo in virtute obedientiæ, et in periculo salutis, dignitatis et ordinis, quatenus prout ecclesiæ forma præscribit, ab omni communione fidelium abstineatis, ne vestra participatio gregem Dominicum contaminet ad ruinam, qui vestra doctrina erudiendus et exemplis informandus erat ad vitam.

EPISTOLA XXXIV.

AD EUMDEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, Gilberto Londoniensi episcopo, utinam vero fratri, declinare a malo, et facere bonum.

Vestra debuerat meminisse prudentia, quanta vos affectione mater vestra Cantuariensis Ecclesia semper dilexerit, quanta diligentia sedis apostolicæ gratiam vobis conciliare studuerit, honori vestro et utilitati, tanquam saluti propriæ, semper invigilans; vos autem accepta facultate nocendi, adversus utramque calcaneum erexistis, et eis tanquam clavus in oculo, et sagitta in latere tanto perniciosius nocuistis, quanto minus cavebatur impietas religionis tecta velamine, et perfidia professionem fidei fallacius et fraudulentius impugnabat. Vos sæpe commonuimus, et utinam ad salubrioris verba consilii et exhortationis non intumuisset, aut obduruisset cor vestrum. Scripsit vobis summus pontifex, ut paci reformandæ inter Ecclesiam et regem diligentiam impenderetis; sed, sicut publice notum est, per vos adversus Ecclesiam vehementior est excitata turbatio. Et quidem multa et magna ad condemnationis vestræ judicium præcesserunt, nisi sedes apostolica fraternitatem vestram in multa mansuetudine supportasset. Nos autem, licet gravissime læsi, molimina vestra contra Ecclesiam et nos, quandiu licuit, dissimulavimus, ut cunctis rectum sapientibus et habentibus zelum legis, excessisse modum videatur patientia nostra. Sed quia novissima vestra semper inventa sunt deteriora prioribus, et ulterius dissimulare non licuit, vos ex justis et manifestis causis anathematis sententia percellentes, a corpore Christi, quod est Ecclesia. donec condigne satisfaciatis, tanquam membrum putredinis resecavimus. Præcipimus ergo in virtute obedientiæ, in periculo salutis, dignitatis et ordinis quatenus prout Ecclesiæ forma præscribit, ab omni vos communione fidelium abstineatis, ne vestra participatio Dominicum gregem contaminet ad ruinam, qui vestra doctrina erudiendus et exemplis informandus erat ad vitam.

EPISTOLA CXXXV.

AD EUMDEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, Gilberto Londoniensi episcopo, utinam vero fratri, resipiscere a malo, et *Deo potius quam hominibus obedire.*

Licet studia vestra, quibus ex proposito perniciem Ecclesiæ et nostram pro viribus hactenus procurastis, fidelium communionem demeruerint, et salutationis alloquium, nos tamen, quæ ad salutem vestram quam Deo teste cupimus, indubitanter credimus pertinere, vobis pro debito officii nostri sollicita charitate proponimus, reducentes ad animum

quod qui terram Austri inhabitant, cum panibus etiam fugienti monentur occurrere. Et quod Christus, qui pastor et forma pastorum est, non justos venit, sed peccatores per pœnitentiam reformare, quam sicut ille nunquam reprobat veram, sic semper aspernatur et damnat fictam, utramque examinans ex contritione cordis, et convincens ab operibus suis. Nam arbor ex fructu cognoscitur, et opera cujusque testimonium perhibent de eo. Sicut ergo inobedientiam vestram et contumaciam, ut cætera parcentes interim taceamus, ulterius præterire non potuimus nec debuimus impunitam, sic conversionem vestram et condignos obedientiæ fructus charitate promptissima acceptabimus, omnium quæ contra nos commisistis, amplius non recordaturi, si de pœnitentiæ sinceritate et condigna satisfactione constiterit. Ad quam vos affectione paterna revocantes, monemus et exhortamur in Domino, ut ponatis cor super vias vestras, et opera digna episcopo de cætero faciatis, ne nos in exsecutione vindictæ pro contumacia compellamur ad ulteriora procedere. Ad hæc vobis in virtute obedientiæ, in periculo gradus et ordinis præcipiendo mandamus, quatenus nobis sine dilatione remittatis litteras domini papæ super legatione nostra, quas vobis misimus, per vos fratribus et coepiscopis nostris communicandas. Et si eas, ut oportuit, communicastis, bene fecistis. Sin autem, procul dubio noveritis, quoniam et illarum suppressio districtius requiretur a nobis. Cor pœnitens vobis divina misericordia largiatur. Si resipueritis, et ad satisfactionem festinaveritis, parcat vobis Deus, et celerius convertat.

EPISTOLA CXXXVI.

AD EUMDEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, venerabili viro Gilberto Londoniensi episcopo, coram facie sua fideliter ambulare.

Calamitates matris vestræ S. Cantuariensis Ecclesiæ tanto plenius agnovistis, quanto eas ab initio vicinius et planius inspexistis, corpore præsens, utinam non animo. Exspectavimus toto jam fere sex annorum curriculo pœnitentiam domini regis, sed ille, quod sine dolore non loquimur, adeo misericordia Dei et sacræ Romanæ Ecclesiæ patientia semper abusus est, ut novissima ejus fierent in dies deteriora prioribus. Ne ergo ex nimia dissimulatione tam illius, quam pereuntis Ecclesiæ sanguis in districto examine requiratur a nobis, vobis præeunte auctoritate domini papæ in virtute obedientiæ, in periculo ordinis, honoris et beneficii præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies a susceptione præsentium per totum episcopatum vestrum, omnia divina, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, prohibeatis officia celebrari, et ab omnibus subditis vestris interdicti sententiam, quantum in vobis est, faciatis inviolabiliter observari. Et ut litteras domini papæ, quas vobis mittimus, fratribus et coepiscopis vestris, et vacantium ecclesiarum capitulis communicetis, et ab eis inspectas nobis r mittere non differatis : portitori etiam harum pı spicientes, sicut vobis et ordini vestro cupitis es prospectum. Quæ nisi fideliter adimpleveritis, vol perpetuæ damnationis sententiam noveritis irrefı gabiliter imminere.

Eodem modo Saresberiensi.

EPISTOLA CXXXVII.

AD CLERUM LONDONIENSEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscop et apostolicæ sedis legatus, decano, archidiaco et clero Londoniensi, salutem, et a communio excommunicatorum fideliter abstinere.

Vestram latere non debet prudentiam, quod f totus Latinus orbis agnovit, quam inique, sum opportunitate ex causa schismatis generalis, Gilb tus Londoniensis episcopus, frater noster, utin verus, in causa Ecclesiæ versatus sit, et pacem e studuerit perturbare. Supportavimus enim eum multa patientia hactenus, qua ille semper abute jugis inobedientiæ crimen multiplicans excessi incorrigibiliter cumulavit. Nos igitur, cui dissin lare non licuit, eum urgente necessitate officii, ratione juris persuadente, publice excommunica mus, et vobis præcipimus in virtute obedientiæ, in periculo ordinis et salutis, ut communione ej sicut Christi fideles decet, prorsus abstineatis. Si liter eos sub eadem interminatione præcipimus e tari, quorum nomina inferius scripta sunt. Si quoque sententia, Deo auctore, eos qui a nobis lemniter citati sunt, nisi interim satisfecerint, c demnabimus in die Ascensionis Domini, scili Gaufredum Cantuariensem archidiaconum, et bertum vicarium ejus, Ricardum de Ivelcestre, cardum de Luci, Willelmum Giffard, Adam de Che et eos qui ope vel consilio domini regis, vel m dato, vel propria temeritate, nostra vel clerico nostrorum bona occupaverunt, et eos qui ope consilio domini regis animum adversus libertat Ecclesiæ, et innocentium proscriptionem, et depo lationem instigasse noscuntur, et qui nuntios mini papæ et nostros, ne prosequantur Eccle necessitates, impediunt. Non turbetur cor vestr neque formidet in his, quia et contra tergiversa nes malignantium et appellationum subterfugia, propitio, sedis apostolicæ munimine tuti sum Hæc sunt nomina excommunicatorum : Joceli Saresberiensis episcopus, comes Hugo, Radulp de Broc, Thomas filius Bernardi, Robertus cleri de Broc, Hugo de S. Claro, Letardus clericus Norflece, Nigellus de Sacca-Villa, Ricardus fr Willelmi de Hastinga, qui ecclesiam nostram Manech etiam occupavit. Valete.

EPISTOLA CXXXVIII.

AD STEPHANUM MELDENSEM EPISCOPUM

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Meld episcopo.

Merito dixerim cum propheta : *Væ mihi, q*

tacui! Quia vulneris mei et doloris non revelavi molestiam illi, qui præ cæteris mihi et coexsulibus meis, Christi proscriptis, in regno Francorum consuevit adhibere medicinan, et necessariæ consolationis fomenta. Sed tanti silentii culpam probabilis error excusat, quia vester ab amicis reditus exspectabatur, et sperabatur in dies. Nutu vero divino crediderim accidisse, ut vos tam diu morari tum causæ necessitas, tum sanctæ Ecclesiæ Romanæ voluntas compulerit, ut ex longa conversatione et familiaritate contracta virtus vestra clarius elucescat, et de cætero possit egenis, quorum primus ego, efficacius opitulari apud apostolicam majestatem. Et jam quidem misera Ecclesia Anglicana experta est in multis necessitatibus pietatis vestræ subsidium, et unde vobis gratias agit, quotquot redeunt, vos eam sollicitudinem gerere perhibent in negotiis nostris, quam exerceretis in propriis, aut forte ampliorem. Quocirca fiducialius ad vos, quanda possunt devotione, parvuli Christi confugiunt, et sancta Cantuariensis Ecclesia provolvitur pedibus vestris, ut intercessionum vestrarum suffragio ipsam et omnes conterminas ejus eripiatis a laqueo mortis, quam sub honestæ pacis velamine persecutor noster intentat. Eo enim perductus est ad instantiam domini Gratiani, ut quod anno præterito respuerat, pro amore et prece domini papæ nunc admittat, honorem Dei scilicet salvum fore. Sed incontinenti adjecit : *Salvis dignitatibus suis.* Quarum nomine damnatas pridem, et perpetuo damnandas disponit consuetudines obtinere. Ea enim mens est mihi principis, ut tunc demum vigeat honor Dei, si dignitatibus, quas vindicat non refragetur. Alioquin illæ præjudicent. Gratianus autem intulit, quod ille salva libertate Ecclesiæ regni libertatibus potiatur, sed ad nomen libertatis Ecclesiæ, quod ante sibi in exactis conditionibus fuerat inauditum, pius rex Franciæ vehementer excanduit, et nomen hoc vix potuit sustinere. Jactitant sui restitutionem ablatorum nullam Ecclesiæ faciendam, eo quod antecessores sui, ut mentiuntur, nihil unquam restituerunt archiepiscopis et episcopis, quos ex pari causa sæpe numero fugaverunt. Et certe eo constantius petenda est, et petetur a nobis, quia malorum exempla citius invalescunt, et auctore Deo, quoad licuerit, declinabimus ad posteros tantæ enormitatis et sceleris transferre et perpetuare perniciem.

Conatur idem rex formam fidelitatis, quam clerici principibus facere consueverunt, evertere, non admittens in ultima clausula se obligantis ordinem salvum fore, sed *honorem Dei.* Quia persuasus est, ut aiunt, a grammaticis suis, quos in læsionem Ecclesiæ ascivit, quod honor Dei non minuetur, si clerici passim apellare et appellationes prosequi non permittantur; si ad singulas vocationes domini papæ vel legatorum episcopi vel alii vocati non accedant ; ad quod tamen ex ordinis sui necessitate tenentur. Supplicamus itaque sanctitati vestræ, quatenus domino papæ persuadeatis, ut in dispendium

A ecclesiasticæ libertatis nullam admittat pacem, neque nos compellat a damnorum repetitione desistere, neque tritam fidelitatis exemplo nostro faciat mutari formam. Nam quod semel obtinuerit, præsertim auctoritate Ecclesiæ Romanæ, sibi et liberis suis volet esse perpetuum. Ad hæc latores præsentium magistrum Godefridum, et magistrum Walterum, nuntios venerabilis fratris nostri Trundenensis archiepiscopi, ea, si placet, benignitate fovete et recipite, quas nos et nostros vestra charitas recipere consuevit. Valeat semper sanctitas vestra, et has mentis angustias et domino Ostiensi et domino Hyacintho communicare dignetur.

EPISTOLA CXXXIX.

AD EUMDEM.

B Thomas Cantuariensis archiepiscopus Stephano Meldensi episcopo, salutem, et modicum id quod devotio potest exsulis et proscripti.

Dilectioni vestræ super consolatione, quam nobis et nostris semper exhibuistis, non sufficimus reddere gratiarum debitas actiones. Reddet autem, qui potest, pro cujus honore persecutionem patimur, Christus. Et nos, si quid unquam potuerimus, ad vestrum et vestrorum, ut justissimum est, prompti sumus obsequium. Poterimus autem, propitiante Deo, qui Ecclesiæ suæ justitiam semper illustrat, et nunc, sicut a venerabili Patre domino Senonensi, et magistro Petro Carnotensi archiediacono potestis audire, malitiam et duritiam regis Angliæ manifes-
C tissime denudavit : filio gratiæ Gratiano secundum fidem suam, et in ea sinceritate, quæ causam tractavit Ecclesiæ, respondeat Deus. Quia apud eum acceptio personarum vel munerum nihil potuit, sed fideliter et prudenter ad honorem Dei et Ecclesiæ Romanæ usquequaque versatus est. Agite ei, si placet, gratias, et merita partium ab ipso diligenter audite. Nuntios nostros ad clementiam serenitatis vestræ dirigimus, quos si placet in causa Christi audite ut nos ipsos, et date operam ut dominus papa miseriam nostram ad gloriam Dei et honorem suum celerius consoletur. Oramus instanter, quatenus potest devotio miseri peccatoris, ut Deus prosperum faciat iter vestrum et felices vobis ad optanda largiatur successus.

D

EPISTOLA CXL.

AD NIVERNENSEM EPISCOPUM

Thomas Cantuariensis archiepiscopus Nivernensi episcopo, sub alterius nomine propter insidias.

Dirigat Dominus gressus vestros, ut in causa Ecclesiæ, cujus exsecutio vobis pro parte commissa est. non declinetis ad dexteram vel sinistram, sed via regia incedatis, ut nec sollicitationibus, nec minis, nec exquisitis dolis prævaleat adversus prudentiam et sinceritatem vestram, cujus tendiculas nullus unquam evasit, qui cum ipso contraxerit. Et nisi fallor. vobis pugnandum erit ad bestias, cum ipse episcopos abbates et viros discretos perducturus sit, ut per

cos expugnet constantiam vestram, si præsenserit A quod vos promissis et blandiloquio circumvenire non possit. Quia ergo multiplices illius prodigii fucos non est facile deprehendere, quidquid dixerit, quamcunque figuram inducat, tam ipse quam omnia ejus vobis suspecta sint, et fallaciæ plena esse credantur, nisi quorum fidem manifesti operis exhibitio comprobabit. Si vero senserit quod vos aut promissis corrumpere valeat, aut minis deterrere, ut aliquid obtineat contra honestatem vestram et causæ indemnitatem, illico apud eum prorsus vestra evanescet auctoritas, et eritis tam illi, quam suis in contemptum, in fabulam, in derisum. Sin autem viderit quod vos a proposito flectere nequeat, furorem simulabit in primis, jurabit et dejerabit, Proteum imitabitur, et tandem revertetur in se, et B nisi per vos steterit, exinde semper eritis in Deum Pharaoni. Homo inter cætera quibus innotuit, familiaribus et vicinis, in eo maxime gloriatur, quod explorator morum est, bonorum insidiator, delusor et derisor, ut si forte verbum incautius alicui elabatur, statim adhibitis testibus quasi sub prætextu injuriæ suæ vel erroris alieni, fugam paret, ut recte recedere videatur. Cum ergo convenietur, erit in omni re adhibenda modestia, a multiloquio abstinendum. Articuli causæ summatim colligantur, insistendum diligentius, ut respondeat ad proposita, quoniam ex consuetudine dyscolus est. Super omnia fugiendæ dilationes, quos ille semper consuevit inducere, et vos, urgente mandato apostolico, admittere non potestis : nec expedit ut consilium C nostrum alicui innotescat, quia scorpiones sunt, qui faciem præferunt amicorum. Commodissimum vero videtur exordium a litteris, quas eis dominus papa transmisit, quibus testatur sibi per litteras et nuntios regis significatum esse, quod rex archiepiscopo Cantuariensi concesserat, ut ad ecclesiam suam in omni securitate redeat, et sui omnes ad sua, habituri possessiones suas omnes, sicut eas melius habuerunt, dum in gratia regis essent. Secundus articulus est, ut eumdem archiepiscopum in osculo pacis recipiat : quæ forma solemnis est in omni gente et in omni religione, et citra quam nusquam pax antea dissidentium confirmatur. Nec tam vicario filii regis osculo videretur archiepiscopus pacem recepisse a rege, quam in filii ejus gra- D tiam rediisse. Quod verbum si semel audiretur in turba, patens est, quam facilis malignandi adversus pacem initam daretur occasio. Et si archiepiscopo, quod absit! secus accideret, rex sub prætextu negati osculi crederetur exemptus infamiæ.

Redeat in mentem Robertus de Silliaco, et alii qui per manum Christianissimi regis cum eo pacem fecerunt, quibus si nec osculum publice datum, nec tanti mediatoris reverentia veram contulit pacem, nec mirabimini cur memoratus archiepiscopus publicæ religioni solemnem exigat cautionem. Cuicunque præmissorum articulorum rex noluit acquiescere, vos, si vultis, ut vobis in causa succedat, accipite licentiam incontinenti, et nisi mandato domini papæ acquiescens vos revocaverit, redire citius non differatis. Si autem acquieverit, exprimite nomina possessionum, sicut vobis in chartula exprimuntur, nec admittatis delusiones et fabulas ejus quibus Ecclesiam conabitur mutilare bonis suis; quia dum passum pedis auferet, pacem cum archiepiscopo inire non poterit. Mavult enim proscribi perpetuo, quam eo consentiente vel in minimo proscribatur Ecclesia. Quod si et hic detrectaveri et vos oblatam redeundi occasionem accipiatis. . . . . . Tertius articulus earumdem litterarum est, ut mille marcas per Vivianum promissas archiepiscopo incontinenti restituat, ut habeat unde possit apparatui suo et suorum necessaria providere. Quas si se promisisse inficiatur, reducite ei ad memoriam, quod eas similiter apud Montem Martyrum promisit episcopus Sagiensis, qui nullo modo mandati fines excedere. Si pertinacius detrectat hanc pecuniam redderet, frontem vestram sentiat, sua, quamvis nimis attrita sit, duriorem. Et antequam ab hoc desistatis articulo, reditum tanta procuretis instantia. ut omnes vos indubitanter credant transfretaturos. Si tamen demum apparuerit quod nullo modo possit evinci, vos quasi regi condescendentes, hac petitione dilata et pecunia nulla ratione remissa, formam pacis, quæ in prioribus articulis præmissa est, recipiatis. Scitis enim ex litteris, quas vobis dominus papa transmisit, quod nullam remittendæ pecuniæ habetis auctoritatem, qui etiam pace facta tenemini ipsum convenire super integra restitutione ablatorum, et pravis consuetudinibus abolendis. Nam ut in litteris ad regem missis expressum est, vos ad exsecutionem pacis misit dominus papa, et ut per vos melioretur conditio Ecclesiæ, et archiepiscopus et sui in nullo lædantur. Nullam enim in hac parte habetis potestatem.

Quartus articulus est de absolutione excommunicatorum, in qua vobis duplex cautela necessaria est. Primo, ut nulla ratione id faciatis, nisi certa spe pacis et reconciliationis accepta. Secundo, ut nullum, nisi juramento solemniter et publice præstito, juxta mandatum apostolicum, absolvatis. Nec enim aliter eos potestis absolvere. Sed quomodo certam concipietis spem ab homine lubrico, cujus verba et juramenta eamdem vim habent, et pari sunt lance pensanda? Difficile quidem est, si tamen induci posset, ut aliqui magnatum regni plures, aut saltem, unus, mandato ejus jurarent, quod formam pacis fideliter et sine malo ingenio rex exsequeretur, et ipsi si fidejussores existerent, posset hæc aliqua imago certitudinis interim credi. Verumtamen si ei persuaderi non potest, ut jam dictas præstari faciat cautiones, exigatur, ut patentibus litteris sigillo suo munitis hoc scribat archiepiscopo, et item aliis : in eumdem modum domino papæ, et vobis similiter tertiis ne quid ex contingentibus omisisse videamini, et nimia facilitate certi fuisse de promissione hominis, cui vix unquam sine periculo

creditur. Præterea possessiones Ecclesiæ tradat vobis, amotis satellitibus suis, et per vos ministris archiepiscopi. Hæc enim, licet securæ pacis non sint satis certa indicia, quia et contra scripta sua facile venire consuevit, et ministros archiepiscopi eadem qua solitus est, injuria posset ejicere, tamen quia spem firmioris obligationis obtinent utcunque certam spem videntur polliceri : et diligentiam vestram, si impetrata fuerint, quidquid exinde contingat, a vitio levitatis poterunt excusare.

Quod si rex ista, scilicet attestationem scriptorum, et possessionum cesssionem facere noluerit, restat, ut vos certam spem concipere non debeatis, nec ad absolutionem excommunicatorum procedere Nam, etiamsi absoluti essent, tenemini ex mandato apostolico reponere eos in anteriorem sententiam, si pax, quod absit ! secuta non fuerit. Et si hominem recte novimus, ab istorum absolutione exordietur, dicetque se neminem auditurum, nihil boni facturum, antequam absolvantur familiares sui. Dum hoc obtineat, fortasse modestiam simulabit, promittet grandia, et quasi sub specie religionis, quo innocentior credatur, peccata confitebitur, aliquas conscientiæ maculas deteget, quas tamen emendicatis aut ementitis virtutibus continuo diluere possit. Ex quo vero obtinuerit, inveteratam duritiam induet, et qui humiliter orabat, exinde nulla humanitate poterit exorari. Hæc ista esse persuadeant Gratianus et Vivianus, quibus se fide corporaliter præstita obligavit, quod illorum consilium de pace cum archiepiscopo facienda sequeretur, si excommunicatos absolverent. Quibus absolutis ita ab universis, quæ promisit, resiliit, ac si nec verbum cum eis habuisset. Quocirca et qui absoluti fuerant, in priorem excommunicationem reducti sunt, eo quidem justius, quo nequius pacem, cujus spe fuerant absoluti, studuerunt modis omnibus impedire.

Præcaveatis itaque, ne prosiliatis ad absolutionem, nisi certi de pace secutura, et ut cum eam feceritis, si tamen facturi estis, juramentum, secundum quod vobis præscriptum est, recipiatis ab absolvendis, denuntiantes eis, quod nisi exhibitam consecutione operum impleverint cautionem, omni excusatione et appellatione postposita in pristinam excommnnicationis sententiam reducentur. Interim autem communionem eorum sollicitius evitetis, ne quod offendiculum detis infirmis, et vituperari faciatis ministerium vestrum, et impiis animatis ad contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, causæ Dei non mediocre dispendium generetis. Si forte exegerit. rex, ut archiepiscopus in terram suam redeat, possessiones suas et pacis osculum præsentialiter recepturus, procurate, ut quod in absentia ejus fieri potest, domos et possessiones suas Ecclesiæ ministri recipiant, qui possint redeunti necessaria præparare Et ut aliqui de maguatibus terræ, quod episcopos quosdam libenter facturos esse non ambigo, veniant ad archiepiscopum ex mandato regis, qui ei con-

A ductum et securitatem præstent, ut sine impedimento possit inter eos reconciliatio, prout ipsam antea formaveritis, adimpleri. Alioquin archiepiscopus, nisi causa cognita et securitate accepta, nullum ejus inibit colloquium. Et si, quod de prudentia et constantia vestra credi non debet, rex vos circumvenerit aut compulerit, ut in læsionem Ecclesiæ aut proscriptorum Christi mandatum apostolicum excedatis, vobis certo certius sit, quod archiepiscopus nihil eorum quæ sic gesseritis, ratum habebit, nec contra conscientiam suam alicujus mortalium consilio acquiescet. Comitem Hugonem vobis nulla ratione licet absolvere, quia nihil ei cum causa ista. Ad hæc cavete, ne vos dilationibus protrahat ultra mandatum domini papæ, quia nullæ B sunt hic partes vestræ. Cum vobis fuerit transfretandum, litteras originales, quas recepistis, non deferatis vobiscum, sed transcripta, quia insidias in littore posuit et exploratores gravissimos, qui litteras hujusmodi præripere consueverunt. Vos enim originalia recepistis, et ipsi regi denuntiavit dominus papa, quod vos missurus erat; nec tenemini, sed nec expedit, ut ei tam cito innotescat, quidquid vobis datum est in mandatis. Et quia incertum est, an metu sententiæ imminentis vobis aliquod cito redeundi paraturus sit impedimentum, necesse est, si placet, et si vultis, ut oportet, causæ prospicere, quatenus scribatis episcopis cismarinis juxta conceptionem litterarum domini papæ, præcipiendo, ut per parochias suas divina prohibeant celebrari, C ex quo terminus regi indultus elapsus fuerit, easdemque litteras vestras committatis domino Senonensi, qui cum res exegerit, procurabit, ut vestrum mandatum ecclesiis publicetur. Hoc etiam apud regem plurimum valere poterit, si sibi persuasum fuerit, quod necessitas immineat cismarinis episcopis, mandatum apostolicum, quidquid vobis accidat, exsequendi. Sane quotiescunque vobis cum præfato rege ex quacunque causa fuerit contrahendum, redeant in memoriam vestram fratres templi et xenodochii Hierosolymitani, cardinales et nuntii domini papæ, Carthusienses et Grandimontani, Cistercienses et episcopi terræ suæ, quos omnes in variis contractibus, dum propriæ voluntatis quocunque modo malitiam adimpleret, etsi hoc plerumque non meruerint, notari tamen fecit infamia. Si quæsierit, an de rebus ablatis et illatis injuriis pacem sit perpetuo habiturus, si archiepiscopum, ut dictum est, revocaverit, intimate ei, ut nec vobis nec alii credat credat se citra pœnitentiam ab aliquo hominum posse absolvi, aut veniam promereri. Nam in Evangelio secundum Lucam ait Dominus : *Attendite vobis, si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, et si pœnitentiam egerit, dimitte illi, etsi septies in die peccaverit in te et septies in die conversus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi.* Pœniteat ergo, si vestro vel alieno fructuosam desiderat pacem, quia, ut ait Apostolus, *nulli contra veritatem aliquid licet.* Nec omnino dimittitur peccatum, nisi, cum facultas

adsit, restituatur ablatum. Aut enim verba Christi superfluunt, aut conversio, pœnitentia, et vera confessio, necessaria sunt ad veniam promerendam.

EPISTOLA CXLI.

AD WILLELMUM NORWICENSEM EPISCOPUM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri W.... eadem gratia Norwicensi episcopo salutem, et in Spiritu sancto gladium Petri adversus persecutores Christi fideliter exerere, et feliciter exercere.

Se ipsum ad pœnam criminis obligare dignoscitur; quisquis divinitus accepta potestate perversis hominibus dat audaciam delinquendi ex dissimulatione vindictæ. Nam sanguis iniquorum de manu negligentis aut dissimulantis sacerdotis exquiritur. Spinæ et tribuli, sicut Scriptura docet, nascuntur in manu temulenti. Ne nos igitur ex dissimulatione manifestorum criminum reatus involvat, et in perniciem Ecclesiæ convincat nimium siluisse, comitem Hugonem, præcedente tamen mandato summi pontificis, vinculo anathematis innodavimus, præcipimusque ut eum per episcopatum vestrum publice faciatis excommunicatum denuntiari, et subtrahi sibi, prout ecclesiastica disciplina præscribit, fidelium participationem. Ad hæc meminisse potest vestra fraternitas, quoniam diu Londoniensis episcopi dissimulavimus culpas, qui, ut cætera taceantur, utinam tam impudens schismatis non fuisset incentor: nec in subversionem ecclesiasticæ libertatis et juris animasset publicam potestatem, et ministros ejus armasset. Freti itaque sedis apostolicæ auctoritate eum publice excommunicavimus; episcopum quoque Sarisberiensem ex causa inobedientiæ et contemptus: et alios, quorum nomina subscripta sunt, ex variis et justis causis. Excommunicati sunt ergo Thomas filius Bernardi, Radulphus de Broc, Robertus de Broc clericus, Hugo de S. Claro, Letardus clericus de Norflece, Nigellus de Sacca-Villa,, et clericus frater Willelmi de Hastinga qui ecclesiam nostram de Monechete occupavit. Præcipimus autem auctoritate apostolica et nostra, in virtute obedientiæ, et in periculo salutis et ordinis, ut eos per totam diœcesim vestram faciatis publice denuntiari excommunicatos, et communionem eorum jubeatis ab omnibus fideliter evitari. Valete in Domino.

EPISTOLA CXLII.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Willelmo Norwicensi episcopo.

Quod nobis chara fraternitas vestra significavit in absolutione nobilis viri Hugonis comitis, omnia solemniter et ex ordine juxta mandatum nostrum fore completa, non modicum gratulati sumus. De ove quippe perdita gaudio magno gavisi sumus, quod humeris pii pastoris per avia deserti sit reportata ad gregem. Quod vero adjecistis ad omnipotentem Deum vos erigere manus, qui his ultimis diebus A terram respicere dignatus est, pariter et anima mea magnificat Dominum, qui magnifice egit nobiscum, statuens procellam nostram in auram, et motum fluctuum mitigans. A quo etiam nunc desideranter id oramus, ut mereamur videre vos antequam abeatis et avoletis ab hac regione mortalium in illam æternorum, ubi sunt concives vestri et domestici Dei. Speramus siquidem, quod ex præsentia vestra non modicum impartietur pusillanimitati nostræ gratia spiritualis ad confirmandos nos, quia benedictus Deus, qui in his diebus posuit vos columnam domus suæ immobilem. De clericis illis interdictis, pro quibus illustris comes Hugo nobis scripsit, nihil inpræsentiarum mutare statuimus, sed sic volumus eos manere, donec favente Domino nos ipsi veniamus, B vestro super his et aliis Ecclesiæ negotiis consilio fruituri. Verumtamen huic præsentiam, bajulo propter mittentis reverentiam, proprio etiam ipsius compatientes labori, evangelizandi usum indulgemus, baptizandi quoque et tribuendi viaticum, si tamen ultima vitæ cogat necessitas. Valete.

EPISTOLA CXLIII

AD EUMDEM.

Gratias agimus Domino Jesu Christo, qui nunquam sperantes in se deserit; sed solitæ suæ pietatis gratia misericorditer dignatur visitare, et a miseriarum calamitatibus poterit eripere. Inde siquidem est quod ad vestram cupimus pervenire notitiam, nos in die beatæ Mariæ Madgdalenæ cum domino nostro Henrico illustri Anglorum rege, ad honorem Dei et C ecclesiæ suæ, ad honorem regis pariter ac nostrum honestam ac bonam pacem fecisse. Quod quidem vobis designavimus, quatenus de pace nostra facta consolationem non modicam habeatis, et de reditu nostro inpræsentiarum gaudere possitis. Valeatis diu et semper, quem videant oculi nostri priusquam moriamur.

EPISTOLA CXLIV.

AD JOANNEM PICTAVIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili fratri, et amicorum suorum in Christo charissimo Joh. Dei gratia Pict. epis. Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem, et se totum.

Charissime, utquid fecistis nobis sic? Utquid D nos et vos strangulastis? Ecce dedistis homini illi occasionem detrahendi, et nobis et vobis malignandi adversum nos. Ecce animal cupidum gloriæ et nimis pronum in perniciem Ecclesiæ divulgari faciet et proclamari per plateas et in facie Ecclesiæ, quod non absolute et præcise consilio suo submiserimus tacita omni conditione, nulla vel honoris Dei vel ordinis nostri habita mentione, quæ tunc procul dubio nulla ratione tacenda sunt, cum id potissimum agatur, ac id prorsus intendatur, ut in ignominiam et confusionem Ecclesiæ taceantur; quod apostatandi genus est plus quam manifestum. Non autem hoc modo vel sub hac forma a nobis a Stampis recessistis, si bene recoli-

tis. Scitis, si placet, quia diximus vobis in discessu mutuo, quod huic duntaxat articulo insisteretis, quatenus homo ille juxta mandatum domini papæ nobis gratiam suam et pacem restitueret, et ecclesiam nostram in libera nostra dispositione nobis dimitteret. Et cum quærens a nobis, utrum vellemus recipere diem colloquii cum eo, si vellet nobiscum loqui, respondimus quia nullum diem loquendi cum ipso reciperemus, priusquam mandato domini papæ respondisset, ac etiam satisfecisset; verum postea libenter veniremus ad diem, et faceremus quidquid, *salvo honore Dei et ordine nostro*, facere possemus. Hoc modo, charissime, ab invicem discessimus. In his, si placeret, finibus stetisse debuissetis cum sciatis optime, nemo melius, quia ulterius nulla ratione procedere audeamus, nihil amplius secundum Deum facere possimus vel debeamus. Unde et vos, dimidium animæ nostræ, scire volumus, quia non est nobis consilium, sed nec quidem videtur tutum, vel diem recipere vel ad colloquium ejus venire, quousque mandatum domini receperit, et etiam si ei visum fuerit, idem effectui mancipaverit, ne forte quod absit! nobis dantibus occasionem frustratoriæ dilationis, merito etiam imputari possit et nobis, quominus ipsius papæ mandatum mandetur exsecutioni, quod nullatenus nobis dignoscitur expedire. Bene semper valete.

EPISTOLA CXIV.

AD FROGERIUM SAGIENSEM EPISCOPUM

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, FROGERIO Sagiensi episcopo.

Gratias, quas pro tempore licet, referimus dilectioni vestræ, quæ nostri gerit sollicitudinem, et Cantuariensis Ecclesiæ, a cujus uberibus coaluimus, officiosam rependit charitatem. Utinam illa quandoque possit, Deo propitiante, et nos per illam, vestrum candelabrum provomere, et vicem condignam reddere miserationi, quam cum paucis electis pro Domino nobis et nostris exhibetis afflictis. Et quidem de gratia Dei non diffidimus, quæ semper Cantuariensem protexit Ecclesiam, et tam cultores quam persecutores ejus consuevit beare vel punire pro merito. Nam licet Christus ejus si benignus et patiens, tamen fortis et justus et certe redditor est. Et cum vobis in multis teneamur obnoxii, in eo maxime nos emeruistis, quod vestro, ut scripsistis, interventu dominus rex indignationem suam nobis remisit ex animo. De ejus quoque et sapientium, qui circa eum sunt, prudentia confidentes indubitanter speramus, quod contra matrem suam Cantuariensem Ecclesiam, quæ ipsum et antecessores suos promovit, nihil faciet contra salutem animæ suæ, et in perniciem filii, quem Dominus ab omnibus tueatur adversis. Scripsistis autem nuper, ut vobis et domino Tyrensi, redeuntibus a rege Francorum, Parisiis occurreremus. Et licet diem non præfixeritis, ut oportuit, nos tamen parati eramus iter arripere, quando vos audivimus in Normanniam rediisse. Substitimus ergo stupentes, quod nihil nobis significare curastis, vel de reditu vestro, vel de itinere nostro. Nunc autem scribitis similiter, ut vobis redeuntibus occurramus, nec diem item designatis, quasi aut nos vestrum reditum possimus divinare, aut abundemus expensis, ut sine onere amicorum, qui nobis et nostri sæpe necessarii sunt, merari et exspectare vos valeamus in domibus alienis. Inde est, quod vobis occurrere non possimus in incertum, licet proni simus, cum fructus itineris nostri apparuerit, ad dominum regem accedere, et ipsius, in quibuscunque secundum Deum et Ecclesiæ honestatem poterimus, obsequi voluntati. Valeat semper, et prosperetur in Domino chara nobis vestra fraternitas.

EPISTOLA CXLVI.

AD JOCELINUM SARESBERIENSEM EPISCOPUM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis venerabili fratri suo JOCELINO, eadem gratia Saresberiensi episcopo, visis litteris nostris statim resipiscere a malo, et de cætero constantius facere bonum.

Celebre proverbium est: *Facilius est vitare discordem, quam declinare fallacem.* Inde est, quod quamvis propter fallentium argutias, propter animi tui debilitatem, propter propositum tibi corporis tui et tuorum discrimen videaris aliquatenus excusabilis apparere, non ideo minus ratum habemus te graviter commisisse in domini papæ contemptum, merito incidisse in interdicti nostri sententiam, rem talem egisse, pro qua totus mundus habet clamare post te. Eo maxime quod contra domini papæ mandatum expressum, ne in Ecclesia Saresberiensi absque canonicorum ejusdem, exsulantium pro nobis et nobiscum, consensu et conscientia, nec per te, nec per clericos tuos, decanus ibidem constitueretur: contra nostram etiam prohibitionem, sub anathemate factam, decani noviter in ecclesia tua abusive creati intrusionem confirmaveris; cujus occasione juramenti, sicut vulgo celebre est, schisma jam fere emortuum revixit in Alemannia, quo credimus eum ipso jure hæresi damnata involvi, qui participatione illius grandis et insignis schismatici, Coloniensem loquor, excommunicationis in se provocavit sententiam auctoritate decreti Leonis: si quis hæreticæ communionis contagione se maculaverit, hoc in magno beneficio habeat, si adempta omni spe promotionis, in quo invenitur ordine permaneat. Unde quoniam novimus scienti fraudem minime fieri posse, et esse iniquum, omnique canonico juri contrarium, rem tam detestabilem, tum propter factum, tum propter personam, Ecclesiæ tuæ, rem ipsam tam incommodam, aliis exemplo tam perniciosam, ratam et firmam nullatenus posse manere, quoniam ipso jure non teneat, apostolica auctoritate et nostra, qua fungimur, ipsam electionem, imo intrusionem, de Joanne de Oxeneford in decanatum factam, tuamque super hoc ipso confirmationem et assensum in irritum revocamus, et totum

factum ipsum quassamus penitus. Et quia contra A communem Ecclesiæ formam, contra mandatum domini papæ, sicut prædiximus, lapsus ipse in hæresim damnatam, excommunicatus participatione excommunicari, ausus est decanatum ipsum recipere, ne temeritas invadentium impunita succrescat, in virtute obedientiæ tibi et canonicis tuis in periculo ordinis vestri mandando præcipimus, ne de cætero visis litteris nostris ex hoc facto eum decanum habeatis; quoniam et tibi ad præsens excommunicatum denuntiamus, et ut eum talem denunties, firmiter injungimus. Præterea ne ex hoc commisso, quo in te severiorem provocasti sententiam, transeas impunitus, auctoritate Dei et nostra ab officio episcopali et sacerdotali te suspendimus, præcipientes ut a die susceptionis litterarum nostrarum infra duos menses veniendi B ad nos iter arripias, satisfacturus Deo et nobis de tanto excessu, de injuria tam perspicua. Ex quo resipueris et emendaveris delictum, sit tibi vale.

EPISTOLA CXLVII.

AD EUMDEM.

Thomas venerabili fratri Jocelimo, Saresberiensi salutem.

Noverit Deus quam sincera dilectione et charitate personam vestram amplexati sumus, quantumque honorem vestrum et profectum in Christo affectavimus et procuravimus. Vos autem econtra, ut pro certo accepimus, quod tamen non sine dolore scribimus, in contemptum domini papæ et nostrum, et forte in proprium dispendium vestrum et ordinis periculum et manifeste agitis nec suspensionis sen- C tentiam, quam ob inobedientiam in vos exercuimus aliquatenus observatis. Quod quam detestabile sit et exemplo etiam perniciosum, vestram minime credimus latere prudentiam. Unde et scire vos volumus quia nisi errata corrigatis et de duplici jam inobedientia maturius satisfaciatis, nos ulterius minime dissimulare poterimus quin tantos excessus gravius puniamus. Miramur etiam admodum quod scitis Willelmum capellanum nostrum in parochia vestra incarceratum teneri in vinculis, nec inde justitiam aliquam hucusque exercuistis. Unde et fraternitati vestræ in virtute obedientiæ, apostolica auctoritate sub anathematis interminatione præcipiendo mandamus, quatenus ipsemet a divinorum celebratione cessetis et totam parochiam vestram cessare faciatis, D quandiu idem Willelmus in vinculis vel captione tenebitur, nec ante interdictum solvatis quousque sæpe dictum Willelmum a captione noveritis esse solutum, sedique apostolicæ et nobis et ipsi super tam enormi flagitio fuerit plenarie satisfactum. Vale.

EPISTOLA CXLVIII.

AD EUMDEM

Calamitates matris Ecclesiæ, etc. (*Vide similem epistolam ad Gilbertum Londoniensem directam.*)

—

EPISTOLA CXLIX.

AD CAPITULUM SARESBERIENSE.

Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis universo Saresberiensis Ecclesiæ capitulo scientiæ et consilii spiritum.

Super prudentia vestra non satis possumus admirari, quo ausu, imo qua temeritate quemdam ipso jure excommunicatum, utpote qui in damnatam hæresim incidit, illum etiam qui juramento suo in Alemannia perpetrato, sicut scitur ab omnibus, schisma renovavit, in decanum Ecclesiæ vestræ elegeritis, Joannem dicimus de Oxeneford, inconsultis etiam illis, qui nobiscum propter justitiam et Ecclesiæ libertatem exsulant. Præsertim cum sine ipsis ne id fieret, specialis inhibitio Romani pontificis ad vos pervenerit. Et nostra pariter processit, nescio tamen si ad vos usque pervenerit. Propterea, quod circa decanatum minus consulte actum est, imo contra omnem juris ordinem, quassamus penitus, et revocamus in irritum, mandantes vobis quod jam dictum Joannem excommunicatum habemus, et vobis excommunicatum denuntiamus, apostolica auctoritate et nostra inhibentes, ne jam prænominatum Joannem pro decano habeatis, nec ei obedientiam seu reverentiam decano debitam exhibeatis. Præcipimus etiam sub ordinis et beneficiorum vestrorum periculo, quatenus post susceptionem harum litterarum infra duos menses vos conspectui nostro præsentetis, satisfacturi super injuria et contemptu domini papæ, et nostri. Valete.

EPISTOLA CL.

AD RICARDUM SYRACUSANUM ELECTUM.

Thomas Cantuariensi archiepiscopus, Ricardo Syracusano electo

Humanitas vestra nos provocat ad audiendum, et nostris collata beneficiorum exhibitio nos vobis et vestris multipliciter reddit obnoxios. Hoc ergo officiorum ingressi commercium, urgente necessitate præsertim, cum benigno creditore contrahere non veremur, sperantes in Domino, quod nostra misericorditer debita et vobis solvet et aliis, qui se timentes, cum expedit, ab omni articulo necessitatis absolvit. Recepistis coexsules et consanguineos nostros, sed procul dubio ipsum recepistis in illis, qui se fideliter promittit redditurum, quidquid uni pauperum suorum fuerit erogatum. Vobis in his conterraneorum vestrorum consiliastis gratiam, gloriam promeruistis apud posteros, et nos emptitios vestros constituistis. Et quia nobis ad præsens colloquium divina dispositio subtrahit, latori præsentium sic a vobis credi postulamus, ut nobis, cujus fidei creditum est, quod nequaquam litteris censuimus committendum. Est enim vir litterarum eruditione conspicuus, præditus morum gratia, monasticæ religionis sanctitate præsignis, et inter probatos Cluniacenses appetendæ perfectionis exemplar. Is Cluniacensis Ecclesiæ necessitates, et Christianissimi regis, et nostra mandata procurat. Et cum illum pro

debita reverentia receperitis, in illo, cujus minister est, et sanctissimum principem recipietis, et nos. Unum tamen est, quod in aure vestra secretius consuluisse, rogasse et obtinuisse desideramus, ut nobilis viri Stephani, Parnormitani electi, revocationem diligenter procuretis apud regem et reginam, tum ob causas quas in præsenti de industria reticemus, tum ut præfati regis et totius regni Francorum gratiam vobis æternaliter comparetis. Valete.

EPISTOLA CLI.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Ricardo electo Syracusano.

Multam nobis consolationem dilectionis vestræ litteræ attulerunt, quæ vestræ, quam plurimum exoptamus. salutis indices, eloquii venustatem fidei sinceritatem, prudentiæ gratiam præferebant, et quod his omnibus majus est, singuli apices fervore suo ad amorem Dei et honestatis cultum, non modo tepentem, sed et frigescentem animam poterant inflammare. Ex illis autem patenter innotuit, quod nec fortunæ temeritas, nec distantia locorum, nec temporis tractus exinanire potuit, imo nec infirmare, quam nec aquæ multæ pcævalent exstinguere, charitatem. Preces enim, et illas affectuosas, porrexistis pro nobis amico vestro domino Willelmo Papiensi : et utinam non incassum. Sed ille, si posset licitum libito coæquare, nobis esset clavus in oculo, et sagitta in latere, mortificans animas, quæ non moriuntur. et vivificans illas, quæ rejecerunt et projecerunt vitam, Parcat illi Deus et consortibus suis, ne in extremo examine noster et coexsulum nostrorum, imo et ecclesiæ sanguis de manibus eorum requiratur, eo quod dederint cornua peccatoribus, et quantum in eis est, profanandam gentibus et conculcandam exposuerunt legem. Sed quid ista revolvimus, nisi ut Ecclesiæ compatiamini, et nobis apud Deum et Ecclesiam Romanam, si forte fuerit opportunum, præbeatis orationum suffragia? Facit contra eos testimonium majus Joanne, quia opera quæ faciunt, testimonium perhibent de eis. Ecclesia quidem liberabitur, et nos, quandiu placuerit Deo, libenter exsilii naufragium patiemur, dispersi in omnem ventum cum miseris nostris, quorum unus est lator præsentium G.... sororis nostræ filius, quem ubi auxilio vestro eguerit, tanto vobis securius commendamus, quanto de vestra dilectione magis confidimus, agentes, Deo gratias, quod nos tanti fecit, ut pro eo totus sanguis noster et nostrorum exquiratur ad pœnam.

EPISTOLA CLII.

AD ROGERIUM WIGORNIENSEM EPISCOPUM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, venerabili et amico charissimo Rogero eadem gratia Wirgoniensi episcopo salutem et intimæ dilectionis affectum,

A memoria tua non credimus excidisse, nos anno præterito litteris et nuntio, quatenus ad nos venires, tibi in mandatis dedisse, et in virtute obedientiæ firmiter præcepisse, tu vero mandatis nostris non obtemperasti, quia nondum ad nos venisti. Noverit itaque tua dilectio nos multis de causis intervenientibus tibi detulisse, et ut dilectio Filio pepercisse, tum quia novimus te matri tuæ Cantuariensi Ecclesiæ devotum esse admodum et fidelem, tum propter generis tui nobilitatem, tum etiam propter religionem personæ tuæ pariter et honestatem, tum etiam quia te totis cordis affectibus sincere diligimus. Et icirco iterato tibi mandato præcipimus, et in periculo ordinis tui. et in virtute obedientiæ firmiter injungimus, ut ex quo in partes cismarinas venisti, ab eis non recedas, priusquam ad nos venias, et nobiscum loquaris. Habemus enim tibi multa dicere. De cætero nihilominus tibi mandando præcipimus, ut de negotio quod inter te et Eboracensem vertitur, pariter et de omnibus excommuaicatis sancti Oswaldi, et totius parochiæ ejusdem, nec prece nec pretio, vel propter minas alicujus, nec interventu etiam ipsius regis, aut cardinalis, sive cujuslibet alterius personæ, sine consilio et conscientia nostra aliquid facias, aut excommunicatos illos, sive aliquem illorum absolvas.

EPISTOLA CLIII.

AD EUMDEM.

Venerabili fratri Rogerio Wigorniensi episcopo et salutem, et eum prætimere, *qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.*

Dilectionis vestræ litteras diligenter inspeximus: consilium, quod necessitati nostræ vestra discretio fideliter ex proposito ministravit, libratis hinc inde rationibus, adhibita deliberatione perpendimus ex fraternæ charitatis dulcedine provenire, conjicientes quod fides vestra ulterius cohiberi non poterit, quin in conspectu principium, sicut viri generosi nobilitatem et religiosi pontificis zelum decet verbum Dei libere prosequatur. Agimus itaque gratias devotioni, congratulamur prudentiæ, propositum quo dominum regem pro nobis, imo pro causa Dei, solito vigilantius et instantius convenire decrevistis, plurimum approbamus, rogantes ut, quod in hac parte promittitis, citius aggrediamini, faciat is frequentius et nihil ex contingentibus omittentes, studiosius impleatis. Spes enim est, quod fideliter evangelizanti verbum adjiciet Dominus virtutem multam. Siquidem fidelis est in omnibus verbis suis, qui hoc pastoribus Ecclesiæ repromisit. Et quidem credibile est, nec aliud nobis persuaderi potest, quod si vos et alii fratres nostri eum ab initio, prout justum fuerat, convenissetis, nequaquam tantum in perniciem ecclesiæ pravorum consiliis licuisset. Sed quia nullus fuit aut rarus, quod sine rubore et gemitu non eloquimur, qui eum statueret contra faciem suam, et revocaret a consilio impiorum, res in id discriminis et infortunii delapsa est, ut se nequaquam putet ex quacunque causa corripiendum, qui se in tantis præsumptionibus et tam manifestis im-

pietatibus recolit a nullo fuisse correptum. Nos autem ipsi diu siluimus, et utinam animæ meæ nimium tantas Christi injurias dissimulanti non esset ex conscientia dicendum : *Væ mihi, quoniam tacui!* fuimus patientes cum Ecclesia Romana, quæ eum tanquam delicatum filium et tenellum in multa mansuetudine supportabat, ut patientia ejus nobilem, quod decens fuerat, animum ad pœnitentiam provocaret. Utinam non semper abusus esset patientia ejus et nostra. Et ne quid eorum, quæ gerenda videbantur a nobis, omissum dici possit, coram Christianissimo rege et optimatibus totius regni Franciæ humiliavimus nos, prostrati ad pedes ejus, causam totam quæ inter nos vertitur, salvo honore Dei in ejus arbitrium conferentes. At ille ut audivit honoris divini mentionem, adversus innocentiam nostram vehementer excanduit, et proponens quod voluit, utique quod non debuit, quoniam, ut pace ejus dictum sit, res aliter se habebat, in contumeliam supplicis implorantis misericordiam, et cum omni devotione obsequium offerentis, famam nostram, quod ei remittat Deus, ut nos de ipso loco exsilii perturbaret, suis adinventionibus studuit onerare.

Audivimus omnia patienter, sperantes indignationem ejus mitigandam fore, si acerbitatem, quam mente conceperat, sine contradictione penitus effudisset; præsertim cum domini papæ majestas interveniret, præfati regis et optimatum Franciæ diligentius intercedens adesset præsentia, et sanctissimi viri Carthusienses et Grandimontani, quos vel solos oportuerat pro sua reverentia exaudiri, misericordiam exactissime imploravent, denuntiantes ei familiarius et expressius quod oculata fide perceperant, nobis a domino papa restitutam et collatam animadvertendi in eum, et terram suam, et malefactores Ecclesiæ plenariam potestatem. In omnibus tamen his non est aversus rancor ejus sed usque in hodiernum diem permanet manus ejus extenta, in depopulationem Ecclesiæ crudescit amplius. Sed nec ipsum latet, quod nobis potestas restituta est cum hoc ex litteris apostolicis, quas in secundo colloquio recepit, certissime teneat. Verbum præterea, quæ continentur in illis litteris, nobis alia indulta sunt, quibus, auctore Deo utemur contra eum et alios Ecclesiæ persecutores, nisi ei reddiderit pacem. Et ea quidem innotescere poterunt, sicut desideratis, in brevi, si in voluntate Dei fuerit, ut colloquamur; aut aliquis e vestris ad nos transiens, cum illo communicari oporteat. Exspectamus enim emendationem illius, quem potius ex alieno instinctu, quam spiritu proprio credimus tam immaniter in ecclesiam desævire. Eos ergo pro parte tradidimus Satanæ in interitum carnis, ex justis et manifestis causis, urgente necessitate officii, et ratione juris persuadente, ut in pœna membrorum sanetur caput, et ab inferni laqueis extrahatur, quibus se ipsum, dum Ecclesiam persequitur, incessanter astringit. Reliquos autem, sicut voqis denuntiatum est, Deo disponente anathemate simili condemnabimus, nisi interim condigna satisfactione sententiam declinaverint imminentem. Ipsi enim regi detulimus hactenus, et in spe pacis adhuc differre disponimus, nec eum anathemati subjiciemus, aut regnum interdicto, dum hoc cum indemnitate salutis et salva constitutione sedis apostolicæ dissimulare licuerit.

Quod autem rogastis, ut vobis liceat excommunicatis communicare, quasi ut per hanc Dei offensam sit expeditior via ad gratiam regis et pacem Ecclesiæ reformandam, tanquam non sit a Deo, sed per humanam astutiam redintegranda, mirum est quomodo venerit in animum sapientis, præsertim episcopi, quem oportet habere zelum legis, qui dissuadentem audivit Apostolum: *Ne mala faciamus, ut proveniant bona*. Quæ est societas luci ad tenebras ? Quæ conventio Christi et Belial ! Quis consensus templo Dei cum idolis ? Quæ participatio fidei cum iniquitate ? Sed timetis regem. Deus certe fuerat prætimendus. Paupertas horrori est, et proscriptionis injuria. Sed tales Christus confessores agnoscit eos, qui pro justitia persecutionem patiuntur, beatos esse denuntians, non eos qui croceis induti sunt, qui primos habent recubitus, qui salutationes excipiunt clariores, qui epulantur quotidie sqlendide, quibus mundus blandiens adulatur, ad singula eorum dicta vel facta clamans : *Euge, euge. Si hominibus placerem*, ait vas electionis, *Christi servus non essem*. Quoniam qui hominibus placere desiderant, confundentur. Edicta fortasse recolitis, quibus publicus hostis censetur, qui contra regis voluntatem præsumit aliquem, ex quacunque causa, sententia anathematis condemnare. Sed nunquid excidit a memoria quod sacerdoti denuntiat Spiritus sanctus: *Quod nisi annuntiaveritis impio iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram* ? Nonne qui corripientem non audit Ecclesiam, ut ethnicus habendus est et publicanus ? Sed objicietis quod tempora mala sunt, quasi ea bonus non disposuerit Deus, et beati non sint, qui faciunt judicium et justitiam in omni tempore. Ne timeatis, ubi non est timor, frater amande : quia plures nobiscum sunt, quam cum illis. Et qui dat jumentis escam ipsorum, et corvorum pullis, cultores suos in necessitate non deseret, et ut paucis nostrum expediamus consilium, consulite legem et prophetas, consulite Evangelium et Apostoli verba, sanctorum Patrum revolvite sanctiones, et horum omnium erit auctoritate perspicuum, quod sine dispendio salutis et ordinis non potestis excommunicatis communicare. Christus est qui denuntiat, quod *nemo potest duobus dominis servire, Deo et mammonæ*. Et profecto si ponamus corda nostra super vias nostras, et conscientias nostras subtilius excutiamus, maxima pars sacerdotum hoc in offensione potentum formidamus, ne nobis divitiæ subtrahantur, aut fallax, momentanea et umbratilis gratia. Neque hæc dicta videantur, quasi cultricem mammonæ suspicemur nobilitatem vestram quam constat præ honestate semper contempsisse

divitias, sed ut promptam obedientiam fidei vestræ, si tamen verbis incitari potest, ut in charitate amplius ferveat, exhortatione proposita reddamus promptiorem. De vestra igitur sinceritate plenam fiduciam obtinentes, præcipimus in virtute obedientiæ, et periculo salutis et ordinis, quatenus ante denuntiatos excommunicatos evitetis, et per episcopatum vestrum, prout canonum censura præscribit, denuntiatione publica faciatis a cunctis fidelibus evitari. Scitis quod melior est obedientia quam victimæ, et non acquiescendi voluntas idololatiæ comparatur. Contra tergiversationes adversantium muniti et tuti sumus. Nec dubium quod in brevi per gratiam Dei, veritas nos liberabit et vos. Persecutor jam quinquennio depopulatur Ecclesiam, proscribit innocentes, addicit clerum, sacerdotum, imo et pontificum, ne legem Dei loquantur, ora concludit; ecclesiasticæ potestatis, ne crimina puniantur, jura cohibet et exstinguit, et a nobis, ut in tanta Christi contumelia sileamus, exigitur? Silent et silebunt profecto mercenarii, sed quisquis Ecclesiæ pastor fuerit, procul dubio jungetur nobis. Si ulterius dissimularemus, timendum fuerat, ne ultor injuriarum Dei gladius in capita nostra merito convertatur. Nec moveamini, si non dispensamus ad preces vestras, quod dispensari non potest, quia nec Romanus pontifex hanc habet auctoritatem. Qui, quamvis excommunicatos licenter absolvat, novit tamen participationem eorum sibi jure perpetuo interdictam. Impœnitentes autem et persistentes in scelere et voluntate peccandi, non apostolus non angelus licenter absolvit. Valete.

EPISTOLA CLIV

AD EUMDEM

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et sedis apostolicæ legatus, venerabili fratri Rogerio Wigorniensi episcopo, salutem, et pium in futura prospectum.

Inspectis litteris, quas nuper ab Anglia recepimus, potestis advertere, quam malitiose Londoniensis episcopus, qui nobis ab initio sedis in insidiis quærebat animam nostram, ut auferat eam, nunc adversus matrem suam et nostram, sanctam Cantuariensem Ecclesiam, calcaneum erigat, et ei primogenituræ sortem, gloriam et nomen præripere moliatur. Restiterunt ei nuper coram regis officialibus, quos in persecutionem Ecclesiæ excitabat, laudabiliter fratres nostri; seque ab illius communione suspendentes per parochias suas edicto publico præceperunt eum a cunctis fidelibus evitari. Et hoc quidem fecit primus venerabilis frater noster Norwicensis episcopus in synodo proxime habita, deinde Cestrensis in episcopatu suo. et D. Wintoniensis, et Cicestrensis statim die sequenti, postquam litteras nostras receperant. Quia ergo nobilitatem et religionem vestram decet præ cæteris ornare Ecclesiam, honorificare ministerium vestrum, et pro matris, quæ vos in episcoporum consertio generavit, salute stare fortiter

A usque ad sanguinem, fraternitatem vestram, quæ nobis ex accepta consecratione tenetur amplius, et de qua magis ex conscientia virtutis et sanguinis generositate confidimus, rogamus, monemus et exhortamur in Domino, quatenus vestræ matri, cujus tam impudenti scelere salus appetitur, in tanta necessitate fideliter assistatis, et alterius Absalon vos opponatis impietati. Provideat etiam sinceritatis vestræ discretio, et charitas in Christo plurimum amplectenda, ut juxta tenorem præcedentium mandatorum, tam præfatum episcopum quam alios, qui vobis excommunicati esse denuntiati sunt, evitetis? et sicut fratres et coepiscopi nostri fecerunt, prout canonum sancit auctoritas, a fidelibus per episcopatum vestrum faciatis, edicto ecclesiastico evitari.

B Et quia ad apostolicam sedem parricidalis hujus sceleris est atrocitas referenda, domino papæ scribite, qualiter filium pro salute matris contra fratrem Ismaelitem et sanguinarium scribere decet, quia licet cruorem propriis manibus non effundat, tamen nostrum et Christi pauperum sanguinem sitit. Et eum quidem suis consiliis effundit, sed abutens ministerio tyrannorum. Cætera in ore latoris præsentium posita sunt, quem in his, quæ vobis ex parte nostra dicet, audiatis ut nos. Scribunt pro Cantuariensi Ecclesiæ episcopi Gallicani, sicut ex litteris domini Parisiensis potestis audire, sed vos scribetis expressius, qui tenemini arctius, et amatis ardentius. Hoc autem exprimatur in litteris, quas mittetis ad dominum papam, qualiter præfatus Londo-

C niensis receptis litteris apostolicis, quas ei de reconciliatione nostra fraternitas vestra transmisit, malignatus est, non modo nullum pro pace Ecclesiæ apud regem faciens verbum, sed secus faciens, et procurans seditionem, per se et regis officiales instituit, ut episcopi, abbates, et universi ecclesiarum prælati, suo et subditorum nomine adversus mandatum apostolicum appellarent, cum tamen nobis indultum sit appellationibus hujusmodi non deferre. Sed Deo providente melius, evacuata est malitia ejus, non consentientibus ei viris religiosis, nec pro metu officialium, nec pro mandato publicæ potestatis, cujus in inferendo vim prætendebat auctoritatem. In hac sui necessitate fidei vestræ experimentum faciet ecclesia, et eximiæ virtutis Deo et hominibus

D gratissimum tam præsentibus quam posteris relinquetis exemplum. Nec vos terreant aut moveant blanditiæ vel minæ seductorum, cum certum sit, quod spes impiorum peribit, et pariet confusionem, et qui timet pruinam, irruet super eum nix. Deum vero prætimentibus nihil expedientium deest.

EPISTOLA CLV.

AD EUMDEM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri et amico Roberto Wigorniensi episcopo, salutem, et perseverantem in fidei zelo, et sinceræ charitatis fervore profectum.

Vir illustris Robertus comes Gloucestriæ, pater

vester, cum plures haberet filios, vos ampliori præ A cæteris affectu traditur dilexisse, eo quod vos in senectute genuerit, et totum, prout indoles pollicebatur, prudentiæ, suæ et virtutum fomitem Dei cooperante gratia transfudit in sobolem, quam utpote pretiosissimum ab ineunte ætate Domino consecravit. Intuemini, quam prudens, quam fidelis, quam magnanimus, quam constans fuerit ille, qui florentis, pugnacis, gratiosi, generosi regis, et oplulenti, ejusdemque Normannorum ducis, et Boloniæ comitis vires aggressus oppressit. Et non modo regno privatum, sed et captivum conjecit in vincula, adeoque fortunam indignantem habita fidei et virtutis ratione contempsit, ut pro reparandi sacramenti religione nulla exhorruerit subire pericula, et tandem captus incarcerari maluerit, quam soror ejus et domina B juris sui dispendium pateretur. Qui, licet invidia fortunæ captus fuerit, vinculatus tamen judicio sapientium tantus habitus est, ut liberationem ejus commutandam et emendam censuerint rege et regno. Contemplatio viri clarissimi vobis adjiciat animos, et eum qui vos generosi sanguinis titulo illustravit, coætaneis et posteris repræsentate moribus et virtute. Huc accedit colendæ virtutis nobilior titulus, pontificalis apex, qui sicut episcopale officium fideliter adimplentes, ampliori gloria et honor coruscantes illustrat, sic timidos et ignavos abjectiori vilitate reddit inglorios. Sal enim infatuatum ad nihilum utile est, sed tanta abjectione vilescit, ut nec stercoribus comparetur, quibus agrorum infecunditas propulsatur. Nam, ut ait martyr Cypria- C nus: *Episcopus si timidus est, actum est de eo. Actum*, inquit, quia cum ipsum timor mundanus infecerit, superest ut ad omnia salubriter agenda inutilis reddatur. Charitas ergo timorem hunc expellat, ut populi ducem expediat, quia deficientis timore ducis exhortatio nequaquam militum potest animos ad fortia roborare. Et quidem nutu divino credimus accidisse, ut vos ad propulsandam matris vestræ, sanctæ scilicet Cantuariensis Ecclesiæ, injuriam diebus his contingat transfretare, quo præsentialiter resistere possitis eis, sicut nobis promisistis, qui eam gratis diutius afflixerunt, et adhuc sine causa quærunt animam ejus, ut auferant eam. Quod ut Dei præeunte gratia commodius facere valeatis, vos litteris domini papæ, tanquam armis bellicis, D præmuniendos esse decrevimus, ut fratrum nostrorum corda possitis efficacius in Domino confirmare. Rogamus itaque et obsecramus in Domino Jesu Christo, et in virtute obedientiæ, et in periculo officii, honoris, et beneficii præcipimus, quatenus litteras apostolicas, quas vobis mittimus, ostendatis venerabili fratri nostro Rogerio Eboracensi archiepiscopo, et aliis fratribus et coepiscopis nostris, et inhibeatis auctoritate domini papæ, ne præfatus Eboracensis filio domini regis consecrationis munus dare, aut coronam, si hoc ab eo petitum fuerit, præsumat imponere. Sub eadem interminatione præcipimus, ut similiter hoc inhibeatis episcopis Londoniensi et Saresberiensi, et cæterts, si quis hoc ausus fuerit attentare. Hoc autem, Deo teste et judice, non in domini regis, aut filii sui, aut cujuscunque vel Ecclesiæ vel personæ ex conscientia nostra mandamus injuriam, sed ex necessitate, qua cogimur Ecclesiæ Cantuariensis jura pro viribus conservare. Parati enim sumus, si domino regi placuerit, filium suum coronare pro debito officii nostri, et utique honorem debitum et reverentiam exhibere. Non vacillet in his implendis, frater charissime, fides vestra, quia fidelis est Deus, qui vos supra vires tentari non patietur. Confidite ergo in ipso, qui vicit mundum, et memineritis, quoniam qui timet pruinam, irruet super eam nix, et qui declinat arma ferrea, frequenter incidit in arcum æneum. « Degeneres animos timor arguet, » et fortiter ausos juvabit gratia, gloria coronabit. Quidquid agant alii, nobis persuasum est, quod constantiam vestram nullius turbinis impetus franget, quod quæ de ore vestro processerunt, et tam vestro quam episcopi Lexoviensis scripto continentur, et sub utriusque charactere impressa sunt et expressa, non erunt irrita. Absit enim, ut generosus sanguis sit animæ degenerantis habitaculum, ut per vos tituli patrum oblitterentur, ut quæcunque trepidatio mentis aut ignavia operis evincat patris, qui vos omnibus liberis prætulit, erasse judicium, et antiquæ charitatis excludat affectum. Nam ut pie creditur a fidelibus, ille felicius in Deo, quam in liberis vivit, et studiosis operibus aut reprobis gratiam ejus promereri potestis aut demereri.

EPISTOLA CLVI.

AD HENRICUM WINTONIENSEM EPISCOPUM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, venerabili fratri Henrico, Dei gratia Wintoniensi episcopo, scientiæ et consilii spiritum.

Quanto vobis compatiamur affectu, is optime novit, qui scrutator est cordium. Scimus quidem quam multa sint et magna, quæ vos turbent et moveant, et quam nulli vel pauci sint, qui spiritum vestrum roborent, et in hac tempestate confirment. Sed viriliter agite, confortetur cor vestrum, ne inimici nostri prævaleant, et dolis et circumventionibus suis vos involvant. Capite potius vulpes, quæ vineam demoliuntur. Inter colubros siquidem et tortuoso itinere incedentibus necessaria est serpentina astutia. Hæc vobis loquimur ut fratri, et dilecto in Christo.

Verum habemus aliquid adversum vos, in quo ob excessum vestrum non modicum tristati sumus. Siquidem pro certo accepimus, quod crucem vestram auream ab Ecclesia vestra alienaveritis, quod satis improvide et contra omnem canonum censuram factum interpretamur. Alienationes siquidem hujusmodi prorsus a canonibus inhibentur. Propterea vobis mandamus, et mandantes in virtute obedientiæ præcipimus, quatenus infra qudragesimum diem post litterarum nostrarum susceptionem, præfatam

crucem ad jus ac dominium Ecclesiæ, cui Deo auctore præsidetis, studeatis modis omnibus revocare. Quod si non effeceritis, ad præsentiam nostram a quadragesimo illo die infra duos menses, super causa alienationis factæ satisfacturus venire non differas. Valeat fraternitas vestra

EPISTOLA CLXII.

AD HENRICUM WINTONIENSEM EPISCOPUM

THOMAS Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri et amico charissimo, HENRICO Dei gratia Wintoniensi episcopo, salutem, et perseverantem in defensione matris Ecclesiæ zelum.

Vestra discretio non potest ignorare quæ sub oculis vestris, imo in conspectu circumjacentium remotarumque gentium, adversus Ecclesiam in regno Anglorum præsumpta esse noscuntur. Et quod sine timore divini judicii non eloquimur, verendum est, ne dissimulatio nostra culpas auxerit præsumptorum, et impunitas aluerit audaciam delinquendi. Quinquennium jam exegimus exsules, et proscripti: innocentes, sine miseratione ætatis et sexus, sine reverentia conditionis aut ordinis, privati bonis, addicti exsilio, variis et atrocibus injuriis affecti sunt, sancta profanantur, bona diripiuntur Ecclesiæ, sacerdotes prohibentur implere legem Domini, et quas professi sunt exercere canonicas sanctiones. Et sub prætextu regiæ dignitatis pravitates obtinent, quas pridem sancti Patres in diebus suis, et in nostris sedes apostolica condemnavit. Sæpe commonitus est dominus rex, ut ista corrigeret, per episcopos, per abbates, per subdiaconos curiæ, per cardinales; et nunc tandem quasi peremptorio edicto per dominum Gratianum subdiaconum et notarium apostolicæ sedis, et magistrum Vivianum urbis veteris archidiaconum, ut aut per istos præsumpta corrigeret, aut in se et in terra sua, quam meruerat, animadversionem justitiæ sentiret. Ipse vero ab eo non modo exauditi non sunt, sed in venerabili viro magistro Petro Carnotensi archidiacono, et aliis nuntiis, quos ad eum in verbis pacificis miserant, graves injurias exceperunt. Siquidem in omni mansuetudine domini papæ, et diuturnitate patientiæ nostræ, et exhibitione humilitatis, non quievit, aut mitigata est immanitas ejus, sed ab impunitate ferocior in deteriora semper excrevit. Ne ergo nos ulterior dissimulatio malitiæ consensisse convincat, et ante districti Judicis oculos, apud quem non est acceptio personarum, damnationi reos addicat, tantos excessus irrequisitos amodo præterire non possumus, nec audemus. Inde est, quod fraternitati vestræ in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo dignitatis et ordinis, apostolica auctoritate et nostra præcipiendo mandamus, quatenus, nisi infra purificationem beatæ Mariæ dominus rex Ecclesiæ Dei et nobis ablata restituere, et proscriptos innocentes debita juris redintegratione revocare studuerit, et sacras Ecclesiæ sanctiones vigere permiserit, et clerum et populum, ut justum est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedire, extunc per totum episcopatum vestrum in omnibus ecclesiis omnia divina prohibeatis officia celebrari, excepto baptismate parvulorum, et pœnitentia, et viatico, quod presbyteri clausis januis sine campanarum pulsatione, et omni solemnitate jucunditatis ecclesiasticæ pro necessitate salutis conficere permittuntur. Et si nec sic in flagello populi præfatus dominus noster rex antedictos excessus debita satisfactione correxerit, noveritis, et ei irrefragabiliter denuntietis quoniam personæ ejus, quod inviti dicimus, cum periculo salutis nostræ, ut hactenus fecimus, ulterius auctore Domino non parcemus. Sub eadem quoque interminatione præcipimus, quatenus eos excommunicatos esse publice denuntiari faciatis, qui ecclesias, et ecclesiastica officia et beneficia, contra sacrorum canonum institutionem de manu laicorum accipiunt; qui clericos contra prælatorum suorum inhibitionem divina celebrare compellunt; qui nuntios domini papæ et nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur, impediunt; qui Ecclesias ad honorem Dei non patiuntur regulariter ordinari; qui divinæ legis institutionibus traditiones aut consuetudines hominum ateponendas prædicant, aut violenter compellunt anteferri. Sed ex nomine Gaufredum Cantuariensem archidiaconum, Robertum vicarium ejus, Ricardum de Ivelcestre, Willelmum Giffard, Nigellum de Sacca-Villa, Ricardum de Luci, Thomam filium Bernardi, Adam de Cheringis, quos pridem excommunicavimus, edicto canonico publicetis cunctis fidelibus esse vitandos. Ad hæc si Joannes decanus Saresberiensis, et Guido decanus Waltham, Joannes Cumin, Radulphus Landavensis archidiaconus, Wimarus presbyter, alumnus comitis Hugonis, Ecclesiæ Dei, quam læserunt, et nobis infra diem Nativitatis Dominicæ non satisfecerint, eos extunc excommunicatos esse publice denuntietis. Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, quia fidelis est, nec vos supra vires tentari patietur. Sed ex quo cum Josue secundum legem sacerdotalibus insonueritis, tubis, omnes munitiones hostium diruet et dissipabit ante faciem vestram. Probabitur autem hic, qui Christi sacerdotes sint, qui servi Belial. Dirigat in beneplacito suo Deus opera vestra, et Ecclesiæ suæ pacem sua virtute et gratia, vestroque ministerio reformare dignetur.

Waltero Roffensi episcopo sic, ubi habetur, *per episcopatum vestrum, per totam Cantiam.* Sicut Henrico Wintoniensi, sic Norwicensi, Cicestrensi, Exoniensi, Wigornensi, Dunelmensi. David Meneviensi vero, et Nicolao Landavensi, et Godefrido Lavenensi sic: *Per totam terram ejus, quæ in episcopatu vestro est, in omnibus Ecclesiis.*

EPISTOLA CLVIII.

AD EUMDEM

Venerabili domino, et tum provectione ætatis et morum sanctitate, tum consecrationis munere charissimo Patri HENRICO Dei gratia Wintoniensi epi-

scopo, THOMAS ejusdem miseratione Cantuariensis archiepiscopus, et sedis apostolicæ legatus, salutem, et beati certaminis cursum feliciter consummare.

Sinceritati vestræ, Pater amande, quatenus pro tempore licet, gratiarum referimus actiones super honesto et pleno sapientiæ, maturitatis, et divini timoris consilio, quod nobis in spiritu fortitudinis vestra charitas per præsentium latorem nuper exhibuit; et super solatio, quod necessitatibus nostris vestra sæpius pietas ministravit. Sic, Pater, decet virum sanguine generosum, et clarum atavis regibus, sed cultu virtutis et religionis exhibitione clarissimum, generis exornare nobilitatem. Sic debet Christi sacerdos et pontifex vitam consummare, ut vivens honorificet ministerium suum, et Ecclesiam Christi post fata ædificet, et relicto probitatis exemplo posteris, sua vel perfectiores faciat imitari vestigia. Memoria talium perpetua benedictione vigebit in generationibus sæculorum, et claritas eorum ut firmamenti splendor, in æternitatem fulgebit. Quia ergo talentum consilii et fortitudinis, præ cæteris conterraneis et coætaneis, vobis inter innumera charismatum dona contulit Spiritus sanctus, paternitatem vestram, quanta possumus affectione, exoramus, ut confirmare meminerit fratres vestros, et eos animare et roborare studeat, tam exhortationibus quam exemplis. Nam juxta Salomonem :*Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas fortis et inexpugnabilis.* Et certe opera vestra de cætero debent esse fortium armatura. Et justum est, ut quod alii laudabiliter egerint, vestris, Pater titulis ascribatur. Quid enim poterunt operari, nisi quod provectiorem sapientia, ætete et gratia videbunt operantem? Et quidem quod quidam eorum jam erecti sunt, ct ut audivimus et speramus, contra membra Satanæ nobiscum stare disponunt, vestris imputant meritis, qui quod nuper actum est, audierunt. Nec est quod vos in diebus istis vereri oporteat, cum vestram conditionem nobilitas, prudentia, copia rerum et amicorum, et ætatis reverentia a læsione, quæ potest in dissimili statu manentes infestare, defendant. Siquidem nonnulli fortasse, qui vobis crederent non esse parcendum, vestris, quos in hac tempestate verentur offendere, procul dubio parcent in vobis, et a domo vestra flagellum suspendet impius, ne quod promeruit propinquorum vestrorum ministerio veniat super eum. Cætera non exaranda litteris latoris præsentium fidei commissa sunt, vestris duntaxat auribus intimanda. Quem, si placet, ut probatæ veritatis fratrem admittetis et audietis. Valeat sanctitas vestra, Pater amande, et creationem suam, nostram parvitatem, loquimur, in orationibus suis Deo commendare meminerit.

EPISTOLA CLIX.

AD EUMDEM.

Ad sanctorum gloriam, et reproborum damnationem necesse est scandala provenire, ut tribulationibus probentur electi, qui probati per patientiam coronam gloriæ acquirunt sibi, et aliis proficiunt per exemplum. *Sed væ illi, per quem scandalum venit!* Quia ergo Londoniensis episcopus non parcit a scandalis, et inter cætera patentis malitiæ opera, postquam Satanæ traditus est, etiam contra matrem suam et vestram, S. Cantuariensem Ecclesiam, tam impudenti audacia et parricidali impietate calcaneum erexit, ut dicere ausus sit se ei, ex quo translatus est, nullam debere subjectionem aut obedientiam exhibere, et ad cumulum damnationis suæ adjecit, quod cathedram archiepiscopalem Londoniam transferri faciet, fraternitatem vestram, de qua plene confidimus, quanta possumus affectione rogamus, quatenus pro matre vestra defensionis clypeum opponatis filio Belial, qui præ cæteris allophylis tanquam alter Goliath de Geth solus, auctore Domino, de castris incircumcisorum progredi non erubuit, nec timuit universitatem filiorum Cantuariensis Ecclesiæ provocare ad certamen, dum matris eorum sanguinem sitit, et catholicæ pacis deserit unitatem. Scripserat domino papæ pro fratre nostro Eboracensi archiepiscopo, sollicitans eum etiam attestatione mendaci et mendosa, ut eum pateretur crucem deferre per provinciam nostram, nescio quid emolumenti sibi suspicans eventurum, si odio personæ nostræ Ecclesiam, cui ex professione fidem et obedientiam debet, quocunque lesisset modo. Sed Christus, qui Cantuariensem a prima fundatione inter turbines varios et magnas multasque procellas rexit et fovit eclesiam, misericorditer operatus est, ut in pleno consistorio per testes omni exceptione majores revelaretur falsitas et iniquitas ejus. Deo autem in primis gratias agimus, deinde vobis, et cæteris fratribus nostris, qui nos, ut oportuit, ex quo eum constitit anathemate condemnatum, ab illius participatione suspendistis, et tam illum quam cæteros excommunicatos nostros per episcopatum vestrum edicto publico jussistis evitari. Claruit hic fides vestra, constantia virtutis effulsit, quæ publicæ potestatis et officialium minas, æque ut blanditias, mandatis Dei censuit postponendas. Liberastis conscientias vestras, famam purgastis, dum tam verbo veritatis quam fortitudinis exemplo docuistis, quod *Deo potius quam hominibus oportet obedire.* Certum itaque habeat sinceritas vestra, quandoquidem tanta charitas Dei per Spiritum sanctum diffusa in cordibus vestris testimonio clari operis processit in publicum, servili timore depulso et excusso, quod Deus cito Satanam conteret sub pedibus vestris, et de certamine proventum educet gloriosum. Et quidem tanto citius et gloriosius, quanto ferventius et constantius in incepta perseverabitis veritate. Unde vos oramus et obsecramus in charitate Dei, et obtestamur per fidem, per obedientiam, per sinceritatis affectionem, quam matri vestræ Cantuariensi Ecclesiæ debetis, quatenus ad tuendam di-

gnitatem et jura Cantuariensis Ecclesiæ, cui professionem exhibuistis, contra præfatum episcopum exsurgatis in adjutorium nobis, et domino papæ scribatis et curiæ testimonium veritatis, quale filios pro matris justitia reddere decet. Nam qui illud subtraheret in articulo tanti discriminis procul dubio infidelis habendus esset, et infideli deterior, in quem jus exigeret usque ad internecionem omnes fideles irruere. Nec tamen res ista quidquam potest habere periculi, cum veritas perspicua sit, et ut dici solet, lippis et tonsoribus patens. Sed quia maledictus est, qui gladium revocat a cruore, et pestilens flagellandus est, ut erudiatur sapiens ad salutem, se ipsum legis subjicit maledicto quicunque parricidæ cum lapide non occurit et gladio. Videtur namque præstare consensum, qui cum possit, non arguit aut impedit talia committentem. Et ne a nobis districtius exigatur, si eorum qui Ecclesiam persequuntur et quos ut pœnitentiam agerent, in multa patientia jam fere toto quinquennio supportavimus, magnas et manifestas ulterius dissimulaverimus culpas, fraternitati vestræ denuntiamus nos publice excommunicasse Gaufredum Cantuariensem archidiaconum, et Robertum vicarium ejus, Ricardum de Ivelcestre, Willelmum Giffard, Ricardum de Luci, Adam de Cheringis, et item eos qui officia vel beneficia ecclesiastica contra sacrorum canonum institutionem de manu laica acceperunt, vel ea usurpaverunt propria temeritate. Similiter et illos, qui domini papæ nuntios aut nostros, ne Ecclesiæ necessitates prosequantur impediunt. Vobis ergo auctoritate domini papæ et nostra mandamus, quatenus eos tales habeatis, et in episcopatu vestro haberi faciatis, quales haberi debere solemniter excommunicatos sacrorum canonum disciplina præscribit. Valeat semper in Domino vestra fraternitas et nos et causam Dei, quæ in manibus nostris est, sanctorum orationibus commendare meminerit. Valete.

EPISTOLA CLX.

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Henrico Wintoniensi episcopo

Ut aliquid simile loquamur Apostolo, gratias agimus Deo, qui odorem notitiæ suæ per vos manifestat in omni loco. Quoniam sicut fama vulgante didicimus, fides vestra in articulo tempestatis hujus enituit, et charitas abundantius effulsit, in columna virtutis ostensa, et exhibita auctoritate pontificis, Nam adversus filios diffidentiæ, viros Belial, in quibus Satanas mysterium iniquitatis patentius operatur, cum nuper Ecclesiam scindere voluissent, et extortis juramentis attentarent obedientiæ, et fidei virtutem exstinguere, vos ex adverso ascendentes opposuistis murum pro domo Israel, et audaciam eorum repressistis in spiritu et virtute Heliæ, et corda eorum qui pavebant, in clero viriliter, ut oportuit, erexistis, ut Deum hominibus prætimerent, et vestigia patrum sequerentur in Christo. Ille vobis in his adjutor astitit. qui perseverantiam vestram coronabit in cœlo, et hic in brevi consolabitur, subjiciens eos pedibus vestris, qui adversus Dominum de permissa sibi momentanea potestatis indulgentia fallaciter gloriantur. State ergo in eo quod cœpistis, et quam jam promeruistis coronam fidei intermissione nolite rejicere, quibus anchora per gratiam Dei firmiter hæret in portu consolationis et pacis. Providete, ne vos interim circumveniat inimicus, ne adversus apostolicam sedem, vel matrem vestram S. Cantuariensem Ecclesiam vobis consentientibus præsumatur, quod et illi laborem, et vobis jacturam et pœnitentiam valeat in posterum generare. Accepimus enim, quod quidam malitiosi homines domino regi persuadere nituntur, ut in injuriam matris vestræ Cantuariensis Ecclesiæ, et læsionem nostram, filium suum, quem Deus et ab hoc infortunio et ab omnibus malis liberet, per manum venerabilis fratris nostri Eboracensis archiepiscopi in regem faciat coronari. Quod quia contra dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ esse dignoscitur, dominus papa litteris suis, quas vobis et aliis fratribus nostris transmittimus, tam præfato archiepiscopo quam omnibus episcopis Angliæ interdicit. Et nos si aliud, quod absit idem archiepiscopus aut alius attentare præsumpserit, ne vos aut aliquis de fratribus nostris, aut his qui nobis, sive ex officio legationis, sive jure metropolitico subjecti sunt, assistere audeat, apostolica et nostra auctoritate in virtute obedientiæ, et sub anathemate penitus inhibemus, appellantes adversus omnem animam quæ se tantæ præsumptioni attentaverit immiscere, diemque præfigimus purificationem sanctæ Mariæ.

EPISTOLA CLXI

AD EUMDEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Henrico Wintoniensi episcopo, salutem et in via mandatorum Dei promereri bravium supernæ vocationis.

Fraternitatem vestram latere non possunt calamitates, quæ jam per sex annos Anglicanam Ecclesiam afflixerunt, sed præcipue matrem vestram Cantuariensem Ecclesiam, cujus, sicut ex charitate debetis miseriis compati, sic ex necessitate officii et exhibita professione vos oportet ipsius obedire mandatis. Exspectavimus pœnitentiam domini regis, sed ille, quod sine mœrore non possumus eloqui, adeo misericordia Dei, et sacræ Romanæ Ecclesiæ, et nostra patientia semper abusus est, ut novissima ejus in dies Ecclesiæ Dei fierent deteriora prioribus. Ne ergo sanguis ejus et compereuntis Ecclesiæ requiratur a nobis, fraternitati vestræ in virtute obedientiæ, in periculo ordinis, honoris et beneficii præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies a susceptione præsentium, per totam diœcesim vestram omnia divina, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, prohibeatis officia celebrari, et ab omnibus subditis vestris interdicti sententiam, quantum in vobis est, faciatis inviolabiliter observari;

portitori prospicientes sicut vobis et ordini vestro A cupitis esse prospectum. Alioquin vos ipsos exinde ab episcopali et sacerdotali officio noveritis esse suspensos. Deo potius quam hominibus obedientem reverentiam vestram coronet Pastor pastorum, et Princeps principum immarcescibili æternæ gloriæ corona.

Eodem modo omnibus episcopis Angliæ et Gualliæ.

EPISTOLA CLXII

AD ROBERTUM PRÆPOSITUM ARCENSEM.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Roberto præposito Arcensi.

Si verum est quod audisti, dominum papam latere non potest, et per nuntios nostros, quos in dies singulos exspectamus, super hoc confidimus certio- B rari in brevi. Et perfecto honorem domini et amici nostri ita desideramus, sicut salutem animæ propriæ. Honore siquidem maximo a Christo dignissimus est; cui ad gubernandum imperium adest nobilitas, generi prudentia suffragatur, delinquentes coercet rigore justitiæ, subditos obtemperantes juri mansuetudinis moderatione gubernat, Ecclesiam veneratur et protegit, in ministris suis suscipit Christum, et universorum gratiam benignitate provocat, et obsequiis et beneficiis obligat affectiones. Non sævit in subditos, nec occasiones justitiæ prætextu quærit, quibus cruciet pauperes, exhauriat et spoliet copiosos. Hæc fuit quondam nobilium generositas Augustorum, quam iste præter conterminalium et coætaneorum morem exercet, qui saluberrime et hones- C tissime novit, et consuevit

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Prompto igitur et prono animo, si Deus opportunitatem dederit, operam dabimus et diligentiam, ut fiat ei in beneplacito Domini secundum desiderium tuum. Sed vellemus ut res ordine suo rite procederet, ut gradus honoris debitus non deesset ascendenti, qui medius est inter habitum et optatum. Satis dictum credimus sapienti. Tu interim ut diligenter audias et exaudias quæ tibi per magistrum Robertum clericum nostrum significata sunt, petimus affectuose, rogantes affectuosius, ut colloquio regis et comitis, quod speratur, a nobis revertens valeas interesse.

EPISTOLA CLXIII

AD CLEREMBALDUM ET FRATRES SANCTI AUGUSTINI.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus Clerembaldo electo, et fratribus S. Augustini.

Quanto majorem cum S. R. Ecclesia contraxistis familiaritatem, tanto ad reprimendas et ulciscendas injurias ejus virilius debetis insurgere, et qua fide illi adhæreatis, operis testimonio comprobare. Nec dubium est in illius redundare injuriam, quod ipsa prohibente tot et tanta, et tandiu adversus Anglicanam Ecclesiam, et nos, et nostros præsumpta sunt, cum dominus rex sæpe per episcopos, per abbates, subdiaconos curiæ, per cardinales, quos vel pro sua reverentia oportuerat exaudiri, commonitus sit, et semper facta sint novissima ejus atrociora prioribus. Quia ergo venerandum est ne nos ulterior dissimulatio reos damnationi obliget ante Deum, apud quem non est personarum acceptio, et qui potentes potenter punit, vobis in virtute obedientiæ, sub anathemate, in periculo dignitatis et ordinis, domini papæ, cujus vice fungimur, et nostra auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus, nisi infra Purificationem beatæ Mariæ præfatus dominus noster rex Ecclesiæ Dei et nobis condignam satisfactionem exhibuerit, extunc a divinorum celebratione cessetis, excepta pœnitentia, et viatico, et his quæ religionis favore locis venerabilibus indulget sacrorum canonum dispensatio, januis clausis, exclusis personis laicis, sine campanarum pulsatione, et solemnitatibus, quas in tempore quietis et lætitiæ consuevit Ecclesia exercere. Ad hæc Gaufredum Cantuariensem archidiaconum, et Robertum vicarium ejus, Ricardum de Ivelcestre, Nigellum de Saccavilla, Willelmum Giffard, Ricardum de Luci, Adam de Cheringis, quoniam publice excommunicati sunt, præcipimus a cunctis fidelibus evitari, quia qui scienter excommunicato communicat, se ipsum pari anathemate ex immunda participatione condemnat.

Similiter conventui Malmesberiensi, et Laurentio abbati Westmonasterii, abbati S. Albani, et S. Edmundi, sic: extunc prorsus a divinorum celebratione cessetis, et in cunctis ecclesiis, quæ ad vestram jurisdictionem pertinent, omnia divina prohibeatis officia celebrari, excepto baptismo parvulorum, et pœnitentia, et viatico.

EPISTOLA CLXIV.

AD EOSDEM.

Thomas archiep. Cant., Clarembaldo viceabbati Sancti Augustini et fratribus ejusdem loci.

Quanto sacrosancta Romana Ecclesia monasterium vestrum ampliori donavit gratia, tanto diligentius ipsius debetis obedire mandatis. Unde de vestra obedientia spem certam concipientes, vobis auctoritate domini papæ et nostra, in virtute obedientiæ, in periculo honoris, officii et gradus, præcipiendo mandamus, quatenus infra quindecim dies a susceptione præsentium abstineatis ab omnibus divinis, D excepta pœnitentia morientium et viatico, quod januis clausis et laicis exclusis, privatim fieri necessitas exposcit, et religionis impetrat favor. Sub eadem quoque interminatione præcipimus, ut in omnibus locis jurisdictionis vestræ ecclesiasticæ faciatis, quantum in vobis est, hujus interdicti sententiam inviolabilem observari.

Similiter Westmonasterii, Sancti Albani, Sancti Edmundi et Malmesberiensi abbatibus.

EPISTOLA CLXV.

AD ARTHURUM DE BURGIS ET COMPLICES EJUS

Thomas Cantuariensis archiepiscopus Arthuro de Burgis et complicibus suis.

Relatum est nobis, Arthure, te in nos pariter et Ecclesiam Cantuariensem, matrem tuam, gravissime et sine meritis deliquisse. Tu enim, ut nobis suggestum est, cum tuis complicibus in Hiberniam ire præsumpsisti, et ibidem falsa prædicatione tuorum et tua machinatus es, ut clerici et episcopi Gwalliæ ordines et sacramenta reciperent, quasi a novo metropolitano sibi in Hibernia constituto. Veraciter scias, quoniam immoderate deliquisti machinando talia, et veniendo in damnum Cantuariensis Ecclesiæ, matris tuæ. Et idcirco mandando tibi præcipimus, et in periculo ordinis tui et beneficiorum tuorum tibi firmiter injungimus, ut tu cum Laurentio, et Jacobo, et Hucteridio in purificatione beatæ Mariæ nostro te conspectui repræsentes, satisfacturus Deo, et nobis, et Ecclesiæ Cantuariensi, matri tuæ, super his et aliis, quæ tibi objicientur.

EPISTOLA CLXVI.

AD RICARDUM PRIOREM ET CAPITULUM DE DOVERA

Lamentati sumus, etc. *Vide similem epistolam ad onventum Cantuariensem directam.*

EPISTOLA CLXVII.

AD SIMONEM PRIOREM DE MONTE DEI ET BERNARDUM DE CORILO.

THOMAS, archiepiscopus, SIMONI, priori de Monte Dei, et BERNARDO de Corilo.

Mandatum domini papæ dilectio vestra suscepit, quatenus regem conveniretis, ut nobis ecclesiam nostram et gratiam suam restituat, nos autem parati uimus, sicut præsentes vidistis, ponere nos omnino ad honorem Dei et suum in misericordia Dei et sua. Non placuit ei hæc forma, nisi nos obligaremus ad observationem consuetudinum, quas antecessores nostri suis servaverant. Promissimus ergo quod eas libenter servaremus, quatenus possemus *salvo ordine nostro:* et quod quidquid secundum Deum poterimus, pro recuperanda gratia ejus devotissime faceremus. Noluit acquiescere nisi absolute promitteremus nos illas consuetudines servaturos. Quod quidem omnimo non licuit, quia aliquæ earum a sede apostolica condemnatæ sunt. Parati vero sumus, si placuerit illi, juxta mandatum apostolicum recipere ecclesiam et sedem nostram cum gratia sua. Et recolite quod dominus papa, qui vobis in virtute obedentiæ mandati sui exsecutionem injunxit, non præcepit nos aliquibus promissionibus obligari. Supplicamus ergo sanctitati vestræ, ut obedientiam domini papæ exsequi non gravemini, sed eam, sicut sanctos viros decet, studeatis implere.

EPISTOLA CLXVIII.

AD FRATREM NICOLAUM DE MONTE ROTHOMAGENSI.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, fratri NICOLAO de Monte Rothomagensi.

Novit fraternitas tua, quam patienter sustinuerimus damna, injurias et contumelias nobis et nostris illatas a dilectissimo domino nostro, illustri rege Anglorum. Ipse autem abusus patientia nostra, ad sanctissimæ matris suæ prorupit injurias, sponsam loquimur crucifixi: et illam non est veritus ancillare, pro cujus liberatione Filius Dei Deus morte turpissima voluit condemnari. Monuimus eum affectu patris, sæpius fide domino debita supplicavimus, corripuimus eum auctoritate pastoris; ipse autem in persona nostra patrem suum itidem fidelem contempsit et pastorem; et ne quid de cætero veritati subtractum sit, quod Ecclesiæ periculosius et ei perniciosius est, illum, cujus gerimus vicem, sprevit Christum. Habeantur hæc vana, et contemnat, ut solet, si Filius Dei Ecclesiæ non dicit pastoribus: *Qui vos spernit, me spernit*; *ut qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Processit ulterius sollicitudo nostra, ut ei pro pace Ecclesiæ summus pontifex devotas preces ageret, sed non est exauditus. Exhortationes adhibuit, et surdum reperit auditorem. Increpationes adjecit: contemptæ sunt. Tandem apostolica tuba comminationes intonuit, sed nec sic potuerunt fides et ratio excitari. Ne quid autem omitteremus ex contingentibus, rex Francorum, qui ei est amicus et dominus, omnem adhibuit operam et diligentiam, sed nec ille pro sua reverentia meruit exaudiri. Ad colloquium ejus accessimus, sed nec ad conspectum ejus sumus admissi, neque nostri nominis aut causæ Dei permisit fieri mentionem. Misimus ei postea nuntios venerabiles viros, et litteras patentes, ut petierat, in quibus expressa erat et justitia Ecclesiæ, et nostræ petitionis sententia, sed noster et eorum labor, quantum in eo est, cessit in cassum. Secuti eramus fidem dominæ imperatricis, sicut tu nosti, et ipsa ignorare non debet, sed nos usquequaque delusit. Quia ergo hæc patientia nostra Ecclesiæ Dei perniciosa est, sed perniciosor illi cujus novissima fiunt in dies deteriora prioribus, nobis autem perniciossima, quos oportebit ante tribunal sponsi non modo de operibus propriis, sed etiam de sanguine ejus et afflictione sponsæ reddere rationem, pro certo noveris, et dominæ imperatrici intimes, quod in personam ejus et terram in brevi, imo in brevissimo vita comite et Deo auctore, exeremus gladium Spiritus sancti, qui omni gladio ancipiti penetrabilior est, ut sit in ruinam induratæ carni, et sopito, imo exstincto spiritui in salutem. Persuadeas ergo dominæ nostræ ut nos de cætero habeat excusatos in eo, quod ultra dissimulare non licet: sciatque pro certo, quod si revixerit filius ejus, et consilium matris recipiat audiens vocem Dei, nos ad honorem Dei et voluntatem suam paratos inveniet. Interim morientem filium pariter, et eodem lugeamus affectu, qui salutem ejus et honorem, Deo teste, consimili desiderio optamus pariter et oramus. Hæc cum dolore, lacrymis, singultibus, et suspiriis loquimur, tanquam viscera nostra de claustro pectoris acerbitate ferri extracta, ardore cauterii inuramus. Quod et Deus scit, in cujus injuriam exercere ulterius non debemus impiam pietatem, ei in terris matrem, patrem, sororem præferendo, vel Dominum. Non est dolor, sicut iste dolor, sed charitas Dei, et utilitas et honor ejus qui curatur, nos urget, ut hunc forti animo sufferamus. Valete.

Saluta et sollicita fratres nostros, ut nobis impetrent spiritum consilii et fortitudinis, orantes pro domino rege, ut ei adsit spiritus pœnitentiæ et pietatis, quatenus pax ejus Ecclesiæ Dei nobis reformetur in Domino.

EPISTOLA CLXIX

AD SILVESTRUM LEXOVIENSEM THESAURARIUM.

Suus suo salutem, et animi constantiam.

Si grandia loquitur, si magnalia sparsit, qui jurisjurandi commercio miranda novit inducere, haud mirandum credimus, nec rei admiratione cedendum. Satius enim est alieno scelere nos perire, quam metu nostro. Tu vero certum tene, quidquid mentiatur juratoris famosa dolositas, quidquid minetur tortoris austeritas captiosa, quia per misericordiam Dei neque mors, neque vita, neque angeli, neque alia creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ subjecit nos tribulationi. Sed ne ipse Papiensis, donec compleatur iniquitas, donec evanescat conditionis nostræ pressura. Ad cujus congressum incipiant saltem apparere vestigia libertatis, et ut eodem studio, quo ipsa parabatur deleri penitus, quo libertas funditus credebatur exstingui, vestigia se præbeant eminentiora, resurgat fortior ipsa libertas. An ignoras arbores magnas diu crescere, una hora exstirpari ? Stultus est, qui fructus earum exspectat, nec attendit casum. Sit itaque tibi solatio, quia *inimici Domini, mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient*. Exspecta parumper, quid insibilet eis sibilus auræ lenis, in quo Dominus : et *Adhuc pusillum, et non erit peccator. Quæretur locus ejus, et non invenietur*. Hæc hactenus.

Cæterum si absolvendi sunt, vel jam absoluti excommunicati nostri, constat eos esse vel fuisse excommunicatos. Sequitur ergo eis scienter communicantes contraxisse in se maculam excommunicationis. De cætero, quid inde proveniat, ipsi viderint. Unum scias, non tulit gratis beneficia ipsa Joannes. Habet aliquid compensationis, quod pro certo audivimus a redeuntibus de curia : renuntiatum esse per ipsum ex parte regis consuetudinibus regiis, quas petebat a nobis rex sibi concedi et confirmari. Hoc optamus ministerio tuo pervenire ad aures regis, et comprovincialium tuorum, tacito tamen me auctore Sed nec te ipsum patiaris inde laudari auctorem, ut vel sic de præsumptione sua confundatur garrulus ipse, et de gloriæ suæ vanitate reddatur inglorius. Tu autem confortare, et esto robustus, quia per misericordiam Dei propior est nostra salus, aut censuræ vigor, quam mentiatur falsa crudelitas, quam sibi blandiatur adulatio deceptoria. Valete.

Valeat et tecum Nicolaus noster. Exspectate finem gaudentes, qui cujusque solet esse pars potissima, unde sortiatur sibi quisque certum exspectationis suæ experimentum. Valete iterum, et semper.

EPISTOLA CLXX.

AD CANONICOS PANTANEIÆ.

Salutem, et in fortitudine patientiæ consolationem Domini fiducialiter exspectare.

Non turbetur cor vestrum, dilectissimi, neque formidet, quia Deo propitio salus Ecclesiæ et pax vestra in januis est, prioremque vestrum, qui per nos incolumis et lætus transitum fecit, voti compotem recipietis in brevi. Interim non deficiat vestra fides, quia quod prudentiam vestram tenere memoriter constat, *væ* perpetuum his denuntiatur, qui sustinentiam perdiderunt, et in fide perseverantibus corona gloriæ reposita est in sinu Patris misericordiarum, qui superbos humiliat, et exaltat humiles. Nec est de ejus auxilio diffidendum, si patientibus, plerumque pro voto non exhibetur, quia sicut Apostolus docet, patientia per tribulationis angustias probatur, et clarius enitescit, virtusque proficiens nobilitatur generosa sobole meritorum, quibus augustiore gloria coronatur in præmio. Est autem procul dubio Christianus infideli deterior, qui sic Deum justitiæ suæ et misericordiæ, et veritatis putat immemorem, ut Ecclesiæ et pauperum Christi tortores suspicetur evadere posse judicium Dei, et lacrymas contra promissum veritatis perpetuandas in oculis sanctorum. Accipiunt quidem impii interdum a Domino potestatem momentaneam in filios gratiæ, ut eorum ministerio purgentur, aut probentur, aut custodiantur. Sed beatus Job, exemplar patientiæ et virtutis, exemplum fidelibus et argumentum datus est, quod diu non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Si ergo Satanitarum spiritus accepta potestate intumuit contra vos, si a loco, in quo morum conversionem, et stabilitatem Deo promisistis, perturbare conatur, constantia vestra in Domino nequaquam sibi creditam deserat stationem, sed exspeetet solutare Domini, et clypeum patientiæ, sicut decet sanctos, terroribus et minis confidenter opponat. Prohibemus autem auctoritate domini papæ et nostra in virtute obedientiæ et periculo salutis et ordinis vestri, ut nulla ratione recedatis ab ecclesia et domibus vestris, nisi vis atrocior, et inexorata necessitas invitos et coactos extraxerit. Nos autem ex speciali mandato domini papæ comitem Hugonem solemniter excommunicavimus, et præcipimus in virtute obedientiæ, et periculo salutis et ordinis vestri, quatenus denuntiatorias nostras venerabilibus fratribus nostris Willelmo Norwicensi et Nigello Eliensi episcopis tradatis, ut sententia, quæ ex sedis apostolicæ procedit arbitrio, robur debitum consequatur. Cavete autem modis omnibus, ne in absentia prioris vestri compositionem vel aliud faciatis, quod in damnum Ecclesiæ valeat redundare.

EPISTOLA CLXXI.

AD GILBERTUM DE SEMPLINGHAM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, GILBERTO de Semplingham, salutem et in spiritu mansuetudinis congregare dispersos Israel.

Nos vobis alia vice scripsisse meminimus, ut fratres nostros, qui occasione juramenti servandæ professionis, quod nulla, sicut audivimus, religionis alicujus institutio exigere consuevit, dispersi sunt, revocaretis, remisso tanti scandali juramento, et eos ea moderatione de cætero tractaretis, quæ culpas cohibere et purgare sufficiat, et patrem et pastorem deceat animarum. Hoc ipsum præcipit et dominus papa, cujus non obedire mandatis maximi sceleris instar est, et idololatriæ crimini comparatur. Sed, sicut fratrum vestrorum indicat querimonia sæpius iterata, nostrum contempistis aut dissimulastis mandatum, nec de Ecclesia curastis adhuc tantum scandalum amovere. Scitis tamen, quod Dominus, cujus essentia veritas est, et verba vita, ei *Væ* denuntiat imminere, *per quem scandalum venit*. B Inde est, quod fraternitati vestræ, quam, sicut Deus novit, sincera in Christo diligimus charitate, iterata præceptione mandamus, in virtute, obedientiæ jubentes, quatenus fratres vestros revocare et congregare studeatis, et unitatem pacis reformare in domo Domini, ne nos ex mandato apostolico aliquid in vos durius statuere compellamur. Rogamus etiam, monemus, consulimus, et Christi vice et qua præeminemus auctoritate præcipimus, ut sic zeli, quem habetis in Domino, rigorem temperetis, quo laboris nostri fructus valeat permanere, et ne post dies vestros tanti laboris opera pereat et impensa. Nam, ut nostis, qui nimis emungit, elicit sanguinem, et immoderatio noverca salutis est. Precamur etiam, ut præsentium latoribus, si deliquerunt in aliquo, C misericordiam impendatis, et peregrinationem nostram sanctorum, qui vobiscum sunt, orationibus commendetis.

EPISTOLA CLXXII.

AD EUMDEM.

Thomas archiep. Cant. Gilberto, canonicis, fratribus et sororibus et omnibus ordinis de Semplingham.

Quantum te, frater Gilberte, in persona tua omnesque ordinis de Semplingham hactenus dilexerimus et adhuc diligamus, novit Deus, nostri et tu, Gilberte; novit etiam ordinis universitas. Nos enim teste conscientia, ordinem et ordinis universitatem spiritualius præ omnibus aliis ordinibus semper diliximus, fovimus et manutenuimus. Et idirco D quanto magis vos diligimus, tanto magis perturbamur et dolemus cum talia a vobis et ordine vestro oborta fuisse audimus quæ non solum oculos hominum offendunt, sed etiam ipsum Deum. Non enim credebamus, cum vos ista specialiter præ cæteris dilexerimus, vos aliquid magni in ordine vestro facere debuisse, nisi de consilio et conscientia nostra. Pervenerunt autem ad aures domini papæ, pervenerunt et ad nos quondam maxima scandala, quæ et ab ordine et ab domibus ordinis vestri oborta sunt, quæ etiam per maximam orbis partem ignominiose sunt divulgata. Itaque ad hæc scandala corrigenda, et omnino per Dei misericordiam ab ordinis universi- A tate exstirpanda, noscat uniuersitas vestra dominum papam nos constituisse et ut ea corrigamus et ordinem et domos ordinis in melius ordinemus, in mandatis nobis dedisse. Et idcirco tibi, frater Gilberte, mandando præcipimus et in virtute obedientiæ, in periculo possessionum necnon et sub sententia anathematis firmiter injungimus, quatenus litteras domini papæ et nostras condigna reverentia suscipias et eas coram ordinis tui universitate legi facias. Nihilominus tibi sub anathemate præcipimus quatenus infra terminum a domino papa litteris suis tibi constitutum quæcunque tibi mandaverit, omni occasione et excusatione remota diligentissime labores perficere. Quod nisi feceris, nos juxta mandatum a domino papa susceptum, volente Domino manus operi apponemus, et sicut litteris suis nobis mandavit omnia Deo cooperante studebimus adimplere diligenter et perficere. Verumtamen si de consilio tibi mandato præcipimus, ut te in Purificatione beatæ Mariæ nostro conspectui repræsentes responsurus et satisfacturus domino papæ et nobis de inobedientia et aliis quæ tibi de ratione poterunt objici, nisi omnia juxta tenorem litterarum domini papæ et infra terminum tibi ab eo constitutum opere complexeris.

EPISTOLA CLXXIII.

AD MAGISTRUM VIVIANUM.

Thomas Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, et apostolicæ sedis legatus, magistro Viviano fideli suo, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ advocato, salutem et per omnia recte sapere et intelligere.

Habita ratione legationis tibi commissæ et negotii crediti, utinam ex accessu tuo ad dominum regem Angliæ nihil deperisset de substantia negotii, in nullo derogatum fuisset auctoritati te mittentis, nihil attentatum, dictum, aut actum dispendio, et nostro. Quatenus enim hoc facto partes se extenderint tuæ, cum semel functus sis officio tibi commisso, sive bene sive male, præstituti temporis præfinitio ad legationem explendam te scientem jura, professum legibus, satis per omnia cautum reddere debuerat. Vide ergo ut prudenter sapias, et prudenter incedas, ne fias in fabulam et magnatibus in derisum. Verum si auctoritate propria novum sortitus es ac recens legationis officium, pareat cujus interest, et inde sustineat onus, ad quem spectabit emolumentum, me autem in nullo obligat jurisdictio. Et quidem quod dicis te habere socium in labore camerarium summi et magni cardinalis, presbyterum loquor gerentem domini sui personam, non minus admiror consortis istius præsumptionem, quam personæ principalis in hac parte sollicitudinem. Et si cujus id actum est periculo, curam sui habeat, quomodo cautius possit ejus præsumptionis vitare periculum. Satis credo dictum esse sapienti. Gratias habemus tamen sollicitudini tuæ, quam geris super pace nostra et nostrorum, utinam non minus prudenter quam sollicite. Sed timeo ne ar-

gutiis et verborum anfractibus, cum quibus tibi res agitur, pereat, quod absit! opera tua et industria et sic lædatur sollicitudo laborantis. Cæterum quod hortaris nos, ut descendamus ad colloquium regum, quod habituri sunt die Dominica proxima apud S. Dionysium, qua certitudine, qua spe pacis, qua ratione, cum tanta instantia hoc feceris sicut ex mandato tuo intelligere non possumus, sic te ad nostri vocationem tam facilem fuisse plurimum miramur Verum ob reverentiam S. Romanæ Ecclesiæ, et tui dilectionem, licet in incertum, ut timemus, ad tuam instantiam die Veneris per Dei misericordiam apud castrum Corbolii tibi occurremus, ut citius audiamus per os tuum, quem laboris et operis tui fructum consequi debeamus, et tu quid honoris et gloriæ. Vale, et provideat tibi Deus, ne capiaris in regis muscipula, quam secum contrahentium vix aliquis potuit evadere.

EPISTOLA CLXXIV.

AD R. ABBATEM ET WILLELMUM PRIOREM DE VALLE.

Venerabilibus fratribus R. abbati, et WILLELMO priori de Valle, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem.

Meminisse potest vestra dilectio, quod sicut in transitu magistri Gerardi clerici, et amici nostri, turbati fueramus, ita per vos, audita reversione ejus, admodum exhilarati sumus. Ei ergo, per te, dilecte frater prior, et per clericum nostrum magistrum Joannem familiarem ipsius, dedimus consilium, quod, Deo teste, honori et utilitati suæ pro tempore magis credidimus expedire. Ipse vero motum animi sui sequi præferens, ad domini regis Anglorum est conversus obsequium, obligans se, sicut pro certo accepimus, fidelitatis et juramenti vinculo. Et utinam sic versetur ibi, ut nec Deum offendat, nec lædat famam! Novit ille, cui de operibus et verbis, et ipsius animæ motibus reddituri sumus in districto examine rationem, quoties per litteras et nuntios, et quanta affectione institerimus summo pontifici, ut nobis eum revocandi licentiam daret, excusantes recessum ejus sub prætextu licentiæ, quam se memoratus Girardus dicebat a sede apostolica impetrasse. Sed dominus papa se hanc dedisse constanter inficiatus est. Tandem vero redierunt nuntii nostri ab apostolica sede, qui nobis revocandi eum licentiam attulerunt, et formam juramenti præscriptam, quo præstito præcipitur absolvi, et in pristinum reponi statum. Rogat etiam dominus papa Christianissimum regem Francorum, ut ei exinde gratiam suam restituat, et in terra sua, more solito, manere permittat. Mittimus vobis et juramenti formam, et apostolicarum rescripta litterarum, rogantes attentius, ut hæc ad notitiam ejus venire faciatis, et consulatis ei, quatenus saluti et honestati suæ provideat, et testimonium conscientiæ et tremendum judicium Dei, sæculi pompis et bonis mundialibus anteponat. Nos autem, si mandatum domini papæ voluerit adimplere, ipsum ut filium charissimum recipiemus et fraterna tractabimus charitate. Si vero id recusaverit, rogamus ut et hoc nobis vestra diligentia innotescat.

EPISTOLA CLXXV.

AD MAGISTRUM LOMBARDUM.

THOMAS Cantuariensis, magistro LOMBARDO.

Mittimus ad vos latorem præsentium, pauperem clericum, qui de quadam paupere domo est monialium in Anglia Deo servientium, qui vobis diligentius viva voce miserias et mala sua exponet quæ vos volumus domino papæ pariter cum malis et damnis nostris et Ecclesiæ Cantuariensis, quanto sollicitius poteritis, exponere. Qualiter autem rex Angliæ, dum apud nos fuissetis, Ecclesiam Anglicanam, et præcipue Cantuariensem bonis suis et possessionibus spoliaverit, et eam funditus destruere conatus sit, bene novit vestra discretio. Nunc autem de novo in ignominiam nostram, et ad nostræ confusionis augmentum, per sedem nostram, et per omnes episcopatus vacantes amplissimam communiter extorquere exactionem, quod et per omnes ecclesias regni sui, tam magnas quam etiam parvissimas, fieri præcepit: scilicet interventu episcoporum concessit eis pariter et abbatibus, et minoribus clericis per singulas ecclesias hanc fieri per seipsos exactionem, ut ea facta, quidquid exinde perciperent, eidem regi et suis omnino assignarent. Præterea nemora, et villas, et omnes possessiones Cantuariensis Ecclesiæ omnino destruit, alienat, et confundit. Ad hæc autem litteras suspensionis nostræ, quas dominus papa, sicut ei placuit, quamvis non promeruerimus, illi regi transmisit per totum regnum suum, nec non specialiter per omnes ecclesias, tam parvissimas quam magnas, publice ad confusionem nostram divulgavit. Hoc quidem vobis veraciter dicimus, quod et domino papæ, quanta poteritis sollicitudine, et amicis nostris intimetis. Latoris præsentium negotium, quantum justitia patitur, amore Dei et nostro promoveatis.

EPISTOLA CLXXVI.

AD QUEMDAM AMICUM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, dilecto suo N...., salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Noscat dilectio tua nos, divina favente gratia, sanos et incolumes, et omnia fore prospera. De tuæ quidem dilectionis sinceritate admodum plenariam spem obtinentes atque fiduciam, tibi mandamus quatenus per latorem præsentium, vel per alium, quæ matri tuæ sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ et nobis, sollicitius inquirens, noveris expedire, absque dilatione maturius procures significare.

EPISTOLA CLXXVII.

AD HENRICUM II, REGEM ANGLIÆ.

HENRICO regi Angliæ, THOMAS Cant. arch,

Duplicis rationis consideratio nos hortatur, ut ea, quæ vobis expedire cognoscimus, regiæ majestati prompto et fideli animo suggeramus. Cum sublimitati vestræ sincerissima dilectione connectimur, et extremi retributionem judicii interioris oculi lumine

contemplamur, videmus profecto, quantum nobis immineat, et ea quæ ad gloriam terreni honoris partinent, prompta vobis exhortatione suggerere, et ab eo quod vestræ saluti renititur, officiosissima vos sollicitudine revocare. Maxime quia si is, cui loqui ex officio datum est, in alienæ salutis discrimine salutifera monita non depromat, seipsum reum sanguinis fratrum constituit, dum eum, cui necessarium consilium negat, in parvitate viæ suæ mortifera taciturnitate relinquit. Ne autem hoc nostris forsitan adinventionibus ascribatis, prophetæ vobis verba describimus. quibus dicitur: *Si dicente me ad impium,* morte morieris, *non annuntiaveris ei, ut convertatur a via sua mala, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Nos igitur hac prophetica, imo divina commminatione perterriti, et regiæ celsitudini vestræ fidelis dilectionis fœdere copulati, studuimus semper vobis intrepida commonitione consulere, quod vestræ saluti, quod gloriæ, quod ipsi penitus terreno honori omnimodis putavimus expedire. Specialiter autem in novissimo colloquio vestro, cum licentiam a vobis reditus sumeremus, pia sollicitudine nos vobis exposuisse meminimus, quod quidquid super aliis capitulis vestræ potestatis licentia faceret, illud indignum penitus, et ab omni ratione videbatur extraneum, et non solum humana censura damnabile, sed et divino putabatur judicio judicandum, quod occasione Cantuariensis archiepiscopi tot alios, viros et mulieres, clericos et laicos, parvulos et provectos, totius omnino regiæ offensionis innoxios, a propriis cogebatis sedibus exsulare: maxime cum dicant nonnullos eorum eumdem archiepiscopum nulla penitus sanguinis propinquitate contingere. Et quoniam his clementer auditis vera nos dicere dignanter vos recognovistis, et inde mihi responsem bonum post modicum promisistis, miramur, quod nihil ex hoc postea ex vestri parte suscepimus, quamvis hoc ipsum vestris magnis occupationibus imputemus. Rogamus autem, ut juxta datam nobis verbi vestri fiduciam, vestrum circa illos relaxetis edictum, et quod inde feceritis, fidelis amici auribus non celetis.

EPISTOLA CLXXVIII.

AD EUMDEM.

Reverendissimo domino suo Henrico, Dei gratia illustri Anglorum regi, duci Northmannorum, comiti Andegaviæ et duci Aquitaniæ, Thomas eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, salutem, et per omnia bene facere.

Loqui de Deo valde quietæ et liberæ mentis est. Inde est quod loquar ad dominum meum, et utinam ad omnes pacificum. Obsecro, domine mi, ut cum animi patientia sufferatis aliquid commonitionis, conferentis per gratiam Dei, quæ nunquam vacua est, ad animæ vestræ salutem, et meæ liberationem. Angustiæ mihi sunt undique. Tribulatio enim et angustia invenerunt me inter duo gravissima et timenda constitutum, et inter duo constituta gravissima timidum. Silentium loquor et commonitionem. Si autem siluero, mors mihi est, nec effugiam manus Domini dicentis: *Si non annuntiaveris delinquenti delictum suum, et moriatur in peccato suo, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Si commonuero, timeo ne non effugiam domini mei, quod absit! indignationem. Ne accidat mihi, quod sapiens ille dicit: *Cum is, qui non placet, ad intercedendum accedit vel mittitur, verendum est, ne irati animus ad deteriora provocetur.* Quid ergo faciam? Loquar, an sileam? Utrobique certe periculum. Verumtamen quoniam tutius est incidere in hominis indignationem, quam in manus Dei viventis, confisus de misericordia Altissimi, in cujus manu corda sunt regum, et quo voluerit inclinabit ea, et utinam in partem meliorem, loquar ad dominum meum, quia semel cœpi. Multoties enim bona præstantur invitis, maxime cum potius eorum utilitati consulitur quam voluntati. In terra vestra captiva tenetur filia Sion, sponsa regis magni, oppressa a multis afflicta ab his qui a tempore longo oderunt eam, a quibus honoranda potius esset, quam affligenda: maxime a vobis, habita vobiscum recordatione beneficiorum singulorum, quæ vobis contulit Deus in initio regni vestri, in medio, et fere usque modo. Solvite eam, et permittite eam conregnare sponso suo, ut benefaciat vobis Deus, et incipiat statim convalescere regnum vestrum, et auferatur opprobrium de generatione vestra, fiatque pax summa in diebus vestris. Credite mihi, dilectissime domine, serenissime princeps. Patiens enim retributor est Dominus, longanimis exspectator, sed gravissimus ultor: audite me, et benefacite. Si autem, verendum est, quod absit! ne accingatur gladio super femur suum Potentissimus, et veniat in manu valida cum militia multa liberare sponsam suam non sine grandi plaga de oppressione et servitute tribulantis. Si vero me audieritis, quoniam necesse habet Dominus in hoc instanti obsequium vestrum experiri tanquam strenui militis sui, benefaciet vobis Deus, et addet gloriam gloriæ vestræ in progeniem filiorum et filiarum vestrarum usque in tempora longa. Alioquin vereor, quod Deus avertat, ne non deficiat gladius de domo vestra, donec veniat qui ulciscatur de plano suam et suorum injuriam Altissimus; sicut nec de domo Salomonis, a quo, licet eum Dominus elegisset, et contulisset tantam sapientiam et pacem, ut diceretur ab homnibus: *Hic est filius sapientiæ et pacis*, quoniam tamen recessit a via Dei, et ambulavit in iniquitate super iniquitatem, scidit Deus regnum ejus, et dedit illud ejus servo, maxime quia non quæsivit subito post delictum placare Dominum, sicut et David pater ejus, qui statim post offensam humiliavit se Domino, emendavit culpam, petivit misericordiam, et obtinuit veniam. Utinam et vos cum Dei gratia similiter faciatis. Hæc vobis ad præsens scribo, cætera in ore latoris præsentium, viri religiosi, et magnæ opinionis, fidelis etiam, ut credimus, vestri, posuimus, quibus, quæso, si placet fideliter credatis. Potius

tamen desideramus cum gratia vestra benigno vestro uti colloquio. Bene valeat semel et semper dominus meus.

EPISTOLA CLXXIX.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, HENRICO regi Angliæ.

Desiderio desideravi videre faciem vestram, et loqui vobiscum. Multum quidem propter me, sed maxime propter vos. Propter me, ut visa facie mea reduceretis ad memoriam servitia, quæ, dum agerem in obsequio vestro, exhibui vobis devote et fideliter juxta animi mei conscientiam. Sic Deus me adjuvet in examine ultimo, quando omnes astabimus ante tribunal ipsius, recepturi prout gesserimus in corpore, sive bonum sive malum. Et ut moveremini pietate super me, quem eportet mendicando vivere inter alienos, licet tamen, Dei gratia cum abundantia victualia ad sufficientiam habeamus. Estque nobis consolatio multa, quod dicit Apostolus : *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur.* et Propheta : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

Propter vos ex tribus causis. Tum quia dominus meus estis ; tum quia rex meus ; tum quia filius meus spritualis. Eo quod dominus, debeo vobis, et offero consilium meum et obsequium, quodcunque debet episcopus domino secundum honorem Dei et sanctæ Ecclesiæ. Eo quod rex, teneor ad reverentiam vobis et commonitionem. Eo quod filius, officii ratione ad castigationem teneor et coercitionem. Corripit enim pater filium, nunc blandis, nunc asperis, ut vel sic revocet eum ad benefaciendum. Nosse debetis vos Dei gratia regem esse. Primo, quia vos ipsum regem, vttamque vestram debetis optimis informare moribus, ut vestri exemplo cæteri provocentur ad melius, juxta illud Sapientis : *Componitur orbis regis ad exemplum.* Secundario alios, hos demulcendo, alios puniendo potestatis auctoritate, quam ab Ecclesia accepistis. tum sacramento unctionis, tum gladii officio, quem gestatis ad malefactores Ecclesiæ coercendos. Inunguntur enim reges tribus in locis : in capite, in pectore, in brachiis Quod significat, gloriam, scientiam, fortitudinem. Qui antiquis temporibus justificationes Dei non observabant, sed prævaricati sunt mandata ejus, his sublata est gloria, scientia, fortitudo, et eorum generationi ; exemplo Pharaonis, Saulis, Nabuchodonosor, Salomonis, aliorumque quamplurium. Qui vero post delictum suum cordis contritione humiliaverunt se Domino, his gratia Dei accessit cum omnibus supradictis abundantius et perfectius. Sicut David, Ezechiæ, aliisque quamplurimis.

Christus fundavit Ecclesiam, ejusque comparavit libertatem sanguine proprio, sustinendo flagella, sputa, clavos, mortis angustias, nobis relinquens exemplum, ut sequamur ejus vestigia. Unde et dicit Apostolus : *Si compatimur ei, et conregnabimus. Si commorimur, et conresurgemus.* Ecclesia enim Dei A in duobus constat ordinibus : clero et populo. In clero sunt apostoli, apostolici viri, episcopi, et cæteri doctores Ecclesiæ, quibus commissa est cura et regimen ipsius Ecclesiæ, qui tractare habent negotia ecclesiastica, ut totum redigatur ad salutem animarum. Unde et Petro dictum est, et in Petro aliis Ecclesiæ Dei rectoribus, non regibus, non principibus *Tu es Petrus, et super hunc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* In populo sunt reges, principes, duces, comites et aliæ potestates, qui sæcularia habent tractare negotia, ut totum perducant ad pacem et unitatem Ecclesiæ. Et quia certum est reges potestatem suam accipere ab Ecclesia, non ipsam ab illis, sed a Christo, ut salva pace vestra loquar, B non habetis episcopis præcipere, absolvere aliquem vel excommunicare, trahere clericos ad sæcularia examina, judicare de ecclesiis vel decimis, interdicere episcopis ne tractent causas de transgressione fidei vel juramenti, et multa in hunc modum, quæ scripta sunt inter consuetudines vestras, quas dicitis avitas. Dominus enim dicit : *Leges meas costodite.* Et iterum per prophetam : *Væ ! qui condunt leges iniquas, et scribentes scripserunt injustitias ut opprimerent pauperes in judicio, et vim facerent causæ humilium populi Dei.*

Audiat itaque dominus meus, si placet, consilium fidelis sui, commonitionem episcopi sui, et castigationem sui patris. Nec cum schismaticis aliquam de cætero habeat familiaritatem vel communionem, nec C cum eis aliquo modo contrahat. Notum est enim toti fere mundo, quam devote, quam honorifice dominum papam receperitis, quantum Romanam Ecclesiam foveritis et honoraveritis ; quantum etiam dominus papa et Romana Ecclesia personam vestram dilexerint, honoraverint, atque etiam in quibuscunque secundum Deum potuerunt, vos exaudiverint. Nolite ergo, domine, si salutem animæ desideratis, eidem Ecclesiæ, quod suum est, aliqua ratione subtrahere, seu in aliquo ei citra justitiam contraire. Imo eamdem ei permittatis in regno vestro habere libertatem, quam et in aliis regnis habere dignoscitur. Memorque sitis professionis quam fecistis, et posuistis scriptam super altare apud Westmonasterium, de servanda Ecclesiæ Dei libertate sua, quando consecratus estis et inunctus in D regem a prædecessore nostro. Ecclesiam etiam Cantuariensem, a qua promotionem et consecrationem accepistis, in eum statum restituatis et dignitatem, in quibus fuit temporibus prædecessorum vestrorum et nostrorum, possessionesque ad ipsam ecclesiam et nos pertinentes, villas, castella, et prædia, quæ pro voluntate vestra distribuistis, resque omnes ablatas, tam nostras, quam clericorum nostrorum, et laicorum, in integrum nobis restituatis. Permittatis etiam nobis, si placet, libere, et in pace, et cum omni securitate redire in sedem nostram officioque nostro libere uti, sicut debemus et ratio exigit. Et nos vobis, tanquam domino charissimo et

regi, fideliter et devote pro viribus nostris servire paratisumus,in quocunque potuerimus,salvo honore Dei et Ecclesiæ romanæ, et salvo ordine nostro. Alioquin pro certo sciatis,quia divinam severitatem et ultionem sentietis.

EPISTOLA CLXXX.

AD EUMDEM.

Domino suo et amico Henrico, Dei gratia illustri regi Anglorum, duci Northmanniæ, comiti Andegaviæ, et duci Aquitaniæ, Thomas eadem gratia Ecclesiæ Cantuariensis humilis minister, suus olim temporaliter, nunc autem multo magis in Domino, salutem,et veram cum emendatione pœnitentiam.

Exspectans exspectavi,ut intenderet vobis Dominus, et conversus ageretis pœnitentiam recedens a via perversa,et abscinderetis a vobis latera vestra prava, quorum, ut creditur, instinctu et consilio jam fere lapsi estis in profundum, sed vereor,quod absit ! ne in profundum illud de quo dicitur : *Peccator, cum venerit in profundum, contemnet*. Et licet huc usque frustra sustinuerimus, tacite considerantes, et exspectantes affectuosissime, si veniret nuntius, qui diceret : *Filius tuus rex, dominus tuus,jam diu dolo circumventus,tractus in perniciem Ecclesiæ,inspirante divina clementia in abundantia humilitatis magnæ festinat ad liberationem Ecclesiæ,ad omnem satisfactionem et emendationem* ; non tamen omnipotentem supplici devotione singulis diebus interpellare cessamus,ut quod diu voto celebravimus de vobis et pro vobis,celeri et fructuoso consequamur effectu. Et ecce inde est, quod Ecclesiæ, Cantuariensis,cui Deus nostrum sacerdotium, licet indignum, vobis res humanas hujus regni regentibus, ad præsens deputavit, nos cura constringit,eo maxime quod adhuc exsilii incommoditate detineamur, majestati vestræ commonitorias, exhortatorias, correptorias destinare, ne excessum vestrorum, si qui sunt, qui revera sunt unde non minimum dolemus, illorum maxime dico, qui circa Ecclesiam Dei, et personas ecclesiasticas a vobis passim nulla habita dignitatis seu personæ reverentia aguntur, nimius dissimulator existam, ne nimis negligens in animæ meæ discrimen appaream. Facientis proculdubio culpam habet, qui quod debet corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est : *Non solum qui mala faciunt,sed etiam qui consentiunt,participes judicantur*.Consentiunt quidem,qui cum possint et debeant, non resistunt, vel saltem redarguunt : *Error enim,cui non resistitur, approbatur* : *et veritas,cum minime defensatur, opprimitur.Nec caret occultæ societatis scrupulo,qui desinit obviare manifesto facinori*. Sicut enim serenissime princeps, parva civitas prærogativam regni præsentis non minuit, sic regia vestra potestas religiosæ dispensationis mensuram minime concutere debet vel mutare, Semper vero de jure effectum est, sacerdotali concilio de sacerdotibus judicia provenire Nam qualescunque pontifices, etsi errore humanitus accedente,non tamen contra religionem fidei

A ullatenus excedentes,nullatenus videntur a potestate sæculari posse vel debere percelli. Boni quidem et religiosi principis est, ecclesias contritas et conscissas restaurare, novasque ædificare, sacerdotes Dei honorare, et cum summa tueri reverentia, adinstar felicissimæ recordationis et pii principis Constantini,cum ad eum deferretur quæstio clericorum, dicentis : *Vos a nemine judicari potestis*, sæcularium scilicet judicum, *qui solius Dei judicio reservamini*. Et sanctos apostolos, eorumque successores, sub divina testatione constitutos, præcepisse legimus non debere persecutiones fieri, nec fluctuationes,nec invidere laborantibus in agro Dominico,nec a suis expelli sedibus æterni regis dispensatores. Quis enim dubitet sacerdotes Christi, B regum et principum,omniumque fidelium patres et magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse dignoscitur,si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum potestati suæ subjicere, a quo credere debet non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse et solvi ? Si rex bonus estis et Catholicus, et vultis esse,quod credimus,quodque magis optamus, ut salva pace vestra dixerim, filius estis Ecclesiæ, non præsul, discere vos convenit a sacerdotibus, non eos docere ; sequi vos convenit sacerdotes in ecclesiasticis, non eos præcedere.

Habetis potestatis vestræ privilegia, quæ administrandis legibus publicis a Deo consecutus estis,ut ejus beneficiis non ingratus contra dispositionem C cœlestis ordinis nihil usurpetis. Sed ut salubriori fruamini ingenio, his quæ contra eam malitioso ingenio et consilio magis forsitan quam animo vestro minus bene usurpatis,cum omni humilitate et multimoda satisfactione citissime cedatis, ne manus Altissimi adversum vos extenta mittat in vos,quasi ad signum, sagittas. Tetendit enim arcum suum Altissimus,ut sagittet in aperto vos nolentem pœnitere. Nec erubescatis, quidquid suggerant vobis maligni, quidquid submurmurent proditores, non vestri tantum,sed Dei,humiliari sub potenti manu Dei. Ipse quidem est,qui exaltat humiles, et superbos dejicit ; qui in suam et suorum ultionem aufert spiritum principum. Quoniam terribilis est : et quis resistet ei ? Non debuisset excidisse a memoria D vestra, in quo articulo vos Deus repererit, quamtumque promoverit, honoraverit, sublimaverit. in liberorum susceptione beatificaverit,soliumque regni vestri firmaverit,in invidiam omnium inimicorum vestrorum amplis possesionibus ditaverit,adeo ut hucusque cum admiratione omnes fere proclamaverint : *Hic est quem elegit Dominus*.

Et vos quid ei retribuetis,vel retribuere poteritis pro his omnibus, quæ vobis fecit ? An ad eorum instinctum et instantiam,qui circa vos persequuntur Ecclesiam virosque ecclesiasticos, et semper prout potuerunt sunt persecuti, reddetis mala pro bonis, oppressiones, tribulationes, injurias, afflictiones ecclesiis et ecclesiasticis personis ? Nonne

isti sunt, de quibus dicit Dominus ? *Qui vos odit, me odit. Qui vos spernit, me spernit, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Certe, etsi relictis omnibus, quæ possidetis, tollatis crucem vestram, et sequamini Dominum nostrum Jesum Christum, vix erit, aut non erit, ut fidelis et gratus acceptorum ab eo beneficiorum retributor appareatis. Inquirite Scripturas a scientibus, et invenietis quod Saul, licet electus fuerit a Domino, quoniam a viis ejus recessit, periit ipse, et domus ejus tota. Oziæ quoque regis Juda, cujus nomen late divulgatum est, et procul egressum propter crebras sibi a Domino collatas victorias, adeo cor elevatum est in suum interitum, eo quod ubique auxiliaretur ei Dominus, et corroborasset illum, ut spreta Domini reverentia usurpare sibi voluerit, quod sui officii non erat, sed sacerdotum, id est adolere incensum super altare Domini. Et ob hoc a Domino lepra percussus est, et per manus sacerdotum ejectus a templo Domini : et sic mansit usque ad diem mortis suæ, plenus lepra, ob quam ejectus fuerat e templo Domini. Multique alii reges, sancti viri immensarum divitiarum, quoniam ambulaverunt super se in mirabilibus mundi, præsumentes rebellare Deo, in suis mysteriis perierunt, et ad ultimum nihil divitiarum suarum invenerunt in manibus suis. Rex quoque Achaz, quoniam et ipse officium sacerdotale usurpavit, similiter a Domino lepra percussus est. Oza quoque, etsi rex non esset, quoniam arcam Domini tetigit, et tenuit nutantem ad præcipitium bobus recalcitrantibus, quia ad eum non pertinebat, sed ad templi ministros, indignatione divina percussus, juxta arcam Dei corruit mortuus. Rex, proverbialiter celebre est ; castigatus de alterius infortunio melius sibi prospicit. *Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet.* Ad sacerdotes, rex dilectissime, suos voluit Deus quæ Ecclesiæ suæ sunt disponenda pertinere, non ad potestates sæculi. Quas, si fideles sint. Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas Non vobis igitur vindicetis jus alienum et ministerium, quod alteri deputatum est, neque contra eum contendatis, a quo omnia sunt constituta, nec contra illius beneficia pugnare videamini, a quo vestram consecutus estis potestatem. Non a legibus publicis, non a sæculi potestatibus, sed a pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis clericos voluit ordinari et discuti. Christiani reges subdere debent exsecutiones suas ecclesiasticis præsulibus, non præferre. Scriptum quippe est nunquam de sacerdotibus nisi Ecclesiam judicare debere : nec esse humanarum legum de talibus ferre sententiam. Obsequi debere principes Christianis statutis Ecclesiæ, non suam potestatem præponere : episcopis caput principes subdere, non de episcopis judicare. Duo quippe sunt quibus principaliter regitur mundus : auctoritas sacra pontificis, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto et de ipsis regibus in divina sunt reddituri examine rationem. Nosse certe debueratis ex illorum

A vos debere pendere judicio, nos illos ad vestram posse redigi voluntatem. Plurimi namque pontificum alii reges, alii imperatores excommunicaverunt. Et si speciale aliquid de personis principum inquiratis, beatus Innocentius Arcadium imperatorem excommunicavit, quia consensit sanctum Joannem Chrysostomum a sua sede expelli. Sanctus etiam Ambrosius pro culpa, quæ aliis sacerdotibus non adeo videbatur gravis, Theodosium magnum imperatorem excommunicavit, et ab ecclesia ejecit. Qui tandem satisfactione condigna meruit absolvi. Et multa alia in hunc modum. David etiam cum adulterium et homicidium commisset, missus est ad eum propheta Nathan a Deo, ut eum redargueret et corrigeret. Correptus est, et citissime correctus. Rex enim,

B deposito diademate capitis sui abjectaque majestate imperiali, non erubuit humiliari ante faciem prophetæ, peccatum suum confiteri, veniam postulare de commisso. Quid plura ? Pœnitentia ductus misericordiam petivit, et obtinuit veniam.

Et vos, fili dilectissime, serenissime rex, reverendissime domine, ad exemplum excellentissimi David, regis piissimi, de quo dicit Dominus : *Inveni virum secundum cor meum*, corde contrito et humiliato convertimini ad Dominum Deum vestrum exactamque de excessibus vestris agite pœnitentiam. Corruistis enim et errastis in multis, quæ adhuc taceo, exspectans si forte inspiraverit vobis Dominus, ut dicatis cum propheta : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, quoniam*

C *multum tibi peccavi et malum coram te feci.* Juxta est enim Dominus his qui recto sunt corde et humiles spiritu salvabit. Hæc ad præsens, domine mi, vobis scribo, cætera silentio præteriens, exspectans donec videam, utrum sermo meus capiat in vobis ; si reportaverit mihi a vobis dignos fructus pœnitentiæ, et audiam a nuntiantibus, et congaudeam dicentibus : *Filius tuus rex mortuus fuerat, sed revixit. Perierat, et inventus est.* Quod si me non audieritis, qui solitus fui ante majestatem corporis Christi in abundantia lacrymarum et gemitibus non minimis orare pro vobis, certe ibidem clamabo contra vos. et dicam : Exsurge, Deus, judica causam tuam. Memor esto improperiorum tuorum, et injuriarum, quæ a rege Anglorum et suis tibi et tuis sunt tota die. Ne

D obliviscaris ignominiarum Ecclesiæ tuæ, quam tuo fundasti sanguine. Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum, qui effusus est. Vindica, Domine, servorum tuorum afflictiones, quarum infinitus est numerus. Superbia eorum, qui te et tuos oderunt et persequuntur, in tantum ascendit, ut ulterius non valeamus eos sustinere. Rex, quidquid agant vestri, hæc omnia de manibus vestris requirentur. Damnum enim dedisse videtur, qui causam damni dedit Ipse revera Filius Altissimi, ni resipueris, ni cessaveris ab infestatione ecclesiarum et clericorum, et nisi continueritis manus a conturbatione hominum, ad gemitus compeditorum, ad voces clamantium ad se veniet in virga furoris sui, quoniam

jam tempus est judicare adversum vos justitias in æquitate et severitate spiritus sui. Ipse enim novit auferre spiritum principum, et terribilis est apud reges terræ.

Non vobis hæc dicimus, ut faciem vestram confundamus, vel provocemus vos ad majorem indignationem et iram, sicut forsitan maligni, qui circa vos sunt, qui die et nocte insidiantur animæ vestræ, et nituntur avertere animum vestrum a nobis, pravis et iniquis suis suggestibus submurmurant. Det illis Deus secundum opera sua, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum. Sed ut vos reddam cautiorem ad provisionem animæ vestræ et curam, et ad vitandum periculum, quod jam in foribus est. Et quia nostra specialiter interest providere animæ vestræ, utpote cujus cura et sollicitudo nobis commissa est, cujusque reddituri sumus rationem in districto examine, hæc audite benigne et facite, et utimini servitio nostro, prout vobis placuerit, dummodo Deum non offendamus, nec operemur agendo vel dissimulando in dispendium animæ vestræ et nostræ. Quid enim vobis proderit totum mundum lucrari cum animæ vestræ periculo ? Attendite ubi sint imperatores, ubi reges et alii principes, ubi archiepiscopi et episcopi, qui nos præcesserunt. Ipsi quidem laboraverunt, et alii in eorum labores introierunt. Quid ulterius ? *Sic transit mundus, et ejus gloria. Memorare ergo novissima tua, et in æternum non peccabis.* Et si peccaveris, in vita pœnitebis. Valeat mihi chara gratia vestra, si in vera humilitate et festinata pœnitentia conversi fueritis ad Dominum Deum vestrum. Valeatis sic iterum et semper.

EPISTOLA CLXXXI.

AD EUMDEM.

Dilectissimo domino suo HENRICO, Dei gratia regi Anglorum, duci Normannorum et Aquitanorum, et comiti Andegaviæ, THOMAS eadem gratia sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis salutem, omnique tempore perseverare in bono, ac reniti viriliter suggestionibus malignis, et pravis quæ facile corrumpunt bonos.

Breviloquio utimur ad vos, ne in multitudine sermonis efficiamur amplius tædiosi : qui utinam essemus vobis magis accepti, sicut ad dominum nostrum dilectissimum. Novit hoc ille, qui scrutator est cordium, quidquid inimici nostri aliter ac falso murmurent ac susurrent ; et certe, ut verius dicam, magis vestri quam nostri. Hortamur vos itaque adhuc ex parte omnipotentis Dei, et in virtute Spiritus sancti adjuramus, et in remissionem peccatorum vestrorum a vobis requirimus gratiæ vestræ, et pacis veræ, et securitatis bonæ nobis et nostris sine malo ingenio restitutionem ; et similiter Ecclesiæ Cantuariensi in ea plenitudine et libertate, in qua eam melius et plenius habuerunt decessores nostri et nos, postquam facti sumus archiepiscopus : et possessionum, et ecclesiarum, et præbendarum ad eamdem ecclesiam pertinentium, quæ vacaverunt,

A postquam orta est dissensio ista inter vos et nos ; et similiter nostris, ut sub dominio vestro ita libere eis valeamus frui et uti, sicut melius et liberius usi sunt eis antecessores nostri, et nos post nostram promotionem ; et gaudere debeat Ecclesia de nostra reversione, quæ multis ex causis periculo animæ vestræ et nostræ, sicut credimus, tanto tempore caruit præsentia nostra, et dolere potuit de absentiæ incommodo. Hoc facite, benigne domine mi, et corde jucundo ac hilari, quatenus concedat vobis Deus, et hæredibus vestris, et restituat illam pacem, quam desiderat cor vestrum ad salutem animæ vestræ, et populi vobis commissi a Domino. Et nos pro certo parati sumus et erimus ad omne obsequium vestrum ferventius ac devotius, quam
B unquam ante fuerimus; dummodo non offendamus in Deum, neque in ordinem nostrum.

De mobilibus autem ablatis Ecclesiæ Cantuariensi, et nobis, et nostris, secure vobis affirmamus coram Deo et toto mundo, etiamsi præsens esset, quia nullo modo, nulla ratione dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si habuerit qui abstulit vel auferri fecit, unde restituat. Unde beatus Augustinus. *Si res ablata cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed simulatur.* Et alibi : *Illud fidentissime dixerim eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne ablata restituat, et eum qui ad se confugientem, quantum honeste poterit, ad restitutionem non compellit socium esse fraudis et criminis. Nam hujusmodi hominibus misericordius opem nostram*
C *subtrahimus, quam impendimus.* Hoc certum tenete, hoc verissimum esse, nulla ratione dubitate. Et si quis vobis in contrarium prædicaverit, etiamsi angelus de cœlo, anathema est, et sit, et erit, quandiu in hac sententia perseveraverit. Videte ergo, domine mi charissime, quomodo in hac parte caute ambuletis, ne detentio rei male acquisitæ, quæ non est nisi cinis et vermis, impellat vos, quod absit, in impœnitentiam, et subjiciat discrimini, quod a vobis purgari non potest, nec oratione, neque jejunio.

Præterea nosse debet vestra discretio, quoniam, etsi omnes episcopi sancti non sint, loca tamen sanctorum obtinent : qui, etsi vitæ merito non clarescant, esse tamen debent eorum imitatores, quatenus eis contulerit divina clementia. Inde igitur,
D quoniam sancti viri pro lege Dei sui certaverunt usque ad mortem, et a verbis ac minis persequentium se non timuerunt, ille enim amplius timendus est, qui potest animam et corpus mittere in gehennam, necesse habemus et nos, prout Deus nobis inspiraverit, leges suas custodire, fovere ac defendere. Nec hoc nobis imputandum ad superbiam vel malignitatem, sed ad nostri necessitatem officii. Sic enim ait Dominus : *Leges meas custodite.* Et iterum in Evangelio : *Si quis solverit unum de mandatis meis minimis, et docuerit sic homines, minimus erit in regno cælorum.* Satis credimus dictum esse sapienti, et idcirco postulamus a vobis, sicut a Domino charissimo, in nomine Domini nostri Jesu

Christi audiri et exaudiri benigne, quatenus audiat A et exaudiat vos Deus in districto examine, et recipiat inter electos suos, quando neque fortitudo, neque potentia, nec imperium, nec divitiæ, nec leges sæculares vel consuetudinem poterunt juvare quemquam, nec aliud quidquam, nisi divina clementia, et præcedentium operum fructus. Quod utinam omni die firmissime resideat animo vestro, nec unquam mentem vestram excidat. Hujus rei consiliarios libenter admittat, et audiat dominus meus, et exaudiat semper, ut benefaciat ei Deus, et augeat ei et ejus hæredibus vitam et pacem in tempora longa. Nec prætereant temporaliter impuniti, qui dolis suis et fraudibus exquisitis nisi sunt bonum domini mei propositum pervertere et perturbare, quod infra septem annos regni sui de exhibendo ho- B nore ecclesiis et ecclesiasticis viris multa, ut credimus, animi devotione conceperat. Valeat dominus meus in æternum. Et ut melius sit inde Ecclesiæ Dei et nobis, vivat in tempora longa.

EPISTOLA CLXXXII.

AD EUMDEM HEN. II.

Thomas Cantuariensem archiepiscopus Henrico regi Angliæ.

Regia potest meminisse nobilitas, quoniam vobis obtuli in præsentia domini regis Francorum, et plurimorum qui aderant, quod ad honorem Dei et vestrum paratus eram me ponere omnimo in misericordia Dei et vestra, ut sic pacem et gratiam vestram promererer. Non placuit vobis, domine, hæc forma verborum, nisi promitterem observationem C consuetudinum, quas antecessores nostri observaverant vestris. Concessi ergo quod ea servarem, quatenus possem salvo ordine meo, et si aliquid amplius vel expressius promittere scirem in Domino, paratus fui, et sum adhuc pro recuperanda gratia vestra. Et quod vobis nunquam libentius servivi, quam adhuc facere paratus sum. Et quia nondum placuit vobis ista recipere, supplico majestati vestræ, ut memineritis obsequiorum meorum, et beneficiorum, quæ mihi contulistis; quia ego memor sum me debere ex juramento servare vobis vitam et membra, et omnem honorem terrenum, et quidquid potero secundum Deum pro vobis, sicut pro charissimo domino, facere paratus sum. Et Deus scit, quod nunquam vobis libentius servivi, quam D facturus sum, si placuerit vobis. Valeat semper dominus meus.

EPISTOLA CLXXXIII.

AD EUMDEM. HEN. II.

Thomas Cantuariensis archiepiscopus regi Angliæ.

Novit inspector cordium, animarum judex, et vindex culparum Christus, in quanta animi puritate et sinceritate amoris vobiscum ferimus pacem, credentes quod simpliciter et bona fide nobiscum ageretur. Quid enim, serenissime domine, aliud concipere debebamus ex verbis vestris, quæ vel arguendo, vel mulcendo nobis vestræ benignitatis communicabat humanitas. Litteræ vestræ, quas ad dominum nostrum regem, filium vestrum, destinatis, ut nobis et nostris omnia, quæ habueramus antequam recederemus ab Anglia, restitueruntur, quid aliud quam benevolentiam, pacem et securitatem omnimodam prætendebant? Sed ecce, quod Deus novit, nobis pro honoris vestri periculo, quam pro utilitatis vestræ dispendio gravius reputamus, rerum exhibitio non simplicitatem prætendit aut bonam fidem. Nam restitutio, quam nobis et nostris fieri præcepistis, dilata est in diem decimum sub obtentu Ranulphi, quem consiliarii domini nostri, filii vestri, interim conveniendum, ut mandatum vestrum impleretur, censuerunt. Qui sint illi, et quomodo, et qua fide, res gesta sit, vos, cum placuerit, inquiretis. Nobis autem persuasum et hæc fieri in dispendium Ecclesiæ, et salutis vestræ et honoris, nisi diligentius corrigatur a vobis. Nam præfatus Ranulphus interim in bona Ecclesiæ debacchatur, et victualia nostra in castrum de Salwode etiam nunc palam congerit, et sicut accepimus ab his qui id vobis, si placuerit, probare parati sunt, multis audientibus gloriatus est, quod non diu gaudebimus de pace vestra, quia non comedemus panem integrum in Anglia, antequam ille, ut minatur, nobis auferat vitam. Scitis autem, serenissime domine, quia culpæ particeps est, qui cum possit corrigere, negligit emendare. Et quid præfatus Ranulphus possit, nisi vestræ voluntatis fretus et armatus sit auctoritate? Quid litteris domini regis filii vestri responderit super hoc negotio, scribentis ad ipsum, audiet et judicabit beneplacito suo discretio vestra. Et quia sicut nunc ex perspicuis apparet indiciis, S. Cantuariensis Ecclesia Britanniarium mater in Christo, perit odio capitis nostri: ne illa pereat, sed evadat, tam sæpe dicto Ranulpho, quam complicibus suis Ecclesiæ persecutoribus caput pro ipsa, Deo propitio, exponemus, parati pro Christo non modo mori, sed et mille mortes et omnia tormenta excipere, si ille per gratiam suam dignatus fuerit patientiæ largiri vires. Ad vos, domine, redire proposueram, sed me miserum ad miseram Ecclesiam necessitas trahit: ad illam vestra licentia et gratia rediturus, et fortasse ne illa pereat, periturus, nisi vestra pietas aliam nobis consolationem celerius præstare dignetur. Sed sive vivimus, sive morimur, vestri sumus, et erimus semper in Domino: et quidquid nobis contingat et nostris, benefaciat vobis Deus et liberis vestris.

EPISTOLA CLXXXVI.

AD EUMDEM.

Hoc petimus a domino nostro rege juxta mandatum et consilium domini papæ quod pro amore Dei et domini papæ et honore sanctæ Ecclesiæ ac salute sua et hæredum suorum, et nos recipiat in gratiam suam, et concedat nobis et omnibus qui nobiscum et pro nobis exierunt de regno, pacem suam et plenam securitatem de se et suis sine malo ingenio et reddat nobis Ecclesiam Cantuariensem in ea plenitudine et

libertate in qua eam melius habuimus, postquam facti sumus archiepiscopus,et possessiones omnes ad tenendum et habendum ita libere et quiete et honorifice, sicut Ecclesia et nos eas liberius et honorificentius tenuimus et habuimus,postquam promoti sumus et archiepiscopum ; et similiter nostris, et omnes ecclesias et præbendas ad archiepiscopatum pertinentes,quæ vacaverunt postquam exivimus de terra, ut faciamus de eis sicut de nostris, prout nobis placuerit, similiter habere permittat, et nos faciemus ei quidquid archiepiscopus debet regi et principi suo, salvo honore Dei et ordine suo.

EPISTOLA CLXXXV.

AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM.

Dilecto domino suo LUDOVICO,Dei gratia illustrissimo regi Francorum, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem et utriusque vitæ beatitudinem.

Susceptis et lectis vestræ sublimitatis litteris,manifesta percepimus vestræ liberalitatis et dilectionis erga nos indicia. Quanquam ut verum fateamur, ad obtinendum quæ sponte offertis,merita non præcesserint,scimus quidem et certi sumus quod propriæ ingenuitatis vestræ ductu plurimum nos dilexistis.Ipse,qui omnium bonorum est retributor, vobis retribuat ; et nos quidem pro facul te nostra parati sumus, et secundum Deum et secundum homines, omnibus quibus poterimus obsequiis vestræ benignitati respondere. Verum, cum semper vestram experti simus in nobis liberalitem, nunc tandem eam pleniorem et gratiorem comperimus,cum nos in desolatione nostra per litteras vestras visitare dignati fuistis ; et nobis,si opportuisset,vestræ consolationis refugium exposuistis.In verbo isto acquisiistis vobis si quid residum erat cordis nostri, et totum illud vobis obnoxium reddidistis, et spem nostram roborastis. Non est enim homo mortalis, præter dominum meum regem Angliæ, in quo magis confidamus quam in vobis, de bono et honore et subsidio,si nobis opportuerit,licet nunquam meruerimus. Verumtamen inter dominum meum regem et nos verbum actitatum est de pace, et speramus quod Deus inclinabit animum ejus et avertet vias ejus a nobis.Vos autem, si vobis placet,si contigerit cum eo loqui, arguite eum quod ipse unquam credidit aliquid sinistrum de homine qui tantum et tam fideliter ei servivit, et qui eum semper vero affectu dilexit, et cui ipse tantum honerem contulit. Vos autem, charissime domine,imperate nobis, si quid unquam ad honorem vestrum et placitum facere possimus,quia non est homo in mundo, qui libentius illud faceret quam nos.

EPISTOLA CLXXXVI

AD EUMDEM.

Domino suo LUDOVICO, illustri Francorum regi, THOMAS Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis salutem et cum obsequio dilectionem.

Ad vestræ serenitatis notitiam credimus perve-

A nisse, inter clerum et barones Angliæ, occasione quarumdam consuetudinum regis et regni, coram domino rege subortam fuisse contentionem.Cumque magna in nos et coepiscopos nostros eorum hac occasione succresceret indignatio, tandem, Deo propitiante, ita inter nos composuimus, quod pax utrinque reformata est, et domini regis gratia, qui ob hanc causam adversus nos aliquantulum motus fuerat,nobis in integrum restituta. Præterea, peccatis nostris exigentibus, majorem in nos domini regis indignationem excitavit fama quædam, quæ nos eum apud dominum papam et vos diffamasse nuntiavit et Ecclesiæ sanctæ persecutorem et oppressorem impie confinxit. Quod, domine, sublimitati vestræ satis notum est, si hoc de domino nostro
B rege vobis mandavimus ; et sicut nostis precamur ut nostram et nostrorum innocentiam erga dominum regem diligenter excusetis. Quia neque nos ista de domino nostro diximus,neque si aliqui forte dixerunt, auctoritatem iis præstamus. Quia neque verum est eum talem esse, neque videtur dici potuisse. Hoc etiam vos scire volumus, quod dominus rex, quantumcunque motus fuerit, non minus personis ecclesiasticis honorem et reverentiam exhibuit, nec occasione hujus indignationis in personas ipsas vel ecclesiasticas possessiones manum misit Si quid aliud vobis, domine, nuntiatum est,a veritate sciatis alienum, et, sicut supra dictum est, inter dominum regem et clerum suum nullam (Deo gratiam) superesse discordiam,sed sopita omnium
C controversia, pacem ex integro reformatam. Valete,

EPISTOLA CLXXXVII

AD EUMDEM.

Amantissimo domino suo LUDOVICO, Dei gratia illustri Francorum regi THOMAS, eadem gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, salutem ab eo qui dat salutem regibus.

Considerantibus nobis ex accidentibus statum vestrum et regni vestri tempore vestro præ alia felicis, magis ac magis in dies videtur retributor omnium bonorum Deus prosperare vias et actus vestros, dans etiam vobis semper per magnam misericordiam suam de inimicis vestris triumphare et
D vincere. Nec mirum, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et ecce, Domine in Christo charissime, fidelis vester abbas Pontiniacensis promotus est communi assensu cleri et populi in archiepiscopum Lugdunensis Ecclesiæ, consecratusque a domino papa die Dominica ante instans festum beati Laurentii apud Montem Pessulanum. De quo profecto confidimus per gratiam Dei,tanquam de charissimo amico nostro,quia ipse tum pro amore vestro, tum pro nostro semper quoad vixerit fidelis vobis erit, civitatemque suam et partes illas, sicut justum est, vobis et regno vestro pro viribus subjiciet et subjugabit. Bene valete in Christo, charissime.

EPISTOLA CLXXXVIII

AD MATHILDEM IMPERATRICEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, MATHILDI imperatrici.

Gratias agimus Deo, qui nobilitatem vestram insignibus virtutis magis illustravit quam generis: et quam sanguine clarissimam extulit in orbe Romano bonis operibus clarificare non desinit in mundo. Nam ab Oriente in Occidentem magnum est nomen vestrum in Domino, et eleemosynas vestras narrant ecclesiæ sanctorum. Quamvis enim Deo plurimum placeant subsidia temporalium, quæ ei erogatis in membris suis, ei tamen minus placere non credimus sollicitudinem pacis et libertatis ecclesiasticæ, quam tanto, ut fama est, zelatis affectu, ut cum Apostolo dicere valeatis: *Quis infirmatur, et* B *ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Unde nos, qui ratione humanitatis et beneficii vestri merito nos vobis obnoxios esse recolimus, pro salute vestra, et filii vestri gloria, temporali pariter ac æterna, de pace Ecclesiæ fiducialius loquimur in auribus vestris, rogantes attentius, et obsecrantes in Domino, quatenus eum diligentius conveniatis, ut ea devotionis sedulitate pacem procuret Ecclesiæ, qua sibi, hæredibus suis et terris suis per merita sanctorum pacem Dei desiderat procurari. Nam unde plurimum contristamur, divulgatum est ab Oriente usque in Occidentem, quod ecclesias regni sui intolerabiliter affligit, et exigit ab eis inaudita quædam et inconsueta. Quæ si quæsierint, quærere tamen non debuerunt antiqui reges. Potest autem C fieri, ut in tempore suo, cui multam Deus contulit sapientiam tanta afflictio utcunque valeat tolerari. Sed forsitan post dies ejus tales sunt regnaturi, qui devorare Ecclesiam cupient toto ore, et indurati cum Pharaone dicent: *Nescio Dominum, et Israel non dimittam.* Meminerit, quæsumus, ad preces et exhortationes vestras, quomodo eum extulerit Deus ultra titulos nobilium patrum, et ultra terminos majorum suorum, et præter eorum spem dilataverit terminos ejus. Quid proderit ei apud Dominum, si ad hæredes transmittat peccata sua, et quasi adversarios Dei et Ecclesiæ constituat in testamento? Quid prodest antecessoribus ejus modo, si iste sumpta occasione ex delictis eorum Deum quasi hæreditario jure offenderit? Aliis erat, serenissima, domina, Deus D placandus obsequiis, alia munera pro salute majorum et peccatorum redemptione offerri oportebat. Non placent Deo sacrificia de rapina, nisi forte Patri placere possit, ut ei Filius immoletur. Si resipuerit, Pater misericordiarum adhuc est promptus ad veniam: procul dubio judicium facturus sine misericordia in eos, qui non exercent misericordiam. Potens est, et potentes potenter punit. Terribilis, et aufert spiritum principum, ut fortioribus instet fortior cruciatus. Tetendit arcum suum, et paravit illum, et in eo posuit vasa mortis, jaculaturus in brevi, nisi sponsam suam, pro cujus amore mori dignatus est, liberam esse permiserint, et privilegiis A ac dignitatibus, quas sanguine suo ei comparavit in cruce, sustinuerint honorari. Debetis autem, si placet in eo revocando, et matris diligentiam adhibere et dominæ auctoritatem: ut quæ ei regnum et ducatum multis laboribus acquisistis, et ad eum hæreditaria successione jura transmisistis, quorum occasione nunc premitur et conculcatur Ecclesia, proscribuntur innocentes, et pauperes intolerabiliter affliguntur. Nos quod possumus pro salute vestra et illius, animo libenti facimus, Dei misericordiam precibus, quibus possumus, jugiter implorantes: fiducialiter oraturi, si pace ecclesiis reddita ad auctorem et benefactorem suum Deum prompta devotione redierit. Nec pudeat eum coram Deo humiliari per pœnitentiam, cum antiquis regibus, quorum memoria in benedictione est, nihil magis ad gloriam ascribatur, quam pœnitentiæ titulus, regis divinæ zelus, veneratio sacerdotii, et fidelissima virtutum custos humilitas. Talibus enim hostiis domini Ezechias, Josias, et Constantinus Domino placuerunt, et gloriam assecuti sunt apud homines a generatione in generationem.

EPISTOLA CLXXXIX

AD OWENUM REGEM WALLIÆ.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, OWENO regi Walliæ.

Gratias vobis plurimas referimus, quod inter bellorum discrimina, et hostilem inimicorum inquietationem, Ecclesiæ Dei, sicut ex litteris vestris didicimus, curam et diligentiam impendere non omittitis. Verum non mediocriter insedit animo illud, quod in litteris vestris legimus, videlicet ubi dictum est, quod ex jure non debeat nobis subjici ecclesia de Bangor, licet hoc ob dilectionem, qua vobis tenemur, dissimulemus. Quod autem postulastis, ut nostro assensu et licentia in ecclesia eadem ab alio quam a nobis episcopus consecretur, omnino non acquiescimus nec aliquando acquiescemus. Mittemus vobis nuntium nostrum, aut certe aliud, quod litteris modo nolumus commendare, sicut per præsentium latorem vobis mandamus. Interim autem vobis mandamus, ut per vestram diligentiam prædicta ecclesia, honoresque Ecclesiæ in pace permaneant, nec aliqua fiat electio, vel honorum Ecclesiæ transmutatio. Quod si fieret, nos in irritum ducemus.

EPISTOLA CXC

AD EUMDEM.

THOMAS Dei gratia archiepiscopus Cantuariensis, OWENO Wallensium principi, salutem, et ei devotum exhibere obsequium, cui servire regnare est.

Cui plura committuntur a Domino, ei tenetur de pluribus reddere rationem qui sicut fideliter obsequentes felici remuneratione glorificat, sic indevotos potenter horrenda nimis ultione percellit, ut cum afferatur deficienti solatium, tamen et miseriis non subsistant. Sed inter omnia quæ illi exhibentur obsequia nil gratiosius acceptat quam si sponsæ pro qua sanguinem fudit, debitus a fidelibus reddatur honor, et eum nil gravius punit quam si illa in con-

spectu ejus contumeliosis afficiatur injuriis. Hoc ex te ipso, dilecte fili, potes agnoscere, sciens quanta acerbitate mariti vindicent contumelias, si forte sub eorum aspectu conjugibus inferuntur. At Christi Domini tui quoniam fidelis es, sponsa est Ecclesia Bangorensis quæ, sicut nosti, jam fere decennio, proprio viduata pastore, machinationibus eorum, qui ei compati et providere debuerant super desolatione sua ante sponsi oculos lacrymabiliter ingemiscit. Unde quia te sincera charitate diligimus et honorem tuum in Domino cupimus promoveri, dilectioni tuæ rogando, consulendo et in remissionem peccatorum injungendo suademus, quatenus juxta mandatum domini papæ præfatam ecclesiam benigne patiaris debita pastoris provisione a tantis miseriis relevari. Nec contra hoc cujuscunque admittas consilium, ubi tantum periculum vertitur animarum. Si vero te cujuscunque clerici sive laici sive viri sive mulieris consilio quod ecclesiam secundum canones ordinari impediat obligasti, nos te ab illa seu promissione seu obligatione apostolica et nostra auctoritate absolvimus: prohibentes in periculo animæ tuæ ne illi quicunque sit contra salutem tuam de cætero acquiescas. Præterea mandamus quatenus litteras domini papæ quas supprimi fecisti, Ecclesiæ cui nituntur et nobis restituas; et clericum qui eas deferebat quem nos ab obligatione qua ipsum ne rediret arctasti absolvimus, ad nos ut debuit sine omni impedimento venire patiaris. Detulimus hactenus et deferimus tibi et tanquam dilecto filio ubi secundum Deum poterimus, deferre disponimus. Sed nisi apostolicis et nostris mandatis, præsertim in his, quæ ad salutem tuam pertinere noscuntur acquieveris, ulterius tibi deferre vel parcere non poterimus quin quæ Deus præcipit et apostolica sedes instanter injungit, sollicitius exsequamur.

EPISTOLA CXCI.

AD EUMDEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, OWENO Wallensium principi.

Novit inspector cordium et judex animarum quod honorem tuum et salutem sicut filii in Christo charissimi cujus cura nobis adeo injuncta est, sincera in Domino charitate diligimus et tibi desideramus et oramus summum bonum evenire sicut et nobis, et quanto nobis in te dilectio major est, tanto tibi quæ ad salutem tuam et honorem pertinent, studiosius intineamns. Recole ergo, fili, quanta bona fecerit tibi Dominus, et ei de honore de successibus quos tibi contulit condignas ipsius præeunte clementia gratias age, ut qui juventutem tuam et virilem ætatem consolatus est in adversis et erexit et direxit ad prospera, maturitatem tuam beato fine et exitu glorioso consummet et labores tuos quiete remuneret et gloria sempiterna. Deus enim est qui se glorificantes glorificat et contemptores suos reddit ignobiles. Scimus te virum esse discretum et qui boni et mali, æqui et iniqui præmia rationis libramine noveris ponderare et qui te crebra meditatione me-

A mineris moriturum; et ut rerum experientia docet, juvenes cito moriuntur et facile, sed impossibile est ut qui senes sunt, diu vivant. Ponamus autem ut senum contra morem vita diutius protendatur, certe vivendo deficiunt, et mors non intellecta sensim per universa membra corporis et sensus habetatiores obrepit. Nam

Singula de nobis anni prædantur euntes

et ipsas, quibus ante gaudebamus voluptates eripiunt. Sed cum omnium tam justorum quam peccatorum finis sit unus et communis interitus, horum tamen et illorum gravis in ipsa morte differentia est. Si quidem pretiosa est in conspectu Dei mors sanctorum ejus quæ de miseria exeuntes ad æternam traducit gloriam; mors autem peccatorum est pessima

B quæ prævaricatores legis impœnitentes trajicit in gehennam, ubi subter eos sternetur tinea, operimentum erunt vermes, et vermes quidem qui non moriuntur, sicut ignis non exstinguetur in sæcula. Quid ergo prodest, fili, si mundum lucretur quis universum quem vix ad momentum poterit retinere et hos cruciatus et præmia laborum animæ suæ acquirat. Quia vero te super omnes coætaneos tuos in gente tua extulit et honoravit misericors Dominus, in multa patientia te exspectans, et multis tam beneficiis quam periculis provocans, ad pœnitentiam nobilitatem tuam rogamus, monemus et exhortamur in Domino et in remissionem peccatorum tibi injungimus, quatenus apostolicum mandatum derelinquenda cognata tua et ordinatione Bangorensis Ec-

C clesiæ benignius audias et diligentius exsequaris, ut fructum obedientiæ, quam salubriter exoptas, tibi et semini tuo cumulet et multiplicet Deus et temporaliter et in æterna retributione justorum. Alioquin dimittere non poterimus quin illud prout nobis injunctum est, impleamus. Si cognatam tuam diligis, abundas opibus, quibus ei poteris utiliter et honeste providere: diligas ut cognatam, non ut uxorem, quia satis esse debet quod te Deus hactenus et Ecclesia ejus in tam manifesta culpa et multo scandalo et pernicioso exemplo sustinuit delinquentem. Amodo enim tantum scandalum non poterit sustineri, et necesse est ut ecclesia, suo diutius viduata pastore, proprium episcopum recipiat, qui, auctore Domino, salutem procuret animarum. Va-

D lete.

EPISTOLA CXCII.

AD MATHILDEM SICULORUM REGINAM.

Serenissimæ dominæ et in Christo charissimæ MATHILDI, illustri reginæ Siculorum, THOMAS divina dispensatione Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis salutem, et sic temporaliter regnare in Sicilia, ut cum angelis æternaliter exsultet in gloria.

Licet faciem vestram non noverimus, gloriam tamen non possumus ignorare, quam et generosi sanguinis illustrat claritas, et multarum magnarumque virtutum decorat titulus, et famæ celebritas numerosis præconiis reddit insignem. Sed inter cæteras virtutes, quas cum illis auditoribus gratanter ampleeti-

mur, liberalitati vestræ debemus, et qua nunc possumus devotione, gratias referimus ampliores, quæ coexsules nostros, proscriptos Christi, et consanguineos nostros, fugientes ad partes vestras a facie persecutoris, consolata est in tribulatione sua, quæ profecto magna pars veræ et Deo gratissimæ religionis est, si pro justitia patientibus clementia ferat solatium, si pauperibus opulentia suffragetur, si sanctorum necessitatibus absoluta potestatis communicet amplitudo. Talibus enim hostiis promeretur Deus, exhilarescit et dilatatur gloria temporalis, et omnium bonorum gratiosus conciliatur affectus. His meritis inter alios specialiter tamen promeruistis et nos, qui totum id quod sumus et possumus, ad vestrum devovemus obsequium. Cujus devotionis primitias, quas pro tempore potuimus, excellentiæ vestræ nuper obtulimus preces vestras apud regem Christianissimum promoventes, sicut perpendere potestis ex precibus ejus dilecto nostro illustri regi Siciliæ porrectis, et ex verbis venerabilis prioris Crispiniacensis, quem et eruditio litterarum, et vitæ sinceritas, et integritas famæ bonis omnibus amabilem et commendabilem reddunt. Est enim vir probatissimæ conversationis, sanæ doctrinæ, et quantum ad humanum spectat examen, perfectæ pro tempore sanctitatis, quem tanta reverentia a sublimitate vestra desideramus et petimus exaudiri, quanta totam Occidentalem Ecclesiam, si vestris pedibus assisteret, audiretis. Et hoc quidem tum pro suæ personæ reverentia, tum pro merito et auctoritate Cluniacensis Ecclesiæ, cujus procurat necessitates, quæ in orbe Latino dignoscitur a diebus patrum nostrorum in monastica religione perfectionis gloriam quasi propriam possedisse. In cæteris, quæ vobis ex parte nostra dixerit, ei, si placet, credatis ut nobis. Valete.

EPISTOLA CXCIII.

AD STEPHANUM CANCELLARIUM REGIS SICILIÆ.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, STEPHANO cancellario regis Siciliæ.

Probabile quidem est, quod vos pro salute et consolatione multorum in locum nobilitati vestræ et meritis congruum erexit Dominus, ut facultas rerum possit respondere virtuti, et voluntas nata, aut potius data a Domino, indigentibus subvenire, gratum sortiatur effectum. Ad vos itaque multi concurrunt, sed nullum sine consolatione audivimus redeuntem. Novus lucifer ab oriente resplendet in orbem occiduum, et suæ claritatis radios in auspicium publicæ felicitatis vibrat, et omnes contritos corde confortans persuadet instare tempora meliora. Sed nunquid Ecclesia Dei lætitiæ publicæ fructu sola privabitur? Nunquid frustrabitur spe sua, quæ vos aluit, pro qua majorum sanguine generosus, et propria virtute nobilis, pater vester se toties exposuit gladiis, et in confessione Christi, ut spes fidelium est, in pace consecutus est palmam martyrii? Verum inter omnes ecclesias sancta Cantuariensis magis affigitur, nec est dolor, sicut dolor ejus. Omnes amici ejus dereliquerunt eam: imo et persequuntur inter angustias. Si quis legis defensor est, regis censetur inimicus. Disperguntur, proscripti sumus. Crimen nostrum est assertio ecclesiasticæ libertatis. Eam namque profiteri, læsæ majestatis reatus sub persecutore nostro est. Ille enim solus fidelis creditur, cui religionis contemptus placet, qui divinam persequitur legem, cui grata est contumelia sacerdotum, qui carnificinas veterum tyrannorum velut justitiæ sacrarium veneratur. Quia mutire ausi sumus pro domo Domini, exsulamus cum omnibus cognatis et amicis nostris, quorum unus est filius sororis nostræ. Quem vestræ celsitudinis liberalitate, ubi necesse habuerit, tanto affectuosius petimus sublevari, quanto nos et alios, qui pro Domino patimur, justum est de nobilitate vestra spem concipere firmiorem. Rogamus etiam, ut eidem credatis in his, quæ vobis ex parte nostra dicet, et apud Ecclesiam Romanam causam Dei et nostram, si forte fuerit opportunum, promoveatis.

EPISTOLA CXCIV.

AD ROBERTUM COMITEM LEICESTRIÆ.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, dilecto in Christo filio, et amico, nobili viro ROBERTO comiti Leicestriæ, salutem cum benedictione.

Exspectabam litteras consolationis tuæ, tanquam amici charissimi, verba satisfactionis, tanquam devotissimi Ecclesiæ filii, et vere pœnitentis. Sed quia neque littera consolationem nuntiat, ne verba satisfactionem insinuant, affectu paterno reduco tibi delictum tuum ad animum, ut vel sic immissa tibi a Deo pœnitentia, excutiatur a te satisfactio ad animæ tuæ conferens salutem, quam, teste conscientia mea coram Deo loquor, opto tibi pariter ut et mihi. Habet mater tua Cantuariensis Ecclesia affectione materna queri de te, et cum principibus tuis. Habeo et ego pater tuus in Christo, sponsus illius qualiscunque. Primo, de illata nobis injuria. Secundo, de non revocata. Tertio, de pœnitentia morosa. Forte dissimulatis injuriam, non revocatis illatam, et quod periculosius est, unde magis doleo, tardius quam oporteat acceditis ad pœnitentiam, sine qua nemo nocens absolvitur. Rejecta filiali pietati itum est in viscera matris a filiis, nullo habito humanitatis intuitu, spreta etiam reverentia ac devotione, qua patribus tenentur filii, contra omnem juris formam, contra omnem ecclesiasticam auctoritatem, contra etiam ipsas suas ipsius regni consuetudines, quas dicunt avitas, quarum occasione perniciosa turbata sunt omnia; quarum incommoditatibus concussa est duriter, et ad tempus depressa libertas Ecclesiæ, quæ per Dei gratiam nullius ingenio poterit convelli; quarum angustiis Christo inferendo injuriam per dispendium Ecclesiæ itur in ruinam. Detracta sunt spolia patris, judicatus et condemnatus est pater a filiis, et cum iniquis deputatus. Estne auditum a sæculo, quod actum est temporibus istis in terra ista? Cantuariensem judicari, condemnari, cogi ad præstandam fidei jussionem, quem et aliquando pro-

scriptum injuste divina declaravit sententia, Tradita est revera terra in manus impiorum, quorum nondum completa est malitia. Commissa est enim eis virga Assur, virga furoris Domini, in correptionem et coercitionem clericorum, cujus quoque explecto officio, quod jam per misericordiam Dei quasi in limine est, verendum est, ne, quod absit, ira Domini in contrarium conversa, furore ipsius gravius accenso in suam et suorum ultionem injuriæ, conterat ipse Dominus et disperdat de civitate sua omnem operantem iniquitatem, pariter juvenem cum sene. Nec mirum. Non enim est hoc tempore qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quis unquam patrem et matrem afflixit contumeliis, injuriis affecit, addixit pœnis, et non incidit in maledictum, quod processit de ore Altissimi? *Qui maledixerit patri aut matri, sit ipse maledictus.* Et si hæc maledicti pœna, annon erit malefacti severior? Erit utique. Convertimini ergo, filii dilectissimi, celerem agite pænitentiam, ne, quod absit! ultio divina, quæ jam in januis est, irruat super vos et super filios vestros. Exciditne a memoria vestra, quod dicit Scriptura: *Ibunt in exterminationem usque in tertiam et quartam generationem, qui hæreditate quærunt sanctuarium Dei possidere?* Christus enim fundavit Ecclesiam, eique comparavit libertatem sanguine proprio. Quis ergo est qui hujus commercii pretium redigere quærat in servitutem, judicare alienum servum? Domino suo cadere debet, aut stare, Si vero huic morbo, ne veniat in gente periculum, cupitis subvenire, occurrite animæ vestræ periculo, saluti etiam serenissimi principis vestri et Domini consulite. Vobis forsan quærentibus de subveniendi modo, respondeo certe saluti principis et vestræ satis et prudenter esse consultum, si cum humili pænitentia, cum supplici satisfactione recesserit ab injuria Christi et Ecclesiæ. Sunt ista decentia principem, sunt et comparantia gratiam divinam, sunt et conversantia sibi honorem et generationi suæ. Sunt et verba ista plena humilitatis, et, ut arbitror, affectus ejus, quem regi suo debet, sacerdos, timens de proprio et principis sui periculo, optans ei salutem, quam et sibi, tum ratione beneficii tum officii necessitate. Valete.

Prætera nuntios nostros, si placet, benigne suscipe, andi benegnius, et cum ipsis negotium Dei et Ecclesiæ suæ in remissionem peccatorum tuorum, quatenus opportunius se tibi obtulerit, efficacius promove. Valete iterum, et semper.

EPISTOLA CXCV.

AD HUGONEM COMITEM.

THOMAS Cantuariensis archiepiscopus, HUGONI comiti.

Lectis charitatis vestræ sermonibus, canonicorum quoque litteris inspectis, quibus se liberalitatis vestræ quotidiana beneficia experiri attestabantur, adeo exhilaratus est spiritus meus, quod omnia interiora mea laudem germinaverunt, illum prosequens multiplicium gratiarum actione, de cujus munere venit tam fructuosa, tam salubris et præclara conversio vestra. Ista quippe vobismet in cœlis gloriam, nobis in spiritu lætitiam, sed et toti regno suavissimum exempli præstat odorem. Ita ut cæteri crucis Christi inimici, a vobis discere valeant, si velint, diaboli jugum excutere, et post nos currere in odorem unguentorum vestrorum. Inde etiam est, quod nos deinceps omni tempore vestro et vestrorum honori et profectui, favente Domino, studiosius intendemus, utpote qui in nostræ pacis initio, ante etiam quam terram ingrederemur, mandatum nostrum et consilium non minus magnifice, quam benigne consummastis, cæteris similiter faciendi vos ipsum præbens exemplar. Verumtamen non modicum nos arctat pro sacerdotibus illis inobedientibus tam vigens precum vestrarum instantia. Novit quippe discretio vestra, charissime fili, quia sicut humilis paupertas remuneranda est, ita superbia punienda. Clerici vero illi pauperes, sicut scribitis, quam coutumaciter, quam superbe inobedientes exstiterint et repugnaverint, attendatis, si placet, et vos ipsi, nec dubito, precibus denegabitis locum, si delinquentium pensetis excessum. Isti enim sunt, quia in manifesta inobedientia persistentes, in ipsum pugnaverunt Deum, mundo fecerunt scandalum et planctum. Insuper totum corpus Christi detestabili quadam exempli pernicie polluentes, qui, ut jam diximus, in manifesta inobedientia persistentes, corpus Christi conficere, et alia etiam divina celebrare præsumpserunt. Ad quod ministerium homines, etiamsi angelicam induerent puritatem, adhuc procul dubio forent indigni. Sed non pergimus nunc istorum exagitare flagitia, ne cogamur eorum exasperare supplicia. Et pro certo, nisi pro vestræ intercessionis mihi admodum acceptæ reverentia stetisset, infructuosæ arbores securi ad radices posita omnino succiderentur. Verum quos propria damnat in æternum iniquitas, postulationis vestræ gratia non modicam misericordiam consequentur. Sic tamen volumus eos manere, donec sicut speramus, proxime veniamus, et videamus vos in interdictorum absolutione vestra, quantum secundum Deum poterimus, desideria completuri. Huic vero præsentium bajulo ob reverentiam vestram, et dilectionem, quam charam habemus omnimodis, et acceptam, interim evangelizandi usum indulsimus, baptizandi quoque et tribuendi viaticum, si tamen id ultima mortalium cogat necessitas.

EPISTOLA CXCVI.

AD DILECTAM FILIAM SUAM IDONEAM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et sedis apostolicæ legatus, dilectæ filiæ suæ IDONEÆ, salutem, et perseverantem in virtute obedientiæ et justitiæ zelo vigorem.

Infirma mundi elegit Deus, ut fortia debellaret, intumescentemque contra Deum audaciam Holofornis viris deficientibus, ducibus exanimatis, et sacerdotibus fere deserentibus, legem feminæ virtus exstinxit. Esther electa est ut exsulantis et condemnatæ Ecclesiæ salutem procuraret, titubantibus apo-

stolis, fugientibusque, et quod magis est, in perfidiam lapsis, Dominum passioni addictum sanctæ prosecutæ sunt mulieres, et quod amplioris est fidei manifestum, indicium, etiam mortuo sunt fideliter obsecutæ. Unde et meruerunt angelorum visu et alloquio confortari, et percipere Dominicæ resurrectionis primitias, et latentibus discipulis et fere desperatione submersis, Redemptoris gloriam et Evangelii gratiam nuntiare. Speramus autem te in illarum Deo auctore transituram esse consortium, quarum Christi zelo succensa apprehendis exemplum; quia spiritus charitatis, qui a corde tuo timorem expulit, per gratiam suam faciet, ut, tibi, licet ardua videantur, quæ necessitas Ecclesiæ fieri constantius et instantius exigit, non modo possibilia, sed et facilia sint credenti. Hac ergo de fervore, quem habes in domino, spe concepta, tibi mandamus, et in remissionem peccatorum injungimus, quatenus litteras domini papæ, quas tibi mittimus, venerabili fratri nostro Rogerio Eboracensi archiepiscopo tradas, si fieri potest, præsentibus fratribus, et coepiscopis nostris; aut si eos præsentes habere nequiveris, hoc ipsum facias in præsentia eorum, quos adesse contigerit. Et ne originale scriptum possit aliqua tergiversatione supprimi, transcriptum ejus legendum circumstantibus tradas, et eis, prout plenius te nuntius instruet, mentem aperias litterarum. Labori tuo, filia, præmium grande proponitur remissio peccatorum, fructus immarcessibilis, et corona gloriæ, quam tandem beatæ peccatrices, Magdalena et Ægyptiaca deletis totius anteactæ vitæ maculis, a Christo Domino receperunt. Aderit tibi mater misericordiæ, filium, quem pro mundi salute edidit, Deum et hominem rogatura, ut tui sit dux, comes, et patronus itineris. Et qui inferni claustra dirumpens dæmonum contrivit potestatem, licentiam coarctavit, ne tibi nocere valeant, manus cohibeat impiorum. Vale sponsa Christi, et eum cogites semper esse præsentem.

EPISTOLA CXCVII.

AD COMIT. WAREN.

T. Dei gratia Cant. arch. Anglorum primas et apostolicæ sedis legatus, dilectæ filiæ ME. comitissæ Warenne, salutem.

Pervenit ad aures nostras religiosorum fratrum Lewensis Ecclesiæ monachorum stupenda querimonia, quod cum ipsi ex antiqua donatione comitum Warenne videlicet avi et patris Willelmi viri tui et sui ipsius etiam antequam dotem tuam consecuta fuisses, de omnibus dominiis comitis decimationem denariorum semper inconcusse tanquam ecclesiæ suæ dotem possederint, tu post perceptam dotis tuæ investituram iisdem fratribus ipsam decimationem quæ ad dotem tuam spectabat subtraxeris. Quod si ita est, vehementer admiramur, cum eorum quæ Deo et Ecclesiæ suæ in eleemosynam collata esse noscuntur, nihil doti tuæ vindicare debeas nec possis. Crudele enim est et sacrilegio proximum quod super divinum altare semel devote oblatum est, iterum repetere, et ad sæcularia transferre. Proinde tibi salubriter consulimus et in Domino admonemus quatenus, sicut vis jus tuum tibi a Deo libere conservari, ita jus suum cum integritate monachis relinquas et nullatenus datam iis denariorum decimationem dotis tuæ retineas. Alioquin iis in justitia deesse non poterimus cujus debitores omnibus existimus.

VARIORUM AD S. THOMAM EPISTOLÆ ET ALIOS.

EPISTOLÆ CXCVIII-CCCXIX.

ALEXANDRI PAPÆ III ad S. Thomam, ad Cantuarienses, ad Rogerium Eboracensem, ad Henricum Remensem, ad Rotrodum Rothomagensem, ad Willelmum Senonensem, ad Turonensem episcopum, ad episcopos et clericos Angliæ, ad Joannem decanum Aurelianensem, ad Aversanum episcopum, ad Bangorensem clerum et populum, ad Hugonem Dunelmensem, ad Robertum Herefordensem, ad Gilbertum Londoniensem, ad Stephanum Meldensem, ad Bernardum Nivernensem, ad Jocelinum Saresberiensem, ad Trecensem episcopum, ad Rogerium Wigorniensem, ad Clerembaldum S. Augustini electum et monachum, ad abbatem et fratres Pontiniacenses, ad Cistercienses, ad abbatem de Claromarisco, ad Simonem priorem de Monte Dei et Bernardum de Corilo, ad Henricum regem Angliæ, ad Ludovicum regem Franciæ, ad regem Scotiæ, ad comitem Henricum, ad Philippum comitem Flandriæ, ad R, filium Henrici, ad Joannem Cumin,

(*Vide in* ALEXANDRO III *ad annum* 1181).

EPISTOLA CCCXX,

ROTRODI ROTOMAGENSIS, ARCHIEP. AD HENRICUM PRESBYT. CARDINALEM

ROTRODUS Rothomagensis archiepiscopus, HENRICO presbytero-cardinali.

Pro domino rege Anglorum omnem exhibemus securitatem, quob imperatori nec per se, nec per nuntios juramentum præstitit aut promissionem, quod schismatico adhærere velit, ecclesiam relicturus: imo certi sumus quod in illis qualibuscunque de matrimonio pactionibus, licet Teutonici super hoc laborarent per triduum, nihil unquam conce-

dere voluit, nisi præeunte in omnibus fidelitate domini papæ, et ecclesiæ, et regis Franciæ. Ipsi vero litteris vestris mandavimus domina imperatrix et nos, ut ab hac nota quam citius se excuset. Nos quidem cum Rothomagi essemus, et illic essent nuntii imperatoris, de illis audivimus, sed eos non vidimus. Domina imperatrix, cum eam videre summopere requirerent, respondit quod propter episcopos non auderet. Nec eam viderunt. De ea nulla apud vos habeatur dubitatio, quod aliquo modo vacillaverit. Imo fortitudine accincta de hujusmodi verbis satis admiratur. Nuntium, quem ad nos direxistis, ad eam dereximus : ipse vobis referet quæ audivit. Postquam autem nuntii domini regis ab imperatore reversi fuerint, omnem rerum veritatem sollicite inquisitam vobis significare non differemus. Ex verborum tenore perpendere potestis dictorum falsitatem, quia quinquaginta episcopos, quos exhiberet, rex non habet. Nos vero detrimentum Ecclesiæ nec sustinere, quantum in nobis est, possemus, nec videre. Super his domino papæ, quod vobis videbitur, significabitis.

EPISTOLA CCCXXI.

EJUSDEM AD REGEM ANGLIÆ.

ROTRODUS Rothomagensis archiepiscopus, regi Angliæ.

Formam verberam, quam reliquistis, nobis, a legatis nequivimus impetrare propter determinationes, quæ tam a vobis, quam ab ipsis hinc inde multiplices et ambiguæ ponebantur, Eos autem abrupte, et sine spe pacis recedere, nec honori vestro nec utilitati congruere videbatur. Cum igitur inter nos plurima tractarentur, verbum incidit, in quo dignitati vestræ et honori vestro non derogatur in aliquo. Nec Cantuariensi aliqua in futurum litigii materia comparatur. Est autem verbum hujusmodi, ut concedatis pro amore Dei et domini papæ archiepiecopum redire in Angliam, et archiepiscopatum suum ita integre habere faciatis, sicut habuit antequam exiret, et illis qui cum eo vel propter eum egressi sunt similiter sua. Placuit autem nobis brevitas et simplicitas hujus verbi, quia nullis artibus aut suspicionibus videbatur involutum. Unde vobis consulimus et laudamus, ut vestrum ad hoc accommodare non dubitetis assensum.

EPISTOLA CCCXXII.

EJUSDEM AD ALEXANDRUM PAPAM.

ALEXANDRO papæ, ROTRODUS Rothomagensis archiepiscopus.

Evocati a domino nostro rege, etc. *Vide in Alexandro III.*

EPISTOLA CCCXXIII.

EJUSDEM AD THOMAM CANTUAR.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo ROTRODUS Rothomagensis archiepiscopus.

Scimus prudentiæ vestræ notum esse, quod melior est obedientia, quam victimæ, et quod idololatriæ scelus est nolle acquiescere, ei præsertim, cui debetur omnis obedientia in Ecclesia præsenti. Et qui cogendi habet potestatem dominus papa, nobis et venerabili fratri Nostro Nivernensi episcopo certam præscripsit formam, juxta quam absolveremus venerabilem fratrem nostrum Londoniensem episcopum. Et mandato additum est, quod si uterque nostrum adesse non posset, alter nihilominus ab eo requisitus eum absolveret. Nos itaque requisiti ab eo die Paschæ, juxta formam mandati eum absolvimus auctoritate domini papæ vobis injungentes, quatenus hoc ita penes vos secretum observetur, sicut ex rescripto litterarum domini papæ, quod vobis mittimus, discretioni vestræ manifestius apparebit. Valete.

EPISTOLA CCCXXIV.

WILLELMI SENONENSIS AD REGEM ANGLIÆ.

WILLELMUS Senonensis archiepiscopus, regi Angliæ,

Significavit nobis vestra serenitas, ut nuntiis domini papæ absque juratoria cautione excommunicatos absolvere de consilio nostro liceret. Nos autem nec a domino papa super hoc auctoritatem habemus, nec ipsis consulere audemus, ut mandatum domini papæ transgrediantur, vel ut contra consuetudinem Romanæ Ecclesiæ in aliquo negotio procedant. Salva gratia sua, ipsi in nos culpam refundere non debuerant, qui mentem domini papæ plenius cognoverunt. Nos enim nobis succedere judicamus, si honorem vestrum in aliquo promovere, vel utilitatem procurare valeamus.

EPISTOLA CCCXXV.

EJUSDEM AD GRATIANUM ET VIVIANUM.

WILLELMUS Senonensis archiepiscopus, GRATIANO, et VIVIANO legatis.

In admirationem ducimur non modicam, quod omnus quæstionis, quæ super excommunicatorum absolutione vertitur, ita in nos transfundere voluistis, quod sicut ex tenore litterarum domini regis Angliæ accepimus, sub umbra consilii nostri eidem regi proposueritis, vos posse a nota transgressionis excusari. Non enim in eo debuistis in nos culpam refundere, in quo nostram nemo valet incrustare sinceritatem. Verum quia in tam intima devotione et vinculo adeo indissolubili domino papæ et Ecclesiæ Romanæ astricti sumus, ut nec sentire, nec quidquam consulere debeamus, ex quo Ecclesiæ honori derogari, vel opinionis suæ integritas violari videatur, discretioni vestræ nihil aliud audemus respondere, nisi quod nec fines mandati domini papæ transgrediamini, nec in præsenti articulo quidquam velitis statuere, quod ecclesiasticæ sanctioni, et Ecclesiæ Romanæ, imo generali totius Ecclesiæ consuetudini videatur refragari, vel ad perniciosi exempli consequentiam in posterum valeat derivari, nisi forte aliud ex voluntate domini Cantuariensis acceperitis. Angelus consilii et fortitudinis sit vobiscum.

EPISTOLA CCCXXVI.

EJUSDEM AD ALEX. PAPAM.

Alexandro papæ, Willelmus Senonensis archiepiscopus.

Adhuc, Pater, pietati vestræ, etc. *Vide in Alexandro.*

EPISTOLA CCCXXVII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Alexandro papæ, Willelmus Senonensis archiepiscopus.

Scelerum mater impunitas, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXVIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Domino papæ, archiepiscopus Senonensis, salutem et omnem cum summa devotione obedientiam.

Qualiter in secundo regum collequio, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXIX.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Alexandro papæ, Willelmus Senonensis archiepiscopus.

Audiat, sanctissime Pater, etc. *Vide ibid*

EPISTOLA CCCXXX.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Alexandro summo pontifici, Senonensis Ecclesiæ minister humilis, spiritum consilii et fortitudinis cum omni obedientiæ famulatu.

Inter scribendum hæc, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Sanctissimo domino ac Patri Alexandro, Dei gratia summo pontifici, Willelmus Senonensis Ecclesiæ humilis minister, salutem et debitam cum omni devotione obedientiam.

Vestro apostolatui, Pater sancte, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXII.

MATTHÆI SENONENSIS THESAURARII AD EUMDEM.

Alexandro papæ, Matthæus Senonensis thesaurarius.

Omnis quidem fidelis anima necessitate juris subjicitur apostolicæ majestati, etc. *Vide in Alexandro III ad an.* 1181.

EPISTOLA CCCXXXIII.

PETRI CELLENSIS POSTEA ABBATIS S. REMIGII AD THOMAM CANCELLARIUM.

Domino et amico suo charissimo Thomæ cancellario regis Angliæ, frater Petrus Cellensium abbas, se et sua.

Quem fortuna non extollit propria, magis pro humilitate quam pro sublimitate est admirandus. Gloria vobis cum prosperitate (ut accepi ab his qui viderunt et noverunt) ambitiosius quam contentiosius contendit; nec confundit aliquando superata, nec unquam insolescit de victoria. Crediti gloria prosperitati, sed gloriosæ sed prosperæ. Quælibet obtineat, humilitatem seu moderationem non am-

A putat. Gloria accedit sed non superbia; prosperitatis venit sed non effusa. Inde est quod de nulle tantæ sublimitatis ad latibulum nostræ paupertatis misistis quia venire non potuistis. Rogastis de familiaritate et amicitia. Quod rogastis si admitteretur, admirationi procul dubio habendum esset pro rogantis et rogati fortuna. Quæ enim proportionalitatis habitudo inter abbatem Cellensem et cancellarium regis Angliæ? Pene non est comparatio, ubi non est existimationis adaptatio. Secundum post regem in quatuor regnis quis te ignorat? Primum in miseriis fratrum nostrorm quis me non reputat? Dicam de compendio quia quantum de vobis excellentiora, tantum de me sentio et scio viliora. Nullo ergo modo ad ingressum amicitiæ manum B porrigo. Sed si vel de grege accidentalium amicorum fuero, bene mecum fecisse dignationem vestram æstimabo. Primitias autem illas non mitto, quiam ampliorem gratiam facere propero. Non habebam sermones illos magistri G. sed quæro: et statim scriptorem cum omni instantia huic operi ad opus vestrum designo. Vale.

EPISTOLA CCCXXXIV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Domino et Patri charissimo Thomæ archiepiscopo Cantuariensi et apostolicæ sedis legato, F. Petrus Cellensis qualiscunque minister, se ipsum.

Facti sumus sicut consolati in consolatione sanctitatis vestræ tam affectuosa, tam pia, tam plena dulcedine et charitate. Reddat vobis Spiritus Para- C cletus consolationem suam, qua misericorditer respicere voluistis desolationem nostram. Suscitavit siquidem corda nostra etsi non emortua, jam tamen elanguida susceptio litterarum vestrarum Dominis et amicis nostris hanc vestram dignationem et consolationem ostendimus, et in spe divina et consilio eorum, martyrem vestrum peregrinari ad vos destinavimus. Excipite illum: et quia vix in terra sua habet ubi reclinet caput suum, interim sub umbraculo vestro militet, et stipendia ad nos condigna reportet. Confidimus equidem in bonitate Dei et in liberalitate animi vestri, quam jam prægustavimus, quia quamvis in baculo suo transeat mare vestrum tamen sit rediturus in turmis multarum benedictionum. Discretioni sanctitatis vestræ fratres nostros D et nuntios disponendos committimus. Dominum quoque et confratrem in omni oratione et beneficio omnium nostrorum vos annumeramus. Valete.

EPISTOLA CCCXXXV.

AD EUMDEM.

Domino et Patri charissimo Thomæ venerabili Cantuariensi archiepiscopo, F. Petrus abbas S. Remigii, ex toto corde devotissimam salutem.

Sollicito revolvens animo quam potius materiam assumam, cum vobis scribere volo, vix occurrit: non deficiente quid dicatur, sed reverentia ejus comprimente manum cui dicatur. Nihil enim dignum vestri animi fortitudine dicere possum: nihil addere

constantissimæ tolerantiæ vestræ: nihil denique docere omnia a longe prospicientem atque fines rerum et causarum futurarum plenissime demetientem animum. Feni atque palearum acervum utquid anteponerem præsepio cui adhæret vos adipe et pinguedine opulentissima saginatus et satiatus? Equidem hoc unum mihi ad ministerium aliquod impendendum in obsequio vestro non indigne reservatum reperio, si muscas abigere possem vestram sanctitatem oblatratione invidiosa pungere volentes, vel saltem interpretatione perversa denigrare sinceritatem fidei vestræ insistentes. Planæ muscæ istæ morientes quæ in Ægypto abundantes Pharaonem regem Ægypti tanquam virum muscarum circumdant, Domino opitulante non perdent suavitatem unguenti. Servabitur namque in diem sepulturæ Jesu, et prædicabitur in generatione et generatione quod archiepiscopus Cantuariensis murum se opponens pro domo Israel vestigia sanctorum antiquorum imitatur, dum Christum in cruce nudum pendentem nudus sequitur. Quo modo igitur cum Abraham potero abigere easdem mucas contaminare volentes ilibatum Domini sacrificium, nisi facto ventilabro de authenticis scripturis quo vel feriantur vel saltem effugentur? Dicunt enim, non debet archiepiscopus tam instanter sua repetere a rege Angliæ ut dimittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia. Falluntur specie veri vel adulatione falsi. Qui specie veri decipiuntur, instruendi sunt: qui adulatione falsi, repellendi. Simplicitas enim revocanda est; malitia prorsus abjicienda. Certe pensandum est in omni tam contractu quam actu quid propter quid faciendum vel quid dimittendum sit. Pensanda etiam sunt tempora et diversi status temporum, secundum quos mutantur merita causarum. Nam in primitiva Ecclesia sola patientia locum habuit ut auferentis tunicam dimitteretur et pallium. Alius enim erat et alibi, id est extra Ecclesiam qui persequebatur: alius et alibi, id est intra Ecclesiam qui patiebatur. Modo vero jam adulta Ecclesia, non licet filiis Ecclesiæ quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, sicut decuit pupillo tolerare adversarium. Distinctus namque sapphiris legitur venter sponsi; ut quemadmodum ante passionem suam dixerat Jesus: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: et similia; sic in passione dicat apostolis: *Qui non habet gladium vendat tunicam, et emat.* Verba quidem bona, verba consolatoria non immerito exigeret causa justa in oculis Dei, in oculis autem insipientium dubia et infirma; nisi virtus patientiæ omnem transcenderet consolationem; et plus gauderetis de consolatione quam malleus feriens proficeret de percussione. Ferrum ferro acuitur et de malitia regis Angliæ virtus vestra invincibilis clarius illustratur. Quod fortius premit oliva torcular, eo profusius oleum producit. Candelabrum ductile de auro purissimo non facit Beseleel in tabernaculo Domini nisi productis laminis contritione limi et mallei. Nondum contritus est malleus universæ terræ; adhuc necessarius est ut suppleat quæ desunt passionum Christi in corpore vestro. Sed quem moneo? quem exhortor? cui calcaria adhibeo? sine dubio qui freno indiget: qui paratus est plus ambulare quam via extendatur; qui etiam metas velociter transcurrere nullis retardatur periculis. Procul enim odoratur bellum. Exsilium reputat patriam; quia *omne solum forti patria est.* Sine labore laborat, sine fame esurit; sine dolore patitur, sine amaritudine felle et absynthio cibatur. Vir est in millibus unus. Cum gigantes gemunt sub aquis, ipse ridet et irridet fortunam cum inversione rotæ suæ. Vale.

EPISTOLA CCCXXXVI.

EJUSDEM AD ALEXANDRUM PAPAM.

ALEXANDRO papæ, PETRUS abbas sancti Remigii.

Stylum cohibere poterat apostolicæ contemplatio majestatis, etc. *Vide in Alexandro.*

EPISTOLA CCCXXXVII.

C. LANTONIENSIS PRESBYTERI AD ALEXANDRUM PAPAM.

ALEXANDRO summo pontifici domino reventissimo et Patri suo sanctissimo, C. Lantoniensis Ecclesiæ presbyter, salutem et debitam in omnibus obedientiam.

Scriptum est: *Simplicitas justorum*, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXVIII.

SIMONIS PRIORIS DE MONTE DEI ET ENGELBERTI PRIORIS DE VALLE S. PETRI AD ALEX. PAPAM.

ALEXANDRO papæ, SIMON prior de Monte Dei, et ENGELBERTUS prior de valle S. Petri.

Ad illustrem regem Angliæ cum fratre Bernardo de Corilo nuper profecti sumus, etc. *Vide in Alexandro*

EPISTOLA CCCXXXIX

EORUMDEM AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ, SIMON prior de Monte Dei, et ENGELBERTUS prior de valle S. Petri.

Juxta mandatum sanctitatis vestræ; etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXL.

EJUSDEM AD ALBERTUM CARDINALEM.

ALBERTO cardinali, SIMON prior de Monte Dei.

Desiderio desideravimus ego et fratres nostri aliquid audire de vobis, sed divinitus a multo tempore nobis subtracta est consolatio ista. Erit autem maximi instar muneris, si placuerit ut sollicitudinem nostram de statu vestro certificetis. Admodum namque desideravimus prosperum eventum vestræ legationis audire. Noster autem est, qualem consuevistis audire. peccatores enim sumus, et utinam condignos fructus pœnitentiæ Deo per gratiam ejus potius, quam per merita nostra valeamus offerre. De cætero dilectioni vestræ supplicamus attentius, quatenus domino Cantuariensi, quem constat pro justitia exsulare, auxilium et consilium impendatis. Quia, sicut præsente domino rege Francorum, et

omnibus qui colloquio interfuerunt, rex Angliæ confessus est, quod hæc sola causa est exsilii et proscriptionis ejus, quod consuetudines noluit absolute promittere, quas justitiæ Dei et Ecclesiæ libertati constat esse contrarias. Præterea gloriatur idem rex se privilegium habere a domino papa, quo potestas domini Cantuariensis suspensa est, quandiu rex ei voluerit subtrahere gratiam suam. Valete.

EPITTOLA CCCXLI.

A. SANCTÆ OSITÆ MINISTRI AD ALEX. PAPAM

Domino et Patri reverendo ALEXANDRO summo pontifici, A. Ecclesiæ sanctæ Osithæ minister humilis, sinceræ orationis affectum et debitæ subjectionis obedientiam.

Nonne, Pater semper diligende, etc. *Vide in Alexandro.*

EPITTOLA CCCXLII.

ABBATIS RAMESIENSIS AD ALEXANDRUM PAPAM.

ALEXANDRO papæ, abbas Ramesiensis.

Quoties optimis viris testimonia deferuntur, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXLIII.

WILLELMI RAMESIENSIS AD ALEXANDRUM PAPAM.

Domino et reverendo patri ALEXANDRO Dei gratia sanctæ apostolicæ atque catholicæ Ecclesiæ summo pontifici, frater WILLELMUS sancti Benedicti Ramesiensis Ecclesiæ servus indignus, obedientiam cum debita reverentia.

Quantis tribulationibus Ecclesia Dei primitiva etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXLIV.

NICOLAI DE MONTE ROTHOMAGENSI AD THOMAM CANTUARIENSEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, frater NICOLAUS de Monte Rothomagensi.

Super negotio vestro nos minus fuisse sollicitos, quia nodum a nostra parvitate litteras accepistis, minime, si placet, vestræ paternitatis arbitretur magnitudo. Nihil enim eo usque scribendum æstimavimus, quod vestram condeceret audire sactitatem. Satis enim etiam apud vos credimus esse cognitum, puerum qui regi litteras tradidit, in arcto fuisse positum, digitis ad oculos eruendos appositis usque ad effusionem sanguinis, et aqua calida per os injecta, donec confiteretur se litteras a magistro Herberto accepisse. Sed necdum a vinculis absolvitur, cum tamen rex a matre mandatum acceperit, ut abire permitteretur. In octava autem, ut accepimus, sancti Martini rex et comes Theobaldus Turonis habebant collocutionem. In festo vero sancti Andreæ venturus est ad nos, ut una cum Flandrensibus colloquatur. Sed et hoc de Anglia accepimus, quod Lincolniensis episc. et comes Gaufridus debitum carnis persolverint. Dicitur quoque quod Ricardus de Luci jam, ut Hierosolymam vadat, signum sibi crucis imposuerit.

De cætero pro certo sciatis, quod nullus apparet, qui coram rege de vobis vel unam verbum audeat proferre. Sigillum suum a magistro Walthero, quia puerum, qui litteras attulerat, non retinuit, abstulit: quod postea tamen archidiacono reddidit. Archidiaconus autem coram domino Rothomagensi, et pluribus aliis dicens se missurum nuntium ad vos in Assumptione beatæ Mariæ virginis appellavit. De mandato vero domini papæ super rege conveniendo dominus Rothomagensis cum suffraganeis nihil palam fecit: forte scretius alloquens regem. Sed nec hoc lateat vestram sanctitatem, quod magister domus infirmorum Cantuariensium, in partes nostras veniens, retulit nobis Londoniensem omnia reddidisse scaccario regis, quæ de reditibus vestrorum clericorum acceperat. Sed et hoc nobis nuntiavit, quod prior Cantuariensis monachum quemdam in custodia posuerat, quia de processione exierat, clamans et exprimens, quia vobis et non regi faverent, Sed et serviens Scaiman, cum captus fuisset, evasit, et in monasterio Sanctæ Trinitatis per aliquot dies latatitans, tandem liberatus, quo diverterit, ignoramus. Audivimus autem de militantibus regis, reædificare et munire volentibus Basinwerth, quod a Wallensibus subito supervenientibus plurimi sint interempti, plerique vero sauciati. Valeat sanctitas vestra.

EPISTOLA CCCXLV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Idem eidem archiepiscopo.

Moleste ferimus, et ultra quam dicere possimus condolemus, quod ad vos eo usque venire non potuimus. Sed est causa multiplex et magna. Debito namque tanto sumus obligati, præcipue pro domo, quam emimus anno præterito, quod quasi singulis diebus, ut terminum differamus supplicando, nos oporteat ingredi civitatem, eo quod pecuniæ non sufficiamus solvere quantitatem. Sed et in arcto sumus ex alia parte, eo quod rex et sui Rothomagi morentur. Unde si non interim absentaremus, ne sibi innotesceret, formidaremus. Durum enim verbum est in auribus ejus et exsecrabile, quod de vobis etiam aliqua mentio fiat. Nec apparet qui de nobis bene loquatur, vel in ejus conspectu facere etiam mentionem audeat. Longe vero melius nobis novistis, quod in arcto sit, et quo se vertat non novit. Hinc enim ei regnum Francorum adversatur. Hinc pavet Pictavienses, hinc Wallenses formidat, ex alia parte Britones habet suspectos; suos timet, nusquam securus. Nec mirum, quem Ecclesia non protegit, si plures ruat in hostes. Verum si se locus et opportunitas obtulerint, quam citius fieri poterit, alter nostrum, vel ego, vel magister Herbertus vestram præsentiam adibit, et quod interim sciri poterit, plenarie vobis apportabit. Hoc tamen interim vobis innotescat, quia quam pacem a rege Francorum habere poterimus, recipere minime differemus. Valeat in perpetuum sanctitas vestra.

EPISTOLA CCCXLVI.

EJUSDEM AD EUMDEM

THOMÆ Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopo, frater NICOLAUS de Monte Rothomagensi salutem cum totius devotionis effectu.

Quantæ compassionis visceribus adversitates Ecclesiæ Dei, quas magnanimitas vestra sustinere decrevit, parvitas mentis nostræ apud se suscipiat et pertractet, nec scriptura sufficienter exprimere, nec viva voce plenarie pronuntiare minus facunda lingua valeret, sed de nostro affectu, qui quantuluscunque est, vester est, quia illum abjectum et minus utilem in conspectu Dei esse cognoscimus, tacere melius duximus, quam plura loqui. Verum id, licet excellentiæ vestræ non incognitum, silentio præteriri non oportet, quod vestræ sublimitati sit ipsa commemoratione gratissimum quod menti perturbationum fluctibus impetitæ sit magnæ securitatis indicium, quod humeros delicatos, quos supposuistis ad portanda onera virorum, suæ virtutis efficacia reddat talibus fasciculis aptiores: Ecclesia pauperum Christi, quos humilitatis vestræ mansuetudo adoptavit in filios, quos apud Deum magnitudo fidei vestræ voluit habere patronos, quos in ratione dati et accepti munificentia sibi fecit obnoxios, ipsa siquidem tota sui spiritus intentione suspensa, a Domino noctibus ac diebus impetrare festinat, ut Ecclesiæ suæ vestris temporibus tranquillam tribuat libertatem. Postulat autem in fide, nihil hæsitans. Summa igitur ope et alacri studio quod inchoastis opus perficite, nec in aliquo vacilletis. Siquidem Deus tantum vobis contulit honorem, tantamque felicitatem, ut operi vestro testis sit in cœlo Jesus Christus, testis in corde conscientia. Et quod paucis et raro solet accidere, hoc vobis ad exhortationis et exhilarationis cumulum accessit, quod totius multitudinis devotio præbet in Deo vobis auxilium. Et universi populi sermone super his quæ agitis bonum flagrat testimonium. Sed de his hactenus.

Joannes de Oxeneford, qui ex consilio episcoporum vestrorum ad curiam reversus, et a curia veniens, per dominam imperatricem transitum fecit, ut eam contra vos exasperaret, sicut antea tam ipse quam alii fecerant, malitiam, quantam potuit, inculcavit. Siquidem quia opus vestrum verisimiliter reprehendere non potuit, intentionem calumniatus est, asserens universa, quæcunque facitis, mentis elatione, studioque dominationis inchoata. Ecclesiasticam etiam libertatem, quam defensatis, non ad animarum lucrum, sed ad augmentum pecuniarum episcopos vestros intorquere, tam ipse quam alii nuntii regis affirmant. Et licet necdum propter novitatem prælationis a vobis id esse factum consentiant, tamen ad idem vos anhelare contendunt. In Anglia namque delinquentium culpæ apud episcopos accusatorum non mulctantur injunctione pœnitentiæ, sed datione pecuniæ. Item quod Deus in causa non sit operis vestri, dicunt eam inde debere cognoscere, quod ab initio archiepiscopatus vestri non religiosos vobiscum, sed litteratos nobiles congregastis. Et eos dedecorosa appellatione nuncupant, quam silere melius puto. Item ecclesiastica beneficia non Dei contemplatione, sed servitii vestri occasione, etiam his, quorum turpitudo publica nota est, vos asserunt contulisse. Item asserunt quod non propter regias consuetudines, sed propter causam pecuniariam discessitis. Hæc in vos malitiose conficta tum propter cautelam, tum propter exasperationis dominæ occasionem cognoscendam vos ignorare non decuit.

Tertia die post recessum eorum ad impératricem venimus, quæ litteras vestras per tempus aliquantulum suscipere distulit, et satis aspere in nos locuta est, quod ad vos perreximus, ex quo nobis notum fuit vos esse in curia. Nec enim credebat quod tam cito ad curiam pergeretis. Tamen non destitimus, sed ea vice et altera, bona, quæ potuimus, quasi nolenti ingessimus. Tertia vice post pauca verba litteras vestras benigne, sed occulte suscepit. Ita quod id clericos suos latere voluit, et eas nobis legendas injunxit. Quibus auditis, in primis excusavit se, quod de vobis aspera verba vel mihi vel aliis privatim et publice dixisset, vel etiam domino regi mandasset. Asseruit namque, quod filius ejus totum, quod de ecclesiasticis agere volebat, ab ea celasset, eo quod cognovisset ipsam potius ecclesiaticæ libertati, quam regiæ voluntati favere. Nunc vero litteras suas ad filium suum direxerat per quemdam de clericis suis, mandans illi, quatenus totum quod in mente haberet de statu ecclesiarum vel personæ vestræ, sibi per litteras significaret. *Et tunc*, inquit, *cognita ejus voluntate, si perpendero laborem meum posse esse fructuosum, studebo pro posse et ecclesiasticæ paci et suæ.*

Post hæc verba recedentes ab ea, ad dominum Lexoviensem litteras vestras detulimus apud manerium suum Nonant, juxta Baiocum. Benigne nos suscipiens, secrete litteras vestras suscepit, et ea quæ a vobis injuncta nobis fuerant, et si qua bona ipsi excogitare potuimus, libenter amplexus est, id in verbo veritatis affirmans, quod ab eo tempore quo ad curiam primo missus est, licet corporaliter contra vos steterit, mente tamen et consilio pro vobis stetit. Et hoc ipsum nobis in eo itinere cum eo de negotio vestro loquentibus non ex vestra parte, nec enim mandaveratis, se facturum promiserat. Privatim siquidem ad dominum papam et causam vestram et personam, quantum potuit, commendavit. Legatos regis ea sola postulare laudavit, quæ non impediri posse cognoverat. Nunc ergo pro certo cognoscite, quod si dominus rex communicarit ei consilium suum, ad libertatem Ecclesiæ et pacem vestram pro posse laborabit. Nec enim vestro labori minori affectione compatitur, quam si tota hæc adversitas Ecclesiæ suæ vel personæ occasione vobis incumberet. Ipsum siquidem socium haberetis infra breve tempus, si non esset oneratus ære alieno.

A Nunc ergo consilium ejus est, ut ita caute vobis provideatis in expensis, ne multas pecunias in brevi effundatis : si tamen multas habetis, quod regis familiares affirmant. Si non habetis, cavete ne plurimis innotescat. Consilium enim acceperant adversarii vestri citra mare consilium dare regi, ne reditus vestros ad præsens attingeret, sed ministris vestris interdiceret, ne inde quidquam haberetis. Si ergo viderint quod velitis et possitis absque reditibus diutius sustinere, facilius et citius pax reddetur Ecclesiæ. In his festivis diebus litteras vobis per nuntium proprium mittet. Et nunc misisset, si in manerio scriptorem habuisset, cui secretum hoc vellet injungere, item mittit in Angliam familiarissimum sidi Randulphum de Ardena, per quem omnibus indagatis quæ in curia fiunt vel deliberantur, quid- B quid inde cognoverit, vobis per litteras significabit.

Reversi ad dominam imperatricem, quæ injunxistis, ex ordine cuncta narravimus iterato. Consuetudines regis verbo narravimus, quia magister Herbertus perdiderat schedulam. Hoc etiam adjunximus, quod consuetudinum quædam contra fidem Jesu Christi, aliæ fere omnes essent contra libertatem Ecclesiæ. Propter quod timendum erat ei et filio suo de æterno periculo, et etiam temporali. Tunc vero præcepit nobis mittere ad vos propter consuetudines illas. Volente Deo, ea ipsa die reperta est schedula, et die sequenti, omnibus ejectis a thalamo a conspectu suo, præcepit nobis eas Latine legere et exponere Gallice. Mulier de genere tyrannorum est, et quasdam approbabat. Sicut est illud de non excommu- C nicandis justitiis et ministris regis sine licentia ejus. Ego tamen alia exponere nolebam, nisi de hoc prius disceptarem, ostendens evangelicum præceptum, quo dicitur ad Peturm : *Dic ecclesiæ*, etc. Non : *Dic regi*, et alia multa. Quam plurima capitulorum improbavit. Et hoc modis omnibus ei displicuit, quod in Scripturam redacta essent, sive quod episcopi coacti forent, ut aliquam promissionem facerent de ipsis custodiendis. Hoc enim a prioribus factum non est. Post multa igitur verba cum ab ea vehementer inquirerem, quæ posset esse prima pacis occasio, hanc ei indicavimus, et assensit : si forte fieri posset, ut dominus rex mitteret se in consilium matris suæ, et aliarum rationabilium personarum, quæ taliter rem moderarentur, ut cessante promissione et scriptura antiquæ regni consuetudines ob- D servarentur, adnibito tali moderamine, ut nec per judices sæculares libertas Ecclesiæ tolleretur, nec ita episcopi abuterentur ecclesiastica libertate. Scitote, quod domina imperatrix in defensione filii sui versuta est, eum excusans tum per zelum justitiæ, tum per malitiam episcoporum, tum in deprehendenda origine conturbationis Ecclesiæ rationabilis et discreta. Dicit enim quædam in quibus ejus sensum et laudavimus et adjuvimus. Episcopi clericos indiscrete ordinant, qui nullis ecclesiis titulantur. Ex quo fit, ut ordinatorum multitudo paupertate et otio ad turpia facta prolabatur. Non enim timet perdere Ecclesiam, qui nulli titulatus est, Non timet pœnam, quia illum Ecclesia defensabit. Non timet episcopi carcerem, qui mavult impunitum transire conversum, quam pascendi vel custodiendi sollicitudinem abhibere. De ordinatione illius qui ecclesiæ non titulatur, quod irrita sit ad injuriam illius qui eam fecit, testatur synodus Chalcedonensis, una de quatuor, quas Gregorius sicut quatuor evangelii libros tota devotione complectitur. Hoc et alii plures canones. Item uni clericulo quatuor evangelii aut septem ecclesiæ tribuuntur aut præbendæ cum sacri canones ubique manifeste prohibeant ne clericus in duabus ecclesiis connuneretur. Hujus iterum pravæ consuetudinis occasione quantæ de dationibus et præsentationibus ecclesiarum controversiæ nascantur, attendite. Super hac re locuta est domina imperatrix occasione Ricardi de Ivelcestre. Verum taceant episcopi, qui hoc faciunt suis parentibus, quod laici sibi servientibus. Item quod multas pecunias suscipiant episcopi propter peccata apud eos excusatorum, satis canonibus non consentit. Quia licet pœna sacrilegii sit pecuniaria, non tamen semper erit ; sed quibuscunque personis ad quas sacrilegii querimonia pertinet, juste persolvitur. Quia ergo ex his et similibus nascitur ecclesiastica perturbatio, mirandum valde est, cur securis episcopalis judicii non ad radicem arboris, sed ad ramusculos adhibeatur. Divina siquidem dispensatione actum est, ut ex tali radice fructus amaritudinis publice nasceretur. Quapropter libertatem Ecclesiæ propter Deum diligitis : quod prædicta vobis displiceant, verbis et factis ostendite. Et si litteras ad dominam imperatricem miseritis, id ipsum ex aliqua parte significate. In verbo veritatis vobis dicimus, quod amore rectitudinis et salutis animæ nostræ, quæ prædicta sunt, scripsimus. Si quæ insipienter dicta sunt, date veniam. Et sint occulta quæ diximus. Festinantius ad vos mittere non potuimus. Siquidem eo tempore, quo conusetudines coram domina imperatrice legimus, cum omni festinantia litteras istas præparavimus, vobis mittendas. Nunc rogamus attentius, ut litteras vestras nobis dirigatis, statum vestrum et propositum continentes. Quidquid injunxeritis, fideliter exsequemur. Iterato veniam postulamus, et de prolixitate, et de audacia.

EPISTOLA CCCXLVII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo NICOLAUS de Monte Rothomagensi.

Vehementer gavisi sumus, ex quo per litteras vestras nobis innotuit, quod institutiones pravas, ad quarum observantiam princeps noster Anglorum episcopos voluit obligare, publico anathemate condemnastis. Cum enim vobis non sit incertum, paucos ad præsens inveniri, qui vel resistant pravitatibus, vel eos, quos excommunicastis, publice devitent, scimus quod non in humanis auxiliis, sed in eo fiduciam exsecutionis sententiæ posuistis, qui dedit po-

testatem talem hominibus. Ad quem respiciens Moyses non virtute corporis, nec armatura potentiæ, sed verbo eum, qui se vexabat, subjecit. Siquidem excellentius in sincerius inchoastis, quam si in ipsam regis personam dedissetis sententiam. Condemnando namque prædictas pravitates, citra liberationem Ecclesiæ Dei omnem vobis redeundi aditum obstruxistis. Proinde frater G..... qui litteras vestras deferre debuerat, non venit, et ob hoc eas domino Rothomagensi coram puero, latore præsentium, legimus et tradidimus. Qui eas quo animo, quo vultu susceperit, puer ex parte cognoscit. Quod a communione se subtrahat eorum quos excommunicastis, nec dixit, nec negavit. Quod eos publice non denuntiaret, asseruit dicens hæc ideo vos mandasse, quia plures exsilii socios velletis habere. Quod litteras vestras suscipere non debuisset affirmat, quoniam ipso adveniente, vos ejus præsentiam devitastis, intelleximus etiam ab ore ejus, quod ad infirmandam sententiam, seu quæ data est, seu quæ dabitur a vobis, parati erunt probare ipse Rothomagensis, Lexoviensis et Sagiensis, quod propter hoc ad vos pergebant, ut vobis offerrent omnem satisfactionem eorum judicio, quos æquum est judicare inter vos et regem.

Nostræ itaque parvitati visum est, si id vestræ discretioni, et eorum qui vobiscum sunt congruum videatur, quatenus litteras vestras domino Rothomagensi et prædictis episcopis dirigatis, in quibus eis significetur, quod paratus fuistis, estis et eritis, redire ad sedem vestram, et subire judicium, quodcunque archiepiscopus Cantuariensis juxta canonum censuram subire debuerit; si tamen ipsi impetrare potuerint a rege, ut habeatis in primis redeundi securitatem, domina imperatrice et domino Rothomagensi interponentibus partes suas, secundum quod dominus papa censuit. Item si ecclesia in integrum restituatur, tum ad libertatem, in qua erat aliquando, priusquam querela mota est inter vos et regem, quando scilicet episcopi non erant obligati ad observantiam pravitatum, tum ad ea quæ postmodum ablata sunt a vobis et vestris. Rogetis etiam illos, quod si impetrare non possint a rege id, quod fieri canonica dictat auctoritas, ne habeat illos adjutores in Ecclesiæ detrimentum, quibus acquiescere non vult in his, quæ spectant ad charitatis judicium. Hæc illis mandanda credimus, priusquam in regem sententia detur: non quod horum quidquam faciant, sed ne his quæ a vobis gesta sunt vel gerentur, quoquo modo obviare. Et si ad eos litteras miseritis, earum transcriptum nobis mittite. Præterea dominus Rothomagensis imperatrici conquestus est, quod ei hujusmodi litteras tradiderimus. Totum quoque quod agitis, aut extollentiæ imputat, aut iræ. De nobis pro certo sciatis, quod excommunicatis a vobis nec in salutationis verbo communicabimus. Unde vobis supplicamus attentius, quatenus nobis rescribere dignemini, an in quibusdam sicut in oratione et saluta-
A tione, an his, et in omnibus aliis, a regis communione debeamus abstinere, si in eum sententiam dederitis, ut nec ab eo quidquam accipere, nec eum in celebratione missa liceat nominare. Qualecunque enim terrenum commodum vel periculum credimus postponendum, ut quantum in nobis est, totum quod convenit censuræ districtionis ecclesiasticæ, compleatur. Litteras, quas Cicestrensi episcopo mittebatis, apud nos tenemus exspectantes, ut pro certo cognoscamus, ubi moram faciat, vel si forte partibus nostris appropinquaverit, ut ei ipsas tradamus. Præterea tam in curia regis, quam apud nos plures asserunt, quod cancellariam Francorum regis habere debetis. Alii quoque conjectant, quod in festo sanctæ
B Mariæ Magdalenæ in regis personam sententiam proferetis. Domina imperatrix audiens in quos sententiam dederatis, quasi ludo id accipiens, eos pridem excommunicatos esse respondit. Post hæc cum ex parte Ricardi de Ivelcestria salutaretur nihil respondit.

De rumoribus curiæ pauca scimus, nisi quod barones de episcopatu Cenomanensi pacem cum rege fecerunt. De Britonibus necdum quisquam, sed in vigilia apostolorum erat rex cum exercitu ad quatuor leucas de Felgeres. Cum abbas de Derbi redierit, plura scientes vobis mandabimus. Radulphus de Hospitali veniens ab Anglia dixit nobis, quod episcopi convenientes circa festum sancti Joannis appellaverint contra vos ad *viri Galilæi*, eo
C quod episcopum Saresberiensem absque eorum consilio suspendistis, et quia in dominum suum regem dare sententiam minati estis. Archidiaconus vero vester nititur, quantum potest, habere licentiam transfretandi, Necdum tamen litteras vestras accepit. Per canonicum regularem fratrem Adam, qui propter zelum justitiæ vos diligit, scribere poteritis, quod vestræ placuerit paternitati, quoniam absque mora ad nos reversurus est. Valeat sanctitas vestra.

Hoc pro certo sciatis, quod episcopi vestri, etiam Herefordensis, contra vos dura loquuntur: quod Anglicanam Ecclesiam et Romanam conturbatis. Concilium quoddam habituri sunt in octavis apostolorum episcopi et omnes abbates apud Northamptonam

EPISTOLA CCCXLVIII.

D HENRICI ABBATIS STRATFORDIENSIS AD ALEXANDRUM PAPAM.

Patri suo et domino summo Pontifici ALEXANDRO, frater HENRICUS monasterii de Stratfordia dictus abbas et humilis ejusdem loci coventus debitam Patri obedientiam et pro incolumitate vestra jugem coram Domino devotionis et orationis instantiam.

Apostolo, domine, scilicet docente, didicimus, etc. *Vide in Alexandro.*

EPISTOLA CCCXLIX.

S. ECCLESIÆ TRINITATIS LONDON AD ALEXANDRUM PAPAM.

Venerendo Patri ALEXANDRO Dei, gratia summo pontifici S,... Ecclesiæ sanctæ Trinitatis Londo-

niensis servus humilis, salutem et debitæ subjectionis obedientiam.

Cum apud summum judicem, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCL.

WILLELMI ECCLESIÆ S. TRINITATIS LOND. PRIORIS AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici ALEXANDRO, frater WILLELMUS Ecclesiæ S. Trinitatis Lond. claust. prior et humilis ejusdem loci conventus, debitam patri charitatem et humilem in omnibus obedientiam.

Apostolica doctrina, etc. *Vide in Alexandro.*

EPISTOLA CCCLI.

ERNISII ABBATIS ET R. PRIORIS S. VICTORIS PARIS. AD ROBERTUM HEREFORDIENSEM.

ROBERTO Herefordiensi episcopo, ERNISIUS abbas et R. prior sancti Victoris Parisiensis.

Magnam de promotione vestra concepit ecclesia nostra lætitiam, et spe non modica hilarati sunt auditores vestri, tum universi scholares animati ad amorem litterarum, et cultum virtutum, vestri laboris et successus exemplo. Nos autem idcirco gavisi sumus quia vos præ cæteris amabamus et Ecclesiam Anglorum, quam præter charitatem, quam habemus ad omnes ecclesias, quadam speciali affectione natura suadente diligimus, vestra confidebamus eruditione proficere, et religione provocari ad divinæ legis cultum, et contra adversa roborari vestræ prædicationis officio, et virtutis exemplo. Nunc autem supra modum dolemus, quod neque desideria nostra de vobis impleta sunt, nec preces nostras pro vobis Dominus exaudivit. Et utinam essent aures vestræ ad ora scholarium, et religiosorum suspiria audiretis, ut sic erigeretur spiritus vester, qui divitiarum pondere dicitur opprimi, et amore episcopandi, et diliciarum affluentia infirmari. Nam, ut aiunt illi, confirmaverunt vos divitiæ, quas in schola et frequenti verborum commercio consuevistis canigenas appellare. Speciosum tunc depingebatis episcopum verbo, quem ex voto nostro doctrina nunc exprimeretis et vita. Nunquid tunc fungebamini vice cotis

. . . . *acutum*

Reducere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi?

Mirum est si non tinniunt aures vestræ a confabulatione scholarium, detractione æmulorum, et amicorum querelis. Adversus patrem vestrum et consecratorem, eumdemque pro justitia, et libertate Ecclesiæ exsulantem, nuper appellastis cum aliis qui subversionem justitiæ quærunt et suam eversionem, et ponendo cum impiis portionem, unde vehementer dolemus, famam vestram plurimum denigrastis. Nunquid enim litteras appellatorias non vidistis, quam episcopi ad archiepiscopum suum transmiserunt? Certe si non vidistis, stultum fuit, ut pace vestra veritatem loquatur charitas, non examinatum de re tanta, et quæ ad Ecclesiam Romanam perferenda est, signare testimonium. Si autem vidistis eas, qua conscientia, qua fronte, ausi fuistis asserere, et ut scribitis, cum omni fiducia prædicare, quod falsum esse novit, non modo vicinia tota, sed fere Latinus orbis? Prædicatis enim, quem sic scribitis, et ut de vestra potissimum utatur auctoritate, signatis Scripturam cum episcopo Londoniensi, quod rex vester, et si interdum ut homo deliquerit, omnes excessus suos corrigere paratus, et in omnibus obtemperare justitiæ, et si non credatur ei, etiam satisdationem offert, et adjicitis: *Quoniam diligit corripientes se, et increpantes libenter auscultat.* Sed qui hoc verum esse putat, quid credet esse falsum? Noti sunt enim mores hominis, ut vos talia prædicantes oporteat quærere peregrinum, sed extra Latinum orbem. Vos autem qui justitiam ejus astruitis, quam innocentiam allegatis in ejectione mulierum, et parvulorum innocentium proscriptione? Sed hæc, et his similia Dominus judicabit, et facientem, et consentientes pari pœna percellet. Cogitate interim quam sententiam tunc accepturi sint episcopi, qui modo tantis patrocinantur injuriis. Hæc sincera charitate, dulcissime Pater, scripsimus vobis ut memineritis doctrinæ vestræ, officii vestri, desiderii nostri, et divini judicii, ut redimatis famam vestram, et Ecclesiam, quæ in manibus vestris collabitur, studeatis erigere. Vestri fuimus, sumus vestri, et Deo propitio, semper erimus, prompti ad honorem et obsequium vestrum.

EPISTOLA CCCLII.

PRIORIS S. VICTORIS PARIS. ET R. ABBATIS S. AUGUSTINI AD ALEXANDRUM PAPAM.

ALEXANDRO papæ, prior Sancti Victoris et R. . . . . abbas quondam S. Augustini.

Sanctis, viris, etc. *Vide in Alexandro.*

EPISTOLA CCCLIII.

WILLELMI RADINGENSIS ABBATIS AD ALEXANDRUM PAPAM.

Beatissimo patri et domino A. Ecclesiæ catholicæ Dei gratia summo pontifici, filiorum suorum extremus frater WILLELMUS abbas Radingensis indigne dictus, commissam sibi navem Petri ad portum tranquillitatis indemnem dirigere.

Quoniam sanctitati vestræ, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCLIV.

WILLELMI AD HUGONEM DUNELMENSEM.

Venerabili Patri et domino Dei gratia illustri Dunelmensi episcopo H., suus WILLELMUS, salutem et felices ad vota successus.

Miseranda rumorum novitate turbatus multoque acrius afflictus quam ea novi mentis vestræ serenum tristitiæ nubilo caligare, rerum eventus sollicitus exploro ut si quos vestris auribus offerendos comperero vobis scripto mediante significem. Noveritis itaque archiepiscopum Rothomagensem et episcopos Wigornensem, Eboracensem et Lexoviensem, et clericos Raginaldum Lumbardum, Ricardum Barre, Magistrum Henricum de Northamptona, et plerosque alios ipso die conversionis beati Pauli Senonas ve-

nisse ut animum archiepiscopi Senonensis, qui ibidem eadem dies omnes suffraganeos suos ad exsequendum mandatum domini papæ convenerat vel precibus lenirent, ne sententiam interdicti in terra regis pronuntiaret, vel ipsam sententiam appellatione suspenderent, qui nec precibus eorum acquiescens, nec appellationem eorum attendens, expositis in medio litteris sententiam continentibus et appellationis remedium excludentibus, toti terræ regis in partibus transmarinis indixit. Sed non fuit a Rothomagensi recepta sententia : dicebat enim non Senonensi soli, sed utrique eorum litteris illis ad utrumque directis, ferendæ sententiæ auctoritatem et potestatem fuisse collatam. Adjecit etiam mutatum esse casum. Præceperat enim dominus papa, ut si Cantuariensis archiepiscopus captus teneretur, prænominata sententia exsecutioni mandaretur. Ad primum, quia, etsi ad utrumque essent litteræ directæ, tamen in eis continebatur quod si alteruter a sententia ferenda et exsequenda desisteret, reliquus utrique injunctan præceptionem effectui manciparet. Ad secundum vero, quoniam si minori casu domini Cantuariensis injuriam dominus papa hac pœna decrevit esse ferendam, multo fortius in casu majori et tam detestabili, hoc idem voluit esse faciendum, facta tamen appellatione omnes prædict. Romam profecti sunt, excepto Lexoviensi. De domino rege Fancorum hoc vobis duxi nuntiandum quoniam proxima die Jovis post conversionem beati Pauli profectus est ad colloquium inter ipsum et imperatorem, petitione ipsius imperatoris habendum Dominica qua cantabitur *Invocavit in confinio regni et imperii* versus Meschisi ubi speratur de reformanda unitate et pace ecclesiastica esse tractandum et inter ipsos tum conjugiis, tum aliis pacis fœderibus, amicitiam esse firmandam. Inter innumera, quæ fama imo veritate docente didici quoniam cætera vel modica vel vobis arbitror manifesta, sola prædicta ad vestram audientiam deferenda decrevi. Vale.

EPISTOLA CCCLV.

LUMBARDI AD ALEXANDRUM PAPAM.

Reverendo Patri ac domino ALEXANDRO, Dei gratia summo pontifici, Londardus ejus clericus fidelis, obediendiæ famulatum.

Cum vestræ sanctitatis puer, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLV CCCLVI.

THEOBALDI BLESENSIS AD EUMDEM.

Reverendissimo domino suo et Patri ALEXANDRO, summo pontifici, THEOBALDUS Blesensis comes, et regni Francorum procurator, salutem, et debitam cum filiali subjectione reverentiam.

Vestræ placuit majestati, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCLVII.

W. MONACHI EP. AD GILBERTUM.

Reverendissimo Patri et domino, et in Christi visce- A ribus honorando, venerabili G. Londoniensi episcopo, frater W. Adelelini filius, suus filius et monachus, sancti Spiritus gratia illustrari, et ejus fortitudine in omnibus roborari.

Quid mihi gaudii, quid jucunditatis status incolumitatis et prosperitatis vestræ conferat, quid doloris, quid mœroris econtra adversitas si qua emerserit animæ meæ ingerat, solus ille novit qui inspector est cordium. Sed spero, confido in Patre misericordiarum quod procellam convertet in auram et omnes adversantes et malignantes vobis conteret sub pedibus vestris. Mi Pater, non auribus obstrepat, non animum offendat, quod vester ex intimo cordis prodit filius. Testor Jesum et angelos ejus me nihil more adulantium sed pro testimonio dicere. B Dum spiritus hos artus regit, dum hujus vitæ fruimur commeatu, spondeo, promitto, polliceor, semper vos mea lingua resonabit, vobis mei dedicabuntur labores, vobis desudabit ingenium. Præterea sanctitatis vestræ scripta tam lætus accepi, quam avidus et ante ea desideraveram. Legi ea et sententiarum verba quæ volvebam in ore, scintillas sentiebam in corde, quibus et concaluit cor meum intra me, sed nondum in meditatione mea exarsit ignis. O quantus in vestris meditationibus exardescit ignis, e quibus hujuscemodi evolant scintillæ! Benedicti vos a Domino, qui me in benedictionibus dulcedinis tantæ prævenire dignatus es ut daretur mihi vobis primum scribentibus fiducia rescribendi, scribere quidem ad vos jampridem gestienti, sed C non præsumenti. Timeo dicere sed tamen dicam, quoties vestra scripta relego, quædam mihi ante oculos præsentiæ vestræ versatur imago, qua sitienti animæ meæ totius perfectionis summam prædicare videtur. Hinc est quod eloquia vestra tam ardenter diligo, quid ipsa uberius animam meam refocillare videntur. Mitte, dulcissime Pater, quæ nondum misistis quia abundantius habebitis si habuero. Memor sit pater filii, qua filius patrem nunquam potest oblivisci. Sapienti sat dictum est. Vivat, valeat dominus meus, et gloria mea et et exaltans caput meum.

EPISTOLA CCCLVIII.

MAGISTRI VIVIANI AD THOMAM CANTUAR

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, magister VI- D VIANUS, salutem et de instanti negotio ad honorem Dei et Ecclesiæ victoriam.

Ut cum domino Turonensi vel ejus nuntiis ad curiam, auctore Deo, festinantissime reverteremur, Turonis declinavimus, et quarto Kalendas Novembris litteras regis Angliæ, archiepiscopi Rothomagensis, et Cantuariensis archidiaconi, per priorem abbatiæ de Beccis, et quemdam alium nobilem virum accepimus, quarum transcriptum beatitudini vestræ mittimus, supplicantes ut non acquiescatis suggestioni alicujus clerici, etiamsi primatiæ fulgeret dignitate præclara, si in apertis litteris regis, quod honori vestro expediat, prout sæpenumero

propositum est, non recipiatis. Et rogamus ut festinantissime cursorem vel clericum aliquem ad nos usque mittatis, per quem voluntatem vestram nobis, si placet, aperiatis, nec tantum deferatis mgistro Gratiano, ut honorem charissimi amici vestri. præcipui defensoris in Ecclesia Romana, penitus in persona nostra conculcetis.

EPISTOLA CCCLIX.

EIUSDEM AD EUMDEM.

Reverendo Patri suo et domino charissimo THOMÆ Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo apostolicæ sedis iegato VIVIANUS utcunque dictus magister sanctæ Romanæ Ecclesiæ advocatus, et ejus honoris et suorum prolocutor fidelissimus, cum gaudio et gloria in continenti redire ad propria.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui disjunctos parietes suggestione pravorum indissolubili jam charitatis vinculo unire contra multorum opinionem paratus est. Ad præsentiam regis rovocati accessimus, et ea divina cooperante gratia invenimus, in quibus honor Dei et Ecclesiæ in nullo violatur. Si ergo nuntium Christianissimi regis Francorum, et domini Rothomagensis jam recepistis, sicut indubitanter credimus, gaudemus. Ita enim fuit statutum. Et si magister Joannes Saresberiensis, clericus vester, charissimus socius noster, ad vos rediit, sicut speramus, quoniam nuntium recepit, lætamur. Quidquid tamen, reverende Pater, fuerit, rogamus, et rogando ex parte Domini papæ et Romanæ Ecclesiæ consulimus, ut omni occasione postposita ad colloquium, quod inter duos reges apud S. Dionysium prima Dominica post festum S. Martini celebrabitur, desideratissime occurratis. Quoniam illic auctore Deo angelicum accipietis hymum : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax domino Cantuariensi.* Magister et presbyter camerarius summi et maximi cardinalis Willelmi, fidelissimus vester, vos sicut proprium dominum salutat, et nobiscum est in labore socius, et gerit personam domini sui, et quædam secreta domini regis portat, quæ ad exaltationem vestram omni modo spectant. Est præterea, quod nos, cum præsentes erimus, exponemus, quod vobis consulit, ut omnino ad colloquium properanter accedatis, quia regem et ejus filios juxta vestrum arbitrium habebitis. Nos properamus ad serenissimum regem Francorum, et diplomate, ut vos videamus, utimur, et illico simul ad statutum colloquium accedatis. Omnes vobiscum in exsilio positos sincerissime salutamus. Optamus ut charissimus socius noter magister Longus, more suæ gentis, in hoc negotio prudenter sapiat.

EPISTOLA CCCLX.

EJUSDEM AD ALEXANDRUM PAPAM.

Beatissimo Patri et domino ALEXANDRO, Dei gratia universalis Ecclesiæ summo pontifici, VIVIANUS ejus sanctitatis servus devotissimus, debitæ subjectionis obsequium.

Quod statum nostrum, etc. *Vide in Alexandro.*

EPISTOLA CCCLXI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ, magister VIVIANUS.

Operam omnem adhibuit, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCLXII.

EJUSDEM AD HENRICUM REGEM.

Serenissimo domino HENRICO, Dei gratia Anglorum regi, magister VIVIANUS, S. R. ecclesiæ advocatus, salutem, et salubri consilio acquiescere.

Quantum pro honore vestro laboraverim, quantam diligentiam adhibuerim, ut ad gloriam Dei et vestram, pacem cum Ecclesia faceretis, novit Deus, et prudentia vestra ignorare non debet. Nam tantum pro vobis institi, quod multorum et magnorum amisi gratiam, et fabula factus sum detractorum. Unde miror, quod me, quem in vestra utilitate et honore noluistis audire, quasi pecunia corruptum reddere voluistis infamem. Sed quia vos obsequiis cœpi colere, et ab amicis non facile recedere consuevi, precor et modis omnibus consulo, ut redeatis ad cor, et petitionem, quam vobis scriptam misit D. Cantuariensis, charta vestra confirmetis, hoc adjecto, quod eum recipietis in osculo pacis, eique mittatis, et revocetis ipsum, antequam terra vestra subjiciatur interdicto, et illi feriantur anathemate, quorum nomina in libello damnationis eorum concepta sunt. Nam et plurimi sunt, et vobis pernecessarii, et tempus breve est. Quare autem vos rogare noluerint quidam, discretio vestra facile perpendet si veros pensaverit amicos, et fidem hominum. Præterea de mobilibus, quæ abstulistis, ea moderatione respondeatis archiepiscopo, ut et liberalitas vestra coram hominibus amplius elucescat, et conscientia tanti criminis rectum diluat ante Deum, et idem archiepiscopus et sui, quoad vixerint, vobis et hæredibus vestris fideliores et devotiores debeant permanere. Si autem me vel hac vice nolueritis audire, sera erit pœnitentia. Nec dicatis ulterius vobis quod imminet non fuisse prædictum.

EPISTOLA CCCLXIII.

LAURENTI ABB. WESTMONASTERIENSIS AD ALEXANDRUM. PAPAM.

ALEXANDRO papæ, LAURENTUS abbas Wesmonasterii.

Veritatis assertio, etc. *Vide in Alexandro.*

EPISTOLA CCCLXIV.

MAGISTRI WILLELMI AD THOMAM CANTUARIENSEM.

THOMÆ Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, et apostolicæ sedis legato, magister WILLELMUS, filius Ricardi Bonhart, nihil infra posse, sed supra.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.
Hac quoque contentos auguror esse deos.

Auribus ad plura occupatis verbum facio abbreviatum, dum ad notitiam vestram referre dignum duxi : quomodo Berengarius in die Ascensionis tradidit litteras vestras in ecclesia Beati Pauli. Lecto evangelio missus ille ad altare accessit, et manui

sacerdotis, nomine Vitalis, æstimantis se ab eo A oblationem accepturum, litteras vestras me astante et vidente intrusit, et manum cum litteris firmiter tenuit, præcipiens ei ex parte domini papæ et vestra, quod unas litteras traderet episcopo, et alias decano, et ne missam celebraret, antequam litteræ essent lectæ. Super his Willelmum de Norhallis in testimonium adduxit, qui legit evangelium in die Ascensionis, injungendo ei etiam ex parte vestra, ne astaret missæ similiter, et subdiaconum nomine W. Hog, donec litteræ essent lectæ. Post hæc Berengarius ad populum conversus voce clamosa dixit: *Scitote episcopum Londoniensem Gilbertum excommunicatum esse a Thoma Cantuariensi archiepiscopo, et apostolicæ sedis legato*. Quo audito, plures eum retinere parati, contumelias illi intulerunt. B Sed hunc feci discedere, ne tumultus fieret in populo: et hominibus catervatim egredientibus illum mea cooperui cappa, et sic ab ecclesia ductum usque ad hospitium, a quo egressus fuerat, comitatus sum. Hujus facti testes habeo ipsum Berengarium, et Ricardum nepotem Willelmi de Cap..... et filium Willelmi Wannoc. Contra prohibitionem, ex parte vestra factum sacerdos noluit celebrare missam, neque Willelmus de Norhallis astare. Willelmus nuntiavit hæc Nicolao archidiacono, qui respondit dicens: *Sacerdos cessaret a comestione, si nuntius dixisset ei ex parte archiepiscopi, ne comederet?* Et celebrata est missa non lectis litteris, nisi clanculum, ut audivi. Quod ut episcopo Londoniensi, Stebbehuthe existenti, notificatum est, in Sabbato C post Ascensionem Domini proximo clerum Londoniensi Ecclesiæ convocari fecit, et multis præhabitis consiliis inter episcopum, et decanum, et archidiaconum, et canonicos, tandem consederunt. Imperio itaque episcopi adfuit Vitalis sacerdos cum litteris vestris, et rem gestam ordine retulit, et litteras episcopo missas tradidit, et alias decano. Episcopus malignitatis amaritudine exasperatus, contractis superciliis, vix verbis exeuntibus, litteras legit, et sententiam sibi a vobis illatam his capitulis coram omnibus attentavit. Primum capitulum de Veteri Testamento sumptum est: Adam in paradiso peccavit, non statim damnavit eum Deus, sed deambulavit ut faceret copiam sui. Post vocavit eum dicens: *Adam*. Tertio increpavit, dicens: *Ubi es?* D Item secundum capitulum de Novo Testamento. In Evangelio dictum est Petro: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum, privato. Postea coram duobus vel tribus. Tertio dic Ecclesiæ. Tunc demum habe eum incorrectum, sicut ethnicum et publicanum.* Item dixit: *Ne dicat archiepiscopus: Non potui citare Londoniensem episcopum. Constat potuisse, Quia qui potuit quod majus est, scilicet excommnicare, potuit quod minus est, scilicet citare.* Item dixit: *Solius papæ est, privilegium, ab eo non posse appellari; a cæteris omnibus potest appellari: et appellatione tutus per invocationem sanctissimi nominis sanctæ Trinitatis elido ejus factum ad firmam Petram, supra quam fundata est Ecclesia.* Item dixit: *In omni casu criminali quatuor esse debent, accusator, accusatus, testes, et judex. Hæc omnia confundit odio mei, dum solus accuset, testetur, et judicet. Unde constat, si posset, materiali gladio caput amputaret.* Item dixit: *In alienam segetem mittit falcem. Quia nec in persona, meam anec in ecclesiam meam potestatem habet. In personam, quoniam nunquam dei nec professionem, nec obedientiam feci; nec Cantuariensi Ecclesiæ nomine istius ecclesiæ scilicet Ecclesiæ Londoniensis. In ecclesiam, quia Ecclesia Londoniensis repetit, quod diu, paganorum irruptione ablatum est, scilicet archiepiscopatum debere esse Londoniæ, quod nos probabimus. Et appellationem prius factam innovamus.* Item dixit: *Quod si verum est, quod dicit, se habere illam potestatem a domino papa jure legationis, nec ea in me manus extendere potest, quia nondum recepit se in fines, illos, in quibus esse debet legatus.* Decanus, et archidiaconus, et omnes canonici, et omnes presbyteri Londonienses appellationem fecerunt. Sed canonici S. Bartholomæi, et S. Martini, et S. Trinitatis noluerunt facere aliquam appellationem. Tunc ad ultimum decanus fecit legere litteras sibi missas secundo. Quæ nunc scribo, ante Ascensionem facta fuerunt apud Westmonasterium. Episcopus Londoniensis convocavit episcopum Exoniensem, Ricardum de Ivelcestre, abbatem de Westmonasterio, Widonem Ruffum, episcopum Saresberiensem, et barones scaccarii. Præmandavit episcopo Exoniensi episcopus Londoniensis ne offerret ei osculum pacis: quod non renuit tamen. Nam osculatus est eum Exoniensis. Residentidus omnibus ad eos habuit episcopus Londoniensis sermonem, multimodis ad hoc nitens rationibus, ut episcopum Exoniensem in appellatione secum stare faceret. Sed quasi murus inexpugnabilis adversus expugnatores libertatis Ecclesiæ exstitit. Cui mentionem facienti de sententia eis illata a vobis, episcopus Saresberiensis respondit sic: Si Buinardus archiepiscopus vel stultus archiepiscopus meus præcipit mihi aliquid facere quod facere non debeam, nunquid faciam? Quod absit, quod memoriæ commendetur, ut ei pœna inde reddatur. Semper enim scelera, dum non resecantur, increscunt, et in augmenta facinorum prosilitur, dum secura impunitate peccatur. Valete, et Angelum magni consilii consulite, ut ejus instinctu honesta et utilia in omnibus negotiis vestris faciatis.

EPISTOLA CCCLXV.

HERVEI CLERICI AC THOMAM CANTUAR.

Modestissimo domino suo THOMÆ, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, suus HERVEUS, salutem, et sinceræ charitatis obtentum.

Est unde respirare possit ac debeat animus tuus, hactenus enormitate rerum concussus. Convalescit enim et reintegratur aliquandiu languens, et impudenter lacerata sponsa Christi sacrosancta, et religionis mater Ecclesia, quæ te suo regeneratum ex sinu, alimentis quoque suis affluenter educatum, sponsi,

tandem favore et gratia in eminenti suæ sollicitudinis specula collocavit antistitem: ubi quia te vigilem, fidum, et conformem languoris et læsuræ suæ consortem invenit, reformationis, quam pro Christi accipit clementia, merito non relinquit extorrem. Hoc enim in se continet maternæ pietatis jus et privilegium, ut filiorum fletus convertat in risum, eos amplectendo propensius, quorum favorabiliores agnoscit fletus. Quid favoris tibi parturiverit oppressio, quam pertulisti novit longe lingua per diversos mundi tractus diffusa catholicæ sanctitatis religio: omnis, ut arbitror, lingua novit et natio, quod in locis favor hilaris tui colit memoriam, ubi potestas duplicata nullam fecisset notitiam. Plus tibi profuit nata turbatio, quam profuisset quietis continuatio. Olim insolens et erroneus amicorum copia fortunatus credebaris, donec sua sors nubila detraxit, et te manifestis errasse monstravit indiciis. Nam quos arridentis fortunæ longa tempora promiserant immotos, hos mutatæ sortis momentum levi turbine discussit, et suos esse docuit, non tuos. Et talium tamen confidentia, elatio forsitan est et insolentia. Hæc eliminavit et his similia non infructuosa sortis adversitas, insolentiam humiliatione, errorem discretione commutans, instructiorem suis circumquaque te reddens aculeis. Quæ, quamvis paucos sinceræ fidelitatis ostendere amicos, eos tamen a fallacibus et fortuitis distinguens, cautionis et experientiæ plurimum solertiæ tuæ thesauris accumulavit. Te tibi quoque solito notiorem exhibuit, et quomodo de domestico cordis tui vigore confidas, experimentis edocuit. Sane quam sævientis fortunæ nondum attentata scrutiniis mens molliter illusa et arroganter sibi blandita spoponderat constantiam, quantam qualemque repereris, dum flagitiosa fatorum injuria, auræque vitalis immineret jactura, ipsa tibi fida describas memoria, qui melius nosti. Notitiamque tui et tuorum ne parvi pendas, quam obtulit examinatrix adversitas. Porro multipliciter examinatum reverenter approbat, et veneratur te nostræ conversationis hominum pars potissima. Is præsertim, cujus præeminens est auctoritas, qui te speciali prærogativa inter probatissimos sanctæ matris Ecclesiæ filios plenæ devotionis et charitatis amplectitur brachiis, et in omnem destinat venerationem. Exinde tibi spes surgat, erigatur mens pressa molestiis, respirent præcordia sepulta doloribus: pax in januis est. Succidit Deus arborem, quæ fructus faciebat amaros. Cujus ex radice novella licet plata surrexerit, rore tamen cœli non adjuta, nec radices agit, nec ramos diffundit, nec incrementum recipit, sed arescit. Marcessens modo folium, quod induit, jam oneri sibi est, non honori. Vix stanti terra relinquetur, quam se inutiliter occupasse publice clamatur. Ipse quidem cujus ope pullulavit et stat hæc marcida planta, incolis infestus et indigenis in propria plurimum defensione laborat. Exstat oriens ex alto supremus paterfamilias, insipidæ succisor arboris, qui suos inducturus agricolas hoc plantationis genus radicitus evellet, nec impunitum ejus præteribit auctorem. Dominus exercituum faciet hæc. Cujus ira cum exarserit in brevi, beati omnes qui confidunt in eo. Confidenter igitur hilarescat anima tua, nec confusionis quidquam in tuis visceribus resideat. Dominus Deus noster, et qui non deserit sperantes in se. Ortæ pridem tempestatis horror auræ levioris intervallo detumuisse videri poterat, cujus si rediviva caligine nubila nondum cessant, frustra fulgurationes et ceraunia superasti, si residuo procellarum leviori motu submergeris. Rate navigas integra, remis acriter insurge, portus prope est, ad quem tunc applicabis, cum disposita tibi divinitus sorte contentus omnem emergentem rerum statum in dilectione Christi tibi profuturus posueris. Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Præteritas delicias ne doleas amissas, nec futuras mundi verearis molestias: præsentes facile transcurres varietates:

Non est, crede mihi, sapientis dicere: Vivam
Sera nimis vita est crastina: vive hodie.
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.

Si quadraginta dierum, nec ulterius, quasi canonicam vivendi dilationem, qui occidit et vivere facit, Deus tibi prætaxasset immutabiliter, sane nullas in barbariam fugas attentares: salubris ad commissæ tibi sinum Ecclesiæ, et ad sanctorum decessorum tuorum suffragia confugeres, compunctionibus et orationibus ibidem invigilans. Parum etiam plebis strepitum, vel potentum iras abhorreres. Nec cujusque temeritatem punire contenderes: aliquid supremo judici judicandum reservares. Salubriter rebus et domui tuæ disponens, de crastino supremæ diei non multum sollicitus, malignantium tumultus in contemptum deduceres. Instruit Scriptura dicens: *Quasi morientes, et esse vivimus.* Hujus igitur instructionis norma commonitus, vagas et turbatrices impatientiæ tuæ curas a corde relegans, speciosissimam et excellentem dignitatis tuæ sedem jugi conversatione, officioque debito, quasi mortis sub articulo, studeas honorare. Ubi sanctorum loci suffultus patrocinio, quatenus inculpata moderatio permiserit, plenam postulantibus justitiam exhibeas intrepidus. Si quando regia sublimitas te evocaverit, pareas et reverenter accedas: verbo lenitatis et patientiæ nunquam destitutus ingeniose cuncta modificare satagas. Sicubi grassantis malitiæ refragata fuerit impunitas, caute sedens an prætaxatum sanctorum recurras præsidium. Postremo si ad compositam felicitatem aspiras, æquo animo toleres oportet quidquid intra aream fortunæ geritur. Perspecta poterit prodesse pagina, si non contemnitur, cujus monita sinceræ fidei sunt cognita, licet minus matura, quæ, quamvis canis elatrasset, prudentis tamen viri non offenderent intuitum. In quibus nimirum ejus rei veniam expostulo, quod pluralitate vocabulorum non debitam exprimo reverentiam,

quam non Latinitatis regula, sed adulatrix lingua creavit. Contemplatione modernæ malitiæ hæc utique, serene domine, vobis suggerenda disposui, quam si serena supprimerent tempora, mutaretur forsitan in aliquibus suggestio. Hac interim excitata celsitudinis vestræ prudentia alacriter exsurgat, et de bono semper procedat in melius. Valeat et in longum extendatur vitæ vestræ sanitas et sanctitas, charissime domine. Item et in perpetuum vale.

EPISTOLA CCCLXVI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, HERVEUS clericus.

Juxta tenorem litterarum vestrarum, secretius scriptum professionis, illud distincte legendo, domino papæ ostendi, nullo cardinalium præter dominum Mainfredum præsente, in hospitiis autem suis domino Ostiensi, domino Hyacintho, et Ottoni, et etiam domino Portuensi, cui negotia vestra de consilio et mandato domini papæ communicata sunt, idem scriptum exposui. Quod autem circa negotia vestra, quæ forsitan jam peracta credebatis, præsentem nuntium vobis mitti desiderastis, modo id fieri non potuit, quia nondum illa obtinere potui. Non quia dominus papa vel amici vestri cardinales in ullo se a bonæ promissionis prosecutione retrahant, vel negligentiores se ostendant, fervent enim dilectione vestri, et quod bene promiserat, dominus papa melius se exsecuturum adjecit; sed quia in circumventione et attractione domini Portuensis, solerti adhibita cautela, et omni importunitate, ut oportuit, exclusa, quindecim dierum operam impendi, et hoc effeci, ut ipse primus inter amicos vestros apud Clarum Montem super petitionibus nostris dominum papam interpellaret. Dominus autem papa de industria paterna, ut ipsum præcipue Portuensem, et alios etiam ad instantiam provocet, gravem, durum, et quasi non satis exorabilem se prima facie prætendit. Et hæc est protelationis causa, per misericordiam Dei nobis in posterum profutura. Plurimum autem placet Ostiensi, quod talem industriam adhibet dominus papa. Cum autem effectui mancipari permiserit Deus desideria vestra, quantam mihi Deus annuerit, cautelam adhibebo, ut ad vos transferantur. Porro de consilio domini papæ est, ut si rex Franciæ victualia sua vobis honeste obtulerit, recipiatis non solum panem et vinum, sed etiam carnes : a tribus comitibus ad cautelam nihil palam accipiendum putat. A comite autem Glandrensi optimum credit oblata recipere, si tamen litteris suis vos vocaverit et invitaverit, ne quid pallietur. Quod tamen dominus papa non potest vereri propter generositatem et bonam indolem hominis illus, cujus intercessionem vobis profuturam sperat. Valeat dominus meus in perpetuum.

EPISTOLA CCCLXVII

HUGONIS AD EUMDEM.

Domino suo THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, suus HUGO, salutem.

Dominum merito dixi, cui servire et volens volui, et ex vota proposui. Utinam tamen dominus meus et diligentius attenderet, et sincerius diligeret eos, qui eum diligunt in veritate. Multi enim discipulorum speciem prætendunt, et debitam filiis benedictionem præveniunt, quamvis mercenarii nomine debeunt nuncupari, paternæ benedictionis gratiam non merentes. Hi etenim sunt qui cito diligunt, sed citius contemnunt. De quibus dicitur : *Statim credunt sed in tempore tentationis recedunt.* Hi sunt qui palam rident, intus derident ; palam loquntur, clam obloquuntur ; in occulto sibilant, in manifesto obtemperant. De quibus dicitur : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Hi sunt qui cum prosperitate fœdera pasciscuntur ; qui prædam, non hominem sequuntur non hominis, sed fortunæ; temporis, non personæ amici. Si enim adversitatis horror ingruerit, statim trepidant, vehementer desperant, ad antiquæ statum gloriæ profundius suspirantes. Si autem vel tenuis prosperitatis aura refulserit, subita quadam prurigine dissoluti, vento omni velocius agitantur, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Tales sunt qui ad ollas carnium in Ægypto suspirant, qui populum Domini in castris deserere non formidant. Tales forte cum David ad amplexus Bethsabeæ festinant, nobis cum Uria intrare domum nondum fas esse videtur, donec populus Domini debita victoria perfruatur. Magis enim reputo gloriosum de mola assumi, quam de lecto, et pilis cameli cum Joanne vestiri in deserto, quam in domo regia mollibus insigniri. Felicius enim esse constat Christo occumbere, quam terreno principi militare. Quidquid igitur cæteri agant, quocunquæ præcipiti voluntate ferantur, ego tamen minimus eorum, quos rex odit gratis, tecum semper ero ; et si oportuerit me mori tecum, non renegabo. Verum orare te condecet, ut non deficiat fides mea. Quoniam si sola voluntate mihi non defueris, ego tibi totis viribus præsens ero. De cætero gratias ago domino meo, quod consilium pueri sui super re grandi dignatus est sciscitari. Interim ergo differo consilium, quia super sum. Sed utinam dominus meus prius a rege Anglorum nuntium receperit certiorem, quam ad extraneum principem frena convertat. In proximo enim videbitis gloriam Domini, et splendor ejus obumbravit vobis. Quoniam regis nostri, regis, inquam, jam benignissimi, Dominus cor fecit placabile, et faciem reddidit mitiorem. Quod igitur vobis placuerit, mihi semper mandate. Pro vobis enim paratus sum et in carcerem, et in mortem ire. Et certe nihil mihi videbitur onerosum, quod a vobis fuerit imperatum. Constanti itaque animo estote, et confortamini, quia veniet Dominus, et non tardabit, nec vos deseret in tempore superborum sine adjutorio

Dominus Deus noster, qui personam vestram semper conservet incolumem.

EPISTOLA CCCLXVIII.

NUNTII SUI AD EUMDEM.

Venerabili domino suo, suus ille, in iis quæ Dei sunt, semper proficere.

In fine litterarum, quas vobis nudiustertius misi, si tamen vos eas recepistis, contentum est, quod rex, quibusdam irarum igniculis inter ipsum et dominum papam accensis, vestro imo Dei instinctu venerit ad curiam, ipsisque seorsim colloquentibus, quidquid rancoris conceptum fuerat, per gratiam Dei exstinctum est. Discordia etiam, quæ inter Henricum Pisanum, et Joannem Neapolitanum, et Willelmum de Papia, quisque enim istorum eodem spiritu vexabatur, pullulaverat, specie tenus sopita est, rege mediante. Quidam etiam alii, prius discordes, per eum concordes facti sunt, ita ut eo inde discedente multi dicerent: *Homo iste venit pacem mittere, non gladium.* Die autem tertia post ejus discessum ego et frater Franco, verbo nobis secretissime commisso, ad eum missi sumus. Cumque Parisios venissemus, magistrum Rogeri Eboracensis nuntium invenimus, qui jam rumoribus repleverat civitatem, quod scilicet rex Angliæ apud Vigorniam de equo ceciderat, et quod graviter in dextro brachio læsus fuerat. De duro etiam responso, quod rex ibi per proprios ipsius nuntios ante Gualensibus fecerat, et aliis multis, quæ aliquis nostrorum, qui tanquam exsules facti sumus nullatenus præsumeret. Veniens Sylvanectum ad regem inveni quemdam apud eum servientem, qui ei duos canes nomine vestro præsentaverat. Ipse, tanquam vir discretus, et de amico sollicitus, timebat ne alicujus æmulorum vestrorum malitia factum esset, ut per litteras ab eo impetratas, vel per aliqua intersigna occasio malignandi posset haberi, ideoque ipsum tanquam exploratorem, donec ego ad eum venissem (sciebat enim me in brevi venturum) apud se detinebat. Ego quidem, licet eum ad plenum non cognoscerem, quia tamen multa ab eo audiebam de modo vestra inter signa mihi satis nota, et ne si aliquid mali, quod in mente regis erat, ei inferretur, verbum ad aures inimicas transiret, datis ei a rege viginti solidis ipsum abire permisi. Misit rex vobis litteras, suas dilectione magna et consolatione plenas, quas etiam latori præsentium propter quædam, quæ in eis continentur, non sum ausus committere, sed eas apud me retinui.

Expletis itaque domini papæ negotiis, pro quibus missus eram, reversus quam festine potui ad curiam, sine omni difficultate a domino papa obtinui, quod nullus nuntius instinctu illius æmuli vestri ab eo obtineret, quod aliquo modo vobis posset obesse et quod ipse honori et utilitati vestræ pro posse suo in omnibus provideret, pro quo ego vice vestra pedem ejus deosculatus sum. Petitiones ejus secreto factæ fuerunt hujusmodi. Prima, quod dominus papa cogeret electum episcopum sancti Andreæ de Scotia venire Eboracum pro consecratione sua: et si non veniret, quod archiepiscopo liceret eum suspendere; sed non potuit obtineri. Alia, quod absolute duceret in irritum, quidquid prædecessores Willelmus et Henricus, et omnes alii distraxerunt vel alienaverunt de fundo Eboracensis Ecclesiæ. Quod quidem hoc modo obtentum est, quod ei liceat legitime revocare, quidquid injuste, et sine assensu Romani pontificis vel privilegio distractum a prædecessoribus suis. Tertia, quod ipse non compellatur ad ordinandum vel beneficium ecclesiasticum conferendum aliquibus, qui fuerint geniti vel nati ab aliquibus in sacris ordinibus constitutis. Et hoc obtentum est, Quarta, quod ei liceat redimere a laicis advocationes ecclesiarum. Quod necdum potuit obtineri. Aliæ fuerunt, de quibus nullam feci mentionem: nullius enim momenti erant. Nos autem verebamur, ne aliquid magis sublateret: *Latet enim anguis in herba.* Dissimulabat namque nuntiis se in brevi recessurum, cum tamen non ita esse apud hospites ejus deprehendissem.

De servitio ejus scribere vobis aliquid certum non potui. Cum enim jam per quindecim dies moram fecisset in curiâ, dominus papa nihil adhuc receperat, nec aliquis cardinalium, nisi forte Neapolitanus, quem fere solum habebat propitium: qui usque ad mortem dolere videbatur, quoniam ei ad nutum non succedebat. Utrum vero ipse servitium attulerit, incertum erat. Ego tamen, cum a rege rediissem per Parisios, exploravi ab hospite ejus de statu ipsius, et accepi quod cum tres haberet equos, ibat oneratus. Quod quidem sive sit, sive non sit, nobis parum curandum est. Nos enim per gratiam Dei juxta portum sumus, et de faucibus leonis eripuit nos Dominus. Eisdem diebus Willelmus de Papia, semel in palatio trahens me in partem, quæsivit utrum de vobis aliquid audissem. Cumque ipsi respondissem: *Non*, cum multa et consueta solemnitate dixit: *Non amplius turbidam faciem geras, sed lætitiam natali diei debitam agas. Quia dominus archiepiscopus cum rege confœderatus est, et pacem ejus obtinuit.* Quod quidem a quo habuisset, per eum non potui cognoscere. Postmodum vero die secunda subdecanus Bajocensis, et quidam ejus canonicus secreto mihi retulerunt, quod apud Lexovias hospitati cum episcopo Lexoviensi, litteris et viva voce mandavit episcopus per eos Willelmo Papiensi, et Joanni Neapolitano, quod ipsi pro certo scirent pacem factam esse inter vos et dominum regem. Hoc utique quid sibi vellet significare, quod eis sic mandatum est, et ab eo qui in eadem damnatione cum eis fuerat, incertum erat. Cumque hoc domino papæ, Hyacintho, et aliis amicis nostris per me innotesceret, mirum omnibus videbatur. Omnes tamen de pace vestra tanquam de sua lætabantur. Dicebatur autem a quibusdam nuntium illum majora his velle quærere, sed quia super hoc nullum apparebat argumentum, et dominus papa nos omnino esse securos præceperat, ea vobis scribere supersedi. Porro

si aliquid emerserit, quam citius poterimus, sublimitatem vestram non latebit.

Verbum illud de filio Osberti archidiaconi jam omnium aures replevit; et abhorrent universi. Nos autem Deo et vobis gratias referimus, quod quidcunque a vobis veniunt, consonant. Et quæ nos in aure de honestate vestra, ipsi prædicant super tecta. Cancellarius imperatoris veniens Viennam, archiepiscopos quamplures convocavit, primoque milites ad opus imperatoris ab eis quæsivit. Postmodum de receptione Guidonis Cremensis, quem imperator receperat, instantissime singulos convenit. Ibique spe et desiderio suo privatus est. Quidam autem eorum ipsum Guidonem coram eo excommunicare parati fuerunt. Ipse vero, cum non posset juxta votum suum proficere, indixit comiti Henrico colloquium suum se velle cum eo habiturum. Comes autem, cum hæc vobis scriberem, transierat Parisiis, ut regem super hoc consuleret. Sed quid facturus esset, nos adhuc ignorabamus. Plura vobis scripsissem de statu Ecclesiæ, de Lombardorum reelevatione contra imperatorem, de sacramento quod a Romanis generaliter factum est papæ Alexandro, et aliis, nisi quia paginæ prolixitas prohibebat. Timebam etiam aures, tot et tantis occupatas negotiis, offendere. Conservet vos Deus nobis et amicis vestris incolumen. Equitaturæ defectus, quem patior, poterit vobis esse damnosus. Nisi enim archidiaconus Saresberiensis, qui de omnibus negotiis ad vos spectantibus pro posse suo sollicitus est, mihi subvenisset, quibusdam, quæ satis utiliter sum prosecutus, de necessitate supersedissem. Domus meæ, et rerum mearum, si placet, reminiscamini. Duritia enim rusticorum tanta est, quod nisi auctoritas vestra intervenerit, ipse in nullo mihi parcent. Unde expedit mihi, ut ipsis et ministris vestris super hoc litteras vestras dirigatis.

EPISTOLA CCCLXIX.

NUNTII SUI AD EUMDEM.

Amantissimo domino suo, suus ille, salutem, et bene semper valere.

Per misericordiam Dei, quæ sperantes in se non deserit, factum est, ut eadem die, quia dominus papa de morte Octaviani certificatus est, venerint ad curiam nuntii domini regis R. et H. Hi autem, tantæ humilitatis speciem ex parte regis prætendentes, una voce et litteris verbis eorum consonantibus dominum papam, et aliquos cardinalium adeo movisse visi sunt, quod, sicut ex relatione quorumdam, qui nobis favent, didici, ipsi vix lacrymas continebant. Post multas igitur allegationes qualiter scilicet, et quo affectu ipse eum receperit, quantam reverentiam ei semper exhibuerit, et quandiu vivet exhibebit, et in hunc modum, multas reddiderunt domino papæ litteras de legatione quas archidiaconus vester minus honeste, et dum apud vos eram in Anglia, impetravit. Conditionem vero ipsam, sub qua eas ipse obtinuit, dominus

A rex per istos nuntios per se factam vel quæsitam fuisse penitus ipse negavit. Dominus vero papa cum tanto affectu, et ita avide eas recepit, tanquam si aliquid desideratum ei oblatum fuerit, ut et quidam si aliquid desideratum ei oblatum fuerit, ut et quidam ei assidentes plurimum mirarentur. In hoc itaque articulo qualem ego me exhibuerim, quid super hoc a domino papa mihi commissum sit, salva fide mea vobis significare non potui, donec nuntii a curia recessissent. Postmodum vero nuntii illis cum multa festinatione se velle redire simulantibus, tres illi cardinales, qui vos modis omnibus persequuntur, Neapolitanus scilicet, et Portuensis, et Papiensis, cum magna instantia conati sunt a domino papa obtinere litteras generales de legatione,

B vel saltem easdem, quæ redditæ fuerant, ad mitigandam regis indignationem absolute. Quod cum neutrum possent (dominus enim papa super hoc securum me fecerat, quod scilicet nunquam amplius ad manus ejus redirent, et secreto mihi commiserat) ad negotium abbatis sancti Augustini conversi sunt. In quo qualiter processum sit, ex litteris sociorum nostrorum cognoscetis. Vestra itaque interest vobis viriliter providere, et gratiæ Dei, quæ ultro se vobis offert, non deesse. Valeat paternitas vestra.

Nuntii regis coram domino papa me esse specialem inimicum ejus denuntiaverunt: et non expedire mihi pro toto auro Arabiæ, quod ipse haberet potestatem mei. Sed nec sic poterit terreri fides

C mea, ut cum Petro possim dicere: *Paratus sum tecum in mortem et in carcerem ire.*

EPISTOLA CCCLXX.

NUNTII SUI AD EUMDEM

Venerabili domino et Patri charissimo THOMÆ, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, et Anglorum primati, fidelium suorum minimus, salutem et felices ad vota successus.

Noverit vestra paternitas Octavianum schismaticum, quem sibi in caput erexerant, et schismatis principem Belial, quarta feria post octavas Paschæ obiisse in urbe Lucensi, et sepultum esse in monasterio extra civitatem. Cum enim canonici majoris ecclesiæ, et regulares canonici sancti Fridiani ei sepulturam negassent, præeligentes a suis migrare

D sedibus, quam admittere corpus schismatici, quem credunt in inferno esse sepultum, a satellitibus imperatoris et familia propria ad miseros monachos cadaver illud perlatum est. Capella vero ipsius, et quidquid aliud habebat, et equi, quoniam aliud non habebat, qui urgente inopia non nisi ex rapto vixerat a multo tempore, ad imperatorem perducti sunt. Imperator autem hoc cognito vocavit ad se Papiensem episcopum, qui in monasterio Beati Michaelis apud Clausam exsulabat; sed quid facturus sit, adhuc incertum est. Alii autem dicunt, quod alium velit ei substituere. Alii quod ad catholicam redibit unitatem. Præterea urbes Italiæ minus solito promptæ sunt in obsequium ejus, adeo quod Pa-

ptenses et Cremonenses, per quos Italiam domuit et A contrivit, ei in faciem resistant, denuntiaverintque ei quod, ab eo recedent omnino, nisi deponat tyrannidem, et civiles induat mores, ut liberi esse possint, sicut in diebus aliorum imperatorum.

Octavianus autem quindecim diebus antequam moreretur, freneticus effectus est continue, et in tantam versus insaniam, ut nec Dei nec sui memor esset. Audierat quidem dominus papa de morte Octaviani a fidis et veris relatoribus, et velut alter David persecutorem suum deflevit extinctum, et cardinales de morte illius exsultantes durius increpavit. Hoc autem recte, eo quod jactura animæ irreparabilis est, ubi culpa per pœnitentiam non deletur. Nec meminimus a sæculo, quod hæresiarches vel auctor schismatis, nisi coactus et invitus, B pœnitentiam egerit. Si revolvatis historias, ita credo verum esse constabit, quælibet autem sacrificia, nisi voluntaria fuerint, reprobat Deus. Dum in curia sermo iste crebresceret, ecce nuntii domino regis advenerunt, litteras a sede apostolica impetratas restituentes. Vix eas reddiderant, cum in continenti aliæ litteræ ab Italia venerunt, et fere pariter porrectæ sunt, exponentes diligenter et de morte Octaviani, et de his quæ in Italia gerebantur. Dicitur itaque, non modo domino papæ ab Italis, sed et regi Francorum a Gallis de partibus Apuliæ redeuntibus, quod imperator quintana laborabat, et imperatrix in puerperio fecit abortum. Unde factum est, ut tota Gallia ad obsequium domini papæ devotius conversa sit, et Ecclesiam Romanam ad minas C hominum minus moveri oporteat. Et ut pro certo accepimus, domini Eboracensis legatio omnino exspiravit, sublata omni spe convalescendi.

Memoratus itaque dominus sic legatus Anglorum exstitit, ut nec annuus, nec mensurnus fuerit, aut dialis, qui in legatione sua nec annum, nec mensem, nec diem habuerit. Sed nescio quod pacto nuntii recedentes ab apostolica sede, licet his qui eos præcesserant, minores sint, se pro Augustinianis obtinuisse jactitant, quod majoribus negatum est, adversum nuntios vestros curiam inflammasse. Et sibi patuisse dolos, quos Gaufredus Ridel et Joannes de Oxeneford contra dominum regem exercuerunt, ut exsilio et omnium bonorum proscriptione digni sint, si citra consensum et auctori- D tatem regiam talia præsumpserint. Dicunt etiam quod quidam cardinalium litteris suis domino regi significant ad excusationem sui, quam malitiose Gaufredus et Joannes incesserint, et quam præsumptuose vestri nuntii semper et ubique detrahunt regi. Super his nihil mihi significaverunt socii nostri morantes in curia, sed ea per extraneos didici. Verumtamen quidquid contra innocentiam vestram malignorum perversitas moliatur, rogo et consulo, ut quantumcunque secundum Deum poteritis, vobis domini regis gratiam acquiratis et conservetis; quoniam ita Ecclesiæ Dei expedit. Nec video quomodo possitis utiliter præesse, quandiu rebus ita manentibus rex vobis in omnibus adversabitur. Præsertim cum Ecclesia Romana a vobis non nisi verba recipiat, et dispendium, quod aliunde patitur, imputet vobis et sibi, quæ vos pro voluntate regis non patitur conculcari. Nunc autem facile ex hac occasione monasterium beati Augustini sibi, nisi præcaveritis, retinebit omnino, quia credibile est, omes sibi malle quam alteri. Nec video, quomodo istud evitetis, nisi per regem, cui probabiliter persuaderi fortasse poterit, quod longe melius est, et honestius illi, et tolerabilius vobis, ut vestram pro libitu conculcet personam, quam sic ecclesiam mutilet et pessumdet. Ecclesia vero Cantuariæ in quo meruit iram ejus? Nunquid digna est affligi et conteri, quia vos elegit, et sibi præfecit? At ille, si causam recte examinat, hoc sibi, non Ecclesiæ imputabit. Sane melius esset in quacunque cella salvaretis animam vestram, quam ut vestri odio vestra et omnes aliæ ecclesiæ conterantur, et clerus in ea, cui in diebus nostris addictus est, servitute remaneat. Forsitan et humiliatione vestra hujusmodi, quam vobis Dominus inspirabit, movebitis regem, si ea dixeritis loco et tempore, et ea modestia, et contemptu rerum, et constantia, quam causa desiderat. Si eum vere placatum habueritis, omnia hæc auctore Domino facillime conquiescent. Et si hoc aliter fieri nequit, rogo et omnibus modis consulo, ut eum amplius frequentetis. Nec in eo vos deserere credatis pastoris officium, si vel hanc unam animam retinueritis in cultu Dei, ex cujus arbitrio, Domino sic disponente, pendent animæ infinitæ. Nam ut ait ethicus: *Componitur orbis regis ad exemplum.* Et Salomon ait, quod *qualis est rector civitatis, tales erunt et habitantes in ea.* Quid verba multiplico? Precum et consilii mei summa est, ut quantumcunque potueris, dum tamen secundum Deum, regis benevolentiam comparetis. Et tamen socii vestri, quos familiares habuistis, habetis et habebitis, quandiu Deus permiserit, me vobis contraria consulere mentiuntur, dicentes quod ego vos instigabam, ut a domini regis obsequio recederetis, et quod nullum militem honoraretis. Novit Deus, et vos novistis, quia semper consului vobis, ut debitum regi præstaretis obsequium, et vestram quoad Deum et homines servaretis honestatem.

EPISTOLA CCCLXXI.

AMICI SUI AD EUMDEM.

Reverendo domino et Patri THOMÆ, Dei gratia venerabili Cantuariensi archiepiscopo, suus ille proprius, in tribulatione patientiam non deserere.

Legitur Constantii principis temporibus quosdam minus spirituales episcopos, propriis prætermissis ecclesiis, curiæ frequenter interfuisse, turpi adulatione Cæsarem delinisse, regiis potius quam evangelicis edictis paruisse, in principum amplius quam Domini adjutorio confidisse. At contra Martinus, incomprehensibilis meriti Turonensis episcopus, tabernacula peccatorum pro posse declinans, com-

missam sibi Dei sui domum, licet sæculo abjectus, A devotius inhibitabat. Si quando tamen eum a principe prætaxato accersiri contingeret, severitatis ei tam verba quam vultum exibebat, inhonestas coepiscoporum suorum blanditias arguebat, indiscreti principis excessus cohibebat, præferens animo humana carere gratia sublimium vitia coercendo, quam a superno favore excidere delinquentium errata confovendo. Et ecce tempora Constantii renovata jam cernimus. Hodie namque quamplures nostræ pastores Ecclesiæ a finibus terræ currunt audire et facere voluntatem Salomonis. Insufficiens nimirum et modicum arbitranter copiosæ Dei gratiæ dono adimpleri, nisi et contingat regiis consiliis adhiberi. Civilis etiam atque domestica vetus illa Machabæorum plaga eventu consimili nostram B hodie perturbat Ecclesiam. Cum enim Antiochus furia in Domini sacerdotes nuper invectus sancta in Hierosolymis conculcare, Hebræos a patriis legibus revocare, magistratum templi dignitates humiliare disponeret, ecce aliqui progressi ex Israel, viri utique pestilentes, cladis proximæ ingruentiam expavescentes, aut certe pontificis summi priora tui invidentes, regis indignationem remissa satis humilitate prævenerunt, quæ sibi ad pacem forent intentius expetierunt, fœdum cum eo fœdus meruerunt, prælati sui devotioni tacite detrahentes. Sed qui locum suum in pace constituit, dissipet eos qui bella volunt. Et qui reprobat consilia principum, consilia Achitophel, consociorumque ejus adversus David innocentem infatuet. Et quicunque cum C Chore, Dathan, vel Abiron in hujus militantis Ecclesiæ castris sanctum Domini Aaron irritare præsumpserit, Dathan et Abiron sententia percellantur, ut cœlo vacui, terra absorbeantur. Quatenus ergo animum ab exquirenda cœli voluntate longius amoverunt justum et innocentem persequendo, eo terrenis affectibus profundius obruantur inconvenientia exercendo.

Hæc idcirco dixerim spiritu anxiatus, quoniam cum Stephanus noster, gratia plenus, fratribus et contribulibus suis verbum vitæ infatigabilis administraret, cum nihil morte dignum, nihil crimine notandum opere perpetrasset, impii super eum jacturam fecerunt; ut ecce inimici filii hominis, gladiis accincti, et ad nocendum præparati, trans D mare, perque terras a sæculari potestate diriguntur, ut eamdem citius evellant, arborem utique fructuosam, quam plantavit, et ut immerito humiliet, quem merito exaltavit; utque quam provide contulit, improvide fidelis sui dignitatem imminuat. Quid igitur aget mitis et innocens Dei athleta, extenti in se gladii nescius et ignarus? Quorsum effugiet consilio malignantium obsessus? Restat ut ad tolerantiam animatus, tanquam aries de grege electus, charitatis pinguedine saginatus, Domino sese immolandum exhibeat. Restat ut capitis sui imitator effectus sine murmure, sine contradictionis obstaculo, varias iniquorum patiatur injurias, patiensque non comminetur, imo etiam pro injuriantium scelere deprecetur. Stet igitur Moyses in confractione coram divinæ majestatis intuitu, sedulo pro fratribus interpellans, qui vitulum conflatilem, vitulum utique auro plenum, absque ejus conscientia nuper adoraverunt.

Verumtamen articulo tribulationis elapso, ac tempore retributionis accepto, eosdem in criminis ultionem districtius puniat, quos fraterna prius compassione pie defleverat, quatenus juxta quod in maledictione seminaverant, de maledictione operis sui fructum metant: sicque proveniat, ut Joseph adversitatis probatus examine, gratiam tandem Pharaonis adeptus, principum Ægypti fratrumque suorum cum gloria dominetur, quorum fuerat invidia contristatus. Unde quandoque et ipsi tribulationibus intercepti merito se talia pati commemorent, quoniam in fratrem suum absque culpa exigente peccaverunt. Miro namque et subtili modo convicanei Job amicum subvertere nitebantur, dum quidam de sacerdotibus nostris principem sacerdotum magis formidolose quam sincere nuper conveniendum adiere, incorruptum corrupti, azymum fermentati, arte qualibet persuadere attentantes, ut se quoque fermentari assentiret, qui utique fermenti non novit acredinem. Ad Joannem igitur ab Hierosolymis sacerdotes accesserunt, quis et cujus fuerit integritatis explorantes, sed eo arundine vento agitata non invento, inutiles et inglorii recesserunt. Siquidem qui sic missi fuerant, erant ex Pharisæis. Utinam et invenerint prophetam in Israel, qui principis sui lepram ejiciens, ne et ipse lepram participet, oblatam auri vel vestium, imo et regni totius copiam exsecretur. Rex itaque Balac cum fautoribus suis Balaam munere vel pollicitationibus corrumpendum expetiit, ut conclusum Dei populum hostibus tam operis quam oris exponeret maledictioni, cujus quidem regitur benedictione.

Sed ecce plus quam Balaam, imo nequaquam Balaam hic, qui nec prece, nec pretio, minisve appositis pauperum animas bestiis tradere compelli potuit, ex quo semel super his olim intellexit dictum: *Pasce oves meas.* In Daniele itaque, juvene regis Babylonii statuam non adorante, fidem admiror, quam in senibus et contribulibus suis nequaquam invenio. O si filii nostri Aaron gentibus non commiscerentur, si gentium opibus non contaminarentur, si ordinis sui dignitatem indivisi tuerentur, quam libere, quam tranquille fœderis tabernaculum cum ejusdem ministris in medio Amorrhæorum inconcussi regerent et circumducerent! Sed quoniam remissi et indisciplinati filii Heli propria ignavia in certamine corruerunt, ecce capta est ab allophylis arca Dei, et pro hostium voluntate ac dispositione circumagitata, filiisque retrorsum alienatis, multiplicata est in eis ruina. Sed quicunque sint seniorum Israel mandatorum transgressione polluti, stet Phinees noster solus a Dei

sui mandatis non devians, crebrisque lacrymis iram cœli placare non desinat, donec imminens Ecclesiæ cesset quassatio. Et utinam reputetur ei ad justitiam a generatione in generationem usque in sempiternum. Amen.

EPISTOLA CCCLXXII.

AMICI SUI AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, quidam amicus suus.

Sciatis hunc esse tenorem mandatorum, quæ Henricus rex in Angliam misit. Scilicet ut omnes portus cautissime custodiantur, ne litteræ interdictionis ullatenus illuc deferantur. Et si aliquis regularis illas attulerit, pedibus truncetur; si clericus, oculos et genitalia amittat; si laicus, suspendatur, si leprosus, comburatur. Et si aliquis episcopus ejus interdictum metuens recedere voluerit, nihil secum deferat præter baculum. Vult etiam ut omnes scholares repatriare cogantur, aut beneficiis suis priventur; et qui remanserint sine spe remeandi remanebunt. Et presbyteri, qui cantare noluerint, genitalia amittant; omnesque rebelles sibi omnibus beneficiis priventur. Vale.

EPISTOLA CCCLXXIII.

Difficile est ibi consulte agere, ubi ratio respuitur, justitia conculcatur, ubi summus pontifex contemnitur, et reverentia plus spurcissimis hominibus quam Deo exhibetur. Debueram siquidem sic et sic egisse. Hoc facillimum erat dictu sed difficillimum effectu, tum quia omnes personæ mutuam sibi operam præbent, tum quia etc. Æstimabam ergo esse securius et minus periculosum æstuantis iræ gurgitem cum baculo humilitatis attentare, quam temeritatis vel impetus ausu in profunditatis gurgite totum corpus immittere. Habui et etiam et aliam hujus rei considerationem, qua nolui patris mei verenda irreverenti fronte detegere. Consultius igitur ut mihi videtur agitur, si sub fruticis domicilio, dum tempestas immurmurat, sedeatur, quia Deo propitio post hujus aeris intemperiem serenitatis gratia subsequetur. Adverte igitur quod causæ nostræ intentio magna ex parte cassetur, eo quod in subito facta sit accentuum permutatio.

EPISTOLA CCCLXXIV.

EPISTOLA FRATRIS R. AD. FRATRES G. R.

G... G. R. dominis et dilectis in Christo fratribus, frater R., spiritu consilii et fortitudiuis abundare.

Benedictus Deus qui, licet vestris exigentibus meritis sero, respexit tamen ut visitaret sedentes in tenebris, ut dissiparet saccum miseriæ vestræ, ut converteret luctum in gaudium, ut post lacrymarum potum inopinatæ vino lætitiæ longi mœroris tristitiam exhilararet. Audivi equidem et lætatus sum, in his quæ dicta sunt mihi, et exsultavit ut magnificaret anima mea Dominum, verumtamen multo uberius propter vos quos dilexit, sed in Domino. Ex eo namque nostræ dilectionis causa et per eum in ipso contracta est. Hinc est enim quod ea in quibus vos propter Deum devotius invigilare contueor, jucundiori animo et uberioris benignitatis affectu valde arctius amplector. De oppressione siquidem et desolatione vestra quantum doluerim, frequenti gemitu mei querela innotuit. Vestræ etenim calamitatis ærumnam, meam duxi. Quam si minus præsens corpore, animo tamen nunquam absens sustinui: verumtamen divinæ miserationis gratia, qui prius timui, sperare jam cœpi. Quis enim injusta timeat causa præsertim quam tot et tanta fovent patrocinia? Quisve domino papæ ex apostolicæ sedis auctoritate jubente, regia etiam potestate protegente, tantorum judicum diligentia pie et juste ac benigne per omnia consulente diffidat? Quis etiam in tam discreto, tam necessariæ emendationis principio, de jucundo et prospero exitu desperet? Studiosa igitur solummodo diligentia res eget, ut rationabiliter susceptum piæ æquitatis opus ad affectum perseverantia perducat. Accingimini ergo et estote forti animo, videbitis enim Domini auxilium super vos, ut expulso dissipatore, possessionum ecclesiæ vestræ status in melius reformentur. Jam enim mihi videre videor semen Jacob de tribu Ephraim et de domo Manassæ, virum scilicet ecclesiæ vestræ curam suscipientem, qui supplantatis adversariis vitæ vocatis possessionibus fructificet et in reformando religionis decore invigilet, et oblitus ea quæ retro sunt in anteriora se extendat: cœlestia studiose quærens et temporalia discrete administrare non omittens. Veniet, inquam, veniet, donante Domino, dilectissima dies illa, ut misericordiam Dei videamus, ut causa desiderati boni perfecto fructu gaudeamus. Cavete igitur in causa beati Petri vobis tam diligenter a beati Petri vicario injuncta, ne vel negligentius aliquid remittatis vel vehementius exaggeretis: ne sit vel periculosa negligentia, vel suspecta vehementia, et domus vestræ non reveletur oppressio, si vestras persequendo injurias aut vestro servire commodo aut ultionis inæstuare desiderio videamini. State ergo viriliter agentes nec terrore vel blanditiis a rectitudinis statu declinantes, sed secundum scientiam zelum Dei tenentes simpliciter at recte gradientes, nec vel pusillanimiter fracti vel enerviter emolliti. Scio enim nec ambigo, quin vestram in multis simplicitatem tam caput mali hujus quam membra ipsius circumvenire laborent. Sed quia et falli inutile et fallere turpe, non immerito voluit Dominus filios sanctæ matris Ecclesiæ et serpenti assimilari et columbæ. Attendite ergo super his et vobis in posterum et Ecclesiæ vestræ consulite, quia tanto gravius dejiciemini, quanto non erat ulterius locus resurgendi, si vos post domini papæ præceptum et paternorum tantorum contemptum mutabilitatem animorem in suæ perversitatis inclinaverint affectum. Mei igitur consilii hæc est mens et definitiva sententia, ut nulli spiritui in aliud quam quod agendum suscepistis credatis, ne si iterum causam reformare oportuerit, vos in ea aut pro ea stare ne-

quaquam possitis et vos pariter periculo capitis et famæ detrimento subjaceatis. Si autem appellare compulsi fueritis, aut ipse subterfugium quærens appellaverit, et in hac quoque parte cautela opus est. Periculosum namque maxime est cum eo iter communicare, quorum affines et propinqui sanguini nostro possint insidiari. Verum a legatis vobis judicibus de facultatibus ecclesiæ vestræ proferenda causa ecclesiæ tanto itineri necessarios sumptus vobis dari postulantes, et eorum muniti litteris quæ dicuntur apostolis quanto citius poteritis ad dominum papam proficisci ne differatis. Valete.

EPISTOLA CCCLXXV.

NUNTII SUI AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Thomæ Cantuariensi archiepiscopo, nuntius suus.

Comitem Flandrensem non inveni: et in eo quærendo divortia facere mihi periculosum, et vobis non expedire credebam. Rex Franciæ apud Suessiones cum multo gaudio me et quod ei per me missum est, recepit, et in continenti priorem Sancti Medardi Suessionensis, discretum et magnæ auctoritatis virum ad dominum papam cum litteris suis destinavit, quibusdam etiam ei viva voce injunctis ad negotium nostrum spectantibus quæ scriptoris fidei committere non erat tutum. Cum igitur ab eo discederem, manum meam tenens in sua, in verbo regio promisit, quod si vos ad partes suas transire contingeret, non sicut episcopum vel archiepiscopum vos reciperet, sed tanquam in regno socium se vobis exhiberet. Eodem modo Suessionum comes multis interpositis juramentis asserebat quod comitatum Suessionensem et ipsius reditus universos in usus vestros converteret. Et si regressus meus per eum fieret, se vobis per litteras suas significaturum dicebat. His itaque, prout potui, procuratis, una cum prædicto priore per terram comitis Henrici, tum quia via brevior, tum quia securitatem præstabat ejus societas, ad curiam festinavi. Verumtamen prior per duos dies, antequam ego in conspectu domini papæ comparuissem, regis litteras præsentavit, et super his, quæ ei viva voce injuncta fuerant, pertractavit. Deinde cum et ego accessissem cum suspirio, et non sine lacrymis a domino papa receptus sum. Ipse enim quæcunque in concilio acta sunt, de persecutione Ecclesiæ, de constantia vestra, qui episcopi vobiscum steterint, quomodo a vobis exiit, qui de nobis non erat, de judicio quod factum est de clerico, et omnia fere quæ in secreto commissa fuerant, antequam ego venissem, et tota curia audierat, et per plateas prædicabantur. Nobis itaque in partem secedentibus, singula capitula, sicut memoriale nostrum continebat, diligenter ei exposui. Ipse vero Deum, qui talem ecclesiæ pastorem contulerit, sine intermissione magnificabat. Tota etiam curia fortitudinem in vobis commendat. cujus illa se ipsam omnibus modis invenit expertem. Tanta etenim animi imbecillitate omnes laborant, ut minus Deum timere, quam hominem videantur. Eo enim quod in Tuscania Radicoforum cum fratre et nepotibus domini papæ, et quædam alia castra cum parentibus et cardinalium capta sint a Teutonicis, quod Joannes Cumin tandiu apud imperatorem moratur, quod comes Henricus ad dominum papam venire noluerit, quod a rege Angliæ nuntium aliquem a longo tempore non receperint, aliisque multis in idipsum concurrentibus adeo terrentur, ut tempore isto principem aliquem, et maxime regem Angliæ, nullatenus in aliquo audeant offendere, nec Ecclesiæ Dei, quæ ubique terrarum periclitatur, si possent etiam, attentarent subvenire. Sed hæc hactenus.

De petitionibus vestris quid actum, et quomodo in eis processum, per litteras priores domini Pictaviensis, qui per gratiam Dei adventum meum per unum diem prævenerat, et tanquam amicus in negotiis vestris sollicite et fideliter laboravit, liquido cognoscetis. Papa namque iram regiam omnibus modis declinans, vobis et Eboracensi litteras mittit, non præceptorias, sed de firmanda et tenenda pace inter vos hortatur utrumque. Fratrem vero quemdam de templo ad vos dirigit, ut utrumque vestrum conveniat, et utrique ex parte domini papæ viva voce præcipiat, quod nulla inter vos deinceps habeatur contentio de cruce ferenda, neque de alio, donec Ecclesia Romana per Dei misericordiam tranquillitatem pacis obtineat. Ut ad hæc et ad alia, si quæ interim inter vos exoriantur, decernenda sufficiat. Eboracensi vero, ne interim eam in diœcesi vestra ferre præsumat. Hoc quidem cum multa difficultate obtinere potuimus. Similiter Londoniensi scribitur; sed unde spiritus elatus citius intumescat ad superbiam, quam excitetur ad virtutem. Hac itaque consideratione voluit dominus papa transcriptum earum ad vos transmitti, quatenus eo inspecto, si non vobis et Ecclesiæ judicetis expedire ipsæ apud vos remanerent.

De professione autem facienda, a domino papa et domino Pictaviensi multoties disputatum est. Ad ultimum tamen obtinuimus, quod si ipse super hoc requisitus negaret vobis, tunc demum cogeret eum, et faceret eam exhiberi. Quod vobis plenius per posteriores litteras domini Pictaviensis innotescet. Quæ autem priores, quæ posteriores, in earum subscriptionibus apparebit. De negotio sancti Augustini nihil omnino potuimus impetrare. Ipse enim privilegia, monasterio a Romanis pontificibus indulta, asserit se vidisse, et eis contraire, sicut dicit, est decretis Patrum et ecclesiasticis institutis auctoritatem non exhibere. Novissime nobis petitionem illam facientibus, ut scilicet ipse vos ad se venire præciperet, et super hoc vobis litteras dirigeret, cum dolore et multa animi afflictione visus est respondisse; *Absit*, inquit, *prius finiantur dies nostri, quam nos videamus eum sic exire, et ecclesiam suam sic desolatam relinquere.* Conservet vos Deus in omnibus viis vestris. Apud Claravallim, Cistercium, et Pontiniacum, intercessione domini papæ, oratur

assidue pro vobis, et pro ecclesia vobis a Deo commissa. Significet mihi dominus meus de statu suo quam cito poterit, ut saltem in visitatione sua consoletur anima mea.

EPISTOLA CCCLXXVI.

INIMICORUM THOMÆ AD PAPAM ET CARDINALES

Alexandro papæ, et omnibus cardinalibus, inimici Thomæ Cantuariensis archiepiscopi.

Medicinæ, potius tempus est, quam querelæ, etc. *Vide in Alexandro III papa, ad an.* 1181.

EPISTOLA CCCLXXVII.

AMICI CUJUSDAM AD THOMAM CANTUAR.

Domino ac Patri, suus ille, degener quidem, et ignaviæ suæ merito derelictus, Christo sic compati, ut et conregnet.

Super his quæ inspectis sanctitatis vestræ litteris inquirenda cognovimus, plerosque prout oportere credebamus, quanta potuimus diligentia convenimus et inter cæteros ac præ cæteris quo fiducialius, eo instantius illum, quem te alterum credebamus. Et eum quidem eumdem atque in eodem reperimus. Auditis siquidem ille quæ in litteris continebantur, lacrymis suffusus oculos, post singultus et multas de moribus et conversatione Censorini nostri querimonias, exploratam sæpius super hoc mentem ejus reperisse se dicebat vehementer aversatam, et revocari difficilem, utpote cujus auribus susurrones illi jugiter et instanter malitiæ suæ virus insibilant: et ne quid audiat, quod animos ejus ab obstinatione cœptæ malignitatis emolliat, indesinenter invigilant. Ad hoc totis nisibus elaborantes, quatenus in tantum vestri odium exasperetur, ut nullius interventu placiti vel personæ in gratiam qualiscunque concordiæ passitis convenire. Nec existimant se posse feliciter vivere, quousque certissime se id effecisse compererint. Inter quos audiosus ille Ricardus de Luci, proprii cognominis inimicus, præ cæteris hoc nectit laqueos. In tantum, ut et ipsum plerumque, cui placere nititur, offendat, dum vehementius, et irreverentius vestram personam, actus, et consilia denigrare molitur. Unde aliquando Censorinus ipse odio nugarum, quas audiebat ab illo, ad eum, quo hæc docente cognovimus, divertens mirari se dicebat, quod non verebatur homo ille tot fabulosa texere, quæ nec ipse viderat, nec certo auctore didicerat. Dum vero postmodum de statu rerum eidem amico vestro colloqueretur, in hunc incidere sermonem, visusque est aliquantulum animo fluctuare quantum ille conjicere potuit, tanquam puderet eum acrius cœpisse, quod facile nequiret ad libitum terminare. Vereri præterea videbatur cum Walensibus congredi, ne forte circa eos occupatum transmarini, Flandrenses videlicet et Galli, turbare satagerent, atque idcirco, si vel levem, dummodo honestam, transfretandi haberet occasionem, velle se transmarinas adire partes, ut cum illis ibi pace firmata, istos securius debellaturus adiret. Suspensum tamen esse adhuc, nec certum super hoc dicebat eum habere consilium. Atque ideo illo vestro videbatur, si vocaret eum litteris, vel per directum ad hoc legatum dominus papa pro imminentibus Ecclesiæ periculis atque pro Antiochenæ urbis nuper ad eum perlata calamitate, atque de aliis hujusmodi cum eo sermonem habiturus, antequam Romam rediret, facile ad illas partes accederet, et super hoc, unde nunc nominem vel adire dignatur, neque indecorum, sed honestum ei esset, tanti patris monitis acquiescere, hancque solam et singularem pacis inter vos reparandæ superesse viam. Sed cavendum summopere, ne quid ab eo causa vestra fieri videatur, maxime antequam eos, Domino largiente, convenire contingat. Incolumem vos Ecclesiæ suæ conservet, pro quo patimini. Si quid posset ad vestræ sanctitatis libitum nostræ parvitatis operula, rescripto doceamur, affectuosa devotione pariturі. Valeat in Domino semper paternitas vestra.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

AMICI CUJUSDAM AD EUMDEM.

Thomæ Cantuariensi archiepiscopo, quidam amicus suus.

Nuntium vestrum, qui ad dominum venerat Nicolaum non vidi, sed puerum ipsius Nicolai suscepi, ut vobis per illum aliqua ad referendum digna, et ad sciendum utilia nuntiarem. Igitur post egressum pueri vestri a me, qui jam diu ad vos reversus est, illud primo concepi, quod rex die quadam, cum esset apud Cadomum, et de negotio suo, quod habebat cum rege Scotiæ sollicite pertractaret, contra Ricardum de Humez, qui pro rege Scotiæ aliquatenus loqui videbatur, in verba ignominiosa prorupit, et eum proditorem manifeste appellavit. Rex itaque solito furore succensus pileum de capite projecit, balteum discinxit, pallium et vestes, quibus erat indutus, longius abjecit, stratum sericum, quod erat supra lectum, manu propria removit, et quasi in sterquilinio sedens, cœpit straminis masticare festucas. Die vero sequenti, cum esset in prato juxta capellam, et Ricardus de Ivelcestre ad eum accedere vellet, templarii ei obviam properantes, cum pilea de capitibus abtulissent, et osculum ei statim obtulissent, nisi rex pluribus videntibus eos removisset, dicens nolle eos excommunicato osculum dare. Post hæc cum rex apud Toycam accessisset, episcopus Lexoviensis venit ad eum, postulans et supplicans sub prætextu paupertatis licentiam egrediendi de terra, ut qui ære premitur alieno, saltem per annum posset respirare; ut cum redisset liber a debitis, ad locum religionis facilius posset migrare. Rex ergo intuens in eum ait: *Vere facies vestra immutata est, plusquam scitis, et diutius, ut mihi videtur, laborem ferre non potestis. Sed tamen propter penuriam nunquam de terra mea exibitis. Ego enim loquar creditoribus vestris, et aliquibus vos juvabo modis, et a vexationibus et fatigationibus immunem faciam et quietum.* De suo igitur nihil spopondit, sed penes alios cum juvare promisit.

Post hæc rex ad colloquium suum cum comite

Flandriæ accessit, ubi gesta sunt quæ vos scitis. Ibi enim rex mille libras Matthæo comiti Boloniæ per annum se daturum spopondit. Ibi nuntius domini papæ captus est, qui adhuc tenetur in vinculis et carcere. Ibi magistrum Heribertum Dominus eripuit de manibus quærentium eum. Qui certe pro negotio tam modico tantum non debuerat subiisse periculum. Stultum est enim ibi esse audacem, ubi effectum operis nec magnæ gloria laudis, nec multi emolumenti gratia comitatur. Cum autem rex Rothomagum fuisset reversus, accito archiepiscopo et episcopo Lexoviensi, de captione portitoris litterarum domini papæ, et de indignatione, quam contra clericum Gaufredi Ridel conceperat, quia litteras vestras susceperat et nuntium non detinuerat, tractare cœperunt illi duo, et regem aliquatenus super his increpare. Tunc etiam archiepiscopus mentem litterarum, quas olim a domino papa pro vobis susceperat, regi cœpit apertius explanare, et eum more suo leniter increpare, donec rex se totum scire dixit, quidquid litteris continebatur, et minas hujusmodi modicum formidare.

Dum hæc geruntur, magister Reginaldus, clericus decani Turonensis, ad regem accessit, multis occasionibus sollicite quærens, qualiter de facto isto eum posset honestius increpare, et suam ad plenum cognoscere voluntatem. Rex vero prosperitatem domini papæ et serenitatem status curiæ subsannans, eum de talibus vix loqui permittebat. Post hæc rex ad Cadomum reversus est, et episcopus Lexoviensis ad eum accedens, ut licentiam egrediendi plenius haberet, a rege attentius interrogatus est, quantum deberet, et quantis indigeret. Cumque episcopus ducentas marcas, si remaneret, sibi necessariam inculcasset, rex se tantum argenti non habere asseruit, sed tamen nocte eadem ei sexaginta marcas remisit. Utinam ergo imminutam principis pecuniam non accepisset, quem amodo credet se illa emisse, quem viderat indigere: et eo tanquam instrumento ad complendam suæ iniquitatis malitiam utetur. Rex enim ei forsitan magis credet, et ipse illi, ut timeo, in infidelitate erit fidelior.

In his etiam diebus Alfredus, clericus episcopi Herefordensis, ad regem venit, asserens episcopum suum, et dominum Rogerium, secundum tenorem vestri mandati de terra exituros, et ad vos in proximo venturos, nisi regis auxilio et consilio remanerent. Rex ergo de domino Rogerio plurimum conquestus, prohibitione usus est pro consilio, dicens eos non posse cogi ad exeundum, quos remedium appellationis juvare poterat ad remanendum. Adjecit etiam eos posse exire, sed reverti non posse. Et hæc quidem apud nos gesta sunt. De cætero sciatis, quia in octava beati Martini rex cum comite Theobaldo apud Turonum loqui debet, ibique quingentas libras, quas ei per annum promiserat, de præsenti solvet, et de futuro mentietur. Dominica vero sequenti apud Chinum erit colloquium cum Pictavis, et aliis terris adjacentibus. Post hæc in festo sancti Andreæ erit Rothomagi, ut in octava occurrere possit comiti Flandrensi, ibique comiti Boloniæ mille libras se daturum per annum promittet pro pace et concordia inter eos, nihilque aliud se facturum propter eum constanter asseruit et juravit. In his ergo omnibus rex fluctuat et incertus est, et de futuri temporis casibus sperans, in hoc solum fortitudinis suæ posuit firmamentum, si forte dominus papa universæ carnis viam intraret, aut vobis, quod absit, humanitus quid contingeret.

Vos igitur, dum tempus habetis, extendite manum retributionis, et illud scriptum esse sciatis, *quia retribuet Dominus abundanter facientibus superbiam.* Eos itaque qui contra Deum se erigunt, vestræ severitatis sententia puniat. Et caput colubri tortuosum virga directionis amputate, ut Satanas sub pedibus vestris conculcetur velociter: nisi enim in manu forti et brachio excelso Ecclesia Dei pacem non habebit. Nec nisi rugitu patris leo iste poterit excitari, qui totus in infidelitatis suæ perfidia obdormivit. Eia igitur, arcum intendite, sagittas immittite, donec infirmentur. Quoniam impium est ibi esse pium, ubi Dei pietas annullatur, et fides periclitatur. Male enim fidelis est, qui fidei jura non servat, et quem contra fidem agere videmus, profecto infidelem appellamus. Agite ergo, et amplius nolite silere, quoniam taciturnitas nutrit assensum, et delictum subditorum sæpe per silentii torporem retorquetur in pastorem. Vocate ergo quos potestis, et compellite exire de medio Babylonis. Quoniam melius est mori vobiscum in bello, quam videre mala gentis suæ pariter et sanctorum. Vocate, inquam, et statim sentiant judicem, qui audire contempserint pastoris vocationem. Valeat in multos dies sanctitas et sanitas vestra. Me autem vestrum esse semper credatis, et ad omnia, quæ vobis placuerint, præparatum. Valete iterum, et semper.

EPISTOLA CCCLXXIX.

AMICI SUI AD PAPAM.

ALEXANDRO papæ, quidam amicus suus.

Imperator, cum principes suos ad curiam, etc. *Vide in Alexandro III.*

EPISTOLA CCCLXXX.

AMICI CUJUSDAM AD THOMAM.

Domino et Patri suus se.

Ferventis et indubitati pignus exstat amoris etiam in exsilium corpore et animo comitari amicum. Profecto novimus plerosque domi amicis mente coexsulare. Sed nec nullos audivimus, animo et corde domi relicto, corpore duntaxat amicorum compati exsilio. Commendabiliorem quidem compatiendi modum verus amicus ille vester sibi elegit Dominus Wigornensis, qui exsilii vestri viam prosecutus, tenere vobis compassus, ad sedem suam nec oculos corporis reflexit, nec ad potestatis terrenæ blandimenta vel minas cordis constantiam inclinavit. Iste siquidem solus inventus est, qui simul corpore et spiritu patris sui molestias comportaret, et prælati sui

reverentiam deliciis et divitiis anteferret. Quanto igitur firmius ipsius fidelitatis apparet argumentum, tanto vobis tutius esse et utilius, ipsum eumdem tanquam contra mundi pericula in loco graviori opponere firmamentum, ubi tempore congruente, et principe quandoque mitigato opportunitatem concedente, vestri haberet memoriam et mentionem. Mihi itaque videretur consultius, et vobis expedientius, quod prædictus amicus vester ad vocationem sui principis repatriaret, et illum charitatis vigorem, quos vos amplectitur, ibidem exerceret. Ibi enim id exercendi materiam copiosam inveniret. Hic vero quo ad præsens mihi occurrit in memtem, non æque vobis poterit subvenire, nec voluntatem, quam erga vos gerit, ostendere. Bene valeat dominus meus.

EPISTOLA CCCLXXXI.

CUJUSDAM FAMILIARIS AD EUMDEM.

Domino suo, suus, ad omnia salutem, quam sibi.

Proxima quinta feria post octavam Sancti Martini venerunt cardinales ad Beccense monasterium sequenti die Lexovium, tertia die ad Sanctum Petrum super Divam, quarta id est Dominica, quæ præcedit Adventum Domini, venerunt Argenteon. Eadem die occurrit eis rex per duas leucas, hilarem eis vultum exhibens, et utrumque cardinalem comitatus est usque ad hospitium suum. Sequenti die, id est, secunda die, post missam satis mane vocati venerunt ad regem, et intraverunt in cameram ad consilium cum archiepiscopis, episcopis, et abbatibus qui admissi sunt. Cum autem quasi sub spatio duarum horarum moram fecissent intus, egresssi sunt cardinales, et rex cum eis usque ad ostium capellæ exterius, et ibi in eundo dixit dominus rex hoc verbum, publice, et etiam ipsis audientibus cardinalibus: *Utinam nunquam amplius videat oculus meus aliquem cardinalem* ! Cum tanta autem festinatione dimittebat eos, quod cum hospitium eorum satis vicinum esset, non fuerunt exspectati ut venirent equi, eorum proprii, sed traditi sunt eis ad exeundum equi qui ante capellam casu proximi inventi sunt. Et exierunt cardinales cum quatuor comitantibus ad plus. Remanserunt autem archiepiscopi, episcopi, et abbates cum rege, et intraverunt cameram ad consilium, ubi cum moram fecissent usque ad horam fere vespertinam, venerunt ad cardinales, et omnium eorum facies videbatur esse turbata. Cum aliquantum moræ fecissent apud cardinales, reversi sunt ad hospitia. Crastina die cum apud regem moram fecissent usque ad horam sextam, venerunt ad cardinales, et postea ad regem reversi sunt, et postea ad cardinales, responsa hinc inde secreta portantes. Sequenti die, id est, in vigilia sancti Andreæ, rex summo diluculo surrexit, et exivit ludere in canibus, et avibus cœli, sicut creditum et æstimatum est, de industria sui faciens absentiam. Ea ipsa die satis mane convenerunt ad capellam regis, et statim ad cameram : ibi absente rege habita deliberatione exierunt ad ecclesiam, juxta quam cardinales hospitia habebant. Ubi cum cardinales sedissent, vocati ut audirent quæ ab eis proponentur, assdientibus hinc inde Rothomagensi et Eboracensi archiepiscopis, Wirgoniensi, Saresberiensi, Bajocensi, Londoniensi, Cicestrensi et Engolismensi episcopis, abbatibus quampluribus, clericorum et laicorum ampla multitudine, surrexit Londoniensis, et eum turbatæ mentis esse, insipida et parum venusta oratio argumento fuit. Et sic exorsus est : Vos audistis, quod perlatæ sunt litteræ domini papæ ad nos, et eas præ manibus habemus, in quibus significavit, nobis dominus papa, quod quando evocati a vobis essemus, vobis occurreremus, causasque, quæ inter dominum regem et dominum Cantuariensem vertuntur, et inter nos episcopos Angliæ et eumdem Cantuariensem, vobis cum plenitudine potestatis esse commissas. Inde est, quod audito vestro adventu in partes has, occurrimus vobis, paratissimi et promptissimi vestræ sententiæ stare, et intendere actionem vel respondere. Idem etiam dominus rex offert, quod quamcunque sententiam inter eum et dominum Cantuariensem dictaveritis, eam ratam habebit. Cum itaque nec per dominum regem, nec per vos, nec per nos etiam stat, quominus præceptum domini papæ adimpleatur, imputetur secundum quod imputari debet. Sed quoniam, ut præcipitanter omnia agit, archiepiscopus percutit subito et etiam antequam minetur, suspendit, excommunicat antequam commoneat, ideo per appellationem prævenimus subitam et precipitem ejus sententiam. Appellationem prius fecimus, et eam innovamus modo, et hac appellatione se includit tota Anglia. Deinde explicuit causam vestram et domini regis. Quod rex sibi exigit a vobis quadraginta quatuor millia marcarum argenti, rationem redituum, qui vobis erant commissi, quando fuistis cancellarius, et quod vos respondeatis non fuisse vos implicitum ratiociniis, quando promotus fuistis ad honorem archiepiscopatus, et si fuissetis implicitus, hoc ipso tamen, quod promotus fuistis, absolutus fuistis. Et ibi derisit vos Londoniensis dicens vos credere : quod sicut in baptismo remittuntur peccata, ita et in promotione relaxantur debita. Retulit etiam propter quæ pericula ipse, et alii episcopi Angliæ appellaverunt, scilicet propter depressionem suam, et ecclesiarum suarum, et propter discessionem etiam a Romana Ecclesia. Recederet enim rex forte a Romana Ecclesia, si parerent interdicto vestro. Retulit etiam quomodo diffametis eum propter decrefa sua. Et ibi publice protestatus est, regem relaxare hoc interdictum de appellatione, et ratione pauperum clericorum hoc instituisse, nunc autem cum ingrati essent, hoc irritare. Et item si civilis esset causa, coram civili judice contenderent ; si autem ecclesiastica, allegarent forum suum, et coram suo judice contenderent. Tandem dixit vos indebitam servitutem ab eo exigere, quod scilicet debet deferre breves vestros per Angliam, et huic officio non sufficere et quadraginta cursores. Aliud

etiam gravamen,quo affligitis eum,proposuit,quod exemistis a potestate ipsius fere quadraginta ecclesias. Dabant enim censum aliquando monasterio Sanctæ Trinitatis vel Sancti Augustini, et statim emancipabatis eas a potestate ipsius. Habebatis etiam decanum vestrum in Londoniensi urbe, qui insidiatus est ei, et coram quo oportet causas prædictarum ecclesiarum decidi. Et his se gravaminibus plus afflictum, quam aliquem alium episcopum dicebat. Episcopus etiam Saresberiensis in hac appellatione se posuit, et episcopum Wintoniensem. Saresberiensis tamen dicebat se audivisse, quod vos excommunicaveritis eum, sed se, statim cum audivit, appellasse, et tunc etiam appellare. Clericus etiam archidiaconus Cantuariensis ibi appellavit, et monachus Cantuariensis Ecclesiæ contra vos. B Facta itaque appellatione petierunt appellatorios a cardinalibus, et dati sunt eis appellatorii, sicut creditur. Discesserunt autem cardinales a rege tertia feria post *At te levavi*. Sed in discessu cum multa humilitate petiit rex cardinales, quod pro eo intercederent apud dominum papam, ut liberaret eum a vobis omnino, et incontinenti coram cardinalibus et aliis lacrymatus est, et dominus Willelmus cardinalis visus est lacrymari. Dominus Otto vix a cachinno se potuit abstinere. Summa autem negotii hæc est, quod dominus Willelmus Papiensis mittit quemdam clericum suum, qui cognatus creditur magistri Lombardi, cum festinatione ad dominum papam, et rex mittit duos nuntios, scilicet quemdam Londoniensis episcopi, qui vocatur magister C Henricus Pinchin, et cum eo Reinaldum filium Saresberiensis episcopi. Præterea Sabbato ante secundam diem Dominicam Adventus a cardinalibus, qui erant apud Ebroicas, egressi sunt magister Jocelinus Cicestrensis, et cantor Saresberiensis, venturi ad vos, ut denuntient factam esse contra vos appellationem a personis Angliæ. Ferunt etiam litteras: cardinales in forma ista salutant vos, et vocant apostolicæ sedi legatum, et in fine litterarum suarum vobis domini papæ auctoritate præcipiunt, ut nullum interdictum in regnum Angliæ vel personas de cætero ponatis. Dominus Otto mandat domino papæ secreto, quod depositionis vestræ nec auctor erit nec consentiens, quamvis rex nihil aliud petere videatur, nisi caput vestrum in disco. Valete. D

EPISTOLA CCCLXXXII.

AMICI AD AMICUM.

Amicus amico: verba domini Cantuariensis cum legatis inter Gisortium et Triam.

Quia te super statu Ecclesiæ et impetratæ legationis eventu sollicitum esse non ambigo, ad tuam et aliorum Deum timentium consolationem hæc tibi succincta brevitate censui prescribenda. Noveris itaque dominum Cantuariensem, et nonnullos de coexsulibus suis, in octava beati Martini inter Gisortium et Triam accessisse ad colloquium legatorum. Cum vero A illi multa proposuissent de charitate domini papæ et sollicitudine nostri, quam attentius gerit de laboribus ipsorum et itineris periculis, de magnitudine principis et necessitate Ecclesiæ, de malitia temporis, de amore et beneficiis, quibus dominus rex prævenerat Cantuariensem, et de honore quem ei semper exhibuit, adjecerunt etiam querelas et injurias quibus rex se læsum esse a Cantuariensi conqueritur, imponens ei et inter cætera, quod ei excitaverat guerram regis Francorum, quærentes consilium quomodo tantam indignationem placare possent; quia sine multa humiitate, et moderatioe, et exhibitione honoris noverant tantis periculis remedium adhiberi non posse. Cantuariensis vero in omni humilitate et mansuetudine spiritus, post gratiarum B actionem domino papæ et illis debitam, respondit ad singula, rationibus veris et probabilibus querelas regis evacuans, et injurias Ecclesiæ et damna intolerabilia patenter exponens. Et quia humilitatem et delationem honoris ab eo exigebant, respondit se omnem humilitatem exhibiturum et honoris et reverentiæ quantumcunque plus posset: *Salvo honore Dei, et libertate Ecclesiæ, et honestate personæ suæ, et possessionibus Ecclesiæ*; et si eis aliquid videretur adjiciendum, aut demendum aut immutandum, rogavit ut ei consilium darent, habens acquiescendi propositum, salva conditione professionis et ordinis. Illis autem dicentibus se non venisse ut ei, sed ut eum consulerent, et reconciliationis tentarent viam, item quæsitum est ab archiepiscopo, an in præsen- C tia legatorum vellet promittere observantiam consuetudinum, quibus decessorum suorum tempore reges usi sunt, ei sic sopitis omnibus querelis redire in gratiam regis, et recipere sedem suam, et administrationem, et pacem sibi et suis. Ad hæc archiepiscopus respondit: *Nullum decessorum suorum ab aliquo regum ad hanc professionem fuisse arctatum, neque se, Deo auctore promissuram unquam ut observet consuetudines, quæ legi Dei patenter adversantur, sedis apostolicæ convellunt privilegium, Ecclesiæ perimunt libertatem,* quas dominus papa Senonis in illorum et multorum præsentia condemnavit, et ipse postea domini papæ secutus auctoritatem, quasdam earum cum observatoribus suis subjecit anathemati, sicut in multis conciliis Eccle- D sia catholica fecisse dignoscitur. Item interrogatus est, an, si non confirmationem, saltem dissimulationem et tolerantiam vellet repromittere aut non facta altrinsecus aliqua mentione consuetudinum, sedem suam recipere et pacem. Respondit archiepiscopus, quod nostræ gentis proverbium est: *Quod taciturnus spiritum prætendit confitentis*, et cum rex sibi videatur in possessione consuetudinum esse et ad eas observandas injuste et violenter cogat Ecclesiam, si sic taciturnitate impetrata cessaret concursio, auctoritate maxime legatorum interveniente, statim sibi et aliis videretur obtinuisse in causa ista. Adjecit etiam, se malle perpetuo exsulare, et proscribi, et, si Deus ita disposuit, pro justitiæ defen-

sione mori, quam in salutis suæ dispendium, et A præjudicium ecclesiasticæ libertatis hanc ineat pacem. Deus enim est qui in tali causa tacere prohibet sacerdotes, qui dissimulantibus gehennam præparavit, ubi nulla erit dissimulatio pœnæ. Lectus est et libellus abominationem illarum, et quæsitum a cardinalibus, an a Christianis talia liceat observari, ne dum a pastoribus dissimulari. Progressi sunt ad aliam quæstionem sciscitantes an vellet eorum judicio stare super his, quæ inter ipsum et regem vertuntur. Ille autem de causæ se sinceritate confidere respondit, et cum ipse et sui, qui a tempore multo destituti sunt, plene fuerint ad omnia restituti, habita ratione causarum, rerum, et temporis, juri libenter pariturum, et se nec posse, nec velle declinare, quin, ubi, et quando, et quomodo debebit. B subeat judicium ejus, vel illorum, cujus, vel quorum judicio dominus papa eum stare deberet decreverit: interim se et suos ad litigandum urgeri non posse nec paupertatem suam ad hoc sufficere, cui etiam victualia desunt, nisi Christianissimi regis Francorum vivat expensis. Noluit enim prima facie declinare judicium, et si aliquem eorum jure optimo posset habere suspectum, ne causam regis justificare videretur, nec se liti immergere, antequam ad omnia sit restitutus, et possit causam sufficienter instruere, ut quemlibet divitem adversarium non formidet, innitens gratiæ Dei. Procedentes hinc quæsierunt, an sub eis judicibus vellet respondere episcopis, qui contra eum appellaverant, quia præsentes erant. Archiepiscopus vero memor litterarum, C quibus ei præsentata est illa qualiscunque, vel nulla potius appellatio, concepta, ut ibi perhibetur, sub nomine omnium comprovincialium episcoporum, et abbatum, et personarum regni in provincia Cantiæ degentium, et certus quod isti non convenerant Rothomagum, et quamplurimi eorum hujus fuerant appellationis ignari, et multis, qui noverant, displicebat, utpote justitiæ, quantum in ejus auctoribus erat, elusio potius, quam appellatio, respondit similiter super hoc nullum domini papæ se recepisse mandatum, et cum illud recepit, consulto responsurum et facturum quod ratio dictaverit. Cæterum paupertatem suam et suorum ad itineris sumptus et lites non esse idoneam, et clementiam Christianissimi regis hoc fine molestias pati non posse, ut liberalitas ejus, quæ exsulantes episcopos decrevit huma- D nissime consolari, eum et coexsules suos sæpe et diu exhibere cogatur in domibus alienis. Nam ubi est copia victualium, facilius est procurare expensas. Die autem sequenti Christianissimus rex legatos admittens ad colloquium, sub religione juramenti purgavit innocentiam domini Cantuariensis, perhibens ei testimonium, quod ei consilium semper dederat, ut pax servaretur salvo honore utriusque regis, et populi utrinque debita quiete gauderent. Rogavit archiepiscopus legatos, ut aliquod Ecclesiæ consilium darent, et si alicubi excederet, rectiorem ostenderent viam. Illi autem zelum quem habet in Domino approbantes, ei compassi sunt, sed de proposito ejus non dixerunt aliquid immutandum. Sic data benedictione ad invicem ab invicem discesserunt, et statum est, et auctore Deo stabitur in finibus istis donec Ecclesia convalescat, et persecutores ejus aut convertantur, aut pereant. Illo rogavit pro te, et rogare non cessat, ut non deficiat fides tua, et tu, quandocunque opportunitas fuerit, conversus ad illos, confirma fratres tuos. Hæc illis ostendes, ad quos missus es, lapsos erige, stantes robora, ut firmi sint. Plures enim sunt patroni et defensores Ecclesiæ, quam impugnatores. Eam non deseret in tribulatione, qui pro liberatione ejus posuit animam suam. Causam sancti non deserent, pro qua veriti non sunt sanguinem suum dare. Hanc omnium cœlestium virtutum tuetur exercitus: et majestas, quæ B Satanam conterit sub pedibus suis, de membris ejus, ministris nequitiæ, ut spes fidelium est, et promissio Patrum, cito, facile, et feliciter triumphabit.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

CUJUSDAM AMICI AD THOMAM.

Thomæ Cantuariensi archiepiscopo, quidam amicus.

In die Assumptionis beatæ Mariæ apud Argenteum perlatæ sunt litteræ domini papæ ex parte nuntiorum, et perlectis illis satis turbatus est rex. Crastina die misit obviam nuntiis Joannem decanum Saresberiensem, et Reginaldum archidiaconum. In C vigilia beati Bartholomei venerunt nuntii ad Danfront. Adventum quorum cum audisset Gaufredus Ridel, et Nigellus de Sacca-Villa, exierant de Danfront cum subita festinatione. Quare exierint, vobis satis notum est. Ipsa die cum jam sero factum esset venit rex de nemore, et divertit ad hospitium nuntiorum, priusquam ad suum, et eos cum multo honore et reverentia, et humilitate suscepit et salutavit. Et dum stans adhuc cum eis loqueretur, ecce ad ostium ejusdem hospitii venit dominus Henricus filias regis, et multi pueri cum eo, unusquisque cum cornu venatorio buccinantes, sicut solet, de captione cervi, quem totum eis donavit. Quod fecerunt ut audiret hospes. En ad populum phaleras. Crastina autem die circa horam primam venit rex ad hospitium nuntiorum, et intraverunt cum eo cameram D Sagiensis et Redonensis episcopi. Post aliquam moram admissi sunt Joannes decanus Saresberiensis et Reginaldus archidiaconus. Et paulo post archidiaconus Landavensis. Et stantes usque ad horam nonam colloquebantur aliquando in pace, aliquando autem in rixa et tumultu. Intentio domini regis fuit quod clerici excommunicati non jurarent. Aliquantulum ante occasum solis exiit rex multum iratus et querens graviter de domino papa, quod nunquam in aliquo audierit eum. Et cum quadam contumacia dixit rex: *Per oculos Dei ego faciam aliud.* Et Gratianus gratiose respondit: *Domine, noli minari. Non enim nullas minas timemus; quia de tali curia sumus quæ consuevit imperare imperatoribus et regibus*

Tunc convocati sunt omnes barones et monachi albi, qui præsentes erant, et omnes fere de capella : et dominus rex rogavit, ut tempore opportuno testificarentur pro eo, quanta et qualia obtulerat, restitutionem scilicet archiepiscopatus et pacis. In fine visus est aliquantulum pacificatus ab eis discedere, et certæ responsionis diem assignavit octavam. Ad quam diem convocati episcopi venerunt Rothomagensis et Burdegalensis, casu Cenomanensis, et omnes episcopi de Normannia. Wigornensis die, qua hæc agebantur et quæ dicenda sunt, non venerat, sed crastina die venturus sperabatur, et venit. Pictaviensis synodo, quam tenebat, occasionem prætendebat non veniendi, sed post synodum se continuo venturum mandavit. Pridie Kalendas Septembris Baioci obtulerunt nuntii domino regi litteras domini papæ, precatorias de restitutione vestra, et de pace. Dominus vero rex proposita narratione omnium rerum, quas adversus vos solet proponere, dixit : *Si quid de homine isto fecero pro precibus domini papæ multas mihi debet habere grates.* Crastina die cum nuntii, convenerunt omnes episcopi ad locum quemdam, qui vocatur Le Bur. Et statim ex quo venerunt nuntii, intravit dominus rex parcum, et omnes episcopi cum eo, et illi tantummodo, qui vocati erant ex nomine. Et statim habuit dominus rex consilium cum nuntiis solis, petens ab eis quod clericos suos absolverent sine juramento. Quod cum nuntiis se facturos instanter negarent, dominus rex ad equum suum cucurrit, et ascendit, et audientibus omnibus juravit, quod nunquam in vita sua audiret neque dominum papam, neque alium de pace et restitutione vestra. Quo audito, archiepiscopi et episcopi, quotquot erant, ad nuntios venerunt, et supplicaverunt eis, quod pro amore Dei hoc facerent. Ipsi vero cum summa difficultate concesserunt. Quo facto, descendit dominus rex, et iterum cum eis habuit consilium. Et cito post convocatis omnibus quotquot in parco erant, incœpit dominus rex narrationem suam, et dixit quod volebat eos scire, quod vos per eum de Anglia non exiistis, et quod vos multoties revocaverat, ut veniretis satisfacere super his quæ adversus vos habuit, et noluistis. Sed modo ita se habet res, quod ipse prece et præcepto domini papæ archiepiscopatum vobis integre reddit et pacem, vobis et omnibus qui de terra aut pro vobis exierunt. Istam pacis concessionem fecit dominus rex circa horam nonam, et post hæc valde lætus remansit, et quasdam alias causas in præsentia sua tractari fecit. Quibus pertractatis iterum venit ad nuntios, petens ab eis quod ipsi irent in Angliam, causa absolvendi excommunicatos, qui ibi sunt. Quod cum instanter negarent se facturos, iratus est rex, et petiit iterum quod alter illorum saltem iret, alter remaneret, vel quod unum clericorum suorum mitterent, et ipse illi clerico reditus daret antequam rediret. Quod cum iterum Gratianus, qui ut speramus, filius est gratiæ, denegaret, dominus rex ab eis iratissimus recessit, et audientibus illis dixit : *Facite quod vultis, ego neque vos, neque excommunicationes vestras appretior, vel dubito unum ovum.* Et post istud verbum equum suum ascendit ut recederet. Sed secuti sunt eum archiepiscopi et episcopi, quotquot erant, et dixerunt ei quod male locutus erat. Postea vero descendit, et cum eis verbum habuit. Cujus consilii summa fuit, quod ipsi omnes scriberent domino papæ, et quod audientibus illis obtulerat vobis pacem, et paratus erat facere omne præceptum domini papæ, et quod per nuntios stetit, quominus fieret. Deinde cum in faciendis litteris non nihil temporis perdidissent, cum multoties quod iratissimus ab eis discessisset, accesserunt ad eum et episcopi dicentes, quod isti nuntii haberent, et ostendissent jam mandatum domini papæ, quod omnes facerent quidquid ipsi nuntii præceperint. Respondit rex : *Scio, scio, interdicent terram meam. Sed nunquid ego, qui possum capere singulis diebus castrum fortissimum, non potero capere unum clericum, si interdixerit terram meam?* Verum cum aliqua ad voluntatem suam se facturos promisissent, cessavit omnino tempestas, et ipse reddiit ad cor, et dixit : *Nisi hac nocte pacem feceritis, nunquam de cætero ad hunc punctum venietis.* Postea cum aliquantum in verbo isto laborassent, convocatis omnibus dixit : *Oportet me facere multum pro prece domini papæ, qui dominus et pater meus est, et ideo reddo ei archiepiscopatum suum, pacem meam, et omnibus qui pro eo extra terram sunt.* Tunc nuntii et omnes alii gratias egere. Et tunc rex adjunxit: *Siquid modo minus feci, cras consilio nostro supplebo.* Crastina die, id est, Kalendis Septembris convenerunt ad eumdem locum circa horam meridianam, et cum de absolutione excommunicatorum diutius esset tractatum, ut scilicet non jurarent, eo decursum est, quod Gaufredus Ridel, et Nigellus de Sacca-Villa, et Thomas filius Bernardi, extenta manu ad evangelia coram posita dixerunt in verbo veritatis se facturos mandatum nuntiorum. Tunc petitum est a nuntiis, quod ecclesiæ vestræ omnes res, quotquot dominus rex interim donavit, penes eos residerent, quibus a rege donatæ sunt. Sed, sicut audivimus, eo decursum est, ut libere ad vestram redeant donationem. Postea hoc actum est, ut formam pacis, quam concesserat rex, episcopi scriberent, et multa intentione agebat hoc dominus rex, quod alter nuntiorum in Angliam transfretaret ad absolvendum excommunicatos. Et cum discessissent, jam tertia hora noctis fere elapsa, rex dixit, quod in forma pacis scriberetur : *Salva dignitate rex sui.* Sed Gratianus, ut audivimus, intanter negavit se ulla hoc concessurum ratione. Et in isto verbo stant adhuc, redituri die nativitatis beatæ Mariæ Virginis apud Cadomum, ut hoc ipsum plenius confirment. Lexoviensis operam dedit ut regi blandiretur, Rothomagensis ut Deo et domino papæ. Valete.

EPISTOLA CCCLXXXIV.

CUJUSDAM AMICI AD EUMDEM

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, quidam amicus.

Hæc est forma, in quo conveni regem : tentavi quomodo possem archiepiscopo persuadere, quatenus super verbis illis, quæ pacem inter vos ruperant, supponeret se consilio domini Rothomagensis, et Cenomanensis, et Sagiensis, et meo, cæterorumque episcoporum qui colloquio interfuerant, aut si ei aliquis illorum suspectus esset, illum amoveret, et quemcunque alium episcopum vellet, loco illius reciperetis, dummodo de regno vestro esset, et juxta consilium illorum verba illa omnino tolleretis aut mutaretis in certam formam, quod omnem omnino dubitationem excluderetis. Archiepiscopus vero mihi respondit, quod neque domini Rothomagensis consilium, neque meum, neque alicujus mortalium adeo illi exstitit fructuosum aut honorabile, sicut vestrum, neque ex alicujus mortalis consilio tantum honoris fuerat assecutus. Et propterea, si vobis placeret. quod eum in consilium vestrum reciperetis, ille se consilio vestro submitteret, ita ut vos primum honori regni vestri et vestro prospiceretis, et consequenter ipsi, ne adversus dominum papam, cui astrictus est, offenderet, nec Ecclesiam, cui prodesse debet, læderet. Congruum autem esset, ut consilium illud, priusquam conveniretis, ita determinaretur et certificaretur, quod nihil superesset quæstionis, quando vos simul conveniretis, ne forte tunc minus honeste ab invicem discederetis, sicut nuper fecistis. Ipse vero rex benignius hoc verbum recepit, quam existimabam, et abjecit: quod ipse in primis in consilio, quod daret, honorem Dei observaret, et deinde suum et regni sui, et vobis ita prospiceret, quod quantum rationabiliter posset, personam vestram non læderet. Sed certificationem verborum dixit inter vos fieri non posse, dum ipse et vos in tam remotis locis essetis. Oportet autem vos ad locum vicinum sibi venire, unde inter vos nuntii, qui hæc tractarent, de propius et facilius discurrere possent. Placuisset autem ei, ut ipse Turonum, et vos apud majus monasterium essetis. Aut si hoc non vultis, ipse Turonum, et vos apud Choise, ubi scilicet dominus papa cum regibus colloquium habuit, paulo ultra Blesium. Dies quoque præfixa est in cathedra beati Petri, ita tamen ut octo diebus ei prius in Normannia significem, utrum diem observare velitis,

EPISTOLA CCCLXXXV.

AMICI AD AMICUM.

Amicus amico. De absolutione episcoporum

Dominus Cantuariensis concessit in præsentia nostra, et domini Trecensis, et quorumdam aliorum, nuntiis domini papæ, domino Gratiano et magistro Viviano, pro bono pacis, ut hac vice absolverent excommunicatos suos ad tempus, accepto ab eis juramento, quod stabunt mandato ipsius Cantuariensis, si hoc aliquo modo efficere poterunt, sin autem, suo. Et ipsi versa vice promiserunt domino archiepiscopo in veritate, quod si non fuerit pax subsecuta inter regem et ipsum ante recessum eorum, qui non protrahetur ultra festum beati Martini, ab eodem festo reponent eos in eamdem sententiam, in qua fuerunt, nec dimittent propter aliquam appellationem factam vel faciendam ab illis, vel ab aliquo alio pro ipsis, nisi infra viginti dies a prædicto festo, si tamen tanto tempore moram fecerint, domino Cantuariensi satisfecerint de his, pro quibus ab eo excommunicati sunt. Et si ante memoratum festum recesserint, similiter reponent eos in eamdem sententiam a die recessus sui, nisi, sicut prædictum est, satisfecerint eidem Cantuariensi. Verentur enim ipsum, qui pro Ecclesiæ libertate per tanti temporis spatium exsilium jam sustinuit, ad intolerabilem injuriam provocare. Qui juxta sententiam domini papæ in paucis vexatus, in multis profecit, sicut creditur ab his, qui ejusdem Cantuariensis intima noverunt.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

AMICI AD AMICUM.

Amicus amico. De nominibus excommunicatorum.

Gilbertus Londoniensis episcopus, et Jocelinus Saresberiensis episcopus. Gaufredus Ridel, Cantuariensis archidiaconus, Ricardus de Ivelcestria, Pictaviensis archidiaconus, Nigellus de Sacca-Villa, Ricardus de Hastinges, nepos Ricardi de Hastinges, Letardus nepos Theobaldi archiepiscopi, Robertus de Broc, Robertus frater Willelmi de Einesforde, Robertus vicarius Gaufredi archidiaconi Cantuariensis, ille qui tenet Ecclesiam de Chere, ille qui tenet Ecclesiam de Hele, Ricardus de Luci, Hugo de S. Claro, Thomas filius Bernardi, Randulphus de Broc, Willelmus de Essedesforde, Robertus pincerna Theobaldi archiepiscopi, Alanus de Reclingis, Willelmus de Becco, ille qui tenet terram de Mundeham, de manerio de Pagaham, quam rex abstulit Ecclesiæ Cantuariensi propter Joannem Mareschallum, si est alius, qui teneat eam quam rex. Ille qui tenet terram de Lesse, de manerio de Ottefordis, quam tenuit Joannes frater Willelmi de Eynesdord, si est alius qni tenet eam præter regem, Joannes Cumin, Guido Ruffus, qui, tenetur, sicut cæteri suppradicti, quidquid percepit de reditibus thesaurarii Lexoviensis, ipsi Cantuariensi restituere. Ipsi sunt qui tenent possessiones ecclesiasticos et laicas Ecclesiæ Cantuariensis, et domini Cantuariensis, quas vult et petit cum omni integritate sibi et suis restitui. A Londoniensi vero, quidquid percepit de reditibus clericorum suorum, petit sibi restitui. Si qui vero sunt alii, qui receperint possessiones ecclesiasticas sive laicas de manu regis, vel de ipsius concessione, pertinentes ad Ecclesiam Cantuariensem, excommunicati sunt, donec illas easdem possessiones Ecclesiæ Cantuariensi et domino Cantuariensi archiepiscopo restituant, et omnia inde percepta. Præpterea excommunicatus est ab eodem archiepiscopo Wi-

marus, qui fuit clericus comitis Hugonis, Adam de Cheringis, Willelmus Giffard.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

LUDOVICI HUMBALDUM ET HYACINTHUM CARDINALES.

LUDOCICUS rex Franciæ, HUBALDO Ostiensi episcopo et JACINTHO cardinalibus.

Dilectioni vestræ uberes gratias referimus pro archiepiscopo Cantuariensi, cujus negotium tam pie ac perseveranter, amore Dei et nostro fovistis. Quod si finem debitum ministerii ac patrocinii vestri obsequio consecutum non fuerit, non minus tamen laudis, non minus gratiæ sollicitus diligentiæ vestræ favor promeruit. In regno nostro propalatus est sermo scandalum generans, subortum est murmur, quod de facile sedari non potest. Recolitur ubique cum admiratione, quod dominus papa contra dominum Cantuariensem litteras patentes regi Angliæ, inanis gloriæ cupido, nuper indulsit, in quibus os et manus Cantuariensis suspenditur, in quibus ei potestas omnimoda tam in regnum Angliæ, quam in regni personas inhibita est, donec gratiam regis ad plenum fuerit consecutus. Non habemus dominum papam accusare vel in manifesto arguere, quia dominus est ; sed quæ ipsius opinionem denigrant, omnino silere non possumus. Et quid imperatori, aut aliis schismaticis, qui nobis insultant, sufficienter habeamus respondere, nisi nos vestra vel domini papæ discretio super hoc instruxerit, invenire non valemus.

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

AMICI CUJUSDAM AD THOMAM CANTUAR.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, quidam amicus.

Licet vestræ discretionis paternitatem litterarum solatio sæpius non visitaverim, vos inde mirari nullatenus decet, cum vix aliquis aut fere nullus ad vos a curia processum habeat, cui secreta litterarum indicia committi possint ; et eum vobis plures litteras destinaverim, quæ ad præsentiam vestram, sicut pro certo didici, nunquam pervenerunt. Sciatis quippe me circa negotia vestra sollicitum et vigilantem pro possibilitatis meæ viribus exstitisse, et ad eorum promotionem diligenter intendisse, præcipue per magistrum Waltherum, qui præ omnibus specialiter pro eisdem negotiis promovendis apud dominum papam efficaciter laboravit, et ipsa conscribendo ad desideratum finem, Deo volente, perduxit. Sicut enim in litteris et transcriptis sub bulla clausis, quæ a domino papa vobis diriguntur, evidentius videre potestis, petitiones vestræ debitum sortitæ sunt effectum. Cæterum Londoniensi firmiter injunctum est a domino papa, ut sententiam quam in eum dedistis, firmam et inconcussam observet, nec a Rothomagensi et Lexoviensi, quibus super hoc iterato scribit dominus papa, nisi forte ab eisdem post susceptionem priorum litterarum ipsius, quas inde susceperunt, præstito secundum Ecclesiæ formam juramento sit absolutus, absque domini papæ mandato ullatenus absolvatur. Confortamini ergo et constanter agatis, et tanquam supra firmam petram fundatus ad quorumlibet ventorum exsufflationes nolite moveri, aut aliquo modo terreri vel turbari, nec ut moris vestri est, quoslibet per vos transeuntes secretorum vestrorum interpretes constituatis, ut magis de justitia, quam de multitudine confidere videamini : quia ubi multitudo, et præcipue in talibus, creberrimæ solent confusiones emergere, et impedimento plurima provenire. Secretum sit apud vos quod scribo de Londoniensi, cum nihil de illo vobis scriptum sit. Propter malignantes dico : ne dicar secreta revelare. Cum vero Deus vos in statum pristinum reduxerit, quod in proximo spero adfuturum, estote memor magistri Waltheri et mei, si placet, ne pro multitudine ad vos respicientium a vestra memoria elabamur, quia tunc forte præsentes non erimus.

EPISTOLA CCCLXXXIX.

AMICI CUJUSDEM AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, quidam amicus.

REX proxima Dominica die Londoniis debet esse, eoque archiepiscopum Eboracensem, omnesque Angliæ episcopos, et barones ad diem illam ex omnibus terræ partibus convocavit. Sane ea die coronabit filium regis Eboracensis, uxore ejus, filia scilicet regis Francorum, apud Cadomum derelicta, et quasi repudiata in contumeliam patris et contemptum. Coronabitur certe puer ille, quem diximus, et quando diximus, nisi Dominus mare clauserit navigare volenti, vel manus contraxerit Eboracensi, vel nisi rex Francorum aliquo prohibitionis modo inhibuerit. Puer enim properat ad mare, et a patre exspectatur in adverso littore. Et mandato regis, Baiocensis et Sagiensis cum puero vadunt. Ricardus de Humet non ibit. Regina Cadomi morabitur, donec gaudii hujus certitudinem acceperit. Litteræ ergo domini papæ super prohibitione consecrationis hujus, diu est quod mare transierunt, sed inutiles prorsus effectæ : in manu illius, cui traditæ sunt, perierunt, nec alicui ostensæ, nec ullatenus propalatæ. Quid igitur prosunt, quæ sic occultantur, per quas nec instans coronæ impositio, nec personæ unctio cessabit? Certissime enim sciatis hoc sine dilatione futurum, et, si non auderet Eboracensis, manus tamen cruentas apponeret carnifex Sagiensis. Hoc autem fit contra vos, ut nec diutius liceat etiam sperare de pace, cui non solum pax differtur, sed tota spes pacis et reconciliationis aufertur. Dixit enim nobis Ricardus de Ivelcestre, qui pro accelerando transitu pueri venit altera die usque Cadomum, et statim reversus est cum illo ; dixit, inquam, ille quod pacem vestram omnibus modis differret, et si aliter non posset, non solum domino papæ, sed etiam ipsi Deo inobediens rex ante usque ad mortem existeret, quam vobiscum pacem haberet. Nolite ergo sperare in iniquitate, nec templariis

illis credite, qui non ambulant in simplicitate, sed A regis potius, quam vestram voluntatem exsequi cupientes, vobis nihil aliud quam mendacia de rege et patre mendacii afferunt, ut decipiant. Quidquid enim rex agit vobiscum, dolus est et nequitia. Sed ut pace vestra loquar, stultum decipit verbis inanibus, ut interim sibi magis provideat, et de tractu temporis contra vos majores insidias paret, et laqueos præparet fortiores. Quid igitur facies, hominum miserrime, si tibi fuerit sub temporis brevitate subtractum, ad quod tantis temporibus suspirasti? si per alium rex fuerit effectus, qui non nisi per te regnare debuerant? Imo quid facies, si inimicus tuus regem tibi consecraverit inimicum, ut contra te in patriæ auxilium quanto junior, tanto fortior manus insurgat? Verum quid faciet rex ipse Francorum, B cujus ita filia contemnitur, cui regnum aufertur, cujus speranda posteritas condemnatur? Cur enim ejus filius, qui adhuc ei fortasse nascetur, regni gloriam consequeretur, si ipsa modo coronæ indigna judicatur? Forsitan non movebitur rex ille nimium justus, nec suum, filiæque contemptum vindicabit. Sed magis in sua justitia peribit. Moderate loquor in Christum domini, sed tamen pro nihilo ei coronam Franciæ deseret, qui coronam Angliæ tam facile auferet. Unicum ergo et singulare ei et vobis remedium est, ut sine omni dilatione ad reginam et ad Ricardum de Humet nuntios mittat, qui ex sua parte prohibeant ne fiat, et si factum fuerit, ab utroque cum diffiducia separentur. Sic enim territi Ricardus et regina mittent ad regem, et regis impedietur vo- C luntas. Nuntius enim regis Francorum vel vester, nullus posset ad regem nostrum accedere. Et si litteras domini papæ deferret, mitteretur in carcerem; si vestras traderetur in mortem, si regis Franciæ teneretur honeste, sed non procederet, donec negotium ad aures regis perveniret. Currite ergo statim ad regem, et advocate Senonensem, ut aliquod opponatur obstaculum huic operi, quod in personæ regis contemptum, et in causæ vestræ præjudicium noscitur agitari. De cætero sciatis Thomam, novum archidiaconum Bathoniensem, nuper a rege ad archiepiscopum Rothomagensem venisse, et a Nivernensi episcopo transeundi inducias impetrasse usque ad sequentem Dominicum. Publice enim Thomas ille clamavit, et multi alii quotidie clamant re- D gem in proximo esse venturum: quod penitus est falsissimum. Per episcopatus ergo, et abbatias et per domos regias, usque ad Montem S. Michaelis formicino gradu Nivernensis incedit, et qui in terra sua quindecim esset contentus, apud nos triginta sex equitaturas adducit. Dicitur ergo, quod magis sitit pecuniam regis, quam pacem regni; magis lucrum suum, quam commodum vestrum. Et res satis manifestis indiciis declaratur. Sexta enim feria post octavam Pentecostes venit Cadomum, unde tunc filius regis exierat, cum quo Nivernensis optime, si vellet, transire potuisset. Sed dicitur ei regem cito esse venturum, aut navem regiam venturam propter ipsum. Et sic homo ille, mores gentis nostræ penitus ignorans, fallaciis capitur, nec in manu ejus verbum Domini prosperatur. Verum, si astutias istas intelligeret, si concito gradu ad mare properaret, oporteret archiepiscopum præire, et istum regis responsum exspectare. Et si omnino vellet transire, navem quidem et instrumenta navis inveniret, sed gubernator nullus appareret. Singuli enim fugerent, vel se nihil scire dicerent, vel ventum penitus esse adversum jurarent. Stultus ergo fuit, qui veniendi per vos voluntatem habuit, qui per Flandriam ire disposuit. Statim ergo litteras regis, et litteras Senonensis, et nuntium vestrum ad Nivernensem dirigite, ut cum omni celeritate reginam Cadomi morantem conveniat, quatenus ei transitum paret. Quæ si noluerit ob manifestam impossibilitatem, idem episcopus ad vos revertatur, facturus citius quod facturus est. Nolite enim de cætero parcere, sed totum spiritum effundite, totum gladium evaginate, quoniam non respiciet vos oculus regis usque in sempiternum. Respiciat autem super vos et super oves pascuæ suæ oculus pietatis divinæ, et magis de principibus victoriæ gloriam, quam principum pacem non veram, Ecclesiæ suæ conferre dignetur. Valete. Et si adversitas increbuerit, nolite timere, quia Dominus supponit manum suam.

EPISTOLA CCCXC

COEXSULUM BEATI THOMÆ AD ALBERTUM CARDINALEM.

Sanctissimo domino, et Patri charissimo ALBERTO Dei gratia S. R. E. presbytero cardinali, miseri Cantuarienses totum id modicum quod relictum est exsulibus et proscriptis, sinceræ fidei et veræ dilectionis affectum.

Quantum sit innocentis conscentiæ bonum, nesciunt qui sinceritatem conscientiæ perdiderunt. Nec veretur alienam funestis infestare consiliis, qui semel relicta verecundia, in turpitudinis suæ defensionem præclaros viros desiderat habere consortes erroris. Utinam hæc domini papæ sanctitas, cum Ecclesiæ confusione, et infamia curiæ, non esset in nostris experta periculis, eorumque saluti pariter et honestati repugnantia consilio sapientiæ et auctoritatis, qua cunctis præeminet, vigore ab initio reprobasset. Quæ persuadere ausi sunt, ut innocentium proscriptionem per sex annos derisoriis dilationibus protelaret. Certe quisquis et quantuscunque fuerit ille consultor, illico audisse debuerat: *Vade retro Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Nec persuadebitur mundo, quod suasores isti Deum saperent, sed potius pecuniam, quam immoderatæ avaritiæ ardore sitiunt, olfecerunt, ideoque prædonibus et sacrilegis adhærentes consensu, consiliis instruentes, armantes patrociniis, insurrexerunt in pauperes Christi, acceptantes munera, secuti retributiones. Nec possunt illorum latere nomina, quæ tum evidentia operis manifestat, tum relatio nuntiorum partis adversæ, tum attestatio litterarum quibus gloriantur apud regem Anglorum, se pro e

stetisse viriliter, et quod illis tacentibus erat credibile, persuasisse domino papæ, ut præfati regis immanitatem in tanta patientia sustineret. In quo timendum est, ne seductus sanctus erraverit nimis, adeo ut quod in Ecclesiam Dei deliquit, etiam cum voluerit, nequeat emendare. Sic solet Deus talia plerumque punire delicta, ut qui divinitus oblata gerendorum opportunitate non utitur, eadem illi in perpetuum auferatur. Scrutanti legem loquimur et scienti, qui quod dicitur, sibi familiaribus clarum habet exemplis. Et tamen ut culpam suam, quam sic magis auget, purgare curia videatur, in nuntios nostros retorquet, quod Ecclesiæ Dei, de tam manifestis injuriis et damnis justitia non sit exhibita. Ergo quasi re bene gesta consulunt, ut sapientiores mittamus, ac si per se non sit patens injuria, damna sint vel pauca vel modica, sæpe non sit prædo commonitus, nuntiis nostris illatæ non sint atrociores injuriæ, diu, imo nimis et ultra omnem modum, et contra æquitatem non sit exspectata correctio. Non sunt in nobis, pater, sapientes illi, quos quærunt, non potentes aut divites, quos semper contra Ecclesiam Dei et nos habere locum videmus in curia, ut assidue redeant cum triumpho. Vix sustentamur aliena stipe, et fere, nisi nos gratia conservaret, ab Ecclesia Romana attriti, qui soli in orbe occiduo pro illa dimicamus, deserere cogimur causam Christi, et Ecclesiæ contemnere libertatem. Potuit ab initio in solum regem Anglorum, et nostræ proscriptionis, et deprædationis Ecclesiæ culpa refundi, qui per se, et satellites suos, sine miseratione ætatis et sexus, sine reverentia dignitatis aut ordinis, circiter quadringentos innocentes addixit exsilio, Cantuariensem cum omnibus possessionibus et bonis suis confiscavit ecclesiam, bona vacantium sedium occupans, non permisit in eis episcopos et abbates regulariter ordinari. Dici non potest, quot animæ sine confirmationis sacramento excesserint, quot criminosi sine pœnitentia et absolutione decesserint, quot sacræ virgines optata consecratione fraudatæ sint, quot causæ cum ecclesiarum et injuste oppressorum dispendio exspiraverint, quanta injustitia totam possederit Angliam, quanta perditionis animarum janua Satanæ sit aperta, pastoribus ovium Christi aut in exsilium actis, aut coactis obmutescere et silere a bonis, aut illectis ut præberent sub prætextu religionis et dispensationis arma iniquitatis peccato, et ipsos serpentes et antiqui serpentis membra perniciosis consiliis toxicarent. Tantas et tam patentes Christi injurias sæpe, imo continue per sex annos prosecuti sumus in auditoriis vestris, parati in ipsa malorum novitate, cum adhuc essetis Senonis, et nuntii regis adessent, appellationes prosequi, quæ vel a nobis vel contra nos fuerant institutæ. Non placuit ut audiremur tunc, quando nobis adhuc aliquid, etsi modicum, suberat facultatis, et amicis et adjutoribus non nihil spei. Longum erit, et vobis, ut timemus, tædiosum, si retexamus quoties nos obtulerimus ad agendum, nec placuit ut

A audiremur, et adversariis nostris, oppressoribus Ecclesiæ, facta est, ut scitis, non prosequendæ appellationis indulgentia. Interim si pater noster, dominus Cantuariensis vellet ablata remittere, et perniciosum compositionis ineundæ coætaneis et posteris præbere exemplum, pacem facere, vobis non interponentibus partes vestras, cum rege potuerit, et redire in gratiam familiaritatis antiquæ. Sed et absit hæc lues a mentibus nostris, ut pro quolibet temporali emolumento jugulemus animas nostras, insanabili plaga conscientias vulneremus, et nefando voluptatis aut avaritiæ mercimonio vendamus Ecclesiæ libertatem, et posteros pravo corrumpamus exemplo. Faciant hoc, si volunt, alii, aut potius nullus faciat, quia nos non ita instituti sumus a

B sanctis Patribus, qui Cantuariensem Ecclesiam rexerunt in laboribus multis, et tandem mercedem laborum receperunt a Domino. Idem, qui auctor propositi, conscientiæ nostræ testis et Deus, quod dominus Cantuariensis præelegit in exsilio mori, quam perniciosam Ecclesiæ vel probrosam inire concordiam. Et si hoc, quod absit, attentare, rarus est inter nos, si quis tamen, qui deinceps illius posset dominum aut consortium sustinere. Nobiscum de pace Ecclesiæ, mediantibus amicis, tractabatur, cum Joannes de Oxeneford Romam proficiscens, et manifesto, multis justificatus, perjurio rediit triumphator, et ab apostolica sede, furenti, quasi per se non satis insaniret, cornua attulit peccatori. Ab ea die proscripto nostra, quæ antea soli regi et

C suis poterat imputari, Ecclesiam Romanam dissimulatione vel consensu auctorem habuit, cum persecutori, in malitia perduranti, sit indulta dilatio, et quodammodo licentia præstita incubandi ecclesiis, et torquendi innocentes. Et nobis, si quid solatii videbatur esse porrectum, statim missis e latere nuntiis aut litteris impediebatur, ne votivum aut debitum sortiretur effectum. Nobis etiam tacentibus, rerum eventus ista esse convincit. Ecce enim cum pax nostra, sicut multi noverunt, esse in januis et Ecclesia solatium, ut putabamus, efficax a sanctissimo Patre Romano pontifice accepisset, supervenientes nuntii regis abstulerunt pacem, et absolutis excommunicatis nostris, etiam spem reconciliationis visi sunt præclusisse. Siquidem denuntiaverunt

D eis, et aliis adversariis Ecclesiæ, ut si libuerit, sex annorum appellationes, quas toties prosecuti sumus, et interdum obtinuimus, prosequantur in festo beati Lucæ, scituri quod nullum eis honoris, officii, beneficii, aut famæ dispendium generabitur ex hoc, quod tanto tempore excommunicati fuerunt. Unde in eo, maxime apud nostrates, justitia viget ecclesiastica, quod qui per annum excommunicationem sustinent, notari solent infamia. Sed ecce ab hujus novitatis exemplo, et quasi apostolico privilegio, quod continetur in litteris, solutus est ecclesiasticus vigor. Quid ergo superest, nisi ut nullius momenti sit apud provinciales sententia, quam sine omni pœna vident tam facile posse

dissolvi ? Juraverunt tamen,ut dicitur,se staturos mandato domini papæ, sed præcipitur esse absconditum. Deus bone ! Quid rei est, quod quæ contra Ecclesiam fiunt, licenter prædicantur in foro, ut trahi possint ad consequentiam ; et si quid pro Ecclesia fit, cujus exemplum possit esse laudabile,et prodesse in posterum, illud apostolica sedes jubet abscondi ? Cum ergo sic apud vos,prævalentibus fautoribus regis aut potius malitiæ, aut pecuniæ amatoribus, causa Christi tractetur, cur a nobis exigitur, ut mittamus nuntios sapientes, quasi vos ipsi non debueritis tam justam causam,tam manifestam defendere,etiam tacentibus universis ? Ad hoc enim estis in mundi cardine constituti, ut liberetis pauperem a potente,ut justitiam decernatis et faciatis inter filios hominum.Nos sane viros honestos et litteratos credebamus,quos via Romana absorbuit. Quæ tamen nobis utilitas in sanguine eorum ? Nunquid mittemus plures ut et ipsi moriantur,ut innocentium minuatur numerus vel annulletur,et tyrannus, illis, exstinctis, licenter dominetur Ecclesiæ nullo contradicente ? Si appellationes prosequendæ sunt, quare cum nascebantur, an nondum expiraverant, non sunt examinatæ ? Satius enim fuerat, nobis eas tunc expediri, aut saltem denuntiare nobis, ut aliquid aliud negotii ageremus quo vitam nostram possemus utcunque transigere,et causam suam Deo committerimus expediendam ? Spoliati et nudi sumus. Satis hactenus delusionibus hujusmodi fatigatis consultius esse credimus, ut vitam in orationibus,quam in litibus finiamus,domesticis exemplis edocti ne de cætero non modo opera et impensa nobis periclitetur, sed et anima : Christus, cui eam committimus,Ecclesiæ suæ deinceps sit patronus et causæ. Sed fortasse dicet aliquis, quoniam pro boni pacis, et quæ præmisimus gesta sunt, et toties indulta dilatio,et dispensandi ratio admissa est.Utique si pax exspectatur a Deo, peccatis, et his quæ contra legem fiunt, procuranda non est. Si a Deo futura non est, nec est Ecclesiæ necessaria, nec alicui utilis.Bonorum nostrorum non indiget Deus, sed certe peccatorum nostrorum minus, ad expediendam justitiam et misericordiam suam,et fortasse tandiu dilata est pax, quia non via Domini, sed humana procurabatur astutia.Excessimus modum sed urget nos necessitas, quæ nec modo,nec regulæ necessitate arctatur. Et spiritus sanctus qui in vobis est, persuadebit, ut necessario excedentibus indulgeatis et compatiamini.In summa pietatis vestræ genibus provoluti supplicamus attentius, ut hæc omnia intimetis domino papæ,et persuadeatis ei ne de cætero circumventoribus credat,qui amore sordium allecti ipsum conantur inducere, ut in læsione nostra animam suam perdat, et causam Christi.

EPISTOLA CCCXCI.

EORUMDEM AD GRATIANUM.

GRATIANO Romanæ Ecclesiæ subdiaconi,coexsules beati THOMÆ martyris.

Ei consultissime vulneris deteguntur incommoda qui compatitur aut medetur : nec in necessitate quisquam potius adeundus est eo,qui ipsam consuevit fideliter expedire. Et quidem Anglicanæ Ecclesiæ gravissima necessitas est, et a multis diebus jam fere insanabilis plaga, cui medelam plurimi promiserunt, sed jam fere sex annorum prorsus elapso curriculo,præter vos non fuit ab Ecclesia Romana descendens, qui adjuvaret. Quærebant alii fortasse quæ sua sunt, et Christi postposuerunt gloriam,et Ecclesiæ honestatem. Sed vos ab homine illo, qui coruptibili auro,et argento, et variis lenociniis mundanæ suppellectilis contrahentes corrumpere consuevit, nihil præter sinceritatem conscientiæ retulistis. Nec vos pœniteat hunc Ecclesiæ Dei gratis præstitisse laborem, nec vos arbitremini modicam jam sucepisse mercedem , cui duplex virtutis fructus redditus est : in conscientia alter, alter in gloria. Sed utrumque perseverantia multiplicabit, et dum Anglicana in Christo spirabit Ecclesia, merito recolet se vobis esse obnoxiam. Scitis quam miserabiliter lacerata et conculcata sic hactenus, quam variis delusionibus, et quoties ipsius sit impedita justitia, quam sæpe solatia debita, sibi collata videbantur, ab apostolica sede missis e regione litteris aut nuntiis,et indultis adversæ parti dilationibus subtracta sint : quomodo quidem de dominis cardinalibus et decurialibus amicis, afflictæ vulneribus vulnera influxerunt, ut jam non sit dolor,sicut dolor ejus. Poterant hæc ab initio regi Anglorum imputari et complicibus suis,qui horum omnium in injuriam Dei causa et artifex est, cui si antequam curia justificaset illum, qui schismatis conciliator fuerat, vellemus ablata remittere, et in læsionem Ecclesiæ perniciosum compositionis dare exemplum pacem mediantibus amicis, cessante opera sedis apostolicæ eramus habituri. Sed absit, ut pro Deo cœpta, sic contra Deum finiatur causa, ut pro quocunque emolumento Christi titulum distrahamus et Ecclesiæ libertatem. Testis est inspector cordium, quod dominus et pater noster mori mallet, et nos ei consepeliri, tantum morientes in Domino. A diebus autem Joannis de Oxeneford, non modo a præfato rege, sed et ab Ecclesia Romana vim patimur, quæ usque in finem sexti anni datis dilationibus protraxit exsilium nostrum, et persecutores Ecclesiæ, qui spoliis nostris corrupti sunt, et alios corrumpunt, cum triumpho remittit et gloria. Illi autem redeuntes regem, quasi per se non satis insaniret, instigant, et illos qui Ecclesiæ decreverant adhærere, minis et terroribus, et exquisitis dolis transire faciunt in adversam figuram. Experti sumus hoc tum sæpe, tum maxime modo, quando novissimi nuntii redierunt,quia regem pronum ad concordiam ab ipso revocaverunt introitu pacis, suadentes ut suos prosequi patiatur appellationes in festo beati Lucæ, quæ variis subterfugiis interpositæ sunt, etiam post inhibitionem a domino papa factam, quia contra voluntatem suam, si perseveraverit, nihil facere

compelletur. Interim absoluti sunt qui excommunicari meruerant hujus schismatis incentores, et spoliatores nostri, indulto sibi privilegio, ne quod dispendium honoris, officii, beneficii, aut famæ contrahant ex hoc, quod anathematis vinculo tandiu innodati fuerunt. Quod quam recte et salubriter Ecclesiæ factum sit, viderit Deus et judicet. Sed dicitur eos jurasse, quod stabunt mandato domini papæ, idque præcipitur occultari, ne forte innotescat aliquid pro Ecclesia gestum, quod ad ipsius pertineat honestatem, cum econtra publice prædicetur in foro, si quid in perniciem ejus præsumptum est aut indultum. Cum ergo pars nostra ab initio prosecuta sit appellationes omnes, et singulis annis obtulit diffugiente parte adversa, et illa plus profecerit in malitia sua, quam nos in innocentia et justitia nostra, qui sani capitis audebit suadere, ut hæc ulterius præstigia consectemur? Quæ est utilitas in tot laboribus, et expensis, et sanguine innocentium, qui pro testamento Dei animas posuerunt? Utique non est nobis tanti novis delusionibus vexari in curia sine fructu, ut nos qui residui sumus, velimus sine causa morientium esse consortes, sed Deo causam suam potius committimus dirigendam. Si quis enim nostrorum conventus fuerit, ut ad curiam iter arripiat, olim quod vulpes ægroto cauta leoni respondit :

Quia me vestigia terrent

Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.

Et iter hoc, donec spes profectus aliunde luceat, detestabitur. Vestris itaque pedibus provoluti supplicamus attentius quatenus sanctissimo patri et pastori Ecclesiæ, domino papæ, per vos omnia hæc innotescant, et persuadeatis ei, ne se deinceps circumveniri tam facile patiatur : et si eum oculus vel pes aut manus ulterius appetat scandalo, quicunque ille sit, a consilii sui corpore ipsum resecare non pigritetur. Quia melius est, ut amputato auctore scandali sine eo vitam promereatur æternam, quam ab eo se patiatur pertrahi, quod absit! in gehennam.

EPISTOLA CCCXCII.

FIDELIS CUJUSDAM EPISTOLA AD THOMAM CANTUAR.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, suus fidelis.

Transacta Dominica rex apud Londonias filium suum cingulo militiæ donavit. Eumdemque statim Eboracensis in regem inunxit. Ibique rex filiis suis terras suas divisit, cunctis admirantibus, quid de cætero sit facturus. Adventum suum in Normanniam quotidie facit prædicari, ut magis timeatur. Sed non veniet, quandiu pacem regis Francorum habuerit. Mandavit etiam Ricardo de Humes quod filiam regis Francorum cum regina Cadomi morantem vestibus, equitaturis, et familia decenter instrueret ad transfretandum, quando ipse mandaret. Hoc autem factum est, ut audiat rex Francorum, et ab indignatione, quam de contemptu filiæ concepit, aliquantisper quiescat. Non enim mandatum est, ut statim eat, sed præparari jubetur, ut quando rex miserit pro ea, ire non differat. Forte ergo consecrationem A puellæ, sicut et pueri furari nituntur. Sed si etiam palam fieret, videte ne a vobis aliquo modo inunctio filiæ regis Francorum prohibeatur. De innunctione quoque pueri nolite nimium turbari, sed vobis imputate, qui litteras non misistis, quæ poterant consecrationem impedire. Nolite igitur super regem aut super episcopos vestros aliquam sententiam dare, quandiu de pace vestra tractatur, sed patienter sustinere, donec veniat dies lætitiæ et pacis, vel dies iræ et indignationis. Credo tamen quod per Nivernensem pax vestra non fiet, quoniam Senonensis pacem cum rege Anglorum amplius quærit, quam vestram. Plurimum enim affectat loqui cum rege, et dixit mihi manifeste, quod si osculum rex vobis vellet indulgere, in omnibus aliis satis illi esset B parcendum. Me etiam increpavit quod ita loquebar de vobis et contra regem, et ut certe cognovi, pax vestra in manu sua non poterit prosperari. Ob hoc enim recessit ab eo archidiaconus Bituricensis, fidelissimus vester, et episcopus ille apud Maantam moratur, exspectaturus ibi adventum regis Anglorum per quindecim dies : et post, si rex non venerit, reversurus ad mare per Normanniam, ut procurationem regiam habeat, quam hucusque suscepit, et moram faciat longiorem. Reginam tamen, et Ricardum de Humez convenit ipse, ut naves solverent, et viam maris sibi aperirent, quam non solum ei, sed omnibus propter eum fecerant inhiberi. Ipsi autem noluerunt. A manifesto igitur contemptu et defectu episcopus debuit dies computare, sed noluit. C Imo cum regina familiare colloquium habuit, et inducias dedit, quas illa voluit, utpote qui regis gratiam et Senonensis cum rege pacem potius, quam vestram dicitur affectare. Videte ergo, ne quis vos seducat, ne in morte vestra gratiam reconciliationis inveniant, qui sunt inimici ad invicem. Videte etiam, cui verbum vestrum commisistis : et si vobis bene videtur de illo, certe aliter vobis videtur, quam omnibus aliis, qui vident illum. Præterea properate et loquamini cum illo Nivernensi, adhibito Senonensi, ut statim verbum sibi commissum exsequatur, vel omnino dimittat, neque per Normanniam, imo per Flandriam iter suum disponat. Interim autem ad nullam sententiam procedatis, nisi forte super Eboracensem ponere possetis. Dominus Vigornensis, D fidelissimus Ecclesiæ Cantuariensis filius, nondum transfretavit, sed honori Ecclesiæ et libertati omnino intendit. Valeat dominus meus, et voluntatem suam et statum mihi servo suo prolixius scribat. Valeat in æternum et ultra.

EPISTOLA CCCXCIII.

AMICI CUJUSDAM AD JOANNEM SARESBERIENSEM.

JOANNI Saresberiensi, quidam amicus.

Segnius irritant animum demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Si de his igitur, quæ auditu solo didici, minus luculentam fecero narrationem, veniam peto. Constantia enim veritatis et manifestior quæsitorum a

vobis expositio est penes illos, qui rem gestam conspexerunt. Novit autem dilectio vestra dominum Rothomagensem et Nivernensem episcopum a domino papa ad regem Anglorum pro transactione inter prædictum regem et dominum Cantuariensem formanda transmissos fuisse legatos. Arripiens igitur iter Nivernensis ad mandatum domini papæ, deferens secum transactionis formam a domino papa dictatam cum comminatoriis ad eumdem, in Neustriam usque pervenit. Conveniens itaque Rothomagensem paratus erat transfretandi inire laborem. Erat enim rex Angliæ, ut etiam vestra novit dilectio, tunc temporis in Anglia. Rex igitur auditis his Nivernensi obviam misit, mandans et monens, ne casus subiret marinos, sed ipsius adventum in Normannia patienter præstolaretur. Erat enim impræsentiarum in fines illos remeaturus. Regressum ergo Rothomagensis et Nivernensis diligenter convenientes, commonitorias domini papæ, pacis faciendæ formam continentes illi obtulerunt, quorum sermo hoc demum fine resedit. Spopondit rex prætaxatis legatis se ad nutum et voluntatem domini papæ sine fuco simultatis restiturum domino Cantuariensi pacem suam, ecclesiam suam, possessiones ecclesiæ suæ in integrum, gratiam etiam suam, licet de præcepto apostolico ad gratiæ restitutionem non cogeretur, unum vehementer laborans excipere de his quæ dominus papa mandaverat, osculum videlicet, quoniam huic publice in conspectu Francorum apud Montem Martyrum abjuraverat. Reversi sunt ergo Rothomagensis et Nivernensis ad dominum Cantuariensem Senonis, feria quinta, ut recolo, hebdomadæ præcedentis festum Magdalenæ, nuntiantes illi quæ penes regem invenerant, et ut ibi pariter diem reconciliationis faciendæ assignarent. Inter agendum autem hæc rex Franciæ, et rex Angliæ diem colloquii statuerant, feriam videlicet secundam ante festum Magdalenæ, in limitibus suis inter Firmitatem, oppidum scilicet in pago Carnotensi, et Fretivalle, castrum videlicet in territorio Turonensi. Dominus vero Senonensis interim consilium dederat Cantuariensi, quatenus una secum, et cum Rothomagensi et Nivernensi, regum adiret colloquium, adjiciens inter ipsum et regem suum, dum tanta locorum intercapedine disjungerentur, nequaquam posse componi. Dominus autem Cantuariensis, licet in principio renitens injussus ad colloquium accedere, consilio Senonensis demum acquievit, profectique sunt pariter ad colloquium, Cantuariensis, Senonensis, Rothomagensis, Nivernensis. Convenerunt igitur reges in unum ad tempus colloquio præfixum, rebusque suis secunda et tertia feria ante festum Magdalenæ tractatis, nullam de Cantuariensi fecerunt mentionem, ita etiam ut clerici ipsius a colloquio secunda die ad dominum suum revertentes nuntiarent ei reges finito negotio suo recedere, vehementerque expaverunt, ne qui ad colloquium non invitati accesserant, reverterentur confusi. Intercesserant tamen interim solita diligentia pro Cantuariensi ad regem Angliæ Senonensis, Rothomagensis, Nivernensis, concessitque illis, tandem rex se in festo Magdalenæ Cantuariensi collocuturum, et omnia ad præceptum domini papæ eidem redintegraturum, solo osculo excepto, ad cujus concessionem apud Montem Martyrum, nec etiam regis Franciæ precibus potuit inclinari. Adjecit etiam et juramento sancivit se in hujus negatione nullas Cantuariensi prætendere insidias, et Deum sæpius testando Senonensem super ordinis sui periculum interposuit fidejussorem. Dicitur etiam recedentibus secretius instillasse, se, etsi invite, osculum prius daturum, quam pace infecta ipse et Cantuariensis recederent discordes. Reversus itaque Senonensis ad Cantuariensem, indicavit ei quam et qualem dulcedinem cum in vultu, tum in verbis regis invenerat, rogans et monens ne in osculi exactione paratam domini sui amitteret dilectionem, multisque interpositis adjecit etiam, quod et rex ipse eidem prius publice promiserat, regem, cum in suas possessiones veniret, illum cum pacis osculo et maxima gratiarum actione recepturum. Consilio igitur Senonensis dominus Cantuariensis tanquam paratus etiam animam pro ovibus suis ponere condescendit, et sero facto nuntiatum est regi domini Cantuariensis responsum. Mane autem redeunte in festo Magdalenæ, summo diluculo rex ad limites usque prius inter ipsum et regem Francorum colloquio assignatos, quos et Cantuariensi, ut convenirent, assignaverat, cum infinita suorum multitudine processit. Cantuariensis autem serior egressus, comitante illum Senonensi et comite Theobaldo, concurrentibus etiam catervatim Francis, qui cum rege suo ad colloquium venerant, ad limites pervenit assignatos. Rex autem, ut Cantuariensem venientem cognovit, a multitudine circumstantium erumpens, illi occurrit, præveniensque Cantuariensem salutavit. Finitis ad invicem salutationibus, datis dextris et amplexibus, secesserunt in partem rex, Cantuariensis, et Senonensis. Cantuariensis autem regi suo de injuriis sibi et Ecclesiæ suæ illatis conquerens, sermone usus et vehementer commotivo, et ut revertens Senonensis testatus est, materiæ tali admodum cognato. Deinde soli duo, rex scillicet et Cantuariensis, in partem secedentes, de secretis suis multo diei spatio disseruerunt, adeo ut quampluribus astantium tædiosa fieret tam diutina mora collocutionis. Conquestus est autem ibi Cantuariensis de læsione dignitatis Ecclesiæ suæ, maxime in novi regis coronatione, enumeratis quot et quæ prædicta Ecclesia regi contulerat, maxime cum de regni corona inter ipsum et regem Stephanum fieret disceptatio. Rex autem causam coronationis supradictæ assignans, tum statum regni, tum iram quam in Cantuariensem exercuerat, promisit se omnia correcturum ad voluntatem domini Cantuariensis, adjiciens filiam regis Franciæ nondum coronatam ab ipso coronandam filium etiam suum denuo ab illo coronam suscepturum, cum recognitione dignitatis ad Ecclesiam Can

tuariensem pertinentis. Ad hæc promissa Cantuariensis regi suo gratias agens ab equo descendit, seque ad pedes illius humiliavit. Rex autem cum festatione equum linquens, Cantuariensis equum reascendentis ascensorium, quod vulgo strivarium dicitur, tenuit. Sic igitur reversi sunt rex ad suos Cantuariensis ad Francos. Rex autem, non inito alio consilio, publice nuntiavit se cum Cantuariensi pacem fecisse ad honorem Dei et suum. Convocatis igitur hinc inde astantibus restituit Cantuariensi pacem suam, gratiam suam, ecclesiam suam et possessiones ecclesiæ suæ in integrum. Processerunt etiam coexsules domini Cantuariensis qui adfuerant et ad pedes regis se humiliaverunt: rex autem, sua singulis restituens, suam benigne pacem concessit eis et gratiam: his ita gestis voluit dominus rex, ut Cantuariensis secum statim in Northmanniam veniret, tum spatiandi causa, tum ne occultaret concordiam diuturnitas dissensionis. Promisit etiam Cantuariensi et suis sufficientem necessaroium administrationem. Cantuariensis autem, quia absque licentia a rege et Ecclesia Francorum accepta, sine læsione nominis sui recedere non poterat, revertendi ad ipsum inducias expetivit. Jussit igitur rex interim Cantuariensem ad possessiones suas et suorum recipiendas aliquem clericorum suorum in Angliam transmittere, ita tamen ut prius ad illum legatus veniret, receptisque litteris suis ad filium suum, et ad cæteros regni custodes securus transfretaret. His itaque exsecutis, rex, requisita a domino Cantuariensi benedictione, recessit. Quia igitur amico nostro, sed amicissimo et in omnibus voluntati vestræ devote magistro Hereberto legatio hæc injuncta est, rogo quatenus vestra oratione ad Deum intercedente adjutus tutior incedat. Valete, memor mei.

EPISTOLA CCCXCIV.

NUNTII SUI AD THOMAM CANTUAR.

Domino suo charissimo sui salutem, et fidele servitium.

Mandatum vestrum, juxta quod potuimus, adimplevimus, litteras vestras Willelmo de Einesfordia, et Willelmo filio Nigelli liberavimus, et eos quacunque pœna usque Londoniam attraximus, simul cum Turstino et Osberto. Et cum litteras domini regis, quas apud vos habuimus juniori regi Angliæ ostendere parati essemus, nullus istorum quibus id mandastis, coram rege apparere ausus est. Consilium enim a quibusdam acceperant, qui eos, ne starent nobiscum in negotio, penitus declinaverant. Nos vero quibus incumbebat negotium, accepto nobiscum solo Roberto sacrista Cantuariensi audacter, et cum omni diligentia, consultis tamen Willelmo filio Aldeli, et Radulpho filio Stephani, accessimus ad regem in camera sua apud Westmonasterium, die lunæ proxima post festum beati Michaelis, residentibus cum ipso rege comite Reinaldo, archidiacono Cantuariensi, archidiacono Pictaviensi, Willelmo de S. Joanne, et multis aliis. Comes autem Reginaldus

A audita pace, similiter et plures alii, sed non omnes, Deo inde coram rege gratias devote reddiderunt. Perlectis vero litteris, nobis amotis consilium inde rex se capturum respondit. Tunc vocato Walthero de Insula, et cum eodem habito consilio, revocati sumus, et præsentibus nobis archidiaconus vester Cantuariensis in hæc verba respondit: Dominus rex mandatum et præceptum domini sui patris accepit et inde consilium habuit. Respondit igitur sic: Randulphus de Broc, et ministri ejusdem Randulphi similiter cum aliis ministris terras, et possessiones archiepiscopatus, et res, ecclesias, et reditus clericorum archiepiscopi diversis in locis præcepto regis patris habuerant; et quoniam nisi adhibitis præfatis ministris instauramentum cum B manerio archiepiscopi veraciter sciri et inquiri non poterit, diem præsentis mandati plenius exsequendi ponit et assignat vobis dominus rex diem Jovis crastinam beati Calixti papæ. Quidam autem delationem istam audientes et de pace firma penitus desperantes, malam pacis esse significationem constanter asserunt; quidam vera reditum termini hujus habere volunt: quod potius credendum est. Sunt itaque omnes vestri, quos in Anglia invenimus, ita de pace desperati, quod neque litteris domini regis, quas extra sigillum pendentes ostendimus, neque nobis, qui paci factæ interfuimus, et voce viva juramento affirmamus, credere nolunt, nec possunt. Quidam vero nostrum, cum dominus rex de Londonia versus Windlesores iter faceret, C in via accessimus ad eum, et ex parte vestra cum omni humilitate et diligentia salutavimus; ipse vero benigne nobis respondit, et multo vultum alacriorem nobis ostendit in via, quam coram justitiis suis prius ostenderat. Consulunt autem vos secreto per nos amici nostri multi, quod circa dominum regem moram faciatis, si quo modo fieri potest, donec plenius gratiam ejus et bonam voluntatem adipisci mereamini. Fere tamen omnes, cum quibus locuti sumus, ita personam vestram diligunt, et accessum, et præsentiam vestram ita concupiscenti animo desiderant, quod vos vix crederetis, sed timor ipsos dissimulare cogit, quasi non diligant. Domine, audivimus, et a quodam familiari, quondam vestro, pro certo didicimus, scimus etiam D quia verum est; dominus rex Angliæ per Waltherum de Insula, et per brevia sua per eumdem in partibus illis transmissa submonuit Rogerium Eboracensem, dictum archiepiscopum, Gilbertum Londoniensem, Jocelinum Saresberiensem episcopos, et de omnibus ecclesiis, quæ vacant in Anglia, quatuor vel sex personas, clericos, ut episcopos suos secundum ejus voluntatem, et prædictorum episcoporum consilia eligant, et eosdem secundum voluntatem suam, et istorum consilium electos summo pontifici ad detrimentum Ecclesiæ Cantuariensis, et vestri confusionem, quod Deus avertat, consecrandos destinent. Inde siquidem est, quod adventum vestrum in Angliam tantum cupiat: et in

confusione personæ vestræ ita frequenter et improbe A persistat. Videmus autem hujus machinationis diabolicæ nimis certa, et omnibus regionem illam inhabitantibus credibilia indicia. Episcopus enim ille dictus Londoniensis, sed non verus episcopus, jamdiu in partibus Beverlacensibus moram fecit, et quasi beatum Joannem ibide madoraturus, falsam peregrinationem simulavit, ut inde similis domino suo, et pastoris sui operibus detrahat, et ipsum non aliter, quam cruentis manibus jugulare machinetur. De his omnibus, domine venerande, vobis providere diligenter studeatis, et ut secundum consilium, quod a Deo desuper datum vobis fuerit, cura pervigili, animo discreto, infestationes vobis insidiantium Dei auxilio, qui non derelinquit sperantes in se, valide excutere possitis. De cætero, B domine, quam citius litteræ domini regis visæ et auditæ fuerunt, audivimus dicere, quod rex et archidiaconi statim nuntium quemdam ad regem in Normanniam transmiserunt, sed quid mandaverint, penitus ignoramus. Idcirco latorem præsentium cum maxima festinatione ad vos mittimus, ut quod audivimus et didicimus, vobis significemus. Eumdem ergo vel alium nos sine dilatione ad nos mittere non differatis et nobis super his voluntatem vestram et placitum plenius renuntietis, quia sicut iste ore vobis dicere poterit, soli sine capite, et auxilio sumus. Nullus enim, quem nobis proposuistis, mandato vestro, neque præcepto obedire ausus est, præter Robertum sacristam, qui quantum scivit et potuit, in negotio operam adhibuit. Cum vero, si forte evenerit, die nobis statuta restitutionem rerum vestrarum fecerint, sicut audiemus et intelligemus, in continenti vobis renuntiabimus. Valeat dominus noster. Lator iste secreto quædam vobis ore recitabit, quæ, ut pro vero credantur, abominabilia sunt : et tamen vera sunt. Non est opus, domine, ut pluribus ista revelata sint, sed si placet, sepulti sint sermones, cum solus ea audieritis. Hoc sæpe et sæpius, domine, vobis memoriæ committimus, ne in Angliam venire festinetis, nisi puriorem gratiam domini regis adipisci possitis. Non est enim homo in Anglia, nec etiam solus inter omnes, de quibus confidebatis, qui non omnino de pace desperet, et colloquium nostrum, et habitum circa eosdem, qui vobis consulere deberent et de quibus maxime confidebamus, vitant omnes communiter et fugiunt. Valete.

GILBERTI FOLIOT

EX ABBATE GLOCESTRIÆ

EPISCOPI PRIMUM HEREFORDIENSIS DEINDE LONDONIENSIS

EPISTOLÆ

ET VARIORUM AD IPSUM ET ALIOS

Nunc primum e codicibus mss edidit J. A. Giles, LL. D. Eccles. Angl. presbyter, et colleg. C. C. Oxon, olim. socius.

(Oxonii et Londini 1845, 8° 2 vol.)

TO THE
RIGHT HONOURABLE SIR JAMES GRAHAM,
ONE OF HER MAJESTY'S
PQINCIPAL SECRETARIES OF STATE,
BY WHOSE READY KINDESS THE EDITOQ WAS ENABLED
THUS EARLY TO PLACE BEFORE THE PUBLIC
THIS FIRST AND COMPLETE COLLECTION OF THE
LETTERS OF GILBERT FOLIOT,
BISHOP OF HEREFORD AND LONDON
AND THE RIVAL OF THOMAS BECKET,
THESE VOLUMES ARE MOST RESPECTFULLY DEDICATED.

C. C. C. Oxford, Jan. 1845.

PRÆFATIO

Ex epistolis in causa dissidii Henricum II inter et S. Thomam Becketium scriptis, plurima Gilbertum Foliot, virum scientia et pietate, non minus ac in rebus ad regni regimen spectantibus peritia conspicuum, auctorem agnoscunt,

Eminentissimus ille vir, tempore opportuniori, altissimam tam Ecclesiæ quam reipublicæ dignitatem conscendere, longeque suos coætaneos fama gloriæ præcellere potuisset, sed illi accidit ut sublimiore Thomæ Becketi ingenio vinceretur, qui ad sedem metropolitanam Cantuariæ prælatus, ob hanc rem, ut non raro fieri solet, odio invidiæque non levem in modum patuit.

Foliotana stirps duce Willelmo conquestore Angliam adiit. Gilbertus ipse in celeberrimo Cluniacensi monasterio educatus fuerat, ubi a tenerrimis annis scientia vitæque austeritate eminuit. Anno 1139, cura et ope Milonis, Glocestrensis civitatis quæsitoris, necnon et Roberti Bathoniensis, Herefordiensis episcopi, beati Petri Glocestriæ electus et promotus ut abbas. Opulento huic præpotentique monasterio novem annos præfuit, atque anno 1147 vel 1148, ad Herefordiensem episcopalem sedem, defuncto Roberto Bathoniensi vacantem sublatus est. Ibi scientia, pietate et ascetica disciplina, in qua suos omnes contemporaneos præteriisse perhibetur, majorem adhuc famam sibi comparavit. « Non apud suum ordinem tantum sed et apud eximiæ notabilitatis sæculares viros magna pollebat auctoritate. Eo suggerente, ut probabilius videtur, Leicestriensis comes comitissaque monasticæ vitæ se dederunt. Cum Reginaldus a S. Walerico Osneienses monachos opprimeret, Herefordiensis episcopus, etsi ad suum officium id non pertineret, oppressorum redarguendum curavit. » Elapsis aliquot annis, anno scilicet 1161 vel 1153, ad sedem Londinensem translatus est ; sed, ut modo patebit, ejus promotio magnis chronologiis difficultatibus intricata hæret. Ex permultis ejus epistolarum locis quæ nunc prima vice prelo subjicientur clare patebit quod G. Foliotus, non obstante ejus adversus Becketum oppositione, non infirma Ecclesiæ in generali, sive in speciali sedis Cantuariensis privilegiorum, opinionem fovebat. Quod si factum istud historicum æque et ab omni partium studio aliena mente discutere velimus, argumenta quæ ex utraque quæstionis parte subministrari queunt multa cura nobis ponderanda sunt ; sed antequam volumina hæc prodirent, ejusmodi methodus ad investigationem rei qua nulla alia in Anglica historia asperior lubricosiorque invenitur, sine dubio adhiberi nullo modo poterat. Reformatio enim, quæ in Ecclesia trecentos ab hinc annos contigit, procul dubio omnium animos adversus Thomam Becketum et causam quam tuebatur deflectere omni cura et modo enixa est, ideoque, ea de causa, indebito favore ii omnes qui regis partes contra illum susceperant potiti sunt, inter quos prima fronte astant Rogerus archiepiscopus Eboracensis, et Gilbertus foliotus, Londinensis episcopus ; sed odium quod in Becketi nomen ceciderat, et favor qui adversariis ejus proditus fuerat, si non omnino indebita, at saltem non æque ponderatis quæ in utramque partem adduci poterant argumentis, pariter profusa fuerant. Quæ hic nunc prodeunt volumina clarissimam diem in controversiam inter corrivales episcopos exortam effundere invenientur, magnique lectorem refert meminisse has epistolas magnæ auctoritatis continere argumenta, quæ produci potuerunt ab iis qui Henrici regis adversus archiepiscopum Cantuariensem partes suscepere. At vero, cum Gilberti personam et epistolas a celeberrima cujus pars magna fuit, causa separare non juvat, paucæ istæ observationes sufficientem ad præsentem collectionem afferent introductionem, ampliorem que de hoc investigationem procrastinabimus, donec tota argumentorum series, editis Becketi et eorum qui ejus partes susceperunt epistolis, completa fuerit.

Nunc igitur superest ut lectorem moneamus ex qua auctoritate epistolæ istæ, velut genuina Gilberti Folioti scripta, nunc edantur.

In Bodleiana bibliotheca quidam adest manuscriptus codex (e Mus. 249) circa annum 1200 exaratus, qui plusquam quadringenas epistolas complectitur ; hoc fundamento præsens stat editio. Quadraginta fere harum epistolarum in alio manuscripto, qui in Britannico Museo (Reg. 8 A XXI servatur, reperire est) Alius exstat in cathedrali bibliotheca Herefordiæ ; sed eum inspiciendi facultas usque modo non affuit, quippe quod bibliotheca recentem restaurationem subiit, et quamvis decanus summa diligentia illum, inter incomposita volumina, inquisierit, codex epistolas continens de quibus nunc agitur, nondum inventus est. Nonnisi tamen paucissimas continere epistolas supponitur, at nullam quæ in Cavi ms. non exstat.

Istud magni momenti volumen, quod Oxoniensi Universitati a Cavo concessum est, jam plurimorum litteratorum et antiquariorum notitiam non effugit, sed tam amplæ collectionis transcribendæ immanis labor omnes usque modo ab illa prelo subjicienda deterruit. Denique tamen, propter peculiares quæ editori occurrerunt opportunitates, integer ille codex cum, cunctis quæ in illo continentur in lucem prodebit, tam paucis sparsus erroribus quam pleraque opera ex uno tantum originali manuscripto in lucem prodeuntia. Attamen, cum Epistolæ absque ullo ordinationis studio in eo jacent, nunc fuit eas in ordinem illum reducere qui melius hujus editionis proposito conveniret. Quædam harum epistolarum jam antea prelo subjcetæ sunt, plures bis et etiam ter in Cavi ms. repetitæ ; unde quot separatas epistolas prædictas codex complectatur asserere admodum difficile est, quod de Becketi epistolis pariter observandum. Quamobrem lectori, si certus fieri cupit in qua voluminis parte epistola quæque inveniatur, consulendus est index qui ad finem tomi apponitur.

In disponendis epistolis illas primo attulimus quæ a Gilberto Folioto dum Glocestriæ abbas esset, ab an. 1139 ad an. 1148 scriptæ fuerunt ; deinde sequuntur illæ quæ post annum 1148, dum Herefordiensis episcopus ; tertio tandem referuntur quas post suam ad sedem Londinensem promotionem scripsit. Quædam exstitisse diu videtur opinionum diversitas quoad tempus quo ultima hac dignitate investitus fuit. Sunt qui asseruerunt hoc non contigisse anteaquam rex Becketo infensus, Gilbertum Londinum in odium archiepiscopi Cantuariensis accersivit ; sed inconsiderata procul dubio est hæc assertio, quippe quod Foliotus cum tardissime in mense Aprili, 1163, episcopus fieri debuerit, priusquam rex et Recketus inter se contenderent ; sed ista quæstio adeo intricata est, ut editor illam tunc temporis discutere non audeat. Satis sit dicere quod si factus est episcopus Londini mense Aprili 1161, epistolas 145 et 412 hujus collectionis a Theobaldo scriptas esse opportet ; si vero anno 1163, conversio ab amicitia ad inimicitiam inter ipsum, Becketum et regem, locum habere debuit in fere incredibili temporis intervallo. In prima et secunda hujus collectionis epistolarum parte nullus alius in iis edendis ordo servatus est quam generalis classificatio de qua superius. In tertia parte, epistolæ dispositæ sunt secundum ordinem et gradum eorum ad quos ascribuntur, exempli gratia : 1° ad papam ; 2° ad cardinales ; 3° ad Ecclesiæ filios in genere ; 4° ad archiepiscopos, episcopos, decanos, abbates, et diversarum diœceseon, servato ordine alphabetico ; 5° tandem ad reges, laicos et alios ; sed sub unoquoque ex his capitibus nulla ordinationis cura habita, ea de ratione quod, cum omnes istius collectionis epistolas, maximi quamvis in seipsis momenti, præcipue commendet earum cum Becketi epistolis connexio, utrasque in indice chronologico conjunximus ad calcem voluminis.

Cavi tamen ms. multas continet epistolas ab aliis Gilberti Folioti contemporaneis scriptas, quarum quædam in prima et secunda hujus collectionis parte, Folioti epistolis immixtæ occurrunt ; sed in tertia parte omnes ejusmodi epistolæ ad calcem remotæ fuerunt ubi secundum eumdem ordinem qui pro Gilberti his epistolis adhibitus est, dispositæ sunt.

Præterea in Becketi epistolarum manuscriptis quinque vel sex inveniuntur ab episcopo Londinensi scriptæ, et una tantum in Wilkins *Conciliis*, quæ omnes in præsentem collectionem translatæ sunt, præter alias quæ in Cavi ms. forte non exstant. Uno verbo, ut nihil omittatur, regula ista servata fuit qua discet lectori quid sibi exquirendum sit, tam in his voluminibus quam in accedentibus seriebus quæ Becketi epistolas complectuntur.

Collectio hæc omnes Gilberti Folioti epistolas continet, altera vero collectio omnes Becketi epistolas; sed illæ epistolæ quæ ab Alexandro papa, ab Henrico rege aut ab aliis scriptæ sunt, inter utramque collectionem divisæ fuerunt, reperienturque plures in præsentis collectionis fine, cæteræ vero in fine collectionis quæ Becketi epistolas continet.

Harum epistolarum auctor duo alia opera composuisse supponitur, videlicet *Commentarium in Cantica canticorum*, et *Homiliarum* collectionem. Amborum istorum operum manuscripti codices in Britannico museo et alibi occurrunt, quorum prius prelo subjectum est; sed neutrum sive ex parte meriti, sive ex alio fonte aliquo modo dignum habitum est quod in hanc collectionem admitteretur, etsi dedicatoriæ epistolæ vel præfationes excerptæ sunt atque propriis convenientibusque locis in his voluminibus disponentur (1).

Catalogus pontificum et regum, necnon et Anglicorum episcoporum cum Gilberto Folioto contemporaneorum, quem hic exaravimus, lectorem laboriosa ad alia opera referendi cura liberabit. Cum tamen multarum epistolarum inscriptiones in Cavi ms. initialem tantum litteram dant nominis ejus ad quem scribuntur, si lector justis de causis aliquam particularem epistolam alii ascribendam, et non juxta titulum affixum satius duxerit, editor se reum confiteri in materia errori tam evidenter obnoxia, non dubitabit.

(1) *Præfatio in Cantic.* est epist. 212; *Præfatio in Homilias*, epist. 329. Utramque alias cum operibus exegeticis Gilberti dabimus. Edit. Patr.

CATALOGUS REGUM ET PONTIFICUM

Qui cum Gilberto contemporanei fuerunt.

1. Regum Angliæ.

Stephanus regnavit ab an. 1135 ad 1154.
Henricus II, rex Angliæ, regnavit ab an. 1154 ad 1188.

2. Pontificum Maximorum.

Celestinus II. 1143 ad 1144.
Lucius II 1144 ad 1145.
Eugenius III. 1145 ad 1153.
Anastasius IV. 1153 ad 1154.
Adrianus IV. 1154 ad 1159.
Alexander III. 1159 ad 1181.
Lucius III. 1181 ad 1185.

3. Pontificum Ecclesiæ Anglicanæ.

Cantuar. Archiep. Theobaldus 1138 ad 1161. Thomas 1162 ad 1170. Ricardus 1174 ad 1183.
S. Asaph. episc. Galfridus Monum. 1151 ad 1175. Adam 1175 ad 1180.
Bangor. episc. Mauritius 1139 ad 1162. Willelmus 1162 ad 1171. Guido 1177 ad 1188.
Bathon. episc. Robertus 1136. ad 1174 Reginaldus, 1174 ad 1191.
Cicestr. episc. Seffridus 1125. ad 1132. Hilarius 1148 ad 1172. Joannes 1174 ad 1180 Seffridus II. 1180 ad 1204.
Lictif. et Cov. ep. Walterus 1149 ad 1161. Ricardus 1162 ad 1182. Girardus puella 1182 ad 1184. Hugo Nunant 1186 ad 1199.
S. David. ep. David 1148 ad 1176. Petrus 1176. ad 1189. Galfridus 1186 ad 1198.
Elien. ep. Nigellus 1133 ad 1169. Galfridus Ridel 1174 ad 1189. Willelmus 1189 ad 1197.
Exon. ep. Robertus 1128 ad 1150. Robertus 1150 ad 1159. Bartholomæus 1161 ad 1184.
Glocest. ep.
Heref. ep. Robertus 1131 ad 1148. Gilbertus 1148 ad 1161. Robertus Melid. 1164 ad 1167. Robertus Fol. 1174 ad 1186.
Landav. ep. Vetredus 1139 ad 1148. Galfridus 1153 ad 1154. Nicolaus 1154 ad 1183. Willelmus 1185 ad 1188.
Lincoln. ep. Robertus 1147 ad 1167. Walterus de Const. 1183 ad 1184.
London. ep. Ricardus 1152 ad 1161. Gilbertus Foliot 1161. ad 1187. Ricardus 1189 ad 1198.
Norw. ep. Everardus 1121 ad 1150. Willelmus 1151 ad 1173. Johannes 1175 ad 1200.
Roffens. ep. Walterus 1147 ad 1182. Waleranus 1182 ad 1184. Gilbertus 1185 ad 1214.
Salisb. ep. Rogerius 1107 ab 1139. Jocelinus 1142 ad 1184. Hubertus 1189 ad 1193.
Winton. ep. Henricus 1129 ad 1171. Ricardus 1173 ad 1189. Godefridus 1180 ad 1204.
Wigorn. ep. Simon 1125 ad 1150. Aluredus 1150 ad 1158, Joannes 1158 ad 1163. Rogerius 1164 ad 1179. Baldwinus 1180 ad 1184.
Eborac. archiep. Turstanus 1119 ad 1140. Henricus, 1147 ad 1153. S. Willelmus 1453 ad 1154. Rogerius 1154 ad 1181.
Carlisle ep. Ethelwulfus 1183 ad. . , Bernardus 1157 ad 1186.
Cestr. ep. iidem qui Licit. et Cov. ep.
Dunelm. ep. Galfridus 1128 ad 1140. Willelmus 1143 ad 1152. Hugo 1153 ad 1189.

EPISTOLÆ GILBERTI FOLIOT.

EPISTOLA I.

AD B. CERNELEIENSEM ABBATEM.

Charissimo fratri suo B. Cerneleiensi Dei gratia abbati, frater G. Glocestriæ dictus abbas, consolationis et consilii spiritu semper refoveri.

Fortunam vestram plangitis, et deploratis incommoda, quæ et ipsi pari mœstitia plangeremus, nisi bonis omnia cooperati in bonum ipso Domini Spiritu doceremur. Sed quia certum nobis est, quoniam his qui ex proposito vocantur ad vitam, ideo in omnibus quæ de manu Domini accipimus, gaudemus et gratias agimus, attendentes in his quæ prospera sunt bonitatem, in adversis disciplinam, in utrisque scientiam, quoniam flagellat Dominus omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII), et bonus pater si non virga visitat iniquitates in ira, tamen misericordias non continebit. Unde si inter incudem et malleum gemuistis hactenus, gemitus iste vobis erit pro cantu, cum tanquam vos mondum in omnem voluntatem opificis summi formatum auro purior quod per ignem probatur, post crebras Domini concussiones enitescetis, et fortitudinis et constantiæ, et laboris, et tolerantiæ præmia ab ipso cui obedistis reportabitis. Quia vero conversa est hæreditas vestra ad alienos, et mentiti sunt vobis filii alieni inveterati dierum malorum, claudicantes semper a semitis bonis, abeuntes retro post Satanam, eligentes magis in nobis Christum persequi quam sequi per vos, utile non arbitror ulterius solo sterili mandare semina, porcis spargere margaritas (*Matth.* VII), fetorem sentire de proximo proditorum. Exiens itaque de Ægypto, in proximo futuro concilio absolutionem a domino papa postulabitis et, dante Domino, impetrabitis, incontaminata vita, fama in omnibus permanente illæsa, spiritu a Domino serviendum promptissimo, qui eduxit quasi lumen justitiam vestram, et judicium vestrum deducet tanquam meridiem, cui notas fecistis vias vestras, et sperastis in eo et ipse faciet (*Psal.* XXXVI). Ipse, dante Domino, adero, et coadjutor existam. Unum tamen obsecro, ut nec corde, nec corpore discedatis a nobis, sed sit nobis una bonorum communio, charitas una, individua vitæ societas, ut ubi vitæ bonæ tirocinia transegistis, perfectionis ornamenta reponatis, et jam pene omnem expertus fortunam mundum et quæ sua sunt contemnatis, et ipsum de sublimi jam ipso altior irrideatis. Valete. De itinere certior, vere tamen iturus, vobis certiora mandabo.

EPISTOLA II.

AD. . . . .

Poteram me cohibere silentio, si non animum mœror impulisset, at instantis pondus injuriæ me in lamenta ire compellit. Pridie ex quo recessisti a
A nobis auditis pejora percepimus. Referebat frater Herefordia reversus, charum illum nostrum quem digne virum nominem Herefordiensis Ecclesiæ decanum lacessitum injuriis piis bonorum civium, persecutum lacrymis urbem exisse. Angariatus in se, dispendia rerum tulit e facili. Leviter enim in scelus est protracta impietas. Confractæ sunt domus, apothecæ diruptæ, sublata vasa, distractæ pecuniæ, supellex undique dissipata. Sed quid ista? Nunquid ita ardens illa habendi sitis exstincta est? Non hanc hujus naturam passionis agnovimus. Verum cupiditas plus novit accendi remedio. Itur in ulteriores injurias, transitur in villas, devenitur in horrea, excutiuntur annonæ, deportantur stramenta, aporiatur ecclesia, muniuntur castella. Proh quanta malignatus est inimicus in sancto (*Psal.* LXXIII)! Prorumpat
B Ecclesiæ fletus, erumpat ejulatio, threni deducantur in medium, cithara ejus convertatur in luctum, et organum in vocem flentium. Saræ dominatur Agar (*Gen.* XVI); quæ libera erat facta est ancilla, et filia principis facta est sub tributo. Datur ei pro crispanti crine calvitium, in cilicium stola gloriæ ejus, et pectoralis fascia commutatur. In sanctuarium Chaldæus ascendit, licenter operatus est malum, gloria Domini deputatur in nihilum. Stant lacrymæ in maxiliis filiorum; qui absterget eas? Desolata est facies filiarum Sion; quis easdem consolabitur? Sic ascendente superbia, quis jam erit miseriæ [finis], quæ injuriarum futura satietas? Quis obstabit sceleri? quo præsidente compescetur iniquitas?
C Nempe capitis interest corpori providere. Ad ipsum spectat partis cujusque molestia. Hoc in alto situm est ne fallatur intuitu, sed infirma quæque visu liberiore collustret. Forma rotundior, eminens statio, sensus impressi, dignitatis ecclesiasticæ ministerium; certa quædam ratione depingunt. Te, Pater, ista respiciunt, te lenimen sibi famenta deposcunt. Si tenes baculum quo sustentes, non cessit virga qua corrigas. Juxta prophetam, *gladius exacutus est, ut splendeat limatus est*, (*Ezech.* XXI). Stet in manu percutientis et vindicantis opprobria agminum Dei Israelis. Audisti atheum improperantem Domino, et manus tuas ad prælium et digitos ad bellum non aptasti? Nunquid citra necessitatem strenuus ad belli discrimen inanesces? Absit hoc a tua gloria, ne
D tale sortiatur laus tua dispendium, consensum cum possis et debeas non ulcisci. Et quidem debes; quia pastor es. Potes; quia gladium portas. Portas quidem gladium, et omnis armatura fortium ipsa te munit. Si quæris expendium, succinctus lumbos in area Domini perstitisti; si loricam desideras, justitiam induisti ut gigas; si galeam, spem communem præstolaris; si gladium, sermo Dei vivus et efficax

(*Hebr.* IV), et ipse de ore tuo devorabit carnes ; si A clypeum, impugnantibus te fides orthodoxa furabitur ; si calceamenta, Patrum redundamus exemplis. Procedat miles in castra, prælia Domini bellaturus, procedat, et agat cum fiducia. Poterit hostis in lapide de torrente et vertigine fundæ prosterni. Sed rerum sorte dispendia pertimescis, ne multiplicatis incommodis coacervet hostis injurias. Pius timor, sed magna constantia; nam si pro justitia pauca amiseris, sacrificium est quod fecisti. Si cuncta raptor abstulerit, holocaustum est quod libasti. Denique nulla cadit æstimatio in virtutem ; hæc tanto pretiosior est, quanto tibi rerum temporalium damno majore constiterit. Thesaurus absconditus et margarita cœlestis bono negotiatori jure cesserunt, quia venditis omnibus illam sibi comparavit. Tibi quoque B virtus adjudicabitur, si tibi magno constiterit. Virtus granum sinapis est ; quo magis atteritur, eo fortius inardescit (*Marc.* IV). Hæc pulvis pigmentarius est, quo magis pilo tunditur, eo efficacior ad salutem, Si prophetam advertimus, sub umbra quercus, populi et terebinthi non bene thymiama accenditur. Umbra terebinthi est, totum quo in infimis delectamur. Sub palpebra diluculi, illucescente sole, cum magna dies aspiraverit, inclinabitur hæc umbra quia vanitas est. Beatus homo, qui fit ipsa vanitas virtutis occasio. Ideo justus ut palma florebit (*Psal.* XCI), quia stringitur ejus appetitus ad infima, scilicet in superna dilatatur. Ideo justus Domini ut lampas accenditur, quia renuens consolari in infimis aperit os suum et desursum attrahens spiritum C totus in superna illucescit. Age ergo, pastor insignis, excutienti tibi pallium, projice et tunicam. Si tibi vepres tollimus, tu gregem pasces in liliis ; ubi etiam virtuti, quam secuta est, totus applaudet.

EPISTOLA III.

AD HENRICUM WINTONIENSEM EPISCOPUM, A. S. LEGATUM.

Patri suo et domino H. Wintoniensi Dei gratia episcopo et sanctæ sedis apostolicæ legato, frater G. ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, totius obedientiæ et charitatis obsequium.

Quoniam discretioni vestræ, in Christo amabilis Pater, sollicitudo Ecclesiarum Dei laudabili circumspectione commissa est, ideo super his, quæ inter dominum Herefordiensem et dominum Milonem, ejusdem civitatis comitem acta sunt, quædam, quæ D ad nos spectant, vestræ diligentiæ designamus. Dissensionis itaque inter eos, multis emergentibus causis, res eo tandem producta est ut dominus Herefordiensis comiti ipsi suisque, toti etiam civitati Herefordiensi divina interdixerit sacramenta. Unde comes, non minus pietate quam necessitate compulsus, tam nobis quam multis aliis astantibus, sese ipsi præsentavit ecclesiæ, primum data in manu canonicorum sponsione, postmodum textu super altare posito, se die assignata in præsentia episcopi et ecclesiæ ipsius adfuturum, et quidquid ecclesiastica jurisdictione decretum foret, impleturum sub Ecclesiæ testimonio repromisit. Statuto die utroque præsente, res in medium deducta est, et aliquorum petitione domini etiam episcopi assensu in diem alterum est dilata : sic tamen ut, si rem item differri imperialium officiorum necessitas ulla compelleret, id ante contestatæ actionis diem denuntiaretur alterutri. Præpediente necessitate, quæsivit comes inducias actioni : verum id dominus episcopus non ex condicto actum esse reputans, severitati nihil detrahens, sententiam promulgavit : cumque litteris, ab auctoritate vestra susceptis, dominum Wigorniensem in ecclesias Glocestriæ eadem ferre sententiam instanti submonitione compelleret, comes, tum per directos litterarum suarum apices, tum per honestas et idoneas personas, sese plenariæ satisfactioni offerens, secundum placitum domini Wigorniensis locum sibi et tempus exsequendæ et implendæ justitiæ postulavit addici. Et ne tergiversationis aut duplicitatis cujuspiam haberetur suspectus, dominum abbatem Teochesberiæ, priorem etiam Lantoniensem et me ejusdem permissionis implendæ fidejussores allegavit. Verum tam ejus humilitate, quam nostra omnium fidejussione, parvi habita, nihilominus sententia in nos data est. Unde cum apud non vivis interdicantur monasteria, mortuis sepultura, divina quoque intermittantur officia, multipliciter ligamur in pœna, qui non tenemur in culpa. Vestræ igitur erit diligentiæ rem, si nimis aggravata est, ex animi modestia temperare, cum juxta papam Stephanum pulsationem hujusmodi ultra provinciæ terminos nequaquam progredi, sed intra provinciam audiri et a comprovincialibus terminari oporteat, nisi forte, quod hoc minime actum est, ad sedem apostolicam fuerit appellatum. Vestram etiam nequit latere prudentiam tunc multum fore detrahendum severitati : cum subversiones ecclesiarum et strages imminent populorum ; sicut eidem vehementer est incumbendum, cum sic correcti simplices fiunt meliores, non cum exasperati mali redduntur nequiores. Valeat et in perpetuum illibata conservetur vestra sublimitas.

EPISTOLA IV.

AD SIMONEM WIGORNIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo domino SIMONI Wigorniensi Dei gratia episcopo, frater GILBERTUS ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, cum pietate fructus operari justitiæ.

Compellit me charitas et debita vobis suadet obedientia, ut quod ad honorem vestrum conservandum vel aliquatenus ampliandum spectare cognovero, hoc vobis, cum opportunum fuerit, et præsens suggeram et absens scripto commoneam. Instant prope tempora periculosa et dies mali supervenerunt nobis (*II Tim.* III), in quibus manu inimici hominis superseminata zizania messem bonam pene suffocare prævalent aut comprimere (*Matth.* XIII)- Nec tamen gentilitas est in qua sumus, sed omni gentilitate pejor inhumana crudelitas, cui totum quod libet licet, totum viluit quod honestum est, nil amplectens desiderio quod Christianæ simplicitati et sacris legibus

obviare non constet. Nempe, ut audita taceamus, vidimus anteacta hebdomada ecclesiam sanctæ Dei genitricis apud Slohtres mirabili modo diruptam, tectum ejus manu sacrilega convulsum, in parietibus ejus nunquam ædificata propugnacula immissos satellites impietatis deservire promptissimos. Vidimus, inquam, et doluimus, locum sanctuarii sine honore, ecclesiam Dei turpiter contaminatam et ausu temerario in domicilium Satanæ commutatam. Hujus etiam occasione malitiæ quidam illos expugnare adorsi sunt. Istis itaque in ecclesiam istam lapides, tela, faces jacientibus, aliis resistentibus, non sine sanguinis effusione et multa hominum læsione biduum ibi miserabili confectum est. Scimus adhuc lupos intra parietes ejusdem ecclesiæ in ipso ovili Domini latitantes, et in gregem Domini simplicem et innocuum laniantes, aliter fugari non posse, quam si bonus pastor adveniens eos sonitu buccinæ et latratu canum terreat, dissipet et disperdat. Hortor itaque paternitatem vestram consulendo vobis charitate qua debeo, ut cum honestioribus et eruditioribus clericis vestris locum flagitii festinanter adeatis, et commissam vobis Ecclesiam primo purgari, deinde redintegrari faciatis. Vel si monitionem vestram manus sacrilega minus auderet, actores et adjutores sceleris scientibus et videntibus ipsis gladio Domini feriatis, ut dum in futuro concilio hujuscemodi tractabuntur excessus, honor sit vobis coram simul discumbentibus opposuisse vos murum pro domo Israel, et illatas sibi contumelias repulisse viriliter aut vindicasse. Vale.

EPISTOLA V.

AD COELESTINUM PAPAM.

Patri suo et domino, summo Dei gratia pontifici Coelestino, frater G. ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, totum quod obedientiæ et obsequii valet humilis et prompta devotio.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis (*Psal.* CXLIV), qui quod Ecclesiæ repromisit, incessanter operari non desinit; ipse ad stabiliendam fidem et confirmandam spem, promisit se usque ad consummationem sæculi Ecclesiæ non deesse, et juxta verbum suum nobiscum manens in sæcula (*Matth.* XXVIII), sanctus in opere et promisso verax indubitata fide agnoscitur. Nuper animos omnium nostrum nubilosa caligo confuderat et ad decessum domini et Patris nostri honorandæ memoriæ Innocentii fugerat dilectus a nobis super montes Bethel et ad supernorum colles aromatum aliquandiu declinaverat. Sed dum vos in ipso apostolatus culmine ejusdem loco suscipimus, ipsam in vobis dilecti præsentiam reamplectimur et cum omni gratiarum actione et tota animorum alacritate veneramur. Obscuratum nobis fuerat aurum et immutatus color optimus (*Thren.* IV); sed ecce magis rutilat festivus ornatus Ecclesiæ, totum nobis convertens in gaudium et lætitiam et solemnitatem præclaram. Noctem mundo fecerat sol, aversus in tenebras; sed, reassumpta claritate, totum quod tenebrarum erat, radio gratissimæ lucis A illuminat. Hærebant lacrymæ in maxillis nostris, et intra præcordia dolor æstuabat inclusus, dum in ipso rerum culmine ad tantum casum dissensionis schisma pio timebamus pavore contingere. Sed subitum infortunium subita etiam fortuna secuta est, et sicut unus Deus, una fides, unnm baptisma (*Ephes.* IV), sic unus pastor in terris totam moderatur Ecclesiam, qui cunctas charitate compaginans, omnes Ecclesiæ partes una facit pietate gaudere. Vestræ igitur curæ et prudentiæ nos et nostra committimus, et quantum pia præsumit devotio pro domino et amico nostro Nigello Eliensi episcopo serenitati vestræ supplicamus, ut ea qua filios amplecti charitate non desistitis ipsum suscipiatis et necessitatibus ejus pie subveniendo cæteros filios vestros arctiori vobis B charitatis vinculo astringatis. In æternum conservetur incolumis vestra sublimitas, in Christo dilecte Pater.

EPISLOLA VI.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino Theobaldo Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, frater G. ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, totum quod pacis, quod gratiæ, quod salutis.

Gratias ago benevolentiæ vestræ, in Christo dilecte Pater, quæ me dignata est et filium nominare et amicum reputare; et ut fierem suscepti comes itineris, mihi voluit etiam in expensis providere. Gratulor equidem, si venit tempus et a Domino opportunitas data est, qua possit Ecclesia vestra de C manu suffocantis eripi et quocunque modo, quocunque labore in libertatem dignitatis antiquæ restitui. Novit inspector cordium Deus quam promptus forem huic exsequendo negotio, nisi Ecclesiæ cui alligatus sum, timerem undique emergenti periculo: sed noverit sanctitas vestra equidem usque ad diem hanc non irruit vehementius tempestas in nos. Hodie contra comitem Herefordiæ, cujus sitis in omne quod habemus excanduit, causam multo sudore distringimus: et ipsum, quem si absentes essemus, nostræ sperabamus Ecclesiæ protectorem, præsentes experimur infestissimum hostem. Episcopalia jam contra ipsum arma acuimus, et contra ipsum et omnes suos velut in procinctu astamus; aliorum infestantium nos non est numerus, contra quos hinc D ferrum tenentes, hinc lapidem, pugnamus et vix proficimus. Habebit itaque excusatum hac vice me filium vestrum paterna benignitas, quem vobis ad præsens necessitas subtrahit, non voluntas. Erunt omni die lacrymæ meæ in maxillis meis, donec reditum vestrum et successum audiam et redeunti Patri lætus occurram. Interim oratione prosequar Dominum meum, cui si absens ero corpore, in omni negotio præsens spiritu et affectu mentis astabo. Vale.

EPISTOLA VII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino Theobaldo Cantuariensi Dei

gratia archiepiscopo, frater G. ecclesiæ beati Petri Glocestriæ dictus abbas, pie complendo senarium, Sabbata Sabbatorum feliciter adipisci.

Habui, dilecte Pater, a vestra sublimitate commonitorium, ut ante diem Natalem Domini me vestro præsentarem conspectui, paratus suscepto a vobis itineri et labori. Et eo quidem erga vos animo sum, ea charitate devinctus, ut propter vos leve reputem totum quod minari potest, difficultas itineris, aut vexatio corporis, vel urgens auctoritas obviæ potestatis. Sed sunt præter hæc instantia mea quotidiana innumera, quæ me vinculis non solum ligatum tenent, sed etiam velut immobilem reddunt, quibus explicandis cum nullo modo sufficiam, arduum mihi est, ut ad præsens majora attentare præsumam. Vale.

EPISTOLA VIII.

AD UCTREDUM LAUDAVIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino U. Landaviensi Dei gratia episcopo, frater G. ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, apto rationis moderamine sibi credita dispensare.

Dilectioni vestræ rogatus litteras mitto, quas misisse debueram non rogatus. Nequit vestram latere prudentiam, quin pax domus Dei sit ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium. Et quin eadem recte administretur, cum majorum pio prudentique consilio filiorum paret humilis et prompta devotio. Quod si prælatorum justis imperiis subditorum obedire contemnit audacia, non est dubium quin in prælatorum omnium redundet injuriam, quod in unius contemptum fuerit ignominiose convulsum. Vestram ideo rogamus benevolentiam, consulendo etiam charitate qua debemus, ut erranti ovi pastoris exhibeatis officium, et fratrem illum inordinate ambulantem, qui ecclesiam de Stringuen contra abbatis sui et totius Ecclesiæ suæ voluntatem occupare præsumpsit, ad pacem et obedientiam revocetis, et ne totus intereat, ipsum tanquam ovem de ore leonis ereptam pastorali humero ad caulas gregis reportetis. Periculosum namque est aliquem Ecclesiæ communicare beneficiis, nedum sacramentis, qui adversus eos, quibus obedire oportet, contumax invenitur aut rebellat. Monita salutis mansuetæ sustinebit humilitas, vel si pertinax exstiterit, virgam vigilanter adhibeat charitas, ut et inobedientia compescatur et zelo vestro, qualiter rebellionem remunerari oporteat, omnibus intimetur. Valete.

EPISTOLA IX.

AD ROBERTUM HEREFORDIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino R. Herefordiensi Dei gratia episcopo, frater G. ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, sagenam missam in mare plenam bonis piscibus ad littus usque pertrahere.

Experta mihi toties tua, dilecte Pater, munificentia me et hoc ipso gratiæ sibi reddit debitorem, quod nuper directis xeniis me pascere simul dignata est, et docere. Perfectum munus æstimo, quod corpori in refectionem est et animæ nihilominus in saginam.

A Infelices epulæ, ubi totum corpus absumitur, et spiritus in nullo reficitur. Verum me longe aliter epulari, tui ratio muneris introspecta persuadet. Misisti mihi pisces, sed duos, majorem unum, minorem alterum, ejusdem generis utrumque bonum. Quæ omnia interiorem hominem meum tot replent ferculis, quod erudiunt documentis. Nam primo omnium, quia pisces misisti, mihi piscatorem illum magnum ad memoriam revocasti. Illum, inquam, piscatorem, quem Dominus vocatum de navi, non solum homines piscari voluit, sed ob promptam fidei confessionem, apostolico etiam culmini prærogavit. Suggeris animæ meæ suis indesinenter præsentare conspectibus, eo quod me diu jactatum fluctibus hamo suæ piscationis extraxerit, et in magna monachorum

B urbe suorum collegio deputaverit. Quod tamen non ita dixerim, ac si de conversione vel conversatione jam mihi securus sim, cum ignoret homo, amore sit dignus an odio (*Eccli.* XI), et unicuique omnia in posterum reserventur. Non enim in sancto loco fuisse, sed magis in sanctitate perstitisse, laudabile est. Frustra enim currimus, si non comprehendimus. Et bene inchoata principia, consummatio sola remunerat. Unde et filii Israel, post exitum de Ægypto et maris transitum, quia corde non steterunt, tentati sunt et perierunt (*Joan.* VI). Quem res ista non moveat? Ad nos respicit hæc parabola: Ægypto enim exire est, a cæcitatis et ignorantiæ tenebris in lucem fidei pervenire. Maris transitus est, virtute baptismatis a vetustate peccati in novi-

C tatem gratiæ respirare. In deserto perire est, post acceptam notitiam veritatis et gratiæ, peccatorum servituti succumbere, et in his vitam finire. Non enim qui egreditur, delicias statim accipit repromissas. Nam Jordanis ille famosissimus, virga Domini percussus, in se divisus est et quæ a sinistris erant aquæ, impetu suo in mare prolatæ sunt, quæ vero a dextris, in unum collectæ, sese sursum extulerunt (*Psal.* CXIII). Virga Domini est totum quo percutimur. Quidam enim corpore, aliis spiritu fatigantur, sed filiis dexteræ omnia cooperantur in bonum. Qui sive adversa de manu Domini suscipiant, seu prospera, a gratiarum actione non recedunt, sed sursum levantes cor, in cœlum principale mentis extollunt. Qui vero a sinistris sunt, hi ad tempus

D credunt, sed tempore tentationis recedunt. Qui vero virgæ levem non ferentes ictum, cito perlabuntur et effluunt, admistique salsugini vertigine miserabili demerguntur et pereunt. Unde mihi de corporali sanctorum collegio gloriari non permittitur, nisi studia sanctorum charitas in me sollicita consideret et imitetur. Istud mihi pio suggeris ipse consilio, dum pisces mihi dirigis extractos de profundo, sed mortuos, docens prudentissime, ut caveam ne de profundo sæculi extractus, opus mortis incurram. Nam longe aliter suæ piscationis opus noster piscator exercet. In peccato mortuos, piscari novit ad vitam. Unde qui extractus moritur, intra sagenæ ipsius ambitum non tenetur. Quod vero duos misisti,

magnum unum, parvum alterum, sua mihi significatione jucundum est, et ipsa mittentis intentione jucundius. Principis apostolorum labores mihi mysticos repræsentas. Ipsum bis piscationi dedisse operam, evangelica lectione cognoscimus. In prima, ob multitudinem copiosam rete scissum est (*Luc.* v); in secunda plenum magnis piscibus ad littus usque pertractum (*Joan.* XXI). Prima piscatio omnium vocatio est; secunda est electorum invita introductio. Unde primo recte rete rumpitur, quia a gratia in qua vocati sunt, plurimi elabuntur, et culpis exigentibus in æternum reprobantur. Secundo rete non rumpitur, quia Dominus electos suos ad vitam omnes pertrahet, et non est qui aliquem de manu ejus eripiat (*Psal.* XLIX). Efficaci me admonitione instruis et informas, ne velut rupta sagena piscis elapsus vage paream, sed magnis illis piscibus centum et quinquaginta tribus vitæ qualitate conformis, ad electorum formam, vitam moresque componam. Quod si tui sensus arcanum altius intelligerem, fortasse conjicerem dono piscium, mihi pisces evangelicos ad mentem reduci, torporemque meum ad lectionis studium arctius amplectendum occasione hac a tua prudentia non mediocriter instigari. Illi namque panes, unde populi saturantur et implentur cophini, legis libri quinque sunt, et duo pisces prophetiæ et psalmi (*Matth.* XIV). Nam vita degunt, dum profundum pisces inhabitant. Quod si extrahuntur ad lucem, morientes exstinguuntur ad lumine. Sic ante Salvatoris adventum tenebrosa in nubibus aeris, obscura erat doctrina in prophetis. In profundo hoc, suo modo prophetia vivebat, dum quod venturum erat præloquendo promittebat. Sed, promissione completa, et orbem Christo irradiante plenius, prophetia in lucem extracta, et quodammodo extracta est, in promissorum completa veritas amplius promissione non egeat. Unde Dominus, lex et prophetæ usque Joannem (*Luc.* XVI). Nam mihi nectis involucra, et me undequaque spiritualiter exerceri desideras, dum hinc obscuritate prophetica ad lectionem me protrahis, illinc ipsa psalmorum suavitate tanquam alterius piscis oblectamento, ad orationem me laudemque compellis. Jam restat quod intelligam cui pisces quos misisti generis ejusdem esse decrevisti. Unitatem mihi pacemque commendas. Binarius enim in bono est, sed ipse in malo reperitur. Binarii bonum est dilectio Dei et proximi, bonum ipsius est quod ad prædicandum discipuli missi sunt bini et bini (*Marc.* VI). Nam charitas ad minus inter duos est, habet idem sua infortunia. Immunda enim animalia in arcam missa sunt bina et bina (*Gen.* VI). Nam quia primus defluit ab unitate binarius, totum quo pax scinditur aut dissipatur concordia, merito illi assignatur. Unde persuades mihi illum sequi, qui in sancto est, qui inhabitare facit unius moris in domo, ne distrahar iracundia, vel inflammer odio, sed pace ad omnes et charitate servata, varietates et schismata studeam declinare, et unius generis pisces, fratres videlicet unius observantiæ charitatis et fidei in domo Domini congregare. Sub eodem intellectu Moysi a Domino dictum est: Altare mihi facies de lapidibus non sectis, quos ferrum non tetigit (*Exod.* XX). Lapides secti sunt, qui licet politi scientia, a fratrum tamen societate dividuntur schismate vel discordia. Ex quibus altare Domino non construitur, quia de vita eorum gratum Domino nil offertur. Ex lapidibus vero non sectis altare Domino construitur, quia ex his qui per fidem in unitate solidantur, Christi corpus adimpletur. Quod vero utrumque bonum dixerim, tale est. Pisces mundi sunt, qui squamas habent et pennulas. Squamæ sibi conjunctæ sunt, corpus undique contegentes. Unde et virtutes significant, quæ omnes sibi in radice charitatis conjunctæ, interiorem hominem polymita quadam et talari veste tegunt, miniunt et exornant. Pennulæ contemplationis alta significant. His enim pisces de profundo elevantur, et super aquas quosdam quasi saltus faciunt, licet item naturali pondere ad easdem relabantur. Quid his pennulis nisi conatus animæ designatur, quibus quandoque in summum illud bonum et invisibile lumen erigitur, et de interna illa dulcedine aliquid gustare nititur, licet ipsa corporali sarcina, cui alligata est, retardetur? *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX). Hæc mihi de tui ratione muneris ad tempus occurrunt, quæ cum optato conspectu perfruemur et alloquio, plenius ipse edocebis, de cætero, si placet advertas. Mandasti mihi per tui muneris latorem nuntium, ne torquerer invidia, ne tabescendo deficerem, ne de concessa tibi felicitate et copia talium et tantorum piscium, arida mea siccitas augeretur. Verbo mones ne invideam, sed facto ad invidiam trahis. Quid mirum si marcescer invidia, cui vicini diutius extensa late potentia stagni jacentis opusculum interdicit? Invidiam jubes tollere, faciendi stagni concessa licentia, hanc ipse poteris exstirpare. Experimentum erit amici non modicum, sed diu torqueri non permiseris, cujus opem morbi a te dependere cognoscis. Valete.

EPISTOLA X.

AD G. PRIOREM ET FRATRES MALVERNIÆ.

Domino R. priori et fratribus, qui eum eo sunt Malverniæ, G. ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, amantium se non penitus oblivisci.

Confisus de benevolentia, non quam merueram, sed quam sperabam de vobis, quemdam propinquum et familiarem nostrum direxi ad vos, preces cum humilitate porrigens, ut quod in ecclesia de Estlethe habebatis, ei de vobis habendum benevola charitate concederetis, facta tamen super sacramenta fidelitate non fraudandi vos ab eo commodo non quod modo habebatis, sed quod de Ecclesia ipsa in tempore tranquillæ pacis habueratis. Vos tamen rem altius inspicientes, et beneficium, quod diu inter manum dantis hæsit, ingratum esse non curantes amicum, qui etsi magna rogaret, ex merito charitatis

audiri debuerat, imo dico non audistis, sed dilato consilio, quos ad vos miseram, ad nos vacuos remisistis. Ægre fero non quod inperfectum est quod rogabam, sed quod de amicis minus solito sperare compellor. Rogabam equidem cum fiducia quod amantium me petitioni non negarem. Rogabam unde certe rogari debueram. Rogabam ne commodum Ecclesiæ vestræ eo populo displiceret si per nos illud in parte aliqua ministrari contingeret. Et quia magna repulsa est, cum negatur amico quod modicum est, rem vobis ante oculos pono, ut ex ipsa judicetis quantum est quod rogaverim, et quam modicum quod negastis. Cum vero de Ecclesia illa partem, quæ nos contingit, ad plenum persolvero, ministro altaris ministerii sui mercedem adimplevero, episcopali auctoritati de his quæ sunt penes illam respondero, emolumentum, quod his omnibus superesse contigit, vix tanti est ut de hoc amicus ab amantibus se repulsam pati debuerit. Unde si consilium vestrum mutari placeret in melius, haberetis me de re modica gratiæ magnæ debitorem, et clerico, illi, cui rem hactenus concessistis, vel ad votum satisfacerem, vel adversus eum vos in omni audientia ad plenum excusabiles redderem. Rogo mihi per præsentium latorem litteras vestræ voluntatis indices remittatis. Vale.

EPISTOLA XI.

AD LUCIUM PAPAM.

Patri suo et domino, summo Dei gratia pontifici Lucio, frater G. Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, pacis et salutis incrementa.

Quantis miseriarum sit concussa turbinibus Salesberiensis Ecclesia, serenitatem vestram, dilecte Pater, æstimo non latere. Cujus sollicitudinis interest Ecclesiarum omnium non solum detrimentis compati, sed etiam commodis providere. Hæc, jamdiu proprio viduata rectore, dum fluctuaret in incertum, tum perversorum hominum incursione, tum suorum circa Patris electionem non unanimi voluntate, ad desolationem ultimam pervenisset, si non ei Dominus dignum sibi famulum electum, ut speramus, antistitem vitæ commendabilis et gratiæ, Jocelinum condignum sanctitatis vestræ filium, in Patrem pastoremque prærogasset. Hunc, quantum humillimi non dicam filii sed servi præsumit devotio, sublimitati vestræ commendari præoptamus, quem dignum commendatione cognovimus, utpote qui ante vocationem suam studiis honestatis incessanter incubuit, et jam sibi non sumens honorem, sed vocatus, ut speramus a Domino, episcopalem cathedram merito vitæ laudabilis honorare non desistit. Hic irruentes in ecclesiam suam impetus viriliter sustinet aut repellit, et in quibus sibi forte non sufficit, a benevolentia vestra manum sibi auxilii consiliique porrigi humilitas nostra præsumendo desiderat et exposcit. Ejus igitur canonicum magistrum R. de Meisi, virum vita moribusque commendabilem sanctitati vestræ commendamus. Et quoniam ipsum adversus dominum Azonem Salesberiensem deca-

A num præsens negotium suscepisse cognovimus, beatitudini vestræ de hoc ipso supplicamus, ut eumdem in causa justitiæ et veritatis sustentetis et Salesberiensis Ecclesiæ honori et utilitati paterna gratia provideatis. Valeat sublimitas vestra, in Christo dilecte Pater!

EPISTOLA XII.

AD HAMONEM BORDESLEIÆ.

Raro suo dilectori HAMONI Bordesleiæ abbas.

Memor tuæ dilectionis et benignæ petitionis, qua me aliquid scribere vel dictare postulasti, tandem pareo, et si quid datur otii, libenter idipsum studio tuæ benignitatis impendo. Nam, cum tibi auditum fuerit me pro creditæ mihi dispensationis officio verbum exhortationis aliquoties habuisse cum fra-
B tribus, cœpisti et ipse præsens exhortari, ut si quid mihi Dominus de Spiritu suo in Scripturis revelasset munificentiæ, non ingratus stylo illud exciperem, et quod gratis acceperam, aliquorum ædificationi profuturum gratus ipse publicarem. Affirmas enim multiformem gratiam simplicis verbi Dei, non uno tantum modo piis mentibus intimendam, sed variis tractandam esse doctrinæ schematibus. Verum, sicut ipsos corporum sensus, per quos ad intelligentiam nobis via est, diversos inter se variosque natura constituit, sic verbum Dei variis tractandum esse doctrinæ schematibus, et nunc annuntiatione, nunc Scripturæ subministratione, ad pia corda trajiciendum, donec formetur Christus in nobis et simus omnes docibiles Dei (*Joan.* VI). Adnectis insuper eorum, quæ in ecclesia velut declamationis modo pronuntiantur, velut cum sonitu deperire memoriam, nisi Scripturæ velut quodam retinaculo teneantur, et sicut interventione visus redintegrantur memoriæ legentium animis ingerantur. Quantum replicas illud Sapientis eloquium: « Aurum melius dispersum rutilat quam signatum; » nihil a vilibus [lapidibus] gemmæ differunt nisi publicentur. Sententia quoque distributa suscipit incrementum, et avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Postremo, ne quid habeat excusatio diverticulum, desidiam nostram vehementer illa Domini voce perterrens: *Serve nequam* (*Matth.* XVIII), quare non posuisti pecuniam meam ad mensam, multa quidem sic colligis ut torporem excutias, repellas ignaviam,
D et me, vix ausum hactenus prodire in publicum, de latibulo silentii in lucem eloquentiæ trahas. Imperiosa me charitate perurges. Unquam me in vos vis, ut non sit quod respondeam, nisi me vel non posse quod exigis, vel amico nolle præstare quod possim. Horum quodcunque dixerim, eo animo es, ut aut doli me arguas, aut injuriæ. Utrumque vereor, et dum aurea me charitatis compede vinctum tenes, facio quod captis hodie mos est, dum de pretio requiruntur et timent, totum spondent quod exactor vult. Sic ego, ne charitatis damna sustineam, ne minus in Christo diligar, negare tibi nil audeo. Verum ea quæ tutis tantum auribus hucusque commiseram, jam nunc examini tuo osculisque introspi-

cienda committo. Scio quanta amplecteris gratia quidquid est illud quod offero, et quod duo minuta, quæ amicus dat, magni faciet apud te quia non ex abundanti sed ex modico dat.

EPISTOLA XIII.

AD JOCELINUM SALESBERIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino JOCELINO Dei gratia episcopo, G. suus ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas die quotidie prosperari in gratiam.

Rogati sæpius ut super negotio fratrum Cerneliæ vestræ sublimitati scriberemus, id hucusque distulimus, attendentes non eatenus processisse negotium, ut super hoc nobis scribere duceremus opportunum. Nam qui eidem incubabat Ecclesiæ, multa licet accusatione pulsatus, tamen quadam exspectatione aliquatenus hærebat, et pastoralem quam susceperat curam nondum ea qua oportebat solemnitate refutabat. Sed jam nunc, ut audivimus, ipsius celebrastis exsequias, et securi ad radicem arboris infructuosæ jam posita, eadem, quæ inutiliter stabat, laudabili, ut fama est, severitate succidistis. Unde quia fructuosum jam arborum locum præparastis, rogamus, rogamus, inquam, et optamus, ut quod nobis digne reputatur ad justitiam, laudabili consummatione perducatur ad gloriam. Fratres quidem Cerneliæ, venientes ad nos, secum etiam sub ecclesiæ suæ sigillo litteras afferentes, communi, ut aiunt omnium fratrum electione, unum e fratribus nostris sibi in Patrem pastoremque dari petierunt et dimitti. Et ipsum quidem, quem eligunt honore dignum speramus et gratia, utpote virum cui et ad doctrinam scientia et ad honestatem mores exuberant, regendis animabus rebusque tuendis idoneum. Quem nisi laudabilem crederemus, vobis utique commendare nollemus. Sed de re ista nihil nisi ex vestræ voluntatis arbitrio statuentes, rogamus, si placet, vestrum nobis aperiri consilium, si petitioni huic vos præbere velitis assensum. Jussioni vestræ voluntas nostra deserviet. Quod si honorificentiam Ecclesiæ nostræ hac ipsa electione quodammodo prælibatam vestra stabiliret auctoritas, nos in immensum gratiæ debitorem, et ad vestræ deserviendum voluntati per omnia promptiores haberetis. Vobis spiritum optamus adesse consilii, qui vos dirigat, opusque vestrum placita sibi moderatione disponat. Vale.

EPISTOLA XIV.

AD JOCELINUM SALESBERIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino J. Salesberiensi Dei gratia episcopo, G. suus ecclesiæ Beati Petri Glocestriæ dictus abbas, cum gaudio et exsultatione fructus reportare justitiæ.

Communi, dilecte Pater, lamentatione in aures sanctitatis vestræ nostra deploramus incommoda, deprecantes humiliter ut malefactores nostros vestra vel revocet admonitio vel coerceat disciplina. Joannes de Merleberga et Walterius de Pincheum nos humiles amicos vestros infestare non desinunt, et solatia peregrinationis nostræ violenta manu diripere, et in pravitatis usus expendere non erubescunt. Patienter pondus diei et æstus hucusque portavimus (*Matth.* XX) sperantes tandem malignorum hominum rabiem vel posse expleri vel eosdem ad legitimos tramites salubri cujuscunque persuasione converti. Sed quia juxta Sapientiam : Quem Deus despexerit, homo corrigere non potest (*Eccli.* VII), rogamus ea qua de vobis bene speramus fiducia, ut quos revocare admonitio sancta non valet, de manu vestra virga pastoralis humiliet. Noverit præterea sanctitas vestra prædictos illos duos, in nummis et nummorum pretiis, nobis plusquam ducentas marcas abstulisse, et possessiones nostras quæ circa eos sunt, pene ad nihilum redigisse. Optamus itaque nos illius roborari spiritu, qui dixit : *Confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI), qui inimicos suos omnes ponet scabellum pedum suorum (*Psal.* CIX), per quem in interitu malignorum ridebimus et subsannabimus (*Prov.* I), cum iis quod merentur acciderit. Illius gladium non frustra portatis, sed, ut allophylos non solum cum seme Gad in stiva aratri, sed etiam cum Aoth in ore gladii feriatis (*Judic.* III). Non hebetetur in manu vestra gladius ejus qui, juxta prophetam, *exacutus est, ut splendeat limatus est* (*Ezech.* XXI). Vobis undique virtutis occurrit occasio. Refrigescit charitas, refrigescent scandala. Ad vos tanquam ultores scelerum undique clamat Ecclesia. Exseratur itaque, rogamus, *sermo Dei ille vivus et efficax pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum* (*Hebr.* IV), ut in convivio illo magno gloria sit vobis, coram simul discumbentibus, opposuisse vos murum pro domo Israel et ejus injurias vel repulisse viriliter aut vindicasse. Valete.

EPISTOLA XV.

AD B. CERNELIÆ ABBATEM.

Dilecto fratri suo filioque charissimo B. Cerneliæ Dei gratia abbati, frater G. Glocestriæ dictus abbas, « viriliter agere et confortari in Domino (*I. Cor.* XVI). »

Viri boni est non extolli prosperis nec incommodis frangi. Hoc quidem ipse nosti : hanc ipse tibi formam induisti. Unde ergo ne propter alicujus minas, vel propter instantem et urgentem inopiam cito terrearis, aut de tuo sensu movearis. Si procella aliqua adversus te surrexerit, flante sancto Spiritu, cito statuetur in auram et silebunt fluctus ejus (*Psal.* CVI). Si premit inopia, in timore pio semper obedies Domino et ipse non derelinquet sperantes in se (*Psal.* XVI). Memento quam simpliciter ambulaveris; memento quod non cupiditati sed soli obedientiæ et veritati tua vela commiseris. Habe coram oculis quod cui militas obedientiam præ omni acceptat holocausto. Ambula simpliciter et ibis confidenter. Clamabimus omnes ad Dominum, et ipse aperiet manum suam et implebit vos benedictione (*Psal.* CXLIV). Non invenis in domo tua vel intus consilium vel extra possessionem. Domus tua penes te est : in ipsa habes unctionem Spiritus quæ docebit te de omnibus (*Joan.* XIV). Habes et filium charissimum

Jocelinum, quem, quia timet Dominum, sano credimus abundare consilio. Dominum Hugonem direximus ad te, qui tibi diligenter obediet et devoto famulatu assistet. Si quem vel quos de nostris plus volueris, his ipsis equis quos placuerit de tuis, sive juvenes sive senes, mittes ad nos et de nostris impetrabis quos voles. Negotia tua nostra reputabimus. Adversa sustinere potes, sed solus habere non potes. Unum sumus et semper unus in Domino (*Galat.* III), et serviemus ei humero uno. Cætera si desunt solatia, unum tamen deesse non potest. Domus tua quocunque labore vel consilio proficere de die in diem potest, sed in deterius ire non potest. Malum tanquam in summo est, quo procedat non invenit, bonum tuum quotidianos poterit habere provectus, benedictio tua si differtur, non aufertur. Nosti quod abbatem episcopi non facit benedictio, sed fratrum communis electio. Sarcinam hanc in humeros beati principis apostolorum Petri imponemus, facies nostra confundi non poterit. Minister apostolorum et nuntius ipse direxit te. Nuntiabimus illi quod audimus de te, de quo per omnia speramus obtinere, ne plantationem primam quam in hoc regno plantavi, dextera ejus cujuscunque labore vel industria in ignominiam sui patiatur evellere. Vale, et divitiæ si affluant, noli cor apponere (*Psal.* LXI). Si paupertas exusserit, obedi et patientiam habe. Nosti illud Sapientis : « Suas habet paupertas sancta divitias. » Honesta etiam res læta est paupertas, et eadem non est paupertas, si est læta.

EPISTOLA XVI.

AD J. APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUM.

Patri suo et domino J. sanctæ sedis apostolicæ Dei gratia legato, frater G. Glocestriæ dictus abbas, debitam Patri charitatem et obedientiam.

Instanti, Pater, necessitate, compellimur ut de quod multum confidimus, vestræ nobis munificentiæ auxilium requiramus. Causa inter dominum Landaviensem episcopum et fratrem nostrum J. priorem ecclesiæ Sancti Michaælis, in ipsa Landaviensi diœcesi constitutæ, nuper exorta est, de corpore cujusdam dominæ M. scilicet de Londoniis, quæ in novissimis agens, viro suo parentibusque simul astantibus, sacerdote etiam, cujus erat parochiana, idipsum volente et requirente, sese in manu prædicti prioris loco nostro humandam extrema voluntate concessit. Tempore enim prædecessoris istius, domini scilicet Urbani episcopi, in ipsa ecclesiæ nostræ dedicatione pater istius et mater, hæc etiam ipsa et eorum tota progenies se eidem loco nostro nullo reclamante in ipsa episcopi præsentia concesserunt. Suscepta et non multo post defuncta et in ecclesiam nostram imo et suam allata est. Inde in nos plus justo domini Landaviensis iræ succensuit, et de ecclesia nostra corpus efferri et in suam etiam a nostris deferri præcepit. Jussioni huic prior apostolicam obtendit auctoritatem, quæ ecclesiis nostris fratrum suorum et sororum humanda corpora signata privilegii ratione concedit. Unde, quasi profanum aliquid prior ipse nominasset, statim a communione suspensus est, et ecclesiæ nostræ interdictæ. In quo prior se gravari sentiens, ad Adæ diem in tua misericordia ad vestram appellavit audientiam. Sub hoc vestræ supplicamus benevolentiæ, ut ecclesiis nostris divina concedatis officia, qui præfixa die vestræ, vita comite assistemus præsentiæ, sententiæ, quam decernet vestra jurisdictio, promptis animis parituri. Valeat dominus meus dilectissimus.

EPISTOLA XVII.

AD EUGENIUM PAPAM

Patri suo et domino, summo Dei gratia pontifici E. frater G. Glocestriæ dictus abbas, obedientiam et debitam Patri charitatem.

Id modicum, dilecte Pater, quod sumus amicorum nostrorum charitati negare non possumus, et communis pietas exigit, ut alter alterius onera portantes (*Galat.* VI) operam vobis vicariam consilii similiter et auxilii impendamus. Unde licet apud majestatem vestram nulla nos merita commendent, nec penes vos gratiam nobis ullam servitia vel impensa locaverint, ex charitate tamen audemus, ut qui nec pro nobis digni audiri simus, ad paternam misericordiam pro alio interpellaturi pie præsumendo irrumpamus. Clericus vero dilecti filii vestri domini Cantuariensis archiepiscopi magistri R. de Ponte episcopi vestrum adit urgente necessitate præsidium, ut ad tuenda ea quæ canonice possidet a vestra imploret serenitate patrocinium. Rogamus itaque ad genua sanctitatis vestræ corde prostrati, ut de fonte justitiæ procedat et pietas, et eum, quem apud apostolicam majestatem commendari dignum credimus, tam vita quam scientia, suscipiatis in gratiam et in justis postulationibus suis clementer exauditum remittatis. Sublimitatem vestram diu sibi suisque incolumem conservet excelsa Majestas.

EPISTOLA XVIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici E. frater G. Glocestriæ dictus abbas, æternæ vitæ gloriam feliciter adipisci.

Necessitati, dilecte Pater in Domino, reluctari non possumus, quin charitati, quæ nobis de fraternis cordibus potenter imperat, obediamus : hæc est quæ nos magis delitescere cupientes, producit in medium, ut ad audientiam vestram cui ad præsens assistere non valemus, veritatis verba mittamus. Hinc est quod viro illustri et honesto Scripturarum etiam tam divinarum quam sæcularium apprime erudito magistro, scilicet Godefrido, negare nequivimus quin sublimitati vestræ, quæ de ejus negotio vidimus et audivimus, testaremur. Willelmo itaque Cumin multis exigentibus causis vinculis anathematis irretito, cum jam plus anno integro sub eodem vinculo perstitisset, cumque eum omni ecclesiastico beneficio generalis concilii jurisdictio spoliasset, dominus Wigorniensis consilio religiosorum

virorum prædictum Godefridum archidiaconatu suo investivit, Ecclesiæque suæ archidiaconum religiosa devotione constituit. Scimus eum in eodem officio religiose perstitisse, et quæ ad curam ejus spectabant prudenter et discrete ministrasse. Scimus etiam episcopum eidem Ecclesiæ, si vobis placet, necessarium et in eo non solum istud, imo et multo amplius salvum esse beneficium. Decernat in hoc consideratio vestra ut semper habeat incrementum gloria vestra concipiant que bonam spem, qui recurrunt ad vos, obtinendi consilium pariter et auxilium in his unde recurrunt ad vos. In longitudinem dierum vos protegat omnipotens Dominus, in Christo Pater.

EPISTOLA XIX.

AD JOANNEM PRIOREM S. MICHAELIS.

G. Dei gratia abbas Glocestriæ dilecto filio suo Joanni priori Sancti Michaelis, salutem.

Litteras vobis directas domino Landaviensi deferetis. Si vos audierit, gratias illi [dabis], si vero perstiterit in proposito apostolica ipsi auctoritate resistetis. Apostolicum enim privilegium habemus præ manibus ut liberos quosque, qui se locis nostris sepulturæ dederunt, libere suscipiamus. Quod si super hoc perstiterit et vos in interdicto tenuerit, audientiam domini legati adhibitis testibus appellabitis ei hujus actionis diem Adæ in tua misericordia nominabitis. Valete.

EPISTOLA XX.

AD B. CERNELIÆ ABBATEM.

Dilecto fratri suo filioque charissimo B. Cerneleiæ Dei gratia abbati, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem mentisque constantiam.

Singulis quæ nobis litterarum inscriptione mandatis respondere ad tempus omittimus, quia negotii nostri finem qualem disposuerit Dominus cito nobis imminere cognoscimus. De ipso tamen largitore bonorum Domino meliora semper exspectamus, ut qui bona contulit nobis dona multiplicet et gratiam in qua prævenit nos subsequenti etiam cumulare non desinat. Ipse væ nostrum, si quid in præsenti est convertit in gaudium, et si liventi oculo in aliquo perstrinxit nos, exitum lætitia consummabit. De cætero noveritis me vita comite et sospitate hac proxima Dominica venturum Wintoniam ad dominum legatum. Quo vobis mandamus mandandoque pariter injungimus, ut nobis occurrere nulla omnino occasione prætermittas. Vale.

EPISTOLA XXI.

AD UCTREDUM LANDAVIENSEM EPISCOPUM

Patri suo et domino Landaviensi Dei gratia episcopo frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem et debitam reverentiam.

Curæ et labori vestro quem, ut res vestræ apud vos crescerent, impendistis, gratias agimus. Nos hoc ipso vobis obnoxios gratiæque debitores exhibemus. Injuriam vobis nullam vel a nobis vela nostris fratribus inferri nec volumus nec probamus. Corpus quod repetitis apostolicam minuendo aucto- A ritatem de ecclesia, in quam allatum est, sibique extrema voluntate concessum expelli jubere non præsumimus. Unde rogamus dari nobis, si placet, hanc veniam, simulque solitæ munificentiæ dono superimpendi gratiam ut nobis mortuorum cadavera quæ nobis ex ratione competunt, non negetis et a nobis nostrisque omnibus honorem quem possumus obsequiumque debiti famulatus obtineatis. Valete.

EPISTOLA XXII.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino, Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo et totius Angliæ primati Theobaldo frater G. Glocestriæ dictus abbas, humilem ex charitate non ficta obedientiam.

B Rogamus benevolentiam vestram, in Christo dilecte Pater, ut excusationem, quam ad præsens necessitate prætendimus, ipsi suscipiatis, et de mandato vestro si quid minus agimus, paterna hoc nobis charitate remittatis. Absit enim ut quid audeam in præsentia vestra confingere, qui summum mihi solamen æstimem una vobiscum dies hujus incolatus individua vitæ conjunctione transigere. Sed his qui circa nos sunt, satis superque notum est, quomodo nuper irruerint Wallenses in nos, et quod trans Sabrinam fluvium potissimum habebamus, totum fere usque in ipsas Walliæ profunditates abegerunt. Unde necesse est mihi hac ipsa Dominica, qua Londoniæ convenietis, colloquio regum Wallensium interesse in Glamorgan, vel plusquam trecentarum C marcarum damnum irrecuperatorie sustinere. Quia ergo in tota terra cordis vestri ad plenum dominatur charitas, dabitis filio exoranti hanc veniam, ut paterna licentia ad præsens urgenti et instanti plurimum Ecclesiæ nostræ necessitati deserviam. Valeat dominus et Pater meus dilectissimus.

EPISTOLA XXIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, et totius Angliæ primati T. frater G. Glocestriæ dictus abbas, obedientiam humilem et de toto corde dilectionem.

Ad agendum quod imperastis, quamplures amici nostri jam semel et iterum tertioque convenimus, ut causam domini abbatis Radingensis et fratrum D ejus adversum dominum Rodericum cæterosque beati Dionysii monachos plenius audiendo decerneremus. Causa itaque deducta in medium ad hunc finem usque perducta est. Conquerebantur Radingenses ecclesiam suam de Stantona parochia de Camora quæ terra quædam est beati Dionysii injuste spoliatam fuisse. Asserebant vero prædictam ecclesiam de Stantona in terra illa de Mora parochialia jura tam in spiritualibus quam in temporalibus continue et quiete triginta et eo amplius annis habuisse. Hujus rei testes producebant in medium quamplures monachos, sacerdotes et clericos multos, honestos etiam laicos non paucos probationi prædictæ possessionis, si iis adjudicaretur paratissimos. Postula-

bant itaque Radingenses probationem suam suscipi seque in possessionem induci. Sed dominus Rodericus et qui cum eo stabant e contrario perorabant. Aiebant vero super hac re Radingensium nec debere probationem suscipi nec ipsos oportere possessione prædicta aliquatenus investiri. Hanc parochiam in integrum de jure beati Dionysii esse dicebant, et ad ecclesiam suam de Teintona non nova quadam usurpatione, sed antiqua et longi temporis proscriptione pertinere. Constanter asserebant ecclesiam suam de Teintona a prima fundatione sua plusquam sexaginta annis prædictam possessionem continue et quiete possedisse, se etiam adhuc in ipsa actionis die eadem possessione investitos in ipsa tanquam sua consistere. Assertionis etiam suæ testes producebant dominum abbatem de Egvesham et conventus ejus partem non modicam, aliosque sacerdotes clericos et quamplures laicos probationi promptissimos. Quoniam igitur in causis hujusmodi melior est affirmantis et possidentis quam solummodo repetentis conditio, probationem possessionis suæ postulabat dominus Rodericus suscipi seque deinceps inconcussum si justum foret dimitti. Cum itaque de singulis cum domino Herefordiensi, decano Londoniensi, archidiacono Oxoniæ, cæterisque aliis viris qui convenerant decerneremus, nulla data sententia, prior Radingensis se ab archidiacono Oxoniensi et abbate de Egvesham, nescimus in quo gravari conquerens, audientiam domini papæ appellans injunctæ nobis finem imposuit sollicitudini. Unde, ne vestram quæ penes nos acta sunt possint latere prudentiam, vobis ista transcripsimus, quem munitum per omnia et esse semper incolumem præoptamus. Vale.

EPISTOLA XXIV.

AD SIMONEM WIGORNIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino S. Wigorniensi Dei gratia episcopo frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem.

Vobis sæpe scribere et benevolentiam vestram frequenter interpellare negotia nos multiplicata compellunt. Unde vero inquietationibus nostris speramus et exspectamus solatia, ibi sæpe plangimus et nostra manifestamus incommoda. Quidam ministrorum vestrorum, sicut a multis audivimus in commisso sibi officio ministrans pessime, Algodus decanus clericos nostros odiose persequi et affligere ex credita sibi dispensatione non desistit. Qui quanto celebriores et sacratiores cernit imminere festivitates quasi nocendi nactus opportunitatem ecclesias nostras interdicti et clericos nostros in suis ordinibus ministrare defendit. Unde vestram rogamus pia semper præsumptione dulcedinem ut clericum nostrum B. de Colna in ordine suo diebus istis ministrare concedatis et statuto sibi die, si vos ad hoc vacare non poteritis, totum quod in illum ille e contrario dictus Algodus jaculari poterit coram archidiacono vestro terminari jubeatis. Nos vero illius suspectum habemus judicium cujus ma-

A nifestum scimus odium, et si vestræ placeret discretioni clericos nostros talem judicare oporteret, quem vitæ commendaret honestas : qui ex arce prudentiæ judicaret incestuosos, non ex stratu mollitiæ Domini sacerdotes offenderet. Vale.

EPISTOLA XXV.

AD EUGENIUM PAPAM.

Patri suo et domino summo Dei gratia pontifici E. frater G. Glocestriæ dictus abbas, unam quam petunt a Domino feliciter obtinere.

Quod missis litteris majestatem vestram, dilecte Pater, interpellare præsumimus : hinc persuadet charitas, hinc humilitas expavescit. Plus tamen eligimus apud Patrem de pietate corripi, quam apud dominos et fratres nostros dilectissimos de spreta B charitate damnari. Ideo sublimitati vestræ preces humiles supplicantis affectu porrigimus, ut venientem ad vos dominum Lincolniensem episcopum qua decet bonitatem vestram gratia suscipiatis et in suis eum postulationibus justis audiatis. Cui vero et ad doctrinam scientia et ad honestatem mores exuberant, dignum est apud Patrem totum quod gratiæ, quod pietatis est, experiri. Optamus ut erga eum vox illa Domini convalescat : *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras* (*Joan.* 6), ut qui currit post gratiam comprehendat gratiam, et qui festinat ad Patrem, Patrem se gaudeat invenisse. Accendentur virtutes amore quamplurimi, cum honestatem condigne munerari viderint apud vos, et virtuti suam nec minui nec deesse mercedem. Conservet vos in longa tem-C pora, qui non dormit, custos Israel (*Psal.* cxx).

EPISTOLA XXVI.

[AD SIMONEM WIGORNIENSEM EPISCOPUM.]

Patri suo et domino S. Wigorniensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, obedientiam debitam et quam potest charitatem.

Directis litteris preces vestræ sublimitati porreximus, ut causam, quæ in Wimundum clericum nostrum intendebatur, usque ad reditum nostrum ex sola gratia differretis. Hoc tamen altiori providentia aliter actum est, et est ei purgatio objecti criminis per manum septimam adjudicata. Unde vestram ex amore præsumendo rogamus benevolentiam, ut sententiam hanc ea qua potestis misericordia temperetis, et qua debeatis ratione levigetis. Scitis vero in causis etiam sæcularibus quantum caveri soleat, D ne qui judex est, sese accusatorem exhibeat, nisi forte, cessante accusatore, ad hoc ipsum publica alicujus infamatio compellat. Quod si judici quandoque contigerit, in hoc ipso non jam accusator, sed famæ publicæ prolocutor existit, nec judicis sibi tollit officium, persequenti famæ vocis impendendo suffragium. Sed in causa hac aliter res est. Scimus vero quid vicini clament, quid ore multorum populus attestetur. Femina vero illa, de qua Wimundus arguitur, non ipso cogente vel suadente, sed fratre ipsius Eilwino presbytero perurgente, in obsidem pro marito suo concessa atque directa est. Cumque illo mitteretur, opem illi debitam Wimundus non sub-

traxit, sed, prout suppetebat facultas, benigne contulit. Post etiam fratrem suum maritum scilicet ejusdem usque ad inimicitias persecutus est, ut ejusdem redemptioni effectivæ operam daret. Quid ergo si mulier illa morte præventa est ? Nunquid luet qui non meruit ? Sed quis unquam periit innocens ? Vel Ecclesiæ judicio recti quando deleti sunt ? Si clericus Beati Petri prædictæ mulieri, cum in obsidem mitteretur, sua dando subvenit, si maritum ejus de ipsa redimenda commonuit, si eidem fratri ejus Eilwino suggessit, quid aliud judicabitur, nisi quod animam suam magna ex parte liberavit. Vestram itaque supplicando rogamus beatitudinem, ut in præsenti negotio oculi vestri videant æquitatem (*Psal.* XVI) et eum qui a nemine accusatur, quem infamia nulla persequitur, qua soliti estis gratia suscipiatis, et vestræ fulgore præsentiæ exhilaratum remittatis.

EPISTOLA XXVII.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino T. Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, pie complendo senarium Sabbata Sabbatorum feliciter adipisci.

Gratiarum, dilecte Pater, de toto corde non sufficimus actioni, quod vestra nobis munificentia sinum jampridem benevolœ charitatis aperuit et ut ipso rerum argumento cognoscimus, suorum etiam numero plenius assignavit. Et quidem sic est, non quia meruimus nos, sed quoniam sic complacuit vobis, ut eo ipso quo in amicitiarum gratiam admisistis in meritum nos ampliori quodam jure semper possideatis in integrum. Habetis vero multiplicis gratiæ debitorem quem collata nobis beneficia satis obligant, et penes vos nulla merita commendant. Sed, quia præteritorum exhibitio certa nobis est et futurorum exspectatio, audemus plurimum et pia semper charitate præsumimus, ut sublimitati vestræ etiam pro cognato nostro et amico charissimo R. de Beaumis preces ex affectu porrigamus, quatenus eum in ecclesiæ ipsius beneficia admittatis quam sibi Cicestrensis plena donatione concessit, et ab auctoritate vestra donationis astipulatione confirmari precibus etiam porrectis exposcit. Et quidem illum R. vestra nobis plurimum commendaret oratio, si non eumdem in publicas jamdiu gratulationes susceptum fama omnibus ostendisset, utpote virum, cui et ad doctrinam scientia et ad honestatem mores exuberant, virum Deo dignum occupari servitio, simul et beneficiis ampliari, ut unius elegantia operis et nobis gratiam virtuti etiam vestræ gloriam impendatis.

EPISTOLA XXVIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino T. Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo et totius Angliæ primati, frater G. Glocestriæ dictus abbas, in regione luminis optato ad votum perfrui desiderio.

Placuit sublimitati vestræ, dilecte Pater in Domino, dominum et Patrem nostrum dominum Wi-

A gorniensem responsurum quibusdam, quæ sibi objecta sunt, ad audientiam vestram evocare. Nec minus illi complacet jussioni et voluntati vestræ devote in omnibus obedire. Unde in omni timore Domini et cordis humilitate venit ad judicem, spe tamen bona et tota charitatis plenitudine festinat ad Patrem. Nec est quod in judicio Patris formidet filius, cum intus apud Patrem sit, qui pro ipso pulsat et exorat affectus. Ne tamen in causæ præsentis inspectione vester caligetur oculus, quod nobis inde notum est discretioni vestræ notificamus. De statu Wigorniensis Ecclesiæ vos hoc ipsi decrevistis, ut ob redintegrandam tam episcopi quam Ecclesiæ suæ dignitatem prior ipse qui fuerat ad tempus restitueretur et infra præscriptum diem substituto altero B Ecclesiæ ipsius necessitudini consuleretur. Cumque a vobis ad Ecclesiam suam dominus episcopus, vestræ pariturus voluntati remearet, quidam e fratribus Ecclesiæ suæ vestræ dispensationis ignari, restitutionem prioris sui moleste plusquam oportuit sustinentes, res ipsius ecclesiæ statim, ut fama est, distrahere cœperunt et male, ut clamat populus, impletis marsupiis abscesserunt. Quod quale sit, satis ipsis indicabitis. Res vero ecclesiæ sibi commissas infami venditione distrahere malum fuit; a facie Patris in nullo persequentis, sed consilium a vobis utile reportantis, fugam repentinam arripere multo pejus. Quod vero a vobis decretum fuerat, nec una dignari auditione multo pessimum. Quod vero captos se conqueruntur et dum ad vos pro Ecclesiæ C suæ utilitate festinarent, male in itinere detentos, omnes fere testantur apud nos dominum episcopum hoc et cum fieret ignorasse et factum etiam cum rescivit paterna charitate pertractasse. Credendum etiam plus æstimo episcopo uni et veritati quam iratæ monachorum turbæ et contumaci. Qui, etsi eosdem ab inordinato revocasset vel detinuisset itinere, in hoc culpa vel nulla vel permodica exstitisset. De hoc tamen evocatos audiatis. De cætero scimus dominum episcopum priorem suum a prioratu amovisse, sed ob tumultuantium fratrum inquietudinem nondum quemquam substituisse. Quod ideo divinitus actum æstimo, ut vos supremam operi bono manum imponatis, et filiæ vestræ idoneum providendo pastorem ad voluntatem vestram et ejus utilitatem consulatis. Vestris monitis Wigorniensis D acquiescet Ecclesia quibus dominum episcopum juxta placitum vestrum pariturum non ambigimus. Conservet incolumitatem vestram in longa tempora, qui non dormitat, custos Israel (*Psal.* CXX.)

EPISTOLA XXIX.

AD OSBERNUM.

Frater G. Glocestriæ dictus abbas, dilecto filio suo Osberno, « non trepidare ubi non est timor (*Psal.* LII). »

Moneo te, fili charissime, ædificare et plantare, et terram tuam eo vomere quo tu scis exercere et diligenter excolere. Satis hactenus spinas et tribulos germinavit (*Gen.* III), sed, sicut bene cœpisti, si la-

bori bono et exercitio instanter incubueris, scio, A scio quod fructu bono non fraudabit te Dominus. Volo vero vasa omnia domus tuæ salva et munda custodias, et ipsam domum tuam qua poteris supellectile munda et honesta munias et exornes. Laudo etiam te seras portarum tuarum confortare, domum tuam vallo bono et muro inexpugnabili circumdare, ne scilicet gens illa quæ, sicut tu dicis, hirsuta fronte et torvis oculis rescipit, irrumpat in eam et omnes labores tuos et sudores impetu uno diripiat. Nolo vasa transmigrationis sint apud te, nec quod in aliquo prætendas transmigrationis habitum, sed stabilitatis in terra vestra quam dedit vobis Dominus Deus et mansionis diuturnæ propositum. Dices vero amicis nostris Wallensibus vos de hoc quod audierunt nihil penitus illis inconsultis acturos. Videmus vero B gentem vestram timorem Domini et reverentiam sanctuarii parvipendere, et illos audimus Deum et loca sancta et personas consecratas Domino diligenter honorare. Propter hæc omnia durum est nobis illis qui fere non curant vos magis inseri et ab his qui vos venerantur avelli. Vale et noveris nos malle stationarium vel progressionarium te esse quam retrogradum.

EPISTOLA XXX.

AC JOCELINUM SALESBERIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et Domino J. Salesberiensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, apto rationis moderamine sibi credita dispensare.

Sciat vestra sanctitas, in Christo dilecte Pater, nos fratri nostro Bernardo persuadere non posse ut sub aliqua cujuscunque pecuniæ reddendæ con- C ditione benedictionem suam vel a vobis vel aliunde suscipiat. Hoc vero, licet malum fortasse non sit, menti tamen simplici scrupulum generat, ut aliquid a puritate minus suus sibi habere videatur introitus. Unde vestræ supplicamus benevolentiæ ut animi vestri severitatem paulisper deflectatis ad nos, et his pecuniæ repetendæ conditionibus omissis, paululum post datam simpliciter benedictionem quidquid exigendum judicabitis exigatis. Ego vero erga sanctitatem vestram me vinculo fidejussoris ad plenum obligo, quod post ipsam benedictionem quidquid de his omnibus sibi adjudicabit Ecclesia, obediens et humilis et devotus implebit. Si post istam benedictionem ejus voluntas distulerit, nil restat aliud nisi ut in commissa sibi domo voluntatem D domini papæ sedulus præstolator exspectet. Vale.

EPISTOLA XXXI.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino T. Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, totum quod potest humilis et prompta devotio.

Humilitatem charitas non repellit. Unde, quia Willelmum Cumin humiliatum vidimus, audere cœpimus ut apud sublimitatem vestram pro illo interpellemus. Quod si ab unitate recessit Ecclesiæ, ipso qui tentat instigante, ad eamdem jam redit, ipso qui vivificat Spiritu sancto revocante. Unde ad thronum misericordiæ vestræ pia tamen præsumptione pulsamus, ut si eum testimonio magnarum et religiosarum personarum de ea in qua impegerat culpa satis fecisse cognoscitis, a communione suspensum teneri non permittatis. Dominus vero Wigorniensis nisi per vos in communionem non recipit quem auctoritate vestra a communione privavit. Rogamus itaque vestri animi moderationem ut quem de Ur Chaldæorum ad Jerusalem suspirasse gaudetis (*Gen.* xv), intrare volenti portas ejus obserari non sinatis, ne cui etiam calceamenta stolam pariter et annulum indulsit pietas cœlestis, ipsum nudatum turpiter ad siliquas remittatis.

EPISTOLA XXXII.

AD R. PRIOREM ET FRATRES CERNELIÆ.

Dilectis in Christo fratribus, R. priori cæterisque Cerneliæ, frater G. Glocestriæ dictus abbas, militando prudenter assequi gratiæ donativum.

Movet nos aliquandiu erga vos et jamdiu erga domum vestram, a vobis habita et exhibita charitas, ut quod nondum præsentia corporali potuimus, missis saltem litteris vos ultra visitare non differamus. Gratias igitur vestræ per omnia referentes sanctitati nos vobis in omnia gratia spirituali profitemur obnoxios, qui et de vobis jamdiu bene sperare cœpistis, et quod in donis summum est et præcipuum nos profectus vestri et incrementi spiritualis in Domino participes esse voluistis. Nam quanta charitatis plenitudine benevolentiam vestram superextendatis in nos, hinc datur intelligi, quod cum toto orbe terrarum Ecclesia Dei clara meritorum laude titulisque gloriosis longe lateque resplendeat, vestræ tamen complacuit sollicitudini ut Ecclesiæ vestræ nos arctiori quodam dilectionis vinculo jungeretis, et de ipsa vobis patrem pastoremque elegeretis. Quod quidem non ita scribimus, tanquam de infula vel cathedra loci vestri, vel in nobis vel in nostris gloriantes, sed gratam per omnia habentes unitatem spiritus quæ inter nos mediante quodam vinculo charitatis et pacis firmo et indissolubili constituitur. Nam cum de imminenti vobis negotio recurreretis ad nos, equidem vobis charitate non ficta subvenimus, et de corpore nostro vobis non tanquam saucium aliquid vel putridum membrum adjiciendo projecimus, sed corporis nostri partem sane meliorem et commodiorem licet in dispendium nostri, plena tamen vobis pietate concessimus. Nam, si quod sanctum est, quod honestum, quod doctrinæ sanæ, quod bonæ famæ, quanto speramus amore concupistis, habetis procul dubio, habetis in Patris adoptione unde et Domino gratiarum referatis actiones, et nobis sitis in immensum gratiæ debitores; habetis nempe virum, cui ad doctrinam scientia et ad honestatem mores exuberant habetis in cujus vita et moribus vocis plene virtus illucesset; habetis cui humiliter obediendo quod arripuistis iter virtutum virtutis assequendo præmium gloriose consummabitur. Sed sunt in vobis fortassis aliqui quos in appetitum sui nondum plene virtus allexit, imo sunt ut tristis audio, qui virtu

tis opus quanto laboriosius est, tanto odiosius aspernantur. Sunt etiam qui ab eo quem in Patrem elegimus et assumpsistis impudenter aversi, jam retrorsum abierunt, nec jam vocem ejus audientes, sed alienum nescio quem sequentes, non solum ipsi non obediunt, sed et ipsum nefariis, ut fama est, ausibus eradicare et explantare moliuntur. Nunquid sic nostra debuit remunerari benignitas ? Nunquid hoc nostra meruit prompta vobis deservire voluntas? Audite, charissimi, et quod ex charitate loquimur, aure charitatis advertite. Timeo, timeo ne forte vos urgeat veniens ex alto sententia. Scitis vero quod juxta merita subditorum disponitur, et vita rectorum et sicut cum sancto sanctus est Dominus, ita etiam cum perversis merito perversus invenitur (*Psal.* XVII). Bonis equidem pie disponit et qui suspirant ad vitam, his Patrem præstatur et pastorem quo ducantur et pertrahantur ad vitam. Pharaoni jamdudum Israelitæ servierant, et civitates illi de latere et luto construxerant : sed ex quo cœpit iis servitus Ægyptiaca displicere, clamaverunt ad Dominum et iter trium dierum, Moyse ducente, profecti sunt (*Exod.* VIII). Volentibus ad vitam ingredi merito præesse conceditur, propter quem pateat ingressus ad vitam. Secure pronuntio, si filiis Israel Pharaonis adhuc placuissent opera, nec clamassent ad Dominum, nec adhuc salvatorem habuissent. Justitiæ regula est, ut *qui justus est, justificetur adhuc ; et qui in sordibus est sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII). Sic qui cæci sunt ut a cæco ducantur expostulant, sententia cœli est, ut pariter in foveam cadant (*Matth.* XV). Nec quidem hoc dicimus de majori et meliori parte vestri diffidentes, sed mirantes equidem et indignantes quod illos qui vos conturbant inter vos dominari et principari permittitis. Audio illum non dico carnalem sed carnem Adelardum demigrasse Cantuariam, Romam inde forsitan profecturus. Sed qui si Romam venerit ? Sentiet axis onus, et ad tantum pondus curia forsitan inclinabitur. Vetus ista querela est, et inter carnem et spiritum ab ipsis Ecclesiæ cunabulis vehementer agitata. Jamdiu est, quod *caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem* (*Galat.* V). Nos vero ambulabimus adversus carnem et carnis opera recidemus. Audiat, advertat carnis opera et faciem suam dominus Adelardus intelligat, Nam opera carnis hæc sunt, fornicatio, immunditia, impuditia, luxuria et quæ hujusmodi sunt (*ibid.*). Qui sectatur hujusmodi nulla sibi erit cum vestro commilitone communio. Nec tamen hæc dicimus tanquam fratrem vestrum persequentes in aliquo vel demum talia suspicantes; persequimur vitia, non personas. Aspera dicimus, optantes ipsi meliora. Vano seducitur fortassis intuitu. Romam æstimat velut arundinem omni posse spiritu agitari. Romæ scimus veritatem obscurari posse, nunquam tamen, si fuerit agnita, reprobari Thronus ille justitia est, equitatem sedes illa judicat. Nec causa ista est quæ in lucem venire erubescat. Nihil in aure diximus quod super tecta prædicari nolimus,

A In innocentia ingressi sumus, et sperantes in Domino non infirmabimur (*Psal.* XXV). Rogamus itaque, dilectissimi, ut unanimitati studeatis et paci, et Patrem vestrum per omnia, sicut decet filios honorantes, illi quam oportet reverentiam et nobis quam sperabamus charitatem, non tantum labiis sed corde potius exhibeatis : habetis unum, quem si corde suscipitis et honoratis, in uno illo nos omnes integre possidebitis. Quod si faciem ab illo avertetis, quo spiritus impetu ducimini, nulli dubium relinquetis. Filio nostro fratrique charrissimo nequaquam deesse poterimus, sed vestros cum illo incursus toto adnisu sustinere tentabimus. Adversa nempe sustinere poterit, sed solus habere non poterit. Sed avertat hoc Dominus ut societatis vestræ jucunda principia B exitus habeant tam amarissimos, et ipse qui est initium et finis, principia vestra jucundo fine concludat. Et si vestra nos dignos amicitia creditis, nos quoque amicos vestros et per omnia benevolos æstimate.

EPISTOLA XXXIII.

AD ROBERTUM SANCTÆ SED. APOSTOL. CANCELLARIUM.

Magistro suo charissimo dominoque meritis honorando, ROBERTO sanctæ sedis apostolicæ cancellario, frater G. Glocestriæ dictus abbas, reverentiam debitam et de corde toto dilectionem.

Exsultavit cor meum in Domino, dilecte Pater in Domino, et spirituali sum jucunditate perfusus, quia de cælo respexit Dominus, et vestræ memor humilitatis gratiam donavit pro gratia, et a vobis digne C servatam hactenus honestatem morum et elegantiam condigna munificentiæ suæ gloria muneravit. Invitatus ad nuptias locum elegeratis obtinere novissimum, sed in vobis bene patri complacuit ut evangelicum illico tandem ipse personaret : *Amice, ascende superius* (*Luc.* XIV), gloriamque vobis pariter et honorem præ discumbentibus aliis exhiberet. Mirabar equidem et rem tacitus attendebam, cui Dominus nova sua pariter et vetera reservasset, quia congesta totius honestatis insignia sic in unum cumulasset. Et licet innumeris vitæ vestræ decor et doctrinæ suavitas illuceret, ut in sui imitationem mirabiles multorum appetitus accenderet, majus tamen aliquid animo somniabam lucemque tantam, etsi non sub modio reconditam (*Luc.* XI), ab emi-D nentiore tamen quodam loco fulgoris sui beneficia præstituram Ecclesiæ spe quadam certa concipiebam. Teneo quod volebam ; video quod sperabam, ut jam magna prædicem opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus (*Psal.* CX). De quo magna operare potui, magna videre jam merui, et quem dilexisse justitiam et odio habuisse iniquitatem (*Psal.* XLIV) non dubito in consilio justorum et congregatione sanctorum a beato summoque pontifice totius æquitatis jura dictare totus applaudo. Hinc est quod gratiarum non sufficimus actioni, quod Patrem nostrum Cant. exhilarastis, quod Ecclesiam ejus in dignitatem pristinam reformastis, ut quæ mutila facie

incedebat, hinc archiepiscopatus gloria, illuc soliti primatus honore jam plena luce refulget. Et divinitus actum est ut de fonte justitiæ ipsa vestra promotione procederet et pietas in nos. Rogamus benevolam et benignam nobis semper gratiam vestram, et pro Domini Jesu reverentia suppliciter exoramus ut nostro Arnaldo manum misericordiæ porrigatis ut vestræ fretum pietatis auxilio lætum ad propria remittatis. Scitis quam indecens sit et importunum clericum bonum in publicas jamdiu gratulationes susceptum, jam nunc emendicatis elaborare suffragiis, et diebus vitæ suæ novissimis insolita præter morem inedia prægravari. Confido de domino meo magistroque charissimo ut cordis sui locum misericordiæ semper aperiat, et tam huic quam cæteris Salesberiensis Ecclesiæ clericis, jam instante necessitate et vehementer urgente tempestate, subveniat. Conservet omnipotens Dominus magistrum et dominum meum in tempora longa Ecclesiæ suæ profuturum.

EPISTOLA XXXIV.

AD SIMONEM WIGORNIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo domino S. Wigorniensi Dei gratia episcopo, frater G. d. ab., bella Domini cum fiducia præliari.

Quod palam est et multorum divulgatum notitiæ testibus aut argumentis evincere citra necessitatem est. Unde, si promptum serviendi vobis habuimus animum, argumentis non approbo de quo nullum aut fere nullum dubitare non dubito. Equidem si vobis in magnis servire nequivimus, sedulam tamen dedimus operam, ut in minimis saltem in subsidiari vobiscum actione staremus. Ideo nostra, si placet, merebatur humilitas et in vos hucusque continuata charitas, ut vices nostras quas adversus H. et R. de Calderi sublimitati vestræ commiseramus, prudentia vestra aliquanto fuisset diligentius exsecuta. Scitis vero et multorum constat testimonio dominum archiepiscopum vobis palam prohibuisse ne quis illorum absolveretur, nisi vobis ecclesiastica satisfactio exhiberetur. At illos ad satisfaciendum nobis nullo adhuc commonitorio induxistis, nihilominus tamen absolvistis. Palam est et luce clarius quid consequatur expositis. Dicam, salva pace vestra et gratia, dicam quod hoc ipso nec domino archiepiscopo obedientiam, nec nobis quam sperabamus amicitiam, nec ordini vestro vel officio honorem exhibuistis aut reverentiam. Equidem molles istæ et remissæ facilesque nimis misericordiæ auctoritatem vestram in opprobrium et commissam vobis justitiam deducunt in nihilum. Anno quidem spectavimus integro ut in episcoporum conventu malefactores nostros anathematis vinculo teneremus. Sed quam facile labor noster evanuit! Inflavit buccas dominus H. et sonuere tubæ. Ad unum Spiritus inflati sonum, quid dicam? Expavit episcopus, proh pudor, ad ejus minas expavescere, cujus dedignandus erat et gladius! Jam toties læsi ad quem de justitia nobis exhibenda curremus? Nunquid nobis facile est circumire provincias, dominum archiepiscopum

A sollicitare, convocare concilium et a multis expetere quod unius item possit gratia vano quodam favore remittere? Equidem post susceptum onus hoc in quo laboro sustinens nil mihi molestius accidit, nil amarius. Pudet vero me similiter et pœnitet, quod cucurri in incertum; pugnavi, sed quasi aerem verberans (*I Cor.* IX), et post damna similiter et labores insultant mihi inimici mei et jam prorsus effrenati tutam nacti peccandi licentiam ad injurias item faciendas imperiosa voce nos provocant. Hæc itaque vestræ duximus communicanda notitiæ, ut qualiter cunque res hactenus acta sit, vestro, si fieri potest, reformetis consilio ut et vobis honor augeatur et causæ vestræ si non ad plenum in aliquo saltem provideatur.

B

EPISTOLA XXXV.

AD G. PRIOREM ET CONVENTUM HEREFORDIENSEM.

Frater G., dilectis suis dilectoribus Guar. priori et fratribus qui cum eo sunt Herefordiæ, bonum bene consummare principium.

Libentius vos ipse visitassem quam ad vos litteras nuntiosve dirigerem; sed quia impediunt negotia multiplicata quod vellem, litteras interim nostras vice colloquii habeatis, ut pensetis ex his quid de nostra erga vos charitate æstimare debeatis. Non est credendum omni spiritui; quidam vero spiritus ex Deo non sunt (*I Joan.* IV). Unde si charitatis nostræ sinceritatem impius homo superseminans zizaniis offuscare conatur, discretio nobis spirituum necessaria est, ut non circumferamur omni
C vento doctrinæ vel facile acquiescamus errori (*Ephes.* IV); sed probantes semper potiora solidemus in Christo charitatem, in quem anchora nostræ spei projecta est. Frustra namque credimus et speramus nisi invicem diligamus. Attendamus illud Apostoli: *Charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII); verbum breve, sed fecunda sententia. Hic plane conjungitur nos aut in Christo non dilexisse, aut leviter a charitate non excidisse. Non vero in Christo diligit qui facile promovetur ad odium.

EPISTOLA XXXVI.

AD EUGENIUM III PAPAM.

Patri suo et domino Dei gratia pontifici Eugenio, frater G. Glocestriæ dictus abbas, in decore virtutum delicias regibus ministrare.

D Cum in singulorum commoda vestræ se, dilecte Pater, diligentia charitatis exerceat, fortasse minus in sui admiratione suspenditur et quæ ad innumeros beneficiorum immensitate diffunditur intra proprii judicii terminos arcta humilitatis regula cohibetur. Quanto tamen gratiarum imbre mentem vestram divinitatis unda perfuderit, hinc datur intelligi quod in vehemens sui desiderium non paucos de ultimis terræ finibus virtutis vestræ fragrantia sanctique nominis suave redolens opinio jam pertraxit. Scimus vero multos multa animi alacritate festinare ad vos, ut jam dicant singuli, clament universi: *Trahe* nos *post te, curremus in odore unguentorum tuorum* (*Cant.* I). Inter dominum A..... Lincolniensem

episcopum tanta decet a majestate vestra veneratione suscipi, quanta scimus eum ad vos charitate perduci; perhibent vero ejus vitæ testimonium bonum familiares ejus probatæ religionis et gratiæ, qui cum eo quo familiarius conversantur, tanto magis de ejusdem honestate gloriantur in Domino. Scimus quoque Dominum flagello tribulationis ipsum jamdiu aliquatenus attigisse, ut si quid in eo fuit scoriæ, jam ad purum excoctum sit, et si quid in excessu mediocri vaga regni Angliæ aliquandiu permisit licentia, jam penes eum evacuatum est, et perfecte probatur. Hoc quod verum credimus, præcipuo veritatis amico denuntiamus, ut non pigeat vos filium vestrum in gratia suscipere, cui dignum est honorem et gratiam exhibere. Valeat sublimitas vestra, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA XXXVII.

AD J. LEGATUM.

Patri suo et domino J. sanctæ sedis apostolicæ Dei gratia legato, frater G., salutem et de toto corde dilectionem.

Litteras dignationis vestræ, dilecte Pater, domino Salesberiensi direximus, ut quem statuistis abbatem Cerneliæ, loco eidem episcopali confirmaret benedictione. Quod ipse quo animo vel qua industria nescimus hucusque differens, in ipsum, sicut a multis audivimus post discessum vestrum vexationes et argumenta multiplicat. Quod utinam absit a vestra gloria ne tale sortiatur laus vestra dispendium, ut plantatio vestra sic evellatur et vestrarum opus manuum in ignominiam vestri deleatur! Quapropter honori vestro supplicamus et gloriæ, ut directis jussionis vestræ litteris dominum Salesberiensem commoneatis, ut ultra illum quem ei statuetis diem benedictionem ejus non differat; et quod si veræ religionis amator est, animo grato, voluntate promptissima jam fecisse debuerat vestra saltem auctoritate jam secundo commonitus ulterius explere non differat. Rogamus ut in opere vestro non confundatur facies vestra, sed incrementum semper habeat gloria vestra, ut sciant omnes quod manus tua hæc et tu, Domine, fecisti eam (*Psal.* CVIII). Valeat dominus meus et Pater dilectissimus. Sicut præcepistis, jam venissem ad vos, nisi de die in nos iteratæ calumniæ me non impeditum solummodo, sed et compeditum gravissime detinuissent.

EPISTOLA XXXVIII.

AD THEOBALDUM CANTUAR. ARCHIEP.

Patri suo et domino Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo et totius Angliæ primati, T. frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutis gaudium et obedientiæ famulatum.

Adhuc etiam, domine, incubus ille Cerneliæ, quod sui juris non est, audacter occupat, et qui inde expulsus est, ad aliena limina pro defectu justitiæ mendicat. Dominus vero Salesberiensis expulsi abbatis inopiæ extremæ ipsius Ecclesiæ desolationi fortasse compatitur, sed nec abbati inopi, nec Ecclesiæ jam ruenti aliqua ejus miseratione A subvenitur. Mandati vestri litteras devote suscipit, vestro tamen obedire mandato alta nescio qua consideratione omittit. Justitiam itaque, quam alias non invenimus, a vestra jam paternitate requirimus, ut Scotum illum inobedientem vobis manifeste contumacem et improbum, si placet excommunicetis et Ecclesiam ipsam quam diu incubuerit interdicatis. Quod si deinceps comiti Glocestriæ de ejiciendo excommunicato vestro præceperitis, scimus quod nobis obedire non differet, verum domino Salesberiensi obedientiæ formam sine mora obediendo præscribet. Vale.

EPISTOLA XXXIX.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo et totius Angliæ primati, T. frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutis et gaudii plenitudinem.

Quia fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII), sicut uni præjudicare non possumus, sic alteri reluctari non valemus. Hinc est, dilecte domine, quod id quod vultis me quoque velle necesse est. Sed quia redeuntes a vobis qui mihi sic alii vero sic loquuntur, precor ut mihi litteras vestræ voluntatis indices per hunc fratrem nostrum mittatis, et quod de me vestro sederit arbitrio ea, qua præestis et potestis potestate injungatis. Eo vero erga vos animo sum, ea vobis charitate devinctus ut in quo sanctitati vestræ me obedire et placere cognovero, totum leve reputem quod mihi minari potest vel difficultas itineris vel urgens auctoritas obviæ potestatis. De cætero frater B. abbas Cerneliæ ad sedem apostolicam appellavit. Cum ergo sua omnia in protectione domini papæ esse oporteat, a suis tamen persecutoribus non minus nunc quam ante diripiuntur. Unde rogat per me et de hoc precor vestra sit exorata paternitas, ut Ecclesiam suam in protectione domini papæ et vestra suscipiatis et ipsam domino A. archidiacono custodiendam committatis, ut et huic ad dominum papam adeundum scilicet quod res habet necessaria conferat, et si quem in loco ipso domino servire cognoverit, ipsi cura diligenti provideat. Itineris nostri diem, si placet, notificetis, quem si usque ad festum sancti Michaelis differri placeret, eos qui nobiscum ituri sunt, fortasse magis paratos haberetis. Valete.

EPISTOLA XL.

AD ROBERTUM LINCOLNIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo Roberto Dei gratia Lincolniensi episcopo, G. Herefordiæ minister, gaudia pacis et salutis.

Pro anima mihi res est, et sunt oculi mei ad vos ut impleatis in necessitate hac desiderium meum. Regis ira adversus abbatem Glocestriæ et Ecclesiam malevolorum consilio vehementer incanduit; et nisi voluntati ejus abbas ipse infra breve spatium obtemperaverit, terras ipsius Ecclesiæ omnes, quæ in sua potestate sunt, rex sibi sumere et Ecclesiæ ipsi alienare comminatur. Unde quanta de vobis spe-

ramus confidentia, preces benevolentiæ vestræ porrigimus, ut opponatis vos murum pro domo Israel (*Ezech.* XIII), et regis iram mitigando, abbatem et Ecclesiam ipsam reconciliare domino regi, et negotium istud juxta possibilitatem Ecclesiæ terminare studeatis. In hoc positi estis a Domino, ut per vos bene provideat his qui infra sunt, et quod per se aut per Herefordiensem nequit, per Lincolniensem obtineat Glocestrensis. Ad plene explicandum affectum vestrum multa foret opus litterarum prolixitate. Sed stylum duo comprimunt, quia sapiens docetur paucis et amico suadetur e facili. Sit vobis a dextris Dominus ut in hoc et in omnibus gratiam vobis comparari studeatis. Miles militavit aliquandiu non Deo sed Satanæ. Servivit vero excommunicatis vestris mense integro, postquam ipsos excommunicatos esse cognoverat. Nolentes itaque excommunicatum vestrum absolvere nisi per vos, rogamus ut quod in eum justitia dictaverit, misericorditer prece vestra temperetur.

EPISTOLA XLI.

AD EUGENIUM PAPAM.

Patri suo et domino, summo Dei gratia pontifici EUGENIO, frater G. Glocestriæ dictus abbas, obedientiam humilem, et debiti famulatus obsequium.

Cum suspiret, dilecte Pater, ad vos Ecclesiarum totius Angliæ facies admodum desolata, una tamen est Malmesmeriensis Ecclesia, cui nisi cito subventum fuerit, nil jam sibi solatii superest, nisi quod est in adversis pessimum, felicem aliquandiu exstitisse. Nam, sicut ovicula lupi faucibus deprehensa, quo evadat non invenit, sic ipsa castelli quod in ejus fundo simul et atrio situm est, angustata mœnibus, et habitatoribus afflicta, totum fere quod facultatis terrenæ, perdidit, et quod religionis apud se fovebat et ordinis, evanuisse penitus ingemiscit. Vix est quod ejus calamitati jam possit adjici, cujus et locus in extremam desolationem datus est et filii in dispersionem. Ubi enim a sancti Patris Aldhelmi tempore laus Dei resonabat, illic hodie armata satellitum turba et in omnem, in quam conducitur impietatem, promptissima cohors militum debacchatur. Restat igitur dilecto fratri nostro et ejusdem Ecclesiæ abbati domino Petro, vestri pietate consilii Ecclesiam suam et ab infestationibus jam dictis erui, aut ad ipsam penitus non reverti. Si juxta prophetæ vocem, *gladius Domini exacutus est, ut splendeat limatus est*, stet, optamus, in manu percutientis et vindicantis opprobria agminum Dei Israel (*Ezech.* XXI). Nil equidem misericordius vestra nobis posset charitas exhibere quam in partes nostras quempiam dirigere, qui ea quæ Dei et vestra sunt, zelo sciret congruo pertractare. Conservet incolumitatem vestram in longa tempora, qui non dormitat, custos Israel (*Psal* CXX), in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA XLII.

AD JOANNEM DE CANT.

Sedulo majestatis apostolicæ defensori, domino Joanni de Cant., frater G. Glocestriæ dictus abbas, sales si placet suos intra fines modestiæ modo laudabili cohibere.

Quod imitatus apostolum paternarum traditionum cæteris contribulibus tuis amplius et perfectius æmulator existis, lætus audio, zelusque tuus bonus ut incrementa semper excipiat, ampla charitate desidero. Verumtamen, si qua penes nos acta vel dicta sunt, quæ ad dominum papam usquequaque pertineant, nolo te, frater, commoveri super hoc, nolo tui Sabbati pacem delicatam aliquatenus exinde perturbari. Ad dominum namque papam appellavimus, et ad ejus nomen tota nobis controversia conquievit. Nomen pacis in commune protulimus, et ad ejus flagrantiam nobis pacifica sunt universa. Ne tamen nomen gratiarum in nostrum tantum commodum, et in ipsius injuriam assumpsisse videamur, nuntii nostri jam in hoc ipso sunt, ut domino papæ litteris nostris intimemus, quid a nobis actum sit, et ad ipsum quatenus appellatum. Appellationis itaque vinculum, quod ipsi innexuimus, non ipsi sicut æstimas præsumendo solvere, sed domino papæ præsentare curavimus, ut de manu vestra suscipiat unde nos trahat si noluerit, vel si ejus sederit arbitrio nos remittat. Nobis ipsi etenim si jusserit assistere gloriosum, et si permiserit ab agendo quiescere, tutum erit. Non nobis itaque, non nobis, sed nomini suo dabit gloriam (*Psal.* CXIII), et disperio (*sic*) suo quod volet, cui obediemus in omne quod volet. Cum ergo zelum plane tuum approbem, in hoc tamen discretissimo nostri sæculi viro minime conformaris, quod tibi rumor vagus auctoritas est, et certam reputas ex opinione sola scientiam. Si qua infirmamur in parte, te, charissime, infirma terræ nostræ exploraturum minime æstimabam. Sed ejus gladius fortasse hic est, qui non pacem mittere venit, sed gladium (*Matth.* X). De cætero, quod adnectis redundare in curiam, me magistro W. Senecam meum bis negasse, benigne consulo, ut in quibus audacter provocas, provideas et prudenter. Qua enim facie me bis negasse contendis, quod diutino labore conscriptum domino et amico poscenti ipse jamjam defero, vel transmitto? Vides ergo, Joannes, quos in vanum conatus dederis, amicum quam sine causa provocaveris, quem si foro loro injusto pertraxeris, quomodo non mihi in meis fatigationibus et expensis condemnaberis, qui innocuum ad damna requiris? Neve ergo liquasse culicem et camelum deglutisse videaris (*Matth.* XXIII), meæ, quæso, si qua forte est, negligentiæ paulisper oblitus, ad magna te convertas. Refrigescit enim charitas et abundant scandala, et late circa regionem Jordanis oriuntur germina, quæ falce apostolica recidere judici proveniret ad gloriam, impetenti ad coronam. In his, quæso, te exerceas; in his ingenium occupes tuum, et quibus exosa lux est, beneficia lucis impertire. In talibus enim tibi poterit gratia collocari, nec fortasse deerit, in cujus possis nomine baptizari. Ages ergo,

ut is cui nec Jovis cerebrum, nec Maingenæ petasum deesse cognoscimus. Nos domini papæ voluntatem, donante Deo, audiemus in brevi, ipsoque vel jubente aderimus, vel remittente gratias exsolvemus. Optamus te valere tibi, et amicis dum tibi bene est, vel saltem parcere.

EPISTOLA XLIII.

AD JOCELINUM SALESBERIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino, JOCELINO Salesberiensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, seipsum.

Hoc est, dilecte Pater, quod crebris litteris intendebam, ut de negotio quod inter nos est, mihi nec onus augeretur, nec vobis honor aut reverentia debita ulla ex parte minueretur. Sed quoniam quod verebar accidit, et appellationis jam intercurrit auctoritas, precor ut de his quæ spectant ad vos negotium ipsum, si vobis placet, expediatis, et nos de remittenda appellatione apud dominum archiepiscopum, quod poterimus exsequamur. Requirit dominus Bernardus sibi cuncta restitui, quæ post denuntiatum vobis iter suum ad dominum papam amisit. Postulat ecclesiam de Simun Desberga sibi reddi, et monachos illos per quos sibi hæc est orta contentio, secundum mandatum domini archiepiscopi, ad claustra regularia transmitti, et in ecclesia Cern [eliæ], consilio et auxilio vestro, religione monachis condigna, juxta mandatum domini papæ reformari. Super his nobis velle vestrum rescribatis, et in his quæ nobis benigne conceditis, nos humiles et obedientes et adjutores habebitis. Valeat sanctitas vestra.

Litteras domini archiepiscopi, quæ vobis ad præsens mittuntur, ante appellationem factam datas esse noveritis.

EPISTOLA XLIV.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, et totius Angliæ primati T., frater G. Glocestriæ dictus abbas.

Sustinuimus, domine, pacem et non venit; quæsivimus bona, et ecce turbatio (*Jer.* XIV). Frater Joannes, Cerneliæ monachus, mandati vestri litteras ad comitem Glocestriæ deferebat, sicut ipsi nostis, non continentes nisi quod ad pacem et utilitatem ejusdem pertinebat Ecclesiæ. Cum itaque Cern [elia] egressus, litteras ipsas deferens festinaret ad comitem, quidam filiorum Willelmi Scoti illius quondam abbatis Cern [eliæ], cum quibusdam aliis paratis ipsi occurrens insidiis, dejectum equo gravissimis afflixit verberibus, ipsoque semivivo relicto, se ad speluncam latronum Cern [eliam] receptavit. Nec quidem illis in partibus cuiquam dubitare permittitur, quin pater Scotus filio Scoto, hujus operis incitamentum, occasio et materies exstiterit. Unde et hæc manifesta sunt, jamjam ad judicium præcedentia. Præterea jamjam dictus Willelmus, vestro plane rebellis imperio ecclesiasticam per omnia respuens disciplinam, Cern [eliæ] monasterio adhuc incubat, et in ipso sibi totius plenitudinem potestatis usurpat. Cumque toto orbe Britannico lateque patentibus insulis occidentis, Ecclesia Dei vestro se parere glorietur imperio, una tantum est Cern [eliæ] ecclesia, quæ, contra vos calcaneum levans præsumptive exclamat: *Quæ nobis pars cum David, vel quæ hæreditas in filio Jesse?* (*III Reg.* XII.) Filii alieni hi sunt, inveterati pessime, semper claudicantes a semitis bonis (*Psal.* XVII). Hi filii Belial quem sibi volunt abbatem constituunt, constitutum, cum volunt, ejiciunt, ejectum revocant cum volunt, et obediunt tantum cui volunt. Cumque ut jumenta pessima in suo jamdiu stercore computruerint (*Joel.* I), nec solum incontinentiæ, et omnis turpitudinis fetorem ex se diu et abundanter emiserint, non fuit justus qui respiceret, vel qui ipsos viæ revocando eorumdem animas ad lucrum reportare intenderet. Virgam igitur in manu vestra prophetica, virgam scilicet vigilantem videamus, et locum illum spurcitiarum et criminum quem non incorrectum solum, sed et neglectum penitus obsolevisse cognovimus, ad honorem Dei et vestrum, ad decorem domus Dei et totius ordinis monastici reverentiam purgatum de Ur Chaldæorum eripi (*Gen.* XV), et in faciem condignam religioni restitui et reparari gaudeamus. Forma vero reparationis, si placet, hæc est. Si in prædicti sceleris patratores et consocios sententiam condignam dederitis, et illam domino Salesberiensi denuntiaveritis, si comiti Glocestriæ ex obedientia injunxeritis, ut prædictum Scotum amoveat, et si vobis placet, curæ et custodiæ nostræ committat, si Roberto de Arundel, et Rogero filio ejus, et Roberto de Nicole, sub anathemate præceperitis, ne Scoti ipsius stultitiam amplius foveant, nec terras Cerneliæ occupando, Bernardum vestrum impediant, si Willelmum filium comitis, de hoc ipso commonueritis, si benedictionem vestram scripto publico adjutoribus Bernardi abbatis concesseritis et malefactores ejus sententia maledicti terrueritis. Si zelum etiam domini Salesberiensis suscitaveritis, ut adversus hujuscemodi incandescat, et reprimendo contumaces, in domini Bernardi auxilio non tepescat. Unctio vero sancta edocet vos de omnibus.

EPISTOLA XLV.

AD UCTREDUM LANDAVIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino UCTREDO Landaviensi Dei gratia episcopo, frater G. ecclesiæ beati Petri Glocestriæ dictus abbas, salutem et debitam Patri charitatem.

Rogamus benevolentiam vestram et expertam nobis toties animi vestri moderationem, ut causam hanc quam adversus fratres nostros de corpore sororis domini Mauricii, jam movistis, sic deducatis, ut nec charitatem minuatis in nos, nec privilegio domini papæ contraire tentetis. Habetur enim privilegium, quod vobis opportuno etiam tempore præsentabimus, quo nobis apostolica concedit auctoritas, ut quorumcunque liberorum hominum corpora,

qui extrema se voluntate locis nostris in sepulturam concesserunt, absque alicujus præjudicio apostolica auctoritate sepelienda suscipiamus. Rogamus itaque dilectionem vestram ne occasionem quæratis adversus nos,quominus serviamus vobis, et ab ea quam hactenus erga vos habuimus charitate deferveamus. Parati enim sumus vobis omni loco et tempore tanquam domino deservire, dum vestræ tamen thronum justitiæ apostolicæ viderimus auctoritati obedire. Valete.

EPISTOLA XLVI.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo et totius Angliæ primati T., frater G. Glocestriæ dictus abbas, pie velle quæ Dei sunt, et actu semper implere.

Sublimitati vestræ, domine, pro amicis supplicare compellimur, qui nec pro nobis audiri digni satis invenimur. Plus tamen eligimus apud Patrem de pietate corripi, quam apud fratres de spreta charitate damnari. Ad vestram vocatus audientiam dominus Landaviensis, multiplicibus se causis excusat, hinc difficultatem itineris, inde suspectas adversantium insidias, et præ cæteris, sui corporis infirma prætendens. Inde vero nuper redeuntes fratres nostri, de quorum fide et veritate non ambigimus, de ipsius infirmitate contestantur. De lecto itaque ægritudinis suæ tum etiam per nos supplicando postulat, ut causæ præsentis actio usque ad vestrum reditum differatur, sic tamen ut res ipsa quæ in controversia est, a fratribus de Goldclive, interim inconcusse possideatur. Qua in re, si nec majestatem vestram minui, nec fratrum vestrorum justitiam impediri videritis,petitioni huic annuendo, nos sicut in cæteris omnibus,sic et in hoc ipso per omnia gratiæ debitores efficeretis. Glorificetur in vobis Deus, vestrique corona meriti semper augeatur, in Domino Jesu Christo dilecte Pater.

EPISTOLA XLVII.

AD UCTREDUM LANDAVIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino venerabili Landaviensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem et dilectionem.

De vestra erga nos benignitate certo rerum argumento non dubium, si gratiam mentis non æquamus, tamen in quo possumus, vobis obsequi parati sumus. Litteras itaque domini archiepiscopi vobis mittimus, ut attendatis ex his quid vobis factu opus sit, et quod agendum videritis,prudenti cura adimpleatis. Oportet enim, sicut scripsistis, ut possessionem, de qua contenditis, monachis de Goldclive usque ad reditum domini archiepiscopi inconcusse dimittatis, eisque pacem interim de cætero observetis. Sicque faciendo, et judicem poteritis habere propitium, et cum ad causam accingi oportuerit, melius poterit reformari negotium. Valete.

EPISTOLA XLVIII.

AD PRIOREM ET FRATRES DE GOLDCLIVE.

Frater G. Glocestriæ dictus abbas, dilectis in Christo fratribus domino priori de Goldclive,cæterisque fratribus, salutem et dilectionem.

Paci vestræ et quieti sollicite providens dominus archiepiscopus, vobis istud per me denuntiat, ut prosequendæ causæ,quam adversus dominum Landaviensem habetis,hac vice operam non detis. Placuit enim serenitati ejus, ut actio ipsa usque ad octavas Epiphaniæ, vel ad reditum ejus, deinceps differatur, sic tamen ut possessio quæ in controversia est, a vobis interim inconcusse possideatur. Dominus enim Landaviensis, sicut scripto suo testatur, hoc idem annuit, et vobis interim pacem se per omnia servaturum (*Isai.* XXVI), compromittit. Valete, et paternæ circa vos gratias reddentes affectioni, ejus per omnia consiliis acquiescite.

EPISTOLA XLIX.

AD SIMONEN WIGORNIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino S. Wigorniensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem, et si quem potest, ex charitate famulatum.

Rogat nos Radulphus de Wirecestria,ut apud sublimitatem vestram pro ipso interveniamus. Sed in re ista petere nil audemus, nisi quod honori vestro et saluti ejus utile judicamus. Scimus enim « non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum. » Sed hoc in his verum est, quibus facultas suppetit,qua possint ablata restitui. Quæ si forte defuere, licet quod ablatum est ex impossibilitate non redditur, tamen cordi contrito et humiliato venia non negatur (*Psal.* L). Unde pœnitentem hunc si vestra adverterit discretio, debet quidem ad ipsum absolvendum prudens admitti dispensatio, ut quod minus est in ablati restitutione, abundet in severitate pœnitentiæ. Ideo quantum licet, vestræ supplicamus benevolentiæ, ut memor illius calamum quassatum non conteras, et linum fumans non exstinguas (*Isai.* XLII), accepta securitate non redeundi ad vomitum, et injuncta simul pœnitentia eum in spiritu lenitatis revocetis, et erroneam ovem,si fieri potest, ad caulas Domini pio humero reportetis (*Luc.* XV). Valete.

EPISTOLA L.

AD ROBERTUM HEREFORDIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino ROBERTO Herefordiensi gratia Dei episcopo,frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutis gaudium, et obedientiæ famulatum.

Instanti necessitate compellimur, ut de negotio quod vobis præ manibus est, a dominis et amicis nostris ad dominum papam subsidii litteras expetamus. Rogamus itaque benevolentiam vestram, ea qua de vobis charitate confidimus,ut nobis litteras vestras ad dominum papam concedatis, quibus fratri nostro Bernardo abbati Cerneliæ testimonium quale vel de ipso forsitan audistis, vel a religiosis fratribus audire potuistis, præbeatis. Quem enim tam doctrina, quam vita dignum commendatione cognovimus,ab amicis veritatis in ipsa sponsi præsentia commendari cum fiducia pos tulamus. Et quoniam ipsi adversus aliquot fratres Cernelienses causa est, rogamus ut et de electione ipsius, et ex-

pulsione, et de ipsa Cerneliensis ecclesiæ dissolutione, quod in ore omnium est, et quod ipsi verum esse et causæ nostræ prodesse cognoveritis, adjiciatis. A domino et amico magna exposcimus, cui in magnis etiam et arduis obedire et obsequi non recusamus. Vos Deo denique valere optamus, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA LI.

AD JOCELINUM SARISBERIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino J. Saresberiensi episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, miseris non plus irasci quam satis est.

Stilus humilis est, et submissa materia, exorare pro jam mortuo, ut, ipso agente satis, et Patre tandem miserante, quoquomodo revocetur ad vitam. Gladio spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI), præcidisti Alardum jamdiu a vita, quod utinam non meruisset, aut si meruit, spiritum apud vos utinam condigne satisfaciens invenisset! Quod actum quia nondum est, pulsamus ad ostium non amici solum, sed et Patris et domini, si quomodo tandem aperiatur nobis, et audiatur clamor noster in intimis, ubi in cubili conscientiæ bonæ amicus idem et dominus cum pueris suis, qui sunt purificati jam animi, delectatur et opime requiescit. Speramus enim quod in necessitate recurrenti ad vos, nec pro pane lapidem, quod est repulsa durissima, nec pro pisce serpentem quæ laboriosa est, et in dolo protactio, nec pro ovo scorpionis novissima porrigetis (*Luc.* XI). Dignum est e manu pontificis alia longe donativa splendescere. Quorumdam gloria est, sed non apud Deum, miserorum plus lætari casu quam de reditu gloriari. Longe monet aliter, qui redeunti in amplexus occurrit. Rogamus itaque, dilectissime in domino, ut injuriarum paulisper immemor ad se redeat ille vester in nullo unquam degener sanguis, et se tum demum victum æstimet, cum sibi jam supplicatur a victis. *Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum et pulicem vivum* (*I Reg.* XXIV). Si de libertate Ecclesiæ quæ sancta sunt in corde vestro disponitis, si fratres et coepiscopos nostros in ecclesiis de manu laicorum tuendis, ut nec eis personas præsentare liceat, omnes anteire proponitis, totum hoc quidem laudabile est, ut religio semper collocetur in summo, sed, quæso, non tam aspere requiri a minimis quod nondum attentatur in summis. Scitis equidem quam sit periculosa desperatio. Quid si immoderate persequentem Asahelem lancea Abner exceperit? (*II Reg.* 23.) Videte, ne de manu vestra sanguis utriusque requiratur (*Ezech.* III). Consuetudinis, ususque longævi non vilis est auctoritas, et ubi non peccatur in Deum, tolerabile est, ut radicibus suis antiquitas concussa permaneat. Si nobis indulgetis, quod omnes coepiscopos vestros suis omnibus indulgere notissimum est, quis unquam, obsecro, reprehendet? Scio apud quem mihi sermo est, apud Patrem et dominum, cui innata bonitas animi, totum quod laudabile est, persuadet. Alardum quacunque involvatis amaritudine, dum sibi tantum personam præsentare liceat, quæ in ecclesia de Finchehamestude, vestris per omnia mandatis obediat et acquiescat. Valete.

EPISTOLA LII.

AD MATILDEM IMPERATRICEM.

Venerabili et illustri dominæ M. imperatrici, regis Henrici filiæ, frater G. Glocestriæ dictus abbas, in decore virtutum summo Regi complacere.

Super his, quæ vestra mihi mandavit excellentia, meum, si placet, responsum æquanimiter audiatis. De religione domini Nivardi, fratris dilectissimi Patris nostri domini abbatis Clarevallensis, ita mihi certus sum, quod si ea quæ inter nos et Cernelienses acta sunt plenius agnovisset, non solum mihi querelam non movisset, sed quæ, dictante æquitate et domino papa statuente, gesta sunt, firma manere voluisset, et vobis tenenda suasisset. Cernelienses enim monachi dominum papam adeuntes, causæ quam adversus abbatem suum intendebant, sibi judices in Anglia statui petierunt, et ad hoc episcopos quatuor impetraverunt. Ad hos itaque litteras domini papæ afferentes, juxta earumdem litterarum tenorem, die constituta solemniter auditi sunt, et per omnia deficientes judicio publico condemnati. Præterea non solum sacerdotio privati sunt, sed etiam infames in perpetuum judicati, et custodiæ claustrorum regularium, et scripto et præcepto domini papæ mancipati. Cum itaque quosdam eorum domini papæ auctoritate susceperimus, ipsos nisi eadem auctoritate remittere, nec possumus, nec debemus. Non turbetur ergo vestra serenitas, si apostolico mandato obedimus, a cujus voluntate resilire, instar sacrilegii judicamus. In his vero quæ possumus et debemus, mandatis vestris acquiescere parati sumus. Verum in quo Ecclesiæ auctoritas offenditur, plena nobis excusatio est, si quod non debemus, exigimur. Valeat in perpetuum sublimitas vestra.

EPISTOLA LIII.

AD JOCELINUM SARESBERIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino J. Saresberiensis Dei gratia Ecclesiæ episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem et servitium.

Urget me importuna Alardi lamentantis improbitas, ut quod forte negandum esset temeritati, negari nequeat improbitati. Unde preces sublimitati vestræ solita confidentia porrigo, ut quam in Adelardum intendisti vel jam dedisti sententiam, ea qua filios consolari oportet sobrietate levigetis, ut nec quassatam confringatis arundinem, nec linum fumans exstinguatis (*Matth.* XII). De rebus presbyteri quas juste petitis, si quid minime restitutum est, plenius sub juramenti taxatione restituet. Si in dignitatem vestram quoquomodo præsumptum est, misericordiæ vestræ condigne satisfaciet. Unum tamen rogamus humiliter, ut quod nulli parochiano vestro hactenus negare consuevistis, ipsi in ecclesia de Finchamstude concedatis, ut personam vobis præsentet idoneam, quam in præfata ecclesia mi-

nistrare permittatis. Justum tamen foret sicut donationem ecclesiarum, ita et præsentationem personarum laicorum non esse, sed quod in regno isto nondum in consuetudinem inductum est, a minimis inchoari non oportet, nec a minoribus exigi, quod a majoribus nequeat extorqueri. Si igitur antiquitatem suis aliquatenus vultis convelli radicibus, inchoandum erit a capite, ut inde in barbam descendens unguentum Domini, oram etiam vestimenti attingat (*Psal.* XXXII), et sic totum corpus Ecclesiæ tanto melius, quanto diffusius, suæ flagrantiæ suavitate perfundat. Petitioni meæ assensum dari, non alia fiducia deprecor, nisi ut quia semper audistis immeritum, audiatis adhuc, et non ingratum. Valete.

EPISTOLA LIV.

AD WILLELMUM DE CHEISNEIA.

G. Dei gratia abbas Glocestriæ, WILLELMO de Cheisneia, salutem

Gratias tibi ago de omnibus bonis quæ mihi fecisti, bene sperantes de te, ut semper de bonis in meliora procedas. Nam si dure ad præsens respondisti mihi, necessitatem quæ te urget, culpare possum, sed te culpare non possum. Scio quod amicus amico, nepoti avunculus libenter parceret, si necessitas instans hoc permitteret. Et quidem hoc bonum esset mihi, sed multo melius tibi. Nam si tu nos in temporalibus adjuvas, nos tibi spiritualia nostra non negamus. Si omni die apud nos omnes, ibi tui memoria agitur, ubi patri filius immolatur. Sed hoc fortasse quid sit ignoras, vel si bene nosti, non curas. Nec permittit instans necessitas, ut multum inter amicos et alios discernas. Ideo quindecim marcas argenti tibi mittimus, rogantes, ut sicut eas bona voluntate mittimus, ita et ea bona voluntate suscipias, ne si nimis spiras ad censum, illorum qui pro te sunt ad Dominum, erga te minus affectum. Memento, quod vita tua fumus exiguus est, et tota tua gloria pulvis et vermis. Hodie es, et cras non eris ; vel si cras eris, nescis si eris post. Et si exieris de corpore, de gloria tua nihil tecum portabis. Castella tua stabunt hic, et habebit ea qui nullas tibi gratias aget, et in labore tuo forsitan gloriabitur extraneus. Solummodo peccata tua te sequentur, et nondum tibi videtur, quod satis peccator sis, sed tunc velles quod hic minus peccasses. Ea die, cum miseriam respexeris, et ululatum viduarum, et pauperum gemitum, et orphanorum planctum, querelas Ecclesiarum, super te videris, quis tibi sensus erit, ad quem respicies ? Quis omnium sanctorum est, quem non offenderis ? Quis pauperum Dei circa te est, quem non læseris ? Nisi, dum potes, tibi provideris, tam vehementer coram Deo accusabunt te opera tua, ut nec in hac vita te diu possit tolerare justitia ejus, nec in futura aliquatenus misereri. De propinquo te monuit Dominus, charos tuos de medio tulit, virga ejus jam nunc est extensa in te. Aperiat ipse cor tuum, et infundat ei gratiam suam, ut ante

A tuum diem novissimum bonum opus germinet ex te, in quo possit Dominus salvare te. Valete.

EPISTOLA LV.

AD. F. RADINGENSEM ABBATEM.

Patri suo charissimo F. Radingensi Dei gratia abbati, omnibus Radingensis Ecclesiæ filiis, frater G. Glocestriæ dictus abbas, et hi, quorum ipse ministerio deputatus est, salutem et dilectionem.

Pervenit ad nos, charissimi, magistrum Serlonem de Arundel, crebra vos prece sollicitare, ut de ecclesia de Berchelaie, contractum aliquem cum eo ineatis, et quædam quæ inter vos nominata sunt, sibi concedendo prædictam ecclesiam amodo habeatis. Asserit etiam, ut audimus, se quædam possi-
B dere, quæ non possidet, et ostensione quarumdam chartarum quas prætendit, vos in credulitatem eorum quæ affirmat, inducit. Unde vestram præmonemus dilectionem, ut sic dictis ejus acquiescatis, ne inconsiderata quadam commutatione damnum, quod facile reformari nequeat, incurratis. Certum enim habeatis nos ecclesia de Camme, et ecclesia de Herlingeham, et omnibus quæ ad eam pertinent, apostolica auctoritate investitos esse, et vos nec commutatione aliqua, nec ullo domini Serlonis dono, vel cujuscunque assensu aliquid in eis, nisi cum summa nostri injuria, vindicare aliquatenus posse. Præterea et illud noveritis, clericum nostrum Reginaldum in ecclesia de Berchelaie præbendam unam habere, et Serloni in nullo subjectum esse. Unde si
C de ecclesia, in qua iste parem Serloni personatum habet, ipso non solum nolente, imo et reclamante, commutationem feceritis, vestrum magis libitum quam quidquam juri congruum facietis ; nam quæ publici juris sunt, nullius numerantur in bonis, nec contractus unius transfere potest in re communi dominium. Vos nequaquam latere volumus, prædictum Reginaldum anno præterito, cum eum Serlo de his quæ a nobis modo vindicat, fatigaret, ad dominum papam appellasse, et seipsum in statuto die præsentasse, et cum dominus Serlo nec apparuerit, investitum suis cum gratia domini papæ, ad propria remeasse. Ut vero quod summum est non taceam, certum vobis esse non dubito quod ecclesiam obtinere contractus illicitus est. Unde preces
D sedulo discretioni vestræ porrigimus, ut in re ista sic omnia moderetis, ut nec religioni vestræ notam inferatis, nec habitam hactenus inter nos charitatem emolumento facile minuatis. Valete.

EPISTOLA LVI.

AD UCTREDUM LANDAVIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino U. Landaviensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, « quoniam dies mali sunt, virtutem in infirmitate perficere (*II. Cor.* XII). »

Testis mihi, Pater dilecte, veritas est, et quæ mihi non mentitur de me conscientia, quam puro corde et charitate non ficta (*I Tim.* I), vos a prima vestri cognitione dilexerim, et honori vestro simu

et commodo, sicubi quidquam potui, sollicita circumspectione coadjutor semper et cooperator exstiterim. Quod licet ad vos forte non pervenerit, attamen istos non latuit, dominum scilicet Cantuariensem, dominum etiam papam, et qui de latere ejus sunt, in quorum præsentia cum ipse adessem, si de vobis aliquid sinistrum quandoque ventilatum est, me et reclamante, et aliqua vehementia resistente, non solum suppressum resedit, sed velut quædam mendacii nubes prorsus evanuit. Ut verum fatear, equidem si non vobis in multo servivimus, attamen conciliavimus vobis potentum animos, et bona quæ de vobis speramus, nequaquam reticendo, sed palam edicendo, vos in ipsorum gratiam, nec modicam, nec quidem contemnendam induximus. *Charitas* enim *nunquam excidit* (*I Cor.* XIII), et ipsa enim cum perfecta est prorsus nescimus. Hæc vero est quæ facile nobis persuadet bene de vobis sperare per omnia, et in quibus nobis jurisdictio vestra necessaria est, æquitatem et justitia quadam confidentia postulare. Preces itaque sublimitati vestræ porrigimus, ut nostra de vobis non fraudetur spes, et ut litteræ contestantur, super decimis, quas a domino Leofrico juste requirimus, ea diligentia terminetis, ne nobis in Ecclesiæ nostræ detrimento, turpi quadam mutilatione gravamen inferatur, et ut vobis tanquam Patri et Domino, non solum a me, sed a toto etiam nostro collegio gratiarum actio, et debiti honoris exhibitio referatur. Judicium æquæ libræ non recusamus, ne tamen offendantur qui amici sunt, rem magis honesta transactione finiri vellemus. Valete, semper in Christo Domino dilecte Pater.

EPISTOLA LVII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino U. Landaviensi Dei gratia episcopo, G. dictus abbas Glocestriæ, Deo jure meritorum complacere.

Gratum munus æstimo quod me, dilecte Pater, litterarum commonitorio provocas ad virtutem. Nihil est enim quod pater filio vel utilius suadere, vel intimare possit honestius. Nam sola est virtus, quæ Domini virtutum dignum præstat obsequium, et totum exosa quod præterit, affectare præsumit æterna. Virtus est, quæ animos evehit, et totum fugiens, quo turbamur in infimis, locum sibi quærit et invenit in supernis. Species ejus amabilis est et concupiscibilis forma (*Psal.* XLIV), « quæ, » ut ait Sapiens, « si corporalibus ad plenum intuenda daretur oculis, omnium in se appetitus excitaret non modicos. » Gratias itaque paternæ diligentiæ refero, quæ mentem meam ad eam quam commendo virtutem, non mediocriter incitavit. Nam quod meæ commissa sollicitudini tractare me diligenter edoces et hortaris, ad prudentiæ me fines applicas, et ea quæ in omni officio pernecessaria est, plenitudine me discretionis informas. Unde si dilectæ mihi benevolentiæ tuæ, frater, quem in partes illas direxi, reverentiæ, minus impendit, offensam profecto gemi-

A navit in me, quod non solum offendit episcopum, sed et dominum, imo et Patrem experimentis quamplurimis amicissimum. Precor itaque ut correctum suscipias et admonitum, et hanc nobis donando injuriam vestra nobis cumulare beneficia, et gratia super gratiam addita coronare non desistas. Partem vero tibi, quam juste repetis, in integrum reddi præcepi et præcipio, et quædam tibi mandata secretius usque ad adventum Radulfi clerici nostri, ad præsens omitto. Valete.

EPISTOLA LVIII.

AD HENRICUM WINTONIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino. H. Wintoniensi Dei gratia episcopo, frater G. ecclesiæ beati Petri Glocestriæ dictus abbas, pie miserando misericordiam promereri. B

Compellit me charitas serenitatem vestram, in Christo dilecte Pater, humiliter implorare, ut quemdam militem nomine Rogerum Foliot, quem homines vestri apud Merendune incarceratum tenent, gratia vestra et petitione nostra, ad redemptionem mitti jubeatis. Qua in re sublimitati vestræ præsumendo devotus supplico, ut fucos et superflua verba Willelmi de Cheisnei non admittatis, nec secundum voluntatem ejus illum gravari permittatis, nec verbis eum odientium de ipso fidem habeatis. Noverit enim sanctitas vestra quod pater ejus nunquam nisi dimidiam hidam terræ habuit, ipse prorsus nihil, nisi quod usu militiæ acquisivit. Ad donativum enim domino Brientio servivit hactenus, C et jam nunc equos et arma amittendo, totum quod habebat, semel et simul perdidit. In pauperem itaque rogamus ut respiciant oculi vestri (*Psal.* X), et vinctum de carcere educendo (*Psal.* LXVII), ab eo qui solvit compeditos (*Psal.* CXLV) gratiam obtineatis, et me, si quid possum, gratiæ debitorem habeatis. Valete.

EPISTOLA LIX.

AD GAUFRIDUM PRIOREM WINTONIÆ.

G. Dei gratia abbas Glocestriæ, venerabili domino suo et amico charissimo, GAUFRIDO priori Wintoniæ, salutem et dilectionem.

Gratias benevolentiæ vestræ habeo referre multimodas, quia parenti meo Rogero Foliot benigne subvenistis, et in necessitatibus suis sibi benevole D providistis. Sed quia inter amicos præteritorum bonorum exhibitio, certa est futurorum exspectatio, rogamus ut non tepescat charitas vestra, quatenus hoc a vobis deserviat humilitas nostra. Rogamus itaque ut apud dominum Wintoniensem pro ipso interveniatis, quatenus eum de carcere educi faciat, et ad redemptionem mitti præcipiat. Ignominiose enim tenetur in carcere, et jam extrema afflictus est egestate. Unde precor obnixe ut præsenti negotio intendatis, quatenus si quid possumus, nos gratiæ debitores habeatis. Valete.

EPISTOLA LX.

AD . . . . EPISCOPUM.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi (*Psal.*

cxxi); nuper de te, fama divulgante, cognovi. A Audio præsulem digna præsule cogitasse, et illicitæ præsumptioni sanctitatis animo restitisse. Est aliquando profecta sententia, ut sub tributum Christi sponsa redigatur. Sed in te cura pastoralis evigilat, ut quod animo præsumptum est, nequaquam opere compleatur. Arguis, obsecras, increpas (*II tim.* iv), et defendis, et quos fomento non prævales præcisionis ferro curare non pertimescis. Pectus sane commendabile quod mansuetis exhibet gratiam, et contumacibus disciplinam. Cum manna virgam in sanctuario divina reponit auctoritas, sic plenitudinem pastoris erudiens, ut et de pectore gratiarum bonis exhibeat totum quod dulce est, et contumaciam reprimat disciplina. Gratulor equidem te pastoralem regulam perspicaciter attendisse, et quod B exsequendum noveras, ut decebat episcopum, non minus fortiter quam prudenter adimplesse. Sane in ipso virtutis opere, tota mihi virtus elucescit. Est namque prudentia nosse quid deceat, justitia cuique exhibere quod oporteat, fortitudo hominem non timere, quia caro est, et in virtute spiritus totum audere quod sanctum est. Temperantiæ est, non ex ira quidpiam vel ex commotæ voluntatis impulsu fuisse gestum, sed solo virtutis amore ad summi Regis ulciscendas injurias igne Spiritus incanduisse. Ages ergo cum fiducia. Valete.

EPISTOLA LXI.

AD UCTREDUM LANDAVIENSEM EPISCOPUM

Patri suo et domino U. Landaviensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem.

Importunus effectus sum, sed vos me coegistis; petivi, sed non accepi; pulsavi, sed nondum aperuistis mihi; spero tamen quod pulsanti amico Pater tandem affectu aperiens (*Luc.* xi), non panem petenti lapidem, vel piscem aut ovum postulanti, serpentem porrigetis aut scorpionem (*ibid.*). Pacem a filio pacis et Patre et domino, et multis rerum experimentis amico postulamus. Læta mihi dies non erit, qua contra vos in judicio sistere, urgente etiam necessitate, compellar. Agat ergo pontifex digna pontifice, et si quid inter filios suos litis aut controversiæ motum est, ad pacis statum redigat universa. Decimas a domino Leofrico repetimus, quibus investita fuit ecclesia nostra, et absque judi- D cio spoliata. Jactura gravius est amittere quæ justitia repetit manifesta. Cætera juxta quod dixit vobis dominus Jocelinus, beneplacito vestro committemus. Vigilet hæc circa Patris et pastoris affectum, ut a filiis condigno merito, et gratiam reportet et servitium. Valete.

EPISTOLA LXII.

AD JOCELINUM SALESBERIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino J. Salesberiensi Dei gratia episcopo, frater G. dictus abbas Glocestriæ, et humilis ecclesiæ beati Petri conventus, id modicum quod sunt, et devotionis obsequia, si qua possunt.

Ad vos, dilecte domine, jamdiu nostra querela perlata est: cui si nondum subvenit pietas, a vestra tamen benevolentia nostra non desperat humilitas. Unde angariati et afflicti plurimum, ad vos iterato recurrimus, nostris opem ferri poscentes incommodis, et juvamen detrimentis. Nam quia vobis conquesti sumus, solito magis affligimur, et quia nos de conquestione nostra nihil aut parum considerant profecisse, ipsa impunitate sua armati, nos velut expositos arbitrantur, et sibi cuncta licere in nos, velut a vobis quadam data licentia gloriantur. Unde rogamus humiliter, ego, quod quidem parum est, et omnes fratres nostri, quod equidem magnum est, ut nostras, si placet, non parvipendas injurias, sed nobis exhibendo justitiam, vestrum, ut dignum est, ministerium honoretis, et nos si quid possumus, gratiæ debitores habeatis. Valete.

EPISTOLA LXIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino J. Salesberiensi Dei gratia episcopo, frater G. ecclesiæ beati Petri dictus abbas, pœnitenti veniam non negare.

Justus in exordio sermonis sui accusator est sui. Quia ergo justitiæ conformari desidero, meipsum inprimis arguo. Quantum enim fuit in me majestatem vestram et honorem meum in parte minui, cum occurrenti mihi humilitati vestræ et mansuetudini, amplexu gratissimo et corde humillimo non occurri. Cur tamen supersederim, si vestro mihi daretur frui alloquio, ipse dicendo quam scribendo melius intimarem. Si quæ ergo pristinæ charitatis erga nos C supersunt usquequaque reliquiæ, si juxta mandatum Domini pœnitenti pectus episcopale non clauditur (*Ezech.* xxxiii), precor ut in proximo cum iter meum ad dominum archiepiscopum dirigetur, vestri mihi colloquii facultas non negetur. Quia vero locum diemque colloquii vobis statuendo nuper excessi, præsumptive reus non id amplius ago, sed vestræ totum voluntati committo. Quid super hoc vestro sedeat arbitrio, parce memor irarum, si placet, mihi rescribatis. Triduum vero antequam vos ad locum destinatum venire oporteat, nuntium item meum habebitis. Quod si Abendune vel Redingis locum dederitis, meo plurimum labori parcetis. Valete.

EPISTOLA LXIV.

AD ROBERTUM HEREFORDIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino R. Dei gratia Herefordiæ episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, die quotidie bene prosperari in gratiam.

Ad synodum quam, dilecte Pater, celebratis, iter ipse arripueram, sed domini Wigornensis litteræ nos ipsum hac die lunæ Glocestriæ præstolari obedientiæ et charitatis imperio compulerunt. Ideo quod ad præsens non possumus, dilectæ nobis sanctitati vestræ scripto supplicamus, ut de Wallensibus, de Herchenefeld, Idel, et Chenedin, et eorum complicibus, nobis justitiam exhibeatis: ipsi enim in nos immeritos suas ulciscuntur injurias, et cum eis in nullo nocuerim, plusquam sexaginta marcarum damnum nobis intulerunt, et totum [quod] in Bran-

tonia laboravimus diu, uno impetu et incursu abstulerunt. Speramus quod damna nostra et incommoda tanquam pensabitis et quod opem quam nulli juste petenti subtrahitis, filiorum justæ postulationi non negabitis. Notum præterea sanctitati vestræ facimus, quia clericus vester Gunni de Stantuna in novissimis agens, a vobis ut Patre et pastore animæ suæ, sanctarum orationum vestrarum suffragium expetit, ut vestro interventu communitus, jamjam exiturus, Domini misericordiam possit securius exspectare. Rerum vero suarum dispositio hæc est, quam in conscriptorum testium præsentia ipse subscripsit. Quantum annonæ in domo sua est, hæc servientibus suis et his quibus aliquo debito obligatus est concedit. Reliquorum omnium tertiam vobis legavit, et ecclesiæ nostræ, in qua habitum monasticum suscepit, duas reliquas consignavit. Hujus extremæ voluntatis suæ testes hi sunt, Nicolaus sacrista, Grimpater, Walterus. Et quia nihil magis debetur humanitati quam quod extremæ voluntatis liber sit stilus, et licitum quod ultra non redit arbitrium, suppliciter petit, ut quod a se pietatis intuitu actum est, auctoritate vestra stabiliatis, vel si vobis aliter visum fuerit, voluntati vestræ sua non præjudicet. Valete.

EPISTOLA LXV

SIMONIS WIGORN. EPISC. EP. AD UNIVERSOS S. MAT. ECCLESIÆ FILIOS.

Dilectis in Christo fratribus universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis. S. Wigornensis Dei gratia episcopus, perpetuam in Domino salutem.

Ad pacem Ecclesiæ tutius in aliqua parte muniendam, vestræ notum facimus diligentiæ, quod controversiam illam, quæ inter filios nostros monachos scilicet Glocestriæ et canonicos Lantoniæ, de corpore domini Milonis comitis Herefordiæ, in præsentia nostra nuper exorta est, illam biduo actam, hoc tandem fine utriusque partis assensu terminavimus. Canonici corpus ipsum, quod monachi in ecclesia sua humandum esse, multis attestantibus asserebant, tum parochiali jure, tum gratuita donatione, quam ipse comes ecclesiæ eorum de se fecerat, antequam se Lantoniensi concessisset Ecclesiæ, illud corpus canonici liberum et quietum, nil de jure reclamantes, dimiserunt. Monachi vero precibus venerabilis fratris nostri Roberti Herefordensis episcopi, et nostris, domini etiam Rogeri filii comitis, et multorum baronum et militum, corpus ipsum in ecclesia Lantoniensi, in qua allatum fuerat, sepulturæ tradi concesserunt. Hac tamen conditione, quod ipsi dominum Robertum filium comitis, et uxorem ejus, et omnes hæredes in perpetuum, et dominum castelli Glocestriæ, quicunque unquam futurus sit, ecclesiæ Beati Petri liberum et quietum absque omni reclamatione concesserunt. Ad cujus rei confirmationem, ego Simon Wigorniensis episcopus, dominum Robertum filium comitis manu accipiens per manum filii nostri Gilberti abbatis Glocestriæ, ipsum et successores ejus ecclesiæ beati

A Petri attitulavi, et ubicunque terrarum obierint, in illa ecclesia sepeliendos et humandos, episcopali auctoritate constitui. Valete.

EPISTODA LXVI.

AD SIMONEM WIGORNIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino S. Wigorniensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, et ecclesiæ Sancti Petri conventus humilis, salutem et obedientiam.

Quæ sint ea, domine, quæ a domino Willelmo de Bellocampo tandiu sustinuimus, fratrum nostrorum relatu plenius agnoscetis. Nam, ut omittamus quæ retro sunt, non diu quod tres et quadraginta summas bene purgati tritici, quæ ad usus fratrum nostrorum deferebantur, per eum amisimus et earumdem re-B cuperationem usque adhuc spe promissæ pacis, dolo capti distulimus. Singulis præterea mensibus in procuratione servientium suorum, tres solidos dare jamdiu cogimur, et unoquoque ad utramque sementem, sexaginta jugera terræ suæ arare, serere, et illi metere compellimur. Sunt præter ista quotidianæ servitutes operum innumeræ, quibus homines nostros angariare, et usque ad extremam miseriam persequi et affligere non cessat, et quo majori erga eum patientia sumus, tanto minus se jure in nos et totum quodlibet facere formidat. Flagrat ecce recens maleficium ejus, et hac hebdomada ad bene inchoanda jejunia sua, domos nostros confregit, annonam excussit et asportavit, et de cætero pejora promittit. Unde preces sublimitati vestræ porrigi-C mus, ut hanc ejus audaciam compescatis, et nobis justitiam exhibere ulterius non differatis. Voluntate quidem nostra justitia in eum non differetur ulterius, nisi nobis ablata non promisso sed facto restituerit, et amodo in tota terra Beati Petri injustas exactiones istas abjuravit. Vocatus ter in ecclesia nostra hac proxima Dominica, licentia vestra excommunicabitur. Valete.

EPISTOLA LXVII.

AD JOCELINUM SALESBERIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino J. Salesberiensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, in meditatione cordis, et oris eloquio, Domino complacere.

Quoniam scripsistis bene, rogamus ut faciatis et D bene, opem quam nobis verbo promittitis, opere compleatis. Incubus ille Corneliæ, quod alieni juris est, audacter occupat; qui inde violenter excussus est, ad aliena limina solo justitiæ defectu mendicat. Ad vestræ igitur sanctitatis genua provoluti suppliciter exoramus, ut tam nostris fatigationibus quam extremis Ecclesiæ desolationibus charitas vestra compatiatur, et subveniat, et adversus contumacem, inobedientem, et rebellem, non suspectæ nobis justitiæ vestræ zelus incandescat. Non est vobis adversus postulationes nostras excusatio. Potestis enim quod petimus, et debetis; anathematis itaque sententia in ipsum et ejus complices, qui manifeste digni sunt proferatis, et animas nostras

ne diutius suspensas teneatis. Litteras domini archiepiscopi vobis mittimus, cui nisi plene obedieritis, jam solus unus superest, quem pro justitiæ defectu requiramus, Valete.

EPISTOLA LXVIII.

AD BERNARDUM CLARÆVALLENSEM ABBATEM.

Adjutori Domini fidelissimo Bernardo Claræval-lensis abbati, frater G. Glocestriæ dictus abbas, orationum utinam vestrarum participem me fieri.

Dignum est apud filios lucis, si quid forte noctis intervenit, ut plenius illucescente claritate non solum dispareat, sed etiam potius evanescat. Unde quod apud nos nulli fere dubium est, serenitati vestræ significamus, ne forte in his quæ novimus, veritatem in præsentia vestra obscurari permittamus. Scimus enim Willelmum quondam abbatem Tinterniæ, locum de Chingeswude, quem nondum quisquam monachorum inhabitaverat, ab ejusdem loci advocato Willelmo Berchelai, assensu præsidentium potestatum, imperatricis videlicet et Milonis de Glocestria, nullo reclamante, suscepisse, ædificasse, et de ipsa domo Tinterniæ conventum in loco ipso instaurasse, et jam statuto conventu abbatem de eadem domo sua, Thomam videlicet Tinterniæ priorem præfecisse. Deinde processu temporis prædictus abbas Willelmus Tinterniæ, adhibito sibi charissimo fratre nostro Hamone abbate Bordesleiæ, prædictum etiam Thomam domino Wigorniensi præsentavit, et ut in abbatem benediceretur obtinuit, et ipsi deinceps ut filio domini etiam de Chingeswude tanquam unicæ filiæ providit in pluribus et subvenit. Cum itaque juri suo renuntiare cuique liberum sit, videat Tinternensis Ecclesia si juri suo renuntiavit, si quod obtinebat abjecit, et a se quod susceperat alienavit. Ætatem habet, loquatur ipsa de se. Nos quod apud nos celebre est, et in ore ut dicam omnium, vobis manifestare curavimus. Incolumitatem vestram sibi in longa tempora profuturam, conservet omnipotens Dominus, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA LXIX.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, et totius Angliæ primati, T. frater G. Glocestriæ dictus abbas, delicias regibus in pane pinguissimo ministrare.

Officiosum mihi, domine, munus existimo, totum quod animæ meæ memoriam vestri repræsentat, aut suggerit. Unde præsentium hunc latorem transmisimus ad vos, ut per eum directis litteris de statu nos vestro simul et voluntate certificetis. Nostra enim hujusmodi sunt. Infestant nos quamplurimi, et non solum nostram, sed omnes circa nos Ecclesias multiplicatis angariis inquietant. Quos si percutimus in gladio, aurem Malchi, Domino manum extendente, cito sanari considerant (*Matth.* XXVI), et ab hoc imperterriti peccant. Unde vestræ nobis litteræ ad dominum Wigornensem, et ad dominum Herefordensem necessariæ sunt, ut Ecclesiæ nostræ protectioni invigilent, et quo nos abesse contigerit, eo sibi consilii manum et auxilium propensius impendant. Nos vero itineri accincti sumus, et ad jussionem vestram, Domino annuente, parati aderimus. Adversantur nobis quamplurima, sed amor offendicula prorsus ignorat. Valeat in longa tempora vestra sublimitas, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA LXX.

SIMONIS WIGORN. EPISC. ED. AD. PAROCHIANOS.

Simon Wigorniensis Dei gratia episcopus, dilectis sibi in Domino omnibus filiis et parochianis suis, salutem, benedictionem et gratiam.

Quoniam multis et magnis frequenter occupati negotiis, singulorum necessitatibus prout vellemus vacare non possumus, ideo dilecto fratri nostro G. abbati Glocestriæ, auctoritate nostra benevola charitate concessimus, ut si persona aliqua in episcopatu nostro sibi et ecclesiæ suæ ecclesiam aliquam sive beneficium aliquod ecclesiasticum personæ tamen alteri vel ecclesiæ violentiam vel injuriam nequaquam inferendo concesserit, licet absentes simus, quod pia sibi largitione conceditur suscipere non omittat, dum tamen archidiaconum nostrum, vel si ipsum abesse contigerit, decanum nostrum qui partibus illis præerit adeat, et per ejus manum investituram accipiat. Hoc quia vobis notum, et illi firmum esse volumus, vobis notificare, et illi præsenti scripto confirmare curavimus. Valete

EPISTOLA LXXI.

AD UCTREDUM LANDAV. EPISCOPUM.

Patri suo et domino U. Landavensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem.

Quoniam habitio mandato comparatur, dilectæ nobis excellentiæ vestræ præsenti scripto notificamus quod, sicut nullam Radulfo clerico nostro adversus Teochesberiam hactenus calumniam injuste movere mandavimus, ita nunc si injustitia sua pertinax invenitur, id quantum nostra interest aliquatenus ratum habemus. Nam cum præcepta juris hæc sint, honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere, sicut ea quæ nostri juris sunt nobis illæsa manere volumus, sic quæ competunt aliis nullam nostra opera læsionem aut detrimentum sustinere desideramus. Paternitatis itaque vestræ notitiam latere nolo, quod dominus abbas de Teochesberia, decimam de terra R. Foliot, mihi volens satisfacere, pro tribus solidis uno anno dimisit decimam dico quam prædictus R. reclamabat juris esse ecclesiæ de Lancarwan. Prudentiæ itaque vestræ palam volo esse, hoc modo ad illum ejusdem decimæ investituram devolutam esse. Quapropter charitatem vestram diligenter et obnixe precor, ne occasione mei, vel prædicti R. præfatum abbatem super hoc in aliquo gravetis vel gravari permittatis. Alienum contra justitiam et Patrum decreta omnino nolo, quia non debeo affectare aut possidere. Valete

EPISTOLA LXXII.

AD R. EXONIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino R. Exoniensi Dei gratia ep

scopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutis gaudium et obedientiæ famulatum.

Quanta, domine, debeatur apostolicæ majestati reverentia, quæ etiam mandatis ejus obedientia, vestra satis novit discretio, cujus non minus ad doctrinam scientia, quam ad honestatem et omnem gratiam mores exuberant. Preces itaque serenitati vestræ porrigimus ne vos Cerneliensium dissuasio possit avertere, quo vos minus domino papæ contingat obedire. Adest dies actioni causæ domini Bernardi abbatis et monachorum Cerneliensium constituta, dies scilicet Dominica post Ascensionem Domini, quo cæteri omnes Bathoniæ aderunt, quibus una vobiscum ejusdem est causæ cognitio, a domino papa delegata. Unde si vos abesse contigerit, dabitur prædictis monachis occasio subterfugiendi judicium, si aliquem abesse viderint judicum assignatorum. Quod quidem nobis non solum laboris esset continuatio, sed et iteratio, et coacervata gravaminum multiplicatio. Provideat itaque, si placet, vestra discretio, ne absentia vestra tam causæ nostræ sit detrimentum, quam fatigationibus nostris præbeat incrementum. Uno enim adventu vestro domino papæ obedietis, et nos humiles amicos vestros amplioris vobis gratiæ debitores statuetis. Valete.

EPISTOLA LXXIII.

AD EUGENIUM PAPAM.

Patri suo et domino summo pontifici frater G. dictus abbas, dies utinam bonos, et in longum beata tempora.

Sublimitati vestræ, dilecte Pater, rem notam facimus, quam Ecclesiæ necessitati profuturam, juvante Domino, vestra in hoc favente gratia confidimus. Nam cum filio vestro domino et Patre nostro charissimo domino Cantuariensi, diebus exsilii sui commorantes, utpote sedem certam aut locum proprium non habentes, sed negotiorum necessitate de loco ad locum demigrantes, Atrebatum Julio mense pervenimus. Ubi desiderio mirabili totius fere cleri et populi concordia vota reperimus in electione dilecti fratris nostri Hugonis, ipsius Atrebatensis Ecclesiæ archidiaconi. Quem, ab ineunte ætate, tota fere vita nostra cognitum primo conversationis honestæ discipulum, post nota satis auctoritate magistrum, in publicas gratulationes susceptum, ad ultimum Ecclesiæ Atrebatensis archidiaconum, illæsam bonæ opinionis famam continuasse scimus, et scripto præsenti secure testificamur, in quod multorum religiosorum testimonia concordare non ambigimus. Unde, quantum audet apud majestatem vestram charam nobis et semper honorandam parvitas nostra præsumere, rogamus ut quem in humilitate sua respexit Dominus, vos ea, qua vobis omnes anteire datum est, benignitate respiciatis, et data vobis auctoritate a Domino virtutem in ipso remuneretis, eatenus ut unius exemplo in religionis amorem cultumque virtutis quamplurimos attendatis. Inexpugnabili muro suo circumcingat vos Dominus, et armis suæ potentiæ protegat semper, in ipso dilecte Pater. Valete.

EPISTOLA LXXIV.

AD ROBERTUM HEREFORDIENSEM EPISCOPUM.

Patri suo et domino R. Herefordiensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem et obedientiam.

Salutationem domini papæ, totius etiam curiæ congratulationem, quorumdam etiam suorum soliloquia libenter vobis seorsum posita conquestione nuntiaremus, sed nos ad præsens ad querimoniam injuriarum compellit atrocitas, ut postquam multa sustinuimus, seram saltem querelam apud justitiam vestram deponamus. Sævit in nos domini Badoronis et uxoris ejus plus justo severa potentia, et cum eos nulla ex parte læserimus, confractionibus et verberibus, hominum etiam nostrorum incarcerationibus, rerumque direptionibus, quod non rapuimus multiplici servitute exsolvere compellimur. Quoniam itaque manifesta sunt hæc jamjamque ad judicium præcedentia, rogamus, si placet, ut nobis justitiam super his exhibeatis, ipsamque exhibendo a peccato ipsos, nos ab incommodo defendatis. Valete.

EPISTOLA LXXV.

AD HIENARDUM. JOANNEM ET CAPIT. S. DAVID.

Frater G. gratia Dei Glocestriæ dictus abbas, amicis suis HIENARDO sacristæ ecclesiæ Sancti David, et magistro JOANNI, et toto capitulo, salutem et dilectionem.

Speramus vestram non latere prudentiam, quod mandatum mandatoris more finitur. Unde si mandatum aliquod a domino et Patre vestro bonæ memoriæ episcopo Bernardo, super causa quæ de ecclesia Sancti Ismaelis, inter nos et monachos de Cerneleia ventilatur, constat illud, re adhuc manente integra, episcopi ejusdem decessu expirasse. Nos itaque cum vos adeundi super hoc nulla cogat necessitas, monet tamen voluntas et suadet amicitia, vestrum super eadem causa judicium, si vobis tantum injunctum est, aut ad vestrum spectat officium, non declinare. Sed quia confecto nuper fatigati sumus itinere, et negotiis domini papæ, non solum magnis imo et multis occupamur, rogamus ut ob ipsius reverentiam nos et nostra in præsenti pace esse permittatis, et præsentem actionem usque ad episcopi in Ecclesia vestra substitutionem differatis. Valete, et amicum justa postulantem audire non omittite.

EPISTOLA LXXVI.

AD ROBERTUM LINCOLNIENSEM ARCHIDIACONUM.

Roberto Lincolniensi archidiacono charissimo suo, suus G. veram et valituram in tempora prosperitatem.

Actio causæ nostræ usque ad adventum domini Eboracensis in Angliam consilio domini Claræval-lensis, et domini papæ voluntate dilata est. Omnibus itaque in integritate manentibus, sani pariter et alacres Domino per omnia bene juvante redivimus, domino Eboracensi post quadragesimum ab adventu suo diem, si sibi placuerit, in præsentia et curia domini regis responsuri. Dunelmensis, Wigornien-

sis, Bathoniensis, Exoniensis, et præcipue Wintoniensis ab omni officio episcopali suspensi sunt, gratiam fortassis in posterum per bonos nuntios habituri. Dominus Cantuariensis et alii quamplures episcopi, et nos omnes pro domino Wintoniensi supplicantes, in nullo prorsus auditi sumus, sed, quod nos minus potuimus, comes Theobaldus instantia nuntiorum episcopi sperat obtinere. Dominus papa super his quæ ad Ecclesiam vestram spectant, domino Wintoniensi in nullo penitus acquiescens, plenitudinem potestatis in consulendo Ecclesiæ vestræ domino Cantuariensi concessit, ut in omnibus, quæ ad id spectant, domino Cantuariensi, tanquam domino papæ obediatis. Litteras domini papæ super his Robertus Foliot ante discessum nostrum jam impetrans, vobis allaturus est. Agatis B itaque cum fiducia. Quod enim domino Wintoniensi super hac re magis placuerit, hoc domino papæ per omnia displicebit. Fiscamensem, Hulmensem, illum de Westmustier illum depulsat dominus papa, jam nunc multa cum indignatione, et severitate reprobavit (31). Valete.

EPISTOLA LXXVII.

AD ROBERTUM BATHONIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo ROBERTO Bathoniensi Dei gratia episcopo, frater G. Glocestriæ dictus abbas, salutem.

Præveniente nos in multis gratia vestra, juste se vobis offerunt et præsentant servitia nostra. Si quid enim sumus, aut scimus, aut possumus, hoc honori vestro esse, et scire, et posse desideramus. C Prompto igitur ac libenti animo notificamus vobis, quod commodo vestro et honori profuturum speramus. A domino papa domino Cantuariensi creditum est et commissum, ut juxta quod inter eos dispensatum est, non solum abbates, sed et episcopos terræ istius, possit ab ea qua tenentur apostolica sententia relaxare. In quo vobis a Domino provisum esse confidimus, ne maris, et montium, et exterarum regionum discrimina experiri oporteat, cui remedium opportunum in ipso domini archiepiscopi adventu, Domino sic disponente, accelerat. Dilectioni vestræ, suggerente charitate, istud notificandum duximus, ut sic et vobis juxta hoc provideatis, et id si placet, domino Exoniensi, domino et amico nostro charissimo nuntietis. Valete, et me vestros D precor inter amicos habete et reputate.

EPISTOLA LXXVIII.

AD CANONICOS ECCLESIÆ HEREFORDIENSIS.

G. gratia Dei abbas, et Herefordiensis Ecclesiæ, mandato domini papæ vicarius, dilectis fratribus suis, omnibus Herefordiensis Ecclesiæ canonicis, salutem et dilectionem.

Quoniam, dilectissimi, comitem Herefordiæ semel et iterum, tertioque commonitum, ab errore viæ suæ pessimæ revocare non possumus, hoc solum nobis restat ut ipsius audaciam ecclesiastica justitia compescamus. Unde vobis, auctoritate domini papæ et domini Cantuariensis, injungimus ut statim ex quo litteras nostras susceperitis, a divinis officiis, excepto baptismo et confessione et viatico, cessetis; et quia, lugente matre, filias gaudere non oportet, mandamus vobis ut sententiam eamdem in tota parochia vestra denuntietis, et firmiter teneri faciatis. Valete.

EPISTOLA LXXIX.

AD BRIENTIUM FILIUM COMITIS.

Domino et amico suo charissimo BRIENTO filio comitis frater G. e. b. P. Glocestriæ dictus abbas, bene currendo fructu non privari justitiæ.

Quosdam pertrahit in stuporem quod cum litteras non didiceris, librum nihilominus edidisti. Verum scias id mihi non fuisse miraculo, cum quod artis tibi negabat industria, vehementiam amoris in te ex parte dictitasse cognoverim. Amor enim non accipit ex impossibilitate solatium, vel ex difficultate remedium. Semper enim operatur magna si est, vel si operari renuit, amor non est. Hinc est quod cum litteras non didiceris, in campum tamen litterarum non mediocriter impegisti. Hæreat animo tuo divi regis Henrici honore digna memoria, cujus dies bonos et aurea quondam sæcula patriæ gens orbata deplorat, et rubigo præsentis ætatis frequenti sed tristi recordatione commemorat. Non est tibi elapsum memoria, quod te promovit a puero, quod juvenem educavit et donatum militiæ cingulo, donis et honoribus ampliavit. Verum hinc est quod te sui memorem fecit et recenti memoria vivit apud te: quoniam obiisse sibi totius Angliæ facies admodum desolata crebra miseriarum inundatione recognoscit. Ab illo enim degenerans amor tuus propagatur in stirpem regiam unicam ejus filiam et regni ipsius hæredem, cujus causam non solum armis, sed ut audivimus et jam vidimus, eloquii venustate simul et veritate sustines et defendis. Totum namque brevi complectis argumento, quod hactenus veritatis ignaros in favorem suæ partis alliciat et jamdiu veritatis conscios vel confirmet si amici sunt, vel obtudat, ut reliberet inimicos. Ipsam tamen de qua tibi sermo est in nullius commendes injuriam. Ea quæ regis Henrici fuerant, unicæ ejus filiæ, et legitimo matrimonio procreatæ asseris jure deberi. Videtur ad id quod asseris juris cujusque regula coaptari. Est enim divinum jus, et naturale est et humanum. Ex jure divino Dominum in Evangelio audivimus, dicente sibi matre sua: *Fili, quid fecisti nobis sic?* respondit ei Dominus: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* (*Luc* II.) Magnus est Dominus ad compassionem ancillæ, et magna est cœlestis hæreditas, temporali comparata et transitoriæ. Sic tamen loquitur Dominus, ac si neminem dubitare oporteat, quin ea quæ patris sunt naturali ejus filio jure debeantur. Sed qui nullam

(31) Locus obscurus.

prætermittit occasionem, si sibi oblata fuerint, quin tua dicta remordeat, non filium, sed filiam de qua agimus esse contendet, et quæ filio magis competunt non debere filiæ regalia sceptra addici. Quid contra istud lex divina respondeat, audiamus. In libro Numeri, capitulo ultimo, super hoc aliquid invenies: Salphaad homo erat Judæus, de tribu Manassæ: huic filiæ tantum erant et nullus filius. Visum est quibusdam ob sexus imbecillitatem, non debere eas in bona patris admitti. De hoc requisitus Dominus legem promulgavit, ut filiabus Salphaad totum cederet integrum quod fuerat ab earum patre possessum (*Num.* XXXVI). Eant qui volunt; ponant in cœlum os suum, astris si placet machinentur insidias. Nobis fixum erit quod æterna lege sancitum est. Si vero jus naturale percurras, causæ huic non mediocre firmamentum et robur invenies. Jus enim naturale est quod natura non tantum nosse omnia animalia docuit, secundum quod singula juxta genus suum amorem sibi quemdam conciliant, fetus propagant, propagatos diligunt et conservant. Si te ex tenore hujus juris interroges, quid rebus hujusmodi sit natura propinquius, recte respondeas, id esse quibusque natura propinquius, ad quod ea naturalis plus trahit affectus. Sed volo dicas manifestius: Singulorum ad id magis affectus trahitur, quod ex iisdem quodam velut carnis et sanguinis participatio procreatur. Attende igitur ut vel homines a natura seacernas, vel idem in his esse debere naturali jure concedas. A patre et matre prima est in filium filiamve progressio. Nepotem statue vel quemlibet alterum in sanguinis linea gradum. Jam languet amor et tepescit affectus, et sanguis ipse cursu quodammodo longiore defervuit. Est ergo in filium et filiam æque ferventior amor, affectus promptior et natura convinctior. Sed dices hæc omnia quæ de naturali jure diximus, ad interioris habitus qualitatem, non ad possessionis spectare successionem. Non ita est. Quem enim reputas natura proximum, restat ut ab eo quod possidetur minus æstimes alienum. Vide quid te natura perdoceat. Tractus maris et sinus littorum pisces inhabitant, in quibus eos naturalis partus effudit. In quibus educatæ sunt, saltus feræ non desinunt. Silvas aviculæ, in quibus concreatæ sunt, suis implent organulis, et natura in singulis, non solum intime trajicit qualitatis affectum, sed ipsi successivæ suæ soboli exteriora quæ possidet, quo potest jure largitur. Vide naturam ne expellas a te, prudenter ejus acquiesce judicio. Regis Henrici condignam sobolem, unicam ejus filiam, legibus editam et eductam, regis ipsius hæredem inconcussa ratione pronuntia. Hoc divinum, hoc ejus naturale suadet; hoc juris humani sanctio protestatur. Nam jus humanum partim civile, partim jus gentium appellatur. Civile est quod observandum sibi civitas unaquæque constituit. Jus gentium est quod non civitas una sed unaquæque gens sibi censuit observandum. Sed et civili et jure gentium caute decre-A tum est, ne licat cuiquam patrifamillias filium filiamve legitimo procreatam matrimonio, nisi certis intercurrentibus causis abdicare. Causæ vero hujusmodi sunt; ut si quis patri manum injecerit, vel ejus mortem indiciis manifestis optaverit, vel beneficiis ingratus exstiterit et quæ hujusmodi sunt, quibus intervenientibus culpis, lex etiam liberos abdicare permittit. Sed nihil horum in præsenti causa reperies. Illa enim, cujus causam tam sollicita cura perstringis, quando patri rebellis exstitit? Quando ingrata beneficiis? Audivimus eam ad patris consilium tentasse maria, transcendere Alpes, ignotas adiisse regiones, nupsisse ibidem ad patris imperium, et in ipso rerum fastigio et imperii culmine, honeste sancteque tam diu perstitisse, donec B post viri decessum, non necessitate urgente, vel impetu femineæ voluntatis leviter impellente, sed patre, qui miserat, revocante, ad ipsum reversa est. Et licet in ipso culmine rerum, ut dictum est, perstitisset, ut regina Romani orbis et diceretur et esset, nequaquam supercilio elata est, sed ad omnem patris nutum ipsius subdita voluntati, ejus item consilio secundis potita nuptiis, viro nubens forti, sicut audivimus, et strenuo, Andegavensium, Cenomannensium, Turonensium domino, Normannorum etiam tunc triumphatori, ut audivimus, serenissimo. In his omnibus, quæ dicta sunt, non invenies cur exhæredari vel abdicari a patre debuerit. Ne quidem abdicata, sed pio prudentique consilio potius est in totius Angliæ et Normanniæ domina-C tionem, episcoporum omnium et totius regni hujus nobilium juramento firmata. Eorum namque qui statuto consilio patris, ut dicitur, consueverant appellari nominibus, nemo plane relictus est, qui non ei consilium de obtinendo et tuendo post regis obitum regno Angliæ et ducatu Normanniæ sub juramenti religione promitteret. O tempora digna taceri! Reminisci pudet communis opprobrii nomen quod opprobrio duxerim fidquemque jurasse quod oportuit, sed ab eo quod sancte juratum est, cito leviterque recessisse. Quis infatuavit Angliam? Miserum dico caput, quisquis ille est, in quem tot redundant perjuria, homicidia, incendia, flagitia, desolationes et scandala. Quando sibi securus erit qui contaminavit regnum, polluit sacerdotium, et D non solum præsenti ætati sed futuræ posteritati grave inflixit opprobrium? Vere hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. Quis jam Angliæ clades enumeret? Vetus habet historia, quod Alexandro mortuo pueri ejus imposuerunt sibi diademata et regnare cœperunt, unusquisque in loco suo, et multiplicata sunt mala in terris. Sic sic multiplicata sunt et hodie. In aures amici deploro quod sentio. Tot reges patimur quot nuptiis angustamur. In luto servimus et latere, et solam libertatis umbram habemus, jam nihil agendo libere sed servis, qui increverunt hodie, tanquam voluntarie obsequendo. Nam.

. . . . . levius fit patientia
Quidquid corrigere

non est fas. Et quid erit finis miseriæ? Dicam quod sentio. Dum stabit abominatio, deesse non poterit desolatio. In Deum graviter offensum est et contra insensatos pro ipso pugnat orbis terrarum. Revocetur ad justitiam status ; bona principia laudabilis exitus prosequetur. Inter cætera quæ dixisti, laudabiliter et hoc positum est. Non ex toto in perniciem vadit, qui de medio malæ viæ revertitur. Reversus quidem es, nec reversus solum, sed conversus. Audiisti peccasse multitudinem, et ad horam impetum multitudinis es secutus. Ore magis peccasti quam corde. Et quidquid ore promitteres fidem corde servabas. Filii Israel quandoque *commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum et servierunt sculptilibus eorum* (*Psal.* cx). Tu quoque in pronum currente multitudine, non ad primos impetus restitisti. Nec contra torrentem brachia inutiliter vaneque jactasti. Nactus opportunitatem quod corde fovebas apud te, illud opere demonstrasti: sed qui te æmulo livore persequitur, geminati perjurii calumniam fortassis opponet. Semel pejerasse malum est, iterasse perjurium multo pejus. Magis igitur bis quam semel perjuros a justitia recessisse, quid si cum rege stetisses, semel quidem pejerasses, perjurium tamen non iterrasses, ideoque melius fecisses. Ne te siliqua vana perterreat, fidelitatem uni, fidelitatem promisisti et alteri ; primo cui debebas, postmodum cui non debebas. Primo non pejerasses, nisi secundo aberasses. Ab hoc errore declinasti, et sic omnia sanasti : hos evasisti laqueos, sed alios fortassis incurres. Tibi regis objectatur electio, ut te jure repellat Ecclesia, cujus instituta despicis et sacramenta contemnis. Sed nunquid ad justitiam te sacramenta perducent? Sacra suos operentur effectus. Sanctificent nos potius quam a proposito sanctitatis avertant. Non potius mundatos peccato justificent quam crimine irretitos, manibus ligatis et pedibus, in inferna demergant. Male de sacramento præsumitur, si per ipsum non laxatur culpa, sed reatus augetur. Nostro quidem judicio nihil in his est quo te juste premat Ecclesia, si causam tamen hanc judex equilibris examinet. Nisi si forte rubore suffunditur, quod ei viam qua ire oporteat, quasi prævius ostendisti. Volo tamen attendas quid in parte hac audierim vehementius jaculatum. Non diu est quod audistis dominum papam Innocentium convocasse Ecclesiam et Romæ conventum celebrem habuisse. Magno illi conventui cum domino et patre nostro domino abbate Cluniacensi, interfui et ego Cluniacensium minimus. Ibi causa hæc in medium deducta est, et aliquandiu ventilata. Stabat ab imperatrice dominus Andegavensis episcopus, qui cum causam ejus diligenti percurrisset oratione, contra ipsum quasi sub voce præconia in communi audientia declamatum est. Et quia dominus Andegavensis duo inducebat præcipue, jus scilicet hæreditarium et factum imperatrici juramentum, contra hæc duo in hæc verba responsum est. Oportet in causis omnibus, quæ multiplici jure nituntur, hoc considerare

A præcipue, quid sit jus principale in causa, quo causa ipsa principaliter innititur, quod vero secundarium sit et ab ipso principali dependens. Sublato enim jure principali, necessario tollitur et secundarium. In hac igitur causa principale est, quod dominus Andegavensis de hæreditate inducit et ab hoc totum illud dependet, quod de juramento subjungitur. Imperatrici namque sicut hæredi juramentum factum fuisse pronuntiat. Totum igitur quod de juramento inducitur, exinaniri necesse est, si de ipso hæreditario jure non constiterit. Ipsum vero sic infringitur. Imperatricem, de qua loquitur, non de legitimo matrimonio ortam denuntiamus. Deviavit a legitimo tramite Henricus rex, et quam non licebat, sibi junxit matrimonio, unde istius sunt natalitia
B propagata : quare illam patri in hæredem non debere succedere, et sacra denuntiant. Hoc in communi audientia multorum vociferatione declamatum est, et nihil omnino ab altera parte responsum. Rogo, mihi in parte ista respondeas. Interim dicam ipse quod sentio. Majores natu, personas religiosas et sanctas, sæpius de re ista conveni. Audio illius matrimonii copulam sancto Anselmo archiepiscopo ministrante celebratam. Ipsum enim non aliter quam sanctum audeam appellare. Nam cum frater quidam dubitaret utrum sanctus appellari debuisset, ei divinitus hæc facta est revelatio. Dum oraret et ab oratione in mentis raperetur excessum, liber ei in manibus datus est cujus dum primas revolveret paginas, nihil scriptum nisi sanctus Anselmus invenit. Et cum
C cætera quæque percurreret, nihil reperit nisi sanctus Anselmus. Unde certum est non placere divinitati ipsum aliter appellari quam sanctum. Certum est perfectam huic non defuisse charitatem quæ foras mittit timorem (*I. Joan.* iv). Mirabile namque ipso testimonium a sanctis audivimus. Manus autem sibi præcidi permisisset, quam eas ad opus illicitum extendisset. Longe sit igitur ab intellectu bonorum, abradatur a cordibus omnium, ut a sapientissimo rege et summæ sanctitatis episcopo, quidquam nisi legitime et sancte fuisse credatur admissum. Nec Romanas unquam aures pulset amplius tale ludibrium, quod omnium bonorum attestatione constat esse mendosum. Verum de ipsa matre imperatricis sanctorum quorumdam relatu cognovimus, ipsam a cunabilis, ipsis in dignitatem regiam, ostenso divi-
D niter oraculo præsignatam. Nam dum ipsam regina Mathildis, regis Willielmi sponsa, de sacro fonte levaret, puella ipsa injecta manu velamentum quod capiti reginæ supererat, apprehendit suumque caput involvit. Quod quidam quorum nunc etiam vita superstes est, altius attendentes, signum quod præostensum est exponentes, dignitatem regiam, in quam postmodum sublimata est, manifeste sunt prælocuti. In longum se extendit, epistola, eo quod materiam magnam attigimus, etsi non plene explicuimu[s]. Et tu per verba quæ per militem tuum mandas[ti] mihi, excitasti me, et cum currere cœpissem, augebat mihi stimulos ipsa tui memoria, ut ab opuscul[o]

quod mihi tui præsentabat memoriam vix avelli potuerim, sed me fere in tædium lectoris extenderim. Unde in fine teneas, ut memor sis finis, et in Ecclesiam Dei et pauperes ejus charitatem benevolæ mentis exerceas. Memor esto matris tuæ quæ diripitur, et conculcatur ab omnibus, et quos in diebus angustiæ suæ deberet filios experiri charissimos, hostes reperit infestissimos. Nec adversus eam tuus inde zelus accendatur, si in causa præsenti non ea qua oportuit libertate vocis usa est, cum eam præsidentis auctoritas non solum impedierit, sed quasi ligatam vinculis in hoc ipso velut immobilem fecerit. Sed jam nunc, Deo propitio, et favente parti huic domino papa Cœlestino, vincula solventur, quæ muta fuere loquentur. Vale. Et biduo saltem ores pro me, quia biduo mihi est intermissa oratio ut litteras dictarem ad te.

EPISTOLA LXXX.

AD NIGELLUM ELIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo N. Eliensi Dei gratia episcopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, « sic currere ut comprehendant (*I Cor.* IX), »

Virtus et scientia quanto rarior, eo pretiosior est; quanto quoque scientiæ et virtuti paucos admodum operam dare cernimus, eo studiosos earumdem ampliori reverentia dignos æstimare debemus. Inde est quod magistrum Robertum de Clare, cujus et honestas vitæ et scientiæ claritas jamdiu nobis innotuit, benevolentiæ vestræ commendamus attentius; si quid possumus apud vos rogantes, ut ecclesiam, quam sub tuitione vestra possidet sibi illæsam imperturbatamque patrocinio conservetis. Nam, si placet, elidetis e facili totum quod objiciunt qui de possessione eadem jamdiu cum illo transegerunt. Nam sicut rei judicatæ, sic et transactioni standum esse certissimum est. Apud judicem non præsumo docentis officium, verum ex primo postulantis affectum; pro amico postulo, sed si apud amicum, fatear si obtinere meruero.

EPISTOLA LXXXI.

AD RADULFUM DECANUM HEREFORDIÆ.

Pater Venerabilis Gilbertus Hereford. episcopus epistolam hanc domino Radulpho decano Hereford. transmisit.

A te longe positi tuas non de longe contumelias experimur, ipso doloris transverberati gladio quo te scimus vulneratum. Directa est manus persequentis in te sed unum omnibus infigit vulnus quibus te non fictæ diligentia charitatis astrinxerat. Exul et profugus ab ecclesia tua et civitate expelleris : et tanquam sacra læseris omnia, gladios in te male juratus miles exacuit, nil tamen habens quod objiciat, nisi quod ejus audaciæ in sanctitate et justitia restitisti. Restitisti quidem, et gaudemus : expulsus es, et dolemus. Dolemus, inquam, magis irruentium in te ignominiam, quam tuæ laudis honorem et gloriam. Scimus enim quod venali illi turbæ et in omnem in quam condicitur impietatem promptissimæ de cœlis ira revelatur, sed humilitati tuæ et patientiæ gloria in perpetuum reservatur. Gaude, dilecte mi, gaude et attende. Attende, inquam, quam pio voto te bonorum omnium turba prosequitur, dum portas in corpore tuo stigmata Christi Jesu, dum crucem ejus bajulas, dum pro justitia et Ecclesiæ libertate in agone decertas. Non delicatus miles in Domini bella venisti. Pedes nudi, vestis lanea, vexillum crucis in manibus summi Regis exprimunt armaturam. Quod cantavimus hactenus, jam videmus in te illud summi confessoris elogium : Ego signo crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Hæc est framea Christi, et baculus peregrinationis ejus, quo contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit (*Psal.* CVI). Tu quoque sapienti consilio, cornu crucis inimicos tuos ventilasti, et insurgentes in te magnanimi nobilitate contempsisti (*Psal.* XLIII). Quæ de te audio lætam resonant cuncta victoriam; insidiantium laqueos, etsi nudus, expeditus tamen et alacer evasisti. Expulsus quidem es ab ecclesia tua, sed quam gratulabunda occurrit tibi Ecclesia sancta mater tua. Hæc ab ora vestimenti sui cui decenter inhærebas, te sustollit, tibi sinum aperit, te intus colligit, tenet, demulcet et nutrit (*Ephes.* V). A sponsæ tuæ amplexibus ad tempus avelleris, sed matris gremio confoveris. Insultant tamen pessimi, quod et domum et urbem egressus es. Es quidem egressus : sed cogita antiquos dies. Nunquid David a facie filii fugiens insultantem sibi et dicentem : *Egredere vir sanguinum, egredere* (*II Reg.* XVI), cum modestia non sustinuit? Vos etsi persona dispares, æstimo tamen pares in causa. Domesticis utamur exemplis Nosti quia Dominus a facie Pilati egressus est in ludibrium sui, coronatus spinis, et indutus purpura (*Matth.* XXVII). Novissime etiam quasi repurgium quo pollui posset civitas, ipse *extra portam passus est* (*Hebr.* XIII); ultinam passus injuriam, ne mundus ulterius injuriam pateretur. Hac nos armari cogitatione oportet, ut ipsum extra castra sequentes improperium ipsius semper in capite nostro portemus (*ibid.*). Felix tua egressio, qua sanctorum collegio denominaris. Sed improperant quod fugisti. Nec fugisti quidem, sed te ad dimicandum acrius pro justitia reservasti. Paulus tamen Damasci in sporta demissus effugit, nec istud scribens rubore suffunditur, sed hoc ipso gloriatur (*II Cor.* XI). Nisi enim fugisset, frementem mundi bestiam non confudisset, nec in ipso fastigio imperii vexillum Domini statuisset. Docet nos magister bonus : Si persecuti vos fuerint in civitate una, fugite in alteram (*Matth.* X). Fuge ergo, dilecte mi, hoc usus imperio, fuge de Ur Chaldæorum in Jerusalem (*Gen.* XV), ut habeat in quo pugnet Ecclesia, habeat quem reservet sibi in tempus hostis et belli. Stabis adhuc pro matre filius, in eam fortassis acrius insurgente Leviathan. Jam nos odore bono respersisti, et tuæ virtute constantiæ bene fragrat Ecclesia, qui dedignatus es humiliari

principi, et genu curvare ante Baal. Datur optio confessori, ut abjuret quod sancte fecerat, vel cedat his quæ possidebat. Vilescit animo tuo temporale stipendium, et subito factus inops, quanta animi serenitate decantas: *Ego vero egenus et pauper sum: Dominus adjuvit me* (*Psal.* LXIX) Davidicos hymnos decantamus et nos, sed quæ canimus tu legis in te, et laudabilia sanctorum quæ extollimus sacrum et elucubratum plenius tuæ tibi volumen conscientiæ repræsentat. Percurre psalmos; resonent ab ore tuo illa Spiritus sancti plena suavitatis instrumenta; quod pietatis, quod justitiæ, quod fortitudinis, in his laudabile decantatur, totum habes in te. Vere beatus philosophus, qui tua ibi bona collocasti, unde ea nec manus avidi raptoris eripiat. Jandudum in scholis positi, de paupertate spiritus diversi adversis audivimus. Jam nunc ipsa tibi de propinquo respondeat utpote quæ tecum tuæ domus limen egressa est, te in itinere comitata de regni cœlorum promissione uberius consulatur. Nam quantulum est quod obtractant? apostolicum illud opponunt; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; et *qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit* (*Rom.* XIII). Verum quidem hoc est. Sed habet sæcularis potestas legem qua teneatur, habet statutos terminos intra quos ipsi obediatur. Scilicet si legem servaverit, si mandata custodierit, si in Deum nulla animi temeritate præsumpserit. Quod si in summi Regis injuriam impudenter excesserit, non potest ejus uti privilegio, cujus jura contemnit. Jam quod reliquum est circa prudentiæ discretionisque partes insudant. Aiunt discreti viri esse, in culpis levibus non toto zelo accendi. Verum si profonde peccetur? totus fervor inardescat. Ideo levem principis offensam de muri quadam parte diruta fuisse mitius vindicandam. Ista pulchre componuntur. Sed juxta sapientiam, qui minima contemnit paulatim atteritur. Omitto prosequi quanta sit indurati cordis audacia, loca sancta non solum vilipendere, sed vastare. Festino ad hæc quæ te virtutis amatorem non solum non accusent, sed potenter excusent. Magnum æstimo virtutis indicium nascentia vitiorum germina suffocare. Serpens ubi caput immiserit, facile totus illabitur. Hæc tu considerans ad primos impetus restitisti. Quid ni? Nisi restitisses, jam forsitan ad templi fastigium rabies inchoata ascendisset. Sed ascendisti ex adverso, et objecisti te murum pro muro domus Israel. Licet ex minimis magna conjicere. Quid si tibi pro fide pro sacramentis Ecclesiæ decertare contingeret, ad crucem Petro, Paulo comes ad gladium constanter assistens? Eat satelles, stricto pugione tibi funestus occurrat. Si sacrum atrectaverit corpus, cœlo victor exciperis. Si pepercerit tibi, nil minus est gloriæ. Jugi ergo inter nos bonorum laude donaberis. Tu enim tempora nostra virtutum meritis exornasti: tu nos in melius exemplo tui reformasti, tu virile robur, et constantiam martyrum in tempora tepida revocasti. Percusssr enim tibi defuit; non tu virtuti. Vives ergo clarus gloria, quam meruisti. Vives, inquam, sed felix qui pro justitia mori decrevisti.

EPISTOLA LXXXII.

AD HENRICUM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino H. Eboracensi, Dei gratia archiepiscopo, frater G. Herefordiæ dictus episcopus, sincere diligentis affectum, et gratanter obsequentis officium.

Charitas quandoque præsumptuosa est, et quod alteri facile rogata concederet, hoc apud dominum et amicum impetrare non desperat. De ipsa itaque, quæ intra cordis vestri dominatur, charitate plurimum confidentes, preces sublimitati vestræ porrigimus, ut communi amico et canonico vestro Gilberto, Ecclesiæ vestræ præcentori, vos benignum et misericordem exhibeatis, et si quid adversum vos ab aliquo suorum, ipso ignorante et nolente, commissum est, in clericum vestrum et in quantum potest, amicum, commissi culpam non refundatis. Ipse enim et vos et diligentes vos diligit, et si quis suorum adversatur vobis, aut extollitur contra vos, hunc, quicunque ipse est, et abdicare et eliminare paratus est. Si itaque sibi non sua, sed alterius culpa ablata restitueretis, justitiæ non excideretis fines et tam comes Herefordiæ, quam nos, qui pro illo pariter excellentiæ vestræ supplicamus, vobis amplioribus gratiæ debitores efficeretis. More nihilominus ipsius ambo rogamus veniam, ut in hoc aculeos severitatis vestræ non sentiat, in qua voluntatis suæ non difficultas solum, verum impossibilitas ipsa præjudicat. Adjuvante Domino, et itineris sibi securitatem providente, in proximo veniet ad vos, per omnia vobis tanquam Patri et domino libentissime pariturus. Valete, et ab amicorum vestrorum petitione faciem nolite avertere, et ne sæpe pro amico rogare oporteat, diem adventui ejus Natale Domini constituite.

EPISTOLA LXXXIII.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo et totius Angliæ primati, T. suus G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, in tribulatione non deficere.

Exspectans exspectavi jamdiu dominum meum, sperans a vestra sublimitate nuntium aliquem delegari, qui mihi prospera vel adversa nuntiando, vel de adversis tristem redderet, vel de lætis exhilararet. Nam si ea charitatis est plenitudo, ut cum fratre quolibet infirmante infirmari, vel cum quis scandalizatur uri oporteat, cum Patrem nostrum et dominum, imo nostrum in Christo caput concuti, fatigari, turbari cernimus, quid jam restat nisi non tantum infirmari aut uri, verum intus intimi flamma zeli medullitus concremari? Si itaque nondum surrexit Dominus ut ventis imperet et mari, si procella vestra nondum in auram statuta est, summo ut mihi videtur opere necessarium est, ut sacrum pectus vestrum omnis armatura fortium muniat, et hostis quanto insurgit acrior, eo vos acriorem et

sancti Spiritus ferventiorem igneus inveniat. Non enim novum est aut insolitum Ægyptios Israel, Chaldæos Jerusalem infestare. Ait Christus in Apostolo : *Omnes qui volunt pie in Christo vivere, persecutionem patientur* (*II Tim.* III). Sed per eumdem ipse loquitur : *Quod leve est aut momentaneum tribulationis nostræ supra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis* (*II Cor.* IV). Persecutionem patienti propter justitiam, non leve aliquid, sed regnum cælorum repromittitur. Amicitur Elias pallio, dum persequentium declinat rabiem, et stans in spelunca hostis, gloriam Domini speculatur (*III Reg.* XIX). Vobis quoque corona gloriæ repromittitur, quam reddet vobis in illa die justus judex (*II Tim.* IV). Impatiens mei factus sum, desiderans videre vos et alloqui, vel aliquid audire a vobis, quo de his quæ circa vos sunt certior efficerer. Parati sunt principes nostri, præsto sunt et Ecclesiæ nostræ vos, si sic opus est, non solum suscipere, sed et in amplexus vobis gratanter occurrere, et de suis quidquid potuerint, ministrare. Nollem tamen hoc, sed si necesse est, benevolos et ad omnia paratos habebitis Obsecro, dilecte Pater, mihi litteras vestras non negari, et in aliquo voluntatem vestram et statum, et consilium aperiri. Valere vos optamus in Domino, et ipsi per omnia complacere.

EPISTOLA LXXXIV.

AD EUGENIUM PAPAM.

Patri suo et domino, summo Dei gratia pontifici, EUGENIO, G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, obedientiam humilem et debitam patri charitatem.

Cum parvitati nostræ, dilecte Pater, Ecclesia Dei aliqua sui portione, Domino sic operante, commissa sit, ejusdem providere et invigilare commodis ipsa nobis a Domino concredita dispensatio compellit. Quoniam vero quæ statuuntur a nobis, nisi apostolica auctoritate fulciantur, minus firma sunt, sublimitati vestræ preces humili devotione porrigimus, ut quod ad honorem Dei et cultum ejus ampliandum de ecclesia Sancti Guthlaci de Herefordia a nobis actum est, hoc auctoritas vestra corroboret, suoque confirmet privilegio. Ecclesiam enim illam e manu laica multo tandem labore eruimus, et quia in eadem minus officiose Domino serviebatur, ipsam dilecto filio nostro Hamelino, abbati Glocestriæ, et ecclesiæ Sancti Petri, cui idem præesse dignoscitur, assensu clericorum ejusdem ecclesiæ capitulo etiam nostro id consentiente et volente, concessimus, et tam ipsam, quam ecclesiam sancti Petri de Herefordia, diu ante a prædictis monachis habitam, in corpus unum adunare curavimus, et conventum monachorum ibidem devote ministrantium Domino, jamjam instauravimus. Quod quia Domino credimus placere, audemus serenitati vestræ supplicare, ut quod a nobis intentione recta actum est, soloque pietatis intuitu, hoc serenitas vestra stabiliat, et ecclesiæ Sancti Petri de Glocestria in perpetuum confirmet. Glorificetur Deus in vobis, A vestrique corona meriti semper augeatur in Domino, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA LXXXV.

AD JOANNEM DE DINAN.

Gilbertus, Dei gratia Herefordiensis episcopus, amico suo J. de Dinan, salutem et dilectionem.

Audi, charissime, quæ tibi mando, et monitis meis si ex Deo sunt, acquiescere non despicias. Habes a multis testimonium bonum, quod Deum et Ecclesiam ejus hactenus in magna reverentia habuisti, et clericos et alios quosque religiosi ordinis viros diligentius honorasti. Pauperes etiam. qui tuo famulatui obnoxii sunt, non oppressisti, sed magis affectu paterno fovisti, et illæsos servasti. Hanc tuam justitiam et animi bonitatem respexit B Deus, et nunc aliquantulum misertus tui, in futuro amplius miserabitur. Audio a multis, aliquos conspirasse adversus te, et te nesciente et absente, in detrimentum tui pessima quædam præparasse. Eorum autem consilium, ut dicitur, dissipavit Dominus et denudavit, et te, qui illum illæsum in membris suis servasti, ipse quoque illæsum servavit. Hoc, charissime, tibi non attribuas, sed magis illi gratiarum referas actionem. Si itaque ad Ecclesiam ejus et bona ecclesiastica in Stantune, manum male extendisti, auctoritate ipsius, et ab ipso nobis injuncto officio, te moneo ut ante synodum cuncta Ecclesiæ ipsi in nullo immunita restituas, ne ab ea quam prædixi, gratia gravi separatione cadas, Scias enim pro certo, et hoc ultimum firmiter te- C neas, quod res ecclesiasticæ cujuscunque fidejussione, nisi præsente et favente episcopo, alicui mortalium obligari non possunt. Plegium quod in ecclesiasticis de R. furtis me nesciente cepisti, tibi non tenetur, sed omni auctoritate liberum esse decernitur. Obedientem te nostris monitis conservet omnipotens Deus.

EPISTOLA LXXXVI.

AD RO. DE BURNAHAM.

Gilbertus Dei gratia episcopus Herefordiensis, amico suo Ro. de Burnaham, salutem et dilectionem.

Quanto erga vos charitate ampliori affecti sumus, tanto nobis et famæ vestræ consultius quantum spectat ad nos providere, ipsa quam prædiximus D charitate suggerente, commonemur. Verbis oris vestri multorumque relatu didicimus, vos a transactione inter nos habita super ecclesia de Wiredesberia resilire velle, et ecclesiam de Glocestria super sibi promisso celebriter a vobis annuo censu velle defraudare. Qua in re moneo ut rerum exitus attendatis, ne forte si aliter actum fuerit, malefactum pœnitentia consequatur. Causa enim hæc, etsi principaliter non spectat ad nos, spectat tamen secundario. Primum in causis locum actor obtinet, secundarium testis. Si ergo testis in causa hac productus fuero, ecclesiæ, cui tota plenitudine charitatis astrictus sum, in testimonio veritatis deesse non potero. Astiterunt et nobis in transactione

eadem viri religiosi quamplurimi, qu si quid ne- A gare cœperitis, in lucem acta poducent. Retractetis itaque, si placet, consilium vestrum, et quod, fide interveniente, sub multorum præsentia pepigistis, fideliter observetis, ne si forte aberrare cœperitis, multorum convictus testimonio, non solum ecclesiastici beneficii, sed ordinis vestri periculum incurratis. Attendens illud Sapientis: Melior est amici increpatio, quam oscula blandientis inimici (*Prov.* XXVII), amico dura proposui, quem ab eo quod sibi inutile et inhonestum revocare curavi. Valete, et in omni emolumento temporali honestatem præponite.

EPISTOLA LXXXVII.

AD EUGENIUM PAPAM.

Patri suo et domino summo pontifici EUGENIO B G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, pedibus sanctis conculcato Satan, triumphare semper in Domino.

Sicut domino meo placuit, ita factum est, et ad jussionem vestram mihi manus est consecrationis imposita, et Herefordiensis Ecclesiæ cura commissa. Inde est, quod attentius spectant oculi nostri ad vos, a vestra sublimitate sperantes, et exspectantes auxilium, unde habuimus honoris et ordinis incrementum. Clamat et conqueritur Ecclesia nostra prædecessorem nostrum bonæ memoriæ dominum Robertum episcopum quatuor præbendas suas ad ecclesiam Lantoniæ transtulisse, et præ nimietate amoris quo erga Lantoniam, ut ipsos ampliaret tenebatur, proprios clericos eisdem quatuor præben- C dis spoliasse. Unde serenitati vestræ supplicamus humiliter, si majestatem vestram prædicti Lantonienses adierint, ne vestra auctoritate eis firmetur quod clerici nostri sibi fuisse injuste ablata conqueruntur. Duo etiam castella Ecclesiæ nostræ idem prædecessor noster nobilissimis viris comiti de Mellent et Hugoni de Mortemer, magno Ecclesiæ ipsius incommodo et detrimento concessit. Quæ quia male districta sunt, et quantum ad nos, quasi ad desperationem alienata sunt, vestra petimus auctoritate revocentur. Quod vero ad Lincolniensem Ecclesiam spectat, utpote quod audivimus et vidimus, secure loquimur et testificamur. Ejusdem enim Ecclesiæ clerus et populus religiosarum episcopatus personarum unamini consensu, nullo prorsus contradi- D cente, dominum Robertum ejusdem Ecclesiæ archidiaconum sibi in episcopum elegerunt, et electionem domino Cantuariensi præsentantes, propter multas et necessarias causas obtinuerunt. Quod vestro petimus cumulari examine, quatenus ei manum gratiæ porrigendo, ipsum in quo positus est stabilitatis, et de cætero fidelem filium, et ad omnem Patris sui voluntatem promptissimum habeatis. Illæsa nobis et inoffensa majestas vestra servetur in sæcula, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA LXXXVIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici EUGENIO, G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, devotum et debitum totius obedientiæ famulatum.

Quia charitati, dilecte Pater, plurimum expedit obedire, ideo petitioni Lincolniensis Ecclesiæ negare non possumus, quin ea quæ de negotio ejus ipsi præsentes vidimus et audivimus, sublimitati vestræ notificemus. Cum ei Londoniæ cum Patre nostro domino Cantuariensi et fratribus et coepiscopis nostris quam plurimis essemus, vidimus decanum et cantorem et archidiaconum, omnes etiam ipsius Lincolniensis Ecclesiæ canonicos, cum religiosarum personarum ejusdem episcopatus non modica multitudine, omnes in hoc instantissime perseverare, ut liceret eis consilio domini Cantuariensis, Robertum archidiaconum Leicestriæ, in Patrem et episcopum sibi eligere. Cumque dominus Cantuariensis in ipsum omnium concurrere vota conspiceret, nolens prædictam Ecclesiam turbari amplius, aut magis atteri, petitioni eorum episcoporum consilio, assensum præbuit, et prædictum archidiaconum ingenti postulantium gratia et favore, episcopum consecravit. Cujus et doctrinæ et vitæ et intus et foris, testimonium bonum est, et in officio quo ministravit hactenus conspicua gratia. Unde vestram, reverende Pater, precamur benignitatem, ut quod ei, sola suffragante justitia, debetur, id nostræ parvitatis precibus facilius et benignius assequatur. Valeat sanctitas vestra, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA LXXXIX.

AD UNIVERSOS S. MATRIS ECCLESIÆ FILIOS.

Dilectis sibi in Christo fratribus, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, frater G. Herefordiensi Ecclesiæ dictus episcopus, salutem et dilectionem in Domino.

Charitati vestræ præsenti scripto notificamus nos certo religiosarum personarum cognovisse testimonio, præsentium latorem Benedictum, coram justitia prædecessoris nostri, bonæ memoriæ R[obertum] episcopi, septima sacerdotum manu jurasse fratrem suum, de cujus morte suspectus fuera machinatione sua aut consensu, aut voluntate nunquam mortem incurrisse. Qui, ut plene innocentiam suam super hoc facto ostenderet, in præsentia nostra multis nobiscum assidentibus, in hunc etiam modum juravit: « Parentes mei, qui de morte fratris mei suspecti hactenus sunt habiti, mortem ipsi non intulerunt. Nemo etiam mei causa mortem ipsi machinatus est, sic me Deus adjuvet, et hæc sancta. » Quod juramentum duodecim illico sacerdotes in hunc modum confirmaverunt. Benedictum hunc super hac re verum jurasse, nobis certum est, sic nos Deus adjuvet et hæc sancta. Quod quia in præsentia nostra sic actum est, ne solita deinceps innotescentia ipsius prematur infamia, quod vidimus, hoc testamur, et rem gestam præsenti vobis scripto et sigilli nostri impressione declaramus. Valete.

EPISTOLA XC.

AD ROBERTUM LINCOLNIENSEM EPISCOPUM.

Domino suo fratrique charissimo R. Lincolniensi Dei gratia episcopo, G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, hæc gustare et sapere quæ paravit in dulcedine sua pauperi Deus.

Si bene valetis, sic est ut volumus, et nostrum inde gaudium ad perfectum adducitur, et ad omnem lætitiam cumulatur. Digestam corrigi et glossari præcipitis, et ecce Ambrosius vester labrare non desinit in tritura. Cætera quæ mandastis, dante Domino, non differentur. Causæ nostræ cum potestatibus nostris, fata adhuc ambigua sunt, et quæ sunt in pendulo, quam cito stabiliri cœperint, illico currente chartula cognoscetis. Usque ad diem Palmarum nobis a domino Henrico concessæ sunt, sed eas prorogari ulterius misso nuntio nondumque reverso postulamus. Experiemur in his finem quem concesserit Dominus, de ipso sperantes bona nobis tribui, qui reprobat cogitationes populorum, et dissipat consilia principum. Optamus vos in Domino valere, et in ipso de die in diem renovari et proficere, in Domino charissime.

EPISTOLA XCI.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino T. Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, post iram misericordiæ reminisci.

Si adversus dominum Landaviensem aliquantulum mota est tranquillitas vestra, tanto sublimitati vestræ humilius supplicandum est, quanto adversus prædictum episcopum justiore causa motam esse cognoscimus. Sufficiebat enim ad sublevandam causam suam contra adversarium suum appellatio, et si vobis per omnia debitam observasset reverentiam. Quod si minus factum est, improbitati procul dubio Landaviensium clericorum, non ipsius episcopi malitiæ aut ingratitudini imputandum est. Opus enim manuum vestrarum ipse est, et plantatio vestra, quem si de justa forte causa conteritis, opus quidem manuum vestrarum conteretis et quem plantavit dextera vestra, evelletis. Absit hoc a vestra gloria, nec tale sortiatur laus vestra dispendium, ut quem semel inter amicos ascripsistis, ab aditu gratiæ vestræ eliminatum tam facile proscribatis. Venit quidem ad vos in humilitate et mansuetudine, nil sapiens altum adversum vos, sed quidquid actum sit a vobis tantum totum quod bonum dominum, quod pium Patrem decet, exspetens et expectans. Absit autem ut dies mentis vestræ sic convertatur in tenebras, ut ira in vobis aut gratiæ præjudicet, aut naturam evacuet, quin in paterno pectore sit intus apud vos, qui pro filio pulset et exoret, et exaudiatur affectus. Si quid igitur apud vos nostra potest supplicatio, si quod tristes dicimus a corde vestro propter inanem causam non prorsus excidimus, episcopum vestrum suscipiatis in gratia, et paci et honori ejus provideatis, ne Patrem alibi quærere compellatur sed totum quod pium est, quod modestum se apud vos
A reperisse glorietur. Ad pedes vestros in prece hac corde prosternimur, quos supplicando libentius ipsi manibus amplectimur. Provideat itaque, si placet, vestra discretio, ne nobis postulata negando, preces nostras amodo muto claudatis silentio. Bene valere vos optamus in longa tempora, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA XCII.

AD EUGENIUM PAPAM.

Patri suo et domino summo pontifici Eugenio, G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutis gaudium et debitum obedientiæ famulatum.

Quoniam, dilecte Pater, amici veritatis esse cupimus, ideo quod de causa domini Bernardi Cerneliensis abbatis ipsi præsentes vidimus et audivimus, in
B præsentia vestra cum fiducia contestamur. Vidimus enim ipsum Cerneliæ priorem quampluresque ejusdem Ecclesiæ personas, ad pedes domini Hiemari Tusculani episcopi, eo tempore apud nos legati, prostratos et provolutos, humiliter postulare, ut eis prædictum Bernardum, Glocestriensis Ecclesiæ tunc priorem, in abbatem concederet, et ipsum concedendo tam eorum quam totius conventus sui petitioni satisfaceret. Scimus etiam dominum Hiemarum ad eorum postulationem prædicto fratri Bernardo, renuenti licet et invito, ea qua præerat auctoritate injunxisse, ut onus Cerneliensis Ecclesiæ regendæ susciperet, eique per omnia prout competeret abbati provideret. Scimus nihilominus conventum Cerneliæ eum gratuito solemni processione suscepisse, et
C dominum Salesberiensem eorumdem postea petitione episcopali benedictione ipsum in abbatem confirmasse. Quem quia tam vita quam doctrina multa dignum commendatione cognovimus, pro ipso preces sublimitati vestræ porrigimus, ut eum in suis justis postulationibus audiatis, et Cernelienses monachos adversus eum injuste et improbe contumaces, apostolica auctoritate reprimatis. Domus enim illa Cerneliæ est, cui ut publica fama est, honestas sola jamdiu displicuit, nihil quod non religioni contrarium foret et ordini, potuit complacere. Quorum emendandæ potius quam in præsentia vestra commemorandæ dissolutioni, quia prædictus frater Bernardus, quo potuit vigore restitit, eorumdem violentia quasi profanus expulsus est, et ab eorum com-
D munitione sequestratus. Non nobis itaque, Domine, non nobis sed nomini vestro gloriam (*Psal.* CXIII) donetis, ut improborum audaciam reprimendo, culpam similem in aliis compescatis, bonosque condigne munerando, virtutis studium in compluribus augeatis. Sibi vos in longa tempora conservet incolumem omnipotens Dominus, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA XCIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino sanctissimo papæ E. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, pie salutantis affectum, et humiliter obsequentis officium.

Sublimitati vestræ, dilecte Pater, pro Lennensi

Ecclesia eo confidentius supplicamus, quo totum quod pium est, quod honestum, vestræ complacere serenitati non ambigimus. Prædicta siquidem Ecclesia inter Ecclesias Angliæ tam firma ordinis observantia quam perfectæ charitatis opibus in tantum irradiat, ut occidentis nostri tenebras luce quadam honestæ conversationis et cultu defæcatæ religionis expellat. Hæc mater pauperum, mæstorumque solatium præclara meritorum gratia eam se omnibus exhibet, ut in publicas jamdudum gratulationes suscepta quasi speculum quoddam in ultimis terræ finibus et singulare sanctitatis exemplar niteat. Unde preces excellentiæ vestræ affectuose porrigimus, ut justas ejus postulationes paterna mansuetudine audiatis, ipsamque in his in quibus prædecessorum vestrorum tempore fundata feliciter et aucta est, nequaquam minui permittatis. Quod eo faciet circumspectio vestra securius, quia quod Ecclesiæ uni indulgebitis, id non solum monachorum magno cuidam et probabili collegio, sed et immensæ pauperum, peregrinantium, naufragorum debiliumque multitudini erogabitis. Ut si qui in hoc facto decretorum juri derogatum fuerit, id apud summum judicem charitas Christi membris latissime subministrans, potenter excuset. Valeat dominus meus et Pater in Christo charissimus.

EPISTOLA XCIV.

AD EUMDEM

Patri suo et domino summo pontifici EUGENIO frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, humilis obedientiæ famulatum.

Scimus, Pater in Christo charissime, scimus, quod apostolicæ non obedire jussioni, apostatare est, et instar vere sacrilegii, vestræ contraire voluntati. Absit hoc a fideli, absit a Catholico, absit potissimum a filio beneficiis a munificentia nostra exhibitis, obligato multipliciter et obnoxio. Londoniensis nimirum épiscopus adeo manuum vestrarum opus est et creatio, ut ei recte in faciem possit objici: Tu quid habes, nisi quod a domino papa accepisti? Nam qualiter illum contra vota et conjurationes principum virtus apostolica sublimaverit, nullus apud nos qui ignoret, nemo fere qui nesciat. Inde est ut apud serenitatem vestram pro ipso illa recte competere videatur allegatio, operi manuum tuarum porriges dexteram. Quid enim vas etsi formatum optime, quid acturum est, si illud in virga ferrea decreverit suus auctor elidere? Absit hoc a vestra gloria, nec tale sortiatur laus vestra dispendium, ut quem semel intra fines gratiæ suscepistis, ab ipsius aditu eliminetis immeritum, aut innoxium excludatis. Archidiaconatum enim quem liberalitate laudabili domino Joanni Cantuariensi donantium mandastis, ante concessum alteri fuisse, vestram credimus ignorare prudentiam. In cujus rei testimonia dominum Lincolniensem a vero nec in modico deviare confidentissime dicimus. Ipsum vero Londoniensem, nec totius episcopatus sui jacturam perpetuam perjurio velle redimere scimus equidém et constanter asserimus. Ipse quidem Lincolniensis testatur, et jurare paratus est, dominum Londoniensem antequam voluntatem vestram aut scripto aut aliquo referente cognoverit, prædictum archidiaconatum magistro Sadulpho Diotecensi, cui et ad doctrinam scientia, et ad honestatem mores exuberant, concessisse. Est equidem in omni gratiarum amplectendum actione, quod honestatem et scientiam in Joanne remunerare decernitis. Sed hoc apostolico culmini factu leve est, ita ut episcopum quem singulari prævenistis gratia non offendatis. Preces in hoc porrigimus, in hoc paternæ charitati supplicamus, ut intus apud Patrem sit qui pro filio et episcopo pulset, et eatenus exoret affectus, ne plus fortasse diligens minus admittatur, et ad obsequendum longe promptior minus exaudiatur. Valeat dominus meus et Pater in Christo charissimus.

EPISTOLA XCV.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici. E. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, devotum et debitum obedientiæ famulatum.

Cum debitorem universis divina vos, Pater, munificentia constituerit, commune debitum hi propensius exigunt, qui vestræ se per omnia tuitioni alacriori et ampliori devotione submittunt. Unde plurimum honori vestro conducit et gloriæ, ut Londoniensi Ecclesiæ ea qua ad præsens tempestate concutitur, manum auxilii porrigatis, et causam quam multo sudore perstringit, benignitate consilii sublevando, ipsam allidi scopulis, aut fluctibus obrui non sinatis. Quæ cum in Anglorum Ecclesia multa meritorum et dignitatum luce profulgeat, ad præsens tamen egregiæ laudis titulo hoc ipso nobilitata est, quod post Patris et pastoris sui decessum, inter minas principum ipsosque frementium gladios, Deum comtemplata non hominem, immobilis imperterritaque constiterit, et se periculis audacter objiciens honorem Dei et libertatem Ecclesiæ in aliquo minui dedignata, Patrem sibi et pastorem idoneum consensu unanimi non minus sancte quam prudenter elegerit. Quod cum ipsa eligentium fortitudo mentiumque constantia dignum laude constituat, persona quæ electa est gratia cumulat et honore, ut totum sit favore dignissimum, et quod ob honorem et libertatem Ecclesiæ fortiter actum est, et quod in hujusmodi persona laudabili circumspectione provisum. Nota namque secure scribimus, et quæ scimus, loquimur cum fiducia. Londoniensem archidiaconum R. de Bealmeis, quantum in humanis oculis est, vita honestum, laudabilem scientia, liberalitas amabilem, et ab ipsa reddit origine stirps generosa clarissimum. Quem cum ad sui regimen diligenter et vocet et exspectet Ecclesia, si, quod absit! iste repellitur, injuriam hanc læsa virtus erubescet, et querela dicentium : *Sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas* (*Psal.* LXXII), non modicum sumet incrementum. Agat itaque apostolica sublimitas, agat Pater, unde sibi

Anglorum congratuletur et applaudat Ecclesia ; A fine bono bonum consummet initium. Honoret honore dignissimum, ut in præsenti sibi laus, in futuro reponatur et præmium, *et sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam* (*Psal.* CVIII). In longum vestra conservetur incolumitas, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA XCVI.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici E. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, pie salutantis affectum, et humiliter obsequentis officium.

A tribulatione malorum et dolore ad vestram Pater serenitatem Ecclesia Radingensis confugit. Inde sibi sperans exspectansque remedium ubi læsi quique sibi gloriantur non deesse solatium. Hæc in ipso diversarum regni nostri partium limite constituta, utriusque in alterum jamdiu sustinuit impetus, et ab ipsis bellorum initiis per ejus fines exstitit utriusque in alterum transitus et regressus. Unde tam incendiis quam cæde suorum debilitata, direptione rerum tam mobilium quam immobilium imminuta, cum jam multa in medicos nil agentes erogaverit, ad vestri fimbriam vestimenti properat et decurrit, sperans inde remedia, unde virtus exit quæ curat aliena. Unde preces sublimitati vestræ humili devotione porrigimus, quatenus devotæ filiæ erigendo lapsa, solidando confracta subveniatis, et suggerente pietate justitiaque in vobis semper efficaciter agente, amissa restitui faciatis, ut quæ, decedente fundatore suo, sibi mortua sunt, feliciter in rebus agente Patre, sibi placide reviviscant. Valeat dominus meus et Pater in Christo charissimus.

EPISTOLA XCVII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici E. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, obedientiam et debitam Patri charitatem.

Id modicum, dilecte Pater, quod sumus, amicorum nostrorum charitati negare non possumus, ut alter alterius onera portantes (*Galat.* VI), opem nobis vicariam consilii simul et auxilii impendamus. Unde licet apud vestram majestatem nulla nos merita nostra commendent, nec penes vos gratiam nobis ullam servitia nec impensa locaverint, ex charitate tamen audemus, ut qui nec pro nobis digni audiri sumus, ad paternam misericordiam pro alio interpellari præsumendo irrumpamus. Clericus enim dilecti filii vestri domini Cantuariensis archiepiscopi, magister Rogerus de Ponte episcopi, vestrum, urgente necessitate, remedium, ad tuenda ea quæ canonice possidet, a vestra implorat serenitate patrocinium. Rogamus itaque ad genua sanctitatis vestræ corde prostrati, ut de fonte justitiæ procedat et pietas, et eum quem apud apostolicam majestatem commendari tam vita quam scientia dignum credimus, suscipiatis in gratia, et in justis postulationibus suis exauditum clementer remittatis. Sublimitatem vestram diu sibi suisque conservet incolumem excelsa majestas. Amen.

EPISTOLA XCVIII.

AD EUMDEM.

Domino et Patri summo pontifici E. frater Herefordiensis Ecclesiæ minister, æternæ vitæ gloriam feliciter adipisci,

Necessitati, dilecte Pater in Domino, reluctari non possumus, quin ea charitate quæ nobis de fraternis cordibus potenter imperat, obediamus. Hæc est quæ nos magis delitescere cupientes, producit in medium, ut ad audientiam vestram, cui ad præsens assistere non valemus, veritatis saltem verba mittamus. Hinc est quod viro illustri et honesto Scripturarum tam divinarum quam sæcularium apprime erudito, magistro scilicet Godefrido, deesse nequivimus, quin sublimitati vestræ quæ de ejus nego-
B tio vidimus et audivimus, testaremur. Willelmo itaque Cumin, multis exigentibus causis, vinculis anathematis irretito, cum jam plus anno integro sub eodem vinculo perstitisset, cumque eum omni ecclesiastico beneficio generalis concilii jurisdictio spoliasset, dominus Wigorniensis consilio religiosorum virorum, prædictum Godefridum archidianatu suo investivit Ecclesiæque suæ archidiaconem religiosa devotione constituit. Scimus eum in eodem officio religiose perstitisse, et quæ ad curam ejus spectabant, prudenter et discrete ministrasse. Scimus etiam ipsum eidem Ecclesiæ fore necessarium, et in eo non solum imo et multo amplius salvum esse beneficium. Detur [igitur] in hoc consideratio, ut semper habeat incrementum gloria
C vestra, concipiantque bonam spem, qui recurrunt ad vos, obtinendi consilium pariter et auxilium in his unde recurrunt ad vos. In longitudinem dierum vos protegat omnipotens Dominus, dilecte Pater. Amen.

(*Epistolæ* 97 *et* 98 *eædem sunt cum* 17 *et* 18 : *sed propter inscriptionis diversitatem iterum eas exhibemus*).

EPISTOLA XCIX.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici E. G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, debitum dilectionis et obedientiæ famulatum.

Clericum hunc latorem præsentium, dilecte Pater, ad sublimitatem vestram scripto titulo causæ
D suæ transmisimus, ut qui Satanæ jaculis pene confossus fuerat, ad vitam solatio gratiæ vestræ reducatur. Hic quemdam decanum nostrum, sacerdotem honestum in agendis et sustinendis Ecclesiæ negotiis per omnia strenuum, scientiæ vitæque merito in publicas jam gratulationes susceptum, non aliis ejus meritis, nisi quod ecclesiam quamdam quæ Patris istius exstiterat, dono bonæ memoriæ prædecessoris nostri domini Roberti episcopi susceperat et in ipsa ministrabat ; ob hanc causam excommunicatus publice, post longam afflictionem, et inediam absolvi meruit, juramento in hunc modum præstito, quod vita comite, necessario casu non obsistente, sublimitatem vestram sub præscripta sibi lege pœnitentiæ adibit, jussioni vestræ, quæcunque fuerit,

ob culpæ veniam pariturus. Qua in re juxta datam A vobis a Domino sapientiam et gratiam peccatori providebitis, et ut culpa condigne puniatur, et qui de triumpho lapsus est antiquus hostis minime glorietur. Sublimitas vestra in longa tempora conservetur illæsa et incolumis.

EPISTOLA C.

AD ELIAM DE SAI.

Gilbertus Dei gratia Herefordiensis episcopus. amico suo Heliæ de Sai, salutem.

Nosti, charissime, quam constanter amorem mihi et Ecclesiæ quæ circa vos et honorem et pacem promisisti, quod utinam sic servasses, ut nec querimonia de te perferretur ad nos, nec a nobis tibi quidquam, nisi pacificum et amicabile scribi oportuisset. Multum quidem de multis mirarer, sed de B te multo amplius miror, quod sacerdotem nostrum et decanum ad judicium curiæ tuæ trahas, et hanc tibi potestatem contra Ecclesiam vindices, quam multo sudore et labore reges et imperatores adversus eam usque hodie obtinere nequiverunt. Unde vobis mandamus, charissime, ut sinas judicari a nobis clericos nostros, et hunc præcipue et alios nequaquam judicare præsumas, sed juxta ordinem sibi concessum ipsos Domino in pace servire permittas. Si nos minus audieris, quamcunque poterimus sententiam in te et tua, etiam nolentes dare non tardabimus. Quod si quid adversus dominum Walterum habes, plenariam de ipso justitiam offerimus. Valere te et benefaciendo Domino placere optamus.

EPISTOLA CI.

AD . . . .

Non queritur Walterus clericus noster duplex damnum se incurrisse. Nam nomine Hugo de Cluna, Gilberto Angl' pecuniam quam ab Hugone ipsi deberi putabat, reddidit, et cum Hugo se prædicto Gilberto nihil debuisse asserat, item cum Hugone data pecunia transegit. Vobis itaque mandando precor, ut tribus his statuto die evocatis, Walterum pecuniam redditam, quæ tamen, ut asserit, Gilberto debebatur, repetentem, ad plenum audiatis, et Hugonem de Cluna de re ista veritatem testari, ex parte nostra commoneatis. Si quæ prædictum militem in debitum recepisse a Waltero constiterit, ipsi quantum accepit restituere compellatur. Quod si miles pecuniam hanc Hugonem sibi debuisse probaverit, causam inter Hugonem et Walterum nobis reservabitis.

EPISTOLA CII.

AD PHILIPPUM DE SARNEFELD.

Amico suo et parochiano Philippo de Sarnefeld, salutem.

Audio in curia domini abbatis Radingensis, tibi legem adjudicatam esse, ut manu duodecima jures, te nunquam vel prædecessores tuos de terra de Sarnefeld, ecclesiæ de Lumin' quinque solidos, quos a te quærit, reddidisse. Certa autem recordatione sanctæ Ecclesiæ recognosco causam hanc in præsentia bonæ memoriæ domini Roberti episcopi, et agitatam fuisse, et ipsius consilio definitam. Unde quia in lege hac facienda, quædam tuæ et tuorum saluti contraria mihi videor intelligere, mandamus tibi, et super Christianitatem tuam præcipimus ne juramentum hoc aut ipse facias, aut aliquem tuorum facere permittas, quousque nobiscum locutus fueris, et super hac ipsa re consilium plenius habueris. Supplico enim domino abbati per litteras meas, ne propter exspectationem hanc, causæ tuæ aliquod detrimentum incurras. Valete.

EPISTOLA CIII.

AD C. ARCHIDIACONUM WIGORNIENSEM.

Gilbertus Dei gratia episcopus Herefordiensis, caro suo magistro G. archidiacono Wigorniensi, salutem.

Scitis, charissime, scitis, quod pacifici in prærogativam filiorum Dei adoptati sunt. Unde proximorum paci eo diligentius attendendum est, quo majus est quod ex hoc opere a Domino speramus et exspectamus. Rogamus igitur ut hac spe benevolentia vestra facilem se nobis præstet et exorabilem ut dominum Wigorniensem a persecutione fratrum nostrorum, monachorum scilicet Evesham, revocetis, et paci inter ipsos reformandæ operam impendatis. Ad quod si vos preces nostræ non impellerent, reverentia tamen domini papæ jamdiu traxisse et compulisse debuerat. Ad ipsum namque appellatione facta, pacem omnem et securitatem appellatoribus observari justum esset. Audivimus tamen a multis dominum Wigorniensem prædictos fratres C postquam ad dominum papam appellaverunt, non solum suis ordinibus suspendisse, sed ad hoc operam dare, ut eos de monasterio suo ejiciat, et ne dominum papam adire possint, custodia carcerali cohibeat. Quod si fecerit, de gravi in dominum papam offensa excusari non poterit. Igitur domini papæ reverentia, charitas etiam domino Wigorniensi debita, preces quoque nostræ vos moveant, ut aut paci hinc reformandæ studeatis, aut his qui in archidiaconatu vestro ad nomen domini papæ confugiunt, consilium vestrum et auxilium non negetis, nec eos manu quacunque laica extrahi et affligi, aut quæ eorum sunt distrahi permittatis. Vobis hæc ex charitate scribimus, ne consentientem cum agente par reatus involvat. Consensus D enim est non resistere cum possis aut debeas. Qua in re manifesta conclusio vobis aut consensum ingerit, aut monachis defensionem. Valete.

EPISTOLA CIV.

AD ROBERTUM EXONIENSEM EPISCOPUM.

Domino suo dilecto fratrique charissimo, R. Exoniensi, Dei gratia episcopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et dilectionem

Ubi multa est confidentia, multa est et sæpe præsumptio. Inde est, quod amabili et amandæ nobis semper benignitati vestræ preces multa securitate porrigimus, ut nobis in quibusdam quæ ad vos spectant, in ea quæ nobis ad præsens orta est necessitate, subveniatis. Implevit jamdiu querelis aures

omnium canonicus quidem Hugo de Cotes, asserens se a nobis ecclesia de Stanleia violenter ejectum, et rebus suis injuste spoliatum. In plenam etiam nostri suggillationem, ad dominum papam querelam eamdem protulit, et ad dominum legatum litteras hujus rei cognoscendæ reportavit. Quia vero vestram non lacet prudentiam, qualiter prædictus Hugo in partibus vestris aliquandiu conversatus sit, cujusmodi etiam religioni addictus, rogamus ut litteras nobis hujus rei indices concedatis, et nos vobis in omnibus amplioris gratiæ debitores efficiatis. Quem arctioris observantiæ gratia si se constat inclusisse, constat etiam his quæ ante possederat renuntiasse. Quod quia de ipso audivimus, ab amico veritatis testimonium exspectamus. Et quia ad multorum correctionem religionis amatoribus inhonesta frequenter honestissime proferuntur, si quid vulgo notum est, quod adversarii nostri faciem confundat, petimus ut et hoc litteris ipsis elucescat. Valete.

EPISTOLA CV.

ROBERTI EXONIENSIS EPISCOPI AD EUGENIUM III PAPAM.

De clerico incontinenti.

Rogatu venerabilis, etc. *Vide inter variorum ad Eugenium epistolas, Patrologiæ t. CLXXX.*

EPISTOLA CVI.

[AD HENRICUM NORMANNORUM DUCEM.]

Regiæ nobilitatis et indolis, ut audivimus, egregiæ, H. comitis Andegavensis filio, Normannorum duci, et regni Anglorum pro magna portione domino G. Dei gratia Herefordiensis episcopus, salutem et servitium.

Placuit vobis litteris commonere me, ut cito venirem ad vos, facturus id quod in manu domini abbatis Bord', promiseram. Ut promissa complere quam citius potui, promptus accurri, et quia processeratis ulterius, Herefordiæ reditum vestrum biduo exspectavi. Auctoritate vero obedientiæ me non solum vocante et monente, sed urgente et trahente ad aliud, diutius exspectare non potui. Precor itaque, si placet, ut me hac vice excusatum habeatis, et absentiam meam æquanimiter sustinendo hac vice, me vobis gratiæ debitorem efficiatis. Si qui vero sunt æmuli aut malevoli mei, qui ob mei odium vos in injuriam Dei et Ecclesiæ detrimentum, suggestione maligna trahant, bonum est vobis timorem Dei consiliis malignantium opponere, et illud sapientis elogium memoriter retinere : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum* (*Psal.* I) Omnium enim sententia ex Deo procedit, quem si in initiis non bonis offenderis, exitus vestri cum honore esse non poterunt. Det vobis intellectum et modestiam Dominus, ut et pro vobis orent Ecclesiæ, et dominationum vestram in longum expetant plebes subjectæ. Valete.

EPISTOLA CVII.

[AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.]

Patri suo et domino Cantuariensi archiepiscopo T. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et obedientiam.

Ex quo litteras vestras suscepimus, fructus nostri laboris hic est. Rogerum subpriorem, virum bonum, dominum David, G. R. et eorum complices in partem nostram convertimus. Nicolaitæ vero, sicut ab initio, sic vobis adversantur adhuc, et quæ itineri suo necessaria sunt, hic acquirere et præparare modis omnibus moliuntur. Unde nisi vobis videtur aliud, consilium fore æstimo, ut dominus Ricardus prior et dominus Samson iter ad dominum papam quam citius arripiant. Indignum est enim illos tanquam conscientia bona se curiæ præsentare, nostros autem qui viam Domini gradiuntur in veritate, tanquam male conscios delitescere. Unde opus est, ut litteras communes prælatis ecclesiarum et conventibus, qui in partibus nostris sunt, dirigatis, ut juxta conscientiam suam litteris suis ad dominum papam testentur jure ista, pars illa conventus Eveshamensis, quæ in electione domini Willelmi est, quam longe et numero amplior, et merito purissimo sanior habeatur. Cætera vero quæ negotio necessaria sunt, vobis dominus Reginaldus aperiet, qui ad præsentiam vestram, et ad videndam electi sui faciem, toto festinat desiderio. Valete.

EPISTOLA CVIII.

[AD EUMDEM.]

Patri suo et domino Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo T. G. episcopus Herefordiensis, dilectionis et obedientiæ famulatum.

Quorumdam, Domine, relatu cognovimus, W. priorem Sanctæ Bar'. in causa de Stanleia suas quodammodo partes interponere, et jus sibi in ecclesia sancti Leonardi, contra ecclesiam Glocestriæ vendicare. Quod quam legitime faciat, hinc potestis, si placet, advertere. Prædicta quippe ecclesia petitione domini Salesberiensis, et eorum quos ibidem secum habebat, Walteri scilicet et Rogeri atque Henrici, de manu domini Wigorniensis a nobis suscepta, dominus prior illico adversus nos apud dominum Wigorniensem querelam deposuit, et nos de prædicta ecclesia responsuros in jus vocari fecit. Cumque jam statuto die in præsentia jam dicti episcopi foret inter nos aliquandiu actio ventilata, et idem episcopus in sæpe dicta ecclesia priori nihil se unquam concessisse assereret, dominus prior adversus nos die certo audientiam vestram appellavit. Cumque appellationem prosecuti vestro nos præsentaremus conspectui, auditis omnibus quæ de ecclesia Sancti Leonardi prior contra nos allegaverat, responsioni nos obtulimus judicium in nullo recusantes. Ipse vero nos præveniens, ante omnem responsum nostrum in audientia vestra liti renuntiavit in totum, seque in prædicta ecclesia nil vendicaturum ulterius, sub multorum testimonio proclamavit. Unde vestra discernat æquitas, cum liti de prædicta ecclesia motæ sponte renuntiaverit, si ipsam litem instaurare satis desiderat. Nos enim quæ vera novimus, testificamur, et ea

opportuno loco et tempore probare parati sumus. Valete.

EPISTOLA CIX.

[AD ROGERIUM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.]

Patri suo et domino R. Dei gratia Eboracensi archiepiscopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.

Si nos admitteret solitæ jam dilectionis arcanum, secreta signo clauderemus, nec ad Patrem directa, multorum oculis intuenda committeremus. Sed quia nos exclusos novimus, ideo non jam intus positas, sed foris vix habentes litteras mittimus, ut veniam postulent, et suo gratiam domino, si quomodo possint, apud vos redintegrando concilient. Quod tamen trementi chartulæ factu facile non speramus, ad quam nec manum porrigi, nec vestros facile converti oculos posse æstimamus. Unde si nos dedignatio justa repulerit, volumus saltem alios non latere quod quærimus, quia vestram non ferentes ultra iracundiam, veniam excessui postulamus. Nam, si quid in vos diximus, hoc ipsum palinodiam in nos manu propria conscribendo recantamus, et si vestrum vel modicum movimus animum, ipso culpam fatemur ore, quominus caute prorumpendo, id nullo vestro exigente merito, in dominum offendimus et amicum. Cum charitate quidem stetimus in Ecclesiæ causa quam fovemus, et si ferrum de manubrio nobis inconsiderate moderantibus elapsum est, quid superest consilii, nisi ut ad magnum illum Eliseum cum pœnitentia et lamento recurramus? Magna spes est, ut pœnitentem præco pœnitentiæ non repellat, et ingemiscentem altius, ipse gemituum prædicator non abjiciat. Poteramus equidem debitum charitati pensum prudenter et honeste persolvere, et disceptatione ecclesiastica, juxta juris formam, etiam Domino non in hoc indignante, resistere. Sed quid ad nos extendere digitum, brachia contorquere in vos, et tanquam alicujus essemus momenti, ore misero non solum spumantia verba, sed et tumida jactitare? Quod nobis ea die pudor, honestas, ecclesiastica disciplina, et ipsa bonæ mentis affectanda sobrietas abierunt? Quam male statim in momento omnia nobis elapsa sunt, ut nudati bonis, intrinsecus statim efficeremur dignissimi ut a gratia caderemus. Sed qui cadit, nunquid non adjicit ut resurgat? (*Amos* I.) Nos an sic undique premit iniquitas, ut nobis ad gratiam nullus sit aditus? An si modestia nobis excidet, misericordia quoque vobis elapsa est? Et si præcincti fune in peccati legem abducimur, zona illa aurea vobis a mamillis avulsa est? Absit, ut qui sibi quotidie remitti supplicat, supplicanti conservo debitum non remittat, et abstersa Pater iracundiæ nebula, non in serenitatem solitam mens sese vestra reciperet, accessum nobis ad veniam utique non obseraret. Nam quantulum est quod deliquimus, nisi quia summi quælibet offensa culminis magna quidem habenda est? Verbum verbo subjunximus, et ut in disceptatione mos est, simili simile coaptavimus. Nam cum dixissetis quia nobis eo usque peperceratis, respondimus quia multa habebamus in quibus sublimitati vestræ peperceramus et nos. Quia verborum infausta clausula, nunquid incompositos vitæ nostræ mores, aut animi, quod absit! vitia, cynica rabie mordendo perstrinximus? Absit, ut in mentem vestram hæc subrepat opinio, ut suspicione hujusmodi confundatis innoxium. Testor inaccessibilem illam lucem, quæ bonarum occulta mentium penetrat et illustrat, illam quoque communem spem quam sanctorum est amplexa devotio, nos verbis illis nil aliud intellexisse, nisi quod multa ad corpus causæ spectantia, ob reverentiam vestri tacuimus, et penes nos compressa tenuimus. Nam cum de litteris corruptis ageretur, poterant in hoc articulo multa durius objici, et per rhetoricam auxesin, ut satis ipsi nostis, amplificari. Cumque eisdem litteris et jus et spoliatio innueretur, non in cœlum os nostrum posuimus, ut precum falsitatem vel in modico arguere præsumeremus. Cum juris habeat formula, ut etsi sacrum oraculum hujusmodi precator attulerit, careat penitus impetratis. Hæc frivola sunt et his similia, in quibus vobis pepercimus, ad quæ mentis oculum dum tumide loquebamur habuimus. Nam si ad tempus, urgente charitate, stulti facti sumus ob fratres, sed non insani tamen, ut probra diceremus in vos, quem præ cæteris huc usque diligimus, quemque laudum titulis in multorum invidiam frequenter extulimus. De vestris, Pater, occultis nulli rectius quam nobis fidem habebitis: nam quis novit occulta hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso? (*I Cor.* II). Ecce coram Deo quod non mentior. Nil amaritudinis habuimus intus adversum vos, nisi quod interprete præsente scripto confessi sumus. Unde et acerbius quam ipsa res expetat nosmetipsos accusavimus, eo quod indignationem vestram in nos quantulamcunque etiam molestissime sustinemus. Opinabitur quispiam ex animo non dici quod dicimus, sed ut vestrum demulcendo animum factæ in nos appellationis onus aliquatenus evitemus. Non hic noster est oculus, si Christi sumus, ipsius vicario confidenter astabimus. Suo currant fata curriculo, provisos sibi quæque sortiantur eventus. Elapsæ potius amicitiæ damna plangimus, quam imminentia timeamus. Valete, et moveat vos utinam spiritus ille pietatis, ut amico revertenti etiam dum longe est in amplexum occurratis.

EPISTOLA CX.

[ROGERII EBORAC. ARCHIEPISCOPI EPIST. AD GILBERTUM.]

Venerabili fratri et utinam amico, G. Dei gratia Herefordiensi episcopo, R. Eboracensis Dei gratia archiepiscopus salutem.

Susceptam de manu dilecti filii H. quam dicitis palinodiam vestram, priusquam alicui ipsius copia fieret, diligenter inspexi, veritus in primis ne viva vocis vestræ, ut salva pace vestra dixerim, ardorem missi litterarum apices exprimerent. Resedissen

utique apud nos, et in manibus nostris illud deperisset arcanum, et vaga in publicum exeundi negaretur licentia, ne geminata injuria omnem reconciliationis viam excluderet. Fateor quidem me his, quæ vobis calor animi ministravit, aliquatenus commotum, non tamen ut aut in me fraternæ scissura facta sit charitatis, aut sol justitiæ super iracundiæ meæ affectionem obscuratus. Habeo enim ex pristina consuetudine, ut cor ita et labia maxime erga amicum circumcisa, quæ arctiori lege conclusit singulare exemplar patientiæ Christus, ex quo lubricos animi mei motus per gratiam suam cingulo sacerdotali voluit astringi. Non enim mihi a pectore excidere potest, quod sacerdotali ex lege datum est in mandatis, ut cum turturem vel hujusmodi caput ad pennulas reflectat, et quod in descriptione templi mensarum labia intrinsecus reflexa dicuntur per circuitum, quoniam verbi seminator divini ex omniparte circumspectus, ad cor debet revocare sermonem, audire quæ dicit, operari quæ prædicat, ne si intenderit arcum, et sagittis sacræ Scripturæ vitia percusserit auditorum, convertatur in die belli, et avertatur adjutorium gladii ejus, nec auxilietur ei in bello (*Psal.* LXXXVIII, 44). Miror valde nec satis admirari possum, unde sanctitatis vestræ tantæ me simplicitatis esse crediderit, ut quia voces meas mihi reddidistis, putetis offensum. Quibus in verbis, teste Deo et conscientia mea, nullam me tunc arbitratus sum, sed neque nunc opnior accepisse injuriam, præsertim cum hujusmodi ad iram mitigandam et conciliandam amicorum gratiam proferri soleant. Si vero sub eorum ambiquitate meam in aliquo gravari crederem opinionem piaculari me subjicerem flagitio, qui tantum amicum prior ad hanc provocassem contumeliam. Gravius aliquid extra causam dictum est, cujus tanta est et fuit admistione personæ ad quam spectare videtur acerbitas, ut contra cæterarum injuriam naturam dissimulatione minime poterit aboleri. Sed de his pauca. Nam quantumlibet in parte ista oratio succincta odiosa nobis quam periculosa. Ideoque ad priora redeamus. Occurrit ille epistolæ vestræ locus, ubi dicitis, leviora ad gratiam nostri allegata, gravioribus deductis. Quæ etiam tam vere quam eleganter frivola nominastis. Sed secus se habere facies negotii facile declarabit. Nonne in medium deducta est accusatio falsi? Nunquid vobis durius actum fuisse videretur, si precum falsitas argueretur? Utinam omnia proposuissetis, facile judicibus violentæ spoliationis non solum testibus, verum argumentis et instrumentis quibus abundamus, fides facta fuisset! Hæc et his similia allegare quæ causa nostri suppressistis ad officium spectant advocati, cujus est agere quod causa desiderat, ut tamen temperet ab injuria. Et vos quidem et duriora dicere absque adversæ partis injuria potuissetis, nisi vos a causæ hujus patrocinio leges pariter et canones excluderent. Scitis enim quam diligenter hujus negotii secreta non solum antequam iter ad dominum papam arripuissem, verum post reditum meum Wigorniam aperuerim. Facta vobis est litterarum copia, quas super hoc negotio a sede apostolica impetraveram. De his quæ super transactione posueram, nihil omnino vobis est absconditum. Quare manum ad vestra jura porrigere non audeo, ne forte gravius amicum lædam quam ipse læsus fuerim. Et mihi satius est quædam cum detrimento causæ tacere, quam verecundiæ dicere. Nam quod ad auxesim spectat, quam rhetoricam dicitis, quæ potius oratorum est, certum est quia ei nullus ad causam istam patebat accessus, cum ipsa videlicet in ultimis duntaxat et quæstione comprobat locum elegerit. Ideo si interposita fuisset, non tam in nostram quam juris redundaret injuriam. Sed quid plura? Nunquid epistola vestra tot sacræ Scripturæ vallata præsidiis, tot gravibus onerata sententiis, tanto rhetoricæ exornationis decorata fulgore, in vanum laborasse et inanis ad dominum suum redire poterit? Absit! Sed veniam petenti venia dabitur, si tamen cum vestri copiam Deus dederit, animus vester ab oratione non discrepet. Ecce jam in occursum vestrum vetus festinat amicus. Jam in domo patris mei auditur symphonia et chorus, exsultant famulis, occiditur vitulus saginatus, stola vobis paratur et annulus (*Luc.* XV). Expedit ergo et utrique vitulum in ostio tabernaculi pro peccato pariter immolemus, quatenus aqua sanctuarii lotis pedibus, veste competenti iterum induti, epulemur simul et exultemus, ne glorientur de nobis ne fratres qui discordias seminant, *et exultant in rebus pessimis* (*Prov.* II), sed confundantur et pereant cum his qui perdere cuncta festinant. Valete.

EPISTOLA CXI.

[AD ROGERIUM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.]

Patri suo et domino R. Dei gratia Eboracensi archiepiscopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.

Spirat delectabiliter hortus aromatum, et fragrantiam suavem dat odorum multorum in unum sibi juncta suavitas. Tale, pater, quidam vestra mihi pagina contulit, quam sæpe jam lectam dum repeto horto plane quodam mihi videor inesse deliciarum. Hinc enim favorabilis illa venustas eloquii, inde sententiarum mihi spirat alta profunditas, ut dum delectat pariter et ædificat, alligatum nexu gemino totum rapiat in se suum pagina jam dicta lectorem. Ad Patrem verba transmiseram, et placidam mentis vestræ tranquillitatem, me quam parum libet attentasse mœstus ac sollicitus deplanxeram. Sed ecce planctum mihi convertisti in gaudium (*Psal.* XXIX), et beate me deliquisse confiteor, qui in peccati vicissitudinem non pœnam quam suspicari poteram sed munus reporto quod desperabam. Munus enim mihi grande reputo, descendentis de monte Moysi faciem vel a longe contemplari (*Exod.* XIX), et claritatem vultus ejus, quam infirmus vix capit oculus, objecti saltem velaminis quibusdam quasi rarescentibus filiis aliquatenus intueri. Transmissa namque nube et caligine, ipso mentis vertice qui sacer

A vere mons est, cum ipsa luce quam sanctæ mentes inhabitant, soliloquia sancta tractastis, ubi de fonte lucis hauriens, multa in paginam quæ nos docendo corrigerent, et occidentis nostri tenebras gratiosa sui plenitudine luminis illustrarent. Hinc habitum mihi bene circa vos dispositæ mentis ostenditis, ut in virtutis appetitum mentem meam vel coram posito virtutis speculo provocetis. Sic sua sancti bona frequenter intimant, non ut sese laudibus efferant, sed ut aliis in se quod salubriter imitentur ostendant. Hinc ad mentem mihi cordis illa cirba vos simulque labiorum circumsio sancta proponitur, ut intus apud me de cætero quid vel cui vel quando dicendum sit, apto rationis moderamine dispensetur, et internus ille calor animi sic erumpat in medium, ut igne illo foris vox ardeat, quem venit Dominus in terram B mittere (*Luc.* XII), non quem studet a gehenna semper hostis inflammare. Purgata sunt prophetæ labia ad desuper allati carbonis attactum, et oris mei poterunt purgari superflua, ad patris et domini pie commanentis exemplum. Patientiæ vero quid memorem quam mihi sancte proponitis, ut hanc mihi præsentando meæ me possessorem animæ vel de cætero faciatis? quæ nimirum anima dum rationi rebelis est, dum repugnat spiritui, dum læsa remurmurat, et in ultionem sese stimulat, et inflammat nondum quidem possidetur. Ad Christum vero conversa et in melius commutata cum ipsius exemplo, suas remittit injurias, adversa jam jucunde sustinet, jamjam loris alligata patientiæ, ab omni inordinatæ voluntatis impetu cohibetur, et subjecta rationis impe- C rio, pleno jam dominio possidetur, attestante veritate, quæ ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). Persuadet idem mihi turtur ille mysticus, non abruptam habens in sacrificia, sed retortum caput ad pennulas, mihi hoc clamans, hoc prædicans, ut si quid harum quæ turtur ipse figuraliter exprimit in me Domino sacrificem, non inanem gloriam sectando vel gratiam, a vero Christi corpore quod est Ecclesia fuco me quodam simulationis abrumpam, sed principale mentis, quod interioris hominis vere caput est, ad veras virtutum pennulas, et ad illas quibus volatur in cœlum duas alas charitatis sincera veritate retorqueam. Nec minus illa me mensa cœlestis lætificat, quæ dum labia reflectit in se, sicut sancte scribitis, divinæ docto- D rem legis erudit, ut in his quæ docet et loquitur, consideratione semper sedula recurrat ad se ne verbo vita dissentiat, ne verbo quos ædificat subvertat exemplo, juxta quod in laude bonorum scriptum est: *Sagitta Jonathæ nunquam abiit retrorsum, et gladius Saulis nunquam reversus est inanis* (*II Reg.* I). Verbum quippe Dei et gladius et sagitta est. Gladius, quia percutit, et eo sagitta quod pungit. Qui nimirum gladius inanis revertitur, cum prolatus sermo nec vitia resecat, nec ad frugem virtutis erigit audientem. At Jonathan, qui *dans columbam*, vel *donum columbæ* dicitur, sagitta reflexa non percutit, quia spiritualis quisque doctor, qui a Christo dona gratiæ percipit, et hæc eadem fideliter ministrare non omittit, reflectit labium prudenter in se, dum sapienter et sancte vivit. Hæc mihi de paginæ vestræ collecta sunt gremio, dum per eam quasi vitæ quædam pascua, qua possum mentis exercitatione, discurro. Quibus nimirum oblectamentis, si quid forte cohæret asperum, id gratum habeo, velut ejus admistione totum mihi sit quasi quodam sale conditum. Ut ab hujus me causæ patricinio repellatis, adnectitis, quod ejusdem secreta mihi sunt per vos Wigorniæ revelata. Sed, ut pace vestra dixerim, si mecum secreta quandoque gratia contulistis solum quid vobis de transactione placuerit, et quas a domino papa litteras acceperitis, ostendistis, et ipsas quidam litteras non multo post episcoporum commissas manibus, omnium indifferenter communicari notitiæ vidi pariter et intellexi. Quid enim Brugiæ quasi triviatim divulgabatur, nisi dominum Lincolniensem et Eliensem hoc accepisse in mandatis, ut causam vestram audirent, et appellatione remota dirimerent? Unde vero causæ vestræ fundetur intentio, quibus nititur adminiculis, probata sit testium vestrorum an improbabilis opinio, sufficiens necne numerus eorumdem, possessionis vestræ facilis an implicita probatio, et omnino quod obesse vel prodesse causæ quacunque ex parte potuerit, nec mihi in minimo patefactum est. Assertionibus itaque partium cum merita pandantur causarum, mihi de secreto hujus causæ quid recte valet objici, cui nunquam horum nihil contigit aperiri? De cætero, sicut orationem qua declamat orator rhetoricam dicimus, locos etiam et colores rhetoricos, unde illud: « Non est rhetoricus quem facit ira color, » sic et eam quam sugillatis auxesim, licet oratorum sit rhetoricam nihilominus convenienter assero, eo quod hanc rhetor edocet, cum orator eadem quod oportet, amplificet. Quæ cum quæstione probata locum habeat, potuit in hac quæstione competenter interseri, ex quo cæpit oculata fide de litterarum deductarum in medio corruptione, non ambigi. Sed quid ista? An ad Ciceronis me dogmata transfero, et ad salutata jandudum et velut antiqua mihi studia, notabili quadam mentis levitate respicio? Absint ista hinc. In Patris et domini suspiro gratiam, ob mihi reconciliandam chartulæ continuavi jam chartulam, etsi plena dignitate currenti minus digne responderim, cum cyathum phiala propinanti porrexerim.

EPISTOLA CXII.

[AD VILLELMUM DE HINET']

Gilbertus Dei gratia Herefordiensis episcopus dilecto fratri Willelmo de Hinet', consecrata Domino tirocinia, beato perseverante fine concludere.

Auditis quæ circa te sunt, exultavi totus in Domino, illi gratiarum referens actionem, qui meritum omne præveniens, gratiarum suis dona benigne distribuit. Audita tamen mutatione tam subita, paulisper obstupui, quousque reversus ad cor illud præ oculis habui, quod velociter currit sermo Do-

mini quo vult (*Psal.* CXLVII), et ipsius dextera potenter immutat quem vult. Hic ad te sermo factus est, hæc te dextera apprehendit, hic tibi sermo consilium, hæc manus auxilium ministravit, hic velle bonum formavit in te, hæc ad effectum operis ipsum velle perduxit. Hic sermo cor tuum tangens cœlitus et illuminans, quod in spiritu consilii conceperas, potenter in spiritu fortitudinis roboravit. Hic in tenebris latenti tibi viam qua progrederis ostendit, hæc te pariter quo ostendat tibi salutare Dei jam deduxit. Intueri mihi videor illum superni scribæ calamum, cordis tui tabulas exarantem, et vocationem qua sponsus et sponsa dicunt : *Veni* (*Cant.* IV), eisdem fortiter imprimentem, quam, ut audio, non tu, frater tepide, non segniter advertisti, sed dilecti pulsantis ad ostium, vocem prudenter audiens et intelligens, ut ostii tui pessulum ipsi statim aperires (*Math.* VII), illico surrexisti, dicens: Vox dilecti pulsantis (*Cant.* V). Usus consilio sane laudabili, qui auctori vitæ domicilium, non solum n te, sed et teipsum præparasti. Experitis illud tute, quod Apostolo de supernis innotuit : Durum est tibi contra stimulos calcitrare (*Act.* XXVI). Nam quidam vitæ stimulus est, et quidam mortis. Et mortis quidem stimulus peccatum est (*I Cor.* XV). Nam ut pecus urgetur stimulo, ut irrumpat et impingat quo vult ipse qui stimulat, sic peccatum quem pungit, urget, et impingit indubitanter ad mortem. Stipendia namque peccati mors (*Rom.* VI). Longe mentem aliter stimulus amoris exagitat. Vitæ namque stimulus est, et amantem fortiter urget ad vitam. Contra quem calcitrare, tam durum est quam charitati reluctari difficile. Nam fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII). Separat a carne mors, a mundo dividit, sic et amor sanctus etsi longe nobilius, a mundo tamen et a carne sequestrat. Illo trahit unde est, non a mundo est, non a carne, non ex sanguinibus, neque a voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est (*Joan.* I). Ad ipsum trahat, ipse finis amoris est. De quo David : *Omnis consummationis vidi finem* (*Psal.* CXVIII). In hunc finem tendit amor, nec est vagus amor ille qui sanctus est. Habet præ se quem diligit, illud corde dicens, illud ore decantans : *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* XXIV). In hunc oculum defixisti, in ipso tibi complacuit, cui speramus etiam complacuisse in te. Hunc per viam arctam et arduam secutus es, et amoris te trahente funiculo non ad dexteram vel ad sinistram declinasti. Non respexistis ad prospera, et adversa formidare dedignatus es. Crucifixum crucem ejus bajulando prosequeris, crucem exprimis habitu, crucem mente perfectas. Hæc sursum caput elevans, jam cœlis imperat, inferna deorsum premit, ipsius affixi manibus totam mundi latitudinem hinc et inde complectens his manibus apprehensus es, nunc portans improperium Domini Jesu, ut sis quandoque particeps et coronæ. Ipsius stigmata portabis ad modicum, et in ta clavos ejus carne defiges. Vestis horrida, cibus

A imparatior, lectisternia dura, labor manuum, disciplinæ gravitas, juge silentium, ipsos qui te pungant in te clavos exprimunt Salvatoris. Habes et instar lanceæ quæ lateri ejus infixa est, ipsum charitatis aculeum, qui tuo semper pectori juge vulnus infligat. In hunc modum vulnerat, qui charitatem format in nobis, ille spiritus unus et sumus. Hoc languebat vulnere, quæ dicebat : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II). O vulnus bonum, et languor suavissimus, quem mors illa comitatur, de qua scriptum est : *Pretiosa mors sanctorum in conspectu Domini* (*Psal.* CXV). Attolle jam non solum mentis oculos, sed et corporis. Vinea Domini jam saltus omnes occupat, implevit deserta, et sanctorum pugna cum spinis est. Ponunt

B prava in directa, et aspera in vias planas (*Luc* III) et quod intus angunt spiritu corporis exercitio foris insinuant. Intus enim vitiorum sentes exstirpant, annosa peccati robora charitatis igne conflagrant. Tumoris alta dejiciunt, terram desertam, in aquosam et inviam, virtutum reddunt copiis abundantem, peccato mortui simul et mundo, ut se Christo sanctificent, præter ipsum omnia contemnentes. Mors ista sanctorum est, quam esse propheta memorat in conspectu Domini pretiosam. Nam quid Christo charius, quid in nobis ipsi pretiosus quam ut ipsum imitando mortem morte superemus ? Et quæ tanta mors animæ est, quam vitiorum fœdat congeries? Hac vero morte qua mundo morimur, hæc ipsa vincitur et enecatur, juxta illud Prophetæ : *Persequar*

C *inimicos meos* et contra illos *et non convertar donec deficiant, confringam illos nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos* (*Psal.* XVII). Primis parentibus dictum est : *Morte moriemini* (*Gen.* III). Mors enim peccati vere mortis æternæ ministra est. Obedientiæ vero filiis Apostolus ait : *Mortui estis, et vita vestra cum Christo abscondita est* (*Coloss.* III). Vere beata mors quæ vitæ illius quæ cum Christo est, causa simul est et ministra ! Hanc tibi mortem vulnus amoris ingerit, ut de jure tibi quod dictum est vindicare jam possis : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II). Quid enim floribus nisi sanctorum recens conversio, quid malis nisi eorumdem in virtute jam solidata consummatio intelligitur ? Odor quippe bonus, et futuri

D fructus in flore spes est, hunc odorem spirat Ecclesiæ sanctorum conversio, in quibus in virum perfectum jam formatis fructus vitæ producitur et maturatur. His igitur jam languens anima fulciri postulat, stipari desiderat, ut exemplis sanctorum sibi propositis in suæ conversionis initio beatæ ferveat, et provectu proficiat, et in exitu fortiter inardescat. Unde mihi flores, unde mala quibus te, charissime, fulciam, tuæ quibus animæ in Domino Jesu jam languenti, satisfaciam ? Sed a me quid exigas quæ penes te sunt, quæ liberis jam palam conspectibus intueris ? Cisterciensis Ecclesia per orbem late effloruit, quæ flores mundi gratissimos undequaque decerpens, ipsos transtulit in se, et in

quosdam paradisi flores cœlesti quadam mutatione A transformavit. Ipsos mente conspicias, ut novellas olivarum in ipsius mensæ circuitu pullulantes. In ipsorum optime curres odorem, qui velut adolescentulæ, quarum non est numerus, in odorem sponsi currere non desistunt. Quod si poma post flores exigis, ipsa quoque est, quæ cœlesti sponso quadam prærogativa decantat: *Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, reservavi tibi* (*Cant.* XIII). In ipsa grex tonsarum est, qui deposito peccati vellere, de pœnitentiæ lavacro noviter ascenderunt. In ipsa grex fetarùm est, quæ in pascuis Bethel jam commoratæ diutius, virtutum lanis decentissime vestiuntur. In ipsa et oves emeritæ, quæ post sobolem numerosam jamjam parere desinentes, ad caulas illas supernorum civium boni pastoris humero transferri B desiderant. O quis ego sum, qui pastorem illum sanctum ovemque fecundissimam, Claræ vallensem abbatem clarissimum digne commemorem? Quis mihi stylus aut quæ facundia, ut virtutis ejus vel in modico culmen attingam? Vir scientia clarus, sanctitate notissimus, sine fuco sanctissimus, scriptor insignis, prædicator egregius, ordinis speculum, Ecclesiæ dilatatio, sui temporis sol, nebulæ dissipatio, abjectus sibi, mundo Christoque charissimus, sacerdos magnus qui diebus suis Deo placens et justus inventus, iracundiæ tempore in ipso mirabiliter operante Domino Jesu, dissidentium factus est reconciliatio. Vir squaloribus horridus, cujus consumptis carnibus, ossibus undique cutis adhæsit, cujus nec venter crapulam, nec os delicias C præterquam spirituales sapiebat. Quem cum corporalis intuebatur oculus, mundo despicabilis habebatur. Cum spiritualis attendebat nostri temporis hominem, longe virtutum meritis anteibat. Quis ejus labores digne referat? Sociatam sibi Thamar nunquam repulit, sed ejus amara toto vitæ curriculo protrahens, intus virtutum delicias, foris spinas portabat. Doctus agricola plantabat undique fortiter, affluenter rigabat, et plantationibus ejus innumeris abundanter Dominus incrementa præstabat. Unde non tibi Paulos, frater, non Antonios, non Hilariones, non Arsenios, non antiquarum arborum paradisi vetustos fructus in tui recreationem spiritus anteponam. Hic esse præsens est, cujus recens auctoritas, quem oculis ipse conspicere D quemque docentem, ut arbitror, audire meruisti. A nobis equidem ad superna translatus est, et est apud Dominum merces illius. Porro nomen ejus vivet in sæcula, et ejus ab Ecclesia memoria non recedet (*Eccli.* XXXIX). Hoc paradisi lignum prudenter his diebus a Domino in oculis Ecclesiæ plantatum est, ut virtutum gradus quisquis attentare voluerit, exemplares in illo virtutes quas imitetur omnes inveniat. Tu quoque, qui malis stipari postulas, hinc tibi quot voles, ipse decerpas. Hoc tamen scribens non statim attentare summa suadeo. Nemo repente fit optimus. Pecunia servatur optime, quæ paulatim collecta manu reponitur. Suis incrementis et gradibus virtus unaquæque perficitur. Ipse etiam virtutum chorus in mente bene disposita, certa ratione distinguitur. Ut ædificium spirituale prudenter erigas, prima tibi jaciatur humilitas, et mentis ei benignitas adhibeatur. His adhæreat obedientia, quam suo patientia vigore corroboret. Has omnes perseverantia sancta disciplinæ cibo reficiat. Sic in virum perfectum dispositus, in lata charitatis regna pervenies. Quo cum lætus intraveris, virum statim mutatus in alterum, nova omnia novus ipse in te miraberis. Deinceps in via Domini nil durum tibi reputabis aut asperum, totum quod horret caro tua, tibi spiritus in virtute dulcescit. Hinc virtutum pasceris in liliis, donec æternitatis aspiret dies, quo Dominum Jesum quem mente secutus es, feliciter apprehendas. In quo vale memor mei, charissime.

EPISTOLA CXIII.

AD A. PAPAM.

Patri suo et domino summo pontifici A. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, debitum charitatis et obedientiæ famulatum.

Quo fratrum corda pius amor connectat vinculo, nemo vobis, Pater altius inspicit, penes quem virtutum magistras charitas principatum nobiliter obtinens, virtutem condigne remunerante Domino, vos totius Israel currum aurigamque constituit. Hac nobis plurimum imperante, dilecto fratri nostro præsentium latori, Nicolao compatimur, et lugenti collacrymantes, pro ipso sublimitati vestræ etsi nulla spe meriti, benignitatis tamen apostolicæ confisi gratia, supplicamus. Absens enim innoxius et ignorans, archidiaconatu quem et juste possidebat, et ministrabat sobrie, nulla juris aut ordinis observatione spoliatus est. Qua de re, cum suum jam frequenter episcopum multorum etiam interventu convenerit, nil inveniens solatii, nil omnino remedii, ad oppressorum confugit speciale subsidium, ubi facit Dominus judicium inopi, et afflictæ causam viduæ intra sui penetrale, conclavis admittit. Quem, cum id exigente justitia, et agente misericordia, clementer exaudieritis, multos id desiderii et orationis ad Dominum inflammabitis, ut in longa tempora feliciter disponatis et judicetis Israel, qui causas ejus non ex personarum acceptione, sed æquitate summa discernitis. Valeat dominus meus et Pater in Christo charissimus.

EPISTOLA CXIV.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino pontifici A. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, debitum humilitatis et obedientiæ famulatum.

Cum spectat ad judicem singulorum causas diligenter attendere, specialius tamen attendendæ sunt quæ in filiorum innocentiam sub adnotatione criminis intenduntur. Funestæ namque voces et clamosæ præcludendæ sunt his, qui vitam innocentium persequentes et famam, quorum non probant culpam, hos tamen invidiosa malitia trahere moliuntur

ad pœnam. Causæ quidem ejus quæ inter Osbertum A Eboracensem archidiaconum, et S. clericum vertitur initium, prosecutio et finis, appellatione ille suspensus est, quem ex litteris legati vestri domini Cantuariensis archipiscopi, plena potest veritatis luce sublimitas vestra cognescere. Has quidem et diligenter inspeximus. et omnes causæ ipsius articulos in eum processisse modum, quo litteris designantur eisdem, plane testificamur. S. enim prædictum archidiaconum super morte Willelmo archiepiscopo veneno, ut decebat, illata, et quibusdam criminibus aliis impetens, in ipsum vinculum inscriptionis arripere, et coram judice ecclesiastico agere recusabat. Cumque in tanta multitudine parentum et amicorum archiepiscopi defuncti solus ipse staret, et nullis fulta testimoniis verba funderet, lami- B nam candentis ferri in prædictum archiepiscopum eo tutius offerebat, quo Ecclesia Dei probationem hujusmodi nullatenus admissuram attendebat. Ipsumque ad regis audientiam eo confidentius provocabat, quo ad judicium hoc apud cinctum judicem de jure celebrare non posse avertebat. Cumque judicis animum in eo non oporteat versus quemquam moveri, quod non potest ostendi, pro jam dicto archidiacono preces sublimitati vestræ porrigimus, ne apud vos incurrat iram, quem et multa liberalitas...

Desunt nonnulla.

EPISTOLA CXV.

[AD HENRICUM REGEM]

Domino serenissimo et præcellentissimo prin- C cipi, illustri Anglorum regi, H. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, pedibus sanctis conculcato Satan, in Christo triumphare feliciter.

Te domine dilectissime, ob id divina bonitas mulorum prætulit regimini populorum, ut multis per e subveniat, et his quibus præes, dono multiplici er te gratiæ suæ munus impendat. Quod quidem ngente nostra impletum novimus, cui te sic domiium geris, ut et Patrem exhibeas, elatos sic repriis, ut mansuetos et humiles mansuete disponere, egere et suscitare non dimittas. Te Ecclesiæ proectorem, pupilli patrem, viduæ consolatorem, et mnes injuriam passi propitium judicem, ipsis reum experiuntur indiciis. Et cum omnes alta pace audeamus, per te arva solummodo dudum herbis D oribusque depicta, se in omnem jam frugum exuerantiam exerceri, nocte dieque ligonibus aratrisue sauciari secure tuo sub imperio conqueri posse identur. A Domino in te caput regni, et a te in mnes ejus oras, oleum gratiæ diffusum exuberat. uod ad genua sublimitatis tuæ corde prostratus xpostulo, ut et latori præsentium nuper orphano, estri quondam fidelis Radulphi de Wirecestre, filio rimogenito, munus apud te gratiæ miserantis obineat. Incolumem te et potentem in longa tempoa majestas divina conservet, in Christo domine ilectissime.

—

EPISTOLA CXVI.

[AD B. LEICESTRIÆ ARCHIDIACONUM.]

G. Dei gratia Herefordiensis episcopus, venerabili fratri et amico suo charissimo. B. Leicestriæ archidiacono, bene prosperari semper in Domino.

Quid in nobis obedientia sibi vindicet, prudentiam vestram charissime ad plenum scire non ambigimus, quem in castris obedientiæ laudabiliter agere, Deo devotis obsequiis militare bonæ vestræ opinionis ad nos pertingentis odore cognovimus. Inde est quod dilectæ nobis in Domino fraternitati vestræ preces affectuose porrigimus, quatenus clericis vestris, quos ad agendum et testificandum apostolica auctoritate citavimus, quod synodum quam celebrastis minime interfuerint remittatis, et amico pulsanti veniam hanc apostolicæ etiam auctoritatis intuitu concedatis. Nam quia qui occasionem damni dat, damnum quoque dare videtur, si ob culpam hanc, in eorum damnum zelus vester incanduerit, si absentiæ suæ multam exegerit, nobis id poterit imputtri, qui delegata nobis potestate, non plene forsitan utentes, eorum cautius invigilare debuimus impunitati. Valere vos optamus in Domino.

EPISTOLA CXVII.

[AD MATTHÆUM ARCHIDIACONUM GLOCESTRIÆ.]

G. Dei gratia Herefordiensis episcopus, amico suo Matthæo archidiacono Glocestriæ, salutem.

Veniens ad nos jamdiu hic lator præsentium, U. de Pedeure, conquestus est vos cum justa nequaquam interveniente causa suspendisse, et decanum vestrum sententiam quam in eum dederat, auctoritate vestra promulgasse. Nunc vero ad nos iterato recurrens, se aliter quam se res habet, opinatum fuisse fatetur, et quidquid decanus vester in eum præcipitanter egerit, ipsum hoc absque vestra conscientia fecisse profitetur. Unde quantum aures vestras velut ignarus facti tunc replevit querimoniis, tantum etiam æquitatem vestram nunc extollit præconiis. Unde cum error facti nulli ad damnum esse debeat, preces benignitati vestræ porrigimus, quatenus benevolum benevole suscipiatis, et pristina sibi restituta gratia, modicum quod intercessit delicti, prece nostra remittatis. Valete.

EPISTOLA CXVIII.

[AD A. COMITISSAM LEICESTRIÆ.]

G. Dei gratia Herefordiensis episcopus dilectæ sibi et diligendæ semper in Domino A Leicestriæ venerabili comitissæ, salutem quæ nunc est, et quam speramus in Domino.

Audito, charissima, eo quem de te ama circumquaque plangit eventu, confestim corde concussus sum, et menti meæ si quid jucunditatis aut hilaritatis insederat, hoc ad diri casus auditum anxius repente dolor exstinxit. Audimus enim te lecto doloris decubuisse graviter, et viam pene carnis ingressam in te totum quod homini minari potest mors carnis, propemodum excepisse. Sed quem regis lacrymæ, dum prope mors pulsaret, ut annos sibi ter quinos adderet, ad miserendum inflexerunt,

ipse sanctorum pulsatus lacrymis, multorum motus singultibus te ipsum mente et spiritu desiderantem, te in beatam patriam affectione tota tendentem, tuis ut lætus audio benigne restituit. et velut in exitu constitutam ad nos clementissime revocavit. Flores, ut æstimo, patriæ cœlestis odorare jam cœperas, et prægustata fortasse gaudia tibi jam differri conquerendo deploras. Patienter, obsecro, dilectissima, sustine Dominum, qui quod differt non aufert, quod suspendit ad tempus postmodum cumulatum reddit in gloria. Non est in paradiso qui ad profectum sui honorum indigere possit exemplis. Ubi non est perfectio, opus esse constat exemplo. Exemplo tui multas perfecisse cognoscimus, qui te subtracta de medio, ne in incertum currant, habent unde gratias agant, te virtutis exemplare retinent, quod præ oculis abendo, virtuti sese conformare intendant. Age ergo, dilectissima, et quam magno Dei munere restitutam suscepimus, curam adhibe, ne per tui incuriam amittamus. Patres emeritos habes circa te, tibi fideliter assistentes, te eadem qua seipsos charitate amplectentes. Horum, obsecro, pare monitis, acquiesce consiliis, defectu nimio caro tua viribus evacuata est, utpote quæ cum morte luctata nisi opem ferente Domino non evasisset. Te vero virtutem semper zelare non ambigo, unde et de his quæ nunc instant jejuniis pertimesco. Obsecro ne quod scribo exhorreas; salubribus interim monitis acquiescas; defectam, quæso, carnem carnis esu sustentes, et modicum quo reficies in suis Domino pauperibus largiter recompenses. Fratres qui circa te sunt, in hoc mecum sentire æstimo, quatenus usque ad isti sunt dies (2*), debilia membra tua vitamque velut supremis in labiis constitutam, carnis sustentari patiaris edulio, et victu et vestitu tredecim interim fratribus erogato, tu tibi a defectu provideas, ipsorumque necessitati benigna charitate subvenias. Vale, dilectissima, et exauditu pio amici mentem supplicantis exhilara.

EPISTOLA CXIX.

AD HENRICUM REGEM.

Domino suo præ cunctis sibi charissimo, illustri Anglorum regi H. frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, omni die ad Dominum devotæ mentis obsequium.

Obsecro ne irascatur dominus meus, si clementiæ suæ paucis supplicaverit humilis amicus ejus. Sollicitat me dominus cancellarius, ut curam Londoniæ episcopatus suscipiam, et ex parte redituum episcopatus, episcopum ipsum et domum ejus exhibeam, reliquum vero domino meo regi, prout sibi spiritus Dei suggesserit, erogandum conservem. Quod quia periculosum mihi est, et in multum animæ meæ dispendium, ad pedes sublimitatis vestræ corde prostatus expostulo, quatenus huic oneri me eximat vestra sublimitas, et curam hanc alii cui placuerit administrandam committat. Confido de misericordia Domini, ut ad petitionem meam cor domini mei regis inclinet, et me pia exauditione vestra lætificet, ut mihi redditus Deo devotius intendam, et ipsum pro salute vestra tanto purius, quanto expeditius, totis animæ meæ viribus interpellem. Muro suo inexpugnabili circumcingat vos Dominus, et armis potentiæ suæ protegat vos semper, domine in Christo dilectissime.

EPISTOLA CXX.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino T. Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, frater G. Herefordiensis minister, ex affectu amori intimi fidele munus obsequii.

Quod ad præsens dilectæ nobis et diligendæ semper in Domino sublimitati vestræ scribimus, hæc causa est, ut virum venerabilem Hugonem Londoniensem decanum, damno imminente, quoad possumus, eximamus, ne forte occasione damni data, sibi etiam hoc ipso damnum dedisse videamur. Dilectus quidem noster bonæ memoriæ Ricardus Lundoniensis dudum episcopus, cum extrema laboraret ægritudine, et omnes quo promoverat, quosque sibi beneficiis obligaverat, rerum suarum administrationem suscipere, ob plures quas prætendebant causas pertimescerent, dominus Lincolniensis et nos, cum ejus visitandi gratia advenissemus, in hoc consilium dedimus ne domum suam ulterius incerto statu fluctuare permitteret, sed suarum rerum administrationem et curam jam dicto decano et Nicolao archidiacono, ipsos ad hoc vi obedientiæ compellendo committeret. Qui nimirum onus attendentes negotii, mandatum hoc multa supplicatione declinassent nisi tandem in hoc domini Lincolniensis nostrisque precibus et monitis acquievissent. Unde quia pactum contractus cujusque naturam auget et minuit, factoque cuilibet suæ dant formam circumstantiæ, sublimitati vestræ preces affectuosas porrigimus, quatenus actionem quam jam dicti episcopi creditores adversus jam dictum decanum occasione procurationis hujus instituunt, quousque vobis valeamus assistere differatis, ut qualiter et quo pacto procurationem hanc susceperit, relatione nostra simul et testimonio cognoscatis. Ipsum enim onus debitorum episcopi in se nequaquam suscepisse, nec administrationem hanc aliter subisse noveritis nisi ut rerum curam ageret, ipsumque et domum suam fideliter exhiberent. Et si quid ex reditibus ipsius et obventionibus annuis reliquum foret, hoc ubi necessitas debiti plus urgeret, non prout creditor vellet, sed ut res esset exsolveret. Quod ob id sanctitati vestræ notificare curavimus, ne clericum vestrum quod non rapuit exsolvere compellatis, nec ipsum pietatis officium injustis solutionibus aliquatenus affligi permittendo, reliquos filio vestro a patre suo de cætero, quod absit! obsequii absterreatis. Valere vos optamus, in Christo Pater charissime.

EPISTOLA CXXI.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino T. Cantuariensi Dei grati

(2*) Hic aliquid videtur deesse.

archiepiscopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, sic utinam pugnare, ut vincat.

Latorem hunc, domine, præsentium familiarem nostrum Ecclesiæ nostræ canonicum, suis quidem commendabilem meritis dilectæ nobis in Domino sublimitati vestræ commendamus attentius, preces affectuose porrigentes, quatenus amore Dei et petitione nostra causam ejus quantum nititur justitia foveatis, nec adversariorum suorum calliditate jus suum opprimi, aut in vestra deperire præsentia permittatis. Quod adversantes ei multa licet nube falsitatis involvant, de vestra speramus æquitate judicii ut cito coram vobis falsitas, evanescat, ad vestri lucem examinis iniquitatis tenebræ facile dissipentur. Illum igitur optamus in vobis spiritum convalescere, qui dudum in propheta sanguinem salvavit innoxium, ut cum clericum nostrum ab his quæ adversus eum malitiose conficta sunt, in spiritu discretionis eripueritis, nos gratiæ debitores, ipsumque servitio semper obnoxium habeatis. Valere vos optamus, in Christo Pater charissime.

EPISTOLA CXXII.

AD UNIVERSOS S. MATRIS ECCLESIÆ FILIOS.

Dilectis sibi in Domino universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, in Christo dilectionem et salutem perpetuam.

Consensu contrahentium inita pacta stabile tunc demum robur accipiunt, cum eorum quorum hæc firmare potest auctoritas excipiuntur litteris et firmantur sigillis. Inde est, quod conventionem inter Herebertum canonicum nostrum, et Willelmum capellanum domini T. Cantuariensis archiepiscopi, habitam super ecclesia de Hinteberga, scripto commendare curavimus, ut in hoc quod inter eos interposita fide compromissum est, obligatum utrumque alteri etiam scripto rem gestam fideliter interpretante teneamus. Herebertus ei in quamdam partem præbendæ suæ, ecclesiam scilicet de Hinteberga, cum capella sancti Laurentii, et aliis omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, jam dicto Willelmo in perpetua vicaria et eleemosyna, annua triginta solidorum pensione tenendam habendamque concessit, et eum in nostra et capituli nostri præsentia investivit. Quia vero canonico de præbenda sua ultra diem functionis suæ disponere de jure non licet, ego et tota capituli nostri plenitudo conventione eamdem in totam jam dicti Willelmi vitam extendimus; hoc unanimi consensu concedentes et statuentes ut, si Willelmus Hereberto susperstes exstiterit, ei qui Hereberto in præbenda eadem fuerit substitutus, in eamdem et non ampliorem, si id forte voluerit, summam teneatur, sed jam dictam pensionem solvendo, nostra et capituli nostri auctoritate, securitate plenissima potiatur. Post diem vero Willelmi, libera sit facultas canonico nostro, quicunque tunc fuerit, super eadem ecclesia disponendo, ut eam vel ipse teneat, vel cui voluerit ampliori pensione consedat. Quod quia firmum inconvulsumque discernimus, ego et capitulum nostrum, præsenti scripto et, sigillorum nostrorum appositione firmamus. Testibus. . . . (*Cætera absunt.*)

EPISTOLA CXXIII.

ROBERTI HEREFORD. EPISC. AD EOSDEM.

Dilectis in Christo fratribus universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, R. Herefordiensis Dei gratia episcopus, Dominum exspectare sollicite, et venientem gratulanter amplecti.

Quia Ecclesiam Dei regendam et in aliqua sui portione administrandam, Domino permittente, suscepimus, ejus commoditati quoad possumus consulere et providere credita nobis dispensatione debemus. Quod ita recte fieri arbitramur, si confracta solidando et quæ dissipata sunt in corpus unum redigendo, tam incolumitati ejus quam ampliando divino cultui studuerimus deservire. Quoniam igitur omnibus pie credentibus manifestum habetur, nec forum religioni convenire, nec castellum, qui tumultus et sanguinum locus est, servientium Domino paci congruere, ecclesiam Beati Petri in foro Herefordiæ sitam, et ecclesiam Sancti Guthlaci intra ambitum castelli illius importune positam, et omnes possessiones et parochias et dignitates earum, in unius Ecclesiæ corpus redegimus, et eam ecclesiam apostolorum Petri et Pauli, et Sancti Guthlaci, quam extra civitatem ipsam in loco religioni aptissimo ædificari fecimus, ad serviendum Domino in perpetuum episcopali auctoritate sancivimus. Et ne auctoritate nostra gravare quempiam, aut juri cujuspiam præjudicare videamur, tam his qui sunt, quam filiis qui nascentur et exsurgent post nos, præsenti scripto notum facimus, Rogerum de Port, qui ecclesiam Sancti Guthlaci diu injuste, utpote laicus tenuerat, et possessiones ejus indigne distribuerat peccatum hoc grande cognovisse, et in præsentia mea, et fratris Radulphi decani nostri, et canonicorum nostrorum Hugonis de Clifford, et aliorum tam clericorum quam laicorum quamplurimum, ecclesiam ipsam ut divinis officiis plenius assignaretur, in manu nostra penitus refutasse. Ipso itaque Rogero devote supplicante, venerabili etiam fratre nostro abbate Glocestriæ et conventu ipsius benigne annuente, prædictas ecclesias in unum conjunximus, et hanc illarum possessionibus, dignitatibus et pertinentiis omnibus fundatam et dotatam, perpetuæ apostolorum Petri et Pauli et Sancti Guthlaci venerationi designavimus. Et quia conventum ibidem fratrum Deo servientium et ibidem regulariter viventium, per manum prædicti abbatis Glocestriæ, Deo disponente, suscepturi sumus, hanc ipsam apostolorum et Sancti Guthlaci ecclesiam præfati abbatis, omniumque successorum ejus obedientiæ, et ecclesiæ beati Petri Glocestriæ custodiæ et subjectioni, capitulo Ecclesiæ nostræ in his omnibus unanimiter assentiente, commisimus. Quicunque ergo hoc pietatis opus pie attenderint, manumque auxiliatricem ad hoc confirmandum cum

fideli devotione porrexerint, perpetuam quæ inibi agentur orationum communionem, episcopalem a me qualicunque ecclesiæ ministro benedictionem, a summo autem pontifice Christo æternam consequantur retributionem. Amen.

EPISTOLA CXXIV.

AD A. (ADRIANUM PAPAM.)

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, apostolicæ sublimitati debitam reverentiam et charitatem.

Quod beatitudini vestræ super causa pauperis et honesti clerici, præsentium scilicet latoris, Simonis Lichesfeldensis canonici, scribimus: hæc, domine, causa est, quod illatam sibi injuriam in creditæ vobis dispensationis culmen redundantem utique cum molestia sustinemus. Qui, cum adversus priorem Coventrensem et fratres ejus eum a parte quadam præbendæ suæ, ecclesia, scilicet de Hunitune, expellere nitentes, ad audientiam vestram appellasset, postea cum dominus Cestrensis et ego, ob Ecclesiæ negotia, Wigorniæ convenissemus, appellationem suam præsentibus nobis innovavit, et in sui rerumque suarum protectionem et patrocinium, priorem ipsum præsentem ad sublimitatem vestram ad *Lœlare Jerusalem* appellavit. Cui, cum ob vestræ celsitudinis eminentiam in tuto jam omnia esse oporteret, manus tamen sacrilega prorupit in audaciam, ut ipsius decimas et præsentis fructus anni multo sibi labore collectos intra cœmeterii septa invaderet, et hinc ablatos asportaret. Quod sive sciente sive nesciente priore actum sit, ab ejus tamen hominibus perpetratum esse non ambigimus. Unde zelum nostrum temperare non possumus, quin sanctitati vestræ super hac corrigenda temeritate supplicemus, ut injuriam suam ob corrigendos alios manus apostolica juste puniat, et misericorditer egeno laboranti subveniat. Chartas enim domini Rogeri, dudum Cestrensis episcopi, et dilecti Patris nostri domini Cantuariensis Theobaldi inspeximus, quibus ecclesiam hanc in præbendam sibi collatam fuisse ante transactionem inter Cestrensem et Conventrensem Ecclesiam, per manum sanctæ memoriæ papæ Eugenii initam pro certo cognovimus. Valeat in domino sanctitas vestra, domine Pater.

EPISTOLA CXXV.

AD PAROCHIANOS HEREFORDIENSIS ECCLESIÆ.

Gilbertus Dei gratia Herefordiensis episcopus, dilectis sibi in Domino universis ejusdem Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Quod a prædecessore nostro bonæ memoriæ, domino Roberto episcopo, ad honorem Dei et Ecclesiæ sanctæ decorem pariter et utilitatem salubriter actum est et statutum, nos ejus imitati vestigia, ea quæ nobis a Deo concessa est auctoritate concedimus et confirmamus. Quoniam itaque jam dictus præcessor noster ecclesiam Beati Petri in foro Herefordiæ sitam, et ecclesiam Sancti Guthlaci intra castellum Herefordiæ ambitum fundatam, in corpus unum redigere, et unam beatorum apostolorum Petri et Pauli et Sancti Guthlaci ex jam dictarum ecclesiarum possessionibus constituere, et in loco religioni aptissimo extra civitatem ædificare, et in ea monachorum conventum instaurare decrevit, nos hoc ipsum ratum habentes, annuimus, et jam dictæ ecclesiæ beatorum Petri et Pauli et Sancti Guthlaci omnes possessiones et dignitates et libertates, a jam dictis duabus ecclesiis retroactis temporibus habitas, et sibi a jam dicto prædecessore nostro confirmatas concedimus, et præsenti scripto et sigilli nostri attestatione, ut in perpetuum sibi firma permaneant. In his vero hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. (*Desiderantur reliqua.*)

EPISTOLA CXXVI.

AD FRATRES TEOCHESBERIÆ.

G. Dei gratia Herefordiensis Ecclesiæ minister, dilectis sibi in Domino fratribus Teochesberiæ domino famulatum exhibentibus, salutem.

Sapiens docetur e facili, et qui doctrinis affluunt, hos satis et succincta brevitate commoneri. Si libertati vestræ quam circa Patris electionem, apostolica vobis concedit et confirmat auctoritas, in magnum, quod absit! Ecclesiæ vestræ præjudicium sponte renuntiatis, judicium utique justum est, ut ea de cætero careatis, et quod ex arbitrio suscepistis jugum illud diu sustineatis. Quod quia vobis captiosum, imo summe periculosum est, mandamus vobis et fraterna charitate consulimus, quatenus libertati vestræ conservandæ unanimiter intendatis, ne si ob cujuscunque favorem aliud fortasse feceritis, Ecclesiæ vestræ detrimentum cum id jam emendare non poteritis, sera et infructuosa pænitentia lugeatis. Valeat charitas vestra, dilectissimi.

EPISTOLA CXXVII.

AD R. COMITEM LEICESTRIÆ.

Venerabili domino et amico in Christo charissimo comiti R. Leicestriæ, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et gratiam, et a manu Patris excelsi benedictionem perpetuam.

In iis, charissime, quæ mea potest sedulitas adimplere, debetis non uti prece, sed jussione. Est enim vobis, eritque apud me semper jubendi plena auctoritas, mihi vero nec deest, nec unquam deerit prompta vobis obsequendi voluntas. Vestras nimirum preces pariter et præcepta sic ratio distribuit, ornat honestas, modestia semper comes moderatur, ut volentibus quod honestum est, ea recursare sit difficillimum. In eo siquidem negotio, super quo mandatum sublimitatis vestræ nuper accepi, in negotio videlicet fratrum de Teochesberia, promptius quidem et longe expeditius illis consilio pariter et auxilio profuissem, si die quo me urgens mandatum domini Cantuariensis et injunctæ vis obedientiæ illuc venire, et de facta electione inquirere coegit, saltem mihi vel verbo communicassent; a quibus non admissus non potui invitis beneficium præstare, quod nunc quidem pro amore Dei, et pro reverentia mandati vestri, non negabo vel ingratis. Honestatem namque

electæ personæ approbo et commendo; et si me cum negotium ipsum tractabitur, interesse contigerit, de ipsius promotione ad honorem et utilitatem fratrum et monasterii de Teochesberia, quantum potero, salva pace prælatorum, vestra prece commonitus, operam dabo. Valete.

EPISTOLA CXXVIII.

AD ROBERTUM LINCOLNIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo R. Lincolniensi Dei gratia episcopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, Christum portando in se ambulare sapienter et sobrie.

Susceptis litteris quibus diligentia nos vestra lætificare dignata est, solito gratior et consueto serenior illico nobis dies illuxit. Auditis enim rerum... ..... eventibus, et perplexa quadam ingenii subtilitate, pace jam sublata de medio nec fracta cito redintegrari, nec dissidentes admodum regum animos facile sibi conciliari posse speravimus. Sed qui ventis imperat et mari procellam cito in auram statuit, et quæ turbata sunt, ad pacis bonum statim ut vult amota nube discordiæ imperiosa qua præest potestate convertit. Unde cum pax nostra a domini nostri regis pace dependeat, spes ipsa pacis quam annuntiatione jam bona concepimus, ecclesiæ pariter et regno Angliæ præparatorium quoddam gaudii.., juvante Domino, exsultationis inducit. Quod vero speciale est ad nos, sospitati vestræ quam directa declarat epistola, intimis congratulamur affectibus ob conservatam vobis incolumitatem, illi gratias referentes, qui cum suis benigne graditur, et iter et actus ipsorum, angelo comitante, prosequitur. Ad vestrum vero jam suspensi tenemur reditum, quia cupienti animo nunquam satis festinat, moram ipsam cum molestia sustinentes, et ut optatos occuramus in amplexus, adventus vestri nuntium de die in diem speranter pariter et exspectantes. Valeat dominus meus et frater in Christo charissimus.

EPISTOLA CXXIX.

AD UNIVERSOS S. MAT. ECCL. FILIOS.

Dilectis sibi in Domino universis sanctæ matris ecclesiæ filiis, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem quæ nunc est et quam speramus in Domino.

Quæ litis inquietudine quandoque turbata sunt, ipsius sopito fomite, denuo revocantur ad pacem. Quæ nimirum inter aliquos reformata, ne facile quibusdam emergentibus causis evanescat, ut pactis legitimis firmanda est, sic et expienda scripto, et in perpetuam sui soliditatem litterarum memoria testificanda pariter est et roboranda. Noscas itaque vestra discretio causam, quæ inter Joannem clericum et Reginaldum de Pagaham super ecclesia de Fredintune diu agitata est, quæ etiam a Patre nostro domino papa Alexandro nobis delegata est, ut ipsam diligenter audiremus, et rationibus partium hinc inde diligenter auditis et cognitis, ipsam; remoto appellationis obstaculo, mediante justitia, decideremus, in hunc tandem modum conquievisse. Nam, cum Joannes adducta testium copia, jam dictam ecclesiam in integrum sibi restitui postulasset, Reginaldus esse sciens ambigua facta causarum, anticipando judicium in integram medietatem jam dictæ ecclesiæ Joanni per omnia concessit, sicque cum eo transigendo liti finem imposuit. Elegit enim Joannes oblatam sibi ecclesiæ portionem potius in pace suscipere, quam testes suos probationibus et juramentis onerare. Tactis igitur Evangeliis utrinque juratum est ut, neuter alterum sua de cætero portione fraudet, sed uterque alteri jus suum integrum illibatumque conservet. Sane aliquo ipsorum altero tamen superstite decedente, jure suo sibi in partis alterius recuperatore, salvo per omnia permanente. Quod quia coram nobis actum est, nos ad finem pacis cuncta redigi cupientes approbavimus, et transactioni in hunc modum initiæ assensum præbuimus, ipsam ut in perpetuum convalescat, præsenti scripto et sigilli nostri appositione testificando confirmavimus.

EPISTOLA CXXX.

AD RICARDUM LONDONIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo R. Londoniensi Dei gratia episcopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et dilectionem.

Scriptum nosti, charissime, justo quidquid acciderit, id ipsum minime perturbare. Illud enim Apostoli cordis oculis intuetur, bonis in bonum cuncta cooperari (*Rom.* VIII). Unde prospera si affluant prophetæ concinit dicens: *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi* (*Psal.* XII). Adversa si obvient, illud cordis labiis modulatur: *Obumbrasti caput meum in die belli* (*Psal.* CXXXIX). Hæc, charissime, dum mecum reputo, in te nullius impetum fortunæ perhorresco. Quæ læta si venerit, mansuete suscipitur; adversa si proruat, haud timetur. Hujusmodi mihi de te facile persuadent mentis tuæ constantia et viarum tuarum jamdiu nota perfectio. Quæ si quam firme speramus radicem suam solo mentis tuæ inserunt, te quidem non in luto aquarum multarum vento agitatam arundinem, sed in virtutum Libano cedrum firme radicatam, tentationis flatus inveniet. Nec quidem ista profero, quasi adversum aliquid in te mihi tuæ tenor epistolæ nuntiaverit. Nuntiat quidem adversum te appellatum et jam factæ donationis tuæ celebrationem solemnem ad dominum papam interposita appellatione suspensam. In hoc vero quid advertitur, nisi quod animi tui tepor aut torpor excitatur, aut excutitur? Nam qui hominem juxta cor tuum inveneras, te in melius gratia promovente, ipsum quidem debueras non tantum melius dico, sed et in te alterum promovisse. Jam fere sera in fundo parcimonia est, nisi quod expedit equidem et necesse est ut et corporis fatigatione aliquantula torporem redimas tuum, et quod retro minus actum est exerente se et seipsam strenue exercente animi virtute perficias. Qua in re non est quod triste reputem. Ad tempus enim a regni hujus tempestate semotus, donante Domino, quietum car-

pes iter et placidum; et virtutum fultus adminiculis A summi pontificis faciem videbis intrepidus, et senatorum curiæ utique gratiosus assistes. Nec te moveat adversarii tui in publicas jamdiu gratulationes suscepta facies. Inde enim spem concipio, unde desperationem forsan aliquis comminatur. Nam si bene morigeratus et litteratus juvenis inter deos audiri meruit, et placere, quid non minus ornato moribus, aut munito litteris episcopo subtrahet gratiam, quin et ipse quidem ordine longe sublimior, fortunaque potentior inter bonos sibi possit gratiam collocare? Favorabilis enim reus non de lucro captando sed de damno evitando contendis. Quod ante susceptas domini papæ litteras in personam omnium testimonio idoneam procuratoris beneficio contulisti, ratum manere desideras. Novi templum B illud justitiæ, pectus scilicet apostolicum, unde ad omnes emanat æquitas, modeste omnia dispensare. Qui potuit alteri quod tui juris est non negare, impensa sibi reverentia debita, non magni quidem æstimabit tibi quod tuum est restituere. Honesta et utilia tibi providentur a Domino, et quod in contumeliam adversarii tibi machinatur improbitas, commutabit in gloriam bonorum oratione propitiata Divinitas. Me vero ad præsens adeo ducis Normannorum oppressit adventus, ut ad iter istud facultas non suppetat, etsi voluntas illud omnino suadeat. Ibis ergo sine me, animæ dimidium meæ, et qualitate sui quam præferent suspensum ad te animum vela quæ reportabis afficient. Quia vero post episcopatum domino papæ et curiæ in nullo servivi, illis C verba mittere formidavi. Quid enim aut in quem modum scribam nescio, et præsentiæ vestræ scriptum meum modicum conferre non ignoro. Itineri autem tuo in eo quod mandasti, et in eo quod internus amor suadet amplius, jucundissime providebo. Interim autem si honesta se obtulit transactio, ipsi stari rogo simul et consulo. Valeat dilectus meus.

EPISTOLA CXXXI.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino T. Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, Anglorum primati et sanctæ sedis apostolicæ legato, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et obedientiam.

Scire quæ circa vos sunt, et ad posse nostrum vobis in omnibus obedire cupientes, ad vos præsentium latorem dirigimus, ut de transfretatione vestra, D de mora etiam citra vel trans mare rescripto vestro certum aliquid intelligamus: adjuvante namque Domino, non in incertum curremus, cum de vobis certa noverimus. De cætero rogamus, si placet, ut causam quæ inter comitem Herefordiæ, et G. de Laci vertitur, breviter advertatis. Conquestus est nobis G. de Laci, comitem Herefordiæ quemdam militem suum Ricardum scilicet Britonem in quodam cœmeterio cepisse. Cujus rei probationem miles de carcere quo tenebatur, directis ad nos nuntiis offerebat, supplicans officio nostro liberam sibi sui facultatem ad tempus concedi, ut pro se stare posset in jure, et si qua in sui liberationem haberet, hæc allegare. Quod æquitati concordare judicantes, hæc comiti ex sententia injunximus, ut statuto die prædicto militi sui copiam concederet; quatenus et in jure, ut dictum est, stare, et pro se agere posset, cautione tamen interposita, ut nisi eum Ecclesia liberaret, idem comiti se redderet. Comes vero se gravari asserens, diem proximam post festum beati Laurentii statuens, ad vestram audientiam appellavit. Quia vero inhumanum videtur prædictum militem appellatione in longinqua protrahi, et tamen in carcere et vinculis detineri, preces super hoc sublimitati vestræ porrigimus, ut comiti injungatis ut prædictum militem coram vobis statuta die exhibeat; omni tamen securitate interposita t nisi eum sententia vestra liberaverit, in sua vincula revertendi. Hoc enim æquum arbitramur et bonum, et vestra ad quam appellatus est auctoritate dignissimum, et non solum in hoc honori vestro, sed et paci nostræ quamplurimum providebitis. Unum enim superest quod advertere consultissimam prudentiam vestram obnixe deposcimus. Comes Herefordiæ excommunicato vestro Willelmo de Bellocampo, per omnia communicat. Qua in re summe necessarium est ut districto tam ipsum quam nos mandato urgeatis, ut aut ejus communione et societate abstineat, aut ipsum par anathematis sententia insolvat. Vilescit enim anathematis auctoritas, nisi et communicantes excommunicatis corripiat digna severitas. Unde si vestrum circa hæc zelum exerceri placuerit, nisi a prædictis cessaverit, excommunicatum eum publice denuntiari oportebit. Valeat dominus meus charissimus.

EPISTOLA CXXXII.

AD. . . . . .

Pie salutantis affectum, et sincere diligentis officium.

Incolumitati vestræ, dilecte frater in Domino quam quorumdam relatu cognovimus, affectu plene congratulamur, et vos apostolorum limina visitasse summoque pontifici et curiæ sanctæ gratiose astitisse, et bene consummatis negotiis domum remeasse feliciter, animi applausu intimo gaudemus. Unde cum rogatu quorumdam scribendi vobis s[...] præstaret occasio, vobis animi affectionem nostr[...] significare dignum duximus, quatenus si quid erg[...] nos vestræ complacuerit charitati non supplication[...] utatur, aut preces porrigat, sed in amici partes s[...] potenter extendens, suo potius utatur imperi[...] quam aliquatenus precis oblatæ blandiatur offici[...] Hinc quoque spem impetrandi concipimus, si beni[...]gnitati vestræ nostrum aut amici nostri desideriu[...] exponamus. Est autem apud vos quidam familiari[...] noster, Petrus videlicet clericus Rogeri de Mand[...] quem tuitioni vestræ et patrocinio devotio nostr[...] commendat, supplicans, ut liberalitatem quam i[...] eum dominus suus in ecclesiis quibusdam confer[...] disposuit, auctoritate vestra quantum permitt[...] ratio stabiliatis. Quatenus ipsum servitio semp[...]

obnoxium, et nos gratiæ debitores habeatis. Valete.

EPISTOLA CXXXIII.

AD RICARDUM LONDONIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo R. Londoniensi Dei gratia episcopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et dilectionem.

De negotio vestro mihi non ad præsens aliud occurrit nisi ut si honesta se obtulerit transactio, stetur illi. Tu autem, propositum iter arripiatis, et adversantes vobis in campo Martio, juvante Domino, cornu justitiæ ventiletis. Lividorum latratuum Scyllas undique erumpentes audimus; omni aura sancti Spiritus flante, prospere enavigabitis. Si necessitas expetat, bonum est in stuporem etiam et miraculum domino papæ servire, quam in certamine cœpto succumbere. Dura dicimus, cum longe meliora speremus. Quia et dura scripsit dominus papa, quæ tamen omnia præsentibus et pulsantibus nobis apostolica mansuetudine temperanda pro certo credimus. Valete, state in fide, viriliter agite (*I Cor.* XVI); et Deus pacis conterat omne Satan sub pedibus vestris velociter. Amen. Monachum nostrum ad vos mittimus, ut status vestri certitudinem recipiamus.

EPISTOLA CXXXIV.

AD ROBERTUM COMITEM GLOCESTRIÆ.

G. Dei gratia Herefordiensis episcopus, ROBERTO Glocestriæ illustri comiti, pacis et justitiæ comitatum.

Inter meriti vestri laudabiles titulos id, dilecte comes, speciali quadam lampade puræ lucis irradiat quod in locis vestræ potestatis Ecclesiam Dei benigne fovetis ac protegitis, et pacem servientium Deo, non vili rubiginosi æris conductus pretio, sed liberalitate mentis purissima conservatis. Quia vero *datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I), hoc procul dubio beneficium, non vobis de terra deorsum, sed de cœlo sursum collatum est, quod unus inter regni hujus potentes et nobiles, sapientia, moribus, honestate præfulgetis, et ipsi auctori vitæ vestræ condignos, et audimus, fructus eundo semper in melius ubertim exhibetis. Hoc quia thesauri cœlestis est donum, eo conservandum est diligentius et obsignandum. Equidem mihi gratulor et congaudeo Dominum Jesum sub bysso et purpura sibi apud vos domicilium invenisse, et hominem licet ætate juvenem, sensu tamen maturum, inter regni hujus male corruptos principes absque vitii corruptela incessisse, et paci potius et sapientiæ quam ludibriis juvenilibus sollicitam operam laudabiliter impendisse. Hoc est, dilecte comes, quod vobis apud Deum gratia collocat, quod vobis religiosarum mentium vota conciliat, quod vobis Deo famulantium non orationes solum, sed etiam soliloquia sancta communicat. Optamus itaque, ut qui bene currere incœpistis, cursum optime consummetis, et ab A inspectore cordium et largitore gratiarum toties sibi et Ecclesiæ suæ exhibitæ reverentiæ condigna præmia in illa die reportetis. De cætero supplicat vobis per nos paupercula Winchelcumbensis Ecclesia, ut apud æditumm vestrum, Petrum de Saltemareis, per vos gratiam inveniat, et paci ejus apud ipsum pietas vestra provideat. Quam si exaudieritis, tam ipsos obnoxios servitio quam nos gratiæ debitores efficietis. Valete.

EPISTOLA CXXXV.

AD. R. DE WIRECESTRIÆ.

G. Dei gratia Herefordiensis episcopus, charissimo amico suo R. de Wirecestria, salutem.

Quod laboranti famæ meæ amicali condoletis affectu, multimoda gratiarum actione remunero, solamen B infortunii reputans eam quam in vobis experior amicitiæ veritatem. Verumtamen vos eum esse cupio, qui dolenda doleat, non dolenda æquanimiter ferat. Uno namque raptantur errore quamplurimi, ut nisi voluntati suæ quæcunque fuerit pareatur, sibi justitiam fieri nullatenus arbitrarentur. Hi mihi si detrahant, si famam meam, quæcunque est, lividis latratibus mordendo dilanient, æquanimiter fero et dum mecum ratio faciat, dum juris forma concordet, omnes hos, velut e quadam rationis et intelligentiæ superioris arte despicio. Non enim quam multis displiceam, sed qualibus attendo. Vos quoque difficilem habere volo aurem ad crimina. « Ad pœnitendum properat cito qui judicat. » Si minus quam oportuerit egi; si excessi, ipsi judicate; ipsi, quæso, C decernite. Cum pervenit ad me, comitem Herefordiæ milites vestros in ecclesia Eveshamensi cepisse, sperabam me Wigorniensis Ecclesiæ vicarium et nostrum super hæc spectari et exspectari debere judicium. Inde est, quod diem personatibus statui, ipse quoque in medio, ut sperabam, cogniturus et judicaturus resedi. Meis ibidem e manibus judiciaria potestas sublata est, et Wigorniensis archidiaconus plenitudinem potestatis hujus adeo ad se pertinere protestatus est, ut inter ipsum et dominum Cantuariensem nullum omnino medium admitteret, omnesque personas quæ convenerant, conjurando et contestando a me prorsus averteret. Sic dominum Wigorniensem in suo discessu statuisse, sic plena auctoritate sanxisse, multorum testimonio affirmabat. Quid mihi inter hæc? Me sibi, in judicandis D Ecclesiæ causis, inferiori quodam gradu inferiorem submittere episcopalis dignitas non ferebat. Pari vero aut superiori consistere commissa sibi potestas et gloria non sinebat. Damnum vestrum et militum vestrorum R. advertitis, sed si mihi prædictus archidiaconus in faciem conspuit, illud plane negligitis. Jam judicate, jam decernite quid mihi agendum supererat? Nunquid in ipsa Ecclesia judicandi, quæ nec me judicem agnoscebat, nec mihi causas judicandas commitebat? Culpa quippe est immisceri negotio ad se non pertinenti. Sed hic fortassis objicies, puidquid archiediaconus ille proclamaret, Wigorniensis tamen Ecclesiæ vicarius eras, et si

quid inordinate ab ipso etiam pronuntiatum fuerat, A in ipso vindicare et punire debueras. Bella mihi R. moves. Plane tibi illud respondeo, non est mihi tibia tanti. Onus mihi, non honorem æstimo alienis implicari negotiis. Obsequium mihi præstitit, qui me huic curæ subduxit. Agant magna sua quibus commissa sunt, mihi pauca mea sufficient, felices illos sua sequantur præconia ; mihi semper animo sedeat, aut nullis aut veris laudibus delectari. Age ergo et me lacerantium dentibus jam, si placet, eripias, et qui mali nil merui, detrahentium verbis suffocari non permittas. Habent tui quem sequentur, a quo suas exposcant injurias, qui vigore justitiæ peccata puniat, lapsa reparet, amissa restauret, quem suis extollant præconiis, si bene fecerit, sin autem male hæc et inveniet. Volo tamen, ut quod B actum est, intelligas. Dies comiti Herefordiæ a domino archidiacono statuta est, et, auditis allegationibus partium, sententia dicta est. Sententiæ comes paruit, et a judice absolutus discessit. Quid tibi judicium illud contulerit, satis nosti. Ego unum scio, quia litteris domini legati, quas misisti, in comitis præsentia perlectis, comes statim ad ipsum legatum appellavit, se nimium gravari asserens, eo quod causa super qua judicio Wigorniensis archidiaconi et ecclesiæ stetit, per omnia paruit, denuo adversus eum instauratur, et rediviva suscitatur. Habet præ manibus quod scriptum est : Impetrata rescripta non placet admitti, si decisæ semel causæ fuerint judiciali sententia, qaam provocatio nulla suspendit, sed eos qui talia scripta meruerint etiam C a limine judiciorum expelli. Sed jam item inflammaberis, et nisi post factum appellationem in comitem, quem judex vester absolverit, interdicti aut anathematis sententiam tulero, me. . . . . . , me justitiæ ecclesiasticæ contemptorem, me tuorum causam damnorum, non tuo quidem, sed tuorum judicio reputabis. Quod si feceris, patientiam mihi, molestiam tibi necessariam æstimo. Verumtamen inter molestiæ fines, te laudabiliter, quæso, contineas. Si quidem militari me crederum usquequaque negotio, quia te in hujusmodi satis expertum non ambigo, consilium in hoc tuum omni jucunditate complecterer. Tu quoque quia in campum litterarum et causarum ecclesiasticarum non mediocriter impegisti, amici, quæso, consilium ne despi- D cias. Nam quia in rebus hujusmodi meam, ut ita dicam, ætatem consumpsi, mihi aliqua saltem magisterium hoc jure quodam videor vindicare. Scriptum noveris charissime : « Novum quod postulas, non est, quod etsi rescripti mei auctoritas intercesserit, provocandi tamen facultas non denegetur. » Hinc quidem patet post susceptas domini legati litteras, me comitem ab appellatione prohibere non potuisse. Item loco post illum proximo scriptum noveris : « Appellatione interposita, licet ab judice repudiata sit, in præjudicium deliberationis nihil fieri debere, et in eo statu omnia esse quo tempore pronuntiationis fuerunt sæpissime constitutum est. » Unde manifeste cognoscitur post appellationem factam, mihi quidquam circa statum appellantis, aut interdicto aut anathemate innovare non licuisse. Sed id fortasse a sententia, non ab exsecutione sententia appellanti non attribuisse. Sed scriptum noveris ; quia judicati exsecutio suspendi solet, si falsis allegationibus circumventam esse religionem judicantis, is contra quem judicatum constat esse promiserit. Quod quia comes die proximo post festum beati Laurentii se facturum asserit, nos ut a nostra ad præsens jurisdictione elapsum inconcussum dimittimus, et ipsum una cum litteris nostris ordinem rei gestæ continentibus, domino legato juxta legum et canonum auctoritatem committimus. Valete.

EPISTOLA CXXXVI.

AD A. LINCOLNIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo A. Lincolniensi, Dei gratia, episcopo; frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem.

Spe fruendæ visionis et allocutionis optatæ currentes Presteberiam jam veneramus. Suspendit desiderium nostrum fatalis adversitas, et vos alias trahente necessitate, allisus ad eam nostri cursus impetus contra votum et velle nostrum cohibetur. Scribimus autem vobis in amoris experimentum, imo omnium amicitiarum gratiam, quatenus cognatum nostrum et amicum G. Foliot, in causa quæ supra Ecclesia sua adversus eum instituitur, sustentetis, et vestro et vestrorum consilio eatenus sustentari faciatis ; quatenus absentiam nostram vestra illi præsentia suppleat, et an quidquam possimus apud vos, impensa sibi benignitate et gratia, recognoscat. Ad pedes vestros, quos ipsi manibus libentius amplecteremur, quia hoc ad præsens non possumus, deprecatorias has supplicando deponimus, habituri de exauditione gloriam, aut de repulsa confusionem non modicam. De cætero, si nobis secretum aliquod scriptorum non communicandum consilio intimare placuerit, antiquorum reminisci studiorum, et scholam vel ad momentum repetere, et proprio exarare manu non tædeat, ad quod sensus nostri tenuitas re alii non communicata respondeat. Valete.

EPISTOLA CXXXVII.

AD RICARDUM LONDONIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo R. Londoniensi, Dei gratia, episcopo, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem.

Paci vestræ congratulor quæ cum Joanne reformata est. Opto autem, ut quæ nuper exorta sunt, discreta alicujus interveniente prudentia, pacificentur. Contristor autem et totius consternor animo, quod talia adversum vos permisistis erumpere, quæ omnia suffocasse mediocris quidem dum tamen provida circumspectio potuiseet. Nam licet falsa sint quæ dicuntur, quæ tam jactantur in vulgus malam orationis fabulam per multorum aures disseminant. Æstimo vero necessariam domini Lincolniæ industriam, ut ipse quocunque poterit modo Henricum

ad se evocet, et negotio incumbat eatenus, ut quæ motus iracundia protulit, conversus ad cor et deserat, et a proposita intentione simul et appellatione discedat. Quod equidem obtinere sapienti non erit difficile, qui lapidem noverit omnem movere. Dicere namque leve est, sed episcopum aut honestum clericum in hujusmodi convincere, ejus certe viribus impossibile. Formidandum sibi equidem ne pœna quam in alterum intentat, in semetipsum obruat et involvat. Quidquid tamen egerit, vobis dominum papam adire necesse est, quod multo honestius faceretis, oblitteratis quæ objecta sunt confessione pœnitentis. De cætero vobis ad colloquium occurrere apud Oxfordiam die Mercurii proxima post Assumptionem beatæ Virgis paratus sum. Sed ad iter quod exigitis, omnino certe imparatus. Nam etsi in pace sunt quæ possideo, ipsi tamen conservandæ necessariam meam omnino præsentiam intelligo. Quam etsi, me absente, non turbari contingeret, residuum tamen locustæ apud nos brucus adeo comederet, ut post brucum quod comedat eruca jam non inveniat. Valete, et colloquio nostro si fuerit, dominum Lincolniensem vocate.

EPISTOLA CXXXVIII.

AD GILBERTUM DE LACI.

G. Dei gratia Herefordiensis episcopus, domino Gilberto de Laci, agendo bene commoda salutis obtinere.

Mandavit mihi dominus meus rex ut canonicam vobis justitiam facerem de comite Herefordiæ, qui milites vestros in ecclesia et cœmeterio captos, dicitur ad redemptionem compellere. Qua in re sciatis, quod in quantum, salvo ordine meo, potero, præceptioni regiæ libenter parebo. Sed juxta statuta legum, juxta auctoritatem sacrorum canonum, mihi in re ista nihil amplius licet facere, quam quod ante susceptas litteras constat a me factum esse. Diem enim causæ huic statui, partium altercationem [audivi], super auditis judicavi; et quia neminem ab appellatione prohibere possum aut potui, appellationem comitis adversus rem judicatam audivi. Facta appellatione, hoc justum est, hoc canonicum, ut nulla audacia me amplius de causa hac intromittam, nisi ut litteras totam fere seriem continentes, ad judicem, ad quem appellatum est, per partem utramque transmittam. Has vero litteras quæ etiam apostoli vocantur, post appellationem statim tam comiti quam militibus vestris obtuli, quas quia non suscepitis, in ipsa appellationis die minus forsitam obtinebitis. Ultra hoc non mihi de hoc licet, quam minimo clerico episcopatus mei. Testor autem ipsam veritatem, quæ Deus est, quod nisi me comes per appellationem interpositam impedisset, nec amore, nec odio, nec ulla omnio gratia sententia in eum dilata fuisset. Quod vero contra appellationem nihil possim, si mihi non creditis, ipsum ecce canonem audiatis: « Si quis, spreta judicis auctoritate ad quem appellatum est, rem a se etiam legitime judicatam, nihilominus exsequendo impleverit, ipsa qua fulgebat judiciariâ potestate se eximit. » Item alibi scriptum est: « Appellatione interposita, licet et ab judice repudiata in præjudicium deliberationis, nihil fieri debere et in eo statu omnia esse, quo tempore pronuntiationis fuerunt, cæpissime constitutum est. Unde manifeste cognoscitur post appellationem factam, » etc. Si enim oves, aut boves, aut cætera hujusmodi amittimus, dante Domino, recuperare poterimus. Quod si per inscientiam, fatuitatem aut contumacem inobedientiam ab episcopatu et ordine semel dejecti fuerimus, qui alium nobis det, non facile inveniemus. Unde nobis melius in hujusmodi rebus quaatamcunque jacturam pati, quam circa ordinem periclitari. Quod si meum vobis placeret audire consilium, non occasionem quæreretis adversum me, quia ego Deo gratias ad omnem fortunam e prosperam et adversam paratus sum; et quanto minus habeo, minus certe timebo, et, adjuvante Domino, plus potero. Si litteras quas supradixi acciperetis a me, et diem statutum exspectaretis, et armigeros R. Britonis, et milites captos ad archiepiscopum mitteretis; quia, juvante Domino, ipsum ibi facta probatione liberare poteritis, et qui ex parte mea aderunt, ad hoc utique non nocebunt. De hoc quod mandat mihi rex, ut ad memoriam reducam de duobus bobus quid in ejus præsentia actum sit, bene utique in memoria habeo. Quia causam quam habebam adversum vos, ipso etiam postulante non remisi, sed archiepiscopo se postea intromittente in bonum respectum posui. De hoc mandato archiepiscopi hoc respondebo, quod si appellationem ad se factam cognovisset, nihil utique de re ista præcepisset. Hoc itaque est ipsi obedire rei ipsius seriem aliquid innovetur, ipsi in omnibus aperire quidquid in nos dixeritis. Vos tamen valere optamus.

EPISTOLA CXXXIX.

AD DAVID MENEVENSEM EPISCOPUM.

G. Dei gratia Herefordiensis episcopus, venerabili fratri et amico David, Menevensi episcopo, salutem et dilectionem.

Quam jucundum, quam sit utile pacis et concordiæ bonum facile dignocsitur, si ex contentione et discordia quanta damna proveniant, diligentius attendamus. Nam si motus varios, et quæ nos premunt undique bella attendimus, patet liquido quam sit periculosum Ecclesiæ onus super onus assumere; et præter extera quæ premunt, intestina sibi prælia commovere. Inde est, quod si placet vobis consiliis nostrls acquiescere, sollicite daremus operam inter vos et dominum Landaviensem, pacis modum aliquem invenire. Quod quia facile non est nisi in locum simul tres conveniremus, precamur locum nobis designari, quo convenientibus nobis possit inter nos de vestra pace tractari. Quod si ad hoc Herefordiam delegeritis, die quacunque ad hoc statuetis, aderimus, nec apud dominum Landaviensem cessabunt preces nostræ, quousque et ipsum adesse faciamus.

Noverit autem dilectio vestra nos in eumdem hunc A modum domino Landaviensi scripsisse, et placitum utriusque vestrum et rescriptum exspectare. Valete.

EPISTOLA CXL.

AD WILLELMUM ARCHIDIACONUM LONDONIENSEM.

G. Dei gratia Herefordiensis episcopus, dilectis suis Willelmo Londoniensi archidiacono et magistro Henrico, salutem.

Juxta illud Salomonis, multi assistunt coram faciem principum, sed omnium sententia ex Deo procedit. In ejus manu corda sunt regum ; et ipse ea, cum vult, ad omne quod disponit inflectit (*Prov.* xxi). Inde est, quod si negotio, quod viriliter assumpsistis, suum dominus rex nondum præbet assensum, non tamen desperandum vel a proposito en... resiliendum est, cum sit facillimum Deo, cor ejus et B animum ad id quod sibi placitum fuerit, inclinare. Quod in negotio summum est, jam complestis ; obsecro ne cura minima deficiatis. Canonice celebrata electio, defectu vestro ne deficiat, quæ cito plenum robur habitura est, si ipsi nequaquam defeceritis. Quo enim vobis major vel apud Deum gratia, vel apud homines gloria, causam Dei, postpositis omnibus, viriliter inchoasse, eo abundantior secutura est confusio ; si, quod absit ! fortitudinis spiritu destituti, ab eo quod vobis domini papæ, et omnium fere conciliat corda, recedetis. Confortetur itaque cor vestrum in Domino (*Psal.* xxx) charissime, et juxta vias quas vobis aperiet Dominus, quod cœpistis explete, et de nobis in quantum facere possumus, in negotio amici confi- C dite. Valete.

EPISTOLA CXLI.

AD THEOBALDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino T. Cantuariensi Dei gratia archiepiscopo, et Anglorum primati, et sedis apostolicæ legato, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et obedientiam.

Mandastis nobis, ob querelam abbatis et monachorum Combremarum, quatenus Herebertum de castello Halgod conveniremus, et ut prædictis monachis locum qui dicitur Prena, restitueret, et omnia in eodem loco sibi ablata redderet, commoneremus. Quod cum perlatum fuisset ad nos, monachis mandati latoribus persuasimus, ne litem hanc absente abbate suo inchoarent, et exspectato de transmarinis partibus ejus reditu, actionem, ipso præsente, instituerent. Ipsis itaque huic consilio acquiescentibus, rem ipsorum consensu distulimus. Nuper vero cum apud Ledele ob quædam negotia sederemus, Dobremarum, de cujus reditu nihil ante noveramus, interfuit. Qui, cum ibedem adversus priorum de Weneloc conquestus fuisset. quod prior ipse monachos suos de loco qui Prena dicitur......... et non solum ipsorum pecora, sed et calices, et libros, et vestimenta, totamque domus eorum suppellectilem abstulisset; prior dilatoriam opponens exceptionem, sibi litem hanc nequaquam editam, neque se super hoc ad responsionem citatum fuisse, respondit. Cumque omnium sententia con [sentiente] decerneretur, æquum jurique fore consentaneum utrique parti diem statui, remque sufficienter auditam judicio terminari, abbas conquerens non illico sibi quæ pétebat restitui, ad appellationem convolavit. Si quid igitur in sic data sententia corrigendum noveritis, ipsi juxta datam vobis sapientiam corrigetis, vestroque pariturís mandato, quod libuerit injungetis. Valeat dominus meus et Pater in Christo charissimus.

EPISTOLA CXLII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino T. Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, Anglorum primati, et sanctæ sedis apostolicæ legato, frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, salutem et obedientiam.

Causam, Pater, actam apud nos, et facta ad vos appellatione suspensam, sublimitati vestræ notifico, Quatuor milites Roberti de Laci adversus comitem Herefordiæ hoc apud nos in querelam deduxerunt, quod ipse comes eos in cœmeterio quodam, ad quod ejus timore confugerunt, violenter captos ad redemptionem compulerit, supplicantes officio vestro sibi ablata restitui, seque ut ab ostio evulsos ecclesiæ de manu comitis liberari. Comes vero se eos extra cæmeterium cepisse, et ob hoc ad redemptionem legitime compulisse respondebat, ut sibi in insidiis positos. Excommunicationi etiam qua pacis [sanctarum] dierum violatores tenentur obnoxios, qui pace non servata Ecclesiæ ipsa sancti Pentecostes hebdomada, sub sacro IV Temporum jejunio nocte ad quamdam domum ejus capiendam venerant, et in opere suo comprehensi tunc [in] manus ipsius inciderant. Præterea quo dictis ejus fidem certius haberemus comes se testium idoneorum assertionem probaturum, quod dictum est, adjiciebat. Hanc quoque probationem quod eos extra cœmeterium, scilicet in maleficio quod sibi moliebantur cepisset, sponte seme et sæpius offerebat. Scientes utique de manifesti et occultis aliter atque aliter judicandum, tam cle ricos quam laicos ejusdem loci adjurantes nil potui mus reperire vestigii, quo nobis veritas elucescere D Congruebat namque tempus mysterio, et sub nocti conticinio fuerat opus perpetratum. Attendente etiam quia agenti incumbit probatio, et quod is q agit, probationes affere debeat, quibus id prob quod intendit, et ob hoc a militibus sciscitant quam ejus quam intendebant in comitem probati nem afferant, nihil aliud invenimus, nisi quod tr eorum mutuis volen testes timoniis, singuli du ejusdem litis consortes testes in suæ intentionis a sertionem producebant, de quanto nihil adjiciente nisi quod eum non in cœmeterio, sed per cœmet rium duci conspexerant. Cumque super hoc tes monio fuisset aliquandiu disputatum, ipsum tand minus conveniens reputavimus, tum propter s pectam mutui beneficii vicissitudinem, tum qu unusquisque in causa hac adversus comitem actor

se pariter exhibeat et testem. Et quia frequenter impunita foret ex lege malitia, si d . . . . . . in flagitio honesta de se comminiscentibus, multis in hunc modum testimoniis uti concederetur. His itaque circa probationem deficientibus, nobisque eorum probationem nil certum indagare valentibus, comiti probationem, quam in jure obtulerat, adjudicavimus, ut sic finem controversiæ poneremus. Hæc sententia est quam tulimus, cujus exsecutioni priusquam lata foret, se comes obtulit. Postquam lata est ad audientiam vestram post octo [dies] appellavit. Hanc itaque juxta datam vobis sapientiam, aut corrigetis, si placuerit, aut si de jure quoquomodo stare potest, roborabitis. Noster enim potest oculus caligasse, et tamen sorde corrupti vel gratia nihil judicavimus, sed in eumdem modum multa a Patribus judicata non ambigimus : ut actore circa probationem vacillante, reo juramentum vel ob purgationem, vel causam aliquam nocivam detulerint, sicque jurgiis [finem] imposuerunt. Scriptum tamen novimus : « Actore non probante, reus, etsi nihil præstiterit, obtineat. » Inde quoque prosequimur, quia si reus nihil præstans obtinet, multo magis multorum probationem præstans obtinebit. Judex quoque ratione motus, reo sæpius defert juramentum. Nos quoque et ad hæc commovit hæc ratio, flagrabat adhuc sacrilegium a comite in ecclesia Eveshamensi perpetratum. Crescebat et scandalum, apud Leonis monasterium ob similem comitis excessum. Quorumdam etiam qui capiendis ipsis una cum comite adfuerunt, secreta confessione querimoniam militum veritate niti cognovimus. Quibus omnibus moti, comitem probatione jam dicta oneravimus, qui militum probationem adversus eum, si ipsa forma juris admitteret, libentius suscepissemus. Valeat dominus meus et Pater in [Christo] charissimus.

EPISTOLA CXLIII.

AD R. LINCOLNIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo. R. Lincolniensi episcopo, G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, gaudia pacis et salutis.

Jejunantes et abstemii conspectu vestro, charissime Pater, et alloquio, quinque jam mensium intervallo caruimus. Unde si bene valetis aut secus est significari nobis petimus, ut aut gaudium communicetur ex prosperis, aut si res aliter est. Alterutro quoad possumus humerum supponamus adversis. Læta quippe nobis dies cæterisque serenior lucescit, qua vobis successisse cognoscimus. Adversa vero quæ nuntiat caligine nos obducit, et involvit amaritudine. Præstetur igitur animo desideranti solatium et referatur ad nos chartula de statu et incolumitate vestra, reportans utinam verbum bonum, de nobis vero nisi qualia sunt nuntiare non possumus. Capitis infirmitate continua laboramus, commonitorium habentes a Domino, ut advertamus non esse perpetuum quod interna pulsantis manu jam constat esse commotum. De cætero magno

A frequentique commonemur imperio, duci Normannorum assistere, et sibi placitis obtemperare. Quod si hucusque distulimus, incolumi tamen statu ultra Dominicam invocavit me, amplius declinare non possumus. Assistemus igitur imperanti, et quod rerum experimento noverimus, vobis significare non tardabimus. De cætero, quia semel cœpi, loquar ad dominum meum, nec, quæso, indignemini, si loquar. Gilbertus Foliot summam gerit animi devotionem, ut vestro sese mancipet omnino servitio, et in vestro famulatu expendat, quæ nunc viam consumit otio. Unde supplicat adhibita multorum prece, preces pro ipso porrigi, ut ipsum suscipiatis, et in vestris eum obsequiis suis expensis exerceatis, ut si ipsum idoneum et juxta cor vestrum inveneritis, vestris omnino

B connumeretis. Quod ipsi licet honori foret, vobis tamen esse nollemus oneri. Ubi namque multæ divitiæ sunt, sunt et multi qui eas comedunt. Unde et ipsum circa vos suis vellemus militare stipendiis, ut emolumentum hoc de labore percipiat vestri dominium et notitiam, etsi vobis eum complacuisse noverimus, a vobis impetranti majora fiduciam habeamus. Valete.

EPISTOLA CXLIV.

AD W. CESTRENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo W. Cestrensi Dei gratia episcopo, frater G. Herefordiæ Ecclesiæ minister, salutem et dilectionem.

Quæritis an appellationi locus sit, cum mandatum domini legati susceperitis, ut Ingenulfo monacho,

C remota appellatione, respondeatis. Qui forsitan Ingenulfus causam quæ vertitur inter vos, domino papæ non adeo diligenter exposuit, ut quod a vobis in ipsum actum est, apostolica gestum auctoritate declararet. Unde si palliata humilitate et innocentia simulata judicem ad pietatem commovendo rescriptum impetravit, quod vestram non solum gravet, sed puniat obedientiam præscriptione mendaciorum opposita, intentionem, si placuerit, elidetis. Vestram enim non latet prudentiam quod super hoc in primo codicis in hunc modum continetur: « Præscriptione mendaciorum opposita, si non in juris marratione mendaciorum reperiatur, si non in facti, si non tacendi fraude pro tenore veritatis, non deprecantis affirmatione datum judicem cognoscere, et sententiam ferre oportet. » Unde et consequenter adjicitur : Puniri judices universos jubemus, qui vetuerint pretium argui falsitatem ; » et illico : « Et si non cognitio, sed exsecutio mandatur, de veritate precum inquiri oportet, ut si fraus intervenit, de omni negotio cognoscatur. » Quarto quoque loco subjungitur : Etsi legibus quid consentaneum mendax precator attulerit, careat penitus impetratis, et se. veritati subjaceat judicantis. » Litteras itaque domini papæ sæpius audiri et diligenter inspici bonum est, ut si quid ex his adveritis, unde precum falsitatem arguere possitis, arguendæ falsitati insistatis, et per leges jam propositas judicem secundum vos pronuntiare compellatis. Quod si ad appellatio-

nem confugere necessitas extrema decreverit, super A hoc aliud non occurrit, nisi quod in septimo codicis invenimus, quia et in majoribus et in minoribus negotiis omnibus, quique lege excipiuntur appellandi facultas est. Unde et in eodem codicis Alexander Augustus: « Novum quod postulas, non est, quod etsi rescripti mei auctoritas intercesserit, provocandi tamen facultas nec denegetur. Nos tamen nec os ponentes in cœlum, nec scriptum domini papæ judicare præsumentes, non quid de jure agendum sit ad præsens, sed quod in hujusmodi casu ageremus exposuimus. Leges certe promulgatæ sunt, quorum et in quibus casibus, appellationes recipi non oporteat. Quarum non cum multa tangeret aut notaret, ad ipsum utique appellaremus, quem omni suscipiendiæ appellationi, quæ lege non B excipitur, debitorem utique non ambigimus. Valeat, et in spiritu consilii videat quod agendum est, dominus meus in Christo charissimus.

EPISTOLA CXLV.

T[HOMÆ] CANT. EPIST. AD GILBERTUM.

THOMAS Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, venerabili fratri G. eadem gratia Herefordiensi episcopo, salutem.

Quam sit nobilis et famosa quæ cæteris regni hujus civitatibus civitas Londoniæ, nulli nostrum incognitum est; in quia videlicet ob publica regni negotia et domini regis conversatio et procerum regni soleat frequentior esse conventus. Inde est, quod Ecclesia Londoniensis suo jamdudum orbata pastore talem sibi desiderat episcopum subrogari. C qui civitatis ipsius excellentiæ honestæ vitæ merito, litterarum scientia rerum quoque prudentia sæcularium adæquetur. Magna itaque super hoc deliberatione habita, convenerunt in hoc unanimis cleri postulatio, voluntas domini regis et nostra, ordinatio quoque apostolica, ut ob communem regni utilitatem et Ecclesiæ necessitatem, ad Ecclesiæ Londoniensis regimen transferri, et in ea curam et sollictudinem pastoralem gerere debeatis. Suscepto igitur in hoc domini papæ mandato, ipsius vobis auctoritate injungimus, quatenus postulationi Londoniensis Ecclesiæ, quæ de vestra ad eam translatione in præsentia domini regis et nostra unanimi totius cleri assensu celebrata est, assensum præbere non differatis, et ad ejus regimen tanto devotius D et maturius accedatis, quanto ipsa tantæ personæ consilio et gubernatione dignoscitur indigere. Ad hoc fraternitatem vestram commonemus attentius, ut ad quod trahit vos obedientiæ necessitas, nostræ quoque dilectionis contemplatio affectuosius invitet, ut quem nobis sinceræ dilectionis conjungit affectus, loci quoque vicinia ad nostras et Ecclesiæ Dei necessitates commodius valeat exhibere. Valete

EPISTOLA CXLVI.

ALEXANDRI PAPÆ AD GILBERTUM.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri G. Herefordiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex litteris charissimi in Christo filii nostri Henrici illustris Anglorum regis, et venerabilis fratris nostri T[homæ] Cantuariensis archiepiscopi, etc. *Vide in Alexandro III, an.* 1159-81

EPISTOLA CXLVII.

HENRICI REGIS AD GILBERTUM.

H. rex Angliæ et dux Normanniæ et Aquitaniæ et comes Andegaviæ, G. Dei gratiæ Herefordiensi episcopo, salutem.

Mentis vestræ tantis institutæ virtutibus soliditas simul et honesti corporis integritas indemnis, vestram nihi commendavit, commendabilemque reddit excellentiam. Nec mihi solum, verum omnibus ad quos vestri nominis fama pervenit; mihi tamen præ cæteris experimento fides facta est, qui sæpius animæ salubre consilium a cordis vestri procedens examine datum est. De personæ etiam propriæ dignitate, de regni statu, de gerendis in regno negotiis, sæpius et sæpius sanum et efficax adhibuistis consilium. Hinc itaque vestram corporis et mentis vicinitatem assiduam si possibilitas admitteret desiderans, et mihi et hæredibus meis et regno meo, tam honoris quam utilitatis conservationi et augmento profuturam considerans, obnixe deprecor, quatenus Londoniensis Ecclesiæ petitionem in vestram collatam personam, secundum domini papæ mandatum exsecutioni mandare non differatis, mihi in hoc plurimum obsecuturi et eo amplius favorem meum et amoris augmentum, si erga vos augeri possit, et omnium baronum meorum consecuturi. Ibi quippe cum negatur assiduitas, quatenus licet iterata sæpius mentemm eam simul et corpus vestra fovebit visitatio. Ibi quoties in regno meo de magnis aliquid agendum occurrit, concilia celebranda sunt, et consilia sumenda. Eo barones pro negotiis suis consilio fulciendis, confluunt. Ut igitur latius vestræ bonitatis et virtutis immensæ diffundatur et pateat magnitudo, non immerito vobis ut Londoniensis Ecclesiæ sollicitudinem et curam pastoralem suscipiatis, dominus papa mandare curavit, Ecclesiæ illi tali indigenti pastore satisfaciens, mihi et hæredibus meis et regno meo non mediocriter providens. Festinantiam ergo vestram nullum retardet negotium, nulla præpediat occasio, verum omnis procul amoveatur dilatio, ut citius mandatum domini papæ et nostra omnium voluntas cum vestri et honoris et utilitatis expediatur incremento. Teste Theobaldo archiepiscopo. Apud Windlesoram.

EPISTOLA CXLVIII.

AD ALEXANDRUM PAPAM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Herefordiensis Ecclesiæ minister, devotum et debitum charitatis et obedientiæ famulatum.

Qui nube tristitiæ nuper obducti matre nostra gravis chismatis errore concussa, altius ingemiscendo doluimus, luce veritatis bonorum cordibus illucescente, toto gaudii plenitudine, in Christo dilecte Pater, exsultavimus, cum munere divino procella nobis in auram statuta est, et post noctem dies no-

bis tam profecto grata quam serena resplenduit. Movebat quidem multos illud celebratum, Papiæ quod dicebant concilium, cujus actionem quidam ab Ecclesia nomine peregrinus et re, oratione quidem in audientium gratiam, quibusdam quasi verborum phaleris adumbrata plurimum et ornata conscripsit. Quæ cum perlata fuisset ad nos, et Ecclesia præsente perlecta, quæ mente sinistra dictata sunt, quibusdam, quorum erat in lævam, oculis utique placuerunt. Alii vero bestiam quæ a nequam spiritu nefande conceperat evomentem, alta quadam et in Christo nobili mente contempserunt, habentes præ manibus sacros vestri nominis apices, quos ad universalem Ecclesiam sanctæ dictavit et direxit auctoritas, et huic velut columnæ in loco caliginoso lucenti, et plenum veritatis testimonium intra se continenti, firmiter innitentes, conventum illum sacrilegum vere synagogam Satanæ reputantes et hinc velut a Pilati prætorio, in quo misere declamatum est: *Non hunc, sed Barabbam* (*Joan.* XVIII). *Tolle, tolle, crucifige eum*; *sanguis ejus super nos et filios nostros* (*Joan.* XIX), mente promptissima declinantes, totum quod ab his profane statutum est, sanæ mentis judicio reprobandum per omnia censuerunt. Lumini vero quasi lumen accessit, cum sacram vestram pragmaticam episcoporum, presbyterorum, diaconorum, cardinalium sancte prosecuta est; et provide plena veritatis epistola, hoc mundo clamans, hoc vociferans, ad quos apostolica spectat electio, hos quidem omnes apostolatui vestro communi voto, assensu unanimi, sincera charitatis integritate per omnia consensisse et suæ devotionis obsequium in hoc Christo pia fidelitate præstitisse. Nam si de numero pontificum unus exivit, ejus in hoc reminisci oportuit, quo de numero apostolorum exeunte, veritas in hunc modum testificata est: *Nunc clarificatus est Filius hominis, et nunc clarificabitur* (*Joan.* XIII). Duobus etiam fratribus in partem alteram sentientibus, nunquid ad hoc totam inclinari oportuit Ecclesiæ plenitudinem, cum id clamet auctoritas, ut paucorum absentia sive necessaria, sive fortuita, quod a majore parte ordinis statutum est salubriter, non debilitet? Et item: « Duæ partes ordinis in urbe positæ, totius ordinis instar exhibent. » Et alibi: « Quod majoris partis assensus probaverit, solemnis hoc firmet auctoritas. » Si quid vero tantorum luminum præclaris potuit superandi fulgoribus, id fidelis vestri domini Exoviensis episcopi, plena suavitatis gratia et prudentiæ, ad plenum cumulavit epistola. In qua, dum ipsius fidei puritas, et obedientiæ virtus omnibus in commune residentibus patenter emicuit, micantes [rebus] dubiis multorum animos, ne de cætero velut arundo vento agitata moverentur (*Luc.* VII), quasi coram posito virtutis speculo, et tanquam Domini spiritu per eum plenius exhortante, perfectissime solidavit. Novissime vero consummans omnia sacra legatorum vestrorum attestatio, beato ne cuncta complevit, adeo ut Ecclesia sancta quod

A in aure prius audierat, super tecta secure jam prædicet, et apostolatum vestrum piissimus rex noster humili devotione suscipiat, et Anglorum vobis et Gallicana simul Ecclesia non in occulto jam loquens, sed in omnibus suis finibus jam patenter obediat. Vos itaque, Pater in Christo charissime, in Patrem et pastorem animarum nostrarum suscipimus, vocem vestram audivimus et agnoscimus, alienum non sequimur, sed qui Christi tunicam, quæ nec in passione scissa est, misere consederunt Satanæ in carnis interitum, in Spiritus sancti virtute tradimus (*I Cor.* V). Divinitus itaque collato vobis honori, Pater, ut Anglorum plenius applaudat Ecclesia in uno devotissime in beatis his auspiciis vestris postulat exaudiri, ut beati regis Edwardi corpus B liceat fidelissimo filio vestro Westmonasteriensi abbati Laurentio, prout ejus expetit sanctitas honorare, et a terra levatum, et condigna theca repositum, in publicas totius populi gratulationes in Ecclesia sublimare, quam a fundamentis erectam constituit, et amplissime dotatam, omnibus quæ ad decorem domus Dei sunt, in honorem Dei et beati Petri nobilitatem beatissime consummavit. Hoc quidem corpus, ut ab his quibus fides, ut credimus, habenda est, frequenter audivimus, a centum jam annis usque nunc integrum incorruptumque cum visitaretur inventum est, et qui licet in conjugio positus animi tamen summa virtute toto vitæ suæ curriculo, ut prædicatur, ab omnibus virgo permansit, et post mortem etiam beata sui corporis C incorruptione donatus est. Hunc prophetiæ spiritum habuisse, et in carne degentem futura Domino revelante, prædixisse constanter affirmant, mitem et misericordem et mansuetum super omnes, et beato Petro tam devotum fuisse commemorant, ut diem qua ipsius Ecclesiæ nihil contulerat, se prorsus amisisse deploraret. Ejus adhuc leges apud nos judicia temperant, et regni sui pauperes usque hodie in multis illæsos provida ipsius circumspectione conservant. Honorem vero qui sanctis exhibetur, quia Domino placere non ambigimus, in hoc communi voto serenitati vestræ supplicamus, ut regnum Angliæ apostolicæ semper sublimitati devotissimum honoretis, et fidelem populum, regi suo quem ob multa quæ epistolaris non capit angustia, vere D sanctum existimant, debitum sanctis honorem et reverentiam exhibere concedatis. Conservet vos incolumem in longa tempora divina virtus, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA CXLIX.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, debitum apostolicæ reverentiæ charitatis et obedientiæ famulatum.

Ut ostium cardine, sic sanctæ sedis apostolicæ moderamine sacro omnes quidem Ecclesiæ, Domino sic disponente, et Ecclesiæ suæ sanctæ pie per omnia providente, reguntur. Quæ cum judicialis æquitatem censuræ omnibus exhibeat, jus suum unicui-

que sancte et intemerate conservat. Sic iras mitigat, A sic fomitem reprimit jurgiorum, sic charitatem solidat, et per omnes Ecclesiæ partes pacem, si forte inimico homine superseminante zizania (*Matth.* XIII), in aliquo turbata est, sancta summeque laudabili circumspectione reformat. Inde est quod dilectæ nobis et diligendæ semper in Domino sanctitati vestræ tota mente totoque hominis interioris affectu preces supplicando porrigimus, quatenus erga illam sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialem et devotissimam filiam, Cantuariensem videlicet Ecclesiam, sereni cordis et benevolæ mentis oculos habeatis; et qui jus suum cuique defenditis, ob beati Gregorii et sancti fundatoris ejus Augustini merita, ipsam vestri, quod absit! apostolatus tempore, nec opprimi, nec injustis oppressionibus ab antiqua dignitatum B suarum luce obscurari permittatis. Nam si paternis est fides habenda traditionibus, ut a sancta Romana Ecclesia Cantuariensis fide illuminata est, sic est Eboracensis per Cantuariensem ad fidem procul dubio conversa. Est enim ex historiis notissimum, beati Augustini successorem Laurentium ad hoc Paulinum direxisse, ipsiusque ministerio civitatem Eboracæ ab infidelitatis tenebris eruisse, et in ipsam primatus dignitatem et gloriam hoc ipso digne promeruisse. Quem quidem primatus honorem multis prædecessorum vestrorum temporibus Ecclesia Cantuariensis obtinuit, et in Eboracensem Ecclesiam modis pluribus factisque memoria dignis exercuit. Unde sublimitati vestræ Cantuariensis Ecclesia tota supplicat plenitudo, ne filiam adversus matrem C suam levare calcaneum, et in ejus paritatem efficaciter aspirare permittatis, neve insigne gestandæ crucis, quod soli Cantuariensi concessum esse testatur antiquitas, in scandalum, quod absit! Ecclesiæ Anglorum et stuporem regni, Eboracensis ille in aliena ulterius provincia circumferat, auctoritate apostolica provideatis. Si enim bene meritos beneficiis ampliare dignum est, Cantuariensi procul dubio Ecclesiæ non solum antiqua convenit privilegia conservare, verum etiam novis eam semper dignitatibus insignire consequens est, quæ nimirum sedi semper apostolicæ se in quibus potuit obnoxiam devotissime recognovit.

EPISTOLA CL.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A. frater G. D Londoniensis Ecclesiæ minister, devotum et debitum charitatis et obedientiæ famulatum.

Cunjunctam nobis de colligendo censu beati Petri sollicitudinem quanta possumus acceleramus diligentia, quem licet nondum plene collectum habeamus, qua tamen via collectum transvehere quave cautela salvum transmittere valeamus, juxta anxia nobiscum disquisitione investigamus. In quo, quia nostra nobis non plene succurrunt consilia, vestram super hoc sublimitatem duximus consulendam. Non enim nobis tutum est per ignotos populos et regna incognita jam dictam deferre pecuniam, nisi quatenus reverentia pacis et protectionis domini nostri regis Anglorum noscitur dilatari. Non nostros in hoc, teste conscientia, loquimur labores, aut causamur expensas, sed ipsa rerum pericula formidamus. Inde est quod vestræ supplicamus sanctitati ut vestri, si placet, nuntii circiter Kalendas Octobris, nostris apud Rothomagum nuntiis occurrant, qui aut delatam per nos illuc pecuniam ad vos usque, eum ea qua providebitis securitate perferendam suscipiant aut curam ipsam aliqui fidelium vestrorum prout vestra decernet auctoritas, exsequendam injungant.

EPISTOLA CLI.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, debitum dilectionis et obedientiæ famulatum.

Cum ex vestri, domine forma mandati magistro Matthæo illustris Anglorum regis cancellario, diem adversus R. priorem Monem[utensis] super ecclesia de Langaran statuissemus, ipse eodem die in præsentia vestra adversus jam dictum priorem experiens, ecclesiam jam dictam cum adjacente sibi parochia injuste sibi ab ipso detineri conquestus est. Asserens eamdem ecclesiam cum tota sua parochia ad jus ecclesiæ suæ de Langaran pertinere, ipsamque ecclesiam de Langaran hanc de qua agitur, multo tempore possedisse, nec eam aliquatenus judicio, sed sola Monem, ecclesiæ violentia amisisse. Quod cum coram positis testibus probare paratus esset, prior illico exceptionem sibi peremptoriam objiciens respondit, se super eamdem ecclesia in nostra jamdudum præsentia, cum adversus eum magister Matthæus intenderet, ad audientiam apostolicam appellasse, seque ad sedem ipsam apostolicam instructum venisse. Ubi cum magistri Matthæi diu præstolatus fuisset adventum, nec ipso nec pro se aliquo comparente, apostolico tandem judicio hanc ipsam, ut asserit ecclesiam de Langaran ad jus Monem[utensis] ecclesiæ pertinere, instrumentis testium et juramentis sufficienter ostendit et super hac lite victoriam bonæ memoriæ domini papæ Adriani sententia reportavit. In cujus probationis suæ et secundum eum latæ sententiæ testimonium, privilegium ejusdem domini papæ Adriani ostendit. Hanc ipsam probationem testificans, et ecclesiam de Lanruac, ecclesiæ Monem[utensi] confirmans. Magister vero Matthæus adversum se absentem et indefensum sententiam latam fuisse audiens, priorem hoc falsa suggestione [obtinuisse] asseruit. Quod ut in vestra probet præsentia, ad audientiam vestram ad festum Omnium Sanctorum appellavit. Valeat dominus meus et Pater in Christo charissimus.

EPISTOLA CLII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, devotum charitatis et obedientiæ famulatum.

Cum instaret apud nos Godefridus de Luci, archidiaconus Derbi, ut super quibusdam decimis a

suam, ut asserit, præbendam pertinentibus, adversus Thomam clericum, juxta vestri formam mandati justitiam consequeretur, Thomam illico nostrum intendit declinare judicium, ostendens post directas ad nos litteras vestras aliud a sublimitate vestra ad dominum Wintoniensem emanasse mandatum, ut causam nobis ante delegatam, ipse evocatis partibus et audiret et terminaret. Cum itaque litteras vestras super hoc ipse præ manibus haberet et ostenderet, nos negotium ipsum suspensum tenere curavimus, donec nobis per vos plenius elucescat, quem nostrum liti finem dare oportet. Valeat dominus meus et Pater in Christo charissimus.

EPISTOLA CLIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, debitum dilectionis et obedientiæ famulatum.

Etsi rem grandem dixisset mihi dominus meus, per omnia quidem obedire debueram, quanto magis, cum sibi a me tapetum pedum humile substratorium mitti mandaverit. Mitto itaque super quo scripsit, non tamen quale descripsit vestra sublimitas, optans ut munus exiguum mittentis affectus amplificet, et si deest formæ rotunditas, id quæ penes nos est penuria artificis talo quid in hunc modum aptare scientis excuset. Non enim conduntur apud nos tapeta, sed a transmarinis partibus advehuntur. Quibus in tota civitate nostra diligenti scrutinio perspectis, quod melius invenire potui, dilectæ mihi in Domino sanctitati vestræ transmittere, multa mentis alacritate curavi. Muro suo inexpugnabili circumcingat vos Dominus, et armis suæ potentiæ protegat semper, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA CLIV.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici ALEXANDRO, rater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, totum uod in se potest humilis et ad obediendum prompta levotio.

Dilecte mihi Pater, et diligende semper in Domino, sanctitati vestræ gratiarum refero totis animæ neæ viribus actiones, quod apostolica mihi viscera lementer aperiens, et in necessitas summa anxieati meæ pia compatiens, oculos in me misericordiæ eduxistis, et cui mortis injuste nectebat laqueos dversantis mihi potestatis austeritas in vitam me espirare paterna tandem charitate voluistis in ira, si ua fuit memor misericordiæ, totum tamen quod portuit justitiæ reservans et disciplinæ. Quod proecto beneficium eo mihi gratius, longeque reputaur acceptabilius, quod non ad preces regias, non d multorum in id porrecta suffragia, non ad opum blata pondera seu promissa, sed de fonte charitatis icidissimo, pectore scilicet apostolico, in filium pieate progressa, non meis meritis exhibitum, sed mne præveniente meritum, sola totum gratia misecorditer indultum est. Unde quod obsequii possum, ater, et quod honoris, vestræ circa me munificentiæ

A fateor in omnibus obligatum, adeo ut me velle quod volueritis, totum subire quod injunxeritis compellat pariter et suadeat non solum sedis cui præsidetis auctoritate, sed ex impensi etiam magnitudine beneficii innata, siquidem et jamdiu super hoc concepta voluntas. Suis itaque circa me sibique placitis vestra sanctitas utetur imperiis, in omnibus quæ meæ possibilitati responderunt, patri filius, domino servus obediet, nec durum reputando nec asperum, quod apostolicæ circa me novero mansuetudine complacere. Sciat enim dominus meus, et certum teneat, me a tempestatis hujus qua jamdiu quassamur initio id semper voluntatis, id habuisse propositi, ut vobis occasione quacunque assisterem, et vobis coram positus, anxietatis mei cordis exponerem, ut a sublimi-
B tate vestra impetrata clementer ejus cui astringor officii absolutione, ab his quibus obruor fluctibus saltem nudus evaderem, et cum multorum nequeam saluti saltem meæ aliquatenus providerem. Omnes enim ab Angliæ finibus ad vos usque decurrentes, ut quibusdam non certe placeant, me seminarium discordiæ, subversorem Ecclesiæ, incentivum malorum, fomitem litis et odiorum omnium sinistre denuntiant; et quæ nec vera sunt, nec unquam, juvante Domino, probari poterunt, sanctis vestris auribus adversum me quorumdam promissis et precibus instillare non omittunt. Et ecce, Pater, morior, cum nil horum fecerim, cum horum in nullo conscius sim. Dantur in me sententiæ nec confessum, nec convictum, sed nec quidem commonitum. Formatur et
C confingitur notorium, et ut grassanti nihil desit invidiæ, quod nulli notum est, audacter asserunt esse notissimum. De manu mea sanguis quem non effudi requiritur (*Ezech.* III), et injustissime quæ non rapui cogor exsolvere (*Psal.* LXVIII). Quæ nimirum omnia in me recasura metuens, omnem præveniendo sententiam apostolicam jamdudum appellavi præsentiam, ei super his optans assistere, quem in jure certum est non errare. Quam nimirum appellationem si minime prosecutus sum, hæc causa exstitit, quod legatis ad dominum nostrum regem a latere vestro directis, eis præsentes exhiberemus, et num Cantuariensem vertebatur et nos, cognitionem pariter et diffinitionem commisistis, litteris destinatis ad nos, ut nos eis præsentes exhiberemus, et
D quod auditis partibus, statuerent in nos, firmiter observaremus. Quibus rem minime prosequentibus, cum ob imminens periculum in eorum denuo præsentia una cum fratribus nostris appellaverim, hujus etiam appellationis prosecutio nobis a vestra gratia domini regis interventu remissa est. Testantur hoc litteræ quæ penes nos sunt apostolico signo communitæ. Cum vero judicem moveri non oporteat, si cum de gravamine suspectus est ad superiorem provocetur, offensus tamen dominus Cantuariensis, eo quod ad vestram appellaverim audientiam, meum caput impetere, me non servato ordine proposuit excommunicando suffocare. Cujus rei præscius, sententiam præveniens, ad vestram item appellavi cle-

mentiam, ejus examen expetens, qui merita causarum (A) recte ponderans, suum unicuique jus æqua ratione conservat. Quod enim legitur ne in una eademque causa tertio appelletur, non eo spectat ut quoties episcopus se a metropolitano suo gravandum putaverit, libere non appellet, sed eo potius, ut a sententia a tribus gradatim judicibus post appellationem approbata, qui victus est appellare non debeat. Quod quidem non solem facibus adjuvando dicimus, sed ut his qui de crebra nos appellatione redarguunt vel paucis respondeamus. Ad culmen igitur apostolicum sic appellavi, sperans in subsidio futurum mihi ne ante diem appellationi præfixum, meus posset status ab eo contra quem appellatum est aliquatenus interverti. Sedis enim apostolicæ soliditas illa est, de qua mari dictum est : *Huc usque venies, et hic con-* (B) *fringes tumentes fluctus tuos* (*Job* XXXVIII), ad quam appellando allisa judicis cujusque sententia jam lata suspenditur, si fuerit præappellatum, lata postmodum viribus omnino caret, ut tam re quam nomine prorsus nulla reputetur, habenda magis irrita, quam aliqua extrinsecus solemnitate irritanda. Quia tamen populus juris apices et canonum occulta non percipit, lata in me postmodum post appellationem sententia, a doctis de humilitate culpari, quam divina celebrando de ausu quasi sacrilego a multitudine reprehendi, me sic habens, sic in omnibus exhibens, ac si me teneret sententia, quam ab ipso suæ pronuntiationis initio apostolica sublimitas elidebat, ad quam præmissa appellatio sententiam ne quid posset omnino potentissime re- (C) primebat. Qui nimirum articulus cum possit in partem hanc, Patrum auctoritate suffragante, plurimum disputari, inspectis tamen litteris, quibus me vestra charitas instruere et consolari dignata est altercationem respui, et juxta vestri formam consilii absolutione suscepta, præsente Evangelio me vobis in id quod vestra mihi sanctitas dederit in mandatis obligavi, vestro per omnia pariturus imperio pro possibilitate, non recessurus a promisso. Temperet, obsecro, charitas paterna mandatum, quousque meum in jure deprehenderit actore aliquo idoneo teste peccatum. Si meritis gratiam referri distuli, æstivus calor, difficultas itineris, deprædationis metus et carceris, id fecere differri. Si progressus in itinere ad vos usque non processi, exploratorum insidiis im- (D) peditus sum, et a nuntiis domini regis a vestra sublimitate reversis, sub multa interminatione revocatus. Obsecro per misericordiam Jesu Christi Domini nostri, ut Pater iram filio de corde remittat, et in sua protectione susceptum, totum de cætero ad omne posse meum et si suum velle possideat. Conservet incolumitatem vestram Dominus, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA CLV.

AD EUMDEM, POST PASSIONEM DOMINI CANTUARIENSIS.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, debitum omnino subjectionis et obedientiæ famulatum.

Ad vestram, Pater, indignationem exhausta fletibus, et ærumna corporis mei jamdiu virtus elanguit et obnoxia quæque sensibus officiis indevota suis, innata doloris intimi pene fecit immensitas. Ad vestram enim aversionem factus illico sum plebis abjectio, notis meis opprobrium, et amicis plena confusionis occasio (*Psal.* XXI). Et nisi pia clementis medici cura laguentis vulneri vel in modico lanuginem obduxisset, in salutis desperatæ cicatricem mora profusior ulcera patientis indurasset. Nunc autem, Pater, cum ex his quæ paterna filio indulsit pietas aliquam mihi liceat sperare salutem, reviviscit spiritus meus, exultat anima, et pro mansuetudine benignius exhibita, ad gratiarum actiones mens tota resurgit, et ad sanctitatis vestræ provoluta pedes, totis supplicare viribus, totis anhelat exorare desideriis, ut post mordentia austeritatis vina, piæ lenitatis oleum meis infundatur ulceribus, et paternæ correptionis asperitas maternæ tandem circa me pietatis uberibus excipiatur. Intus jam apud patrem sit, qui pro filio pulset et exoret affectus, punitum jam satis suscipiatis in gratiam et correctum graviter vestris devotum firmiter obsequiis habeatis. Intra castra revocatum pietas paterna promoveat, et prælibatam mihi gratiam ad perfectum manus apostolica justa tandem miseratione perducat, ne in luctu et miseria dies meos transigere, et me dierum meorum paucitatem quæ superest, in amaritudine finire compellat. Conservet incolumitatem vestram Dominus Ecclesiæ sua multis profuturam temporibus in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA CLVI.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G Londoniensis Ecclesiæ minister salutem et debitum honoris et obedientiæ famulatum.

Benignitati vestræ, Pater, mihi jam frequenter exhibitæ corde provolutus et corpore gratias humilli me refero, quod onus a me quo premebar anxie prævalente tandem gratia submovistis, et a mœstitiæ me tenebris in quamdam optatæ spei serenitatem intus apud Patrem pulsante pro filio pietati affectu, misericorditer induxistis. Unde soluto vinculo quo tenebar, nil, Pater, est quod optem amplius, quod desiderantius affectem quam sanctita vestræ præsens assistere, præsentem me totum vobis exponere, et hanc dierum meorum paucitaten relictam a tumultibus et turbinibus abstractam vestri moderamine consilii totam Domino manc pare. Unde meis graviter accrescit infortuniis, quic quid obstaculo mihi quo minus optata peragam et labores meos diutinos et diu continuata tædi optato tandem fine concludam.

Hinc mihi dolor insidet, et meum undequaq spiritum involvit anxietas, dum ex causis plurim emergunt plurima, quæ me avocant a proposito, non occasione quadam, sed necessitate multipli retrahunt ab incæpto. Et quidem in causis il

prima est et præcipua, quod exivit in aures omnium A jamdiu a celsitudine vestra in me latam sententiam cum collata mihi pro gratia vix adhuc paucis innotuerit. Hinc omnium qui vias obsident, qui calles directos ad vos ut formicæ circunquaque discurrentes obambulant, furor accensus est, ut nec Deum verentes nec homines, impune sibi in me cuncta licere judicent, obsequium Domino præstare se reputent, si mihi injectis manibus damnis me pariter et contumeliis afficiant, et carcerali mancipatum custodiæ, hominem a summo condemnatum et reprobatum pontifice, ad exactam usque stipis ultimæ redemptionem, exquisita pænarum adhibitione compellant. Stratas omnes hic adversus me jam rumor implevit. Hac transiturus ille est, quem manus apostolica cunctis exposuit, quem ut B Ægyptum spoliare, suffocare, modis omnibus affligere bonus odor sacrificii Deo, et apud Ecclesiam consummata laus est. Aptate manus, adhibete custodiam, ne sub larva, aut quoquomodo subornatus evadat. Londoniæ vobis opes in januis ecce sunt. Inopes vos de cætero negligentia sola constituet. Hic Pater adversum me murus erectus est, hæc undique difficultas objecta, quam, etsi juvante Domino, transcendere quoquomodo contingeret, ætas tamen ultima, quæ a pluribus me jam annis excepit, impedimento mihi est, ne aut iter istud arripere, aut in paribus sibi viribus laborem hunc aut possim aut audeam aliquatenus attentare. Hæc mihi jam tot invexit incommoda quot enumerare longum est, et quæ magis supprimere quam scripto C propalare compellit erubescentia.

EPISTOLA CLVII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, humilem et debitum charitatis et obedientiæ famulatum.

Venerebilis et charissimi fratris notstri, domini Norwicensis episcopi, præclara ab ineunte ætate usque in senectutem bonam ad id plenum exigunt merita, ut quos delectat honestas vitæ, quibus regio cordi et ipsum digne commendare, et apud sanctitatem vestram cum supplicante debeant affectione promptissima supplicare. Notum quippe satis est ipsum ab ipsis fere cunabulis per omnes ætatum gradus honeste conversatum in Ecclesia ut dicitur ad senectam jam nunc uberem pervenisse, ipsumque D in Ecclesia cui præsidet, et in episcopatu quem disponit, in publicas adeo gratulationes susceptum esse, ut quod sibi impenderitis honoris et gratiæ, in tota ipsius Ecclesiæ plenitudo cum summa gratiarum susceptura sit actione. Cum sit itaque Patris in bonis filiis delectari, apostolicæ supplicamus clementiæ, quatenus in necessitate præsenti, de qua per directos nuntios recurrit ad vos, oculos in ipsum misericordiæ habeatis, et eos qui sibi adversantur inique apostolica severitate reprimendo, ipsum diem suum cum pace claudere, et a vobis ad Patrem omnium cum pace velitis emigrare. Alioquin læsam se virtus erubescet, et justitiam supergressa iniquitas in multorum prævalebit perniciem; et quæ nunc alta pace sopita sunt, horum exemplo facta securior utique perturbabit. Valete vos.

EPISTOLA CLVIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, veræ dilectionis affectum, et humilis obedientiæ famulatum.

Lux, domine, post tenebras gratius illucescit, et post mœroris nubilum restituta lætitia, mens quam dolor afflixerat jucundius hilarescit, Sic Anglicana, Pater, Ecclesia, quæ suis destituta pastoribus longo jam tractu temporis luctum continuavit et lacrymas, ubi vestra sollicitudine, quam filiorum commodis studiose semper impenditis, per directos a latere vestro viros venerabiles Albertum et Theodwinum sedis apostolicæ legatos in eligendis pastoribus et prælatis gloriam libertatis obtinuit, quanto eam dolor gravius afflixerat, tanto uberiori perfusa gaudio intus in spiritu abundantius exultavit. Datus ei fuerat juxta prophetam, pro zona funiculus, pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali juge cilicium. Quæ omnia, Domino potenter virtutem operante per vos, sibi jam longe projecta sunt, et electionum sibi concessa libertate, jam quasi vestibus induta gloriæ sponso suo et regi quam gloriose tam et confidenter assistit, hac usa libertate quam Domino gratiam ministrante per vos assecuta est. Sancta Cantuariensis Ecclesia illa sanctæ Romanæ Ecclesiæ filia spiritualis et devotissima, convocatis episcopis suis suffraganeis, et cæteris ipsius provinciæ personis, in eligendo sibi Patrem et archiepiscopum sanctorum statutis canonum diligenter observatis, cum apud se inveniret idoneum, ad sui regimen accersire noluit alienum. Habens igitur præ oculis quod scriptum est: « Habeat unusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia transegit ætatem, in aliena minime stipendia alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vindicare mercedem, juxta illud Prophetæ dicentis: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Psal.* XLIV), filium quem nutrierat, quem regularis observantiæ sacris jamdiu imbuerat institutis, Ricardum priorem ejusdem Ecclesiæ monachum, virtutum meritis commendabilem, Deo ut credimus et hominibus acceptabilem, utpote cui ad doctrinam scientia, et ad honestatem mores exuberant, totius conventus sui et episcoporum, cæterarumque personarum in hoc concurrentibus votis, in Patrem sibi et archiepiscopum celebrata solemniter electione suscepit, ipsumque ad hoc in sublime rapiens, Deo laudes et gloriam cum multa gratiarum actione populique totius applausu gratanter exsolvit. » Ad cujus consecrationem sequenti Dominica post octavas Pentecostes cum suffraganei convenissent episcopi, nuntiosque suos et rati-habitionis litteras qui ex necessitate aberant destinassent, ex insperato litteræ sub nomine regis junioris conceptæ, in

medium prolatæ et porrectæ sunt, appellationem continentes adversus electiones quæ in regno suo nequaquam celebrarentur assensu. Cui cum Patre superstite nihil a quoquam debeatur in regno nisi salva Patris sui fidelitate, licetque litteræ porrectæ multis ex causis quas enumerare longum est, suspectæ nobis viderentur, majestati tamen vestræ debita cum veneratione deferentes, et honorum vestrum integre cupientes servare, a consecratione abstinuimus, et rem vestræ delegandam notitiæ omnes in commune decrevimus. Unde sanctitati vestræ omnes in commune preces affectuose porrigimus, ne citharam nostram in luctum, et organum in vocem flentium convertatis, sed opera manum vestrarum benigne dexteram porrigatis. Ut sciant omnes, domine, quia manus tua hæc, et tu, domine, fecisti eam (*Psal.* CVIII), et totam Cantuariensis Ecclesiæ plenitudinem vobis uberiorem obligetis ad gratiam.

EPISTOLA CLIX

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A,, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, debitum charitatis et obedientiæ famulatum.

Quæ confidentia, qua facie domino meo Patrique charissimo pro alio supplicaturus assistam, cum ad conciliandam mihi penes vos gratiam ipse potissimum advocato, ut famam late divulgat, indigeam? Non enim est mediator idoneus, quem constat in ejus oculis displicere, quem sese medium constituendo placatum quis debuit exhibere. Attamen, in Christo dilectissime Pater, dum meipsum considero, dum totum me mihi non parcendo discutio, utique non juvenis, mihi nullatenus occurrit animo, ob quod me commisisse quidpiam a facie vestra projici, et a sacratissimo vestræ benignitatis aditu me justum sit eliminare. Vestris enim obsequiis me paratum semper exhibui, nec a fidelitate ulla unquam potero varietate cassus avelli. Qui vos oderunt, illos, Pater, odio habui, et ut in libertate spiritus aliquid audeam, vestro resistentes honori, constanter aliquando repuli pariter et confudi certus.

EPISTOLA CLX.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A. frater G. Londoniensis ecclesiæ minister, sinceræ et veræ dilectionis affectum, et humilis obedientiæ famulatum.

In exsolvendis, Pater, sanctitati vestræ gratiarum actionibus, nostra plane succumbit humilitas, eo quod Ecclesia Dei multis apud nos retro temporibus jugo servitutis oppressa, omnique recuperandæ libertatis spe vacua, vestra tandem sollicitudine quam commissi vobis gregis utilitati vigilanter impenditis, suis restituta natalibus, statum ejus Domino commutante in melius, desiderata plurimum libertate jam nunc ex insperato donata est. Legatorum enim quos ad Ecclesiæ perquirenda remedia in partes nostras circumspectione laudabili vestra direxit auctoritas, hoc tandem cura prudenter et potenter obtinuit, ut in regno Angliæ suis jamdiu viduatæ pastoribus Ecclesiæ ad sui regimen idoneas eligendi personas liberam in omnibus habeant facultatem. Inde est quod apud nos quamplures Ecclesiæ suis gratulantur electis, de vestra confidentes misericordia, ut hi quos concorditer elegerunt, dono vestræ gratiæ promoti in melius consecrationis etiam munus valeant obtinere. Inter has Bathoniensis Ecclesia in venerabilem fratrem nostrum Raginaldum Salesberiensem archidiaconum sua vota porrexit, ipsum concorditer expetens, et, nullo reclamante, aut contradictionem in aliquo movente, solemniter eligens, eique sui curam et regimen tota animi voluntate committens. Quod apud sanctitatem vestram laudum commendare titulis ideo supersedendum credimus, quod ejus litteraturam, mores, et industriam, et in agendis Ecclesiæ negotiis efficaciam, ipsis rerum ut credimus agnovistis indiciis, utpote quem vestra donatum gratia et apud nos ex vestra magnificatum notitia, in id gratiæ culmen erexistis, ut quæ ipsum elegit Ecclesia non modicam ex hoc ipse speret apud sanctitatem vestram gratiam collocari. Quem quia, juvante Domino, in domo Domini cooperatorem bonum futurum credimus, fraterna charitate movente, et in hoc audaciam præstante petimus, ut operi manuum vestrarum benigne porrigatis dexteram, et consecrationem ejus accelerando vobis ipsum et propter ipsum plurimos arctius obligetis ad gratiam.

EPISTOLA CLXI.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, debitum charitatis et obedientiæ famulatum.

Conquestus est apud nos, domine, præsentium lator Ricardus, se ecclesiæ de Bardintuna injuste spoliari, et eam a Waltero clerico injuste sibi detineri, asserens se ut jam dictam recuperaret ecclesiam jamdudum bonæ memoriæ dominum papam Adrianum adisse, et ad venerabilem fratrem nostrum dominum Cicestrensem episcopum, mandatum retulisse, ut super eadem causa cognosceret, et ipsam fine debito terminaret. Jam dicto itaque episcopo suas in hoc partes interponente juxta assertionem Ricardi, Adam clericus dictæ ecclesiæ, eo tempore detentor, cum eo in hunc modum composuit, ut viginti solidos annuatim, nomine ipsius ecclesiæ sibi solveret, et hos solvendo, ecclesiam ipsam vitæ suæ tempore retineret. Ipso vero postmodum in hac solutione cessante, Ricardus se dominum papam item adisse, et jam dictam ecclesiam sibi ab eo adjudicatam fuisse, seque sententiæ hujus exsecutionem ad dominum Cicestrensem detulisse et jam dictum Adam secum denuo in hunc modum transegisse asseruit, ut quinquaginta solidos annuatim sibi redderet, hacque solutione ecclesiam retineret. Innitens itaque auctoritati apostolicæ, qua sibi ecclesia jam dicta adjudicata est, eum ejus nomine jam nec viginti nec quinginta, nec aliquid omnino sibi solvatur, petebat ecclesiam sibi

restitui, et apostolicæ sententiæ reverentiam debitam exhiberi. Walterus vero res inter alios actas et judicatas, aliis nec obesse nec prodesse debere asserens, se jam dictam ecclesiam canonice adeptum, seque a prædecessore nostro bonæ memoriæ Roberto episcopo, ante litis memoratæ tempora, in ea personam constitutum fuisse respondit. Cumque postmodum in Galliis studiorum causa demoraretur, si inter Ricardum et Adam rei suæ procuratorem, ipso absente et ignorante, super ecclesia sua lis actitata et transactio interposita est, ipsam absenti sibi et ignoranti præjudicium affere non posse, notissimi juris esse asseruit. Qui reversus a studiis, et in propria veniens, ecclesiam quam legitime nactus est, jure suo possedit, nec pactiones Adæ super re sua, ipso ignorante, initas aut ratas habuit, aut ratas habere disponit. Volentes vero jus Ricardi, si quod erat plenius intelligere quis eum in jam dicta ecclesia personam constituerit, diligenter inquisivimus. Ipse vero prædecessorem nostrum dominum Ricardum seniorem ecclesiam hanc sibi concessisse respondens, scriptis aut testibus, aut aliis quibuscunque adminiculis assertioni huic fidem facere, nec tunc quidem potuit, nec de cætero se facturum repromisit. Inquisitus vero, an hoc probare sufficeret, Adam scilicet tempore quo cum ipso transegit ecclesiam ipsam suo nomine possedisse, aut Walterum quod inter ipsos gestum fuerat ratum postmodum habuise, horum etiam probatione omnino se carere respondit. Unde cum causam ejus veritate niti non liqueret reverentiam tamen debitam domini papæ litteris exhibentes, W. ab ejus decisione non absolvimus, sed rem in diem alterum quo sibi Ricardus providere posset uberius, differendam æstimavimus. Ricardus vero denuo penes nos experiri renuens rem distulit ad sanctitatem vestram ad festum sancti Ægidii appellavit. Valere vos optamus in Domino, Pater in Christo charissime.

EPISTOLA CLXII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, devotum charitatis et obedientiæ famulatum.

Perlato, Pater, ad nos mandato vestro super comite Hugone et Willelmo de Vaus, debitaque veneratione suscepto, comes Hugo nuntiis illico directis ad nos, anxie conquestus est fratres de Panteneia in læsionem suam vestram circumvenisse excellentiam, et falsa suggestione hanc, quæ ad præsens in eum lata est, sententiam obtinuisse. Negotium vero quod inter canonicos et ipsum vertitur, asserit eo quem consequentur ostendimus, ordine processisse. Villam de Panteneia de feudo comitis Hugonis esse penes nos, fere nullus ignorat, quam se canonicis de Panteneia nunquam dedisse, nunquam scripto confirmasse, jurat, et modis omnibus asseverat. Annis vero jam duobus emensis fatetur se Willelmum de Vaus, qui villam jam dictam suo ascribebat patrimonio, et jure sibi competere dicebat hæreditario, quemque et Patrem suum jam dicti canonici possessionis quam in villa ipsa habent, auctores laudant, solemni curia convocata in jus vocasse, et villam hanc adversus eum, utpote Patri suo nunquam donatam, nunquam hæreditario jure concessam, coram omnibus solemniter evicisse, seque post evictionem hanc curiæ suæ judicio ad villam ipsam manus extendisse ipsamque ut suam seu sperabat sibi aliquandiu possedisse. Prædicti vero fratres super hac necessitate recurrentes ad vos, mandatum ad nos pertulerunt, ut prædictum comitem districte conveniremus, et nisi auctoritate vestra per nos admonitus, eis villam jam dictam et omnia ablata in integrum restitueret, terram ejus totam sub interdicto ponere, et nisi vel sic satisfaceret, excommunicationis in eum ferre sententiam non differemus. Nobis itaque mandatum vestrum multa labore complentibus, domino nostro rege manum efficaciter apponente, villa ipsa canonicis reddita est, et quæcunque sibi ablata fuerant, eis juxta juramentum et probationem suorum, per nos integerrime restituta sunt. Vestræ si quid aliter excellentiæ suggestum est, sic processisse negotium venerabilis fratris nostri domini Norwicensis episcopi, aliarumque ejusdem diœcesis personarum testimoniis poteritis evidenter agnoscere. Deinde processu temporis, cum ad dominum nostrum regem Oxenefordiæ convenissemus, quia super villa hac quam sibi comes Hugo vindicat, lis diu protracta est, et in longum sunt protelata certamina, in ipsa domini regis præsentia super hoc tractatum est, ut canonici rem ipsam litigiosam comiti cederent, et aliam ipso donante susciperent, in qua cum pace degerent, et in pace Domino deservirent. Qua in re, etsi prior domus ipsius assensum daret, rege tamen sic consulente, provisum est, nil ulterius fieri, negotium effectu non compleri, quousque totius conventus Pateneiæ super hoc sciretur voluntas, et communiter haberetur assensus. Conventu vero non approbante, verum improbante, negotium non ultra processum est, nec eis quidquam per dominum nostrum regem aut comitem, aut quemquam suorum commutatum est, aut allatum, aut aliquatenus ut asserunt, imminutum. Verum quod ad possessiones, in eo sibi statu permament universa, quo vestrorum exstabant tempore prædecessorum, cum ipsorum auctoritate inter ipsos et Willelmum de Vaus lis diu protracta sopita est et finita controversia. Comes itaque primum per nuntios, deinde per se, precum arguens falsitatem, ad vestram appellavit audientiam, ostensurus, ut asserit, se nec possessiones eorum ausu ut dicunt temerario occupasse, nec locum suum aut villam, aut quidquam quod eorum sit, commutatione quæ non processit obtinuisse nec datam in se sententiam quam multa humilitate sustinet et patientia, promeruisse. Porro appellationi suæ terminum diem Ascensionis Dominicæ constituit, et quia sive cognitio suæ causæ mandetur exsecutio, precum semper

convenit argui falsitatem, has, appellationis suæ A testes, a nobis litteras impetravit. Qua in re, ne per ignorantiam facti pars adversa caperetur, sæpe dictis fratribus de Panteneia et formam et causam factæ appellationis, per litteras et per nuntios fideles denuntiare curavimus. Valere vos optamus in Domino, Pater in Christo charissime.

EPISTOLA CLXIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem et humilis obedientiæ devotionem.

Ad vos, Pater, referri convenit quæ ad sublimitatem vestram penes nos appellatio facta suspendit. Monachis itaque Sancti Ulmari decimationes quas- B dam a milite quodam parochiano nostro, qui Baldewino Norwicensi archidiacono affinitate conjunctus est in præsentia nostra repetentibus, idem miles jam dictum archidiaconum earumdem decimationum tandem laudavit auctorem. Abbate vero Sancti Ulmari et ipso archidiacono, statuto dil in presentia nostra super eisdem decimationibus adversum se experientibus, archidiaconus ipse ad Patrem nostrum dominum Cantuariensem appellavit, quibus in ipsius præsentia constitutis, abbas a domino Cantuariensi ad audientiam vestram rem appellando suspendit. Prosequentes appellationem monachi a sublimitate vestra litteras ad dominum Cicestrensem retulerunt, ut super causa cognosceret, litterasque cognoscendo dirimeret. Evocatis ad ipsum partibus, C ut ex ipsius litteris accepimus, res hunc finem sortita est. Decimationes jam dictæ monachis adjudicatæ sunt, et easdem sæpedictus miles abjuravit. Directæ sunt ad nos litteras domini Cicestrensis testificantes hoc, et auctoritate vestra injungentes, ut jam dictos monachos in corporalem earumdem decimationum possessionem induceremus. Sic monachi possessionem nacti sunt. Emenso anno, cum jam messes colligerentur, servientes suos direxit archidiaconus, ut jam dictas decimationes susciperent, et ejus nomine aptarent, et in tuto reponeret. Quibus pars altera incontinenti resistens, adjudicatas sibi auctoritate vestra decimationes asportari, minime passa est. Verum vim inferre volentes repulit, suumque sibi detinuit. Querelam ad nos referens super hoc D dominus archidiaconus, cum statuto die earumdem decimationum restitutionem sibi fieri, tanquam vim passus exigeret, auctoritas rei judicatæ sibi objecta est. Qui rem inter alios judicatam, aliis obesse non debere asserens, se judicio domini Cicestrensis nequaquam interfuisse, ideoque sententiam ab eo obesse sibi non debere respondit. Aliis possessioni sibi auctoritate nostra adjudicatæ innitentibus, ipsamque convelli non debere asserentibus, archidiaconus se gravari conquerens, ad vestram appellavit audientiam, et has appellationis suæ testes litteras impetravit. Valere vos optamus in Domino, Pater in Christo dilecte.

EPISTOLA CLXIV.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, debitum charitatis et obedientiæ famulatum.

Ad vestram, Pater, justum est referri notitiam, quæ facta ad vos appellatione suspensa, vestræ sublimitatis expetunt in sui decisione sententiam. Unde vestræ notificamus excellentiæ, nos ob instantem querelam parentum comitis Alberici, diem constituisse, et tam comitem ipsum quam comitissam uxorem ejus in præsentiam nostram evocasse, ut quæ inter ipsos vertuntur audiremus, et fide veri plenius habita, mediante justitia decideremus. Partibus itaque coram positis, parentes comitis propo- suerunt copulam comitis et comitisse nequaquam fore legitimam, eo quod priusquam comes illam duxisset uxorem, frater ipsius comitis, Galfridus scilicet de Ver, super ea in uxorem ducenda cum patre ipsius comitissæ fide interposita pepigisset. Asserebant etiam eatenus processisse negotium, ut pater comitissæ ipsam cum trium jam esset annorum, prædicto Gaufrido, utpote futuram suam tradiderit, et Gaufridus eam fratri suo comiti Alberico sibi custodiendam commiserit, et cum jam sex complesset annos, susceptam de manu comitis, in domum propriam duxerit, sibique venerationem omnem tanquam futuræ uxori suæ, tam per se quam per suos, in omnibus excepta tori communione, usque ad annum duodecimum jam fere completum exhibuerit. His igitur inter patrem comitissæ et Gaufridum fratrem comitis, interposita fide, firmatis, asserebant Gaufridi et comitissæ firmata fuisse sponsalia, et quæ fratris sponsa fuerat, alteri postmodum fratri legitime non nupsisse. Adjiciebant etiam contractum hunc ipso comitissæ consensu fuisse firmatum, cum ad ætatem jam dictam pervenerit, et toto hoc annorum curriculo nunquam his quæ agebantur vel momento contradixerit. Comitissa vero, quæ a patre suo gesta sunt, cum trium tantum esset annorum, ætate nondum admittente consensum, se penitus ignorasse respondit. Et si pater suus cum Gaufrido contraxit, ut dictum est, id se nec tunc scisse, nec postmodum approbasse, nec his quæ inter eos gesta sunt assensum unquam præbuisse constanter asseruit. Unde cum in contrahendis sponsalibus eorum requirendus sit consensus, de quorum futuris nuptiis agitur, ipsa Gaufridi sponsam se nunquam fuisse ait, quæ nunquam de conjugali copula cum eo subeunda, a quoquam requisita est, nec in hoc unquam animi voluntate consensit. Si itaque a patre suo Gaufrido tradita, de manu Gaufridi a comite suscepta, si postmodum a comite Gaufrido reddita et ab ipso in domum propriam ducta est, et ibidem annis aliquot conversata in his omnibus necessitati paruit, cum Gaufrido nunquam in conjugale vinculum, aut opere aut voluntate consensit. Quod ut manifestis declararet indiciis, adjecit se cum jam aliquantulum excrevisset, patri suo litteras direxisse, et se con-

nubio Gaufridi nunquam præbituram assensum evidenter ostendisse. Parentes vero comitis patriam potestatem ostendentes in sobolem, objecerunt, patrem posse filiæ maritum eligere, quem nisi vel degenerem vel indignum elegerit, ipsam ejus voluntati dissentire non posse. Partibus itaque sic experientibus alterutro, cum jam tertio sedissemus, comitissa conquesta est advocatos suos ob metum comitis et suorum, causæ suæ patrocinium suum, quominus tute eo minus diligenter exhibere. In quo se gravari asserens, ad « Lætare Jerusalem, » ad vestram appellavit audientiam, et rem continentes ut gesta est, has a nobis litteras impetravit. Valere vos optamus in Domino, Pater in Christo charissime.

EPISTOLA CLXV.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, ad omne patris imperium humilis obedientiæ famulatum.

Sublimitatis vestræ mandata debita, domine, veneratione suscipimus, et exsequendis his, operam quam possumus et diligentiam reverenter adhibemus. Quæ si quando non statim ad ipsa conquerentium vota peragimus, non ideo negligenter aut tepide quæ nobis sunt injuncta prosequimur, cum res cito decidere, aliqua procul dubio juris aut facti necessitate præpediamur. Unde si causam Herlewini clerici adversus virum venerabilem abbatem de Ibreio aliquantula mora protraximus, id causæ exstitit, ut sub indulta mora verbis et ambagibus involuta veritas erueretur, et lis in longum protracta, fine tandem legitimo sopiretur. Eo vero processit inquisitio, ut statutis diebus pluribus, et partibus in se invicem experientibus, domino Wintoniensi et nobis et instrumentis et testibus liquido claresceret, decimationes ipsas quas modis omnibus extorquere nititur Herlewinus, ad ecclesiam de Docchinges, quam jam dicto abbati vestra jamdiu adjudicavit auctoritas, jure plenissimo pertinere, et easdem Herlewino nullo prorsus jure competere. Factum enim quo nititur Herlewinus hoc est. Tempore belli, cum in Anglorum regno licebat fere totum cuique quod poterat, ecclesiam jam dictam quidam Willelmus nomine adeptus est. Hunc Herlewinus, ob quod ecclesiam ipsam patruus suus quidam, videlicet sacerdos ante possederat infestans plurimum, in hoc tandem induxit, ut decimationes ecclesiæ sua solum auctoritate annuo sibi censu tenendas concederet, ut Herlewinus vel sic ab ejus infestatione conquiesceret. Qui nimirum Willelmus non multo post ad frugem melioris vitæ se transferens, ecclesiam cum omnibus ad ipsam pertinentibus, in manum domini Norwicensis refutavit, ut eam ipse disponeret, et personam tum vacanti provideret. Ecclesia sic vacante Willelmus de Ibreio fundi ipsius dominus, abbatem de Ibreio domino Norwicensi præsentans, in supplicando obtinuit, ut cum in ecclesia ipsa personam constituerat, eamque cum omnibus ad ipsam pertinentibus monasterio suo pia et in perpetuum valitura donatione concederet. Herlewinus vero ex pacto cum Willelmo inito, nulli nunquam episcopali auctoritate firmato abbatem ad præstandas sibi decimationes jam dictas teneri æstimans, ipsas petere non desistit, quas tamen sibi competere, nulla ratione juris ostendit. Ipso itaque in his jus suum nullum penitus ostendente, et cum has sibi episcopali auctoritate fuisse concessas quandoque diceret, in hujus etiam rei probatione prorsus deficiente, abbatem ab ejus petitione absolvimus, et domino Norwicensi ut decimationes jam dictas sibi restitueret, et ejus de cætero paci provideret, apostolica auctoritate injunxerimus. Quod totum Herlewinus evacuare moliens falso vestræ suggessit excellentiæ, nos causæ quam infra duo menses terminandam suscepimus, nonnisi post undecim hebdomadas diem constituisse, et nos a vestri forma mandati taliter recessisse. Qua in re quod actum est aperimus, ut si in jure erravimus, edocti per vos in obscuritatibus hujusmodi, de cætero cautius ambulemus. Mandatum quidem causam intra duos menses terminandi suscepimus, et infra eumdem terminum causæ diem constituendo, Londoniæ die ipso dominus Wintoniensis et ego convenimus. Dominus vero Wintoniensis cum ipsum in curiam regis urgentissima eodem die causa pertraheret, attendens mandatæ sibi jurisdictionis diem cedere, seque ob temporis angustias negotio vacare non posse, erga Herlewinum haberi se voluit excusatum. Herlewino vero instante plurimum, et in hoc abbate præbente consensum, ultra præfixum nobis terminum diem constituimus, et eo quo dictum est causam fine decidimus. Diu tamen super hoc disceptatum est, asserentibus quibusdam id non licere, et hæc ea lege probantibus, qua dictum est: « Cum non eo die quo præses provinciæ præcepit judex ab eo datus pronuntiaverit, sed ductis diebus alieniore tempore sententiam dederit, præses ex integro rem cognoscet. » Aliis vero asserentibus, a similibus ad similia judicem procedere, et jus dicere sic debere de judice dato, ad certam summam illud inducebant. « Judex qui usque ad certam summam judicare visus est, etiam de re majore judicare potest, si inter litigatores hoc convenerit, quod ad simile pertrahentes inferebant, ad certum tempus judicem datum, si partes consentiant, ulteriore quoque tempore posse cognoscere. » Hoc ipsum lege de arbitro comprobantes, qui licet de proferendo die cautum non sit, compromissi diem proferre potest, si partes eam sententiam ferre consentiant. Mandatum itaque vestrum in modum hunc interpretantes, et quod ob favorem alicujus indultum est, in ejus læsionem retorqueri non debere existimantes, juxta quod apud nos in mandatis hujusmodi consuevit Ecclesia, in negotio dicto jam modo processimus, id præcipuo secuti, quod in libro Digestorum expressum taliter invenimus: « Si judex ad tempus datus et omnes litigatores consenserint, nisi specialiter principali jussione prorogatio fuerit inhibita, possunt tempora

intra quæ visus est litem dirmere, prorogari. » A Valere vos....

EPISTOLA CLXVI.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, totum quod obedientiæ et obsequii valet humilis et prompta devotio.

Ad vestram, Pater, justum est referri notitiam, quæ facta ad vos appellatione suspensa, vestræ sublimitatis expetunt in sui decisione sententiam. Cum igitur assertione partium merita pandantur causarum, causam inter dilectum filium et canonicum nostrum, Henricum et Willelmum de Pontefracto agitatam apud nos, et facta ad vos appellatione suspensam, sublimitati vestræ directis his apicibus aperimus. Conquerebatur Henricus, dum studiis scholaribus occupatus abesset, jam dictum Willelmum intra fines parochiæ suæ de Stubeheia, capellam erexisse, ibique in injuriam et dispendium ipsius matris ecclesiæ, divina celebrari fecisse, et ipsius occasione capellæ, ipsi matri ecclesiæ decimationes, et alias obventiones ecclesiasticas injuste diu subtraxisse. Capellam itaque in parochia sua clam se constructam dirui, et rem in statum pristinum redigi, et sibi injuste subtracta officio nostro restitui proposita ad hoc et rationum et auctoritatum multiplici copia postulabat. Willelmus vero novum opus inficians, capellam ipsam in fundo suo antiquitus exstitisse, ipsamque se jure suo ad præsens innovasse, seque in ea in nullius injuriam aut dispendium divina communicasse respondit. Adjiciens, se decimationes terræ suæ juxta pacta inter suos et Henrici prædecessores inita et firmata, matrici ecclesiæ persolvisse, et annuatim earum nomine quatuor solidos, ut comprehensum fuerat pacto, reddidisse, et cum ad evacuandum pactum hoc ad dominum Cantuariensem aliquando appellatum fuisset, se ab intentione contra pactum proposita, sententialiter absolutum exstitisse. Quæ cum taliter allegaret Willelmus, nulla tamen instrumentorum aut testium assertione roborabat. Henricus vero coram domino archiepiscopo de decimis tantum illius anni, quo causa tunc agebatur, absolutorium fuisse judicium asserebat, adjiciens, se hanc etiam sententiam ad vestram audientiam appellatione interposita suspendisse, vestramque sublimitatem domino Wintoniensi totius causæ cognitionem delegasse, se tamen causam hanc aliis præpeditum negotiis prosecutum non fuisse. Instante itaque Henrico, et in jam dictis decimis ecclesiæ suæ jus numerosa testium copia declaravit, se etiam easdem percepisse, viva voce testium ostendente, et ea quæ possederat sibi restitui postulante, Willelmus nostræ declinans jurisdictionis examen, ad vestræ sublimitatis audientiam appellavit, et appellationi diem festum Omnium Sanctorum constituit. Valere vos optamus in Domino, Pater in Christo charissime.

EPISTOLA CLXVII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, pedibus sanctis, conculcato Satan, in Christo triumphare feliciter.

Cum ad vestram, Pater in Christo dilecte, sublimitatem omnium, sic disponente Domino, spectet Ecclesiarum sollicitudo, ad eas tamen oculos misericordiæ reducere benignius æquum est, quos amplior commendat charitas, et ad omnes obsequii devoti propensior in charitate benignitas. Quod quia in Fiscamensi Ecclesia diu viguisse ipsa rerum edocet experientia, ad sanctitatem vestram, cui sancta placere studia luce clarius enitescit, in ea qua laborat ad præsens necessitate recurrit cum fiducia, inde
B proventurum sibi sperans auxilium, unde quippe referunt optatum, misericordia sibi laudabiliter compatiente, remedium. Quæ nimirum hoste generis humani fidelium semper invidente successibus casuali nuper incendio concremata ad hoc miseriæ perducta est, ut quæ nobilissimi dudum fuerat conventus habitaculum pauperum, peregrinorum, et hospitali gratia indigentium quorumcunque refugium, jam non habeat ubi caput reclinet (*Matth.* VIII), ubi divina celebret, ubi conservet ordinem, adventantium ubi relevet necessitatem. Unde cum supplicante petimus, cum exorante sublimitate vestra preces affectuose porrigimus, ut sibi litterarum vestrarum subveniat indulta pie benignitas, ut quod machinante maligno, dirissime conflagratum est, in
C ejus ignominiam Christique perennem gloriam vestra reformet auctoritas, ut ope vestra dissipatu[m] ordo convaleat, charitas antiqua refloreat, et sta[tu]tuto vobis memoriali quodam æterno præ oculi[s] semper habeat conventus ille fratrum, unde sanc[ti]tati vestræ gratias indesinenter exsolvat. Conserve[t] incolumitatem Dominus vestram, in Christo dile[c]te Pater.

EPISTOLA CLXVIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, totum quod ex[...] valet humilis et ad obediendum prompta devoti[o].

Suspirat Pater ad vos Wintoniensis Ecclesia quia spectat ad vos Ecclesiarum omnium sollicitud[o]
D sua coram vobis anxie deplorat incommoda. Orb[a]ta Patre, aliunde jamdiu sibi emendicavit suffragi[a] et de longinquis finibus evocavit episcopos, ut co[m]missis sibi populis statuta cœlitus administrare[t] sacramenta. Hæc etiam, vivente Patre suo, Pa[tre] jamdiu caruit, quem ab administrandis his quib[us] et fundatur et erigitur, et ad perfectum adduci[tur] Ecclesia Dei, ipsa sui corporis imbecillitas mu[lto] quidem tempore præpedivit. Quæ suis jam fin[em] gaudebat provenisse suspiriis, et in electo suo qu[em] votis omnibus exoptaverat, et in Patrem sibi pastoremque nullo penitus contradicente vel reclama[nte] solemniter elegerat, multa animi jucunditate res-

rabat. Audiens vero sua vota differri et electi sui consecrationem in longum protrahi, nubilo jam nunc mœroris obducitur et quia spes quæ differtur, affligit animam, amicos suos undequaque sollicitat et vicinos, ut sua vobis vota proferant, sanctitati vestræ preces cum supplicante porrigant, ut ejus, si placet, anxietati condescendere velitis et compati, et in negotio hoc ob multiplicem Ecclesiæ necessitatem, si qua valet admitti dispensatio, suum concedatis electum, cujus et honestas et conversationis integritas digne commendabilis est, absque dilatione consecrari. Est lignum vitæ desiderium veniens, Unde si preces in causa hac sublimitati vestræ supplicantium, admiseritis, Wintoniensi Ecclesiæ non in modico subvenietis, et omnes nos in omnem quam possumus gratiam, vobis Pater, obligatos habebitis. Conservet vos in longa tempora Dominus, in Christo dilecte Pater.

EPITSOLA CLXIX.

AD EUMDEM PRO HEREFORDIENSI ELECTO.

Domino papæ dominus Londoniensis, pro Herefordiensi electo.

Herefordiensem, Pater, Ecclesiam gratum Domino prætitisse speramus obsequium, quæ eligendi Patris sibi libertate concessa, ut communis habet opinio, ad sui regimen pastorem elegit idoneum virum, ut commune probat arbitrium, Deo et hominibus acceptum. Quantis enim virtutum insignibus Herefordiensis electus effulgeat, fama loquitur, probat opinio, una in ore omnium testatur assertio, qui Robertum Oxoniensem archidiaconum omnes ætatis suæ gradus adeo innocenter et honeste percurrisse denuntiant, ut ei vel in modico nunquam fama detraxerit, conversationem ejus sinister rumor nullatenus obfuscare potuerit, aut pravitatis eloquio denigrare. Hunc, pater in Christo charissime, sanctitati vestræ commendamus ad gratiam, preces affectuose porrigentes, ut decurrentis ad vos Herefordiensis Ecclesiæ petitionem, quam justam vere credimus, admittatis, et ut ejus consecretur electus, paterna, si placet, gratia provideatis, ne si repulsam sustinuerit, læsa virtus erubescat, et alios in appetitum sui et cultum de cætero minus accendat.

EPISTOLA CLXX.

AD EUMDEM.

Domino papæ dominus Londoniensis.

Sanctitati vestræ scribere, et fratum nostrorum, id exigente necessitate, preces affectuose porrigere, charitas nos Pater imperiosa compellit. Hujus enim lege constringimur, eos ut nos ipsos diligere, et negotia sua nostra reputando, quod in necessitate simili nobis exhiberi vellemus, ipsis procul dubio non negare. Venerabilem itaque fratrem nostrum Gaufridum, Ecclesiæ Cantuariensis archidiaconum, virum prudentem testificamur et strenuum, providum in consilio, discretum et ornatum eloquio, agendis Ecclesiæ negotiis et ipsius necessitatibus sublevandis et sustinendis aptissimum. Cui cum ad doctrinam scientia, et ad honestatem, ut credimus, mores exuberent, ipsum sibi Eliensis Ecclesia per manum nostram susceptis legatorum vestrorum litteris, quibus de eligendo sibi episcopo, auctoritate apostolica commonebatur, in Patrem et pastorem expetiit, ipsum concordi omnium voto, nullo reclamante aut contradictionem in aliquo movente, ad Eliensis episcopatus reginem conniventiam in hoc præstante principe facta celebriter electione suscepit. Quem quia Ecclesiæ ipsi ad quem vocatus est, opem et gratiam præstante Domino, in multis credimus profuturum, et omnem vobis et sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotionem in quibuscunque poterit exhibiturum, apud sanctitatem vestram cum Ecclesia pulsante pulsamus, cum pulsante preces affectuose porrigimus, ut quod actum est, ea qua præestis et potestis auctoritate roboratis, et negotio huic manum supremam imponendo, et ipsius consecrationem paterna pietate maturando, et eum et commissam Ecclesiam vobis in omnem gratiarum actionem et charitatis plenitudinem arctius obligetis, ut Ecclesiæ per vos in regno Angliæ nuper indulta libertas in suis coalescat initiis et gratiam augente Domino, fortiter ipso tractu temporis convalescat.

EPISTOLA CLXXI.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, pie salutantis affectum, et devotæ subjectionis obsequium.

Anglicana, Pater, Ecclesia in omnem gratiarum actionem sanctitati vestræ se fatetur obnoxiam, eo, Pater, quod præsentatas sublimitati vestræ fratrum nostrorum electiones placide susceptis, et easdem Patris nostri domini Cantuariensis officio confirmari, et electos ipsos ejus manu consecrari pia et paterna gratia concedistis. Quia in re juges lacrymas quas a multis diutius jam dolor extorserat, pietatis apostolicæ manus extersit, et Ecclesiam regni in statum dignitatis pristinæ sublimiter erexit et potentissime reformavit. Per vos enim gratiam, ministrante Domino, sancta sedes Cantuariæ vacuata dudum et diu vacua, suum jam in se recognoscit antistitem, et Wintoniæ clerus cum populo electi sui sibi consecratione concessa, voti sui plenissime compos gratulatur et exsultat in Domino, Ecclesiæ vero Bathoniensis, Herefordiensis, Cicestrensis, Eliensis, suis in his quos elegerant dono vestro gratiæ jam potitæ desideriis, in gratiarum actionem diem celebrant solemnitatis insignem. Sola, domine, superest Lincolniensis Ecclesia, quæ cum in Ecclesiis aliis undique laudes resonent, undequaque pulsentur tympana gloriæ, genitum pro cantu habet, et spiritum mœroris trahens, tota lamenti afficitur. Audiuntur in domo Patris undique symphonia et chorus, sed hæc foris stans, non ingreditur, et repulsam passa semel, ad Patrem ingredi pertimescit. Charitatis tamen affluentiam considerans, quæ de fonte pectoris apostolici indesinenter emanans, civitatem Dei circumquaque lætifiat et evangelicum illud ad mentem revocans; *Omnis qui petit, accipit*; *et qui quæ-*

rit, invenit, et pulsanti aperietur (*Matth.* VII), spem A concipit, ut mœroris sui nubilum serenitatis vestræ candor evacuet, et in electi sui susceptione pariter et promotione preces filiæ devotissime supplicantis pius Pater exaudiat. Scit tamen apud nos supra dorsum ejus quosdam fabricasse plurima, et odii sermonibus ejus innocentiam circumdedisse (*Psal.* CXXVIII), et in hoc eatenus prævaluisse, ut ab eo clementiæ vestræ facies, ut dicitur, aliquantulum aversa sit, et a pluribus in eum sinistra jam sit concepta opinio. Sed si placet advertere, super ejus conversatione et vita his potissimum fides habenda est, quibus a primis annis innotuit, sub quorum oculis, ut certissime testantur, innocenter excrevit, et ad annum tricesimum, ut asserunt, jam perdu- B ctus, primam ætatis suæ vigiliam sub multorum testimonio et honeste et innocenter complevit, de quo spem bonam Lincolniensis Ecclesia, devota filia vestra concipiens, et ipsius prudentiam in eo quem administravit archidiaconatu contemplans et approbans, sperans quod ejus promotio multis ex causis, quas enumerare longum est, sibi plurimum profutura sit, ipsum in Patrem elegit concorditer, et ut hoc ejus desiderium a vestra sibi gratia compleantur, instanter exposcit. Spem igitur habentes in Domino, quod ejus et honestas et prudentia ad honorem Dei et Ecclesiæ de die in diem habitura sit incrementum, ipsumque in sublevandis Ecclesiæ necessitatibus cooperatorem fore strenuum, preces sanctitati vestræ cum Ecclesia supplicante porrigi- C mus, ut ei manum gratiæ porrigatis, et sibi concedendo quod postulat, Anglorum Ecclesiæ quod adhuc deest gaudiii suppleatis, et omnes nos ex hoc sublimitati vestræ gratiæ debitores efficiatis. Conservet incolumitatem vestram Dominus, in Christo dilecte Pater.

EPISTOLA CLXXII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici ALEXANDRO, frater GILBERTUS Londoniensis Ecclesiæ minister, devotum et debitum totius obedientiæ famulatum.

In colligendo denarium beati Petri, quantam potuimus sollicitudinem et diligentiam adhibere curavimus: dilectique in Christo fratres nostri et coepiscopi, quorum episcopatus conditioni huic D constat esse obnoxios, a nobis juxta tenorem et continentiam scriptorum quæ in scriniis Cantuariensis Ecclesiæ studiose requisita reperimus, vestra super hoc auctoritate commoniti debitam penitus omnes quidem agnoverunt et exsolverunt quantitatem: excepto venerabili fratre nostro et coepiscopo domino Exoniensi, qui nimirum summam suæ diœcesi ascriptam minime recognoscens, quia minus quam de ratione scripta exigeretur obtulit, totum quod obtulerat insolutum reportavit: sicque licet sæpe et sæpe commonitus, hucusque tamen penitus a solutione cessavit. Universam vero summam reliquam ducentas videlicet libras, exceptis novem libris et quinque solidis, quæ a prædicto fratre solvi debuerant abbati Sancti Bertini, juxta mandatum vestrum per fratrem ab ipso transmissum ad nos, per quemdam fidelem nostrum destinare curavimus De cætero quid super hac portione reliqua quæ solvenda superest fieri oporteat, vestra cum voluerit sanctitas providebit. Nos enim intra fines jussionis vestræ nostrum cohibentes officium, nec minus offerentem admittimus: nec solvere cessantem ulla coertione ferimus. Valeat sanctitas vestra.

EPISTOLA CLXXIII.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, seipsum et, si quid potest, obedientiæ et humilitatis obsequium.

Ad vestram, Pater, audientiam jamdiu ob mandata Patris nostri domini Cantuariensis mihi gravamen non modicum inferentia appellavi, et audito legatorum vestrorum in Normanniam adventu, ipsis festinanter occurri, paratus in eorum præsentia appellationis ad vos factæ causas ostendere, et eorum sententiæ in omnibus humiliter obedire. Quibus in causa hac suas minime partes interponentibus ob evitanda pericula quæ imminebant, ad vestram denuo sanctitatem appellare multa procul dubio necessitate compulsus sum. Quia vero ad iter hoc arripiendum ad vos me in Angliam remeare et itineri necessaria providere ipsa propositi necessitas exigebat, non occasione dilationis quærendæ sed legitimæ provisionis intuitu appellationi terminum in diem transitus beati Martini constitui. Unde si pietatis oculos bonitas in me divina reduxerit et iter ad vos pervium mihi clementer indulserit, statuto die vita, comite Dominoque juvante, sanctitati vestræ obstabo quæ mihi objicientur auditurus, vestræque per omnia sententiæ vel consilio devotissime pariturus. Testis est mihi enim inspector Deus, me in his omnibus quæ apud nos acta sunt nec adulationi, nec elationi, nec ambitioni vel in modico deservisse, sed vestræ sanctæque Romanæ Ecclesiæ fidelitati et totius Anglicanæ Ecclesiæ utilitati juxta modicum quod sum et sapis fideliter prospexisse. Hinc enim Patrem habens hinc dominum, inter duos gladios positus, hinc in materialem timens impingere, hinc spiritualem formidans, salva vestri nominis protectus auctoritate vix hæreo, et finem, quem his cladibus Dominus daturus est, multo jam ante tædio affectus exspecto. Affectioni itaque qua filiis suis et compati et condescendere pietas apostolica consuevit, devotissime supplico ne appellationem ad vos honesta causa et justissima interposita irritam habeatis, ne caput meum quod injusto odio Pater meus dominus Cantuariensis dire persequitur, ei penitus exponatis: sed causam quam præstringimus, ut postulat æquitas ipse vel audiatis, vel si hoc difficultas non permittat itineris, legatis vestris qui penes vos sunt cognoscendam et terminandam committatis. Quædam nuntio meo sanctitati vestræ secretius intimanda commissi, quibus msi isericorditer præbueris assensum, ad nutum vestrum . . . . hoc condigne

remunerabit obsequium. Valere vos opto in Domino, Pater in Christo charissime.

EPISTOLA CLXXIV.

AD EUMDEM.

Patri suo et domino summo pontifici A., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, debitum sinceræ charitatis et humilis obedientiæ famulatum.

Mandatum vestrum, Pater in Christo charissime, debita veneratione suscipientes, illico filium vestrum, dominumque nostrum charissimum, illustrem regem Anglorum, etsi in ipsis jam Walliæ finibus agentem exercitum adivimus, et adjuncto nobis venerabili fratre nostro Roberto Herefordiensi episcopo, juxta vestri formam mandati diligenter et intente convenimus. Cui singula quæ vestris litteris sunt nobis expressa, ante oculos ponentes, ipsum obsecrando, et quantum regiam decebat majestatem arguendo, constanter et instanter hortati sumus, ut de propositis sibi satisfaceret, et si a rationis tramite deviaverat, ad viam veritatis et justitiæ redire vestra per nos revocatus admonitione non tardaret: a Patre pie commonitus a pravis actibus omnino desisteret, et Dominum puro corde diligeret, et matrem suam sanctam Romanam Ecclesiam solita veneratione respiceret, nec eam visitare volentes inhiberet, appellationes ad eam factas non impediret, et Patrem nostrum dominum Cantuariensem benigne revocans et reducens, in beati Petri ac vestra reverentia firmus immobilisque persisteret, et pietatis intendens operibus Ecclesias et ecclesiasticas personas, tam regni quam terræ suæ, nec gravaret per se, nec per alium gravari permitteret, sed ipsas diligens regia protectione conservaret, ut ille, per quem reges regnant, temporale sibi regnum conservaret in terris, et æternum largiretur in cœlis. Alioquin nisi monitis salutaribus acquiesceret, sanctitas vestra, quæ huc usque patienter sustinuit, ulterius in patientia sustinere non posset. Ad hæc adjecimus timendum sibi fore, ne si errata non corrigeret, iram cito omnipotentis Dei incurreret, ut nec regnum ejus diu stare, nec suos prosperari permitteret, sed qui humilem exaltaverat, jamjam exaltatum ab ipso regni culmine durius allidendo dejiceret.

Ipse vero correptionem vestram multa gratiarum actione suscipiens, multa animi temperantia, multaque modestia consequenter respondit ad singula. In primis asserens mentem suam a vobis nullatenus se avertisse, nec id unquam propositi mente concepisse. Quin dum paternam sibi gratiam exhibueritis, vos ut Patrem diligat, et sanctam Romanam Ecclesiam ut matrem veneretur et foveat, et sacris jussionibus vestris, salva sibi sua regnique sui dignitate, humiliter obtemperet et obediat. Quod si vos jam aliquandiu solita reverentia non respexit hanc hujus rei causam asserit, quod cum vobis in necessitate toto corde, tota mente, totis viribus constiterit, sibi postmodum per nuntios in necessitate concurrenti ad vos digne pro meritis sanctitas vestra non respondit, seu in omni fere petitione sua se repulsam sustinuisse conqueritur et erubescit. De paterna tamen confisus gratia, quæ filium cum volet exaudiet, vultus sperans et exspectans lætiores, in beati Petri ac vestra, ut dictum est, fidelitate immobili constantia perseverat. Inde est quod sanctitatem vestram visitare volentem, nullum prorsus impediet, sed nec hactenus, ut asserit, impedivit.

In appellationibus ex antiqua regni sui constitutione id sibi vindicat honoris et oneris, ut ob civilem causam nullus clericorum regni sui ejusdem regni fines exeat, nisi an ipsius auctoritate et mandato jus suum obtinere queat, prius experiendo cognoscat. Quod si nec sic obtinuerit, ad excellentiam vestram, ipso in nullo reclamante, eum volet quilibet appellabit. In quo si juri vel honori vestro præjudicatur in aliquo, id se totius Ecclesiæ regni sui consilio correcturum in proximo, juvante Domino pollicetur.

Imperatorem illum, etsi schismaticum noverit, a vobis tamen excommunicatum esse usque hodie non rescivit. Quod si denuntiatione vestra rescierit, si fœdus illicitum cum ipso aut alio quolibet iniit, et hoc Ecclesiæ regni sui judicio simul et consilio se correcturum promittit.

Patrem nostrum dominum Cantuariensem suo se regno nequaquam expulisse asserit. Unde, sicut abscessit ultroneus, sic ad Ecclesiam suam, cum sibi sederit animo, plena pace reverti sibi libitum erit: dum tamen in satisfaciendo sibi super his, unde conqueritur, regias sibi, et in quas ipse juratus est, velit dignitates integre conservari.

Si qua vero Ecclesia vel ecclesiastica persona ab ipso vel a suis se gravatam ostenderit, satisfactioni plenæ totius Ecclesiæ judicio paratus erit.

Hæc a domino nostro rege in responsis accepimus qui utinam ad omnem voluntatem vestram uberius aliquid accepimus. Eadem vero sublimitati vestræ notificanda duximus, ut ex ipsius responsis advertat vestra discretio, quo negotium hoc fine concludat. Causam namque suam dominus rex plurimum sibi justificare videtur, cum in omnibus quæ dicta sunt Ecclesiæ regni sui consilio simul et judicio se pariturum, et Patris nostri domini Cantuariensis reditum, juxta quod dictum est, se nullatenus impediturum pollicetur. Unde vestræ supplicandum æstimavimus excellentiæ, quatenus illud præ oculis habentes : *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet* (*Isa.* XLII), zelum illam sanctum, quid ad ulciscendam omnem, quæ Ecclesiæ Dei irrogatur, injuriam laudabiliter igne divini Spiritus accensus est, si placet, ad tempus intra fines modestiæ cohibeatis, ne vel interdicti sententiam, vel ultimum illud præcisionis elogium proferendo, ecclesias universas subverti misere doleatis, et tam regem ipsum quem innumeros cum eo populos a vestra, quod absit ! obedientia irrevocabiliter avertatis. Bonum et membrum capiti cohærere vel saucium, quam a corpore sequestari

jam præcisum. Redeunt ad sanitatem saucia, sed corpori vix coalescunt jam præcisa. Adducit desperationem præcisio, restituit sanitatem sæpe medicantis operatio. Quid enim si sermo vester nondum plene capit aut capitur? Nunquid divina desperanda est gratia, quin cito, cum volet, et capiat et capiatur? *Nunquid abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat, aut auris ejus aggravata, ut non exaudiat?* (*Isa.* LIX.) Currens ille sermo Domini velociter (*Psal.* CXLVII), statim cum vult, immutat omnia, et sanctorum precibus dat insperata. Sanguis regius tum se demum permittit vinci, cum vicerit; nec verecundatur cedere, cum superaverit. Mansuetudine tolerandus est, monitis et patientia superandus. Quid enim si jacturam quamdam temporalium invehit exhibita in tempus patientia? Non enim est dubium severitati detrahendum fore, cum strages imminet populorum: et cum tempestas ingruit, in mare debere multa projici, ut ad portum valeat navis salva perduci.

Insipienter, attamen in charitate non ficta sic loquimur, si sic rei finis exstiterit, ut amissis suis dominus Cantuariensis exsilium juge sustineat, et vestris, quod absit! mandatis ulterius Anglia non obediat, fuisse satius patienter in tempus sustinuisse, quam tanto zelo severitati deservisse? Quid? Etiamsi plures e nobis ab obedientia vestra persecutio separare non poterit, non deerit tamen, qui genu curvet ante Baal, et de manu idoli pallium Cantuariæ non habito religionis aut justitiæ delectu suscipiat. Ne deerunt qui sedes nostras occupantes et cathedras insidentes, ipsi tota devotione mentis obediant. Jam multi præmasticant ad talia, optantes ut veniant scandala, et directa ponantur in prava. Unde non propria, Pater, plangimus aut ploramus incommoda, sed nisi in his malis occurreritis, fœdam Ecclesiæ Dei subversionem imminere cernentes pertimescimus, ne citius ob vitæ tædium optemus periisse diem, qua ad hujusmodi spectacula nati sumus.

De cætero super censu beati Petri nemo nobis in regno vel de modico respondisset, nisi dominus rex mandatum super hoc in commune dedisset. Ejus vero mandato, statuto antiquitus termino colligetur, et sanctitati vestræ per manum nostram, juvante Domino, transmittetur.

EPISTOLA CLXXV.

AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ, GILBERTUS Londoniensis episcopus, humilem ad omnia in quo mea valet parvitas obedientiam.

Severitatem, domine, Patris nostri domini Cantuariensis archiepiscopi ex quibusdam auditis et agnitis recte suspectam habens, ne indebitæ pœnæ nexibus me arctaret et laqueis, ad vestram circa initium Quadragesimæ appellavi clementiam, et appellationi diem, octavas purificationis beatæ Mariæ constitui, ut iram, qua me injuste persequitur, vestra

A declinarem protectione, et nexus, quibus immeritum parabat involvere, usque ad diem cognitioni causæ in præsentia vestra constitutum, objectu vestri nominis aliquatenus evitarem. Unde, dilecte mi in Domino Pater, sanctitati vestræ toto prostratus spiritu supplico, ne indultum oppressis omnibus commune remedium mihi, si placet, subtrahatis. Ne me tanquam reprobum a vestri protectione tutaminis abjiciatis. Sed facta ad vos appellatione suscepta, si qua præter modum est in me lata sententia, ipsam, ut justum est, aut habeatis irritam, aut teneatis suspensam, ut in die qua, juvante Domino, sublimitati vestræ paratus sum assistere, juxta quod merui statuatis in me, et vel convictum abjiciatis, vel innocentem, si sic visum fuerit, absolvatis. Nam culpa mea,
B si qua est, hæc utique est, quod mandatorum pondere, quæ utique aut declinare necesse mihi fuerat, aut cum defectu et omni miseria suscipere, me gravatum sentiens, ad apostolicam ausus sum audientiam appellare, ut vestro me per omnia consilio committerem, et consultis vobis aut a regno discederem aut alleviato mandatorum onere in commissa mihi Ecclesia residerem. Nam, ut brevi complectar quod verum est, dum inter dominum regem et dominum Cantuariensem res in hunc modum vertitur, impossibile est me, aut alium regni ipsius episcopum unius mandatum suscipere, et alterius iram importabilem declinare. Agat itaque, si placet, paterna pietas, ut si in me, nec confessum, nec convictum, nec citatum, nec ullo modo conventum, post inter-
C positum etiam appelationem ad sublimitatem vestram, ulla est præpropere vel præpostere lata sententia, hanc viribus, ut justum est, evacuetis. Et si vestram ex sanctitate remittatis, injuriam saltem beati Petri, et sanctæ sedis ejus ad animum revocetis, et me ad omne, quod quod jusseritis, obsequium utique promptissimum invenietis. Conservet vos incolumem in longa tempora Dominus, in Christo dilectissime Pater.

EPISTOLA CLXXVI.

AD WILLELMUM PAPIENSEM CARDINALEM.

Venerabili domino et amico W. Papiensi sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali sibi charissimo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem et debiti
D munus obsequii.

Verborum facile suadet paucitas, cum ad exaudiendum prona est ipsius, ad quem scribitur amica benignitas. Quod quia de vestra sinceritate confidimus, paucis negotium, in quo nobis a bene volentia vestra subveniri petimus, aperimus. Mandatum domini papæ suscepimus, quatenus Hugonem comitem de Norfolchia districte conveniremus, et nisi canonicis de Panteneia villam ipsam de Panteneia, et cætera quæ sibi ablata queruntur, admonitus restitueret, ipsum, et totam terram suam interdicto subjiceremus, et nisi vel sic infra quadraginta dies resipisceret eum excommunicationis innodare sententia non differremus. In hoc vero nobis regia se gravite[r]

opponit auctoritas, asserens ad summam regni sui spectare dignitatem, ut dum cuique adversus comitem vel baronem suum super terris aut feudis querelam habenti, plenam paratus fuerit exhibere justitiam, ipsum nec archiepiscopus, nec aliquis regni sui episcopus aut interdicto premat, aut excommunicationi subjiciat. Hanc prædecessores suos assensu Romanorum pontificum usque nunc obtinuisse affirmat, et nos omnes regni sui episcopos id sibi juramento firmasse commemorat, exigens ut antiquitati stemus, et regni sui privilegia nequaquam sibi minuentes, ab his quæ sibi a nobis sub juris jurandi religione sunt promissa non recedamus. Undi gravi nobis interminatione interdicitur, quod auctoritate præcipitur. Sic nobis in arcto res est, ut nisi suum temperet apostolica mansuetudo mandatum, subire nobis necesse sit, aut hinc inobedientiæ, quod absit! periculum, aut apud dominum regem perjurii et non observatæ fidelitatis opprobrium. Mallem episcopus non fuisse, quam horum alterutrum incurrisse. Gladius uterque gravis est, quorum unus animam, alter corpus occidit. Ille quidem gravior, attamen iste gravius. Et domino meo charissimo domino papæ, quæ utilitas futura est in sanguine meo (*Psal.* XXIX), si descendendo in correptionem hanc aut perjurus reputer, aut inobediens, quod semper absit! existam? Si domino meo non paruero, mors mihi est; et si paruero, solum superest, ut emigrem a regno, cujus leges non suscipio, a cujus regis fidelitate recedo. Si causa quidem esset ejusmodi pro qua dignum foret pænam subire mortis aut exsilii, gauderem utique in proscriptione mea vel morte, obsequium me domino gratum exhibere. Sed nunquid sex fratrum in Panteneia miserrime et absque omni et regulæ et ordinis observatione victitantium causa tanti est, ut ob sibi restituenda pauca agri jugera, inter summum pontificem et sibi quondam amicum, et adhuc, dante Deo, futurum amicissimum dominum nostrum regem Angliæ quæstionem oporteat super suarum eminentia dignitatum agitari? Præsertim cum in expedito sit in causa hac jus suum unicuique reddere, et quæ turbata sunt ad pacem et debitum justitiæ finem pacifice revocare? Si domino regi permissum fuerit, causam hanc episcoporum et aliorum virorum prudentum consiliis illico terminabit. Si causam dominus papa judicibus delegaverit, ipsorum stare sententiæ comes Hugo non recusabit. Ipsum quique districte convenimus, intentando sibi sententiam domini papæ litteris designatam. Quas cum audisset, precum statim arguit falsitatem, asserens se Panteneiam jam dictis canonicis nunquam concessisse, nec scriptum quod super hoc ejus nomine præferunt et ostendunt, ipsis tradidisse, aut ut conciteretur, assensum præbuisse. Unde cum falsi arguat instrumentum quo nituntur, attendat prudentia vestra, si adeo in expedito res est, ut convictione non egeat, nec in judicium deduci debeat cum etsi non causæ convictio sed exsecutio sententiæ mandetur, de precum tamen veritate inquiri oporteat.

EPISTOLA CLXXVII.

AD EUMDEM.

Venerabili domino et amico charissimo WILLELMO Papiensi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem quæ nunc est, et quam speramus a Domino.

Nostis, domine, quod et orbi satis innotuit, quid animadversionis jamdiu, quid pœnæ quoque in modo pertulerim, qui priusquam mihi culpæ modus innotesceret, enormitates pœnæ gravioris excepi. Ad unius quidem ut audio Wallensis vocem licet præclaræ dignitatis honore non fulgeat, non citatus, non commonitus, nec notorii quidem criminis reprehensioni obnoxius condemnationis sinistrum reportavi calculum, et a sacerdote nec inspecta lepra mea, nec cognita, extra tamen Ecclesiæ castra projectus sum. Sed quia nec in cœlum os ponere fas est, et majorum acta discutere sacrilegii constat instar obtinere, ad medentis opem tutius est confugere, quam in querelæ vocem impudenter erumpere. Assueti vero moris est, cum quem sua lædit conditio, ut ad eum recurrat potius, cujus promptiorem sibi fore gratiam arbitratur afflictus. Confidens itaque de vestræ dilectionis excellentia, cujus sinceritatem et fidem rerum certior edocuit experientia, instante necessitatis articulo, a vobis opem postulo, ut prælibata mihi per vos gratia vestro ad profectum studio deducatur, et quod ad mei exsecutionem officii mihi deesse cognoscitis, vestra mihi sollicitudine juvante Domino, restituatur. Dat postulandi fiduciam, quod manum mihi jam gratiæ porrexistis, et onus quo premebar anxie, piæ precis instantia submovistis, et exemptus a confusionis ignominia, ut intra castra collocer Ecclesiæ, prudenter obtinuistis. Unde vobis ad gratiarum actiones eo magis devotus obligor, quod propriæ voluntatis instinctu absentis amici negotia commodissime procurastis. Movit vos in hunc pietatis affectum innata bonitas, nullisque meis meritis præventa gratia, sed quod non merui, mereri desidero, et non meruisse pœnitet, nimisque sero voluisse, quod primis attentatum fuisse studiis oportuisset. Agat itaque si placet et peragat id gratia quod suum est, et quem mereri jam cœpit totum sibi reddat obnoxium, et restitutum me mihi, tam sibi quam suis in solidum de cætero pleno jure possideat. Valere vos optamus in Domino.

EPISTOLA CLXXVIII.

AD EUMDEM PRO WINTONIENSI ELECTO.

Domino WILLELMO Papiensi, pro Wintoniensi electo seipsum, et si quid potest, devotæ mentis obsequium.

Suadet e facili verborum paucitas, cum ad exaudiendum prona est ipsius ad quem scribitur, amica benignitas. Unde quia de vestra in nos benevolentia non nostris quidem meritis, sed vestra solum gratia nobis clementer indulta et potenter exhibita plene confidimus, sublimitati vestræ preces affectuose porrigimus, quatenus negotium amici nostri et cognati charissimi, domini Wintoniensis

electi sustinendo foveatis, et quia vos et consilio (A) magnum et interventu strenuum non ambigimus, ut ejus maturetur consecratio, data vobis a Domino sapientia et industria procuretis. A sapiente dispensatio solet admitti. Postulat Ecclesiæ multiplicata necessitas sibi tandem subveniri. Sacramenta si prosunt, si in his animarum salus ulla consistit, detrimentum tamen est non modicum et periculum, tot populis ea subtrahi, tot ea requirentibus ob pontificum penuriam, vel sero vel nullatenus administrari. Wintoniensis Ecclesia sub veste lugubri et habitu vinduali tria jam fere lustra percurrit, episcopalem benedictionem, absolutionem, manus impositionem, clericorum in ordine promotionem, chrismatis apud se innovationem, ecclesiarum consecrationem, et cætera vitæ spirituali necessaria, his (B) diu carendo jam fere dediscit. Silet verbum Dei, medium tenent cuncta silentium, et multis modis, quos enumerare longum est, lucra depereunt animarum. His ope vestra periculis subveniri deposcimus, ut electo Wintoniensi consecrato per vos, in Domino cum ipsa ejus Ecclesia gaudeamus, et exhibitium nobis honorem et beneficium alta semper in posterum memoria teneamus. Valere vos optamus in Domino.

EPISTOLA CLXXIX.

AD JOANNEM NEAPOLITANUM CARDINALEM.

Venerabili domino fratrique charissimo Joanni Neapolitano, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, frater G. Londoniensis Ecclesiæ (C) minister, votivis cum salute frui successibus.

In officiis gratius impensa suscipimus, quæ non extorsit necessitas, sed sola gratiæ sincerioris procuravit affectio. Approbati quidem moris est, ut his arctius teneamur obnoxii, qui meram exercentes liberalitatem, ultronea in nos conferunt beneficia, quam quos ad id ipsum præcedentis meriti provocavit administratio. Unde nos obsequio vestro id fortius obligat, quod prævenistis nos in benedictionibus et certis rerum experimentis fructum vestræ dilectionis ante sensimus, quam affectionis vicariæ vobis innotesceret argumentum. Quod impendistis est gratuitum, quod diligendo rependimus dispar habet meritum. Illius favorem simplex auget liberalitas, hujus remissionem gratiam præventa (D) facit meritis et beneficiis excita voluntas. Hæc nos omnia ad uberiores invitant gratiarum actiones, quas ut vota gerimus, utinam opere compleamus, personam siquidem nostram et facultates vobis offerimus, cum Deus opportunitatem dederit, effectu verba probaturi. Super sollicitudine vestra negotiis nostris exhibita et honore clericis nostris impenso, pro gratiarum actione nos vobis et ipsos devovemus supplicantes attentius, ut quod ex parte prospere gestum est, ad perfectum vestræ discretionis industria pertrahatur. Juxta vestri vero formam consilii, iter ad vos arripere tentassemus, nisi pacis inter dominum papam et regem spes jam uberior appareret, et certiora devotionis ejus argumenta clarescerent. Præterea et id duximus metuendum, ne legati nostri discessum nostrum in eorum contemptum et injuriam fieri aliquatenus æstimarent, et in causæ nostræ desperationem fugam interpretarentur. Unde nostris visum est non expedire ut, eis inconsultis, aliquo divertamus, cum propter nos, ut dicitur, eos a latere suo dominus papa transmiserit. Terret nos quoque difficultas itineris, et quæ peregrinantibus imminent pericula nos in re ista plurimum vacillare compellunt. Conceptum tamen desiderium curam omnem timoris excluderet, si laborem hunc quoquomodo mei corporis imbecillitas infirmita sustinere sufficeret. Nil enim est quod optem amplius, quod desiderantius affectem, quam domino papæ præsens assistere ipsoque et curia sancta præsente mihi detrahentes, et falsa suggerentes adversum me, in ejus qui veritas est virtute refellere. Quod effectui mancipare crebro sperantes, semper tamen necessitatis alicujus objectu substitimus, nunc vero senectuti sociata compellit infirmitas, ut licet optemus judicem, ipsi tamen assistere necessitate multiplici desperemus. Unde vestram instantius exoramus sollicitudinem, ut ope vestra et opera plenam nobis gratiam dominus papa impertiat, et prælibatum beneficium ad perfectum nobis apostolica tandem mansuetudine simul et miseratione perducat. Nuntio vero nostro quædam vobis intimanda commisimus, quem precor attentius audiatis, et fidem his quæ pro posuerit habeatis. Valere vos in Domino optamus charissime.

EPISTOLA CLXXX.

AD. J. CARDINALEM DIACONUM.

Venerabili domino et amico charissimo J., sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali diacono, frater G. Londoniensis Ecclesiæ, minister, affectum pium, et si quem potest charitas officiosa famulatum.

Amantium se mutuo sibi corda loquuntur, et affectione quadam insolubili mentes amicorum, etsi locali distent spatio, potenter tamen intus operante virtute, firme sibi connexæ sunt. Præsentem enim exhibet amor sibi, quem diligit, et unicum sibi quod amodo charitas abesse non sinit. Hinc est quod non obstantibus locis, ut præsentes sibi in necessitate subveniunt, et Christi legem adimplendo, sua vicissim onera sustinere non omittunt. Hæc suggerente charitate, charissime, et de vestra nobis benevolentia plurimum suadente, dilectæ nobis in Domino preces sublimitati vestræ porrigimus, quatenus præsentium latoris et fratrum ejus, monachorum de Waledene causam diligenter attendatis et ipsis amore Dei nostraque prece, prout eorum expedire videritis necessitati, provideatis. Quanta enim opprimantur injustitia, ex litteris dilecti fratris nostri domini Exoniensis intelligetis, et juxta datam a Domino vobis sapientiam oppressis pie subveniendo remuneratorum ut speramus Dominum, et nos gratiæ et servitii debitores habebitis. Valete.

EPISTOLA CLXXXI.

AD UNIVERSOS S. MAT. ECCLESIÆ FILIOS.

Dilectis sibi in Domino universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos litteræ istæ pervenerint, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem in Christo.

Per apostolica scripta in mandatis accepimus, quatenus abbate de Grestene et latore præsentium Joanne, in nostra convocatis præsentia, quidquid Joanni post appellationem ad sedem apostolicam adversus abbatem factam, per ipsum videlicet abbatem sive per suos, ablatum aut subtractum comperiremus, sibi omni occasione et excusatione postposita, omnique remedio appellationis sublato cum integritate restitui, et eidem de damnis et injuriis illatis congruam faceremus satisfactione exhiberi. Restitutione autem facta et satisfactione exhibita causam quæ inter eos super capella de Cherlechestone vertebatur, cessante nihilominus appellatione decideremus. Quam nos quidem formam sequentes, quia de appellatione Joannis, utpote coram nobis publice facta, plenam habebamus certamque notitiam, de illata sibi postmodum a monachis de Grestene violentia, de ejectione ejus a domo sua, de damnis per invasionem datis, per legitimam idoneorum testium assertionem, fide veri diligenter et districte inquisita, ecclesiam ipsam le Ferles, cum omni integritate et pertinentiis suis omnibus, memorato Joanni restitui debere, de fratrum consilio et motu animi nostri, apostolica in hoc freti auctoritate pronuntiavimus, et de illatis sibi damnis sub nostra taxatione juratis, abbatem lli in summam decem et octo marcarum argenti condemnavimus. De cætero, in causa quam sæpe dictus Joannes super capella de Cherlechestone diutius intentarat adversus Henricum presbyterum et memoratum abbatem de Grestene, quem sibi idem Henricus in causa illa laudaverat auctorem, juxta continentiam rescripti, hoc tenore processum est. Petebat siquidem Joannes capellam illam nomine matris ecclesiæ suæ de Ferles sibi restitui, utpote intra parochiales ejusdem ut dicebat terminos ecclesiæ fundatam, et ab ipsa sui fundatione filiali sibi subjectione obnoxiam.

Allegabat ad hæc, quod cum personatum et investituram matris ecclesiæ de Ferles per manum Cicestrensis episcopi, præsentatione abbatis de Grestene, sicut idem episcopus tam viva voce quam scripto nobis insinuavit, olim reciperet, ipsam quoque capellam una cum majore ecclesia habendam recepit, eamque tandiu plene et pacifice possedit, donec mota sibi ab Henrico controversia, monachus quidam de Grestene, qui tunc in Anglia vices agebat abbatis, inita cum Henrico transactione, capellam illi cedere, eamque ipso reclamante, et auctoritate domini papæ ne id fieret inhibente, contra justitiam et juri ordinem alienare præsumpsit. Abbas vero quem sibi Henricus acciverat, capellam illam ad matricem quidem ecclesiam de Ferles pertinere,

A Joannemque ipsam diutius possedisse, publice et in jure confessus est. Hoc tamen illi in præjudicium petitionis suæ in modum exceptionis objecit, quod transactioni cum Henrico habitæ interfuit, eamque suo assensu comprobavit. Cum autem super hoc articulo controversia plurimum verteretur, abbate tandem in probatione adhibiti consensus penitus deficiente, testes factæ reclamationis, quos Joannes perduxit, diligenter examinatos et concordes inventos, utpote fide dignos admisimus, sicque ex eorum assertione et confessione partis adversæ, sæpe dicto Joanni præfatæ capellæ plenam restitutionem adjudicavimus, æstimatisque damnis medii temporis, et sub nostra taxatione probatis, Henricum illi in summam duodecim marcarum argenti per B sententiam condemnavimus. Quæ quia de commissione domini papæ nostro sunt officio celebrata, ne in dubium de cætero, aut in irritum queat revocari, universitati vestræ notificare, et ea qua fungimur auctoritate confirmare curavimus. His testibus, H. decano Sancti Pauli, Nicolao archidiacono Londoniensi, magistro W.

EPISTOLA CLXXXII.

AD EOSDEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem in Christo.

Noverit dilectio vestra, latorem præsentium H. divina benedictione, et nostræ manus impositione, C ad sacerdotii gradum esse promotum. Quod quia in dubium nolumus posse revocari, præsenti scripto universitati vestræ id notificare curavimus, vestram orantes et exhortantes in Domino dilectionem, quatenus pro amore Dei et reverentia ordinis sui, ipsum in exsecutione officii sui benigne recipiatis, et debitum illi honorem propter Deum exhibeatis. Valete.

EPISTOLA CLXXXIII.

AD EOSDEM.

Dilectis sibi in Domino universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem, gratiam et benedictionem.

D Quæ donantur Domino, charissimi, donanti nequaquam pereunt, sed ei a quo donata sunt, in perpetuum utique reservantur. Inde est quod charitatem vestram commonemus in Domino, quatenus latori præsentium R., qui ob amorem Dei et salutem animæ suæ ad reficiendum pontem de Londonia operam præbet, de facultatibus vestris, prout vobis Dominus inspiraverit, aliquod auxilium conferatis, ut a Deo ob ipsum collata die illa in centuplum recipiatis. Omnibus autem qui ei ad prædictum opus perficiendum aliquod beneficium præstiterint, orationum et beneficiorum ecclesiæ nostræ partem concedimus, et insuper de Domini confisi misericordia, confessis de pœnitentia sua viginti dies relaxamus. Valete.

EPISTOLA CLXXXIV

AD EOSDEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem in Christo.

Cum venerabilis frater noster Robertus abbas de [Ib] reio, et Herlewinus clericus de Dochinge pro causa, quæ inter eos super decimis de Dochinge vertebatur, in præsentia domini Wintoniensis et nostra, quibus ex mandato domini papæ, ejusdem causæ cognitio delegata fuit, ambo pariter essent constituti, nos ex allegationibus et rationibus memorati abbatis liquido cognoscentes [prædictas decimas] ad jus ecclesiæ suæ de Dochinge pertinere, easdem abbati, et per eum ecclesiæ suæ, de motu animi nostri et de communi fratrum nostrorum consilio, in perpetuum adjudicavimus, ipsumque et ecclesiam suam a petitione Herlewini, qui easdem vindicans decimationes in probatione penitus defecit, per sententiam absolvimus. Quod quia in dubium nolumus aut in irritum de cætero posse revocari, præsenti scripto universitati vestræ id notificare, et ea qua fungimur auctoritate confirmare curavimus.

EPISTOLA CLXXXV

AD EOSDEM.

Gilbertus Dei gratia Londoniensis episcopus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis, salutem.

Universitati vestræ notum esse volumus, quod Galfridus filius Baldewini, et mater ejus Beatrix de Bollers, ut ex chartis ipsorum perspeximus et ex eorumdem viva voce probavimus, concesserunt et dederunt Dei et fratribus hospitalis Jerusalem advocationem ecclesiæ de Herefelde, cum omnibus pertinentiis suis in perpetuam eleemosynam, nobisque præsentaverunt fratrem Ricardum Turcum, in Anglia priorem, ut per eum de personatu præfatæ ecclesiæ prædictum hospitale quantum ad jus episcopale pertinet investiremus. Cum igitur in eis quæ necessariis pauperum usibus destinantur, promptum deceat et hilarem adesse consensum, nos ejusdem hospitalis religionem prœsertim et necessitatem attendentes, dictam concessionem grate suscepimus, facileque probavimus, et cum R. presbyter tunc temporis ejusdem ecclesiæ persona liberam eam in manus nostras sponte refutasset, mox Ricardo priori tradidimus et per eum hospitali suo personatum ejusdem concessimus. Quod quia ratum et indubitabile deinceps manere volumus. (*Desunt quædam.*

EPISTOLA CLXXXVI.

AD EOSDEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino universis sanctæ matris Londoniensis Ecclesiæ filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Providendum nobis est, ne coram nobis decisæ controversiæ, iterum revivificentur in litem. Noverit itaque dilectio vestra, causam quæ inter magistrum Godefridum et Ernaldum patruum ejus super ecclesia de Castello diutius agitata est, hoc tandem fine conquievisse. Ernaldus in jam dicta ecclesia nepotis sui jus recognoscens, illam in manu nostra per textum deposuit, quam nos Godefrido similiter per textum restituentes, ipsum in ea personam constituimus. Deinde petitione Godefridi, Ernaldum in eadem ecclesia vicarium suscepimus, hac interveniente pactione, ut Ernaldus jam dictam ecclesiam quandiu superstes fuerit teneat sub annua pensione dimidiæ marcæ, Godefrido ab ipso ipsius ecclesiæ nomine annuatim solvendæ, ita ut medietas debitæ pensionis in media Quadragesinæ, altera vero medietas in festo sancti Michaelis solvatur. Quod quia plena utriusque partis consensu sub nostra gestum est præsentia, et juramenti religione utrinque firmatum, ne in dubium de cætero, vel in irritum possit revocari, presenti scripto universitati vestræ rerum gestarum seriem significare, et utrique quod suum est, sigilli nostri auctoritate confirmare curavimus. His testibus Radulpho decano, Petro archidiacano, Waltero archidiacono, magistro Rannulpho, Henrico fratre comitis, Ivone thesaurario, Radulpho de Ledeberia, magistro Galfrido de Cliforde, magistro Waltero de Ardep'. Rogero de Burkell', Rogero filio Mauricii, Radulpho scriptore.

EPISTOLA CLXXXII.

AD EOSDEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino fratribus universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Lites amicabili fine sopitas, tunc demum plene constat exstingui, cum pactiones ob pacem inter partes initæ et utrinque concessæ, eorum, quorum id de jure firmat auctoritas, excipiuntur litteris et sigillis roborantur appositis. Unde transactionem inter venerabilem fratrem nostrum R. Pic', archidiaconum et A. clericum super ecclesia de Mideltona, coram nobis initam et utrinque concessam notitiæ communi præsenti scripto delegare curavimus, et redivivæ litis in posterum, occasionem inter eos omnem penitus amputemus. Alexander itaque qui ad possessionem ecclesiæ de Mideltona recuperandam auctoritate litterarum domini papæ possessorium intendebat, intentionem hanc coram nobis omittens, ecclesiam ipsam de Mideltona quæ ad præbendam venerabilis fratris nostri jam dicti archidiaconi quam in ecclesia Lincolniensis habere dignoscitur indubitate pertinet, ejus se de cætero nomine quindecim marcarum pensione ipsi archidiacono quandiu prænominatæ præbenbæ canonicus exstiterit, annuatim solvenda et suscipere, et tenere consensit, in præsentia nostra tactis jurans Evangeliis, se nunquam de cætero ipsi archidiacono, dum ejusdem erit præbendæ canonicus super ipsam ecclesiam de Mideltona litem aut fatigationem, aut inquietudinem omnino moturum et s

pactionem super memorata jam pensione ei et legitime et fideliter observaturum, jure tamen si quod ad petendam vel repetendam ipsam possidere desierit, ipsum superesse contigerit. Quod quia in nostra et in capituli nostri præsentia sic gestum est, nos cui a domino papa ejusdem causæ fuerat delegata cognitio, et ratum habuimus, et paginæ præsentis inscriptione et sigilli nostri attestatione roborare curavimus.

EPISTOLA CLXXXVIII.

AD EOSDEM.

Dilectis sibi in Domino, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem, gratiam et benedictionem.

Quæ donantur Domino, charissimi, dona nequaquam pereunt, sed ei a quo donata sunt, in perpetuum utique reservantur. Inde est quod charitatem vestram commonemus in Domino, quatenus latori præsentium R. qui ob amorem Dei et salutem animæ suæ, ad reficiendum pontem et calcedam de Stretforde operam præbet, de facultatibus vestris prout vobis Dominus inspiraverit, aliquod auxilium conferatis, ut a Deo ob ipsum collata die illa in centuplum recipiatis. Omnibus autem qui ei ad prædictum opus perficiendum aliquod beneficium præstiterint, orationum et beneficiorum ecclesiæ nostræ partem concedimus, et insuper de Domini confisi misericordia, confessis de pœnitentia sua, 20 dies relaxamus. Valete in Christo.

EPISTOLA CLXXXIX.

AD EOSDEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, salutem in Domino.

Notum vestræ facimus charitati, latorem præsentium R. a prædecessore nostro bonæ memoriæ . Londoniensi quondam episcopo, ad gradum sacerdotii promotum, in ipso episcopatu diu ministrasse, et prout sacerdotali congruit officio, digne conversatum fuisse. Quem cum in partes exteras trahat ad præsens oborta necessitas, has sibi dimissorias ordinationis et honestatis suæ, datæ etiam sibi a nobis decedendi licentiæ testes concessimus; dilectæ nobis in Domino benevolentiæ vestræ preces affectuose porrigentes, quatenus ob divini reverentiam ordinis ipsum in quo locorum venerit inter vos charitate suscipiatis, et honorem quem Domini ministris exhibere justum est, sibi misericorditer impendatis. Valere vos optamus in Domino.

EPISTOLA CXC.

AD EOSDEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, universis Ecclesiæ filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Quæ semel rite finita sunt, ne redivisa suscitentur in jurgia, propensiori cura prospicere convenit, his præsertim quæ fidei firmat religio, ne illi cita usurpatione convellantur. Unde vestræ innotescimus universitati, T. clericum querelæ quam coram nobis adversus venerabilem fratrem nostrum Norwicensem episcopum super violentiam jam secundo instituere destinaverant, in capitulo Londoniæ nobis ad super eadem causa cognoscendum residentibus, in multorum præsentia renuntiasse, et se fide interposita id se in perpetuum observaturum firmasse. Quod ut in posterum liquidum fiat, præsentis scripti patrocinio et sigilli nostri appositione communimus. Valete.

EPISTOLA CXCI.

AD EOSDEM.

Dilectis sibi in Domino universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem, gratiam et benedictionem.

Controversias amicabili pactione sopitas, firmitatis tunc demum robur perpetuum accipere constat, cum eorum quorum hæc firmare potest auctoritas, et litteris consignantur et appositis muniuntur sigillis. Unde transactionem inter venerabilem fratrem nostrum [Walterum] Norwicensem episcopum, una cum ejusdem loci monachis, et Herbertum clericum de Marisco, super quæstione muri, et aliis querelis inter eos habitis, præsenti scripto in lucem redigere curavimus, ut redivivæ litis in posterum iniqua penitus auferatur occasio. Herbertus itaque nobis ad super eadem lite cognoscendum, ex mandato domini papæ residentibus, producto in medium authentico domini Norwicensis episcopi instrumento, tactis sacrosanctis Evangeliis juravit, se omnia quæ concepta fuerant in instrumento, bona fide etiam inviolabiliter observaturum, seque omnibus querelis inter eum et prædictas personas hactenus habitis renuntiare, viva voce proposuit. Nos itaque, id exigente juris ordine, tam dominum episcopum quam monachos a jam dicti H. petitione penitus absolvimus. His testibus.

EPISTOLA CXCII.

AD EOSDEM.

Dilectis sibi in Domino, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem, gratiam et benedictionem.

Quæ sententiali finita sunt calculo, aut amicabili sopita pactione, ne iterum rediviva suscitentur in jurgia, nos pacis amatores decet attentius providere. Eapropter, controversia super ecclesia de Hattona inter R. de Warewic, et W. clericum diu agitata, et ad de ea cognoscendum apostolica auctoritate nobis delegata, quo tandem fine quieverit, utriusque partis mutuo in id concurrente voto, scripto commendare dignum duximus. R. itaque ecclesiam de Hattona quam prius petierat, tenere debet quandiu vixerit, solvendo prætaxato W. marcam argenti annuam infra octavas sancti Michaelis, prænominatæ ecclesiæ jure integro utrolibet eorum decedente, superstiti reservato. Hanc pactionem uterque se bona fide observaturum, interposita sacramenti religione promisit. Hoc autem tam solemniter actum, ut firmitatem in posterum obtineat, præsentis scripti testificatione confirmamus, et sigilli nostri appositione communimus. His testibus...

EPISTOLA CXCIII.

AD THOMAM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Patri suo et domino T. Cantuariensi, Dei gratia, archiepiscopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, apto rationis moderamine semper sibi credita dispensare.

Docet nos magister bonus petere, docet et quærere, et ut aperiatur nobis docet ad ostium cordis ejus cui supplicatur, non opportune solum, sed importune pulsare (*Apoc.* III). Hoc auctore petimus et pulsamus, quatenus apud excellentiam vestram nobis, si placet, ad gratiam pandatur aditus, et ad id quod justum est non negetur accessus. Clamat post nos clericus Beati Pauli Hubertus, asserens justam adversus Baldricum clericum sibi competere exceptionem, ut ad solvendum viginti quæ ab eo postulat Baldricus, ipse de jure compelli non debeat. Unde sibi audientiam præberi supplicat, ut Baldricum ab intentione hac, sacra legum et canonum auctoritate repellat. Quod quia juri consentaneum credimus, preces precibus antevertentes supplicamus, quatenus in re ista quod æquum est decernatis, et in clericum Beati Pauli non imperium ad præsens in ligando, sed æquitatem potius in judicando exerceatis. Cum enim liti se offerat ut impetentis se intentionem potenter elidat, vel si circa hoc defecerit, non id solum quod petitur, sed in expensis etiam, si justum fuerit, condemnationem subeat, sibi diem statui, ipsumque in hæc audiri oportere quis ignorat? Nam quod objicitur, acta agi non debere, et esse varii et inconstantis hominis contra sua pacta venire, quæ etiam sententia vel amicabili conventione finita sunt, in litem revocanda non esse, quale quidem sit, vestra plene novit auctoritas. Non enim quod actum est illud agitur, sed ex transactione viginti de novo petens exceptione repellitur, ex cujus probatione nova in illum lis inchoatur. Quid enim? si debitum hoc vel jam solvit Hubertus, vel remisit forte Baldricus, vel de non petendo pepigit, vel extra naturam contractus hujus cum sit juris stricti transactio, auctoritatem si ad evincendum ageretur se præstiturum repromisit, horum quodcunque probetur, Hubertus plane non tenetur. Hujus itaque residui petitionem cum, ut sibi confidit Hubertus, plane repellat exceptio, intimo sublimitati vestræ supplicamus affectu, quatenus sententiam qua clericum nostrum teneri præcipitis, amore justitiæ nostraque prece relaxetis, et causam quæ inter clericos de novo constituitur, suo inter eos Marte currere permittatis. Quod si nostra non meretur supplicatio, obtinuisse tamen debuerat ad dominum papam, et ante sententiam sub certo testium numero facta appellatio. Non enim hæc causa est quam appellatione remota apostolica, terminare jussit auctoritas. Nam in qua aliud intenditur et aliud respondetur, et sententia prorsus alia desideratur alia procul dubio causa esse dignoscitur. Agit itaque, si placet vestra modestia, ut relaxatione hac amicum vestrum humilem exaudiatis, et honorem debitum et firme, ut æstimo,

A promissum domino papæ exhibeatis, et jus Baldrici, si quod habet, et si in tempus dilatum recte, in nullo tamen minuatis, et sic a tramite legitimo in nullius offensam vel in modico recedendo, universa jucundo fine compleatis. Valete.

EPISTOLA CXCIV.

AD THOMAM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Venerabili domino et Patri in Christo THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, GILBERTUS Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem.

Multiplicem nobis et diffusam late materiam profunde Pater et copiose rescribendo proponitis, et nos licet super appellatione ad dominum papam prosequenda sollicitos, vestræ tamen sublimitati rescri-
B bere, gravi quidem et nos graviter urgente necessitate compellitis. Emissis enim sparsim elogiis nos de toto fratrum nostrorum collegio seorsum ponitis ad convitia, ut singulariter in nos, etsi immeritos, ignominiosa congeratis et probra. Sobrii sensus hominem gravitatis reverendæ personam, magistrum ratione prælationis et dogmatis veritati reverenter obnoxium, mirum est ad verba veritatis exarsisse tam graviter et velut evocatum ad coleras, innocentiam filii pie patri consulentem, non solum non admisisse, sed et ipsius opinionem nota quadam malitiæ cujus sibi minime conscius est, ejus non id exigente merito respersisse : unde cum Ecclesiam De[i]
subvertere, fas nefasque confundere, montem illu[m]
qui Ecclesia et columna Dei viventis est, non san[e]
capite velle dejicere, ad ea quæ vestra sunt ambisse
C et quod ab his obtinendis repulsi fuerimus, ob id ve-
stram Ecclesiæque Dei pacem temere perturbasse
in bello Domini terga dedisse, emissis scriptis pu-
blice denotemur, difficile est ut sileamus, ut han[c]
adversum nos opinionem, vel a præsentibus admitt[i]
vel indefensam futuræ posteritati transmitti, con-
fessionem innuente silentio permittamus. Cum si[t]
itaque malorum radix et origo cupiditas, ne no[s]
hujus suspectos habeant quibus prava suadenter
facili, nos hinc ipsa jubet necessitas exordiri. A[it]
Apostolus : *Quis scit hominum occulta hominis, ni[si]*
spiritus hominis, qui est in ipso? (*I Cor.* II.) Late[nt]
quidem homines occulta hominum, et abyssum co[r]-
dium de cœlo Dominus intuetur. Ipsum ignota no[n]
transeunt, occulta non fallunt. *Est enim sermo D[ei]*
D *vivus et efficax, penetrabiliorque omni gladio ancipit[i]*
nec est ulla creatura invisibilis in conspectu illi[us]
(*Hebr.* IV). Ipsi et coram ipso loquimur ; sub ipsi[us]
examine non vana aut ficta, sed quæ veritate co[n]-
scientiæ subnixa sunt, confidenter et libere respo[n]-
demus, asserentes utique quoniam ad ea quæ vest[ra]
sunt ambitionis stimulos nunquam vel momento se[n]-
simus. Honorem hunc nulli unquam invidimus. Nu[n]-
ad hanc gratiam munere vel obsequio, gratia v[el]
favore deservivimus, ut ad hujus fastigia culmi[nis]
accessum nobis sacrilegum quibuscunque modis a[c]
adminiculis aptaremus. Quis hoc melius Pater qua[m]
vos, quis poterit liquidius æstimare, quem ipsi

Ecclesiæ tunc temporis archidiaconum, et domini nostri regis electum, e millibus non consiliarium solummodo, sed cor fuisse constat et consilium sine quo non quidem facile, sed non erat possibile ob hæc omnino quempiam obtinere progressum? nobis itaque quam apud vos gratiam collocavimus, num per nos aut per alium vestram unquam gratiam xeniis aut obsequiis attentavimus, ut a quod nisi per vos attingi non poterat, in id ope vestra sublevaremur? hinc nostram, Pater, justum est metiri prudentiam, quales nos aliis exhibuerimus, qui nec vestræ celsitudini quam rerum summa sequebatur ad turpe supplicare compendium, nec aliqua favoris gratia unquam vel in modico blandi curavimus. Rem hoc fine concludimus, hoc nobis onus ipsi confidenter imponibus, ut sit nobis illa die repositum, B si nos hujus culpæ conscios in aliquo reprehendit cor nostrum (*I. Joan.* III). Non nostram itaque, Pater, non nostram in vestra promotione repulsam planximus. Illo quidem die non nostra quærere, sed quæ Domini nostri Jesu Christi, non nobis, sed ejus nomini in omnibus gloriam (*Psal.* CXIII) exhiberi toto cordis affectu desideravimus, attendentes rem secus fieri condoluimus. Cernentes jus Ecclesiæ subverti, fas nefasque confundi, montis illius magni quem dicitis deorsum cacumen inflecti, sponsam Christi libertate pristina, sibi semper usque hunc observata reverenter, et exhibita inverecunde privari, altis utique in Domino suspiriis ingemuimus, et dolorum quos nunc experimur assidue, præbationes et præsagia certa quadam divini Spiritus C insinuatione, multi quidam in Ecclesia Dei præsensimus. Oportebat equidem ejus tunc meminisse quod scriptum est: « Difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malis fuerint inchoata principiis; » ad ipsa quidem si recurramus initia, quis toto orbe nostro, quis ignorat, quis tam resupinus ut nesciat vos certa licitatione proposita cancellariam illam dignitatem multis marcarum millibus obtinuisse, et auræ hujus impulsu in portum Cantuariensis Ecclesiæ illapsum ad ejus tandem sic regimen accessisse, quam pie, quam sancte, quam canonice, quo vitæ merito id exigente, multis quidem notum est, et stylo quodam doloris intimi bonorum est cordibus exaratum. Diem suum clauserat ille bonus et bonæ memoriæ Pater noster Theobaldus Ecclesiæ D Cantuariensis dudum archiepiscopus, et vos qui cordis oculos in casum hunc pervigiles minime claudebatis, confestim a Normannia celeres in Angliam reditus habuistis. Ex intervallo directus est a domini nostri regis latere vir magnus et sapiens moderator regni Ricardus de Luci, quem laqueis anathematis innodatum hodie digne sic merito honoratis, regis hic ad omnes habebat imperium, ut Cantuarienses monachi et Ecclesiæ ipsius suffraganei episcopi vos expeterent, vos eligerent, vos in patrem et pastorem negotium nulla deliberationum mora protrahentes assumerent, alioquin iram regiam non utique declinarent, verum se regis hostes A et suorum procul dubio ipsis rerum argumentis agnoscerent.

Quod loquimur experto novimus, attendentes enim Ecclesiam Dei suffocari graviter, ob quod in ejus libertatem, quodam modo proclamavimus, verbum illico proscriptionis audivimus, et exsilio crudeliter addicti sumus, nec solum persona nostra, sed et domus patris mei, et conjuncta nobis affinitas, et cognatio tota. Hoc quidem calice, et aliis propinatum est. Scriptum vero est: *Leo rugiet, quis non timebit* (*Amos* III). Et illud: *Ut rugitus leonis, sic terror regis* (*Prov.* XX). Quod tantæ voluntatis impetu præcipiebat rex, quod effectu compleri tanto nuntio perurgebat, in quod cordis oculos vos omnes injecisse noverant, in quod omnes vestri minis et terroribus, promissis et blanditiis vigilanter instabant, quis negaret? torrenti huic voluntatis et præcepti regii qui resisteret? Stabat regni gladius in manu vestra, si in quem torvos oculos habebatis, terribilis in hunc et importabilis iræ quodam velut igne coruscans. Ille quidem gladius quem in sanctæ matris Ecclesiæ viscera vestra manus paulo ante immerserat, cum ad trajiciendum in Tolosam exercitum tot ipsam marcarum millibus aporiastis. Qui ne limatus denuo per vos aptaretur ad vulnera, jussis obtemperavit Ecclesia, [et declinando quæ metuit, simulavit se velle, quod noluit. O quam longe erant omnium corda bonorum ab hoc ipso, quam dissidentia vota! Motu tamen est et impressione completum, quod interminatione dirissima fuerat imperatum. Sic in ovile ovium non utique per ostium, sed ascendens aliunde introistis (*Joan.* X), et hoc, Pater, introitu libertatem Ecclesiæ tot sibi temporum conservatam curriculis, ademistis, quæ si ejus vita est, ut scribitis, ipsam utique exanimem reddidistis. Deus bone, quis horror illa die, qui omnes horror invasit, cum prognosticum illud de more conspectum, et circumstantium oculis est oblatum! illud, inquam, prognosticum quod in futuri casus indicium evangelista Mathæo quasi vaticinante prolatum est: ait enim Dominus ficulneæ non habenti fructum, nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, et arefacta est continuo (*Matth.* XXI). Oportuisset igitur illa die non recta mandanti principi respondisse, quod oportet *Deo obedire magis quam hominibus* (*Act.* V). Illo utinam die corda nostra plene timor ejus occupasset, qui potest animam in gehennam perdere, et non solum corpus occidere? (*Matth.* X.) Quod quia secus actum est, parit nobis enormitas hæc erubescentiam, erubescentia confusionem, confusio pœnitentiam qua condignam inferet opem, ferente Domino satisfactionem, adeo ut in maxillis nostris juges lacrymæ perseverent donec convertat dominus captivitatem Sion (*Psal.* CXXV), et consoletur mœrentes in Jerusalem, et clementiæ reducat oculos in desolatos Jerusalem.

Interim ut quod actum est currente stylo prose-

quamur, sublimationis vestræ quis fructus exstiterit, audiamus. A pio rege nostro suscepto regni gubernaculo ad illum usque diem Ecclesia quidem sancta alta pace floruerat, excepto quod, ut, diximus ad instaurandum in Tolosam exercitum manus vestras jam minis in se graves agnoverat, de cætero, sub bono principe cuncta gaudebant, jucundissime lætabantur universa. Regnum sacerdotio devotum sancte præstabat obsequium, et sacerdotio firmissime fulciebatur ad bonum omne regis imperium. Exercebantur in Ecclesia gladii duo, devoto Domino Jesu famulantes obsequio. Nec sibi stabant ex adverso, nec tendentes in contraria repugnabant, alterutro. « Unus erat populus et, » ut scriptum est, « unius labii, studens peccata persequi, gaudens vitia fortiter eradicari. » Hæc regni fuit et Ecclesiæ pax, alterna sic gratia fovebantur et unanimi voluntate jungebantur. In vestra vero promotione gratiarum sperabamus et exspectabamus augmenta, et ecce peccatis exigentibus illico turbata sunt universa. Virtus est peccato cum exsurgit occurrere, mentisque sinistros fetus ad petram quæ Christus est, statim cum nascuntur allidere. Oportebat itaque vestram providisse prudentiam, ne dissensiones inter regnum et vos paululum exsurgentes in immensum excrescerent, ne de scintilla tenui in multorum perniciem tantus ignis exsurgeret. Actum secus est, et ob causas quas enumerare longum est, dissensiones adauctæ sunt, inflammata est ira, et odium fortiter obfirmatum. Hæc causa fuit, hinc emersit occasio, cur ad requirendas dignitates regias, et in commune commemorandas suum dominus noster rex animum applicaverit et consilium, quarum observatio cum a vobis et a suffraganeis Ecclesiæ vestræ exigeretur episcopis, eo quod in quibusdam earum Ecclesiæ Dei videbatur libertas opprimi, assensum dare recusavimus præterquam his quæ salvo honore Dei et ordine nostro poteram observari. Exigebat instanter dominus noster rex observationes earum absolute sibi a nobis repromitti, sed quod libertati repugnabat Ecclesiæ, et domini papæ fidelitati, a nobis nequaquam potuit obtineri. Ob causam hanc coacti sunt cœtus, et convocata concilia. Quid meminisse opus est quæ sunt acta Londoniis? quæ denuo Oxenefordiæ? Quæ gesta sunt Clarendoniæ, ad memoriam revocemus. Ubi continuato triduo id solum actum est, ut observandatum regni consuetudinum et dignitatum a nobis fieret absoluta promissio. Ubi quippe vobis vobiscum stetimus quem in domini Spiritus stare fortiter æstimabamus. Stetimus quidem immobiles, stetimus imperterriti. Stetimus in fortunarum dispendium, in cruciatum corporum, in subeundum exsilium, subeundum quoque, si sic Dominus permisisset, et gladium. Quis unquam pater filios in sua plus habuit confessione concordes? quis unquam plus unanimes? inclusi eramus omnes conclavi uno die vero tertio cum jam regni principes et omnes quidem nobiles in summas coleras exarsissent, facto quidem fre mitu, et strepitu conclave quo sedebamus ingress rejectis palliis, exertisque brachiis nos taliter allo cuti sunt: « Attendite qui regni statuta contemnitis qui regni jussa non suscipitis. — Non nostræ sun manus istæ quas cernitis, non nostra brachia, no hæc demum corpora nostra, verum domini nostr regis Henrici sunt ad omnem ejus nutum, a omnem ejus ulciscendam injuriam, ad omnen ejus voluntatem quæcunque fuerit, jam nunc ap plicari promptissima. Ipsius mandatum quodcun que fuerit ex sola nobis voluntate ejus eri justissimum; revocate consilium, inclinate ani mos ad præceptum, ut declinetis, dum fas est quod jam non poterit evitari periculum. — Qui ad hæc? quis fugit? quis terga vertit? quis anim fractus est? vestra nobis exprobratur epistola quod in die belli conversi sumus (*Psal.* LXXVII quod ex adverso non ascendimus, quod nos murun quod domo Domini non opposuimus. Judicet Domi nus inter nos, ipse judicet ob quem stetimus, o quem ad minas principum flecti nequivimus, judi cet ipse quis fugerit, quis in bello desertor extiterit stetit procul dubio vir nobilis, et spiritus in Domin constantissimi Wintoniensis Henricus, stetit Elien sis Nigellus, stetit Lincolniensis Robertus, Cice strensis Hilarius, Salesberiensis Jocelinus, Exonien sis Bartholomæus, Cestrensis Ricardus, Wigornien sis Rogerus, Herefordiensis Robertus, Londoniensi Gillebertus. Hic omnibus percussor defuit, non i virtuti; ii quoque temporalia reputantes ut stercor pro Chrsto et Ecclesia exposuerunt se et sua. Dicatur itaque quod verum est, fiat sub sole quo præsentibus nobis et cernentibus actum est, terg dedit dux militiæ ipse, campi ductor aufugit, a fra trum suorum collegio simul et consilio dominu Cantuariensis abcessit, et tractatu seorsum habit ex intervallo reversus ad nos, in hæc verba pro rupit: « Est domini mei voluntas, ut perjurem, e ad præsens subeo et incurro perjurium, ut poter pœnitentiam acturus in posterum. »

Auditis his obstupuimus et mutuis hærendo conspe ctibus ad lapsum hunc a summo ut æstimabamus virtu tis et constantiæ viro suspirantes ingemuimus. Non es apud dominum est et non, nec ejus sperabamus si moveri posse discipulum. Languente capite, languen cito cætera membra ipsius infirmitas ad cæter statim membra dilabitur. Ipse quod exigebatu annuens, et dignitates regias, et antiquas regni con suetudines antiquorum memoria in commune propo sitas, et scripto commendatas, de cætero se domin nostro regi fideliter observaturum, in verbo veritati absolute promittens, in vi nobis obedientiæ adjunxi sponsione simili nos obligare. Sopita est hoc fin contentio, sacerdotii sic est pax conciliata cum regno Descendit Israel in Ægyptum, unde cum multa glo ria legitur postmodum ascendisse. Nobis quoqu spes magna resederat, in quod dominus noster re ad tempus ira motus exegerat, sedato ipsius anim

ad Dei gloriam et ipsius honorem in bonum denuo esse reformandum. Invidit paci teneræ pacis ille turbator pristinus. Et qui procellis enavigatis sperabamus tenere jam portum, aquilonis ecce flactibus compellimur id profundum. Recens erat illa in verbo veritatis regi facta promissio, vos nisi ab eo impetrata licentia non discessurum a regno. Scriptum est : Verba sacerdotis comitem semper habeant veritatem (*Marc.* II) ; illud quoque, quod quis dicit veritati debet, et quod promittit, fidei. Emensis tamen diebus paucis ventis vela commisistis, et egressum a regno rem rege penitus ignorante procurastis ; quo audito, nemo rege plus stupuit, nemo plus doluit, stupuit non esse completum, quod fuerat a pontifice quasi juramento promissum. Doluit in se grave sciens scandalum suscitari, et illæsam hactenus opinionem suam ex fuga hac apud gentes et regna gravissime lacessiri. Quid enim veritatis ignari, quid poterant ex his aliud suspicari, quam regem regiæ pietatis immemorem in tyranni rabiem exarsisse, et odio Christi ministrum ejus a regno suo et dominationis suæ finibus expulisse ? Mallet in carne sua manu vestra vulnus gravissimum excesisse, quam hoc famæ suæ dispendium toto orbe Christiano per vos et vestros incurrisse. Quid plura? aquilone vela perflante completa fuisset jam navigatio, nisi flatu meliore cœptis auster obstitisset, quo flante prospere navis ad littus unde cœpit navigare perducta est. In manus itaque regis cum vos rei deduxisset eventus, nunquid iram secutus aut potentiam in vos, aut excessit opere, aut est quidquam locutus aspere ? Absit ! at benigne susceptum et veneratione qua decuit honoratum remisit ad propria ; et vos in regno manere, commissam vobis Ecclesiam regere, animi vestri dilectionem et dulcedinem sibi rebus ipsis ostendere, humiliter et benigne supplicando commonuit. Vix auster detonuerat et jam circius fulminabat; motus animorum vix utrinque resederant, et ecce de novo emersit unde ferventius ebullirent. Perlatum est ad vos mandatum regium, ut cuidam regni nobilium super prædio quod a vestra vindicabat Ecclesia, quod justum foret exhiberetis.

Qui post statutos dies ad regem reversus, asseruit se penes vos justitiam assequi nequivisse, et se id ipsum juxta regni statuta coram vobis suo congruo-que testium juramento comprobasse : quo regem prosequente diutius, et super exhibenda sibi justitia quotidie supplicante, domini nostri regis ad vos et missa citatio, ut statuto die se vestra sublimitas sibi exhiberet, ut quod ipso mandante non egerat, eo cognoscente litemque judicio dirimente compleret. Non est a vobis hæc admissa citatio, verum vos in hoc sibi minime pariturum declaravit a vobis ad ipsum delegata responsio. Arbitratus hoc ipso dominus rex juri suo detrahi graviter et potestati, Ecclesiam regni jussit ad consilium Northamtoniam convocari. Convenit populus ut vir unus, et assistentibus sibi quorum id dignitati congruebat et or-

A dini, quod dictum est super exspreto mandato suo in querelam adversus vos usus qua decuit modestia et venustate proposuit. Porro quod intendit, fratrum vestrorum non exspectato vel expetito consilio, vestra incontinenti confessio confirmavit, adjiciens vos ob id non paruisse mandato, quod Joannes ille qui regis ad vos mandatum pertulerat, in vestra præsentia non Evangelio sed tropario quodam proposito juravisset. Est itaque dictum in commune, causam non eam esse ob quam mandatum regium oportuisset omisisse, regnique fore consuetudinem in offensis hujusmodi mulcta pecuniaria suam rem taxante misericordia placari regem ; paruit sublimitas vestra sententiæ ad plenum cavens super judicatu solutione, vestram tamen non latebat prudentiam decre-
B tum illud apostolicum, quod in hunc modum expressum est : « Nullus episcopus, neque pro civili, neque pro criminali causa apud quemvis judicem, sive civilem, sive militarem producatur, vel exhibeatur. » Et illud : « Clericus apud sæcularem judicem, si pulsatus fuerit, non respondeat aut proponat. » Et illud Gelasii papæ ad Helpidium episcopum : « Quo ausu, qua temeritate rescribis ad Ravennam te parare proficisci, cum canones evidenter præcipiant nullum omnimo pontificum nisi nobis ante visis aut consultis ad comitatum debere contendere? » Sed hæc altiori forte scientia et spiritu clariore discernitis, et quia regem unctio divina sanctificat, unguitur ei manus in sanctitatem operum, brachiorum nexus in castitatem complexuum, pectus in cordis munditiam,
C scapula in laboris pro Christo tolerantiam. Chrismate caput infunditur, ut secundum Christum a quo chrisma dictum est, et ejus nomine consecratum, apto semper moderamine studeat sibi credita dispensare, ipsum a cæteris secernitis, et judicem non sæcularem solummodo, sed et ecclesiasticum reputatis, ad quod roborandum id fortasse proponitis, quod imperiali judicio papa Leo quartus emendare voluit, si quid in subditos injuste commisit, Ludovico Augusto sic scribens : « Nos si incompetenter aliquid egimus, et in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro aut missorum vestrorum cuncta volumus emendari judicio, ut eorum legitimo cuncta terminentur examine, ne sit in posterum quod indiscretum valeat permanere. » Si vobis
D mens ista est, discretioni vestræ quamplurimum in hoc consentit opinio, ut ob sacramenti reverentiam regem æstiment, non omnes, sed quas distinguunt Ecclesiæ et personarum Ecclesiæ causas oportere discutere, et regiæ jurisdictionis examine terminare : habet enim Ecclesia quædam divino tantum jure, quædam ut testantur humano. Gradus ecclesiasticos, ordines sacros, et dignitates his cohærentes et potestates divino tantum jure sortitur. Unde si baptizat aut consecrat, solvit aut ligat, prædicat et informat, hæc tantum spiritualia sunt, collata desuper ab homine in hominem, nec hominis dono, sed divino intus operante Spiritu propagata, hunc sibi nemo sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tan-

quam Aaron (*Hebr.* v); affectaverunt hæc Core, Dathan et Abiron a Domino non vocati et inaudita morte perierunt (*Num.* xvi). Immiscentes se sacrificiis Jeroboam et Ozias, alter manus ariditate, alter lepra percussi sunt (*Zach.* xi).

Est igitur in his omnibus sacerdos quilibet ut pater, ut pastor, omni rege superior, rex ut filius, ut discipulus, longe inferior æstimatur. Si itaque rex delinquat in Deum, imitando Theodosium conciliari studeat opera sacerdotum. Si sacerdotes se accusent alterutro, hæc suo rex non usurpet judicio, sed ne Patrum verenda conspiciat, incedens retrorsum causam hujusmodi pallio laudis operiat. Sunt et Ecclesiæ corporalia quædam divino tantum jure possessa; in his decimæ numerantur oblationes et primitiæ, quæ segregando sibi sanctificavit Dominus, et in usus sibi ministrantium æterna lege sancivit; quæ quia divino tantum jure præcipit, ad cognoscendum super his postestas se regia non extendit, humano vero jure multa possidet quæ sola sibi sunt hominum donatione concessa, non id præcipiente Domino vel legem super hoc statuente, ut jam non levitica solum portione limitata sit, verum donis eximiis et possessionibus ampliata; transtulerunt ad eam ampla sua patrimonia reges, transtulerunt electi principes, ut jam sit etiam corporaliter impletum quod de filiis Ecclesiæ dudum est propheta vaticinante prædictum: *Fortitudinem gentium comedetis et in gloria eorum superbietis* (*Isai* lxi), et illud: *Ut det illis hæreditatem gentium* (*Psal.* cx); item Isaias: *Dilata tentorium tuum, longos fac funiculos tuos, ad dextram et ad lævam dilataberis* (*Isai.* liv). Vetus quidem habet historia in opus illud tabernaculi antiquum, illum populum ea devotione contulisse donaria, ut compulsi artifices dicerent Moysi: *Plus offert populus quam necesse est* (*exod.* xxxvi), quorum quantacunque devotio filius tamen gratiæ non æquatur. Quibus sæpenumero non satis est donare singula, nisi super rogent universa. Est vero cuique liberum cum transfert donando quod suum est, donationi conditionem quam velit adnectere, quantum nec legibus nec bonis constat moribus obviare; hanc itaque donationi regum conditionem annexam æstimant, hoc consuetudine tot temporum obtinente curriculis affirmant, ut regibus Ecclesiæ militaria et annexa prædiis alia quædam persolvant obsequia, et possessiones ipsas a regibus personæ suæ principalis hominio et fidelitate præsente Evangelio promissa recognoscant. Sic igitur Ecclesiæ geminata potestas est, ut hinc regi cœlesti serviat, hinc terreno principi quod ad eos spectat exhibeat, ejusque ministros efficit potestas, hinc a Deo collata pontifices, hinc a rege suscepta comites aut barones. Potestas hæc est, qua magnum in palatio obtinet Ecclesia principatum, cum in omnibus regni judiciis, præterquam si de vitæ periculo tractetur aut sanguine, locum habeat ipsa præcipuum: hæc regi nos obligat, ut affirmant, ut ab ipso citati debeamus assistere, et singulorum causas

A universi discutere et judicare. Nam qui in his q
ad Deum sunt gradu quodam distinguuntur, ut
periores quidam, inferiores alii reputemur, et sim
nos in hoc pares æstimant, ut si de fundis ad Ecc
siam libertate regia devolutis, inter nos aut in
fuerit oborta contentio, apud regem quæ spectant
singulos universorum definiat pronuntiatio. Nec
rum, si patrem teneat a filio lata sententia, c
ipsum qui est filius patris sui dominum fore c
vincat ratio manifesta, et cum hominio fideli
reverenter exhibita.

Cum sit ergo a Deo gemma potestas, hinc sa
dotalis, hinc regia, utrumque secundum quid præ
alteri, et ab altera secundum quid posse judic
Patrum auctoritate confirmant, ut sit regum et p
B sulum vicissitudo hæc qua se vicissim judicant
judicantur a se, forte quoddam charitatis vincul
reverentiæ debitum, et utique necessitudo quæd
conservandæ pacis ad alterum; hæc et his alti
considerans regem quasi præcellentem (*I Petr.*
prout monet Apostolus, honoratis et ejus pare
sententiæ recte judicem agnovistis, sibique serv
do quod suum est, ipsum in his quæ ad Deum s
vestræ parere sublimitati prudenter et provide mo
istis. Omni humanæ creaturæ propter Deum sa
se submittit humilitas, et quo se dejicit inferiu
juxta verbum Domini meretur altius et glorio
exaltari. Atque in his utinam humilitatis finibus
ipsa tota resedisset, et cum a vobis quædam de
reposceret Dominus noster rex, cum de summa
C cuniæ quam in manu vestra ex caducis quibusd
excrevisse memorabat, quod jus dictaret, ut sibi
lum peteret exhiberi, ad declinandum regalis cu
judicium, tunc se vester minime zelus erexis
Nam quid poterat inferre periculi danda super
petitione sententia? Ad regimen Ecclesiæ vos a
ria transferri voluit, et ab ipsius nexibus hoc i
vos ut plures opinantur absolvit; quod si ad de
minime referendum est, ut evectus loco sic abso
tur a debito, poterat negotium per exceptione
rem versum plurimum expediri, et si quid comp
nequivisset includi, irate magis repetenti sua qu
avide, de reliquo poterat satis dari, et civilis
causa absque hoc rerum turbine pace poterat
nestissima terminari. Sed inauditum, dicitis, u
D regis curia Cantuariensis unquam compelleretu
talia, et id dixeritis inauditum, officialem curiæ
pentino transitu ad illam sic Ecclesiam unqu
hactenus sic ascendisse, ut hodie qui curiam,
dispensaret Ecclesiam, ab avibus et canibus c
risque curiæ jucundis usibus cito quis astaret a
ribus, et episcopis totius regni spiritualia minis
ret et sacerdotibus. Usus igitur in diversa tend
consilio, domum regiam crucem gestans in mani
introistis, et exsecrandæ cujusdam malitiæ sus
ctum regem omnibus illico reddidistis. At ejus in
centiam summis offerendam præconiis patientia
claravit; illationem crucis adversum se, etsi
leste tulerit, fines tamen regiæ modestiæ non e

sit. Non ira motus efferbuit, non verbo malignatus aut opere ; causam quam sua repetens intenderat fine studuit justitiæ debito terminare. At declinando judicium ad dominum papam appellastis, et sicut in ingressu, sic in egressu vestro summam regis mansuetudinem et tolerantiam vobis observatæ pacis indiciis agnovistis. Nam ut in Absalonem prodeunte exercitu paterna pietas exclamavit : *Servate mihi puerum Absalon* (*II Reg.* XVIII), sic ejus mandato voce statim præconaria cunctis innotuit, ut si quis vobis aut e vestris cuiquam molestus existeret, ultore gladio deperiret.

Addidistis ad hæc, et tanquam vitæ vestræ vel sanguini machinaretur insidias, fuga nocte inita, mutato habitu post latitationem aliquantulam, a regno clam transmeastis, et nemine persequente, nullo vos expellente extra dominationis suæ loca in regno vobis altero ad tempus sedem elegistis. Inde, navem gubernare disponitis, quam in fluctibus et tempestate subducto remige reliquistis ; hinc nos vestra jubet et hortatur auctoritas ut convertamur ad vos, et salvi simus, ut vestris inhærendo vestigiis pro Christo mortem subeamus, et pro liberanda ipsius Ecclesia animas ponere non metuamus. Et utique si attendamus quanta nobis promittantur in cœlis, debeant animo vilescere quæcunque possidentur in terris. Nam nec lingua dicere nec intellectus capere valet, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, nullo metu mortis affici, incorruptionis suæ munere perpetuo gloriari. Passiones hujus temporis minime condignæ sunt ad futuram gloriam quæ revelabitur in sanctis. Et quod modo leve est et momentaneum tribulationis, supra omnem modum æternæ gloriæ pondus operabitur in electis (*II Cor.* V), hæc nostris jamdiu sensibus insederunt; nostra jamdiu studia hæc post se promissa traxerunt. Caput utinam quod mihi scapulis insidet, lictoris gladius projecisset in medium, dum tamen legitime Deoque placito certamine decertassem ! At martyrem non pœna facit, sed causa, dura sancte perpeti gloria est, improbe, pertinaciter, ignominia. Pro Christo subire gladium consummata laus est et victoria, hunc in se temere provocare late patens insania, et si vestra, Pater, non solum dicta verum facta pensemus, in mortem nec temere, nec leviter impingemus. Nam genu Clarendoniæ curvando, fugam Northamtoniæ ineundo, mutato, ad tempus habitu delitescendo, a regni finibus clam emigrando, quid actum est ? quid hæc agendo procurastis ? nisi quod mortem quam nemo dignabatur inferre, tam sollicite declinastis? Nos igitur ad mortem qua fronte, Pater, invitastis, quam vos et fromidasse et fugisse indiciis tam manifestis toti mundo luce clarius ostendistis. Quæ vos suadet charitas, nobis onus imponere, quod abjecistis? Glaudius nobis imminet, quem fugistis, in quem funda jacere non dimicare cominus elegistis. Ad similem forte fugam nos invitastis.

At nobis mare clausum est, et post digressum vestrum, naves nobis sunt omnes et portus inhibiti. Insulæ terrarum claustra regum fortissima sunt, unde vix evadere vel se quis valet expedire. Si nobis puguandum est, de proximo contendemus. Si cum rege pugna conseritur, unde percutiemus gladio, nos ibi gladius repercutientis inveniet, unde vulnus inffligemus, vulnera declinare nequibimus. Et annui vestri reditus nunquid vobis tanti sunt ut fratrum vestrorum sanguine vobis hos velitis acquiri ? At Juda reportante pecuniam hanc Judæi respuerunt quam sanguinis esse pretium agnoverunt. Sed aliam nobis causam fortasse proponitis. Paululum itaque divertamus, ut mortis nobis suadendæ causam plenius attendamus. Gratias Domino, nulla penes nos est de fide contentio, de sacramentis nulla, nulla de moribus, viget recta fides in principe, viget in prælatis, viget in subditis. Omnes fidei articulos regni hujus Ecclesia sane complectitur. A summi pontificis obedientia præsentis schismatis insania nemo dividitur, Ecclesiæ sacramenta venerantur omnes et excolunt, suscipiunt in se et aliis pie sancteque communicant.

Quod ad mores, *in multis quidem offendimus omnes* (*Jac.* III). Errorem tamen suum nullus prædicat aut defendit, verum pœnitentiæ remedio sperat posse dilui quod admittit. Tota igitur in regem est, et de rege contentio ob quasdam consuetudines suis prædecessoribus observatas, ut asserit, et exhibitas quas sibi vult et expetit observari. Super hoc a vestra sublimitate commonitus non desistit a proposito, non renuntiat iis quæ firmavit antiquitas et longa regni consuetudo. Hæc causa est cur ad arma decurritis, et in sanctum caput et nobile gladium librare contenditis, in quo refert plurimum quod has ipse non statuit, sed ut tota regni testatur antiquitas, sic eas reperit institutas. Nam difficilius evellitur quod altius radicatur, hæret planta tenacius quæ suas in altum jamdiu radices immiserit. Quam si quis transferre desiderat, non viribus evellenda est, ne protinus exarescat. Circumfodienda prius est et humus est ejicienda, denudanda radix undique, ut sic prudens expleat diligentia quod vis commode non expleret incompetenter adhibita. A bonis exempla sumenda sunt, et cum tractantur hujusmodi, ipsorum sunt opera diligentius attendenda. Prædecessor vester ille Pater Augustinus multa a regno hoc exstirpavit enormia, et ipsum regem fide illuminans pravas ab eo consuetudines, non quidem paucas eliminavit, non maledictis equidem, sed benedicendo potius et prædicando, exhortando salubriter, et potentum animos ad bonum fortiter inclinando. Cremensis ille Joannes diebus nostris in partes has a sancta Romana directus Ecclesia, regni consuetudines in quibus jam senuerat, immutavit ! Quod non maledictis aut minis, sed doctrina sana et exhortationibus sanctis obtinuit. Benedicendo seminavit, de benedictionibus et messem fecit. Hi si ad arma decurrissent, nihil

aut parum profecissent. A pio Francorum rege optata diu prole sibi jam concessa divinitus, nuper illi regno multa sunt remissa gravamina, quæ firmaverat antiquitas hactenus inconvulsa, hæc suggerente, ut audivimus, Ecclesia, et monente, non in electum principem minas impetente sublata sunt. Quæ denique quantæve dignitates, libertates, immunitates, possessiones Ecclesiæ Dei a piis regibus orbe toto pietate sola, non maledicti necessitate collata sint, quis valeat explicare? utique tempus id volentem explicare deficiet, hæc namque regum est laude digna nobilitas. Ab ipsis supplex obtinet quod erectus in minas nullis unquam conatibus obtineret, ipsis minimi pretium tam reputatur vile quam exiguum, quod sibi vi subripere quisque violenter intenderet, magnos in re modica rei suæ defensores spe cito frustratus agnosceret.

Hæc itaque non fervore novitio, sed maturo fuerant attendenda consilio; erant fratrum vestrorum et aliorum plurimum in his exquirenda consilia, attendenda Patrum prudentum opera, cum incommodis Ecclesiæ pensanda commoda, et hæc tunc demum danda forte sententia, cum jam non foret spes ulla superesse remedia, quo profecto cum datur juxta sacrorum formam canonum attendendum est in quem detur, cur detur, quomodo detur, an expediat Ecclesiæ quod detur, et obfuturum sibi si non detur. Is vero quem impetistis, ut nota vobis referamus, nunquid non ipse est quem dulcissima pignora, nobilissima conjux et honesta, subjecta sibi regna quamplurima, amicorum cœtus et suis obsequentium nutibus tot populorum agmina, mundi quæque pretiosa vix detinent, blandiendo persuadent, quin spretis omnibus post crucem suam portantem Dominum Jesum nudus exeat, et paupertatem contemplando quam subiit, id facto studeat implere quod docuit ipse, dicens: *Qui non bajulat crucem suam et venit post me, non est me dignus* (*Luc.* XIV): hæc mentis ejus obstinatio est, hæc maledictis opprimenda crudelitas, hæc in Ecclesia Dei toto orbe declamata malignitas; in hunc si maledicta congesseritis, partem sui nobilissimam suis lædi jaculis Ecclesia recte condolebit, ipso namque vulnerato læsam se non filiorum paucitas, sed populorum ampla numerositas ingemiscet. In hoc vero sacra sic docet auctoritas in ejusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras, « non hujus aut illius est hominis periculum, sed populorum strages jacent; » detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat; et iterum: « Non potest esse salubris a multis correctio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. » Medico namque quis ascribat industriæ ut vulnus unum sanet, aliud longe majus, longe periculosius infligat? discretioni quis attribuat ob quædam quæ poterunt et levius et expeditius obtineri, Ecclesiam sic deserere, in principem exsurgere et Ecclesiæ totius regni concussa pace animarum in subditis corporumque pericula non curare? Agris essit Ambrosius, Ecclesiam deserere non approbavit. Nam quid a bono principe vestra, Pater, prudentia poterat non sperare, quem divino compunctum spiritu in Christum a Deo noverat anhelare? Illæ consuetudines temporalis commodi nil prorsus sibi conferentes, quanti sibi sunt, cum ipsa mundi gloria quantam se cumque offerat jam tota fere viluit, et a cordis sui desiderio tam procul est, ut Domino loquens sæpius id dicat, quod scriptum est: « Insigne mei capitis odi, o Domine, tu scis. » Nunquid non hic fovendus erat, et in ipso nidificanti columbæ sanctæ dimittendus, donec plene formatus in ipso Christus occulta ejus in lucem traheret, produceret, et libertates Ecclesiæ non tantum has de quibus agitur, sed et longe propensiores ipse quasi manu propria distribueret?

In his quidem quod scimus loquimur, quod novimus id confidenter asserimus. Consuetudines in quas plus excandescitis, dominus noster rex jampridem punitus exsprevisset, si non hoc propositum duo graviter impedissent. Unum quod sibi timet esse dedecori a Patribus ad se devoluto regno diebus suis subtrahi quidquam vel imminui. Alterum, si quid remittat ob Dominum, erubescit ut hoc sibi vi reputetur extortum. Primum tamen illud jam sanctitatis pede calcaverat, et ipsum in hoc Dei timor, innata bonitas, domini papæ sancta monitio, multorumque in hoc supplicatio continuata produxerant, ut ob ejus reverentiam per quem ultra omnes suos Patres longe magnificatus est, Ecclesiam Dei convocare, et regni consuetudines quæ gravamen sibi noscerentur inferre multa devotione spiritus immutare vellet ultroneus et corrigere. Et si penes vos cœpta perseverasset humilitas, Ecclesiam Dei in regno exhilarasset jam diffusa late jucunditas. Nam finem in quem tenditis evicerat jam supplicatio, cum male totum impedivit a vobis orta recens turbatio: nam cum suis nondum Britannia titulis accessisset, et levaret in eum usque tunc indomita gens illa calcaneum, cum produceret in turbatores pacis exercitum, terribiles in illum litteras devotionem Patris, modestiam pontificis, minime redolentes emisistis, et quod summi pontificis admonitio multorumque elaboraverat supplex et intenta devotio, suspirando minas illico sustulistis et tam regem quam regnum in scandalum cunctis retroactis fere gravius impulistis. Avertat Deus finem quem negotio sic procedente metuimus, qui ne nostris erumpat temporibus ob honorem Dei et sanctæ Ecclesiæ reverentiam, ob vestrum, si placet commodum, ob pacis commune bonum, ob minuenda scandala, et quæ turbata sunt ad pacem juvante domino, revocanda, ad dominum papam appellavimus, ut vestri cursus impetum vos in regem prone rapientis et regnum, ad tempus saltem cohibeamus. Qua in re bonum est ut intra fines modestiæ vester se velit zelus cohibere, ne ut regni jura subvertere, sic quoque debitam domino papæ reverentiam, appellationes ad ipsum interposita

non admittendo, nimis e sublimi studeat exinanire. Quod si placeret advertere ad Zachæum non divertisse Dominum, nisi cum de sycomoro jam descendisset (*Luc.* XIX), descenderetis forsitan et quem minis exasperastis verbis alloquendo pacificis mitigare studeretis non solum exigendo, sed et satisfactionem humilem, etsi forte injuriam passus, offerendo. Puerum apostolis proposuit exemplo Dominus qui læsus non irascitur, injuriæ cito meminit, nec quidquam malitiose moliens dum magna non affectat sibi, totum hoc innocentis vitæ remedio vitæque jucunditate plenissima recompensat (*Luc.* IX), Singulare virtutis exemplar ipse est qui se crucifigentes absolvit, qui lata charitate persequentes et odientes amari præcipit, et si peccet frater in nos veniam non solum septies, sed et septuagies septies imperat impertiri (*Matth.* XVII). Ista quid non posset humilitas apud dominum nostrum regem, quid non obtineret viarum ista perfectio? Callis iste rectus est, ad pacem recte perducens; quem, Pater, cum intraveritis pacem illico apprehendetis, et dispersis tristitiæ nebulis cuncta pace, gaudio cuncta replebitis, et a rege piissimo dominoque nostro charissimo non solum quæ ad præsens petitis, sed et longe majora his Domini Spiritu cor ejus accendente, et in amorem suum semper dilatante feliciter obtinere poteritis.

EPISTOLA CXCV.

AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, GILBERTUS Londoniensis episcopus, apto rationis moderamine C sibi credita dispensare.

Severitatem vestram, Pater, dominus Salesberiensis, et ego, aliique fratres nostri ex retroactis et agnitis non immerito suspectam habentes, pertimuimus ne in dominum nostrum regem Angliæ, aut in regnum ejus vel in nos Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeos episcopos, aut commissas nobis ecclesias maledicti aut interdicti sententiam ferendam esse decerneretis, et nos indefensos, juri tamen semper stare promptissimos, jam dictæ pœnæ nexibus involveretis. Quod ne vobis omnino foret liberum, ad clementiam domini papæ juxta Quadragesimæ initium appellavimus, et appellationi diem, octavas Purificationis beatæ Mariæ, constituentes hoc vobis scripto præsenti significare curavimus, D et si quid habetis in nos, quod judicio prosequi liceat, in ejus tunc præsentia, juvante Domino, respondeamus, et ejus per omnia sententiæ humiliter et devotissime pareamus. Avertat iram suam Dominus, ne quod proponitis optato fine concludatis.

EPISTOLA CXCVI.

AD SUFFRAGANEOS CANTUARIENSIS ECCLESIÆ

G. dei gratia Londoniensis episcopus, universis Ecclesiæ Cantuariensis suffraganeis, salutem et debitum fraternæ charitatis obsequium.

Pervenit ad Patrem nostrum dominum Cantua- A riensem archiepiscopum, eos, quos necessitas pro compendio pœnitentiæ vel causæ remedio aut visitationis debito compellit ad dominum papam iter arripere in regno hoc, ab itinere suo præpediri, spoliari, tractari atrocius, et a transfretatione prohiberi, vel ab his qui occasiones quærunt ut faciant mala, vel coacti illicita de præpediendis clericis vel pœnitentibus præstiterunt sacramenta. Unde nobis omnibus apostolica auctoritate in virtute obedientiæ et in periculo ordinis nostri injungit, quatenus hoc de cætero fieri inhibeamus, et in eos, qui in clericos vialentas manus injiciunt, qui appellantes, vel pœnitentes ad dominum papam, vel ad ipsum tendentes, vel ab ipso redeuntes, impediunt, publice excommunicatos denuntiemus, et per episcopatus nos- B tros denuntiari faciamus, tam facientes hoc quam hoc facere compellentes. Quod quia nobis districte injungitur, mandare vobis et denuntiare curavimus, ut mandantis imperio prout justum est pareamus. Valere vos optamus in Domino.

(2) EPISTOLA CXCVI *bis*.

AD SUFFRAGANEOS CANTUARIENSIS ECCLESIÆ

DE ELECTIONE URBANI PAPÆ.

Venerabilibus fratribus et amicis in Christo charissimis sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeis G. Dei gratia Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem in Domino.

Exemplum litterarum domini et papæ nostri Urbani papæ, quas transmittente nobis domino Cantuariensi nuper recepimus, fraternitati vestræ ex officii nostri debito direximus, ut ejus continentia diligentius inspecta, vos de cætero non lateat quo pastore divina provisio Romanam de novo instituerit Ecclesiam, et in quantum ejusdem pastoris gratia venerabilis Patris nostri Cantuariensis archiepiscopi auxerit dignitatem. (*Epistola Urbani de qua hic agitur, infra est in ordine suo collocata sub num.* 381.)

EPISTOLA CXCVII.

AD G. CANTUARIENSEM ARCHIDIACONUM.

GILBERTUS, Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri et amico charissimo G. eadem gratia Cantuariensi archidiacono, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Talentum vobis, charissime commissum est, quod augere, et in multorum commoditates expendere, discretioni vestræ necessarium est, ut cum istud multorum subveniendo necessitatibus adduxeritis, mercedem in centuplum a Domino in illa die reportetis (*Matth.* XIX). Talentum hoc domini nostri regis est vobis a Domino concessa familiaritas, quam si quis auro comparet pretiosior est, et recte quantacunque pecunia longe charior æstimatur. Talentum hoc ut fideliter erogetis, opus est ut ipsum de sublevanda oppressorum miseria frequenter et sollicite commoneatis, et in hoc non opportuna solum, sed inopportuna, si id pietas exigat, instantia perseveretis, ut et ipsi meritum apud Dominum

(2) Antea epist. 330.

collocetur, et apud Deum et homines gratia vobis A non modica ex studiis hujusmodi cumuletur. Hæc ideo prælibavimus, quia lator præsentium Rogerus de Derneford, ea nobis affinitate conjunctus est, ut ei deesse nequeamus, quin apud hos, de quorum gratia nos et charitate confidimus, ipsius id exigente necessitate, supplicemus. In hunc vero dominus abbas Westmonasterii manus in tantum aggravat, ut ab hæreditate, quæ sibi prædecessoris sui et totius capituli charta confirmata est, et insuper dominæ imperatricis matris domini nostri regis charta roborata, severe nimis exstirpare intendat. Unde benevolentiæ vestræ præces quanta possumus affectione porrigimus, quatenus hujus servitium suscipiatis, et ut dominus noster rex matris suæ donationem, sibi ea quam ipse laudabitis servitii taxatione moderata confirmet, obtineatis, ut et ipsum servitii semper obnoxium, et me ad placitum vestrum et servitii et gratiæ debitorem habeatis. Valere vos optamus in Domino, charissime.

In codice legitur : Quod si quis dixerit imperatorem perfidum, atrocem, injustum, vel quid simile pro fuderit, si ex levitate processerit, contemnendum: lubricum enim linguæ ad pœnam facile trahendum non est ; si ex insania, furoris vini ve rabie, miseratione dignum ; si ab injuria, ad nos transmittendum. » Ideo ex personis hominum pensemus dictum tale debere puniri, impunitumve relinqui.

EPISTOLA CXCVIII.

AD MAURITIUM PARIENSEM ARCHIEPISCOPUM

Venerabili domino fratrique in Christo charissimo C M. Parisiensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Notum sit charitati vestræ quod nos secuti fidem mandati vestri, simul et auctoritatem scripti vestri authentici, quod vestro penes nos residet sigillo insignitum, burgensibus Parisiensibus pro quibus nobis scripsistis, creditoribus videlicet Willelmi de Beaumont, quanta potuimus et debuimus diligentia, ad indemnitatem prospeximus. Porro in præsentia missorum vestrorum per idoneos et sufficientes fidejussores pro Willelmo cautum est, quod ad instantem festivitatem sancti Laurentii, octo marcæ argent prædictis creditoribus in solutionem redderentur Infra quindecim vero dies post sequentem Sanct. D Michaelis festivitatem, item octo marcæ. Consequenter autem infra 15 dies post proximum Pascha quod residuum fuerit, usque ad summam sexaginta quatuor libras Parisienses et decem solidos persolvetur. Quod quia pro inopia creditoris promptius expediri non poterat, (*Hæc epistola imperfecta est.*)

EPISTOLA CXCIX.

AD R. PICTAVIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, cognato et amico suo charissimo, R. Pictaviensi archiepiscopo, cæterisque domini regis justitiis, fructus operando Justitiæ mercedem justi reportare.

Regium, dilectissimi, gladium circumfertis ad tempus, quem, quia vindictam malorum laudemque bonorum consecratus est, sic opto de manu vestra experiantur mali, ne, quod absit! eo puniantur et boni, sic putrida recidantur, ne membra quæ sana sunt morboque carentia plagis et cruciatibus attententur. Audistis piaculare flagitium, honestum scilicet clericum ad malorum insidias non vulneratum solummodo, sed et plagis impositis relictum misere semivivum (*Luc.* x). Cujus quidem perpetratores sceleris in proxime celebrata synodo Satanæ tradidimus, in suæ carnis interitum, ut quem instigatorem admiserunt, commissi sceleris, urgente Domino, sentiant et experiantur ultorem. Ex his quosdam, ut audio apprehendistis, eosque juris laqueis ut potestatis judiciariæ severitas expetit innodantes legitimos in nullo tramites excessistis. Laudo vos et commissam vobis sollicitudinem laudabiliter exercere totus applaudo. Quorum ne vel in modico decoloretur administratio, rogans supplico, quatenus diaconum illum et acolytum quos ob causam hanc includit fecistis ob reverentiam Domini Jesu, cujus sunt signati charactere, cujus similitudinem gestant coronæ, mihi si quid adversus eos habet accusator ecclesiastica coercendos jurisdictione restituati. Ne si Dominum Jesum in membris suis inclusum carcere, audaci, quod absit! securitate detinueritis, ipsum vobis in illa die januam vitæ claudere, divina in exigente justitia, compellatis. Valere vos optamus in Domino, charissimi.

EPISTOLA CC.

AD ROTROCUM ROTHOMAGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Venerabili domino Patrique charissimo R. Rhothomagensi Dei gratia archiepiscopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Gratiarum Domino tota mentis alacritate referimus actiones, quod in vobis congesta virtutum bona produxit in medium, et vos altiori superpositum candelabro, in totius ædificationem Ecclesiæ, solito voluit eminentius elucere. Nos vero veterem sed nullatenus inveteratam vobis amicitiam servare volentes, de benevolentia vestra confidimus, ut qui de collata nobis gratia congaudemus, amplioris etiam gratiæ apud vos locum obtineamus. Inde est quod dilectæ nobis in Domino bonitati vestræ preces affectuose porrigimus, quatenus dilecto nostro, magistro Ranulfo filio Erchem beneficium ecclesia Sancti Amani quod sibi prædecessor vester sub nostro et multorum testimonio tanquam ejusdem ecclesiæ personæ restituit, salvum fore concedatis; e vicarium et fraudatorem suum Rogerium, aut a vi caria ipsa, si justum fuerit, amoveatis, aut firmati fide interposita pacis stare compellatis. Aget oblat precis exauditio, ut et magistrum Randulphum ob noxium servitio, et nos amplioris gratiæ debitore habeatis. Valere vos optamus in Domino Pater i Christo charissime.

EPISTOLA CCI.

AD ROGERIUM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Venerabili domino et amico charissimo R. Dei gratia Eboracensi archiepiscopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem.

Litteras dilectionis vestræ suscepimus, quæ nos tanto verius gaudio refecerunt, quanto certius de statu vestro, de prospero reditu, de adventu ad partes nostras, et nostris ad votum desideriis responderunt. Vobis itaque, ne nostras longius vota removeremur, dante Domino, occurremus, ut proxima die Dominica post Purificationem beatæ Mariæ gloriosæ [virginis] venientes constituti, in crastino, vestro si placet (*Cætera desiderantur*).

EPISTOLA CCII.

AD EUMDEM.

Venerabili domino Patrique charissimo R. Eboracensi Dei gratia archiepiscopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, apta quæque saluti, et si quid ipsi possumus, honoris et servitii.

Verborum facile suadet paucitas, cum ad exaudiendum prompta est ipsius ad quem scribitur, amica benignitas. Unde quia de vestra in nos benevolentia fiduciam jamdiu multam ipsa rerum exhibitione concepimus, ex præteritis futura conjicientes, de vestra ad omnes modestia per omnia bene sperantes, preces excellentiæ vestræ, quanta scimus et possumus affectione porrigimus, ut clericum vestrum et cognatum nostrum W. Foliot, quem minus benigno jamdiu perstrinxistis oculo, clementius respiciatis, et in solitam, si placet, gratiam admittatis. Satis est, si placet, quod immeritum afflixistis jamdiu, et patienter omnia sustinentem humiliastis. Excessum ejus nullum fortassis, aut certe modicum, severe corripuistis, et in omnibus his filium sapienter erudistis. Unde cum jam vulneri vinum abundanter infuderitis, obsecramus ut oleum de cætero admittatis, ut clerico vestro subtracta sibi plene restituendo, et ipsum et nos, et nostra si placet, ad libitum habeatis. Valete.

EPISTOLA CCIII.

AD J. DECANUM AUGIENSEM.

GILBERTUS, Dei gratia Londoniensis episcopus, J. decano de Augy, salutem.

Audivimus et pro certo accepimus, quod quidam sacerdotes sive diaconi de decanatu vestro, spreta penitus et abjecta admonitione nostra, interdicta sibi feminarum consortia nequaquam devitant, sed assueta concubinarum suarum contubernia tam impudenter adhuc etiam quam irreverenter fovent et frequentant. Unde ne patientia nostra, quam tanto sunt abusi tempore, trahatur ad consensum, per præsentia vobis scripta in vi obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus omnes prædicti ordinis personas in vestro decanatu constitutas, quæ tam infami societate et familiaritate, tam illicite irretitæ noscuntur, et adhuc illaqueatæ, auctoritate Dei et nostra a sacerdotali et a levitico suspendatis officio, et tan- A diu suspensos teneatis, donec condigna satisfactione restitutionis gratiam a nobis obtinuerint. Valete.

EPISTOLA CCIV.

AD CESTRENSEM EPISCOPUM.

Dominus Londoniensis domino Cestrensi, salutis gaudium, et cum omni hilaritate promptæ devotionis obsequium.

Quos nobis, domine, reddit natura conjunctos, non sinit a nobis ratio charitatis esse disjunctos. Unde est ut eorum negotiis, quantum cum Deo et justitia possumus, nos conveniat intendere, et quo nostra diligentia ad optatum perduci debeant effectum, modis omnibus laborare. Quoniam igitur sæpius experimento vestri gratia didicimus quid apud benevolentiam vestram in nostris et nostrorum ne- B gotiis efficere possimus, certa quodammodo spes nobis promittitur ex præterito, quod innata vobis liberalitas refrigescere nesciat in futuro. Devotissimas itaque litteras preces vestras, charissime frater et domine, affectu quo solebatis, si placet, accipite, et in R. cognato nostro qui sanctitati vestræ, sicut audivimus, ad Ecclesiam de Idelesham præsentatus est, ipsam sibi conferendo, non remoratæ munus institutionis quod petimus adimplete. Nostis namque quantæ soleant in talibus occasiones ex mora reperiri, quæ præsuli plerumque auctoritatem instituendi adimant, et ne instituendus beneficio quod sibi juste conferri potuisset gaudeat, iniqua quorumdam calliditate præpediant. Divina ergo misericordia viscera pietatis vestræ commoveat, quæ nobis C est ad vos dilectio simul et devotio; in cumulum charitatis accedat, quatenus præfatum R. in præscripto negotio dignemini promovere, et ob indultam sibi gratiam tam nos quam cæteros amicos suos vestris velitis obsequiis arctius obligare. Valere vos optamus in Domino, charissime.

EPISTOLA CCV.

AD HILARIUM CICESTRENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo HILARIO Cicestrensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Quod in causa Joannis cognitoris partes sustinui- D mus, obedientia fuit. Quod pro eo adversus abbatem de Geresten pronuntiavimus, juris et legum observantia fuit. Quod citra conscientiam vestram per officialem vestrum, decanum videlicet de Beddig, sententiam exsecutioni mandaverim, temporis procul dubio necessitas effecit. Eramus enim nos sicut et vos, ex mandato domini regis procincti ad peregrinandum, proxima quarta feria post latam sententiam apud Duur' ex condicto conventuri, et inde ad dominum papam, quam citius profecturi. Unde ne protracta in longum negotia occasione profectionis vestræ in dispendium pauperis clerici differrentur ulterius, decano vestro, qui in ispo tunc temporis opportunus advenit, nos cum multa quidem confidentia dilectionis vestræ, auctoritate sedis apostolicæ hujus rei exsecutionem injunximus. In

quo, si mansuetudo vestra adversum eum aliquatenus exasperata est, hanc nobis pro reverentia domini papæ veniam dari, ipsumque in gradum et gratiam pristinam restitui quanta possumus devotione supplicamus, ne in nostram, quod absit! confusionem destitutus, de vestra, quod absit! benevolentia nos minus soliti sperare compellat; peteremus adhuc instantius, et preces precibus accumularemus attentius, nisi quia quoddam quasi diffidentis animi judicium hoc est, et de fraterna charitate minus præsumentis. Valete.

EPISTOLA CCVI.

AD HUGONEM DUNELMENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo, H. Dunelmensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem et sinceræ charitatis affectum.

Usu celeberrimum esse solet, ut quoties honesta deposcit occasio, cum obtinendi fiducia his de quorum dilectione spes nobis est uberior, affectuosas preces porrigamus. Cum itaque amicis nostris et his præcipue quos naturæ nobis unit ratio, in suis negotiis deesse, nec debemus nec possumus, de strenuitate vestra magis quam de merito confidentes, vestram attentius exoramus benignitatem, quatenus quod in provectu vestrorum scilicet W. et H. laudabiliter cœpistis, feliciori fine consummetis, ut apud vos preces nostras sibi profuisse sentiant, et nos gratiarum debitores, ipsos autem servitii habeatis. Valete.

EPISTOLA CCVII.

AD BARTHOLOMÆUM EXONIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo B. Exoniensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem et debitum fraternæ charitatis obsequium.

Amicis nostris et benevolis negare non possumus, quid apud hos de quorum in nos charitate confidimus ipsorum vel suorum id exigente necessitate supplicemus. Unde quia præsentium lator amicorum nostrorum familiaris et amicus est, dilectæ nobis in Domino benevolentiæ vestræ preces benigne porrigimus, quatenus ipsius negotium, quod penes vos est, quantum permittit æquitas promoveatis, et ejus providendo indemnitati ipsum vobis obnoxium servitio et nos gratiæ debitores efficiatis. Valere vos optamus in Domino, Pater in Christo charissime.

EPISTOLA CCVIII.

AD ROBERTUM OXENFORDENSEM ARCHIDIACONUM, POSTEA HEREF. EPISPOPUM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, R. Oxenfordensi archidiacono, salutis gaudium, et quem naturæ gratia superaddit affectum.

Multorum prece commonitus benevolentiæ vestræ preces offero, ne a pactis, quæ inter vos et magistrum Adam de Longa villa firmata sunt, quocunque suadente vos aliquatenus aut interpellante recedatis, sed ecclesiam quam ejus nomine annua ut asserit pensione tenetis, ipse in manu vestra habeatis, ne si per vos aliter in illam irrepserit, post vestram, Domino donante, promotionem aut ad hmil
vitæ studia, inspirante Domino, translationem,
diem forte quem nullus evadet extremus, ipsum
suam nancisci denuo suis, ut fieri assolet, in
cata difficultas impediat. Quia vero quod æquum
vos libenter observare non ambigo, preces una
obtinendi fiducia porrigo quatenus quod erati
non supplicante facturus, oblatis a me precibus
pleatis alacrius. Valere vos in Domino optamu

EPISTOLA CCIX.

AD EUMDEM.

Gilbertus, Dei gratia Londoniensis episcop
Oxenefordensi archidiacono, multiplicem ex a
ta consolatione gratiarum actionem.

Multis curarum oppressus oneribus, quid a
rescribam promptum non habeo, nisi prophet
illud solummodo, quod cum sæpe decantave
nunc in amaritudine positus experiri compell
dicam: *Tota die verecundia mea coram me e
confusio faciei meæ cooperuit me* (*Psal.* XLIII). S
taculum factus sum mundo et hominibus (*I Co*
quia fortiter afflixit me inimicus (*Psal.* XLI);
nus Domini tetigit me (*Job.* XIX), quæ me mu
elevans tandem graviter allisit me. Ad miseri
accedit cumulum quod in promptu non est
queat expeti vel sperari remedium. Mare mihi
sum est et portus omnes circumquaque proh
Inter amicos et notos commorari mors mihi e
his elongari penitus impossibile. Unde nuntiu
dominum regem quanta potui festinatione t
misi, ut impetrata transfretandi licentia dom
papam adeam et penes eum causam meam v
fendam si possibile est, vel inflicto vulneri,
est, ab eo medicamenta requiram. Vestrum
plurimum exopto colloquium, obsecrans ut Sal
Pentecostes vestri copiam Londoniæ habea
quid mihi in conventu illo expediat vestro frat
que meorum consilio instructus intelligam. V
vos exopto, charissime!

EPISTOLA CCX.

AD ROBERTUM HEREFORDIENSEM ELECTUM.

Gilbertus, Dei gratia Londoniensis episcop
lectis in Domino sibi Roberto eadem gratia
fordiensi electo, totique ejusdem Ecclesiæ cap
salutem.

Quæ ad pacem Ecclesiæ stabiliendam seu
muniendam pertinere dignoscimus, iis dilige
assensum dare, et ut in perpetuum valitura p
neant, hæc scriptis et munimentis aliis rob
charitate id procul dubio suggerente debemu
propter fraternitati vestræ præsenti scripto no
mus causam, quæ inter venerabilem fratre
strum Rogerum priorem Malverniæ, et Rog
sacerdotem de Lenhale super ecclesiam de Le
diu ventilata est, et ob varios eventus rerum
tracta plurimum, super qua mandatum aposto
accepimus, ut ei aut finem amicabili compos
imponeremus, aut ipsam auditis utrinque par
canonico fine decideremus, in præsentia vest

tandem conquievisse, et finem paci congruum accepisse. Prædictus siquidem Rogerus de Lenhale jus ecclesiæ de Malvernia in sæpedicta ecclesia de Lenhale recognoscens, ipsam in manu nostra resignavit, et priorem ecclesiam de Malvernia per manum nostram apostolica auctoritate eadem investiri concessit. Quo debita solemnitate peracto, prior totius capituli sui assensu eamdem ecclesiam ipsi Rogero per manum nostram apostolica interveniente auctoritate, annua dimidiæ marcæ pensione in Pascha solvenda tota vita sua tenendam concessit. Hoc etiam in charitatis augmentum totius capituli sui conniventia annuens, ut cum prædictus Rogerus aut vita decesserit, aut se ad frugem melioris vitæ transtulerit, Walterus presbyter de Daubo, qui in eadem ecclesia nomine Rogeri aliquandiu ministravit, in eadem nomine prioris et ecclesiæ de Malvernia ministret, et usque vel decesserit vel sæculari vitæ renuntiaverit, annua marcæ unius pensione in Pascha solvendæ annuatim perpetuus in ea vicarius perseveret. Nominato vero Waltero vel obeunte, vel se ad religionis habitum transferente, ecclesia de Lenhale cum omni integritate sua Malvernensis Ecclesiæ bonis accrescat, ipsamque Malvernensem Ecclesiam de cætero plene possideat. Quo quia salvo jure Herefordiensis Ecclesiæ ratum inconvulsumque manere decernimus, scripti præsentis adnotatione et sigilli nostri appositione confirmamus. His testibus Roberto de Broi, Mauricio de Sabricteswrde, Rogero de Herefordia, Ricardo de Salesberia, Ludevico, Waltero et eleemosynario, magistro Willelmo de Bernes, Hugone cappellano de Hedam, Samsone clerico prioris, Reginaldo camerario, Waltero Foliot, Ricardo Brudle, Jocelino, Alano.

EPISTOLA CCXI.

AD EUMDEM.

Gilbertus, gratia Dei Londoniensis episcopus, venerabili fratri dominoque charissimo R. Herefordiensis Ecclesiæ eadem gratia electo, salutem et optatos in Domino semper ad vota successus.

Verborum facile suadeat paucitas, cum ad exaudiendum prona est ipsius ad quem scribitur amica benignitas. Inde est quod dilectæ nobis in Domino benevolentiæ vestræ preces affectuose porrigimus, ut ecclesiam de Lideberi amore Dei nostræque petitionis intuitu, ob sedem episcopalem quam diu obtinuit, et ob sanctorum episcoporum reverentiam, quorum ibidem corpora requiescunt, tam in capite quam in capellis ad eam pertinentibus in ea conservetis integritate, qua tam nostro quam decessorum nostrorum tempore stabilita fuisse cognoscitur, ut cum nostras in hoc preces exaudieris, Deum inde vobis propitium et nos vobis amplioris gratiæ debitores habeatis.

EPISTOLA CCXII.

AD EUMDEM.

Præfatio ad Comment. In Cantica canticorum.

Domino et amico suo charissimo Roberto Dei gratia Herefordiensi episcopo, frater Gilbertus Londoniensis Ecclesiæ minister, humiliter in his exerceri quæ Dei sunt, et in iisdem fine beatissimo consummari.

Ne tuæ, domine, jussionis vana mihi aut vilis videretur auctoritas, tibi illico direxi librum quem postulasti; librum siquidem, quem in Cantica canticorum, juvante Domino, nuper edidi, etc. *Vide Opera exegetica Gilberti, inter Patrologiæ tomos proxime edendos.* Edit. Patr.

EPISTOLA CCXIII.

AD EUMDEM.

Venerabili fratri R. Herefordiensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem.

Si verba postulavimus, satisfactum est, si rem, non adeo. Verum quod tam honorifice, quod tam eleganti repulsa, vota nostra reprobastis, vobis et notariis vestris quantas debemus gratias referimus. Ipsas, annuente Domino, cum res erit gratiarum actiones relaturi. Quod autem preces nostras quas pro dejectorum nostrorum restitutione vestræ porreximus fraternitati, juxta intelligentiam vestram nequaquam admittendas scribitis, ne in Ecclesiam Dei et sacros canones graviter, quod absit! committatis, non satis admirari sufficimus. Cum prima hæc sint tam divini quam humani juris elementa, nulli permissum esse sibi jus dicere, vi pulsos ad omnem causam debere restitui, prædonibus etiam violentisque possessoribus adversus veros dominos per interdictum subveniri, et multa in hunc modum quæ leges affirmant, confirmant decreta et optima utrorumque interpres consuetudo commendat, quæ licet in nostram fortasse dissimulentur injuriam, vestram tamen prudentiam scimus non ignorare. Nunc vero quia nihil quod amico possitis, concedere, nobis, ut vestra conclusit oratio, vultis ullatenus negare, quod nec inimico negandum est, diem videlicet, locum, et audientiam dejectis nostris petimus exhiberi.

EPISTOLA CCXIV.

AD EUMDEM.

Dominus Londoniensis domino Herefordiensi, salutem et debitum veræ dilectionis affectum.

Vereor ad amicum molestus precator accedere, et ab eo quidquam unde vel in modico moveatur exigere. Verum cum digne commendabilem illam vestræ mentis attendo modestiam, spem mente concipio, ut benigne sustineatis amicum, etsi magna petentem, vos tamen ad petitiones ejusmodi sibi offerendas et cum Dominus opportunitatem dederit, ab ipso alacriter exaudiendas, ipsa precis audacia provocantem. Quorumdam relatione didici Radulphum de Lideberi, clericum vestrum id habere mentis et propositi, ut præbendam quam habet in ecclesia de Herefordia, in manu vestra resignare desideret, si spem tamen habuerit ut eam in Henricum nepotem meum conferre benevolentiæ vestræ placuerit. Hoc itaque est quod postulo, quod in affectionis experimentum et charitatis augmentum

nobis exhiberi desiderio. Quod si vobis in aliquo A molestum intellexero, ab ipsa prorsus postulatione recedo. Valeat dominus et amicus in Christo charissimus.

Quidquid in hoc mundo constat esse felicius, et in futuro præstantius, sinceræ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et res postulata vires indubitanter assumat. Quocirca excellentiæ vestræ gratias et gratiorum actiones.

Quantum mei cordis affectus de vestra dilectione delectetur, nec vox nec scribentis calamus potest intimare. Tamen ut multa paucis concludam, scitote me pro posse meo vestræ semper voluntati esse obnoxium. Hoc utique vestra probabit dilectio, cum aliquid a me fieri optaverit. B

EPISTOLA CCXV.

AD EPISCOPOS HEREFORDIENSEM ET WIGORNIENSEM.

Sibi dilectis electis domino Herefordiensi, et Wigorniensi, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutis gaudium, et si quem potest in Domino charitas officiosa, famulatum.

Vestram scimus non latere prudentiam, quod facti sæpius ignorantia juris ignorantiam parit, et frequenter in controversiis cum minus apparet quid actum sit, quid etiam sit statuendum non instructus judex minus plene intelligit. Inde est quod de causa quæ inter Robertum et Henricum ad præsens vertitur, præsenti vobis scripto notificamus, quod vidimus, quod audivimus, imo quod ipsi formam legum secuti et canonum multis nobis assi- C dentibus et judicavimus, et judicatum exsecutioni legitimæ mandare curavimus. Defuncto namque Ricardo, qui in Ecclesiæ de Witeberne multo jam tempore ministraverat, nos ipsum usque ad diem decessionis suæ, personatum ipsius ecclesiæ habuisse, suoque in ea nomine ministrasse existimantes, a Roberto fraude tacendi quod noverat circumventi, multaque precum ejus instantia tandem moti, ecclesiam jam dictam ipsi concessimus, ipsumque ea etsi juris alieni conscientiam habentem, hoc quidem ignorantes investivimus, Quo agnito, Walterus de Broward Herefordiensis Ecclesiæ canonicus, præsentiam nostram adiens, ecclesiam jam dictam sui juris esse, ipsamque sibi a prædecessore nostro bonæ memoriæ Roberto epi- D scopo canonice concessam fuisse asseruit, postulans sibi ad id probandum diem constitui, et Robertum super hoc in jus evocari. Statuto itaque die duobus Lidebiriæ convocatis càpitulis, Walterus, præsente Roberto, ecclesiam de Witeburne, ut jam dictum est, sibi de jure competere asseruit, et ipsam a Richewardo in manu domini Roberti episcopi refutatam, in se canonice ab eodem episcopo collatam fuisse, sufficienti idoneorum testium copia juramentis super hoc corporaliter exhibitis, plenissime comprobavit. Unde ecclesiam eamdem Roberto adjudicatam, jam dicto Waltero ex sententia restituimus, et post ipsius decessum, ipsam alii cuidam clerico vestro Rogero concessimus, quam ab eo postmodum refutatam, latori præsentium Henrico, omni vacantem persona et possessore donavimus. Quorum qui in jure potior habendus sit, decernentis e facili qui jure celebrata, an qui donatione nititur, ex sententia retracta. Valere vos optamus in Domino, fratres in Christo charissimi.

EPISTOLA CCXVI.

AD G. DECANUM ET CAPIT. HEREFORDIÆ.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus dilectis sibi in Domino G. Herefordiensi decano totique capitulo, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Usu celebre est, ut a quibus repulsa non metuitur, et de quorum charitate fides habetur certior his cum indubitata obtinendi quæ cupimus fiducia preces uberius offeramus. Cum itaque præteritorum exhibitio in postulandis nos tutiores efficiat, cum universis singulos affectuose rogamus, quatenu certa negotia R. Colec' . . . ad fidem et canonic vestri divinæ pietatis et nostræ petitionis intuitu mi sericorditer agatis, ut dum in scholis moratur por tionis quæ eum contingit non sentiat dispendium Pium est enim his subvenire quos amor scientiæ facit exsules. Nec certe trahendum est ad conse quentiam si quid impiis causis fiat extra ordinem Gratius ut nostis fieri solet accipienti postulatur dum offertur, quam cum ab invito judicii calculi emungit, et utinam necessitatem faciendi volunta antecedat, et coercionem mera liberalitas prævenia Scitis etenim quid nobis datum sit in mandatis, quo exsequi supersedimus, laboribus vestris et expens parcere cupientes, sub spe certissima id exspectan tes, ut voto et necessitati jam dicti Ricardi, mag voluntate quam sententia satis fiat, quod adhuc fu turum speramus preces precibus adjungentes, qua tenus apud vos nostros sibi profuisse preces res ips declaret, et ipsum servitii nos gratiarum debitor habeatis.

EPISTOLA CCXVII.

AD EOSDEM.

G. decano et toti capitulo Herefordiensis Ecclesiæ salutem in Domino.

Magna quadam securitate benevolentiam vestra et gratiam semper vindicamus, ideoque cum nost seu nostrorum necessitas efflagitat amicorum, co fidenter ad vos ingredimur, cum omni spe imp trandi quidquid amico potest et debet amicoru charitas indulgere. R. siquidem nepos noster, v sterque canonicus, de proposito suo et consilio nostr per Dei gratiam studiorum causa nuper transfret turus est. Proinde dilectæ nobis et diligendæ semp in Domino universitati vestræ preces obnixe por gimus, quatenus intuitu tam favorabilis proposi nostræque si placet petitionis interventu, unam ha nobis licentiam indulgeatis, sine diminutione ber ficiorum præbendæ suæ, suamque interim abse tiam cum sui si placet indemnitate excusatam h beatis, ut et ipsum vestris devotiorem obsequiis nos vobis pro ipso amplioris gratiæ debitores e

ciatis. Bene valeant singuli, bene valeant et universi.

EPISTOLA CCXVIII.

AD UHTREDUM LANDAVIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique in Christo charissimo UHTREDO Dei gratia [Landaviensi] episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem in Domino.

Veniens ad nos quædam parochiana nostra, Mathildis nomine, lacrymabili nobis sæpe conquestione monstravit, quod quidam Jacobus nomine, Lebrandi filius, vester natione, et nunc conversatione parochianus, qui eam solemni, ut asserit, matrimonio et cum sacerdotali benedictione in suam accepit et duxit uxorem, ipsam postmodum absque udicio et conscientia Ecclesiæ, per totum jam se-›tennium desertam, et contra fidem tori et legem :hristi, tam nefarie quam irreverenter altera su-›erducta, virili prorsus destitutam solatio, dereli-[uerit. Super quo, ut vera vobis scribere, et certa ecure significare possemus, per archidiaconum, ›er sacerdotem ipsius ministrum et auctorem ma-:imonii, per laicos etiam quamplures, graves et onestos viros, fide veri districte et diligenter in-uisita, verum esse manifeste deprehendimus, quod obis memorata Mathildis de contractis cum Jacobo uptiis, plus lacrymis quam verbis sæpenumero per-ıaserat. Unde quia prædictus J. in jurisdictione ›stra, et in vestro, ut dicitur, territorio apud Gren-.ng commoratur, faternitati vestræ preces afle-uose porrigimus, supplicantes et obsecrantes in omino, quatenus illum ob reverentiam Dei, cano-.ca severitate corripiatis, et uxori debitum pro-deat, et præstet subsidium, ecclesiasticæ distri-ione justitiæ compellatis, ut sciat eumdem esse m vobis quam nobis zelum legis Christi, et sen-ıt utrinque adversus prævaricatores ejus non de-se ultores. Valete.

EPISTOLA CCXIX.

AD NICOLAUM LANDAVIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo NICOLAO ndaviensi episcopo, frater G. Londoniensis Ec-›siæ minister, salutem et debitum fraternæ cha-atis obsequium.

Esse me sanum et incolumem noveris, tuumque ectuose desiderare colloquium, ut percipiam ex ıici præsentia quod effectat plurimum anima so-ium. Quod quia variis rerum impeditur even-us, quod corporalis alterutro nobis absentia ›trahit, id, quæso, charitas illa suppleat, quæ scit absentiam, quæque ipsum quem diligit, sibi aper in spiritu novit exhibere præsenti. De cæ-›, Willelmi filii R. prece pulsatus, benevolentiæ træ preces offerre compellor, quatenus B. cleri-u ipsius ad diaconatus ordinem promotum jam-, ad sacerdotium promovere velis. Quod amore meæque petitionis intuitu complendo, et ipsum tionis obnoxium, Deo meque tibi gratiæ, ut in

A omnibus, debitorem exhibebis. Valeas in Christo, charissime.

EPISTOLA CCXX

AD ROBERTUM LINCOLNIENSEM EPISCOPUM.

Venerabili domino fratrique charissimo R. Lincolniensi episcopo, fratrer G. Londoniensis Ecclesiæ minister, in senecta uberi pie Christo famulari.

Quæ sint opes loci qui dicitur Haliwelle, divulgante fama, notum forsitan habuistis. Angustus quidem locus est et exiguus, adeo ut trium agri jugerum spatio totus plene limitetur. Locum hunc inhabitant viginti sorores velatæ et consecratæ Domino, divinis jugiter insistentes laudibus, et Domino regulariter obsequentes. Temporalem his victum et vestitum ministrat ecclesia de Dunt' ipsis a præsen-
B tium latore magistro Rogero pie collata, et misericorditer a gratia vestra confirmata. Hac deducta, locus quem prædictæ sorores inhabitant, ipsis quidem ad sepulcrum, ad victum vero nullo modo sufficiet. Mentem itaque vestram moveat precor illa calamitas, in quam jam dictæ sorores procul dubio casuræ sunt, si judicii severitate, quod absit! jam dicta ecclesia fuerint destitutæ. Interponat itaque se pastoralis illa clementia, quæ usque in diem hanc collato beneficio Domini paruit et vestivit ancillas, ne totum ipsis quod sub cœlo possident abjudicando, ipsas desolatas reddat, et omni penitus auxilio et consilio destitutas. Canonice, si placet, eis induciæ concedantur; dilationes eis legitimæ non negentur; provideatur advocati suffragium, ut pectus in vobis
C sentiant quantum permiserit æquitas paupertati suæ compatiens, et religionis amicum. Si causæ id exegerit arcta necessitas, transigatur potius quam ovili Domini vellus ad cutem usque judiciali sententia detrahatur. Latorem præsentium magistrum R. de Duntone fraternitati vestræ commendamus attentius, quem jam dictæ sorores in præsenti causa sub testimonio nostro procuratorem sibi constituunt, eo quod vehiculum quo subvehantur ad vos inopia præpediente non inveniunt. Valere vos optamus in Domino, frater in Christo charissime.

EPISTOLA CCXXI.

AD EUMDEM.

Venerabili domino fratrique charissimo R. Lincolniensi Dei gratia episcopo, frater G. Londonien-
D sis Ecclesiæ minister, salutem quam sibi.

Amicus et affinis noster R. Brito, talem se exhibet, et tam strenuum in quibus potest negotiis, ut in illis necessitatibus quæ suam transcendunt facultatem, suorum videatur amicorum auxilio non indignus. Qui, largiente Domino, in cujus manu corda sunt regum (*Prov.* XXI), tantam in conspectu regis gratiam obtinuit, quod idem dominus noster rex baroniam Willelmi Gulafre, quæ in suam reciderat manum, cum filia et hærede ejusdem Willelmi, primogenito filio suo dotalem concessit, filiam quoque suam honorifice maritare, nobilique marito et grandi maritagio, regia liberalitate nobilitare curavit. Qua in re et regis non immerito laudatur

munificentia, et Patris nihilominus diligentia comprobatur. Quia qui bene meretur et qui bene remunerat, uterque laudandus est. Super est adhuc filius alter, quem litteris erudire, quem Deo dedere, quem ecclesiastico ordini mancipare destinavit. Ad cujus promotionem quia paterna non possunt, nec debent obsequia suffragari, una post Deum spe, specialiter ad nos duos suspensus est, quod curam ejus habere, ipsique propter Deum providere debeamus. Ob hanc igitur causam mea ad vos legatione fungitur, ut gratiam quam non desperat ex se, mea tamen promptius apud vos obtineat intercessione. Pater itaque pro filio, ego pro nepote, ambo pro nostro vobis abnepote supplicamus, ut quæ paterna devotio divinis deputavit obsequiis, vestræ, si placet, Ecclesiæ titulis ascribatis, et in hæreditatem sanctam et in ecclesiasticam familiam præstatione præsentis seu futuri promissione beneficii, asciscatis, ut sollicitudo Patris, quæ tota resedit in filio, re ipsa vel spe saltem exhilarata respiret. Qua in re, si mea vobis improba videtur et onerosa petitio, scitote quia vobis fratrique vestro, domino Willelmo de Caineto id potius imputare debetis. Ego namque Britanniam nesciebam, Britones non noveram, R. Britonis neque notitia, neque nomen ad me pervenerat, quin vos duo illum mihi commendastis ad gratiam, multaque diligentia in amicitiam et affinitatem gentis nostræ induxistis, eaque mihi necessitudine confœderastis, ut non jam improbitas æstimari debeat, sed officii magis necessitas pro ipso vestræ supplicare dilectioni. Prater hæc autem et super hæc multa mihi suggerit audacia orandi et exorandi fiduciam, dominus R. de Almari, qui in hoc ipso, ut dicitur, negotio, suas ad vos partes audacter interponit, et more curialium imperiose cuncta disponit. Non enim in ea possum apud vos causa desperare, quam hinc majestas curiæ inde mea et aliorum humilitas amicorum apud vestram nititur benevolentiam in tam honesto desiderio perorare. Valete.

EPISTOLA CCXXII.

AD EUMDEM.

Venerabili domino fratrique charissimo R. Linc. Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem.

Vobis loquimur sicut et nobis, nec volunt alii secreta committi. Super causa quam nobis intimare curastis, ad præsens illud in primis occurrit, quod certam promulgastis super re incerta sententiam. Et cum de facto non constaret, pronuntiare tamen sic curastis, ac si de facto constiterit. Nam cum actioni nostræ adversarium pariat ipsa possessio, non ante sententiam solum, sed in ipso litis ingressu oportebat constare quis possideret, a quo petitor pse quod sui dicebat juris esse, repeteret. Nunc vero Ricardo de Ambli in possessione posito, et per negotii gestorem rem sui juris esse protestante, non inter petitorem et ipsum in possessione positum, sed magis alios extra possessionem constitutos, non quidem cognitum, sed judicatum est. Vobis enim notionem ferre non valuit, monachorum de se vel archidiaconi vestri, vel decani, super altero nulla exhibita probatione confessio. Unde palam est, Ricardo de Ambli sententia sic lata quid officiat, cum aliis res inter alios judicata non noceat. Advertat itaque prudentia vestra, quid domino papæ scripseritis, cui ut litterarum ipsius tenor exprimit, causam inter Rogerum et Ricardum ventilatam et judicio terminatam esse scripsistis. Quod si sic actum est, sicut factum ipsum, sic improbamus et scriptum. Si vero non, sed ut frequenter humanus caligat oculus, negotium secus quam gestum aut scriptum. Si dominus papa concepit, videtur nobis illorum admittenda exceptio, qui precis oblatæ et suggestæ rei arguunt falsitatem. Hæc enim non quæcunque falsitas est, sed quæ totam perimit causæ substantiam. Quæ ipsi possessionem adimit, qui nunquam citatus est. Adversus quem nec actitatum in jure, nec unquam pronuntiatum est. Inter quem et Rogerum latam sententiam qui confirmat, cum hæc nulla sit, nullam confirmare videtur. Mandatum vero domini papæ si differtis, non omittitis, nec frustratoria dilatio illa habenda est, quæ veritate simul et ratione subnixa est. Erit itaque, si placet, domino papæ rescribendum, et ipsius mandatum, qua causa quantaque ratione distuleritis, aperiendum. Quod cum ex suggestis pendeat, ipsis derogata fide differendum esse nullus ignorat. Pauperi vero extraordinarie et in alterius injuriam subvenire, non æquum ducimus, cum super hoc divina lex habeat: « Non misereberis pauperis in judicio, » et judicem calamitosis illacrymari non debere, Justinianus ipse decernat. Valete, et saniorem præfere sententiam non omittite.

EPISTOLA CCXXIII.

AD R. LINCOLNIENSEM ARCHIDIACONUM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, R. Lincolniensi archidiacono, salutem.

Diem tibi ad causam quæ inter te et R. sacerdotem vertitur, apostolica auctoritate constituimus, ad quem ob purgandam domino papæ sanctæque Romanæ ecclesiæ a te ut dicitur, illatam injuriam nec venisti, nec responsalem mittere procurasti. Diem igitur alterum et hunc peremptorium constituimus, mandantes et apostolica auctoritate tibi injungentes, ut nisi jam dictum R. sacerdotem a sententia interdicti prosus absolutum susceperis, et obvolutiones Ecclesiæ suæ dum appellationem suam ad dominum papam subtractas, prosequeretur, plene reddi feceris, tuam nobis præsentiam XI Kalendas Septembris apud Windeleshores exhibeas, mandato domini papæ super memorata causa pro jus dictabit obedias. Qui vero excipienti incumbit id probare quod excipit, si pronuntiationem illam quam contra statuta canonum adversum me in domini papæ et sanctæ Romanæ Ecclesiæ injuria dominus Cantuariensis institutit, me tenere ligare et ab apostolici exsecutione mandati repellere

et præpedire intendis, cum exceptionem hanc in jure probaveris, nostrum tunc recte judicium declinabis. Vale.

EPISTOLA CCXXIV.

AD PAROCHIANOS LONDONIENSIS ECCLESIÆ.

G. Dei gratia Londoniensis Ecclesiæ minister, dilectis sibi in Domino universis ejusdem Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem, gratiam et benedictionem. Est apud nos in castello de Storteford locus reverendæ venustatis, locus olim sanctuario Dei et divinis deputatus obsequiis, quem etiam nunc post ruinas, ob ea quæ ibi crebro apparuisse dicuntur sanctitas indicia, fidelis populis cum multa veneratur et revertur devotione. Nos igitur ob amorem Dei et sacri loci reverentiam, in statum pristinum 'em reformare, et basilicam ibidem Deo reædificare lisponentes, propositum pii laboris charitati vetræ denuntiamus, optantes ut et vos pii nobiscum ›peris adjutores, debitique fructus et dignæ meredis simul participes efficiamus. Hinc est quod estram oramus et exhortamus in Domino dilectionem, quatenus pietatis intuiti sancto operi huic pem et operam impendatis, et ut ad complementum ıcœpta perveniant, ad reparandam domum Domini ui omnia contulit, aliqua de bonis vestris conferas, scituris hic qui nostris in hoc monitis acquieunt, quod orationum et beneficiorum sanctæ ondoniensis Ecclesiæ, eos specialiter constituimus sse participes. Pœnitentibus autem et peccata conssis, qui in opus hoc ad honorem Dei aliquid haritative impertierint, de injuncta sibi satisfaione misericorditer viginti dies relaxamus.

EPISTOLA CCXXV.

AD EOSDEM.

Gilbertus, Dei gratia Londoniensis episcopus, lectis sibi in domino universis sanctæ Londoniens Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem, gratiam benedictionem.

Particeps mercedis efficitur, quicunque se bonom operum adjutorem exhibet, nec irremuneratum linquitur, quod in pietatis usus fuerit intuitu paurum erogatum, dicente Domino : *Quod uni ex inimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Math.* xxv). Inde t quod universitatem vestram monemus attentius, rogamus, et in peccatorum vestrorum remisonem injungimus, quatenus ad construendum nodochium, quod in honore Dei et beati Thomæ artyris Londoniæ apud Suthwercam, ad pauperum infirmorum susceptionem pariter et sustentatiom de novo est inchoatum, amore Dei et pietatis uitu, manum auxilii misericorditer porrigatis, ad pauperum refectionem pariter et sustentatiom de concessis vobis a Domino facultatibus pertientes, Deum ob collatam sibi membris is gratiam, remuneratorem et vitæ vobis æternæ gitorem habeatis, et orationum et beneficiorum æ in jam dicto fient xenodochio participes vos nstituatis. Omnibus vero qui ad prædictum pieis opus manum auxilii porrexerint, et ejusdem

A loci pauperibus vel in modico subvenerint, de Domini confisi misericordia viginti de injuncta sibi pœnitentia dies relaxamus, et orationum et beneficiorum quæ in nostra fient Ecclesia eos participes esse concedimus.

EPISTOLA CCXXVI.

AD EOSDEM.

Gilbertus, Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino archidiaconis, decanis, et omnibus qui in episcopatu Londoniæ consistunt, ecclesiarum prælatis, salutem, gratiam et benedictionem.

Officii nostri nos admonet et hortatur auctoritas, ut beneficia quæ in nostra diœcesi fidelium devotio pauperibus Christi in charitate contulit, aut collatura est in posterum ipsis confirmare et perpetua stabilitate communire curemus. B Proinde ecclesiam de Standuna cum pertinentiis suis, et ecclesiam de Chingesboria cum suis itidem pertinentiis, et ecclesiam de Chauria cum omnibus ad ipsam pertinentibus, quas earumdem fundatores et advocati ecclesiarum, sicut ex authenticis eorum scriptis agnovimus, Deo et sancto Joanni, et fratribus Hospitalis Jerusalem, pro sua et suorum salute, in perpetuam destinarunt eleemosynam, concessa nobis a Domino episcopali auctoritate, memoratis fratribus Hospitalis concedimus, et sub hujus scripti testimonio in perpetuum confirmamus. His testibus, Hugone decano Sancti Pauli, Ricardo archidiacono Oxenefordiæ, Ricardo archidiacono Colecestriæ, magistro Nicolao, magistro Waltero, C Willelmo de Norhala, canonicis Sancti Pauli, Willelmo de Piro, Henrico Pictore, Roberto Huscharle, Roberto de Fuleham, Alfredo Bechet, Willelmo de Ver, et cæteris. Valete.

EPISTOLA CCXXVII.

AD EOSDEM.

Gilbertus, Dei gratia [Londoniensis] episcopus, dilectis sibi in Domino universis ejusdem Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Qui Domino devotius obsequuntur digne ab ipsius fidelibus in petitionibus suis justis exaudiuntur. Inde est quod universitati vestræ præsenti scripto notificamus, nos dilectis fratribus monachis scilicet Cluniaci et nominatim priori de Rumuli et ipsius D loci conventui omnes ecclesias et ecclesiastica beneficia concessisse, quæ sibi a comite Eustachio donata et concessa sunt, et ipsius charta quam inspeximus confirmata et ab ipsis multis jam ante annorum curriculis quiete et inconcusse possessa. In his vero hæc ex propriis duximus exprimenda vocabulis, ecclesiam de Stanford, et ecclesiam de Angra, ecclesiam de Lahaphara, et Lagaphara parva ecclesiam de Gogeshala, ecclesiam de Orteia, ecclesiam de Langahou, et quidquid ad eas pertinet in capellis, in terris, et decimis, videlicet de porcis, de agnis, de lana, de caseis, de vitulis, de pullis equorum, de pasnagio, de feno et lino. Has jam dictas ecclesias cum omnibus ad ipsas perti-

nentibus, jam dictis fratribus concedimus, et episcopali auctoritate confirmamus, et hanc donationem nostram sigilli nostri attestatione corroboramus. Testibus Ricardo archidiacono....

EPISTOLA CCXXVIII.

AD EOSDEM.

GILBERTUS, Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino, universis sanctæ Londoniensis Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Cogit nos charitatis affectio pro indigentia fratrum de Priten' universitati vestræ supplicare. Qui nimirum inchoatam ecclesiæ suæ fabricam suis non sufficiunt impendiis consummare, nisi devotio fidelium votis eorum misericorditer subveniat. Proinde latores præsentium nuntios et procuratores paupertatis suæ, sub nostrarum testimonio litterarum vobis commendamus ad gratiam, orantes et exhortantes in Domino, et in remissionem vobis injungente delictorum, quatenus eos pro communi fratrum necessitate pie laborantes, propter Deum benigne suscipiatis et de collatis vobis a Domino facultatibus, ad extruendam prædicte fabricam ecclesiæ, eleemosynas et beneficio vestra misericorditer impendatis, ut domum Domini in terris ædificando, permansura vobis ædificia præparetis in cœlo. Clericis vero, presbyteris et personis ecclesiarum, per nostram constitutis parochiam specialiter supplicamus, ut illis suscipiendis, exhibendis et honorandis sollicitius intendant, et ad commissas sibi plebes devota eos exoratione commendent. Scituris omnibus, qui eos hospitio seu beneficio quolibet honoraverint, quod eos orationum et beneficiorum sanctæ Londoniensis Ecclesiæ constituimus fore participes. Pœnitentibus etiam et peccata confessis, sub nostro scilicet constitutis sacerdotio, quia majori indigent remedio, majorem adjicimus misericordiam, et si in septem annorum vel supra pœnitentia fuerint, viginti, si minus, decem, de injuncta sibi satisfactione dies relaxamus.

EPISTOLA CCXXXIX.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino universis ejusdem Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Quo magis, dilectissimi, inter charitatis opera lucet eleemosynarum largitio, eo propensius earum erogationi insistere vos exhortamur in Domino. Si enim opera misericordiæ in hujus sæculi peregrinatione seminatis, multiplicato fructu, vitam æternam metetis in cœlo. Unde rogamus et monemus vos attentius, quatenus inopiæ fratrum de Cuwella qui pro defectis facultatibus Ecclesiam suæ religioni congruam construere non possunt, compatiamini, et pia ducti campassione, eis optata subsidia æternorum intuitu præbeatis, ut vestris adjuti suffragiis oratorio sibi constructo ferventissime legi mandatorum Dei inhærere possint. Nos vero his qui de suis facultatibus eidem loco quidquam largiti fuerint, de Dei misericordia confisi, de eorum pœnitentia decem dies relaxamus, et bonorum omnium quæ in nostra fiunt Ecclesia, adjuvante Domino, eos participes constituimus. Valete.

EPISTOLA CCXXX.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino episcopis, archidiaconis, clericis, per episcopatum Londoniensem constitutis, salutem, gratiam et benedictionem.

Quæ in usus pauperum misericorditer impenduntur donantibus non pereunt, imo ad æternæ retributionis gloriam conservantur, et temporalium pia largitio vitam æternam operatur. Unde nos de salutis vestræ profectu solliciti, propensius charitatem vestram exhortamur in Domino, quatenus piis operationibus providere indulgeatis, ut de bonis vobis, permittente Domino, concessis, dum tempus habetis, dum licet, æternitatis fructum mereamini. Nos itaque ancillarum Christi, Deo et beatissimæ Mariæ de Northamtonia jugiter servientium, egestati compatientes, rogamus, monemus, et vos exhortamur in Domino ut, cum ad vos venerint suam proponentes miseriam, eas benignius suscipiatis, et de facultatum vestrarum copia earum relevetis inopiam, ut bonorum quæ tam in nostra quam sua fiunt Ecclesia auctore Domino sitis participes. Valete.

EPISTOLA CCXXXI.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino archidiaconis, decanis, et omnibus qui in episcopatu Londoniensi consistunt, ecclesiarum prælatis, salutem, gratiam et benedictionem.

Noverit dilectio vestra, quod R. clericus de Ardel', ecclesiam de Ardel' in manus nostras tam spontanee quam absolute resignavit, seque quod nihil in ea juris ulterius esset repetiturus, interposita juramenti religione, obligavit. Quam nos petitione quidem et præsentatione advocati, dilecto nostro G. de Sur' cum omni integritate sua perpetuo habendam et canonice possidendam concessimus, ipsumque in ea personam debita solemnitate constituimus. Quod quia in dubium nolumus, aut in irritum de cætero posse revocari, præsenti scripto universitati vestræ id notificare, et episcopali auctoritate confirmare curavimus. His testibus...

EPISTOLA CCXXXII.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ ministris, nec non et universis Christianæ professionis in sua diœcesi commorantibus, ad quos litteræ istæ pervenerint, compassionis abundare visceribus.

Capiat in nobis, fratres charissimi, evangelicæ doctrinæ frequens et quotidiana admonitio, qua instruimur et informamur opis indigentibus manum misericordiæ alacriter porrigere, et oppressorum necessitatibus cœli remedio occurrendo subveni

Scriptum namque est : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebimus legem Christi* (*Galat.* VI). Et iterum : *Hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Et alibi : *Date et dabitur vobis* (*Luc.* VI). Et iterum : *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV). Et alibi : *Charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII). Nos igitur ecclesiæ Sanctæ Virginis N. et fratribus in Christi servitio diem commorantibus alacriter succurrentes, unusquisque juxta facultatis suæ mensuram imminentis paupertatis aggravationem misericorditer supportemus et ad reædificationem ecclesiæ, ignis incendio vastatæ, aliquid de beneficiis nobis a Deo collatis, cum cordis hilaritate largiamur. Omnibus autem qui ad præfatum opus misericordiæ, ea devotionis intentione qua oportet manum auxiliatricem porrexerint, de Domini gratia et meritis tantæ virginis confisi, duodecim dies de pœnitentia sua relaxamus, et bonorum omnium quæ in nostra fiunt Ecclesiæ, adjuvante Domino, eos participes constituimus.

EPISTOLA CCXXXIII.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino archidiaconis, decanis, et omnibus Ecclesiarum personis per episcopatum Londoniensem constitutis, salutem, gratiam et benedictionem.

Quæ religiosis locis divinæ contemplationis intuitu collata sunt, episcopali justum est auctoritate firmari, ne valeant in posterum rerum facili mobilitate convelli inde est quod authenticum instrumentum illustris viri Walteri filii Roberto sequentes, quo ecclesiæ Sancti Neoti et monachis ibi Deo servientibus, jus divini et advocationis quod habuerat in ecclesia de Wimbis et in ecclesiæ Sancti Andreæ infra muros Londoniæ confirmat ; nos quoque id ipsum eisdem concedimus, et ut sibi de cætero firmum et inconvulsum permaneat, episcopali eis auctoritate et sigilli nostri attestatione corroboramus. Valete.

EPISTOLA CCXXXIV.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino universis ejusdem Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Vestram spero charissimi, non latere prudentiam, quam sit utilis multorumque necessaria commodis hospitalis illa domus quæ prope ecclesiam Beati Bartholomæi Londoniæ constructa est, in qua misericordiæ deservitur operibus, et pauperum Christi necessitas assidue multo studio, multaque diligentia sublevatur. Quæ cum actis retro temporibus studiis hujusmodi vigilanter intenderit, ad præsens tamen Domino gratiam ministrante, solito clarius enitescit, et studio bonorum fratrum, Adæ videlicet, G. et G. qui se nuper ejusdem domus pro Christo mancipaverunt et subdiderunt obsequiis, uberius solito pietatis opera omnibus ad eam divertentibus exhibendo, odoris boni fragrantia jamjam plenius ex se circumquaque diffundit. Ili nimirum A cum jam sibi gloria plurimum arrideret, et rerum temporalium affluentia satis responderet ad votum totum quod sibi vel jure patrimonii a parentibus obvenerat, vel quod laboribus anxiis terra marique perquisierant pro Christo relinquentes, id ipsum in usus Christi pauperum contulerunt, et ut holocaustum Domino acceptabile plenius exhiberent, pro sua seipsos eorumdem obsequiis humillime devoverunt. Qui cibum esurientibus, potum sitientibus, nudis operimenta, fatigatis tecti lectique requiem, uberem ægrotis misericordiam sollicite subministrantes, laboris et obsequii sui mercedem sperant et expectant a Domino, ipsam utique quam repromisit ipse diligentibus se. Quorum conversa- B tionem et opera, quia Domino placere non ambigimus, universitati vestræ preces affectuose porrigimus, ut domum illam in qua Domino jugiter obsequuntur, affectuosius diligatis, eleemosynas vestras per manus illorum in commune bonum pauperum Christi fideliter erogandas sibi, vel his quos destinaverint, ad vos fidentissime committatis. Omnibus vero qui de suis facultatibus eidem domui ad opera misericordiæ sustentanda quidquam, inspirante Domino, largiti fuerint, de Domini misericordia confisi, de injuncta sibi pœnitentia 20 dies relaxamus, et orationum et bonorum quæ tam in nostra quam sua fiunt ecclesia, participes in hoc, fiduciam, subministrante Domino, constituimus. Valete.

C

EPISTOLA CCXXXV.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino archidiaconis, decanis, presbyteris et omnibus ejusdem Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem et omnis gratiæ plenitudinem.

Cum loca sanctorum omnium in quibus eorumdem reliquiæ sancta fidelium devotionæ repositæ, beatam præstolantur octavam, venerari, sublimare et piis bonorum largitionibus reverenter ampliare oporteat, nulli dubium relinquitur, illum præcipue locum, qui in vallis Josaphat medio inter montem Sion et montem Oliveti sepulturæ beatæ matris Domini donatus est, et ad humanitatis ejus obsequium ab æterno provisus, summæ devotionis ejus D obsequiis debere celebriter excoli, et ob ejus memoriam quæ manibus angelorum inde in cœlum corporaliter etiam ut credimus evecta est, modis omnibus honorari. Agatis itaque, dilectissimi ; monitis salutaribus acquiescite, et nuntios beatæ matris Domini velut ab ejus latere directos, jucunda mente suscipite, et de eorum gaudentes adventu, de his quæ vobis a Domino collata sunt, ut hilares decet datores in eorum manus confidenter reponite, quod per eos beatæ matri Domini digne mittatis, quo ejus sepulturam exornetis, et locum quem prævidit sibi filius, ejus Dominus Jesus ut ad se inde ascenderet collatis beneficiis infidelium repellendo rabiem defendatis. His vero qui nostris acquiescentes monitis, in causam hanc aliquid de suo contulerint, de beatæ

matris Domini confisi patrocinio, se in pœnitentia septem vel amplius annorum sunt, 20 dies relaxamus, si pauciori tenentur numero, dies decem remittimus. Valete in Christo.

EPISTOLA CCXXXVI.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino universis ejusdem Ecclesiæ parochianis et filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Latores hi præsentium, nuntii sunt infirmorum de Berceram, qui per ipsos suam vobis ostendentes inopiam, devote supplicant, ut ob Dei reverentiam sibi subveniatis, et de his quæ vobis divina contulit misericordia, ad eorum sublevandam inediam beneficium aliquod prout vobis Dominus inspiraverit, impertiatis. Quorum precibus nos quoque preces adjicimus, rogantes et exhortantes in Domino, ut corda vestra Christi pauperibus aperiatis, et dum potestis et vobis vita superstes est, Dominum in membris suis honorando, illud ad memoriam revocetis, quod suis in fine dicturus est : *Quod uni ex minimis* meis qui in me credunt *fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv), et hoc præ oculis habendo et opere complendo, quod hic pauperibus Christi ob ejus reverentiam erogaveritis, in futura vita in centuplum recipiatis (*Matth.* xix). Qui vero nostris acquiescendo monitis, eis in aliquo ad vitæ sustentationem pro Christo subvenerint, de ejus confisi misericordia, de injuncta sibi pœnitentia decem dies relaxamus.

EPISTOLA CCXXXVII.

AD EOSDEM.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino archidiaconis, decanis, et omnibus in Londoniensi diœcesi constitutis ecclesiarum prælatis, salutem, gratiam et benedictionem.

In luce lucerna opus non est, et cum quid sui per se natura clarescit, id testibus aut tesiimoniis evincere citra necessitatem est. Quanta siquidem charitatis studia, quanta suffragia pietatis, quanta denique totius humanitatis obsequia peregrinis pauperibus Christi et omnibus necessitate patientibus impendat sanctum xenodochium Jerosolimitanum, sancta scilicet domus Hospitalis, ipsis jam olim rerum indiciis orbi innotuit ut non jam nostro super hoc testimonio, sed pervulgatæ magis veritati fides debeatur. Qui nimirum locus venerabilis ob meritorum insignia nonnullis meruit a regno simul et sacerdotio privilegiis insigniri. Nos igitur Patrum et prælatorum nostrorum vestigia debita veneratione subsequentes, latores præsentium nuntios et procuratores illius religiosæ domus, cum testimonio litterarum nostrarum destinamus ad vos, et quanta possumus devotione commendamus ad gratiam, orantes et exhortantes in Domino, et in remissionem vobis injungentes delictorum, quatenus cum ad vos colligendis fidelium eleemosynis eos declinare contigerit, ipsos pii ministros operis, pietatis intuitu benigne recipiatis, ope et opera misericorditer promoveatis, et juxta commonitionem domini papæ, et indulta sibi privilegia, debitam in omnibus reverentiam exhibeatis. Subjectos quoque vestros eorum fraternitatem suscipere, susceptamque ad finem usque fideliter observare sedulo commonere satagatis, scientes quoniam non possunt fructus non esse participes, qui bonorum se operum exhibent adjutores. Omnes autem qui ob contemplationem Dei et pauperum Christi, fraternitati huic se addixerint, eamque annua, ut moris est, observatione compleverint, orationum et omnium beneficiorum commissæ nobis a Deo Ecclesiæ participes statuimus. Parochianis vero nostris, quibus præcipue debitores existimus, pœnitentibus videlicet et peccata confessis, qui hanc societatem debita devotione servaverint, si in septem aut eo amplius annorum pœnitentia fuerint constituti, quadraginta ; si minus, viginti de injuncta sibi satisfactione dies misericorditer relaxamus.

EPISTOLA CCXXXVIII.

AD PAROCHIANOS S. PAULI.

G., Dei gratia Londoniensis episcopus, dilecti sibi in Domino universis ecclesiæ Beati Pauli apostoli parochionis et filiis, clericis et laicis, salutem gratiam et benedictionem.

Scribentes charitati vestræ, dilectissimi, vobis a memoriam beatum illico Paulum apostolum hæ mente reducimus, ut ob Domini nostri Jesu Chris et ejus Apostoli reverentiam et gratiam ad ipsiu Ecclesiam respiciatis, et ejus necessitati, quæ sat omnibus innotuit, prout vobis Dominus inspiraver benigna devotione subveniatis. Quæ a multo ja tempore fundata, et vestris eleemosynis magna ja sui parte constructa, tot sumptus exigit et hau expensas, quod quia per nos subministrare non po sumus, nisi ferat opem vestra benignitas, de cæte providere recusando desperabimus. Quia vero qu inutiliter conatur unitas, hoc sæpius efficaciter a implet universitas, si vos adjutores habuerimu spem bonam concipimus, ut in diebus vestris d protractum opus Domino per vos manum mise corditer apponente, completum videatis. Aga itaque, et patrono vestro et advocato optimo, bea videlicet Paulo, devotum præstetis obsequium, ut domum construendo in terris, beatam ejus inte ventu mansionem obtineatis in cœlis. Id, quæs præ oculis habeatis, quod patronus vester et ap stolus Paulus plus omnibus apostolis laboravit, q ut mundum infidelitatis purgaret errore, semel Christum lapidatus est quinquies flagellatus, virgis cæsus, et post innumera pericula quæ te marique sustinuit, Romæ tandem pro Christo glor sam sustinens passionem, gladio consummatus (*II Cor.* xi). Hoc vobis patrono gaudendum est, s tanto gratulandum advocato. Qui licet eccles orbe toto plantaverit, fide mundum illuminave sedes sibi tamen episcopalis nusquam, ut audivim in terris posita est, præterquam hic inter vos,

in ipsius venerationem et sempiternam memoriam fundata est Ecclesia, et episcopali dignitate, Domino vobis hoc misericorditer et specialiter prævidente, sublimata. Habetis itaque beatum Paulum apostolum episcopum animarum vestrarum, qui de manu Domini id specialiter suscepit officii, ut in carne viventes, vos oratione sua sancta muniat et defendat et cum exuti carne fueritis, vos perducat ad thronum Patris. Utar ad vos ipsius verbis. Ait enim : *Noli errare : Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet* (*Galat.* VI). Audite magistrum vestrum, audite sanum et suscepite consilium : « Seminare nunc potestis, quod in æterna vita suscipiatis. Nunc hiems est, tempus sementis jaciendæ nunc est, hora vobis oculos extrema si clauserit, non jam seminandi tempus erit. Cum januam post se clauserit sponsus, fatuarum jam virginum clamor inanis erit. « Audiamus igitur episcopum nostrum sic exhortantem : « *Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes* (*ibid.*). Misericordiæ tempus quod nunc est, injustitiæ tempus impingit. Qui misericordiam in præsenti non exhibet, a Domino justitiam tunc exspectet. Ad vos itaque recurrentes, charissimi, vestrum attendatis initium, consideretis cursum, prospiciatis et exitum. Materni vos uteri primo conclusit angustia, postmodum nudos et in hunc mundum nihil præter peccatum inferentes, excepit hæc vita arcta sepulcri, deinceps coarctabit mansio, ad ultimum suscipiet procul dubio aut inferni, quod absit ! latitudo, aut cœli altitudo. Indicibilis est homini in hac vita, tam inferni deorsum miseria, quam quæ sursum est in cœlis beata gloria. Supra linguam est,' quod electis et reprobis utrimque paratum est. » Agat ergo discretio vestra, charissimi, ut juxta quod monet episcopus vester et apostolus Paulus, viam declinetis inferni, et juste et sancte vivendo pertingatis ad gaudia cœli. Monet vos per nos episcopus vester, ut corporum vestrorum vasa munda et honesta custodiatis, ne sanctum a vobis Spiritum qui hæc sibi in templum vindicat, vivendo turpiter abigatis. Misericordiæ partibus insistatis, ne his, quod absit ! omissis, a Domino judicium sine misericordia in verbo nimis aspero die illa sentiatis (*Jac.* II). Ad ecclesiam beati Pauli Patris et episcopi vestri, pietatis oculos habeatis, et ei et annua et ultima in fine vestro beneficia singuli conferentes ipsum vobis arctissime beneficiis præstitis obligetis, ut protectioni vestræ et saluti invigilet, et pauca quæ nunc datis in tempore, a summo largitore Domino Jesu, vobis in centuplum restitui impetret in æternitate. Omnibus vero qui ecclesiæ beati Pauli apostoli ædificandæ et conservandæ, de suo quidquam annuatim et in fine suo contulerint, si septem vel amplius annorum pœnitentia onerati sunt, nos de misericordia Salvatoris Jesu Christi, et ipsius beati apostoli confidentes, annis singulis 40 sibi dies relaxamus et intra parietes ecclesiæ divinis interesse concedimus, excepto quod una Quadragesima in singulis septem annis foris sint, et sic jejunia compleant. Quia vero in missarum celebratione sancta nobis summa salvatio est, totius synodi nostræ consensu et firma et certa promissione statuimus, ut pro omnibus qui fraternitatem hanc susceperint et servaverint, ab uno quoque sacerdote totius episcopatus beati Pauli, triginta missæ cantentur, pro his qui adhuc in carne sunt, quindecim, et pro his quindecim qui decesserunt. In ipsa etiam ecclesia beati Pauli, singulis septimanis missas duas, una pro vivis alteram pro fratribus jam defunctis celebrari, totius capituli nostri consensu statuimus. Adjicientes etiam ut si quis fratrum ecclesiæ beati Pauli, ut exigentibus peccatis sæpe contingit, morte præventus in eum casum inciderit, pro quo defunctis in locis sacris sepultura negari solet, nihilominus tamen, tanquam frater et adjutor ecclesiæ beati Pauli suscipiatur, in loco sacro sepeliatur. Ne vero liberalitatem vestram et gratuitam hanc donationem vobis in necessitatem quandoque redigendam suspicetis, omnes a quidquam dandi necessitate et consuetudine præsenti scripto absolvimus, ne quid hujusmodi a vobis quasi debitum exigatur ; sed gratuito præstitum a Domino vobis in illa die in centuplum retribuatur. Amen.

EPISTOLA CCXXXIX.

AD EOSDEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino universis Ecclesiæ beati Pauli parochianis et filiis, salutem, gratiam et benedictionem.

Clamat ad vos, charissimi, sancta civitas illa Jerusalem, in qua vos a morte perpetua Dominus noster Jesus Christus sua morte liberavit. Clamat ad vos, sepulcrum Domini, locus ille sanctissimus, a quo Dominus Jesus die tertia, morte superata resurgens, nos in fide et spe resurrectionis et salutis æternæ confirmavit. Clamant ad vos sancta loca illa omnia quæ jamdudum Dominus præsentia sua corporali frequentans, ad nos ab infidelitatis errore revocandos, ea signis et virtutibus mirabiliter illustravit. Hæc fidelium Christi labore magnifica a paganorum jamdiu potestate liberata et eruta, in eorumdem manus et potestatem iterato recidere perhorrescunt. Plorant loca sancta principum suorum lamentabilem casum, quorum aliis gladio cæsis, aliis in servitutem deductis, terra illa sancta propugnatore jam carens, tanquam præda infidelibus et inimicis crucis Christi, nisi cito manum Dominus apposuerit, exposita est. Onus istud sustinent fratres nostri charissimi et milites Templi, qui ob locorum sanctorum et in his manentium fidelium Christianorum defensionem, omnibus se periculis exponere, mortem etiam ipsam pro Christo et fratrum salute subire parati sunt. Quibus ad repellendam multitudinem illam infinitam quantis opus sit, discretio vestra non ignorat. Unde pietati vestræ tota supplicat orientalis Ecclesia, ut qui sibi præsentia corporali subvenire non potestis, facta sibi rerum vestrarum largitione, per manum defensorum suorum, militum scilicet Templi subve

niatis, et imminentia sibi pericula fraternæ charitatis ope submoveatis. Hortatur in hoc charitatem vestram dominus papa, hortamur et nos, in Christo charissimi, omnibus qui eorumdem fraternitatem susceperint, et eis annuatim et in fine suo quod sibi Dominus inspiraverit, prece et admonitione nostra contulerint, orationum Ecclesiæ nostra suffragia concedentes, et de injuncta sibi pœnitentia dum in eadem fraternitate permanserint, quadraginta dies annis singulis concessa nobis a Domino potestate relaxantes. Valere vos optamus, in Domino charissimi.

EPISTOLA CCXL.

AD ROBERTUM ARCHIDIACONUM ESSEXIÆ.

GILBERTUS Dei gratia Londoniensis episcopus, dilecto suo ROBERTO archidiacono Essexiæ, salutem, et gratiam et benedictionem.

Attendas, quæso, charissime, in quam longinqua migraveris, quantum etiam laborem quantumque tædium solo litterarum amore subieris, et des operam sollicite, ut laboris tanti condignos fructus ad nos quandoque valeas, cooperante gratia, reportare. Non effluant tibi dies, dum potes, et ætas permittit idonea, disce quod postmodum doceas, et in sinum mentis collige, quod, exigente necessitate, suo queas empore pluribus erogare. Nihil est quod idonee tuam possit industriam excusare, corpus tibi, donante Domino, sanum est et incolume, ætas habilis, facultas suppetens, locus abundans mercibus quas optasti, magistrorum copia, sociorum grata frequentia. Adsit amor studii et mentis applicatio voluntaria, de die poteris in diem proficere, et longe teipso effectus melior, tuis jucundissime laboribus arridere. Attende quid sit moram fecisse Bononiæ, et ea quibus jam dicta civitas insignis effecta est, turpiter ignorare? Hæc altera jam Caribat sepher quod est *civitas litterarum*, digne meruit appellari, quæ summi subtilitate ingenii hebetem tot et temporibus mundum exacuit, legum thesauros aperuit, et abdita sapientiæ summi tandem vigore studii in lucem potentissime protraxit. Hinc te litterarum, quod absit! inscium, sensus inopem revertit, charissime, deprecor, erubescas, ne quod cunctis fere cessit ad gloriam, in opprobrium tibi cedat et ignominiam. Ricardium archidiaconum revoco, quem si diutius moram fecerit, de medio subtrahi pertimesco, te ejus onera sustinere necesse est quæ statim cum venerit, juvante Domino, levigabimus. Valere te et omnimodis proficere desideramus, charissime.

EPISTOLA CCXLI.

AD P. NIVERNENSEM EPISCOPUM.

P. Dei gratia Nivernensi episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, si non expressum schedula, conceptum tamen corde piæ salutationis affectum.

Ex relatione dilecti fratris Ebroicensis episcopi acceperamus ego et dominus Saresberiensis episcopus, abbatem Pontiniacensem in Galliam remeasse. Cupientes itaque in nobis adimpleri negotium de absolutione nostra, vobis et prædicto abbati a domino papa commissum, cum festinatione ad vos labores arripueramus itineris, jamjamque Cenomannum propinquantes, festini nostri a domino papa reditu revocati sumus, afferentis ejus rescriptum continens vobis et domino Belvacensi episcopo sollicitudinem absolutionis nostræ esse injunctam. Quia igitur personæ vobis adjunctæ mutatio vestrum immutari poscebat consilium, incontinenti nuntios nostros ad prædictum episcopum direximus, domini papæ rescriptum ei deferentes, et diem et locum nobis designatum a vobis intimantes. Sed quoniam casus fortuiti qui provideri nequeunt, dilligentissimis etiam sæpius adversantur, incerti ubi aut qualiter se habens prædictus inveniatur episcopus, benevolentiæ vestræ cui in multis tenemur obnoxii preces affectuose porrigimus, ut duorum vel trium dierum spatio ultra quam in proposito habuistis, Senonis nuntios nostros exspectetis, reportaturos vobis prædicti episcopi responsum, si mora tamen adventus eorum id fieri postulaverit. Omnem enim daturi sumus operam, ut moram hanc præveniamus, et statuto nobis die et loco vobis, juvante Domino, occurramus.

EPISTOLA CCXLII.

AD WALTERUM NORWICENSEM.

Scitis, charissime, jacula quæ prævidentur obesse minus, et quod tempore longo melius sit occurere, quam vulnerata causa de quærendo remedio jam nimis sero deliberare. Unde considerantes Patrem nostrum Cantuariensem ad maledictionem promptissimum et potestatem quam in ædificationem et non destructionem Ecclesiæ suscepisse debuerat, in dominum nostrum regem et regnum ejus, in nos et commissas nobis Ecclesias, contra formam sacrorum canonum exercere paratum, et ad datos nobis jamdiu audientiam appellavimus et ad datos nobis judices appellationem hanc prosequendo, tempestatem hanc qua concuti metuebamus, administrante gratiam Domino, usque . . . .

EPISTOLA CCXLIII.

AD JOCELINUM EPISCOPUM SALESBERIENSEM.

Dominus Cantuariensis cum adversus rempublicam regni hujus mala hæc machinetur quanta potest, præcipue tamen nos duos, sicut dicitur, seorsum ponit ad sagittam, in quos primos effundat impetus et potestatem exerceat in malo quam non me beneficio nemini vel sensisse. Ille namque, ut dicitur, emissis de novo vocationibus nos duos in Gallias ex nomine vocavit, comminans et protestans publice se in nos excommunicationis latum ire sententiam, si non in Galliis suæ quam citius assistamus præsentiæ. In quo quia me prægravari sentio, adversus hoc ad sedem apostolicam publice jam appelavi, quod et per litteras et per nuntium unum videlicet ex clericis meis proximo die Veneris, juvante Deo, profecturum, domino Cantuariensi denuntiare disposui. Super quæ vestram quoque dilectionem certificare curavi, ut si ejusdem placet uti consiliis,

aliquis clericorum vestrorum missus a latere vestro simul iter arripiat ut mutuis uti consiliis et societate mutua possint consolari. Si quid certius accepistis super hac re, significare nobis, si placet, apud Londoniam, ubi moram facere disposui a sexta feria præsentis hebdomadæ usque ad quartam feriam septimanæ sequentis. Vale.

EPISTOLA CCXLIV.

AD EUMDEM.

[G.] Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri J. Salesberiensi eadem gratia episcopo, salutem quæ nunc est, et quam speramus a Domino.

Quoniam in Ecclesia regni hujus vitia pullulant, et in vinea Domini sarmenta succrescunt, consultioris falce judicii succidenda, visum est Patri nostro Ricardo Cantuariensi Dei gratia episcopo, totius Angliæ primati, et sedis apostolicæ legato, secundum antiquam Patrum consuetudinem, fratres et coepiscopos suos, et alios Ecclesiarum prælatos ad concilium convocare, ut quæ corrigenda fuerint, communicati censura consilii, vel omnino damnentur, vel in melius, Domino gratiam ministrante, reformentur. Quia vero ad sollicitudinem nostram pertinere dignoscitur fratres et coepiscopos nostros ad concilium convocare, ab ipso ut id faciamus in mandatis accepimus. Inde est, quod fraternitati vestræ ipsius auctoritate mandamus, et in vi obedientiæ injungimus, ut Dominica qua cantatur : *Cantate Domino canticum novum* (*Psal.* xcv), ob causam memoratam assessuri sibi Londoniæ sitis, et medio tempore cum omni cautela et diligentia excessus quibus diæcesis vestra laborat inquiratis, ut in medium deducti, correctioni subjaceant et censuræ. Ipsius etiam vobis auctoritate injungimus, ut diœcesis vestræ abbatibus, archidiaconis, prioribus et decanis locorum conventualium verbum hoc notificetis, et eos ut designato loco et tempore in concilio domino legato præsentiam exhibeant, ipsius auctoritate citetis. Valete.

EPISTOLA CCXLV.

AD EUMDEM.

Venerabili domino fratrique charissimo J. Sasberiensi Dei gratia episcopo, frater GILBERTUS Londoniensis [episcopus], salutem.

Lætatur evangelica mulier, quæ drachmam repetit quam amisit (*Luc.* xv). Nobis quoque gaudendum est, quia quos in longinqua direximus, et quasi perdidimus, lividorum latratuum Scyllis tandem navigatis sanos et incolumes et prospera nuntiantes, Domino cuncta pie disponente, recepimus. Unde mihi videtur rem fore consilii, ud ad locum quem designavit dominus rex, scilicet Argentomrem mora minime pertrahente concurramus, ut ibi domini regis aut præstolemur adventum, aut si nos ad se venire jusserit, expeditiorem habeamus hinc ad ulteriora progressum. Hoc domino Cicestrensi communicabitis, qui si quid aliter senserit, hoc mihi, si placet, recurrente cursore, ne panem comedat

A otiosus signare velitis. Valere vos opto in Domino, charissime.

EPISTOLA CCXLVI.

AD EUMDEM.

Venerabili domino fratrique charissimo J. Saresberiensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister salutem et debitam domino dilectionem.

Suadet e facili verborum paucitas, cum ad exaudiendum prona est ipsius ad quem scribitur amica benignitas, quam quia de vestra gratia spem plene concipimus, dilectæ nobis in Domino benevolentiæ vestræ preces affectuose porrigimus, ut viginti solidorum beneficium quod nepoti meo in ecclesia de Chiltuna concessistis, integrum ipsi manere velitis, ne si rei modicæ quidpiam detraxeritis, rem
B ipsam mutilatam quodammodo suo indignam donatore reddatis. Vestram vero volumus celsitudinem non latere, nepoti meo et ipsius clerico W. pacto rem firmante sic convenisse, ut W. sibi annuos viginti solvat et ipsius Ecclesiæ onera omnia quæ vestra vel archidiaconi vestri imponet modestia, in se suscipiendo sustineat. Unde preces iterato porrigimus ut si juxta quod moris vellus ovi detraxeritis, agno.... adhuc anniculo, quousque lanis vestiatur uberius, gratia miserante, parcatis. Valere vos optamus in Domino, frater in Christo charissime

EPISTOLA CCXLVII.

AD EUMDEM.

Venerabili domino fratrique charissimo J. Salesbe-
C riensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, munus quod penes se maximum reputat, seipsum.

Evangelicum, ut audio, paradigma complestis, et saginato vitulo, occisis altilibus, reverso filio gaudia debita celebrastis. Superest, ut cum stola prima calceamenta sibi provideatis et annulum, ne quid ex Evangelio deesse sibi sentiat ad perfectum. De cætero quia Cenomanis orgia celebrare disponitis cum mandatum vobis regium insonuerit, me, si placet, a Sagio a Cerealibus evocetis. Valere vos optamus in Domino, charissime.

EPISTOLA CCXLVIII.

AD ROGERIUM WIGORNIENSEM EPISCOPUM, PRO PRIORE MALVERNIÆ.

Dominus Londoniensis domino Wigorniensi, in
D gratiarum plenitudine virtutum Domino complacere.

De naturali bonitatis vestræ præsumens privilegio, quoties opus est, et id fieri res exigit, confidenter ad vestram decurro benevolentiam, et repulsæ nescius munus statim gratiæ ad votum mihi respondentis excipio. Quod quia sæpenumero ipsis jam rerum argumentis expertus sum, in consuetæ mihi gratiæ limina confidentur irrumpo, postulans ut fratrem W. cui ad doctrinam scientia, et ad honestatem mores exuberant, quemque, ut audio, in gratiam jam, admisistis, et electione fratrum Malverniæ priorem constituistis, amore Dei meæque petitionis intuitu, de charo chariorem habeatis, ipsumque, prout honori

vestro congruit et ejus expedit humilitati, protegendo A et honorando, et ipsum et me, pluresque nobiscum amplioris ex hoc et gratiæ et servitii debitores habeatis. Diu valeat et in Domino perseveret incolumis vestra benignitas, dilectissime.

EPISTOLA CCXLIX.

AD EUMDEM.

Venerabili fratri et amico charissimo R. Wigorniensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem cum intimo dilectionis affectu.

Ad tuam, frater charissime, consultationem in charitate respondeo quod mihi charitas super hoc requisita respondet, deprehensos a te et in tua comprehensos parochia textores de quibusdam, ut asseris, fidei nostræ articulis male sentientes, quos non B tantum nuda blasphemiæ protestatio verum etiam constans assertio et propositi pertinacia hæreticos esse demonstrat, sub arcta consulo cautaque custodia detineri, donec aliquo locorum ob Ecclesiæ necessitatem aut negotium regni celeber fiat sacerdotum cæterorumque fidelium conventus, ubi invocata sancti Spiritus gratia, de communi negotio communis exeratur sententia, quæ quid super hoc agi oporteat, et secure et sincere possit diffinire. Illis vero interim seorsum constitutis, ne mutuis se possint in malum obfirmare colloquiis, bonos viros et graves, viros probatæ fidei, divinæ legis et litterarum peritos, eorum curæ convenit et custodiæ deputari, qui eos visitent in verbo prædicationis sanctæ, monitis emolliant, minis et metu pœnarum exterreant, fla- C gris interdum et flagellis cum moderata severitate coerceant, et ad Ecclesiæ unitatem omnimodis, prout charitas suggeret, revocare procurent. Hæc namque et hujus modi ecclesiasticæ correctionis medicamenta, quæ nobis exempla sanctorum proponunt, cum de salute agitur subjectorum, in charitate nos convenit experiri, qui in populo Patris nomen et pastoris officium obtinemus, ne vel perniciem aut periculum fraternæ salutis aliquidun quam præpropere statuamus. Sæpe enim quos verba non movent, verbera promovent, et quod metus pœnæ non efficit, ipsa pœnarum experientia nonnunquam extorquet, bona est necessitas quæ vel a malis prohibet, vel ad meliora compellit. Utrumque per Dei gratiam hac nobis via sperandum est, si nec pœnitendi illis D tempus adimitur, nec ulla relinquitur facultas malignandi. Utinam votis tuis sanctiori succurrat consilio, quos altius imbuit, quos ampliori gratia Spiritus infundit. Valete.

EPISTOLA CCL.

AD EUMDEM.

Venerabili domino fratrique charissimo R. Wigorniensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem et affectus intimi dilectionem.

Moris solet esse prudentum, etiam in non dubiis efflagitare consilium. Quod et vestra discretio prudenter observant, a nobis sciscitari voluit quid super his textoribus sentiamus, qui vestra nuper ingress dicecesim telis araneæ quas misere texuerant, ipsan operire moliti sunt et involvere, et nisi sanctus pe vos eis Spiritus restitisset, nequiter superseminati zizaniis infatuare. Qui corde conceptas hæreses i vulgus spargendo prædicant, et in jure conventi e commoniti, easdem attrita fronte defendere non fo midant. Quorum sermo, ne canceris in modum i imis serpat, et errore simili quamplures involvat ip sos arcta consulimus custodia cohiberi, et ne pieta desit officio, per honestiores et prudentiores clerico vestros visitari sæpius, et ut ad pœnitentiam et E clesiæ unitatem revocent animos, et corda commu tent, dilligentius admoneri. Est sermo Dei vivus efficax qui per idoneum ministratorem cito vert imperium, et suscitat illico peccatorem. Quia ve corrumpunt mores bonos colloquia prava, seorsu constituatis singulos, ne si invicem sibi miscea verba, animentur in pertinacia, et respuant consil sana. Quod si nec vexatio sancta nec pie exhibi commonitio dederit intellectum auditui, quæsti nem hanc ultimam de pœna, an scilicet plecten sint, quave pœna plectendi, quo etiam judicante eos ad pœnam tradente puniendi sint, communi fr trum nostrorum et coepiscoporum conventu consu mus reservari. Grandis enim hæc quæstio est, e sanctis Patribus et Ecclesiæ doctoribus non medioc ter agitata, quibusdam Ecclesiæ mansuetudinem clementiam prædicantibus, juxta quod dictum es *Lex clementiæ in lingua ejus* (*Prov.* XXXI), et ill Domini: *Nec ego te condemnabo* (*Joan.* VIII); ali ne multi pereant, in talium pœnam sancti pro dubio zeli pietate ferventibus. Hi filium phrenetic vinculis arctandum, sicque custodiendum comm morant. Alii quod in religionem divinam commi tur, in omnium ferri injuriam protestantes, in men hoc publicum legem Juliam majestatis intenta Alii exemplis judicantes hujusmodi, cremandos dicant. Alii severitatem hanc beati Augustini s tentia temperant, qui Donatistas non interfici, s flagellis et suppliciis exorat emendari. Unde q scriptum est quod « ad pœnitendum properat qui judicat, » quæstionem hanc communi fratr nostrorum conventu reservari consulimus, ut si est in regno hoc, donante Deo, Ecclesia una, sic et in talibus eadem omnium sententia et actio n divisa. Sententiæ non præjudicamus saniori, qui semper cupimus potiora sectari. Valere vos optar in Domino, frater in Christo charrissime.

EPISTOLA CCLI.

AD EUMDEM.

Venerabili fratri et amico ROGERO Wigorni Dei gratia episcopo, frater GILBERTUS Londonie Ecclesiæ minister, salutem et affectus intimi di ctionem.

Dilectus filius noster, lator præsentium Wi mus de Northal, quadam magna se asserit spe pensum ad vos, quam de promissione vestræ l ralitatis et gratiæ dudum concepit. Verbum nam

nec irritum debet nec vacuum reputare, quod vestra sibi constat sponsione firmatum. Proinde nos cum ipso et pro ipso vestræ supplicamus benevolentiæ, quatenus propositam promissamque beneficentiam, data vobis a Domino opportunitate, et sui contemplatione, et nostra, si placet, promptius petitione, ea benignitate compleatis in illo, ut et voto ejus et veritati vestræ satisfaciatis, scientes quia quod dicimus, veritati debemus, quod promittimus, fidei. Valete.

EPISTOLA CCLII.

AD EUMDEM

Venerabili fratri et amico R. Wigorniensis Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem et dilectionem.

Gratum habemus, quod magister From' eam apud vos gratiam invenit, qua ex scripto vestro, sed ex sua certius relatione cognovimus. Desideratis enim, sicut eodem asseritur scripto, per nos instruide beneficio quod prior et canonici de Stoldlege in eum contulisse dicuntur, quid illi scilicet et quantum in nostra fuerit assignatum præsentia. Desideramus et nos suam in hominibus justitiam pro hominibus abundare instrumentis, ne qua possit unquam falsitate subverti. Verum non tantus circumstrepit negotiorum tumultus, ut vix nostra possimus curare negotia, nedum aliena, quæ et loco et tempore tam remota existunt, ad eam quam exigitis distinctionem recolligere. Ad si testes non desunt, quibus plusquam testimoniis credi oportet si prior et canonici, de quorum facto agri beneficium non revocant, si cætera causæ necessaria domi succurrunt et suffragantur, utquid nostra requiritur attestatio, utquid ad supervacua sudatur? Rogamus igitur ne sit scrupulosa adversus eum conscientia vestra, eo quod nostrum non reportat testimonium, quia si forte factum tenemus, non tamen ipsas facti circumstantias, qui scripturæ forma requireret, ad memoriam revocamus. De cætero, dictum nostrum dilectioni vestræ commendamus, ut quem sui merito in notitiam admisistis, et gratiam nostra, si placet, petitione commendatum habeatis, et sua illi jura per vestram integre justitiam conservetis, ut et ipsum vestris exinde devotum obsequiis, et nos vobis pro ipso amplioris gratiæ debitores efficiatis. Valete.

EPISTOLA CCLIII

AD EUMDEM

Venerabili fratri R. Wigorniensi Dei gratia episcopo, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem.

Insperatas quidem et plenas ingratitudine gratias, vestræ mihi litteræ retulerunt, quas super capella Sancti Michaelis, per manus improbissimi portitoris novissime suscepi. Quid namque merui ut adversus me vestra debeat fraternitas excandescere ut in meam personam vestra prorumpat apppellatio ut ad lites provocer et ad labores? Nunquid has mihi refertis gratias, quia me partes vestras benigne sustinuisse meministis? Nunquid mediatoris nostri, ima mentitoris vestri id de me persuadere potuit oratio, ut aut vestri quod juris est occupem, aut occupanti velim, quod absit! ullatenus assentire? Non est sanctum de moribus amici tam cito perperam sentire. Vester ille missus et procurator causæ quam vestrum dicitis adversus me et adversus Ecclesiam meam pariter appellavit. Vos autem eamdem, ut scribitis et scripto asseritis appellationem prosecuturi, indultam nobis ab ipso prius appellatore dilationem, usque ad *Quasimodo*, vestra revocatis auctoritate, et ad *Invocavit me*, appellationi terminum coarctatis. Quod quia in gravamen et præjudicium partis nostræ redundat, petimus si placet desistatis. Si autem persistitis, ne teneat illa coarctatio appellationis, ut verbo prius, ita etiam nunc scripto appellavimus, diem Ascensionis nostræ constituentes terminum appellationis. Apostolos quoque postulatis a me. Quæ est ita rerum confusio? Judicem agnoscitis, a quo petitis apostolos, sed adversarium eligitis, in quem libellos editis appelationis. Nosse autem debuerat prudentia vestra, neminem sibi in testamento neque in apostolis, neque in publicis instrumentis scribere debere: nemo enim sibi judex, aut testis, aut publica potest sibi esse persona. Petitis etiam ut pro debito officii mei memoratæ capellæ statum reformem. In quo me prius instrui necesse est, an judicis officium in eo debeam exercere negotio, quod jam per appellationem a mea penitus est jurisdictione exemptum, præsertim cum me super hoc tanquam adversarium provocatis, quem nihilominus ut judicem interpellatis. Denique supplicat vobis Londoniensis Ecclesia, supplicamus et nos pariter, ut non tanti sit apud vos mentientis improbitas, ut scissuram internos fraterna charitas patiatur. Certum namque teneatis, quod sicut non possumus nec volumus vestro in aliquo juri derogare. In quo si nostro creditis testimonio, veritati credite, quæ certius inquisita, vobis attestabitur. Si vero contentiosum funem trahere necesse est, dicimus quod olim Hannibal dixisse legitur: « Suscipio, inquit Hannibal, pacem peto. Ex quo si insolescis, utrinque ferrum, utrinque corpora humana erunt ». Valere vos optamus in Domino, frater charissime.

EPISTOLA CCLIV

AD PRIOREM ET CONVENTUM CHARITATIS

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri et amico priori charitatis, et toti conventui, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Quanta fratres in Christo dilectissimi, charitatis penitudine vos et vestram domum amplectamur, nec verba explicant, nec operis argumenta declarant. Si quid tamen vestrum est apud nos, a nostra id sollicitudine non reputamus alienum, læta vestra læte suscipimus. Si quid, quod absit! secus accidit, non id vobis tantum incubit, quod et nos non aliena mentis afflictione pariter sustinemus. Vestræ si quid vel eorum in quibus vos promoveri certum est, pro-

motionis opportunitas, si quando nobis occurrit, A non eam negligere, non eam nos otiose præterire permittit illa procul dubio, qua vobis astringimur, devotio charitatis. Unde cum conventu fratrum et coepiscoporum nostrorum, nec non et aliorum religiosorum virorum, qui ad expedienda negocia ecclesiastica Cantuariæ convenerant, de electione abbatis Eveshamiæ tractaretur, vestro quidem consilio, licet alii quamplures aliorsum tenderent, ad hoc tandem omnium inclinata est voluntas, ut spécialem filium Ecclesiæ vestræ, priorem Bermundesheye, illi quorum erat electio, eligerent; alii vero, quorum in hoc exspectabatur assensus unanimiter assentirent. De quo licet morum merita et honesta ejus apud nos conversatio sancte et laudabiliter enuntiarent, in hoc non parum gavisi sumus, nobis B tam favorabiliter fuisse applausum, quod de vestræ schola disciplinæ prodeuntem, tanti nominis discipuli pastoralis magisterio culminis dignum diceremus. Jam vota nostra concurrunt. Quod nos probamus, dominus noster rex Angliæ approbat, dominus Cantuariensis idem sua auctoritate confirmat. Jam ad vos omnium nostrum spectat intentio, ut supremam manum adhibeatis; hujus enim operis consummatio a vestra dependet sententia. Inde est quod dilectæ nobis fraternitati vestra pro desolata jamdiu ecclesia Eveshamiæ, quæ suum expetit et exspectat electum preces affectuose porrigimus, quatenus suæ electioni vestrum præbentes assensum, quem sibi eligit pastorem concedatis, et quod ad honorem Dei et sanctæ utilitatem Ecclesiæ, pia devotione C inchoavimus, benigno favore mancipetis effectui. Valete.

EPISTOLA CCLV

AD A. ABBATEM ET CAPIT. CIRECESTRIÆ

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri et amico in Christo charissimo, A. Cirecestriæ eadem gratia abbati, et toti ejusdem loci conventui salutem et sinceram in Domino dilectionem.

Præsentium lator frater A. jamdudum recessit a vobis spiritu fortasse non bono instigante. Revertitur autem nunc, sancto ut speramus Spiritu revocante, pulsa, ad ostium misericordiæ vestræ, et in subsidium miserabilis et meticulosæ causæ quam agit, nostra ad vos fungitur advocatione, ut gratiam quam diffidit ex se, nostro queat interventu promptius obtinere. D Difficultatem ordinis vestri jamdiu expertus exhorruit, et se tanto oneri et tam arctis observantiis imparem esse agnovit. Idcirco pulsat et postulat, et ut pro ipso pariter supplicemus lacrymis nos invitat, et ad hoc inclinat uberrimis, ut cum licentia vestra in obedientia fratrum Hospitalis, immunis possit et absolutus de cætero ministrare Hoc ipsi fratres Hospitalis amplius expetunt et exoptant, qui nimirum jam dictum fratrem vestræ licet professioni inæqualem, suis tamen usibus utilem jam olim experti sunt. In quo et nos quoque, si ultra locus est, vobis supplicamus, ut de fratris infirmitate compassionem habentes, et si non sit sublime quod petimus, pium tamen pro fratre desider[ium] nostrum exaudiatis, et datis dimissoriis, iis qu[ibus] expedit, liberum et absolutum assignetis, ne nostra, quod absit! omnium repulsa simplic[...] ipsius malo desperationis confundatis. Valet[e].

EPISTOLA CCLVI.

AD EOSDEM

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, vene[rabili] fratri et amico charissimo A. abbati Circe[striæ] totique ejusdem Ecclesiæ capitulo, salutem, [gra]tiam et benedictionem.

Est injuncto nobis officio Ecclesiæ Dei, qua[m ip]sius permissu aliqua sui portione regendam s[usce]pimus, ad ejus honorem cui desponsata est d[...] sollicitudine providere compellimur. Unde [...] vestræ conversationis opinio ipsa meriti sanc[...] ad omnes longe lateque diffusa est, insedit [...] siæ sanctæ Trinitatis Londoniæ, Domino ut [cre]dimus id inspirante, et Ecclesia cui præsid[...] assentiente consilium, ut priorem Ecclesiæ v[...] magistrum videlicet Osbernum, cui ad doct[rinam] scientia, et ad honestatem mores exuberan[...] in priorem unanimiter eligerent, ipsumque s[...] Patrem et pastorem concedit concorditer o[...] exoptarent. Quia vero juvenda sunt et promov[enda] semper honesta consilia, dilectæ nobis in Do[mino] benevolentiæ vestræ affectuose preces porrig[imus] quatenus jam dictorum fratrum desideriis e[...] respondeatis, et ipsum ad honorem Dei et Ec[clesiæ] vestræ ab obedientia vestra regulariter absol[...] et Londoniensis Ecclesiæ de cætero obeditu[...] prædictis fratribus ad domus suæ curam susc[ipien]dam et agendam non interveniente dilation[e...] periculum infert sæpe negotiis, prompte et [...] concedatis, ut totam Londoniensis Ecclesiæ [...]tudinem obsequiis amodo vestris obnoxiam h[abea]tis. Valere vos in Domino optamus, charissim[i].

EPISTOLA CCLVII.

AD STEPHANUM CLUNIACENSEM ABBATEM

Venerabili domino patrique charissimo St[ephano] Cluniacensi Dei gratia abbati, frater G. Lond[onien]sis Ecclesiæ minister, salutis gaudium, et si [quod] potest apud se charitas officiosa famulatum.

Exsultavi, charissime, totus in Domino et spi[ritus] jucunditate perfusus sum, audiens matrem no[stram] Cluniacensem Ecclesiam tandem respirasse, et in Patrem et dominum te sibi quam provid[e...] ut spero, salubriter et feliciter elegisse. Te [...] custode commisso tibi gregi, pabula vitæ [...] non poterunt, qui pectus tuum Domino, ut [...]cam, Scripturarum sanctarum apothecam e[t aro]maticam virtutum cellulam a puero fere [...]crasti. Non ejulabit clamans terra tuo post te [...] doctrinæ fluentis affluenter irrigabitur, et [...]tutum frugi plene respondeat in te propo[...] virtutum exemplis incessanter ad ea quæ [...] et summa sunt, provocabitur. Beatum colle[...] cujus id virtutum debebatur meritis ut a tr[...]tione malorum et dolore tanti Patris respira[...]

latio, et procellam quam jamdiu sustinuerat, in auram sibi verteret boni Patrisfamilias circumspecta sollicitudo. Fateor, in Christo charissime, fateor, datum mihi cœlitus conspectum tuum, et alloquium mihi non mediocre incitamentum exstitisse virtutis, ut ex hoc beatos æstimem, qui tibi semper assistunt, qui te comitantur assidue, quibus hoc virtutis speculum quo semper in meliora proficiant, habere concessum est. Annuntiant de homine, ut Scriptura commemorat, vultus ejus, incessus, et habitus, quæ tui attendentes in te in virum facile poterunt transformari perfectum. Quæ quidem menti meæ, etsi ad momentum inspecta, tamen altius insederunt, adeo ut tui quandoque contemplatione in novum quemdam hominem transiens meipsum mihi videar quodammodo transilisse. Inde est quod totis ulnis charitatis amplector absentem, quem præsentem videre, et devotis et debitis venerari obsequiis intime concupisco. Quia vero præsumptuosum quandoque charitas efficit, postulationem hanc finis epistolæ continebit, quatenus fratrem nostrum dominum Thomam, priorem Lantonæ super absolutione sua pro qua plurimum instat, clementer exaudiatis, et substituto sibi fratre nostro Roberto de Broi, ipsum servitii et me amplioris, si fieri potest, gratiæ, tuæ debitorem sanctitati constituatis. Valeat dominus meus, et Pater in Christo charissimus.

EPISTOLA CCLVIII.

AD R. ARCHIDIACONUM COLECESTRIÆ.

GILBERTUS Dei gratia Londoniensis episcopus, dilecto suo R. archidiacono Colecestrensi, salutem gratiam et benedictionem.

Directas a te mihi litteras multa gaudii alacritate suscepi, inspectas tamen paululum, ægra procul dubio mente percurri. Læta mihi nuntianda sperabam, et ecce gravem ingerunt mihi nuntiata tristitiam. Doleo super juvene nobillissimo, qui prænature fati munus implevit. Casum circa te similem metuens, quem morbus, ut audio, mobis jam pluribus attentavit. Unde tibi mando, mandansque præcipio, quatenus occasione postposita, si statum Bononiæ tibi suspectum tuæque adversum valetudini vel in modico senseris, ad salvandam animam tuam ocius exeas et fugias, et tuum ad nos reditum maturare non omittas. Responde vero in quibus te impeditum noveris, obliges, et ad nos cito veniens ipsum expedire et debitis exonerare festines. Me vero noveris in Normannia adhuc moram facere, et tuum ad me reditum præstolari pariter et optare. Vale, charissime.

EPISTOLA CCLIX.

AD H. ABBATEM SANCTI EDMUNDI.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri et amico H. sancti Edmundi abbati et conventui, salutem.

Quæ in nostra geruntur præsentia, tali volumus firmitate roborari, ne prudentius ordinata, aliqua malignantium perversitate possint convelli. Unde A vestræ innotescimus universitati, nos sub multorum præsentia Reginaldo clerico de Cotona instrumentum authenticum exposuisse, quo inter vos pactio super ecclesia de Cotona continetur inserta. Requirentes igitur coram omnibus ab eodem R. si quæ scripta fuerant omnibus præbuisset assensum, accepimus ab ejus responso, secundum instrumenti tenorem sibi omnia complacuisse. Et ad cautelam abundantem jusjurandum tactis sacrosanctis Evangeliis, eodem H. petente, suscepimus, quod bona fide secundum quod convenerat et scripto fuerat insertum, inviolabiliter observaret. Ne hoc igitur tam solemniter actum in dubium revocetur in posterum, præsentis scripti attestatione et sigilli nostri appositione communimus. His testibus...

B

EPISTOLA CCLX.

AD H. ABBATEM GLOCESTRIÆ.

GILBERTUS Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri et amico suo charissimo H. eadem gratia abbati Glocestriæ, salutem et debitum fraternæ charitatis obsequium.

Decessum chari nostri magistri Walteri, sine lacrymis ad memoriam non revocamus. Habemus in ejus occasu, quod communiter doleamus, qui communiter clericum et amicum fidelissimum, manum in nos aggravante Domino, in ipso flore gratissimæ suæ juventutis amisimus. Quæ vero bona cum ipso nobis sublata sint, quot sancta subtracta solatia, experiri quidem possumus, paucis explicare non valemus. Ipsi vestra, quæsumus, et fratrum nostrorum sancta suffragetur oratio, quatenus sublatum C nobis, suorum velit Dominus admittit collegio. Ipse vero in extremis agens, superstitem fratrem suum unicum, præsentium hunc latorem Wigodum, per nos vestræ commendare benevolentiæ supplicavit. Unde dilectæ nobis in Domino benignitati vestræ preces affectuose porrigimus, quatenus amore Dei nostræque petitionis obtentu, et amici in extrema voluntate supplicantis intuitu, ipsum in protectione vestra suscipiatis, nec status sui conditionem in aliquo aggravari permittatis. Sed quod ad præsens concurrit damnum, vestræ sibi suppleat misericordiæ et charitatis augmentum. Valere vos optamus in Domino, charissime.

EPISTOLA CCLXI.

AD MATHÆUM GLOCESTRENS. ARCHIDIACONUM

D MATTHÆO Glocestrensi archidiacono, salutem.

Hæc quæstio est quam formatis, cui ut repondeatur exigitis. An mulierem, de qua agitur, ad juramentum, ut sibi judicatum est, debeatis admittere, an laminam candentis ferri subeat, prout viro sibi mortem minitante spopondit, oporteat vos de jure permittere. Et casus quidem varii frequenter emergunt, et mulier in opere quandoque deprehenditur, non deprehensa quoque quandoque suspecta tamen rea postulatur. Deprehensam lex Moysi lapidabat (*Levit.* xx), suspectam lex zelotypiæ examinabat (*Num.* v). Aquas enim amarissimas in quas sacerdos maledicta congesserat suspecta mulier

hauriebat, quæ quidem innocentem non lædebant, A et ream sceleris illico dirumpebant. Adulterum et adulteram lex principum puniebat, et miseris mortalibus quorum in lubrico status est, pœna multipliciter imminebat. Gratias Domino Jesu qui cuncta novando mutavit in melius, et aquis Maram lignum crucis admiscendo, dura legis et amara temperavit, hic deprehensam et ream sceleris adductam ad se liberavit, et duros legis lapides illos commutavit. De quibus dictum est : *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus* (*Psal.* CI). Nostri namque lapides hi sunt, increpatio, correptio, peccatoris ad lacrymas, ad gemitus, ad confessionem et satisfactionem multimodam provocatio. Quibus bene lapidatur adultera cum peccato moritur, et illo intus vivificante qui ait : *Nec ego te condemnabo*, vade et amplius B noli peccare. (*Joan.* VIII). A morte animæ quam incurrerat in novitatem vitæ suscitatur. Quo nimirum modo cum uxorem suam vir bonus lapidari conspicit, debet ipse morienti commori, lugenti collacrymari, largiri sua ut ad manum pœnitens habeat quo peccatum redimendo necessitatem patienti subveniat, ut duo non tantum in carne una, sed et in uno spiritu inveniantur. Quod si suspecta solum est, ut suspicio perimatur, ut pax viro concilietur, taxatum juramentum sufficiet, cum omnis controversiæ finem juramentum Paulus esse commemorat (*Hebr.* VI). Nam si quid coacta spopondit, absit ut hoc judex ecclesiasticus admittat, quod sæculi judices reprobare non ignorat. Nam quod vi metusve causa factum vel dictum est, ratum non C habet, et juxta papam Alexandrum, si quid ab aliquo per vim, per metum, aut fraudem extortum est, ad nullum ejus præjudicium vel documentum valet. Valete.

EPISTOLA CCLXII.

AD WILLELMUM ABBATEM RADINGENSEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri et amico W. eadem gratia abbati Radingensi, salutem et dilectionem.

Gratias ago benevolentiæ vestræ quæ non solum mihi prospicere, et meis non desistit utilitatibus excubare, verum super his quæ maligne fabricantur adversum me, fraterna me charitate præmonere curavit et præmunire. Remedium vero, quod adver- D sus extraordinaria quælibet gravamina unicum omnibus sacri suggerunt canones, adversus emissas jam ut dicitur vocationes, adversus proposita domini Cantuariensis insidias, appellationis subsidium publice jam proposui. Et ne quid circa personam meam aut possessionem meam, ne quid circa ordinem aut honorem meum præjudicii fiat, invocata auctoritate sedis apostolicæ me communire curavi, de divina quidem gratia et de clementia sanctæ Romanæ Ecclesiæ penitus confidens, quod si quid super hæc enormiter in nos actum fuerit, illi potius ad confusionem quam nobis ad pœnam redundabit. Valete.

EPISTOLA CCLXIII.

AD EUMDEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri et amico WILLELMO eadem gratia abbati Radingensi, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Suscepimus litteras dilectionis vestræ, quæ nos tanto verius gaudio perfuderunt, quanto de statu et salute vestra, nostræ certius sollicitudini responderunt. Prodiga namque verborum fama, quæ vestrum ad nos nuntium prævolarat, de profectione vestra, de statione in littore, de procella, de periculis, multa varie inconstanterque nuntiabat. Unde pessimus in dubiis augur timor anxie distrahebat nos scientes quidem et expertos toties, quod navigatio sæpe periculosa est semper aut incerta. Nunc autem accepto nuntio salutis et incolumitatis vestræ, pro vobis divinæ gratiæ gratias referimus, quæ vos in tantis periculis periclitari non permisit. Vestrum autem colloquium summopere desideramus, sed ante diem adventus vobis occurrere, nos ad illud trahente necessitate, non valemus. Tunc vero Londoniis esse disponimus, et si usque Fulebam procedere fuerit opportunum et placitum, nobis id recurrente nuntio quam citius significari postulamus. Valere vos optamus in Domino, charissime.

EPISTOLA CCLXIV.

AD ABBATEM RIEVALLENSEM.

Dominus Londoniensis abbati Rievallensi.

Quanto vestra domusque vestræ fama prædicatur hilarior, tanto magis vobis observandum est, ut quod communis habet opinio, nullius fratrum vestrorum consilio denigretur aut facto. Conqueruntur plurimum filii Bricthmeri de Tantuna, dudum fratris et benefactoris vestri, quod summam magnam pecuniæ patri suo debitam, sibi super hoc jam sæpe requisiti reddere contradictis, nec patris sui meritis juxta quod vestram deceret religionem, opere respondetis. Qui super hoc a domino rege jamdiu litteras ad vos expetiissent, nisi ob vestram domusque vestræ reverentiam, nostra eos sollicitudo retardasset. Unde benevolentiæ vestræ preces affectuose porrigimus, quatenus amore justitiæ nostræque petitionis intuitu, eis aut quod postulant juste solvatis, aut si repetunt indebitum, hoc in jure declarare, molestum ne feratis.

EPISTOLA CCLXV.

AD F. SALMURENSEM ABBATEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili domino fratrique charissimo F. Salmurensi eadem gratia abbati, salutem et sinceræ charitatis affectum.

Vestra, frater charissime, multa animi benignitate salutamus auspicia, optantes laudabile illud vestræ promotionis initium, felici semper cursu dirigi et Domino manum misericorditer apponente, beato tandem fine compleri. Gratulamur equidem et plena mentis jucunditate perfundimur, attendentes manum Domini multa gloria deducentem vos et a bonis ad meliora continuo pertrahentem. Hæc enim est, qu

vos a mundi hujus avulsit illecebris, quæ vos per gradus virtutum deducens, sobrie ab humili quem legeratis loco, suis utens verbis quis humiles ut uperius ascendant affari consuevit, ad pastorale andem jam culmen, multa bonorum conniventia et namini fratrum vestrorum, ut audimus, electione ublimavit. In quo prævenienti gratiæ gratias red- limus, subsequenti, preces porrigimus, ut in sublimi ositus, in Domo Domini, tanquam virtutis speculum luceatis, et virtutis iter hoc honeste conversando, irtutis amatoribus, ut dux ad vitam vere prævius, stendatis. Agit hoc ille qui suos quo levat altius ignitate, eo firmat et fundat solidius humilitate, et d perfectum adducit ea quæ per ipsius Spiritum ad mnes diffunditur charitate. Liberet in hunc modum raternitati vestræ plura suggerere, sed confisi de ea, uæ vos intus ad plenum edocet unctione, illi vela estra committimus, quem suos ad portum perducere navigata mundi hujus tempestate, suavi sancti Spiritus aura simus mentium feliciter implente, certa eritate cognovimus. Ad illum stylum vertimus, pro uo vobis ad præsens scribendi necessitatem susceimus. Tria in petitione proponimus, in quibus a erenitate vestra exaudiri, toto mentis affectu, tanta nimæ pulsantis instantia postulamus, tres pro trius ad præsens quasi legatione fungimur. Hi sunt lectus filius noster Baderum de Munemne.. Ecclesiæ vestræ benefactor, et amicus noster in Christo harissimus, Robertus [de Castro novo] de Casteillunco, amicus vester humilis et devotus. Luget enim aderum pristina parentum suorum, et sua postnodum erga Ecclesiam beneficia in irritum adeo evocari, ut a corde non solum quasi mortuus occierit, sed et iram vestram nullis suis, ut sperat eritis, unde totus turbatur incurrerit. Si quid vult, os illud nolle conqueritur; si quid postulat, vos ertere faciem erubescit. Mallet cum domo vestra nicitias non iniisse, quam multis acquisitas merii taliter amisisse. Unde si quid est, quod serenitam vestram adversus ipsum obnubilet, donari nobis unc veniam, et nubilum hoc flante sancti Spiritus ura, prorsus evacuari, postulamus, et id plenam ratiam magnum vestræ domus amicum suscipi et landis et honestis responsionibus foveri postulaus, mandamus atque præcipimus. Expedit enim Ecesiæ vestræ non..quemque ab ejus alienari gratia ujus liberalitas eidem ampla contulerit beneficia. riorem nostrum virtutum meritis in publicis jam utione domus vestra ad nos non intercedente dilane remittit, rogans et nobis ut amico, de quo per nnia bene. Hinc ad fratrem charissimum Roberm de Castro novo nostræ cursus orationis illabir. Cujus dum reminiscimur, animo in diversa disahimur. Nam si amicus est, ejus a nobis elongari æsentiam tantopere cur optamus? Sed amicum agis absentem vivere quam præsentem mori opndum est. Subarctophylace, sub arcto, sub axe boali, cuncta sibi infesta sunt. Aer frigidus, æterna acies, aqua inutilis et coctione potabilis, febri, qua fatigatur assidue, plenam præstant causam atque materiam. Inde est, quod dilectæ nobis benignitati vestræ preces porrigimus, ut eum quasi postliminio reversum, cum gratia suscipiatis, et ne jugo pressus obedientiæ tristius ingemiscendo deficiat, vobis commanentem, suis stellius et originem piis hausit aere frui permittatis. Confidenter in amici castra migravimus, et si multa, tamen ut credimus inoffensa vestri postulantes. In quibus nos exaudiens, gratia vestra, non antiqua solum familiaritate, sed et beneficio recenti, nostra sibi secure vendicabit servitia. Incolumitatem vestram et successus conservet Dominus.

EPISTOLA CCLXVI.

AD LAURENTIUM ABBATEM WESTMONASTERIENSEM.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili fratri et amico L. Westmonasteriensi eadem gratia abbati, et dilecto sibi in Domino ejusdem Ecclesiæ conventui, bene semper sapere, et intelligere ac novissima providere.

Quorumdam, fratres, relatione didici, quod priusquam majori communicetur audientiæ ad vestram per me referri notitiam tam utile quam humile reputavi. Inter ecclesiam beati Pauli et nos novæ litis est, ut dicitur, accensa scintillula, quæ si non exstincta citius in flammas eruperit, in partis utriusque dispendium sese procul dubio dilatabit. Solent enim causæ modicæ dissensionis gravissimæ fomitem ministrare, quæ nisi in ipsis reprimantur initiis, studio partium tractuque temporis adeo sæpius invalescunt, ut post sumptus plurimos et labores immensos admodum sit difficile diffidentes sibi diu partes in pacis pristinæ serenitatem aliquatenus revocare. Unde quia rerum meriti solet exitus inspectio prudens, dilectam mihi in Domino fraternitatem vestram porrecta prece convenio, paterna quoque charitate consilium do, ne adversus matrem et fratres occasionem quæratis discordiæ, ne a suæ matris amplexibus filiam studeatis avellere, sed solitam debitamque sibi reverentiam exhibendo, paucitatem hanc dierum nobiscum velitis in pace et charitatis unitate transigere, sancta quadam animi nobilitate dedignantes, ob quæstum modicum et ignobilem a bono pacis, quod inter commissas nobis Ecclesias perseveravit hactenus, inconsiderata quadam animi præsumptione resilire. Ecclesiam quippe Sanctæ Margaretæ, super qua recens hæc est orta dissensio, a primis suis fundamentis usque ad dies hos episcopis Londoniensibus et eorum archidiaconis sine contradictione et reclamatione fuisse subjectam consonum totius undique vicinæ testimonium clamat, et hanc meo quoque tempore R, archidiacono debitum et consuetum cathedraticum exsolvisse in illis fere partibus nullus ignorat. Si itaque matri vestræ annuos XII subtraxeritis, in modico grave sibi dedecus inferetis, et emolumentum communi mense certe permodicum in summa modica conferetis. Utilibus igitur acquiescendo monitis, meum sustinete, si placet, hac vice consilium, ut appellationibus

hinc inde remissis, laxatis si quæ datæ sunt in quem- A
cunque sententiis, memoratos jam nummos archidiacono solvi permittatis, et in eo statu quo in discessu meo fuerant stare cuncta permittatis, nec ob leve compendium a matris vestræ gratia recedendo dulce reputetis et sapidum, quod in ejus injuriam vestra sibi fuerit usurpatione detentum. Sic inter nos gratiam conciliare poteritis, sic ad obsequium me vestrum promptum et paratum habebitis, sic ob depressionem meam vos ad Ecclesiæ mihi commissæ depressionem minime prosiluisse ipsa vestri operis evidentia luce clarius ostendetis. *Sufficit diei malitia sua* (*Math.*, VI). Satis oneratus sum ea quæ me premit injuria. Si dolori dolorem injuriæ injuriam addideritis, vos meo parum compati infortunio nulli dubium relinquetis. In quantum pos- B
sumus nobis decem non possumus, et si cœptis stare contenditis, omnes nos et nostros ad propulsandam pro viribus injuriam fortiter exacuetis. Valere vos et nobis in tribulatione parcere desideramus charissimi.

EPISTOLA CCLXVII.

AD HENRICUM REGEM.

Domino suo charissimo illustri Anglorum regi H., frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem quæ nunc est, et quam speramus a Domino.

Vestra nos, domine, fovente præsentia, omnis a nobis alte conquievit injuria. In abcessu vero vestro pacis nostræ detrimentum illatis illico experituri sumus. Novit enim excellentia vestra, quod cum Herefordiensi adhuc deserviremus Ecclesiæ, essarta C
quædam Malverniæ ad coronam vestram pertinentia nobis munificentia regia et liberalitate sola concessistis. Illa vero quatuor servientibus nostris, qui in ipsius Ecclesiæ negotiis nobiscum fideliter aliquandiu laboraverant, tenui quidem servitii sui remuneratione donavimus, et vestrum in hoc assensum et confirmationem a gratia vestra impetravimus. Venerabilis vero frater noster dominus Herefordiensis episcopus, post vestrum statim transitum, ipsos eisdem possessiunculis expulit, et requisitus super hoc, nec chartæ vestræ reverentia, nec prece nostra motus in aliqua, in omnibus sese nobis inexorabilem exhibuit. Inde est quod ad nota præsidia clementiæ vestræ recurrentes, humili [vobis] supplicamus affectu, quatenus collata nobis tot bona, hac D
etiam, si placet, gratia cumuletis. Willelmum Folet, in quem modicam donationem contulimus, etiam dictos servientes nostros his quibus post transitum vestrum absque audientia et judicio spoliati sunt, usque ad reditum vestrum resaisiri præcipiatis, et cum in regnum vestrum gratia vos divina reduxerit, quæ a nobis gesta sunt præsentibus nobis audiatis, et quæ corrigenda videritis, regia, prout placuerit, æquitate corrigatis. Summa quam restitui petimus, non x plene marcarum est, cum sit tamen ejus Ecclesiæ, donatione quidem vestra, nostroque labore, tempore quo in ea ministravimus, centum plene marcarum reditu, melior facta conditio. Incolumitatem vestram censervet in longa tempora Deus, in Christo dilecte domine.

EPISTOLA CCLXVIII.

AD EUMDEM.

Domino suo charissimo illustri Anglorum regi H. frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister salutem et debitum devotæ fidelitatis obsequium.

Vestram, domine, credimus excellentiam non latere, qualiter in me et quosdam alios fideles vestros manum suam dominus Cantuariensis aggravaverit, et quoad potuit, gladium in nos spiritualem in juris publici læsionem dextera iniquitatis intorserit. Canon namque notissimus hic est, ut nemo præpropere vel præpostere, id est non commonitus neque convictus judicetur, nec episcopus omnino quemquam excommunicet, donec causa probetur, super qua reus impetitur. Unde cum a jure exorbitaverit, de Domino confidimus, ut in nos vibrando gladium aerem potius verberaverit, quam aut corpore aut anima spirituale nobis vulnus inflixerit. Ictus enim ejus ad dominum papam appellando prævenimus, et in initio Quadragesimæ facta appellatio, sententiam die Palmarum latam plene viribus evacuavit. Sixtus enim papa sic statuit: « Quoties episcopus se a suo metropolitano putaverit prægravari, vel eum suspectum habuerit, mox Romanam appellet sedem, a qua dum se audiri poposcerit, nullus eum excommunicet, antequam causa summi pontificis auctoritate finiatur, quod si aliter præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus omnino carebit. »

EPISTOLA CCLXIX.

AD EUMDEM.

Domino regi dominus Londoniensis, salutem et amoris intimam de ipsis cordis sui medullis affectionem.

Vestræ, domine, celsitudini scribere tardavi, quia quæ de Ecclesiis regni vestri gesta sunt, vobis prius quam possem scribere, per nuntios justitiæ vestræ manifestata fuisse cognovi. Nunc autem scribo vobis sero, et ob Dei misericodiam suplex obsecro ne mihi detrahentibus acquiescatis, ne monachis Cantuariæ in his quæ maligna loquuntur adversum me fidem aliquatenus habeatis. Aiunt enim me ad archiepiscopatum Cantuariensem ambire, et ob hoc electiones quas de aliis faciunt, modis omnibus impedire. Novit ipse qui Veritas est nullum horum verum esse. In promotione mea prima Cluniacensis prior quidem sum constitutus in ordine, dehinc prior abbatis Villæ. Hinc abbas Glocestriæ, post episcopus Herefordiensis. Hinc translatus Londoniis, confidenter assero, quod ad nullum horum ambivi, quorum tamen unumquodque, permittente Deo, consequenter obtinui. In secretis itaque cordis mei dico Domino Deo meo, quod sufficit mihi gratia sua; dico et vobis domino meo charissimo, quod sufficient mihi in his indulta a vobis benignissime gratia vestra. Avertat a me Dominus hanc cupiditatem. Avertat a vobis Omnipotens assensum in hoc præbendi omnimodo voluntatem. Si vero electiones suas aliqu-

tenus impedivi, hinc potestis advertere. Primo de domino Bajocensi actum est. Quod episcopis regni vestri licet grave videretur, omnes tamen opem ferente Domino, ad hoc induxi, ut in ipsum assentirent, ipsumque suscipere parati essent. Soli monachi respuerunt, quod vos præcipue velle cognoverint. De Beccensi postmodum actum est. Quod licet gravissimum omnibus regni episcopis videretur, multa tamen instantia et industria obtinui, ut in ipsum assentiendo suæ præjudicarent voluntati. Ad ultimum, ad abbatem de Ceresseio decursum est. Quod licet et episcopis et omnibus terræ vestræ abbatibus, omnibusque regni vestri personis non solum grave videretur, verum et indignissimum, ego tamen, ne pax Ecclesiæ turbaretur, nec quam desiderabatis, electio ulterius differretur, etsi cum multa ira et indignatione omnium, tandem tamen obtinui, ut si monachi Cantuariæ in electionis pronuntiatione episcopis regni vestri vel modicam exhibere voluissent reverentiam, in ipsum acquiescerent, et ne vester adversus eos turbaretur animus, rem hoc fine terminare permitterent. Verum hi sibi omnia usurpantes, et episcopos omnes a consilio et electione, et electionis pronuntiatione severius excludentes, quod cum aliquantula modestia agentes tunc obtinere potuerunt, nimia utentes obstinatia, ulterius differri compulerunt. Qua in re, si placet, honori vestro consulite, diligenter attendentes quid vobis magis expediat, an monachis totum ascribere, qui vobis nec hominio tenentur affectu nec fidelitate, aut in eligenda maxima persona regni vestri, reverentiam aliquam episcopis attribuere, qui vobis aut hominio aut fidelitate obligati, honorem vestrum in Deo conservare duplici necessitate tenentur obnoxii. Bonum est itaque si placet, ut rigorem monachorum, quæ ot de humilitate vestra concipiunt, ea qua scitis modestia et sapientia temperetis, et ad aliquam, si placet, regni vestri personam ipsorum consilium revocetis, et salvo jure utriusque partis, in potestatum de prima voce in electione habenda, cum de eo regi fuerit opportunum, electionem ipsam per priorem et aliquem episcoporum simul aut alio quocunque modo, quod Deus vobis et consilio vestro revelaverit, pronuntiari faciatis, ut per sapientiam vestram pacificato statu Ecclesiæ, nebulam quæ ex dissensione hac regno vestro adhuc impendet, gratiam præstante Domino, prorsus evacuetis.

EPISTOLA CCLXX.

AD EUMDEM HENRICUM REGEM

Domino regi dominus Londoniensis, salutem et devotum debitæ fidelitatis obsequium.

Vestra, domine, dignos speramus gratia, quos in ecclesia Dei et litteratura commendat et vita. Inde est, quod apud excellentiam vestram clericum nostrum ecclesiæ Beati Pauli archidiaconum Radulphum de Diceto, eo securius commendamus, quod et scientiam ad doctrinam et ad honestatem mores suberare jamdiu experientia rerum certa cognovimus. Accedit ad hæc amor integer et affectionis ejus erga vos plena devotio, ut vos ulnis charitatis corde complectens, honori vestro gloriæque congratulans, felices vobis in domino successus semper exoptet, et sibi commissos ut a summo rege vobis id impetrent cum se præstat opportunitas, indesinenter admoneat. Quem in oborta sibi necessitate recurrentem ad vos, nilque nisi quod juri debetur et æquitati postulantem, cordis intimo supplicamus affectu, quatenus ob Dei reverentiam nostræque petitionis et honestatis ejus, et exhibitæ vobis et semper exibendæ fidelitatis intuitu, clementer exaudiatis, et ut præbendæ suæ portio quam sibi et apostolica et regia vestra concedit et confirmat auctoritas, ipsi in integrum restituatur, juxta datam vobis a Domino sapientiam, tam juste quam misericorditer efficiatis.

EPISTOLA CCLXXI.

AD EUMDEM.

Domino suo charissimo illustri Anglorum regi Henrico, frater Gilbertus Londoniensis Ecclesiæ minister, pedibus sanctis conculcato Satan, in Christo triumphare feliciter.

Mandatum domini papæ, domine, nuper accepimus, quos nobis injungitur ut censum beati Petri a fratribus et coepiscopis nostris suscipiamus, et per nuntios quo direxit ad nos, ipsi cito transmittamus. Quod quia de vestra totum pendet misericordia, nec potest effectu compleri nisi per vos, vestræ id notificamus excellentiæ, ut vestris si placet justitiariis super hoc scribatis, et quod vestræ voluntati placuerit, id fieri præcipiatis. Optamus autem ut cor vestrum divinitas sancta possideat et actus vestros omnes sic disponat et dirigat, ut nec in Deum offendatis, nec adversum vos aut regnum vestrum domino papæ, quem vos plurimum dilexisse novimus, justam querelæ causam et materiam præbeatis. De cætero dies instat, quem appellationi ad dominum papam factæ præfiximus : de qua prosequenda necesse est nobis, ut voluntatem vestram et consilium amodo certius agnoscamus. Nam, cum minus lædant jacula quæ prævidentur, timendum nobis est ne, si ad momentum temporis omnia reserventur, singula quo præscita minus et minus prætracta fuerint, eo minus commode quam exigat expediantur. Inscribat cordi vestro digitus Dei quid fieri expediat et nos manus ejus ubique protegat atque custodiat, domino in Christo dilectissime.

EPISTOLA CCLXXII

AD EUMDEM, DE CENSU SANCTI PETRI

Censum, domine, beati Petri suscepimus, exceptis quadraginta duabus libris quas de Lincolniensi episcopatu et centum solidos quos de Eliensi episcopatu nondum habuimus. Nuntios vero domini papæ, octo scilicet mercatores Flandriæ, qui sibi ter centum marcas argenti Romæ mutuo præstiterunt, sperantes se summam eamdem de manu misericordiæ vestræ suscepturos, apud nos jamdiu detinuimus, sperantes a sublimitate vestra verbum aliquod audire per decanum de Waltham quod et dominum

papam et nuntios ejus possit exhilarare. Quod quia nondum actum est, ipsos ulterius detinere non possumus. Sed quod revertuntur inanes, posse causæ vestræ plurimum obesse pertimescimus. Qua in re discretio vestra providebit utiliter quid expediat : quid honorem vestrum deceat; quid animæ vestræ saluti proficiat. Fideles vero vestri, qui penes vos sunt, qui vices vestras per omnia prosperari desiderant, vellent vestrum in re ista mutari consilium, ut domino papæ reddendo suum ipsum ad negotia vestra non adversarium, sed per omnia benevolum haberetis et obnoxium. Illuminet Dominus vultum suum super vos et vestra semper negotia bono fine concludat, in Christo domine dilectissime.

EPISTOLA CCLXXIII.

AD EUMDEM.

HENRICO regi Angliæ GILBERTUS Londoniensis episcopus, piæ salutationis affectum et fideliter obsequentis officium.

Venerabilem fratrem nostrum dominum Saresberiensem episcopum vestræ, domine, sublimitati digne duximus commendandum. Quem vobis utique fidelem novimus, et charitate non ficta vestros per omnia desiderare successus, indubitanter agnovimus. Unde majestati regiæ honori procul dubio cedet et gloriæ, ut in ipsum clementer respiciatis, et regiæ pietatis oculos in ipsum attentius habeatis. Fidelem quippe clericum vestrum transmittet ad vos, ut quam pie dominus Cantuariensis sit circa ipsum sollicitus, et verbis ejus et scriptis, quæ præ manibus habet, agnoscatis. Onus siquidem suspensionis ad præsens sustinet, et jam citatus, juste sive injuste, excommunicationis sententiam, ut ex scriptis perpendimus, et retroactis manifeste conjicimus, nisi per vos in proximo non evadet. Quam si contigerit in ipsum dari, erit utique sibi dedecori, et omnibus regni vestri personis concussioni pariter et timori. Quem si vestra benignitas evocaret ad se, iter acceleraret ad vos, et imminens hoc periculum ope vestra fretus, juvante Domino, optime declinaret. Unde cum petente petimus, cum supplicante supplicamus, quatenus suspiranti in hoc fideli vestro accessum ad vos ad præsens, si placet, concedatis, et ipsum conatus ejus, qui vobis adversatur in omnibus, et appellationibus et modis aliis, quos revelabit Dominus, usque ad legatorum vestrorum adventum elidere permittatis. Hoc siquidem vobis honori, securitati vero nobis omnibus futurum credimus, qui vices nostras in protectionem vestram fratri nostro fidelissimo committere sane poterimus, ut amoveat abundans cautela, si quid in regnum vestrum male machinari voluerit potestas, quod absit, indiscreta. Valere vos optamus in Domino, diuque regnare feliciter, in Christo dilectissime.

EPISTOLA CCLXXIV.

AD EUMDEM.

HENRICO regi Angliæ, GILBERTUS Londoniensis episcopus, salutem quæ non est et quam speramus a Domino.

Placuit excellentiæ vestræ, quod ecclesiæ
corum archiepiscopi, quæ in episcopatu Lo
niensi, sive in Cantia consistunt, sub notra e
custodia constitutæ. Quod quia pietatis affectu
intelleximus inspiratum, ne per manus scilicet l
dispensarentur res ecclesiasticæ, oblationes s
fidelium, eleemosynæ pauperum, et decimat
populorum aliter quam fas est tractarentur
cum multa et mera, Deus scit, charitate libenter
illud suscepimus, ut et vos a peccato in parte
mundum et immunem servaremus, et clericos n
minus, si quando debita humilitate vestram
perarent gratiam, indemnes pariter conservare
Archiepiscopus autem, qui quasi sedens in in
adversus meam specialiter personam occas
quærit, unde mihi nocere nititur, aliis prodesse
bam. Qui directis litteris mihi nuper inj
in vi obedientiæ et in virtute Spiritus sancti, ut
quid ex iisdem recepissem ecclesiis, infra q
ginta dies post litterarum susceptionem sibi s
clericis restituere non omitterem. Ego vero in
Spiritus sancti gratia, objectoque appellatio
medio mandatum, quo meam injuste gravar
bat innocentiam, usque ad audientiam domini
suspendi, suspensumque declinavi ad temp
tus quidem quod hæc et graviora his supra d
meum fabricantur ab eo, et illi assistentibus
est quod vestræ sublimitati supplico in ea f
qua me semper audire consuevistis, ut cust
prædictarum ecclesiarum alii, cui honeste pr
ritis, committatis, et me, si placet, hoc one
matis, ut alia quæ mihi parantur onera forti
tinere, et promptius possim expedire in D
Pecuniam quoque, quam exinde recepi et
gnavi, ad summam centum octo libras et q
decim solidos et sex denarios, peto, si placet
mihi cum gratia et permissione vestra in t
ponere penes quamcunque personam ecclesia
eamque, licet ingratis, his quorum gratia
huc consignatam salvamque conservare, do
minus judicaverit ad quem finem debeat r
pervenire.

Superest adhuc aliud, in quo tota vobis no
supplicat Anglorum Ecclesia, et illi præcip
salutem vestram et vestrum honorem maxi
gunt et amplexantur. Durius enim, quam
expediat magnificentiæ, agitur apud vos cu
quos dominus domesticos suos esse constitu
in privatam ascivit familiam, quos mensæ s
pensatores ordinavit. Cum sacerdotibus vi
qui in regno Angliæ nec laica fruuntur li
nec judiciis tractantur ecclesiasticis. In quo
nes tacent, ego non tacebo; si omnes des
sed non ego. Absens igitur corpore, sed
præsens oro et obsecro vos per salutem ve
propter salutem vestram, ut Willelmum, q
capellanum archiepiscopi, et quamplures
per Angliam, quos nec confessos nec c
vestri prius præsumunt, quam judicent, pu

aistri, Ecclesiæ Dei, cujus sunt obsequiis deputati, A restitui jubeatis. Vale.

EPISTOLA CCLXXV.

AD EUMDEM.

Tanta nos, domine, mandati moles ad præsens opprimit, tanta se nobis auctoritas opponit, ut consilium pariter et auxilium a vobis expetere a summa compellamur necessitate. Nam quod auctoritas apostolica præcipit, hoc appellatio non suspendit. Nec adversus ejus mandatum potest nullum esse remedium, cum quod præcipitur implere necesse sit, aut inobedientiæ reatum incurrere. Die namque beati Pauli, cum Londoniis ad altare consisteremus, litteras domini papæ de manu cujusdam nobis penitus ignoti suscepimus, quibus legatio in totam Angliam, excepto Eboracensi episcopatu, domino B Cantuariensi conceditur, et apostolica auctoritate confirmatur. Omnibus etiam nobis ipsius regni episcopis eadem auctoritate injungitur, quatenus ei, tanquam apostolicæ sedis legato, humiliter obediamus, et ad ejus vocationem absque contradictione conveniamus, et super his quæ ad nostrum spectant officium, ei plene respondeamus, et quæ statuerit, firmiter observanda suscipiamus. Adjicitur etiam, ut omnes, qui beneficia clericorum archiepiscopi in eorum absentia mandato vestro perceperunt, ad plenam eorum infra duos menses restitutionem anathematis sententia, omni appellatione remota, compellamus. Denarium etiam beati Petri a fratribus et coepiscopis nostris præcipimur exigere, et nuntiis destinatis ad nos integre consignare. Litteras C etiam legationis jam dictæ, et litteras archiepiscopi, quas ad plures transmittit episcopos, ipsis aut mittere aut præsentare præcipimur, si in nostri status ordinis integritate ulterius perseverare curamus. Ad pedes itaque sublimitatis vestræ corde prostrati exposcimus, ne ob magna negotia, quæ cura regia subministrat, respicere desinatis in nos, sed ne in summam nostri ignominiam ex toto redigamur in nihilum, pietate regia provideatis. Quod quidem bene facietis, si nos mandatis apostolicis pace vestra obedire concesseritis, et reddito denario beati Petri, clericis quæ sua sunt in misericordia vestra restitutis, episcopis omnibus mandaveritis, ut si in litteris archiepiscopi adversus regni consuetudines gravamen aliquod intellexerint, ad dominum papam D statim, vel ad legatos, qui diriguntur ad vos, confidenter appellent. Sic enim opus misericordiæ perficietis, et nos ab inobedientiæ reatu conservabitis, et causæ vestræ, ne in aliquo detrimentum accipiat, communi omnium appellatione providebitis. Doceat vos Dominus facere voluntatem suam, et eam relevare moneat, quam ad præsens experimur, angustiam. Valeat dominus meus in Christo charissimus.

EPISTOLA CCLXXVI.

AD EUMDEM.

Henrico regi Angliæ, Gilbertus Londoniensis episcopus, devotæ fidelitatis obsequium.

Vestram, domine, credimus non latere excellentiam, qualiter in me, et quosdam alios fideles vestros manum suam dominus Cantuariensis aggravaverit, et quod potuit, gladium in nos spiritualem, in juris publici læsionem, dextera iniquitatis intorsit. Canon namque potissimus hic est, ut nemo præpropere vel præpostere, id est non commonitus, neque convictus judicetur, nec episcopus omnino quemquam excommunicet, donec causa probetur, super qua reus impetitur. Unde cum a jure exorbitaverit, de Domino confidimus, ut in nos vibrando gladium, aerem potius verberaverit, quam aut corpore aut anima spirituale nobis vulnus inflixerit. Ictus enim ejus ad dominum papam appellando prævenimus, et in initio Quadragesimæ facta appellatio sententiam in die Palmarum latam plene viribus evacuavit. Sixtus enim papa sic constituit: « Quoties episcopus se a suo metropolitano putaverit prægravari, vel eum suspectum habuerit, mox Romanam appellet sedem, a qua dum se audiri poposcerit, nullus eum excommunicet, antequam causa summi pontificis auctoritate finiatur. Quod si aliter præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus omnino carebit. »

EPISTOLA CCLXXVII.

AD EUMDEM.

Mittimus ad vos, domine, familiarem clericum nostrum magistrum H... utique fidelem vestrum, quanto possumus affectu supplicantes, ut ipsum in petitionibus nostris benigne, si placet, audiatis, et nobis in summa necessitate nostra regia clementia subveniatis. Quod bene quidem facietis, si domino papæ pro nobis aliquantulum affectuose scripseritis ut appellationem, quam ad ipsum fecimus, ut juris dictat æquitas, admittat, et post appellationem in nos latam sententiam, ea qua potest et debet, æquitate suspendat, donec causam nostram audiat, et digna meritis cuique retribuat. Ad cardinales etiam amicos vestros litteras, si placet, exposcimus, ut ad hoc dominum papam inflectant, et super admittenda appellatione nostra indultum omnibus oppressis beneficium prece vestra nobis obtineant. Sixtus enim papa sic statuit: « Quoties episcopus se a suo metropolitano senserit prægravari, vel eum suspectum habuerit, mox Romanam appellet sedem a qua dum se audiri poposcerit, nullus eum excommunicet, antequam causa summi pontificis finiatur auctoritate. Quod si aliter præsumptum fuerit, nil erit, sed viribus omnino carebit. » De cætero quia crebra allocutione frui vestra summopere nobis necesse est et consilio, excellentiæ vestræ devotissime supplicamus, ut nobis transfretandi licentiam concedatis, et in partibus transmarinis nuntios, quos ad dominum papam mittimus, nos exspectare permittatis. Conservet incolumnitatem vestram in longa tempora omnipotens Dominus

EPISTOLA CCLXXVIII.

AD M. REGEM SCOTIÆ

Domino suo charissimo illustri regi Scotiæ M.,

frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, per quem A reges regnant diu regnare feliciter.

Sublimitati vestræ, charissime domine, hac confidentia scribimus, quia vos sincero cordis affectu diligimus, et in omnibus haberemus acceptum si gratum vobis in aliquo præstaremus obsequium. Speramus etiam ipsa manu Spiritus sancti plantatam esse in corde vestro radicem æquitatis et judicii justi, et ideo in causis subditorum vestrorum mentem vestram posse bonorum precibus ad id quod justum est facile inclinari. Scriptum enim est: *Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore* (*Psal.* CV). Et sapientia ait: *Tolle rubiginem de argento et exibit vas purissimum. Tolle injustitiam de corde regis, et justitia firmabitur thronus ejus* (*Psal.* XXV) Inde est quod regiæ no- B bilitati vestræ pro præsentium latore, Helia proximo cognato nostro, preces affectuose porrigimus, quatenus pro amore Dei et petitione nostra ejus servitium accipiatis, et de hæreditate sua ipsum exaudiatis, et nos et multos nobiscum gratiæ vobis et servitii debitores efficiatis. Si gratiam in oculis vestris invenerit, ad servitium vestrum multos adjutores inveniet, quorum sibi quisque de suo libenter subveniet. Istud vero postulare nequaquam præsumeremus, si patrem ejus perfide se aut maligne adversum vos et patres vestros habuisse cognosceremus, sed ipsum pro fidelitate patris vestri exhæredatum audivimus, et speramus de misericordia vestra ne quem patri vestro fideliter ad posse suum servisse cognoscitis, ejus unquam canos cum mœ- C rore ad inferos deducatis. Valeat dominus meus charissimus et cor ejus Spiritus Dei repleat atque possideat.

EPISTOLA CCLXXIX.

AD ROBERTUM COMITEM LEICESTRIÆ.

Venerabili domino et amico suo charissimo ROBERTO comiti Leicestriæ, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, consecrata Domino tirocinia beatæ perseverantiæ fine concludere.

Cum sit vitiis et divitiis admodum grata societas, gratulor et mihi totus applaudo, charissime, divitias in te quadam singulari gratia deservire virtuti. Audisti divitem illum purpura et bysso vestitum, epulantem quotidie splendide, miserabiliter ad inferna deductum, ubi cum flammis anxius æstuaret, D in linguæ suæ refrigerium nec aquæ guttam valuit impetrare. Audisti et in Evangelio, divitem, cujus uberes fructus ager attulit, dicentem intra se: *Destruam horrea mea et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi bona, et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, et epulare* (*Luc.* XII). Cui divinitus dictum est: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. Quæ autem parasti, cujus erunt?* (*Ibid.*) Et si mentis oculos in mundi plenitudinem, Dei Spiritu lucem ministrante, circumquaque reducimus, divitibus hujus mundi mundum abundare cognoscimus, quibus suæ divitiæ fomento vitiorum sunt non incremento virtutum, cum magis possideantur ab his quam eas quadam animi sancti nobilitate possideant. Divites hujusmodi, ait Dominus, non facile regnum Dei adepturos, et camelum per foramen acus intrare posse facilius, quam ipsos in regnum cœlorum. Tremenda vox, et divitibus hujusmodi exhorrenda. Gratulor, et totus mihi applaudo, charissime, quod istorum abhorres semitas, horum jamdiu vestigia declinasti. Gaudeo te tua cogitare novissima, et illud Psalmistæ mentis oculis intueri: *Dormierunt somnum, suum et mihi invenerunt omnium viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV). Qui sibi credita si fideliter erogassent, evigilantes illa die a somno mortis suis hæc in manibus invenissent. Divina voce dictum est: *Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui* (*Deut.* XVI). Totum quod Ecclesiæ Dei, quod pauperibus ad præsens erogas illa die paratum invenies, et quod modo larga miseratione distribuis, illa die Domino cum fiducia præsentabis. Beati multi sunt et sapientes, hos tamen tantum beatos judico, hos solummodo sapientes qui mansura semper bona crebra meditatione considerant, in his mentem occupant, his invigilant, et hæc ut queant apprehendere tota animi ratione pertractant. Credo, charissime, Patri complacuisse in te. Spero columbam sanctam quæ super Dominum in Jordane apparuit jam nidificasse in te. Cum post Spiritum qui trahit te, qui suis intus bonis ornabit te et amore Christi perfecto ditabit te. Cujus amor verus si tangit te, si rapit te, si absorbet te, levabit te juxta prophetam super te, quia super altitudinem extollet te. Scribendi tibi nactus occasionem, vix me cohibeo, charissime.

EPISTOLA CCLXXX.

AD EUMDEM.

Venerabili domino et amico charissimo, R. comiti Leicestriæ, frater G. Londoniensis Ecclesiæ minister, salutem quæ nunc est, et quam speramus in Domino.

Verborum facile suadet paucitas, cum ad exaudiendum prompta est ipsius ad quem scribitur amica benignitas. De vobis itaque per omnia sperantes optime, charitate sic exhortante confidimus, ut unde recurrimus ad vos, in hoc repulsam minime sentiamus. A sublimitate vestra ad quemdam canonicum nostrum et amicum Baldewinum nomine, litteræ vestræ citationis emissæ sunt, ut apud Oxenefordam in conventu proximo, præsentem se vobis exhibeat, et cuidam homini suo et fere rustico, de non observata pactione quadam inter ipsos, ut asserit, chirographo confirmata respondeat. Res exilis est, causa perquam modica, dimidia virgata terræ est de qua agitur, decem nummorum census, qui annuatim exsolvitur. Unde si inter clericum beati Pauli et ipsius hominem super fundo ecclesiæ suæ pertinenti, lis aliqua oborta est, spectat ad nos, si placet, audire quod gestum est, et conquerenti justitiam in omnibus exhibere. Qui cum partes nostras despiciat, et ad sublimitatem

stram non transiliendo prosiliat, petimus, beato Paulo et nobis, si placet, hanc reverentiam exhiberi, ut de conservanda Ecclesiæ Dei dignitate sua mentem vestram et animum ad nos remissus, per vos etiam quod ustum fuerit plene responsurus intelligat. Ad vos itteras citationis vestræ remittimus, eo quod in his notariorum vestrorum stylum minime recognoscimus. Valere vos optamus in Domino, et sua Cæsari sic reddere, ut quæ Dei sunt reddatis et Deo.

EPISTOLA CCLXXXI.

AD A. COMITISSAM LEICESTRIÆ.

G. Dei gratia Londoniensis Ecclesiæ minister, A. venerabili comitissæ Leicestriæ, quod petit accipere, quo tendit pie tandem complet cursu pertingere.

Dilectioni vestræ, dilectissima, rogatus litteras mitto, quas quidem misisse debueram non rogatus. Quod si omisi jam aliquandiu, hæc causa exstitit, uod de die in diem meum ad te nuntium ipse præ'e et prævenire existimabam. Et quia spes dubio ultu nos semper protrahit in cras, et quod non feci, ras, ait, efficiam, sperabam me finem dare negotiis t sopitis aliquandiu causis et curis omissis, ocius ansmeare ad te, et optatæ mihi allocutionis tuæ ucundæ solatio recreari. Sed opportunitatem quo lus appeto, minus invenio, et quibusdam amputatis apitibus, cum mundi bestiam exstinxisse me reputo, l capita multipliciter renascentia totus illico perhorsco. Curarum siquidem nullus est finis, et munus in dies parturit, unde miseras affligat animas, et piæ proposito intentionis avertat. O mihi quid emorem soliloquia sancta, quæ cum sponso suo nima quondam mea, dum eam claustri silentia teerent et tenerent, in spiritum elevata permiscebat! um sæcularium nescia in montem quodammodo um Moyse conscendebat, subtus se nubem relinebat et nebulam, et mundo posthabito, in ignem um quem Deus inhabitat, nihil nisi illum appetens ta tendebat. Unde cum ipsam sua revocasset inmitas, non abscedens longe, non foras exiens, ad sos pedes Domini mente residebat attentius, et anos suos præteritos in amaritudine recogitans, exces s pristinos ipsis suarum lacrymarum fluentibus luebat. Nunc me rei familiaris hinc cura distrahit, nc causarum sæcularium pondus involvit. Nunc nor opprimit, nunc protrahit spes nunc levant ospera, nunc adversa dejiciunt, ut quantis miseriam cumulis misera subjiciatur humanitas, ipsis ne rerum argumentis experiar. Quid tibi ergo, ectissima, meus poterit dictare jam spiritus, quæ ritatem mentis inhabitas, et spiritui tuo delicato il in refectionem nisi delicias spirituales appetis exoptas. Nidificavit in te columba illa quæ super ristum in Jordane volitans, ipsum cum omni grarum plenitudine semper inhabitat. Et de hac quiem plenitudine quantum ipse tribuit accepisti, et is dona quanto gustas uberius, tanto et uberius nistrari tibi avida spiritualium mente desideras. Intueri mihi videor tuam illam animam in sui fervore spiritus, hoc declamantem et cantantem: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II). Unde mihi flores, charissima, quos tuo subministrem spiritui, ut ardens plus accendatur et tendens in superna avidius illuc rapiatur? Hi flores paradisi sunt, quod tibi sancti communicant, qui nescientes et respuentes quæ mundi sunt, sacratæ quodammodo paradisum mentis inhabitant. Quos tua, quæso, prece mihi concilies, ut sub curarum gementem pondere, ipsorum me apud Dominum interventu sublevés et sustentes. Id enim modicum quod habeo, tibi ab amicitiarum nostrarum exordiis in Domino communicare, nec destiti, nec omitto. Valere te in Christo opto charissima.

EPISTOLA CCLXXXII.

AD COMITEM ALBERICUM.

Gilbertus Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili viro comiti Alberico, salutem, gratiam et benedictionem.

Pervenit ad audientiam nostram, quod occasione controversiæ, quæ inter vos et comitissam aliquandiu ventilata est, et ad sedem apostolicam tandem per appellationem suspensa, eam districte supra modum teneatis inclusam, ut nec causam instruere nec parti suæ defensorem possit ullatenus procurare. Sed nec ecclesiam frequentare, ne in publicum, ut dicitur, prodire permittitur, ut non jam custodiæ deputata, sed carcere potius damnata videatur. Cubilis quoque corporisque et colloquii vestri, omni sibi jam olim copia negata dicitur, ut quos Ecclesiæ conjunxit auctoritas, vestra quodammodo disjunxisse videatur voluntas. Quæ si vera sunt, ut accepimus, quam citius vobis emendanda denuntiamus. Alioquin valde vobis timendum est ne provocetis iram et indignationem Dei adversus vos quæ quanto serius advenit, tanto severius affligit. Recolite quanta reverentia dignum sit sacramentum conjugii, quod Dominus ab origine mundi primum introduxit et sua benedictione confirmavit, quod et ipse in Cana Galileæ sua corporali sanctificavit præsentia, quod et apud omnes gentes tam fideles quam infideles, cum summa veneratione mandatur observandum. Certum est enim et per historias simul et exempla notissimum, quod prævaricatores sacramenti hujus non solum ultimæ reservantur ultioni, ut a terra viventium, quæ est paradisus Dei proscribantur, sed et in hac quoque terra morientium, in se aut in sua successione frequenter exhæredantur, ut hæreditas eorum transferatur ad exteros, et in labores suos introeant alieni. Proinde episcopali vobis auctoritate mandamus, orantes et exhortantes in Domino, et consulentes in charitate, et remissionem vobis injungentes delictorum, quatenus propter Deum et propter reverentiam legis Christianæ, modestius et mitius agatis cum uxore vestra, quæ est pars corporis vestri, amotoque prædictæ districtionis excessu, ipsam sibi ad debitam libertatem et vos ipsi ad societatem et solatium, sicut decet sponsum

sponsæ, benigne restituatis, nec sine judicio Ecclesiæ maritali privetur contubernio, quod sibi teste Ecclesia, sub solemni fide sponsaliorum promisistis. In quo si nobis non creditis, Apostolo credite qui ait: *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam* (*Ephes*. v.) Et iterum: *Alligatus es uxori noli quærere solutionem* (*I Cor*. vii). Charitas cogit nos et necessitas officii, hæc et hujusmodi vestræ suggerere dilectioni. Unde quia spes nobis est de vobis in Domino, quod nostris sicut debetis sic et velitis in his quæ ad Deum sunt consiliis acquiescere, consilium vobis damus in charitate, ut legem et conditionem conjugatorum, cui subjecistis vos legitime, et sine simulatione observare studeatis, ne incidatis in manus judicis qui non irridetur, cujus non potestis judicium declinare reus prævaricationis legis suæ, quod avertat omnipotens Dominus. Amen.

EPISTOLA CCLXXXIII.

AD MAGISTRUM DAVID.

GILBERTUS, Dei gratia Londoniensis episcopus, dilecto suo magistro DAVID, salutem et optatos ad vota successus.

Inspectis litteris a tua mihi diligentia directis, palam datur advertere, te et commotionis et iræ fomitem, inter nos aliquo discordiam seminante, concepisse. Quem quicunque ille est de cætero minus audias, nec ejus commentis, obsecro, fidem ulterius adhibeas. Amicorum namque sæpe confundit animos lingua tertia, digna confundi, quam iræ et odiorum incentiva portantem a nobis obsecro non admitti. Nil enim de te sinistrum concipio, nil intus adversum te corde foveo, sed admissum semel in gratiam mihi et gratiæ et benevolentiæ vicissitudinem observare deposco. De cætero, quia sales vestros abunde jam diu lambit Italia, bonum est ut eosdem amodo cum tamen libuerit, experiatur et Anglia. Vale. charissime.

EPISTOLA CCLXXXIV.

AD WILLELMUM DE MALA PALUDE.

G. Dei gratia Londoniensis Ecclesiæ minister, amico suo charissimo WILLELMO de Mala Palude, salutem et sinceram dilectionem.

Cum me vobis in multis obliget benigna jam diu servitiorum exhibitio, hoc tamen in consummatam amicitiam me præcipue vobis reddit obnoxium, quod fratri meo et nepoti in necessitate sua subvenistis, et eis consilium et auxilium, prout res exigebat impendistis. Precor autem ut si item urgente necessitate recurrerint ad vos, non ipsis, sed mihi et ipsis propter me de vestro quod opus fuerit tradatis, ut me servitii et gratiæ debitorem habeatis. Illico vero cum ad nos reversi fuerint, nuntium nostrum habebitis, et si quid erga nos volueritis, per ipsos nobis mandabitis, et obtinebitis. Valeat amicus meus charissimus.

EPISTOLA CCLXXXV.

AD H. COMITEM NORFOLCIÆ.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, venerabili domino et amico suo charissimo H. comiti Norfolciæ, salutem et dilectionem.

Responsum canonicorum de Panteneia, nuntio ad nos redeunte, et litteras capituli sui sigillo impressas afferente, suscepimus, quo vos certificari postulant, quod nec pecuniam, nec terram, nec quidquam aliud a vobis accepturi sunt ut vobis Panteneiam concedant, et ab ea quam adversus vos intendunt, petitione recedant. Exsilium subire et adversa ut asserunt quæque perpeti magis eligunt, quam locum Domino consecratum, divinis usibus apostolica toties auctoritate confirmatum, cuiquam cedere, et ab Ecclesia alienare consentiant. Inde est quod a nobis instanter exigunt, ut effectui mandatum domini papæ mancipemus, et quod nobis injunctum est super eis exhibenda justitia, ulterius non differamus. Inde est quod familiarem vestrum et amicum, dominum Stephanum canonicum Sanctæ Osythæ, ad vos destinare curavimus, ut quod volumus scripto committere, per ipsum vobis ape[...]riamus. Scitis quidem necessitatem hanc nobis in[...]cumbere, ut aut sententiam proferamus in vos, au[t] causam qua præpedimur domino papæ denuntie[...]mus. Quod cum exstiterit, in proximo futurum es[t] ut quod a nobis ad præsens omissum est, ab ips[o] procul dubio compleatur, et sententia quam a[d] præsens forte differimus, tanto periculosius in vos quanto a judice longe sanctiore, longeque subli[...]miore proferatur. Unde quia rerum exitus pruden[s] metitur, magis quidem ob commodum vestrum quam ob vitandum periculum nostrum discretioni vestræ supplicamus, quatenus non tantum cum h[is] qui terrena sapiunt, sed cum viris sapientibu[s] Deumque timentibus consilium super hoc habeatis et illum per quem vivitis, per quem spiritum tra[...]hitis, per quem bona multa possidetis, qui vos in[...]ter adversa servavit, adversus hostes protexit, q[ui] spiritum vestrum cum volet auferet, qui omni[a] opera vestra in judicium deducet, coram oculis ha[...]beatis. Hodie estis, et cras fortasse non eritis, [et] inferni miseria sicut et cœli gloria sine fine ma[n]sura est. Illa quippe die qua hinc erunt accusanti[a] peccata, inde terrens justitia, foris ardens mundu[s] intus urens conscientia, subtus patens horridu[m] chaos inferni, desuper iratus judex parum pro[cul] dubio cuique videbitur, quod Domino dum hic v[i]vitur exhibetur. Tangat itaque cor vestrum Spi[ri]tus Dei, ut in præsenti negotio bonorum sic con[si]liis acquiescatis ne sententiam, quod absit! ap[o]stolica in vos experiendo, confusionem longe qua[m] ad præsens æstimetis graviorem sentiatis. Sape[re] et intelligere, et novissima providere vos optamu[s] charissime.

EPISTOLA CCLXXXVI.

AD R. DE S. WALERICO.

G. Dei gratia Londoniæ episcopus, amico s[uo] charissimo R. de sancto Walerico, virtute me[n] promissam bonis gloriam feliciter adipisci.

Tua, charissime, munificentia, tua liberalitas

me adeo jam multis innotuit, ut in negotiis quæ habent ad te se sperent aliqui meis posse precibus apud te si pro se porrigantur adjuvari. Unde quos in Christo diligo, de quorum bona in Domino conversatione non ambigo, tuæ confidentius charitati commmendo, affectuose supplicans, quatinus ob beatam illam spem qua in Deum tendimus, qua bene sperando post Christum currimus, humilibus fratribus de Oseneio misericordiæ tandem sinum aperias, et eorum compatiendo doloribus ipsorum fatigationibus fidem pietatis imponas. Memorare, charissime, quanti sit meriti loca sancta construere mansionem Domino, qua usque in adventum suum sine fine laudetur, honoretur, et adoretur ædificare, considera quantum sit bona spiritualia non solum non impedire, sed ut in Dei gloriam exuberant his opportunitatem et causam de tuis etiam exhibere. Memento, charissime, quod bella Domini strenue gesseris, quod tuis etiam stipendiis pro ipso militaveris, quod infideles et incredulos te ipsum opponendo et velut in holocaustum offerendo repuleris, et qui rebelles Domino confudisti in Asia, ejus servos humiles obsecro ne confundas in Anglia. Sed ut bene consummes omnia, cum capite Domino caudam etiam hostiæ offeras, ut cum bono tuæ satisfactionis initio, finem etiam laudabilem addideris, a magna manu Domini cuncta quæ servis ejus pro ipso impenderis, in illa die centies multiplicata recipias. Opto ut valeas, et pro quibus supplico, tui apud Dominum memores pie miserando constituas. Valete.

EPISTOLA CCLXXXVII.

AD.....

Filius regis supernæ Jerusalem cœlestis egressus est ut contemplaretur regna Patris sui inferiora. Qui circumspectis omnibus regressus ad Patrem, ait : « Pater, omnia terrarum regna circuivi ; et quæ in omnibus agerentur diligenter inspexi. clamorem etiam Sodomorum, qui ad te ascenderat, verum esse comperi, et ultione condigna punivi. Sed jam tempus est, ut in futurum mihi prospiciam, uxorem ducam, filios procreem, familiam jam per me regam. Sponsam quam mihi habendam complacuit, in domo regis Babylonici vidi, quam rex ille captivam tenet, et ne quis sic valeat cognosci, vilius ac sordidis vestibus eam induit. » Ad hæc Pater ad Filium : « Absit a te », inquit, « ut rem istam facias, coæterne et consubstantialis mihi unice fili. Æthiopissa illa, de qua dicis, non est condigna tuo generi vel tuæ immensitati. » Ad quem Filius : « Fixum, » inquit, « habeo, et me uxorem velle ducere, et nullam nisi hanc mihi velle conjungere. » « Si ita est, » inquit Pater, « tu coæternus et consubstantialis, et coomnipotens mihi, in manu habes et eam de captivitate Babylonica liberare, et prout vis tibi sponsam assumere. » Statim adfuit innumera multitudo angelorum et cœlestium agminum, in his nuptiis Filio summi Regis ministrare se parantium. E quibus unum, scilicet Gabrielem, A qui paranymphus ejus fieret, elegit. Gabriel electus Filio summi regis ait : « En fortitudo tua sum, illam quam tibi quæris, de media Babylonia rapere vi si imperas, et valeo et paratus sum. » « Non ita agendum est, » inquit Filius æterni Regis, « violentia nulla Babylonico regi inferenda est, consiliis occultis et sapientia quæ mihi jungenda est de captivitate Babylonica, est eripienda. Ad Mariam virginem de stirpe David mysterium consilii mei, O Gabriel, est occulte deferendum, apud eam in thalamo suo convivium nuptiarum mearum est initiandum et celebrandum. Ad Mariam Gabriel descendit, quod sibi injunctum fuerat fideliter peregit. Sed qui eum miserat, antequam nuntiaretur, jam ad virginem venerat. Initiatum est ibi, ibi celebratum est B sanctissimum nuptiarum convivium. Sed nunquid tantus ac talis iste sponsus ad sponsam suam vacua manu veniet ? Nequaquam. Sed donativa detulit, delata erogavit. Et quia hiemis tempore venit, hiemales vestes primos sponsæ suæ dedit, agninam videlicet pelliciam et cappam, quod utrumque fit de agno. Sed alterum sine dolore agni, scilicet lana, de qua fit cappa, sumitur, alterum, videlicet pellis, unde pellicia, absque dolore gravi ab agno non accipitur. Sponsus iste Agnus est, sicut Scriptura testatur : *Quasi ovis ad occisionem ductus est* (*Joan*, LIII), et cætera. Et alibi : *Ecce Agnus Dei* (*Joan.* I), et cætera. Agnus iste de lana sua cappam sponsæ fecit cum humilitatem verbis docuit, dicens : *Discite a me, quia mitis sum*, etc. (*Math.*, XI). Pelliciam C dedit, cum jejuniis, et orationibus, et vigiliis, et aliis carnis suæ afflictionibus ad ultimum passionem crucis mortificationem carnis sponsæ ostendit. Cappa itaque, qua indutus est, absconditur. Significat humilitatem, quia qui sponsa Christi est, latitat, et a sæculo cognosci refugit, pelliciaque de mortuis animalibus facta mortificationem carnis insinuat. Hæc autem hiemis tempore. Paschali vero tempore dedit ei arminiam pelliciam circa collum, et circa manus, rubeis gulis præparatam. Pellicia hæc sunt sancti prædicatores, albi propter resurrectionem quam in Christo factam annuntiant et in sponsam futuram prædicant. Qui cum passionem Christi annuntiant, rubeam gulam circa collum portant. Sed quia quidam prædicationem Christi D prædicant, quam corde non sentiunt, de quibus dicit apostolus Paulus : *Quidam annuntiant Christum non sincere existimantes se suscitare tribulationem vinculis meis* ; *oportet ut quod ore dicunt, corde sentiant* (*Phillip.*, I). Nam minus decenter ornata esset, si tantum circa collum et non usque ad pectus decentes gulas pellicia haberet. Circa manus etiam prædicatores gulas habent, cum in operibus suis passionibus Christi communicant. Igitur pellicia ponsæ de arminio fit, quando candidum est in significatione lætitiæ spiritualiter, ob spem resurrectionis, circa collum et uque ad pectus, et circa manus gulis rubeis ornata est, quia passionem Christi quam ore prædicat, corde sentit, et operibus

attestatur. Dedit etiam Christus paschali tempore A sponsæ suæ cordubanos suos qui significant duo Testamenta, quibus affectus sponsæ ne terram tangant muniuntur, vel continentiam et charitatem quæ duos affectus, quorum alterum ad carnem suam, alterum ad vitia sponsa olim habuit, calciat. Et quibus ille qui ad carnem est, continentia sive distinctione disciplinæ munitur, ille qui est ad vitia, charitate extinguitur. Sed hi cordubani nisi professione et obedientia ligentur, e pedibus elabuntur. Multos enim vidimus, qui continentia carnis ex charitate habuerunt, vel secundum duo Testamenta vivere disposuerunt, sed quoniam sub obedientia et professione sese non religaverunt, graviter lapsi sunt. Cordubani itaque sunt vel duo Testamenta vel continentia et charitas. Ligaturæ, professio et B obedientia. Dedit etiam Christus sponsæ suæ duo chirothecas; manus sponsæ sunt operatio et contemplatio, et quamvis per lævam alibi accipiatur activa, per dextram contemplativa vita, ut est illud: *Læva ejus sub capite* (*Cant.*, II), et cætera, hinc tamen per sinistram contemplatio, per dextram operatio designatur, hac similitudine, quia sinistram frequentius sub vestimento tenemus absconditam, dextram vero sæpius ad operandum exponimus. Igitur manus dextra, id est operatio, habet chirothecam in quinque folliculis ad quinque digitos recipiendos divisam, quia bonum opus debet esse rectum, voluntarium, purum, discretum, et firmum. Rectum intentione, voluntarium, ut nec fiat timore nec aliqua coactione; purum, ut dum fit ali- C qua aura vanitas non inanescat; discretum ut non ultra modum tendatur; firmum, ut perseveret. Sinistra autem habet chirothecam similiter in quinque divisam. Nam in contemplatione quinque sunt, scilicet consideratio peccatorum et gehennæ, contemptus præsentium et futurorum, et regnum, status corporis post resurrectionem, et glorificatio spiritus humani, et æternitas, cum qua uniendus est. Qui enim contemplatur optimum, considerat peccata sua, qualia et quanta perpetravit, quæ considerare non multum prodesset, si non pro illis puniri in gehenna metueret, et ideo considerationi peccatorum recte adjungitur consideratio gehennæ. Item, si consideraretur quæ et quanta sunt tormenta gehennæ, et nullum peccatorum memoria haberetur, secura forsi- D tan mens gehennam consideraret, cum nulla eam recordatio peccatorum contereret. Hac de causa in mente contemplatoris utrumque, id est peccata et gehenna conjunguntur, ut ex utroque terror incutiatur, sed in mente sic perterrita statim suboritur contemptus præsentium, cui adjuncta est spes futurorum. Sed ne spes mentem dissolutam reddat, restringatur per judicium, quia considerat ad ea quæ speravit transeundum esse per illum horrendum et districtum judicium. Sed terrorem de judicio consolatur regnum, et ideo subjunctum est judicio regnum, in quo consideratur regno quid erimus, et primus status corporis quod erit immortale et impassibile, deinde glorificatio quod erit ineffabilis pulchritudinis, et præfulgidum, sicut scriptum est: *Fulgebunt justi sicut sol* (*Matth.* XIII). Post hæc consideratur beatitudo animæ, scilicet ipsa anima, et Deus cui vivenda est, quod est ultimum, et consummatio omnium. Hæc autem quinque quæ in consideratione contemplavimus, per quinque fenestras videntur. Christus vero et ex humanitate, quasi pariete et divinitate inter humanitatem lucente. Itaque Christus fenestra est, imo fenestræ quinque in eo considerantur. Id est incarnatio, conversatio, doctrina ejus resurrectio, ascensio, per quæ illa quinque de contemplatione dicta sunt. Nam per incarnationem Christi multis manifesta sunt peccata et gehenna, quæ prius non attendebantur. Conversatio ejus aperte docuit præsentia contemnere, et ad futura spem dirigere. In doctrina ejus satis agitur de judicio et regno. In resurrectione ejus ostensus est, corporalis status et glorificatio, quia qualis ipse, tales et sui pro modulo futuri sunt. In ascensione autem quatulumcunque revelatum est, quomodo spiritus noster cum Deo vivendus est. Homo enim ille quomodo sine omni vehiculo absque omni alicujus creaturæ adminiculo elevari et transferri potuit, nisi per divinitatem sibi unitam? Itaque chirothecæ sponsæ sunt in manu dextra, id est actione quod ipsum sit rectum, voluntarium, purum, discretum et firmum. In sinistra manu, id est contemplatione, quod primum considererantur peccata, et gehenna, deinde sequatur contemptus præsentium et spes futurorum, post judicium et regnum, subsequatur status corporis, et glorificatio, ad ultimum unitio nostri cum Deo. Christus ascendens hæc omnia in sponsa sua consummavit, et eam conservandam apostolis commisit, et ne ab Hierosolymis discederent præcepit, donec induerentur virtute ex alto. Post dies decem ipso die, scilicet Pentecosten, exercitum magnum et fortem misit e cœlo, id est Spiritum sanctum, qui contulit eis pacem, gaudium, et cæteros fructus spiritus quos enumerat Apostolus. Quibus facti constantes et fortes hostiles cuneos aggrediuntur, et Petrus una die quinque millia hominum, alia die tria millia hominum de Judæis ad Christum convertit. Quibus gestis, aiunt apostolis: « Absit ut domina nostra Christi sponsa pedes amplius gradiatur! Quæramus ei animal, quo subvehentes, celerius et honestius, quocunque eundum ei est, deferatur. Sed hic non erit equus, qui anima superbiæ et discordiæ est, nec asinus, quia fatuus et immundus, sed mulus, quia firmiter et mature graditur. » Mulus itaque sponsæ datur, quia populus ex Judæis et gentibus ad finem conversus est. Sicut enim mulus ex diversis animalibus nascitur, sic primitiva Ecclesia ex diversis populis collecta est, videlicet ex Judæis e[t] gentibus, ex præsumentibus vel desperantibus. Christus enim diversis et contrariis infirmitatibus laborantes miro modo sanavit, et uno medicamine, id es[t] cruce sua; nimis confidentes et desperantes fuerunt et adhuc sunt qui dicunt, « re mea conceptus sum, » et « nulli nunquam per vim rapui, » et similia, e

« quid est quare de vita desperem et gehennam timeam ? » Sed si attendant quod Christus, qui peccata non fecit, nec inventus est dolum, et cætera, morte tamen turpissima, id est cruce vitam finivit, deficiunt a superbia sua, et timore contriti, ad humilitatem et ad communicandum passionibus Christi convertuntur. Sed iterum qui tot et tantis facinoribus sunt nquinati, ut sibi indulgeri diffidant. Sed si isti atendant quod Christus non pro se, sed pro peccatoibus sustinuit, spiritum sumunt, et a desperatione anantur. Itaque Christus cruce sua et præsumentes anat, quia innocens passus est, et desperantes, quia ro peccatoribus sustinuit. Et ex his diversis peccaorum generibus Ecclesia congregata mulus est, quem postoli præparant sponsæ, et in talibus quiescenti t per eos ad diversa progredienti, dat cacar unum, cilicet amorem sponsi, quo suos proficere compellat. atum et flagellum, quo retro percutiat, quia pro erpetratis iniquitatibus anxiantur. Multiplicata t dilata sancta Ecclesia apostoli peracto agone sui ertaminis de vita discedentes eam matyribus reendam committunt. Illi autem pro ea viriliter deertantes et in defensione ejus sanguinem fundens, dicunt : « Apostoli dominam nostram mulo uno onantes, æquum est et nos in ornatum ejus et decom aliquid conferre, et quia jam ætas incaluit, grosoribus indumentis non est oneranda, novum aliquid cimus ei decorum, et subtile varium scilicet manllum rubea purpura coopertum. » Varium istud antellum sunt martyres sancti, ex parte virgines, uod significat album varii, ex parte vidui vel conjuti, qui significantur medio colore varii, rubeum pponitur, quia pro Christo trucidati, sanguine aserguntur. Et hi suis temporibus rexerunt viriliter cclesiam, provexerunt et multiplicaverunt. Quius discedentibus, successerunt sancti doctores et agnifici confessores, Ambrosius, Hilarius, Auguinus, et similes. Videns autem diabolus aperto llo quod contra Ecclesiam tempore apostolorum et artyrum gesserat, se nihil profecisse, sed jam trilationibus magis crevisse et profecisse, ad fraudutas et occultas persecutiones convertitur, sed ut iquos ex membris ejus seducat, per quos negotium æ malitiæ tanto efficacius quanto occultius peragit. struxit itaque suis artibus Arium, Pelagium Foum, et his similes, qui ministros Christi se simuntes, sponsam ejus longe in devium ducunt. Quod rcipientes sancti doctores occurrunt, disputationis confligunt, confutant hæreticos, et dominam am ad viam veritatis reducunt. Cui reductæ, quia m per deserta Arii et devia Pelagii graditur, vesejus aliquantulum attritæ erant, paludamentum famis faciunt, id est vita sua pudica et honestis rtibus eam adornant. Ecce jam victus est hostis in apertis persecutionibus et in occultis hæreticom seductionibus, nam sponsa nulla contra occurnte, cum multo comitatu graditur. Adhuc tamen luber tortuosus eam spoliare conatur, et cum in non possit, juxta viam laqueos suos parat, ibi tentoria sua erigit, et hic quidem trapezitas suos cum multo auro et argento posito sedere facit, illic autem vestivit cum multo et vario apparatu diversorum ornamentorum, alibi vendentes cibos omnium generum collocat, alibi vendentium vina et omnium potionum genera tabernas disposuit, alibi triumphales arcus gloriantium in pompa sæculari erigit, choreas puellarum, et omnia libidinum incitamenta ostendit. Qui sapiens est, cum sponsa graditur, sponsæ recta via gradienti adhæret, fatui et vecordes viam deserunt, et in tabernaculis diaboli jucundantur, et ad sponsam amplius non redeunt. Et revera multi hodie viam deserunt, et in tabernis diaboli esse jucundantur. Nam quicunque argentum diligit, auri specie capitur, et hæc Christo præponitur, in tentorio diaboli demoratur. Similiter qui veste pretiosa, qui cibis lautioribus, qui vino mellito et aliis potionum pretiosarum generibus, qui in mulieribus, qui in jocis et sæculi cantionibus delectantur, et hæc Christo præponunt, in tabernaculis diaboli est. Quid etiam dicam de illis qui cum Ecclesiam Dei regere debent, egredientes via, ea quæ in tentoriis diaboli admirantes circumspiciunt et concupiscunt, et non habentes unde cupita comparent, ornamenta sponsæ diripiunt, et in explendis malis concupiscentiis suis turpiter insumunt. Ita undique lacerata circa humeros, vix parum quid de amictu, id est paucos monachos, in quibus non est perfecta religio, et paucos regulares canonicos, de aliis fere hominum generibus fere nullos retineat eum. Hæc sponsa patiatur.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

AD.....

Post iram misericordiæ reminisci

Veniens ad nos præsentium lator H. lacrymabili nobis planctu monstravit se mentis vestræ tranquillitatem offensa gravi perturbasse, et iracundiæ calore motum se vobis non solum verbo restitisse, verum et calcaneum adversum vos irreverenter erexisse. Unde tactus dolore cordis intrinsecus, disciplinam regularem quam ipse decreveritis subire paratus est, et vobis humili devotione satisfacere, et de cætero vobis ut patri charissimo in omnibus obedire. Quia vero dignos pœnitentiæ fructus offerentem nunquam repellit Dominus, sed et angelis Dei gaudium super peccatore pœnitentiam agente, et singulare virtutis exemplar dans pœnitenti et revertenti filio in amplexus occurrit et osculum, rogamus ut ob ejus reverentiam nostræque petitionis intuitu quem repulistis aversum, conversum suscipiatis, et quia perierat mundus nisi iram finisset misericordia, iram ei remittendo, H. abbati litteris vestris significetis, qui ut quorumdam testimonio didicimus, eum si vobis reconciliatum noverit, fratrum collegio aggregabit.

EPISTOLA CCLXXXIX.

AD.....

Jucunditas mihi et exsultatio exuberat quoties obsequio famæ vos bene valere et vigere cognosco. Etenim solemne mihi est, vos ut dominum colere,

vos amplecti, vestramque promotionem et sospitatem inter meos assignare successus. Inde est ut mihi ad plenitudinem gaudii cedant, quæ circa vos prospera sunt, ad cumulum vero vos esse incolumem. Mendacii arguar si frustra postulatis a me, quod possit et expediat amico erogari. Interim rogo ut ad me vestra transferatur pagina, qua mysterium vestræ voluntatis et salutis agnoscam.

EPISTOLA CCXC.

AD.....

Hospitium in se Domino laudabiliter exhibere.

Benevolentiæ vestræ, frater charissime, gratias affectuose referimus, quod petitionem nostram quocunque processerit tramite, benigne tamen exaudire voluistis. Nos tamen nostram perscrutantes undequaque conscientiam, in nobis, adversum vos nihil penitus odii, nil amaritudinis aut simulationis, aut versutæ duplicitatis, Deo teste reperimus. Sed simpliciter ambulantes, quod vobis, quod domui vestræ honestum sperabamus et utile, nulla mentis elatione, nullo prælationis fastigio aut exactione aliqua, sed fraterna solum charitate postulare curavimus. Equidem fratrem vestrum R. diliximus, et in negotiis vestris quæ sedule gessit apud nos, sustinuimus, attendentes quod ejus opera Dominus benigne dirigeret. Hoc ipso gavisi sumus. Quod si faciem vestram altiore fortasse consilio a nostra petitione averteritis, nos, quia charitas alligari non potest, ipsum quocunque eum traxerit obedientia, amore saltem prosequemur.

EPISTOLA CCXCI.

AD.....

Dum vices agimus Wigorniensis Ecclesiæ, dum onus ejus, etsi inviti sustinemus, utique Domino delinquimus, ni parachianos ejus et filios super his quæ ad salutem sibi sunt, cum id expetit ratio, commoneamus. Inde est quod celsitudinem vestram diligenter obsecramus et commonemus in Domino, quatenus ecclesiam vestram de Teochesberia, quæ pro salute vestra et vestrorum manus omni die levat ad Dominum, libere sibi patrem et pastorem eligere permittatis, et libertatem quam sibi apostolica confirmat auctoritas, quamque et avi vestri et patris vestri benigna hucusque sibi conservavit pietas, nullatenus impediatis. Hoc enim vobis tam periculosum est et vestræ saluti contrarium. Ex eorum namque privilegiis intelleximus quod omnes qui libertatem hanc vi aut metu aut machinatione quacunque impedierint, apostolica ligat auctoritas durissime, et eos Satanæ in interitum carnis traditos a corpore et a sanguine Domini nostri Jesu Christi, nisi condigne pœniteant, prorsus reddit alienos. Quod ne unquam devolvatur in vos rogamus et monemus et vera utique charitate consulimus, quatenus offensam habeat iram declinando, Deo quæ Dei sunt reddatis, et quæ divina sunt divinitus administrari permittatis. Ut cum debitam Deo reverentiam et in hoc et in aliis exhibueritis, ipse vos et in temporalis vitæ hujus cursu conser- A vel, et post hujus elapsum vitæ una cum suis debita obedientiæ et pietati mercede remuneret.

EPISTOLA CCXII.

AD.....

Talentum vobis, charissimo, commissum est quod augere et in multorum commoditates expendere discretioni vestræ necessarium est, aut cum illud multorum subveniendo necessitatibus adauxeritis, mercedem in centuplum a Domino in illa die reportetis. Talentum hoc, id est domini nostri regis vobis a Domino concessa familiaritas quam si quis auro comparet, pretiosior est, et recte quantacunque pecunia longe carior æstimatur; — talentum hoc ut fideliter erogetis opus est, ut ipsum de sublevanda oppressorum miseria frequenter et sollicite commo- B neatis, et in hoc non opportuna solum, sed et importuna si id pietas exigat, instantia perseveretis, ut et ipsi meritum apud Dominum collocetur, e[t] apud homines gratia vobis non modica ex studiis hujusmodi cumuletur.

EPISTOLA CCXCIII.

AD.....

Esse me sanum noveris et incolumem tuumqu[e] affectuose desiderare colloquium, ut percipiam e[x] amici præsentia quod affectat plurimum anima mea. Solatium, quod variis rerum perpenditur eventibu[s] quod corporalis alterutro nobis absentia subtrahi[t] id quæso charitas illa suppleat quæ nescit absentiam, quæque ipsum quem diligit sibi semper i[n] spiritu novit exhibere præsentem. De cætero, Wi[l]- C lelmi filii R. prece pulsatus benevolentiæ in B. pre[ces] offere compellor, quatenus B. ad diaconatu[s] ordinem promotum tandiu ad sacerdotium prom[o]vere velis. Quod amore Dei et petitionis meæ com[]plendo, et ipsum orationis obnoxium meque ti[bi] gratiæ ut in omnibus exhibebis.

EPISTOLA CCXCIV.

AD.....

Moris esse solet amantium, ut rei dilectæ menti[o]nem nunquam audire fastidiant, qui, potius e[x] ipsa confabulandi frequentia, humanus affect[us] circa rem quam diligit, amplius inardescat.

Quæ ad honorem Dei et utilitatem sanctæ E[c]clesiæ in usus pauperum devotione fidelium co[l]lata sunt, eis nequaquam cuiquam temerita[te] D sunt auferenda, sed eis potius observanda sunt augenda.

Ex quo vestræ personæ notitiam habuimus, vob[is] propensiori charitate adhæsimus, et ad vestru[m] honorem quoties se opportunitas obtulit, atten[ta] sollicitudine operam dedimus. Inde est, quod [] quæ litteraturæ et honestati vestræ honores acc[u]mulare videntur, discretioni vestræ confident[er] suggerimus. Rogamus itaque omnifarie et mon[e]mus diligenter, quatenus D. diligatis, et ad ipsi[us] profectum totis viribus intendatis. Siquidem plu[ri]mum commendationis et favoris vestra consequet[ur] honestas, si tantæ honestatis et tam profundæ l[it]teraturæ virum, quem eloquentiæ pulchritudo []

nustat Ecclesia Londoniensis acceptum habet, et valde commendat, charum habueritis et studueritis exaltare. Provideatis ergo ei quemadmodum deceat dantem et accipientem, ne forte si ejus tam laudabilia merita irremunerata remanent, famæ vestræ inde merito detrahi posset.

EPISTOLA CCXCV.

AD . . . . .

Cum hactenus apud clementiam vestram facilem votorum nostrorum obtinuerimus effectum, evidenter conjicimus ex præteritis, quod sperare debeamus de futuris. Hinc est quia de benignitate vestra simul et dilectione confisi, liberalitati vestræ devotissime supplicamus, quatenus pro amore Dei et nostræ si placet precis intuitu, opere complere velitis quod ore promisistis. Exsultat siquidem spiritus [B] noster in Deo salutari nostro quia respexit et visitavit vos Oriens ex alto. Cui gratia ago quod zelum pœnitentiæ inspirare vobis sua dignata est clementia. Impulsus eratis machinatione diaboli ut caderetis, et per Spiritum sanctum suscepit vos dextera Domini.

EPISTOLA CCXCVI.

AD . . . . .

Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod go Gilbertus Londoniensis episcopus dedi Willelmo oquo, servienti meo, pro servitio suo, totam illam erram de antiquo managio apud Fuleham, quæ acet circa ecclesiam, sicut illa divisa est per fossam, hinc a virgulto episcopi, inde a via publica, uæ descendit in Tamisiam. Hanc autem dedi illi [C] enendam de me et successoribus meis libere et æreditabiliter, pro una libra piperis annuatim, ad estum Sancti Michaelis exinde solvenda. Quod, uia firmum et inconvulsum manere volo, præsenti cripto et sigilli mei attestatione confirmo. His tetibus...

EPISTOLA CCXCVII.

AD . . . . .

G. Dei gratia Londoniensis episcopus. (*Linea seuens in litura est.*)

Audio te Siculas, frater, olfecisse divitias, fulvi ue metalli nuper afflatum aura, in externas non ım animo solum, sed et corpore tendere nationes. uain re quis sis quamve turpiter ambias, eviden rostendis, qui fractus animo vel pertæsus inediæ [D] ivitias tibi, ipso vel animæ tuæ dispendio misere omparare disponis. Fortunam Crassi legisti, qui ibendo quod sitiit, ignominiosa morte male satur, ecubuit. Tu quoque non ditescere, sed statim dives sse desiderans, mavis in mortem dives impingere iam momento temporis quod desideras id non esse. nde ne in mortem insalutatus exeas, nolenti jam dutem verbum tibi salvationis emisi, si quo tanm modo resipiscas, si memor affectionum, si meor patriæ, si parentum, si societatis et gratiæ, uli cæcutientis ophthalmium manu tandem disetionis abstergas, et desperationis foveam, in iam ignavia te pertrahente corruisti, tam pruden

[A] ter quam fortiter exiens, de bono Jesu qui dat omnibus affluenter, et non improperat, nihil hæsitans cum magna spei certitudine ad nos reditum maturare contendas.

EPISTOLA CCXCVIII.

AD . . . . .

Pro litteratis et honestis viris attentius intervenire, et eorum commodis diligenter intendere, sacerdotalis officii cura nos admonet, et debitum exigit charitatis. Inde est quod dilectionem vestram de qua plurimum confidimus, cum omni sedulitate rogamus, quatenus R. archidiacono jamdudum clerico et amico nostro, ecclesiam Sancti Joannis, quam sibi a Lamberto cessam esse accepimus, concedatis, et inde vobis eum clericum devotum et fidelem, nostrarum precum interventu constituere procuretis, ut de vestræ dilectionis effectu, cum ampliori præsumptione de cætero possimus confidere et eam exinde debeamus ex meritis commendare. Quidquid enim humanitatis et gratiæ nostræ præsertim petitionis obtentu, ei a vobis impensum fore noverimus, non aliter quam nobis impensum gratum habebimus et acceptum. Valete.

EPISTOLA CCXCIX.

AD . . . . .

Inter mundi hujus varietates, illuc dirigere mentis intuitum, ubi nullum est varietatis periculum.

Quos honestas vitæ commendat ad gratiam, et piis meritis jam diu declarata religio, hic apud serenitatem vestram et conversationis honestæ testimonium perhibere justum est, et ut in justis petitionibus suis a vestra gratia clementer exaudiantur, devote porrectis precibus exorare. Ecclesia siquidem Sanctæ Trinitatis, quæ a bonæ memoriæ Mathilde, dudum Angliæ regina, Londoniæ ædificata est, et honesto canonicorum regularium conventu nobiliter instituta, ab ipsa sua fundatione usque nunc et plenitudine charitas et suscepti a se ordinis observantia, late claruit, et odoris boni suavitatem emittendo ex se, cæteris sui ordinis ecclesiis velut speculum quoddam et defæcatæ religionis exemplar emicuit. Quæ cum ad præsens in oborta sibi necessitate, interposita appellatione confugerit ad vos, cum postulante petimus, cum supplicante postulamus, ut directum ad sanctitatem vestram ejus nuntium benigne suscipiatis, et ne possessionis suæ qua multorum necessitati subvenit, detrimentum sustineat, quantum permiserit justitia, paterna, si placet, gratia provideatis.

EPISTOLA CCC.

AD . . . . .

Salutem et debitum cum omni devotione famulatum.

Dilectio, dilectissime, et honoris exhibitio, quam a multis retro annis mihi impendere non destitit excellentia vestra, eam in vos affectionem meam promeruerunt, ut et quæcunque vestris seu vestrorum commodis aut honori credimus expedire, omni studio et conamine tanquam propria negotia

merito debeam procurare. Inde siquidem est, quod A si dominus abbas sollicitudinem vestram circa negotium hoc affectuosam compererit, nec volet, ut credo, nec audebit vestræ contraire voluntati. Eo etiam studiosius huic negotio insistere debeatis, quod alii istius exemplis incitati, libentius se vestris consiliit committent, qui istum viderins in jus suum vestro juvamine esse promotum. Valete.

EPISTOLA CCCI.

AD . . . . .

Quo penes vestram dilectissime, celsitudinem nostra fere nulla sunt merita, eo beneficium gratius æstimabatur, quod munificentia vestra solis inclinata precibus exhibebit. Lator hic præsentium, affinis et familiaris noster, tuitioni vestræ per nos B commendari desiderat, sperans sibi successum optime, si vobis obsequentium eum numero velitis ascribere, et eum vero multa et animi liberalitas, et litterarum copia commendat ad gratiam, ut quod alio petente cupit assequi, in id sit ipse propter se dignus admitti. Quem cum prece nostra juveritis opemque sibi in necessitate contuleritis, et ipsum servitio obnoxium, et nos vobis amplioris gratiæ debitores efficietis.

EPISTOLA CCCII.

AD . . . . .

Si de vestra in nos benevolentia confidimus, nostra non id exigunt erga vos merita, sed operatur sola vestra liberalitas et gratia. Vos tamen in pro certo nosse volumus, quod servitio vestro animo C promptissimo parati sumus. Idem vero de gratia vestra sperantes, affectuose rogamus, ut negotium amici nostri, præsentium laboris, R. diligenter audiatis, et illud per servitium suum apud D. regem promovendo, nos et servitii et gratia debitores habeatis. Valete.

EPISTOLA CCCIII.

AD . . . . .

Quoniam generatio transit, et generatio advenit, et quod a transeuntibus geritur a succedentibus, nisi certis indiciis elucescat, ratum non tenetur, utile duximus rerum gestarum series litterarum testimonio et sigilli impressione confirmare. Sciant ergo universi :

Infortunio pauperum amicorum affectu pietatis condescendere ; D

Sacro proposito firmiter adhærere ;

Perfectam dilectionem cum debita subjectione;

Magis sperare in Domino quam in homine.

Apud Deum adoptari in filium.

Satagendum nobis est et procurandum sollicite ne lites in nostra decisæ præsentia, ulla possint iterum occasione in controversia denuo suscitari.

EPISTOLA CCCIV.

AD . . . . .

Lator præsentium A. honeste apud nos conversatus a nobis susceptus est in clerum, et ad diaconatus gradum canonice promotus. Quem quidem litterarum studia ad vestram usque provinciam secutum, vestræ, ut asserit, mores gentis et amicitia sancta eatenus devinxerunt, ut natale solum tanta cupiat compensare dulcedine, et ibidem nostra cum licentia conversando, vitæ consummare curricula. Illius ergo votis et precibus tandem acquiescentes, ad sublimitatem vestram cum hujus scripti testimonio eum transmittimus, rogantes quatenus ob amorem Dei et reverentiam suscepti ordinis, ipsum benigne recipiatis, et in ordine suo apud vos ministrare permittatis, et si vitæ honestas meruerit, ad ulteriora velitis promovere, quem liberum et a nostra de cætero subjectione absolutum, vestræ, si placet, obedientiæ deservire permittimus. Valete.

EPISTOLA CCCV.

AD CLER. ET LAIC. LOND.

G. Dei gratia Londoniensis episcopus, dilectis sibi in Domino, clericis et laicis per episcopatum Londoniensem constitutis, salutem, gratiam et benedictionem.

Pium est, fratres charissimi, operibus misericordiæ ad propositum charitatis sic properare stadium, ut tempore messionis æternæ, salutis optatæ bravium comprehendamus, sic dum vivitur seminare, ut multiplicato fructu exspectatæ jucunditatis stolam excipiamus. Unde vos attentius exhortamur in Domino, quatenus promissæ remunerationis fiducia, cura propensiori piis actibus indulgeatis, inter quos eleemosynarum lucet largitio quæ peccatorum delet offensa, quæ dilectionis Dei et proximi nobis lumen infundit. Cum itaque leprosi Sancti Leonardi de Northamtonia, non solum corporis intorerabili torqueantur cruciatu, verum extrema laborare dignoscuntur inedia, pro eis universati vestræ supplicare, pietatis affectio nos impellit, quatenus per hunc latorem præsentium, eorum nuntium, de facultatibus vestris aliquam portionem ad eos mittentes, eorum relevetis miseriam, et quod propriis non possunt, vestris impendiis adjuti, quod ad miserabilem victum sufficiat, per vos habere se gaudeant. Nos vero de Dei confisi misericordia, his qui saltem modicum jam dictis fratribus erogaverint, viginti dies relaxamus, et honorem omnium quæ in nostra fiunt Ecclesia, participes constituimus. Valete in Christo.

EPISTOLA CCCVI.

AD. . . . .

Pastoralis officii nos admonet auctoritas, singulari cura prospicere, ne lites coram nobis transactione sopitas, in jurgia suscitet litigantium perversitas, et quod utiliter est ordinatum, iterato revocetur in dubium. Ut igitur plenum robur obtineat compositio inter M. et A. mutuo consensu inita, nos eam litteris mandare decrevimus, quæ in præsentia nostra tandem hoc fine conquievit. Nos itaque hanc conventionem non solum injuncta nobis auctoritate approbamus, verum etiam sigilli nostri appositione communimus, fraternitatem vestram

rogantes attentius, ut vestrum in his assensum A præbeatis et auctoritatem.

(*Multa in hac epistola desunt.*)

EPISTOLA CCCVII.

AD......

Qui ad cœlestem patriam pervenire desiderant, opus est ut misericordiæ operibus diligenter intendant, et de facultatibus sibi a Deo collatis, pauperibus, et præcipue piis locis ignis incendio vastatis, eleemosynas largiantur. Unde nos de salutis vestræ profectu, ut justum est, solliciti, universitatem vestram rogamus, monemus et exhortamur in Domino, quatenus operationi ecclesiæ Sancti N. aliquod auxilium conferatis, ut tam per hæc quam per alia bona quæ in hac vita feceritis, ad gaudia æterna B feliciter pertingere valeatis. Valete.

EPISTOLA CCCVIII.

AD....

Vir honestæ eruditionis et illibatæ opinionis lator præsentium R. nostris apud benevolentiam vestram se postulat precibus adjuvari. Cui cum in petitione probabili deesse nec possumus nec debemus, liberalitatem vestram exoratam habere desideramus, pro eo et cum eo rogantes, quatenus pietatis intuitu et precum nostrarum interventu eum in petitione sua exaudiatis, et negotium ejus quod penes vos est, charitate promoveatis, ut ipsum vobis obnoxium servitio, et nos gratiæ debitores constituatis.

EPISTOLA CCCIX.

AD....

Salutem et gaudere semper in Domino.

Licet omnibus quos fidei Catholicæ commendat religio, benefacere debitores sumus, his tamen propensius intendere pietas hortatur, qui, Judæorum spreta perfidia, sacra baptismatis unda renati, Jesu Christi fidem nudi plus eligunt, quam ut caducam habentes opulentiam occidentem legis litteram sectari velint. Et ne rectitudinis zelum in bonæ voluntatis voto quotidianæ necessitatis turbet instantia, eo solertius providendum, quo timetur justius, ne in neophitis eruditionis novæ planta macescat citius, quam in manentem charitatis radicem solidetur. Unde vestram, in Christo dilecti, exhortamur charitatem, ut in latorem præsentium ad fidem Christi Londoniæ noviter conversum, oculos misericordiæ et pietatis viscera benignius intendatis, D quatenus fraternæ charitatis in eum exhibita devotio eum tam novellum adhuc ad susceptæ gratiæ, summam fortius augeat, et ad idem alios invitet. Nos autem his qui remunerationis æternæ intuitu, huic Nicolao aliquam de facultatibus suis portionem ad relevandam ejus tenuitatem dederint, de Dei misericordia et apostolorum Petri et Pauli intercessione confisi, de injuncta sibi pœnitentia viginti dies relaxamus, et orationum et beneficiorum quæ in nostra fiunt Ecclesia, participes constituimus. Valete in Christo.

EPISTOLA CCCX.

AD.....

..... Et ut conventio hæc inter eos illæsa conservetur, eam præsenti scripto et sigilli nostri appositione confirmamus.

EPISTOLA CCCXI.

AD....

Gratum mihi, Pater charissime, munus existimo, quoties directis a sanctitate vestra litteris, quæ circa vos sunt, statu perseverare incolumi, recognosco. Exsultat siquidem spiritus meus, et diem sibi festum agit homo meus ille interior, cum amicum meum dominumque charissimum sanum et incolumem, et in cunctis agentem prospere litteris aut nuntio de vobis læta referente intelligo. Agit hoc illa charitas in virtutibus obtinens principatum, quæ amicorum mentes insolubili sibi lege confœderans, locali distantes spatio unit spiritu, affectione conjungit, et absentes sibi præsentes assidue potenter intus operante virtute, constituit. Hæc a memoriæ meæ pagina deleri non poterit, hanc nulla rerum vicissitudo perturbabit, quin vestris maneam et devotus obsequiis et promptus obedire mandatis. Valete.

EPISTOLA CCCXII.

AD.....

Quæ ad honorem Dei et utilitatem sanctæ geruntur Ecclesiæ, justum est firma consistere, et suis radicibus inconvulsa permanere. Inde est quod conventionem inter A. abbatem Sanctæ Osythæ et C ejusdem Ecclesiæ conventum, et G. Londoniensis Ecclesiæ thesaurarium, super Ecclesia de Simin habitam, nos quia Deo placidam et Ecclesiæ sanctæ commodam attendimus, sicut chirographo inter eos conscripto, et sigillis eorum utrinque firmato, concepta est, approbamus, et concessa nobis a Deo auctoritate roboratam, ut in posteris inconvulsa permaneat, sigilli nostri attestatione firmamus.

EPISTOLA CCCXIII.

AD.....

Salutem, et honoris debiti reverentiam.

Justis postulantium desideriis assensum præbere justum est, quoties petentium vota a rationis tramite non discordant. Religiosam itaque fratrum de Dunestaple attendentes affectionem, circa personam dilecti filii nostri canonicique vestri, domini T. cujus mores honestatem redolent, et prudentia virtutem sapit, benignum eorum petitioni assensum præbuimus, ipsumque ab ea qua nobis tenebatur obedientia absolutum, in ministerium ad quod a Domino concordi fratrum electione vocatus est, liberum concedimus, ut ecclesiæ Lincolniensis de cætero pareat et ejus mandatis et monitis, ut justum fuerit, acquiescat. Unde ne a vestro, quod absit! capite recedatis, ne in communem etiam legem fraternæ charitatis offendatis, mandamus vobis, et consulimus, et quæ nobis a Domino commissa est, episcopali auctoritate injungimus ut quod a nobis actum est ratum habeatis, ipsumque

ab ea qua vobis tenet obedientia absolutum, pie A postulantibus concedatis, ut a Domino gratiam et debita charitatis præmia percipiatis.

EPISTOLA CCCXIV.

AD.....

Quæ donantur Domino, charissimi, donanti nequaquam pereunt, sed juxta vocem Domini, ei a quo donata sunt amplissime remuneranda conservantur, [et] mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem conferent in sinum vestrum. Nos itaque de salutis vestræ profectu solliciti, charitatem vestram commonemus in Domino quatenus [ad repar]ationem ecclesiæ Beati Ivonis, et ad ref[iciendum] ejusdem villæ pontem et calcedam, ubi dis[junctus] admodum est commeantium transitus de [facul]tatibus vestris aliquod auxilium B conferatis, et [Deum in] sanctis suis honorando, divinam vobis [gratiam] et peccatorum veniam acquiratis. Omnibus vero [qui ad præ]taxatum opus aliquid ob Deum hortat.... contulerint, de Domini confisi misericordia, de in[juncta] sibi pœnitentia, decem dies relaxamus, [et] bonorum omnium quæ in nostra fiunt Esclesia [et orati]onum participes constituimus. Valete.

EPISTOLA CCCXV.

AD.....

Noverit dilectio vestra, charissime, me in omnibus vestro gratanter pariturum servitio, et si [quid] forte immineret, sponsioni respon[debit de] vota operis exhibitio.

EPISTOLA CCCXVI.

C

AD......

De benegnitate vestra simul et dilectione paternitati vestræ pro latore præsentium N. pre[ces hu]miles et devotas porrigimus, impense rog[antes], ut si placet precis intuitu benigne s[uscipiatis et] clementer exaudiatis. Quidquid autem in oc[ulis vestris] gratiæ et benignitatis invenit, nobis indultum [reputetis].

EPISTOLA CCCXVII.

AD......

Lator hic præsentium, zelum ut fatetur habens aliquando sine scientia, patrem quondam suum Simonem secutus, a cœtu vestro, quod modo lacrymabiliter deplorat, minus considerate discessit. D Qui modo compunctus est conversus ad cor, rerum edoctus experientia quam grave sit a fratrum unitate sejungi, pulsat et suspirat ad vos, supplicans et totis animæ viribus expetens ut misericordiæ sibi januas aperiatis, et ipsum utpote de cætero prudentius et perfectius obediturum, intra numerum vestra admittatis. Unde quia revertenti nunquam sinum claudit Ecclesia, magis super uno gaudens converso ad pœnitentiam, quam super multis qui pœnitentia non indigent, cum pulsante pulsamus, cum supplicante preces effundimus, quatenus amore Dei, fraternæque charitatis intuitu, iram si qua adversus eum concepta est, de corde sibi remittatis,

et petitionem tam ejus quam nostram, si absq… læsione ordinis vestri fieri potest, et sine scandal… clementer exaudiatis. Valete.

EPISLOLA CCCXVIII.

AD.....

Salutem et pronum devotæ fidelitatis obs… quium.

Vetus est et antiquum: Qui confidenter dili… loquitur confidenter, nec de ejus affectu hæsita… qui potest, cujus sincera dilectio omnem sus… cionis fæcem eliminat. Unde est quia preces vestr… negare non possumus, præsertim ubi vos vin… instantia, et magna intercedit auctoritas et dilect…

EPISTOLA CCCXIX.

AD.....

De vestra, domine, confisus liberalitate, obn… vestræ supplico paternitati, quatenus ut vobis… omnibus ex devoto devotior existam, ad eccles… vestrœ beneficium aliquod vestra me vocare dig… tur excellentia, quod vobis honestum sit dare,… mihi a vestra suscipere largitate.

EPISTOLA CCCXX.

AD......

Quod aliquid a bonitate vestra postulare p… sumo non præcedentium confidentia meritoru… sed vestræ benignitatis facit intuitus.

EPISTOLA CCCXXI.

AD.....

Graviter, ut audio, delinquis, qui manus tuas… decimas ecclesiæ quæ ad solum jus divinum pe… nent, manum mittere non formidas. Unde … mando, et super Christianitatem tuam injungo, q… tenus decimas ad ecclesiam de Fuleham pertinen… sibi sine dilatione restitui facias, ne si eas inj… detinueris, iram ex hoc Dei incurras, et sententi… in te quam mereris excipias.

EPISTOLA CCCXXII.

AD......

Cum singulæ virtutes, charissimi, acceptentu… conspectu Dei, nulla magis Deo placere legitur qu… eleemosyna. Scriptum namque est: *Date eleem… nam*, dicit Dominus, *et omnia munda sunt v…* (*Luc.* XI). Quicunque igitur Deo placere deside… ex beneficiis sibi divinitus collatis, pauperibus… gare alienis necessitatibus subvenire intendat,… Domino ob ipsos collata, die illa in centuplum r… pere valeat. Unde quia ex injuncto nobis off… vestri curam gerimus, vestram studiosius frate… tatem commonemus, quatinus ut et eleemos… vestra pluribus in exemplum boni operis pa… attendatis.

EPISTOLA CCCXXIII.

AD.....

Nonnullis innotuisse credimus, quanto fovea… solatio pauperes Christi divertentes ad hospi… juxta Sanctum Bartholomæum in Londonia… tantis egeat domus illa, quæ tot millibus sing… diebus est necessaria et solatium ministrat uni… sis. Hujus ergo tam religiosæ domus intuitu, …

versitatem vestram hortamur attentius, rogantes et obsecrantes in Domino, et in remissionem vobis injungentes delictorum, quatenus latores præsentium, nuntios et procuratores illius venerabilis loci benigne inter vos ad seminandum Dei verbum recipiatis, et fratribus qui ibidem sunt, divinis mancipati obsequiis, per vos et per commissos vobis populos, beneficia et eleemosynarum largitione misericorditer subveniatis. Nos quoque de divina confisi misericordia, omnibus qui pro a [more] Dei aliquod illi domui beneficium contulerint, omnium orationum et beneficiorum Londoniensis Ecclesiæ concedimus participationem. Valete.

EPISTOLA CCCXXIV.

AD. . . .

Gloria et honore in perpetuum coronari.

Latorem præsentium, filium nostrum B. honeste quod ad conscentiam nostram conversatum apud vos, charitati vestræ commendamus attentius, preces in hoc devote porrigentes, ut eum tanquam devotum filium cum gratia suscipiatis, et nostræ petitionis intuitu de chariore chariorem habeatis, ut nos ex hoc et dilectionis et amplioris gratiæ debitores habeatis.

EPISTOLA CCCXXV.

AD. . . .

Universitati vestræ præsenti scripto notifico me ecclesiam de Wicham cum capella sua, ecclesia videlicet de Langeforde, cæterisque omnibus ad eam pertinentibus, H. clerico in eleemosynam concessisse, ipsumque in eisdem ecclesiis personam, ea quæ nobis a Deo concessa est auctoritate constituisse. Quod ne revocari possit im dubium, paginæ præsentis inscriptione, et sigilli mei appositione testificari pariter et confirmare curavi.

EPISTOLA CCCXXVI.

AD. . . .

Quia piis desideriis pronum adhibere debemus assensum, universitati vestræ præsenti scripto notificamus, nos ex concessione nobilis feminæ, Ceciliæ videlicet Talbot, ecclesiam de Feenges, quæ in ejus matrimonio sita est, ecclesiæ Beati Jacobi supra pontem Rothomagi et fratribus et infirmis in eadem commanentibus, et jugem Domino famulatum exhibentibus, ea qua permittente Domino fungimur auctoritate, in perpetuum eleemosynam concessisse, et venerabilem fratrem nostrum Herbertum ipsius ecclesiæ Sancti Jacobi priorem, in ea personam ipsius ecclesiæ Sancti Jacobi nomine, debita solemnitate constituisse. Quod ne deinceps revocari possit in dubium, aut aliqua forte machinatione convelli, præsenti scripto confirmamus, et sigilli nostri appositione corroboramus, et qui funiculus triplex non facile rumpitur, donationem hanc primo jam dictæ ecclesiæ, deinde nostra, postmodum sancti Thomæ dudum Cantuariensis archiepiscopi charta, firmatam in perpetuum valituram, Domino juvante, confidimus. His testibus.

EPISTOLA CCCXXVII.

AD. . . .

Infirmorum apud Colecestriam diuturna ægritudine laborantium egestati condolentes, dilectam nobis in Domino benignitatem vestram rogamus, et attentius exhortamur in Domino, quatinus amore Dei et pietatis intuitu, nuntios et procuratores eorum, cum ad eos declinaverint, ob animarum vestrarum remedium benigne recipiatis, et eorum paupertatem eleemosynarum vestrarum largitione prout vobis Deus inspiraverit, sublevetis. Omnibus vero qui de peccatis suis confessi fuerint, et eis manum misericordiæ in aliquo impenderint, de Domini confisi misericordia, de injuncta sibi pœnitentia xx dies relaxamus, et orationum et beneficiorum ecclesiæ nostræ participes esse concedimus.

EPISTOLA CCCXXVIII.

AD. . . .

Tutum, fratres, reputamus et utile, litterarum monumentis excipere, quæ paci inter personas ecclesiasticas reformandæ, vel firmius in posterum conservandæ certum fuerit expedire, ne quæ conniventia judicum et assensu partium transactione vel amicali compositione ad pacem redacta fuerint, a memoria, tractu temporis evanescere, aut in litem redivivam iterato contingat exsurgere. Hinc quod controversia... *Cætera desunt.*

EPISTOLA CCCXXIX.

AD. . . .

Præfatio in librum Homiliarum.

Habes, frater, quod optasti, quod pulsanti jam diutius charitas ultra negare non potuit. Intus enim positus, etc. *Vide Opera exegetica Gilberti inter Patrologiæ tomos proxime edendos.* EDIT. PATR.

Gilberti epistolam CCCXXX, *ad suffraganeos Cantuariensis Ecclesiæ, de electione Urbani III papæ, quæ editione De Gilles loco suo exciderat, sub num.* 196 bis *supra reposuimus.* EDIT.

EPISTOLÆ CCCXXXI-CCCLXXX.

ALEXANDRI III papæ ad Willelmum et Ottonem cardinales epistolæ tres, ad Albertum et Teodwinum cardinales, *de reconciliatione Cantuariensis Ecclesiæ*; ad eosdem, ad Bituricensem archiepiscopum et Niversensem episcopum, ad Thomam Cantuariensem archiep., *de canonizatione Anselmi*; ad eumdem, ad diversos suffraganeos Cantuariensis Ecclesiæ, ad Cantuar. archiep. et suffraganeos epistolæ quinque, Cantuar. archiep. et Gilbertum, ad monachos et canonicos Cantuar., ad W. priorem et capitulum Cantuar., ad Ricardum Cantuar. archiep., ad Rogerium Eborac. archiep., ad eumdem, ad... *de dignitate Ecclesiæ Eboracensis*; ad Potrocum Rothomagensem archiep., ad episcopos Angliæ, ad Aurelianensem episcopum, ad Bartholomæum Exoniensem episc., ad eumdem et Simonem abbatem, ad Lincolniensem archidiaconum, ad Gilbertum London. episc., ad eumdem, ad eumdem et R. archidiac., ad eumdem epistolæ quatuor, ad Willelmum Norwicensem, episcopum, ad eumdem, ad Rogerum Wigorniensem episc.,

ad eumdem epistolæ tres, ad Simonem abbatem S. Albani, ad abbatem et monachos S. Andreæ, ad abbates et fratres Cisterc. in Anglia constitutos, ad Rogerum abbatem monasterii de Ibreio, ad monachos S. Mariæ de Laurentio, ad abbatem et fratres de Neubothe, ad Henricum regem, *de Thoma Becquet* (spuria); ad eumdem, ad Ludovicum Franc. reg.

(*Vide in* ALEXANDRO III, *an.* 1159—1181.

EPISTOLA CCCLXXXI.

URBANI III PAPÆ AD B. CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM ET OMNES EPISCOPOS IN ANGLIA CONSTITUTOS.

De electione sua.

URBANUS episcopus, etc.

Cœlestis altitudo consilii, etc. *Vide in Urbano* III *papa, an* 1185-87.

EPISTOLA CCCLXXXII.

HONORI TERTII PAPÆ EPISTOLA AD UNIVERSOS CHRISTIANOS PER ANGLIAM CONSTITUTOS, DE TRANSLATIONE BEATI THOMÆ.

HONORIUS episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, nobilibus et aliis per Angliam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Rex cœlestis, Dominus Angelorum, regnum Angliæ cæteris altius nostris temporibus honoravit, et speciali quadam prærogativa gentem Anglicam insignivit, dum mundo posito in maligno, et malitia hominum excrescente, virum sibi exinde sine macula præelegit, qui non solum in tempore iracundiæ reconciliato factus est ut sacerdos, verum etiam ad cœleste convivium invitatus, illum saporare meruit, quem liberat Dominus calicem passionis. Et quia inventus dignus Deo, coronavit eum gloria et honore, coronam ipsius capiti superponens de lapide pretioso, ut sic unus ex Anglicis inter angelos super opera manuum Domini constitutus, pro peccatis populorum omnium fieret intercessor. Cantet igitur novum Domino canticum felix Cantuariensis Ecclesia, cujus aram suo purpuravit pretioso sanguine martyr Thomas. Quinimo civitas ipsa tota potest et debet in exsultationis voce non immerito jubilare, quæ cruore roseo sui martyris rubricata, pulchra facta est et apparuit speciosa. Unde diversarum multitudine gentium ex omni fere, quæ sub cœlo est, natione celebritatem ipsius summopere venerante, quondam quasi felici præsagio suum videtur esse sortita vocabulum ex eventu, ac si dicatur expresse Cantuaria cantusare.

Vos, inquam, si diligenter attenditis hunc honorem, gratiarum actiones assiduas largitori bonorum omnium exsolvere debetis, cui vos ex impensæ benedictionis gratia terræ vestræ cognoscere potestis debitores, ut ingratitudinis evitetis vitium, et possitis devoti filii nuncupari. Et quidem omni tempore puro corde benedicere ac honorare Dominum debeatis, isto tamen præcipue vos oportet vestes induere nuptiales, et cum jucunditate in laudes vestro assurgere Creatori, cum venturæ festivitatis solemnitas id exposcat. Sane a venerabili fratre nostro Stephano Cantuariensi archiepiscopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, nuper accepimus, intimante quod idem volens ostendere in effectu, quanto devotionis fervore martyris supradicti memoriam

A veneretur, sacratissimum corpus ejus sublevare proponit de terra, ipsumque translatum honorabilius collocare, cum dignum sibi et condecens videatur illum quantum in eo est, exaltare in terra quem in cœlo Dominus exaltavit. Nos igitur pium et laudabile archiepiscopi memorati propositum acceptante universitatem vestram monendam duximus et hor tandam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus pacem mutuam et concordiam in charitati vinculo conservantes, vestras conscientias cuncti perversitatibus expietis, et sic vos in bonis studeati operibus exercere, ut cum dies ipsius solemnitat advenerit, in occursu vestri sanctissimi martyris patroni ipsum possitis honorificentia debita talit venerari, quod doceatis alios per exemplum, quan

B tum esse debeat celebris per diversa mundi climat præfati martyris memoria gloriosa.

Data Laterani VIII Kalendas Februarii, pontifica tus nostri anno tertio.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

EJUSDEM AD W. PRIOREM ET CONVENTUM CANTUARIENSE

HONORIUS papa, *etc.* dulcissimis filiis priori conventui Ecclesiæ Christi Cantuariensis, salute et apostolicam benedictionem.

Ecclesiæ vestræ, quam venerabilis martyr Th mas reddidit sui corporis sanguine decoratar illum nos decet impartiri favorem, ut sicut int alias nominis est majoris et famæ, sic apud n Romanam effetam Ecclesiam prærogativam repar gratiæ specialis: cum igitur sicut vobis referen bus intelleximus, archiepiscopi et episcopi qui

C diversis locis ad translationes corporis ipsius ma tyris convenerint, accessuris infra quintum dec mum diem ad translationis solemnitatem ejusde diversas remissiones duxerint faciendas, iisdem n ipsi dies relaxamus quadraginta de injunctis pœnitentiis, vestris vero precibus inclinati qu super hoc a vobis et ipsis factum est decrevim ad unius anni et prædictorum quadraginta dieru remissionem perpetuis temporibus valiturum. Nu ergo omnino hominum liceat hanc paginam nost concessionis infringere, vel ei ausu temerario co traire. Si quis autem hoc attentare præsumpser indignationem omnipotentis Dei et beatorum Pe et Pauli apostolorum ejus se noverit incursuru

D Dat. Laterani XV Kal. Januar. pontificatus nos anno quinto.

EPISTOLA CCCLXXXIV.

ALBERTI CARDINALIS EP. AD THOMAM CANTUARIENSE

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo ALBERTUS ca dinalis.

Gavisus est dominus papa, gavisi sunt cum ec fratres, quod pacem vobis et Cantuariensi Eccles redditam audierunt. Et ego ipse, unus exspecta

tium et gaudentium, nisi quod gaudium meum hæ- sitatio quædam de adversariorum tergiversatione proveniens suspendebat : supervenientibus autem itteris vestris, et intellecto quod plus vobis in ac- cidentibus quam in substantia sit exhibitum, magis adhuc cœpimus hæsitare : et intelleximus, quod non facile mutat Æthiops pellem suam, aut pardus va- rietatem suam. Nunc autem quia sicut homo non est laudandus in vita sua, ita nec judicandus ante empus, quemadmodum non sumus sine gaudio de hoc quod audivimus, ita nec possumus plene gau- dere propter id quod timemus. Fluctuantes igitur nter spem et timorem suspiravimus ad eum, qui potens est superabundantius facere quam petimus aut speramus, ut ipse adimpleat gaudium nostrum, et gaudium istud nemo tollat a nobis.

EPISTOLA CCCLXXXV.

EJUSDEM ET THEODWINI AD HENRICUM REGEM.

Henrico Dei gratia regi Angliæ, A. dignatione di- ina tituli Sancti Laurentii in Lucina et T. Sancti Vitalis presbyteri cardinales et apostolicæ sedis le- ati, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Ne in dubium veniant quæ geruntur, et usus ha- et, et communis consideratio utilitatis exposcit, ut cripturæ serie debeant adnotari. Inde siquidem est uod nos mandatum illud in scriptum duximus re- igendum, quod vobis pro eo facimus, quia male- ictores illos, qui sanctæ memoriæ Thomam quon- am Cantuariensem archiepiscopum occiderunt oc- asione motus et turbationis, quam viderunt in vo- is ad illud facinus processisse timetis. Super quo men facto purgationem in nostra præsentia de vo- ntate propria præstitistis, quod videlicet, nec præ- epistis, nec voluistis ut occideretur, et quando per- enit ad vos rumor, plurimum doluistis. Ab instanti quidem Pentecostes usque ad annum tantam pe- niam dabitis, unde ad arbitrium fratrum templi ucenti milites valeant ad defensionem Hierosolymi- næ terræ spatio unius anni teneri. Vos autem, a quenti Domini nativitate usque ad terminum, cru- m accipietis, proxima tunc æstate illuc in propria rsona ducente Domino profecturi, nisi remanserit r dominum papam vel catholicum successorem us. Sane si contra Saracenos in Hispaniam pro gentì necessitate profecti fueritis, quantum tem- oris fuerit ex quo arripueritis iter, tantumdem su- adictum Hierosolymitanæ profectionis poteritis olongare. Appellationes nec impedietis, nec per- ittetis impediri, quin libere fiant in ecclesiasticis usis ad Romanam Ecclesiam : bona fide, et abs- ie fraude et malo ingenio, ut per Romanum pon- icem causæ tractentur, et suum consequantur ectum. Sic tamen, ut si vobis suspecti fuerint qui, securitatem faciant, quod malum vestrum l regni vestri non quærent. Consuetudines, quæ ductæ sunt contra ecclesias terræ vestræ, tempore stro penitus dimittetis, nec ab episcopis amplius igetis. Possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si æ ablatæ sunt, plene restituetis, sicut habuit uno anno antequam archiepiscopus de Anglia egredere- tur. Clericis præterea et laicis utriusque sexus, pa- cem vestram et gratiam, et possessiones suas resti- tuetis, qui occasione prænominati archiepiscopi de- stituti fuerint. Hoc autem vobis auctoritate domini papæ in remissionem omnium peccatorum vestro- rum injungimus, et præcipimus observare bona fide absque fraude et malo ingenio.

Juravit hoc rex, juravit et de consuetudinibus no- vis dimittendis filius ejus : et juraverunt ambo quod a vobis et successoribus vestris non recederent, quandiu eos sicut Christianos reges et catholicos habueritis.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

EORUMDEM AD CONVENTUM CANTUARIÆ.

Albertus et Theodwinus cardinales conventui Cantuariæ.

Lætamur nos, lætatur et quæ audit congregatio universa justorum, quod mortem sanctæ memoriæ Thomæ, quondam archiepiscopi vestri ita in con- spectu suo Deus pretiosam ostendit, et venerandam ejus memoriam tot miraculis illustravit, ut odor un- guentorum ipsius jam fere per totum corpus Ecclesiæ se diffundat, et virtus ejus in Oriente et Occidente communiter prædicetur. Ita ut qui felicibus illius actibus, dum viveret, invidebant, nunc casibus hu- manis eo exempto, et ad supernorum societatem, ut credimus, fide ac zelo sacerdotali promerente trans- lato, venerentur virtutem ipsius, et ei qui facit mi- rabilia magna solus, gratiarum referant actiones. Quia igitur videtur idoneum, ut cum magnalia, quæ facta sunt apud vos, populorum turba decantet, et gratiarum actio et vox laudis resonet in commune, Ecclesia vestra, quam tanto munere gratia divina donavit, sub atrocitatis obtentu diutius non debeat a Conditoris laude cessare, reddentes nobis mutuæ salutationis alloquium, et petitioni vestræ devoto concurrentes assensu, fraternitati vestræ manda- mus, quatenus convocatis episcopis et abbatibus provinciæ vestræ, qui vobis ad hoc idonei visi fuerint, cum solemnitate congrua, adhibito, sicut majoribus visum fuit, moderamine, denuo ecclesiam vestram consecretis. Si quid minus fuerit solemni- tate, divinorum miraculorum poterit illustratione suppleri. Nos sane si aliquid fuerit, quod ad pro- fectum vestrum et ecclesiæ vestræ facere valeamus, quantum cum Deo poterimus, libenti animo facie- mus. *Te Deum laudamus.*

EPISTOLA CCCLXXXVII.

EORUMDEM AD WILLELMUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Venerabili fratri et in Christi visceribus ample- ctendo semper amico W. Dei gratia Senonensi epi- scopo apostolicæ sedis legato, Albertus dignatione divina tituli Sancti Laurentii in Lucina et Theo- dwinus tituli Sancti Vitalis, presbyteri cardinales, apostolicæ sedis legati, quod promisit Deus dili- gentibus se.

Quoniam exspectaro vos credimus, ut de statu

nostro et injuncti nobis promotione negotii aliquid A audiatis, idcirco qualiter nobiscum et per ministerium mediocritatis nostræ Deus egerit his diebus, fraternitati vestræ præsenti scripto duximus indicandum. Noveritis ergo quod postquam illustris Anglorum rex venisse nos in regnum suum in veritate cognovit, totius obstaculo tarditatis amoto, de Hibernia in Angliam, incumbentibus sibi negotiis prætermissis, de Anglia vero in Normaniæ partes accessit, atque incontinenti plures ad nos nuntios et honorabiles destinavit, inquirens a nobis in quo loco potius convenire cum eo et loqui vellemus. Placuit tandem ad Saviniacense monasterium pro colloquio habendo concurrere, ubi religiosorum virorum possemus orationibus adjuvari. Convenimus illuc, convenerunt et multæ personæ utriusque ordinis de B regno ipsius, et tractavimus diligentia qua potuimus, quod ad salutem ipsius et injunctam nobis obedientiam pertinebat. Cum autem non possemus in omnibus convenire recessit ipse a nobis velut in Angliam profecturus, et nos exspectavimue sequenti die ad Abrincas civitotem ituri, postero autem die venerunt ad nos Lexoviensis episcopus et duo archidiacani, et concesso quod petebamus, ad prædictam processimus civitatem, ad quam Dominica, qua cantatur *Vocem jucunditatis* convenimus cum personis plurimis et ipse nobiscum, et cum tanta humilitate quod fuerat condictum implevit, ut illius exstitisse opus sine dubitatione credatur, qui respicit terram et facit eam tremere, qui tangit montes et fumigant. Sane quam timoratum Deo, quam obedientem ec- C clesiæ se curaverit exhibere, non est opus præsenti abbreviatione referre. Satis enim ipsius opera manifestant et manifestabunt adhuc plenius, sicut et nobis spes data est in futurum.

Primum itaque super mortem sanctæ memoriæ Thomæ quondam Cantuarienis archiepiscopi non de nostra exactione, sed de propria voluntate, tactis sacrosanctis Evangeliis, suam conscientiam expurgavit, jurans videlicet quod nec præcepit nec voluit, et quando audivit, doluit vehementer. Quia vero quod factum fuerat ex sua occasione factum esse timebat, de satisfactione præstanda tale præstitit juramentum. Primo quidem juravit quod a domino nostro papa Alexandro et ejus catholicis successoribus non recedet, quandiu eum sicut ca- D tholicum regem et Christianum habuerint, et hoc ipsum fecit jurare filium suum majorem. Juravit etiam quod usque ad annum tantam pecuniam dabit templariis, unde ad defensionem terræ Hierosolymitanæ ducendi milites valeant retineri. Ab instanti vero nativitate Domini usque ad triennium crucem accipiet sequenti æstate, Hierosolymam profecturus, nisi per dominum papam steterit vel ejus catholicos successores. Si vero interim pro necessitate contra Saracenos in Hispaniam iverit, quantum temporis in illo itinere consumpserit, tantumdem prædictum spatium prolongare poterit. Abjuravit etiam omnes consuetudines quæ contra ecclesias regni sui tempore suo introductæ videntur. Appellationes ecclesiasticarum causarum ad dominum papam libere sinet fieri et tractari per eum causas et suo fine concludi. Si quis tamen ei suspectus fuerit, securitatem ei faciet quod damnum ejus et regni sui non quærat. Possessiones Cantuariensis Ecclesiæ, si quæ sint ablatæ, restituet, sicut habuit primo anno quando archiepiscopus de terra exiret. Id ipsum faciet et de personis quæ causa ipsius exisse videntur. Quibus etiam gratiam suam et bonam reddidit voluntatem, et hoc quidem sub juramento. Promisit autem et alia de libera voluntate gerenda, quæ non oportet scripturæ serie denotare. Hæc autem scripsimus, ut agnoscatis eum obedientem Ecclesiæ atque ad divinum obsequium multo amplius quam adhuc fuerit animatum. Noveritis adhuc filium ejus de prædictis consuetudinibus dimittendis pariter cum eo jurasse. Sane quod ibi factum est, iterato adhuc, ne dubitationis locus alicui remanaret, apud Cadomum in major frequentia personarum publice statuit se acturum. Relaxavit præterea episcopos de promissione, quam ei fecerant de consuetudinibus et promisit quod non exiget in futurum.

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

EORUMDEM AD GILBERTUM RAVENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Venerabili in Christo et dilecto fratri Gilberto Dei grata Ravennensi archiepiscopo, Albertus d gnatione divina tituli S. Laurentii in Lucina Theodwinus tituli S. Vitalis, presbyteri cardinale apostolicæ sedis legati, quod promisit Deus dilige tibus se.

Quoniam desiderare vos credimus, ut de sta nostro, etc. (*Eadem quæ in epistola superiori usq ad* :) Et hoc ipsum jurare fecit filium suum majore in charta absolutionis pro morte beati Thomæ. J ravit etiam et alia, clero et populo valde necessari quæ omnia diligenter et per ordinem, sicut ea j raverat, in absolutionis ejus charta pernotavim Promisit etiam et alia de libera voluntate gerend quæ non oportet scripturæ serie denotare. H autem scripsimus, ut cognoscatis ipsum obediente Deo atque ad divinum obsequium multo ampli quam adhuc fuerit animatum. Noveritis ad hoc lium suum de prædictis consuetudinibus pari cum eo jurasse. Sane quod ibi factum est, itera adhuc, ne dubitationis locus alicui remaneret, ap Cadomum in majori frequentia personarum publ statuit se acturum. Relaxavit præterea episco de promissione, quam ei fecerant de consuetudi bus conservandis, et promisit quod non exiget in fu rum. In crastino autem prædicti cardinales ibid celebraverunt magnum concilium cum archiepisc et episcopis et clero Normanniæ, et ibi hæc decr suscripta statuerunt, et universis firmiter et violabiliter injunxerunt.

EPISTOLA CCCLXXXIX.

BERNARDI PORTUENSIS EPISCOPI AD THOMAM CANTUARIENSEM

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, BERNARDUS Portuensis episcopus.

Quoniam sub uno capite Christo sumus invicem membra, non debet vestra dilectio ambigere, quin vestra tanquam propria negotia nostra curemus, maxime cum in vestra causa res nostra profecto agatur. Unde si aliquid aliquando nos agere contingat, quod actum in parte vobis fortasse displiceat, redire sub rationem displicentia debent, ut minus moleste feratis, quod pro nobis ad modicum temporis dispensamus, eo nimirum libentius quia vobis totum militat, quidquid est quod in vestro negotio vobis etiam contraire videtur. In hoc siquidem quod dominus papa quasi contra suum propositum regi Angliæ scribit, hoc agit, ut si forte, quod non credimus, hac vice non resipuerit, non possit etiam sibi ipsi videri injusta fore super se lata sententia. Eapropter vestram fraternitatem, quantum possumus, in Domino exhortamur, ut sicut cœpistis, et hactenus laudabiliter perseverastis, sitis et fortis et patiens, scientes quod si modo non se correxerit, nequaquam amplius manus suas mater Ecclesia continebit, sed eo fortius eum feriet, quo ipsum in majori patientia sustinuit. Nam jam adeo in aperto contra Ecclesiam ejus malitia se erexit, ut jam non inveniatur, qui ejus dolos feriri non velit. Valete semper in Domino, et spiritus consilii et fortitudine maneat semper cum omnibus nobis. Amen.

EPISTOLA CCCXC.

GRATIANI AD GAUFREDUM RIDEL ET ALIOS.

GRATIANUS sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, et domini papæ notarius, GAUFREDO Cantuariensi archidiacono, et NIGELLO de Saccavilla, et THOMÆ filio Bernardi, sic transire per bona temporalia, ut non amittant æterna.

A vestra non debet excidisse memoria, qualiter a vobis accepto juramento vos in spe pacis promissæ fecerimus absolvi. Et quia pax, sperabatur, secuta non est, vobis per venerabiles viros, Rothomagensem et Burdigalensem archiepiscopos, denuntiavimus, ut nisi infra tunc imminens festum Beati Michaelis pax reformata esset, nequaquam exinde collatæ absolutionis beneficio frueremini, sed sententiam, quam Cantuariensis archiepiscopus in vos ferret, sine fraude et malo ingenio firmiter servaretis. Quia ergo pax secuta non est, et vos præfatus Cantuariensis in sententiam excommunicationis publice reposuit, vobis in virtute præstiti juramenti præcipimus, quatenus sententiam ipsam, donec absolvi mereamini, inviolabiliter observetis. Det vobis Deus cor, ut colatis eum, et magis faciatis ipsius, quam hominis voluntatem.

Similiter scripsit Vivianus.

A

EPISTOLA CCCXCI.

EJUSDEM AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Charissimo in Christo ac reverendo Patri THOMÆ Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, fortissimo atque invictissimo Dei athletæ GRATIANUS sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, salutem et gloriosam post agonem cum optata pace victoriam.

Quod de mea sinceritate, sicut ex litteris et nuntiis vestris intelligo, indubitatam spem et fiduciam tenetis, gratum habeo modis omnibus et acceptum, vestræque paternitati ex hoc ipso devotior ac fidelior persevero. In proposito siquidem meæ ad vos devotionis ac fidei, et causæ vestræ defensione constanti eædem, quæ induxerunt, causæ me retinent: timor videlicet Dei, amor honesti, zelus et fervor B ecclesiasticæ libertatis. Accedit ad hæc personæ vestræ virtus et gratia, quæ me jam in eo, quod ante probaveram, stimulo quodam sollicitudinis urget arctius et instigat, concurrentibus ad idem et virtutis studio, et amoris ac diligentiæ filialis officio. Confidite igitur de me, sicut facitis, et sperate quia spes ista vos, Deo propitio, non frustrabit, nec mea unquam fides aut charitas in vestro poterit refrigescere negotio vel tepere. Puto autem quod et res ipsa fidem faciet his, quæ dico, et in hujus rei testimonium cum amicis vestris inimici convenient.

Et quidem in hoc, si venisset homo, contra quem devotionem meam sollicitudo vestra præmonuit, non discordaret a cæteris ejusdem malitiæ satellitibus et præambulis Antichristi. Verum eum ille non venerit, C in eo quod reliquum erat, et expedire putavi, mea sollicitudo non tepuit, et quotidiana apud dominum papam instantia non quievit, donec litteras, quas cum his, Deo dante, videbitis, per domini papæ gratiam indultas obtinui. Quas quidem credo, credetis autem et vos, ni fallor, efficaces ad rem, et negotio utiles adfuturas. Agite itaque confidenter, et quod ad vos pertinet, causam nostram Domino commendate, qui non deserit sperantes in se, et per quem diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Ego autem quod amici et fidelis est, cum res postulaverit, exsequi non cessabo. De cætero quod in litteris vestris miseria consuevit exsilio copulari, discretionem vestram, ut audacter salva reverentia loquar, emendare voluerim: cum sicut arbitror, D miseros vocari non deceat, qui a Domino beati dicuntur, juxta illud Evangelii: *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v). Det vobis Dominus pacem in proximo, et in futuro consortium et gloriam beatorum.

EPISTOLA CCCXCII.

HUMBALDI OSTIENSIS EPISCOPI AD THOMAM CANTUARIENSEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, Ostiensis episcopus.

Quando paternitatis vestræ litteræ nobis allatæ sunt tanta corporis infirmitate laborabamus, quod a medicis de vita nostra desperabatur. Verum, quia vo-

bis in vestris persecutionibus et angustiis, etiam in infirmitate nostra non immerito compatimur et condolemus, per quosdam de fratribus nostris et domesticos etiam nostros instantes et frequentes preces domino papæ porreximus, ut tantæ iniquitati Eboracensis et suorum complicium obviaret, et ipsorum dolositatibus et malitiis finem imponeret. Ipse vero, sicut quem pluribus respondere oportet, huic vestro negotio tantum intendere distulit, quod Deo desuper faciente vobis aliquantulum melius fuit. Cumque super his a fratribus suis episcopis et cardinalibus consilium expetiisset, plures pro vobis inventi sunt, quam contra vos, ita quod a Domino factum credimus, eos pro vobis in hac parte locutos fore, qui consueverant vestris commodis obviare. Nostrum autem consilium per quosdam de fratribus nostris idem dominus noster expetiit, et nos de pura conscientia jam dictum Eboracensem deponendum, et suos complices excommunicandos, per eosdem fratres nostros sibi respondimus. In cujus litteris recognoscere poteritis quid super hoc ab eo statutum sit. Rogamus autem discretionem vestram, ut id æquanimiter et patienter sustineatis. Causam quidem Dei et Ecclesiæ agitis, unde pacem vos in proximo habituros et confidimus et speramus. Præterea noveritis nos domino Bituricensi misisse ut septem marcas argenti et quadraginta quinque marobotos vobis transmitteret. Quod si factum est, placet nobis. Alioquin significare nobis curetis, ut id faciamus effectui mancipare.

EPISTOLA CCCXCIII.

HYACINTHI AD THOMAM CANTUARIENSEM

Thomæ Cantuariensi archiepiscopo Hyacinthus cardinalis.

Quam ferventi affectu pacem vestram desideravimus, non est necesse litteris exprimere, qui nobis tacentibus in mente vestra legitis quanta dilectione vobis astringamur. Unde audito et vestrarum litterarum tenore cognito, quod ille, in cujus manu corda regum existunt, animum principis vestri inclinaverit, ut vobis gratiam suam restitueret, ultra quam loqui possimus in hilaritate jucundati sumus, gratias exsolventes illi qui vestræ constantiæ humilitatem dignatus est respicere, quem rogamus, ut quod incæpit, ita dignetur perficere, quod honor Ecclesiæ inde augmentari valeat, et quidquid reatus dictus princeps ex culpa contraxit, sequens satisfactio diluat. Verum si corpus quod corrumpitur, non sinit eum ad hunc rectitudinis locum mentem revocare, consulimus modis omnibus et monenus, ut eum in spiritu lenitatis studeas instruere, ut quod ad satisfactionem deest, perficere curet, et ad pristinum amorem revocatus, et ad mentem reversus vobis debitam gratiam firmiter exhibeat, et malitiæ inimicorum vestrorum pro voluntate vestra respondeat. Hæc enim via vestræ discretioni incedendum putamus, ut hominis animositas reprimatur, et vestrorum inimicorum perversitas destruatur: ne forte si severitatis viam iterum velitis aggredi, cum nondum illius animus in hoc sit solidatus, quod debet, de facili relaberetur in hos quod non debet et ita esset novissimus error pejor priore, quod Omnipotentis virtus avertat. Nos autem pro vestris petitionibus promovendis solliciti fuimus, et dominus papa quod potuit, libenti animo nobis fecit. Sæpe statum vestrum nobis significetis, quod tanquam fratri charissimo, vestro desiderio respondere cupientes, vobis concordabimus.

EPISTOLA CCCXCIV.

JOANNIS NEAPOLITANI AD THOMAM CANTUARIENSEM

Reverendissimo et in Christo plurimum diligendo fratri Thomæ Dei gratia Cant. arch. charissimo amico suo Joannes eadem gratia Sanctorum Joannis et Pauli presbyter cardinalis omnimodam salutem et pacem paceque perpetua gaudere.

Redditæ sunt nobis dignationis vestræ litteræ variæ a diversis exsilii vestri et nostræ fluctuationis temporibus, ex quarum complexione intelleximus animum vestrum, pulsatum simulationibus æmulantium, secreta cordis nostri, et sacramenta sermonis penitus ignorantium, adversum nos vehementer esse commotum. Et usque adeo invaluit suggillatio ut non solum vos in suspicionem nostram, sed usque ad damnationem nostram moveret. Non miramur, si vester animus detractionibus et falsis rumoribus moveri potuit; sed miramur, si fides vestra innumeris charitatis nostræ argumentis et officii firmata, vel ad modicum vacillare debuit. Nondu[m] enim nobis firmata in Ecclesia Romana, et adhu[c] quasi cereo impressa est, et quasi sculpta imag[o] Cantuariensis Ecclesiæ, quam indelebiliter servav[i]mus, et servare cum vita proposuimus contra omn[es] impetus fortuitos. Sane si aliquid in causa, qua[m] contra regem Angliæ habetis, dispensative diximu[s] et sermonem nostrum temporaliter temperavimu[s] testis sit Deus, ut iratum et irati animi mitigar[e]mus, sicque quasi placida manu eum ad pacem tr[a]heremus, id fecimus. Pro certo id ipsum et grati[a] quod offert, non severitati ecclesiasticæ, sed ma[n]suetis consiliis nostris ascribitur. Decet præter[ea] sacerdotalem gravitatem et honestatem, ut passib[us] humilitatis, patientiæ et moderationis prosequat[ur] pacem tanti principis, quam etsi non juxta de[si]derium vestrum et nostrum plenarie oblatam, rog[a]mus et consulimus in Domino conscientia pu[ra] quatenus nullatenus aspernemini, sed ea mans[ue]tudine et affectione suscipiatis, ut dulcedine ves[tra] eum ad reliqua mollire debeatis. Solet enim deb[ile] principium meliore comitari fortuna. Et princip[es] præsertim hoc tempore, leniendi potius sunt, qu[am] exacerbandi.

EPISTOLA CCCXV.

EJUSDEM AD HENRICUM REGEM.

Illustrissimo domino Henrico Dei gratia regi A[n]gliæ, duci Normaniæ et Aquitaniæ, et comiti A[n]degavensi Jo. Neapolitanus indignus presbyter c[ar]dinalis, salutem, et votivos semper obtinere s[uc]cessus.

Placet nobis plurimum, et per omnia gratum lucimus et acceptum, quod ad exsecutionem vountatis vestræ nostra studia promptius advocastis. Nos quidem licet absque submonitione etiam vestra quotiescunque opportunitas se offert, studiosi semper simus sollicitius elaboremus, quæcunque vo)is utilia sive ad honorem vestrum cognoscimus)roventura, sicut nobis possibile est perficere et)romovere, et contraria propensius depellere et lon;ius propulsare : cum tamen magnitudinis vestræ itteris sollicitamur, tanto fortius accingimur et ad omplementum petitionis vestræ accuratius præ)aramur, quanto et ipsa submonitio vestra et solicitatio plurimum placet, et voti atque desiderii iostri est ut quidquid possumus totum ad vestræ oluntatis arbitrium omnimodis exponamus. Veientes igitur ad Ecclesiam Romanam honorabiles iuntios vestros, abbatem videlicet Sancti Augustii, archidiaconum Salesberiensem, magistrum Sinonem de Carcere et magistrum Henricum cum itteris vestris quas excellentia vestra per ipsos obis transmisit, honorifice et læti suscepimus. Atente atque sollicite vestra beneplacita et significaa intelleximus, dedimusque cum eis operam stuiosam et exactam diligentiam adhibuimus quod ominus noster primam petitionem vestram vel salem secundam exsecutioni mandaret. At ubi omnis onatus noster omneque studium et argumentosa ollicitudo casso labore defecit, nihilque obtinere otuit de his quæ juxta petitionis vestræ tenorem ostulavit, visum nobis est et complacuit quod ad liud remedium nostra studia converterentur. Roavimus ergo et licet cum multa instantia, impeavimus tamen tales litteras a domino papa per uas temeraria præsumptio et indiscreta audacia antuariensis archiepiscopi repressa et conculcata reditur et vobis aliquatenus cognoscitur pro quatate temporis satisfactum. Præfati vero nuntii vetri qui sicut industriosi et probi viri vobisque fidessimi circa exsecutionem mandati vestri studiossimi extiterunt :cum pro certo novissent quod ullo modo aliquam de petitionibus vestris obtiere valerent, ad consilium et exhortationem noram et quasi compulsionem receperunt litteras il.s quas dominus papa per eos vobis mittit. Quams enim plurimum pertimerent et formidarent ipis recipere ; quia hoc de mandato vestro non habant, inducti tamen et compulsi a nobis, sicut ximus, qui liquido cognovimus nullatenus expere quod his temporibus litteras tales dimitterent isensum præbuerunt admonitioni nostræ. Nos itaie, qui honorem vestrum puro corde et animo ligimus et voluntati vestræ in omnibus pro posse istro obtemperare desideramus, laudamus vobis que consulimus quatenus recipientes recipiatis gratum ducatis quod dominus papa ad præsens obis concedit, scientes et nullatenus dubitantes, iod si credideritis suggestioni nostræ quam per æfatos nuntios vestros vobis aperimus, Cantua-

A riensis ille videns se omni destitutum auxilio et cognoscens certissime quod ad regimen Cantuariensis Ecclesiæ non valeat ulterius aliqua ratione redire, et ipsi spontaneus abrenuntiabit et in alia ecclesia, ubi vivere possit, sibi provideri suppliciter exorabit.

EPISTOLA CCCXCVI.

OTTONIS DIACONI CARDINALIS S. NICOLAI DE CARCERE TULLIANO, EP. AD ALEXANDRUM PAPAM PRO GILBERTO LONDONIENSI EPISCOPO.

Venerabilis frater noster Londoniensis episcopus, etc. *Vide in Alexandro III papa, an.* 1159-1181.

EPISTOLA CCCXCVIII

EJUSDEM AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Thomæ Cantuariensi archiepiscopo Otto cardinaB lis.

Significamus vobis dominum papam, curiam totam, et nos bene per Dei gratiam valete. Litteræ nuper venerunt ad curiam de Janua. Dicunt quia Guido Cremensis Pisis receptus est. Archiepiscopus recessit, clerus aufugit, totus populus ipsum Guidonem contemnit. Dominus papa mandaverat Januæ pro galeis ; et quidem Januenses ipsi fideles et devoti sunt domino papæ et curæ : sed quia putant et timent imperatorem cum Pisanis pro receptione Guidonis Cremensis magnas conventiones et promissiones fecisse, dubitant adhuc. Unde, quod vobis soli confitemur, hoc ex litteris perpendimus, quod si civitates Longobardiæ confœderatæ fuerint contra imperatorem, et galeas et alia obseC quia exhibebunt ; sin autem, subsistere videntur. Confœderationem autem, si futura est in proximo audiemus. Electus Moguntinus, qui nuper recessit a domino papa et curia, nuntium Guidonis ad se venientem de terra sua ejecit, et comminatus est ei quod si ipse vel alius nuntius ex parte schismaticorum ad se alterius perveniret, ei oculos erui facere. Nomen domini papæ manifeste prædicat. Hoc novit imperator, et multum dolet. Et quasi certum habetur in terra, quo prædictus Moguntinus ad pedes domini papæ accesserit. Eidem Moguntino concordant per omnia Treverensis, et Salisburgensis, et fere reliqui principes omnes, sicut dicunt, tam sæculares quam Ecclesiastici, excepto imperatore, et Coloniensi, et duce Saxoniæ. Magdeburgensis nuper rediit de Hierosolyma, et captus a D Saracenis vovit quod si liberaretur, domino papæ manifeste adhæreret. Et ita manifeste facit.

EPISTOLA CCCXCVIII.

EJUSDEM AD EUMEM.

Amabili Patri et fratri charissimo Thomæ, Dei gratia Contuariensi archiepiscopo, Otto eadem gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis, et apostolicæ sedis legatus, salutem.

Notificamus, charissime, dilectioni vestræ, quod ex mandato domini papæ procedentes per insidiosa et plurimum periculosa loca, usque ad Venetiam, Domino ducente, pervenimus, inimicis nostris undique in insidiis excubantibus : eorum laquei Do-

mino faciente contriti suut, et nos liberati sumus. A A Venetia autem, non clam, sed manifeste cum plurimo gaudio et amicorum nostrorum multo solatio, per Mantuam, et per Veronam, per patriam nostram Brixiam, ubi plurimum fuimus commorati, per Pergamum, per Mediolamum, juxta Novariam, per Vercellas, juxta Taurinum, transeuntes usque ad sanctum Michaelem de Clusa, et exinde per provinciam usque ad Sanctum Ægidium incolumes et illæsi pervenimus, inde ad montem Pessulanum transituri. Veniente domino W . . . . amico vestro ad alias partes, sicut credimus, prout vos novistis quem dominus papa destinavit, profecturi, mittimus ad vos clericum nostrum præsentium latorem cui super his quæ vobis ex parte nostra dixerit, tanquam nobis ipsis firmiter credatis, et quod nobis significare volueritis, tanquam per vosmetipsum indubitanter renuntietis.

EPISTOLA CCCXCIX.

PETRI CARDINALIS DIACONI AD THOMAM CANTUARIENSEM

PERTUS cardinalis diaconus archiepiscopo Cantuariensi.

Vestræ discretionis prudentiam non credimus ignorare, quod ecclesia Beatæ Mariæ quæ Sassonorum dicitur, Romæ posita, ad receptionem Anglorum, limina apostolorum visitantium, a Romanis pontificibus provida consideratione spiritualiter sit deputata; in qua post varios et diversos labores solatia consolationis et stipendia charitatis, tanquam in propria domo, invenirent et reciperent. Quæ, C peccatis nostris exigentibus, ad tantam devenit paupertatem, ut vix pauci clerici et fere nulli laici, ad obsequium ejusdem ecclesiæ et peregrinorum consolationem, inibi inveniantur. Cujus paupertati et miseriæ dominus noster summus pontifex Alexander compatiens, litteras exhortatorias in Angliam eidem ecclesiæ indulsit; quarum tenorem ipsi videre poteritis. Quia igitur probitatem vestram circa ea quæ ad cultum religionis et pietatis pertinere noscuntur, pronam et benevolam recognoscimus, fraternitatem vestram, de qua plurimum confidimus, in Domino exoramus, quatenus latorem præsentium Nicolaum prædictæ ecclesiæ canonicum benigne recipietis et juxta formam litterarum domini papæ, vestras eisdem litteras pro reverentia Dei genitricis precum nostrarum intuitu indulgere D dignemini. Valete in Domino.

EPISTOLA CCCC.

EJUSDEM AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, PETRUS presbyter cardinalis.

Per Gunterium fidelem nuntium vestrum quod melius nobis et salubrius visum fuit, sollicitudini vestræ nuper rescripsimus. Nnuc autem visis sanctitatis vestræ litteris, licet adhuc in solis verbis consolatio vestra videatur pendere, placet tamen nobis humilitatis via quam incœpistis, et consilij vestri propositum collaudamus ut videlicet in causa vestra cum omni mansuetudine ac patientia procedatis, quatenus hoc modo feritas hominis auctore Domino mansuescat, et ab meliora ejus animus inducatur. Duris enim mentibus auferre simul omnia valde est difficile, et

quod natura negat reddere nemo potest.

De cætero noveritis propositi nostri esse causam vestram, imo Dei, quantum possumus promovere et in acie Christi, eo auxiliante, vobiscum viriliter stare. Noveritis præterea quod litteris vestris in audientia fratrum, perlectis, de communi consilio dominus papa suum vobis remittit responsum.

EPISTOLA CCCCI.

THEODWINI AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo THEODWINU[S] B cardinalis.

Licet de verbo pacis vestræ, quod audivimus plurimum dubitaverimus, attendentes eorum mali[t]tiam, qui regi assistunt, et lingua loqui et circum[]venire rectos corde consueverunt, confidimus tame[n] in Domino, quod infatuato eorum iniquo consili[o] et denudata ipsorum malitia, pacis abundantia[m] nostra exspectatio, quæ patienter hactenus ex[]spectavit, speraro citius, favente Domino, obtinebi[t]. Ea vero, pro quibus ad curiam misistis, ut effectu[i] mandarentur pro voto efficaciter laboravimus, e[t] ecce per Dei gratiam propriis oculis cernere, quo[d] referimus, jam valetis.

EPISTOLA CCCCII

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, THEODWINU[S] C cardinalis titulo Sancti Vitalis.

Cognito et pro vero habito. quod ejus præeun[te] gratia, qui superis reconciliavit mortales, inter vo[s] et dominum regem Angliæ pax sit plenarie refo[r]mata, indicibili gaudio et lætitia exultavimus, e[t] intimis visceribus illi gratias referentes, qui fec[it] vobiscum misericordiam et dedit etiam cum exsu[l]tatione proventum, eidem pariter preces continua[s] offerentes, ut qui reformare dignatus est, illiba[]tam conservet et augeat, sicut expedit, in æternum. Et licet magis videatur idoneum et conveniens vobis nos doceri, et admoneri debere, de since[ra] tamen dilectione præsumentes aliorum arma indu[i]mur, et paternitati vestræ, aliqua suadere tent[a]mus. Rogamus igitur et affectuose suggerimus, qu[a]tenus misericordiam, non judicium in eos qui pe[c]caverunt in vobis, exerceatis ; non ultionem, s[ed] D veniæ fontem reis et persecutoribus aperiatis, qu[a]tenus verbo et opere imitatorem Christi, vos [in] conspectu hominum ostendentes, quæ docetis, f[a]cere, prout expedit, vestra sanctitas agnoscat[ur] et non immerito ad omnibus commendetur. Ex h[oc] enim et adversarii vestri in sui cordibus confu[n]dentur, et amici plurimum vultu et animo glor[ia]buntur. Nos enim in his et aliis successibus vest[ris] charitati vestræ modis omnibus congaudentes, ta[m] ut præteritæ petitiones vsstræ mandarentur eff[ec]tui, quam etiam ut munus nostræ dilectionis lib[e]ralitas vestra susciperet, gratanter effecimus,

per harum latorem viridis coloris examictum, quem inter alios ipse elegit, vobis mittimus, reliquos pannos sericos. Et quæcunque apud nos sunt vestræ prudentiæ exponentes, parati semper pro vobis efficere quæ vestræ sint fraternitati accepta.

(*Vide et epistolas duas ad Albertum et Theodwinum directas.*)

EPISTOLA CCCCIII.

WILLELMI PAPIENSIS AD ALEXANDRUM.

Domino papæ WILLELMUS Papiensis.

Expedit, beatissime Pater, etc. *Vide inter epist. diversor. ad Alexandrum III.*

EPISTOLA CCCCIV.

EJUSDEM ET OTTONIS AD EUMDEM

Beatissimo Patri ac domino, Dei gratia summo pontifici, WILLELMUS et OTTO, eadem gratia cardinales, salutem et subjectionis obsequia, tam devota, quam debita.

Venientes ad terram illustrissimi regis Anglorum, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCV.

EJUSDEM WILLELMI AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Illum circa personam vestram sinceri amoris fervorem concepimus, ut omnia negotia vestra tanquam propria suscipere incommutabiliter proposuerimus et fovere atque ad vestrum honorem diligentiori studio omnimodis promovere, malentes in propriis quam in vestris pigri vel negligentes aliquatenus inveniri. Inde est quod excellentiæ vestræ litteras læta plurimum manu recepimus, et ea quæ continebant sollicitus considerantes efficacem studuimus adhibere curam, ut vota vestra congruum sortirentur effectum. De cætero autem paternitatem vestram amicali exoramus consideratione, quatenus de nobis omnem confidentiam obtinentes, diligentiæ nostræ quæcunque discretioni vestræ complacuerint, securissime imponatis, quoniam in his quæ honori et profectibus vestris cognoverimus consonare, diligentissime curabimus semper intendere et cooperari.

EPISTOLA CCCCVI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo WILLELMUS Papiensis.

Licet temporum qualitate variata, ne Romana Ecclesia schismate laborans graviora detrimenta incurreret, in varia erga vos juxta quorumdam opinionem videamur declinasse proposita, novit tamen, qui inspector est cordium, dilectionem vestri nostro in pectore continuo resedisse. Sicut autem vigilantiæ vestræ sæpe nos recolimus intimasse, suspicionem domini regis Angliæ, quatenus licuit, vitare curavimus, ut procedente tempore inter vos et ipsum amica interventione efficacius mediare possemus, et tanti principis devotionem sedi apostolicæ conservare. Nunc autem ad quæstiones, quæ inter vos et ipsum vertuntur, sicut Ecclesiæ Dei magis expedire viderimus, terminandas in terram suam una cum venerabili fratre nostro Ottone A cardinale diacono destinati, vigilantiam vestram exhortamur et suademus attentius, quatenus his, quæ amplioris dissidi causas generare solent, quantum in vobis est, evitatis, ad ea, quæ concordiæ cooperari valeant, studiosius curetis intendere. Nos enim et paci, et profectibus vestris, quatenus gratia divina indulserit, remota personarum acceptione, studebimus cooperari, nihil studii relicturi, sicut auctore Domino rerum argumenta monstrabunt, quod ad honorem Dei et Ecclesiæ suæ valeamus impendere.

EPISTOLA CCCCVII.

EJUSDEM ET OTTONIS AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo WILLELMUS et OTTO cardinales.

B Nuntium vestrum recepimus benigne, et litteras inspeximus sollicite. Nuntio itaque et litteris fidem adhibentes, et transcripta litterarum domini papæ diligenter considerantes, quantum in deliberatione consilii nostri invenire potuimus, non videntur ista modo posse utiliter attentari, cum exinde correctionis vel emendationis spes minime videatur posse haberi. Bona enim et res clericorum fratrum vestrorum, qui vobiscum sunt, sicut et vos, ut credimus, bene novistis, mandato regio detinentur: cujus animus, et cor, et voluntas, ita a vobis et ab ipsis aversa sunt, ut nec a quolibet verbum reconciliationis valeat sustinere. Et ideo, sicut per nuntios nostros vobis nuper significavimus, opportunum videtur ad præsens ista differre, donec vel C viam pacis quolibet modo Deus ipse aperiat, vel ampliori deliberatione, si inveniri non poterit, quid vel qualiter in prædicto negotio statuendum sit, dominus papa præcipiat. Quantum enim nobis videtur, brevi sarculo et modica fossione magnam possemus scissuram et profundam præparare foveam, a quo saltem usque ad conscientiam domini papæ tutius est abstinere.

EPISTOLA CCCCVIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Venerabili et dilectissimo fratri THOMÆ, Cantuariensi archiepiscopo, cardinales, salutem.

Innotuit regi quid super concordia, quid etiam super causa, si contra vos agere vellet, respondistis, et cum prius satis, sicut aiebat, ex præcedentibus actibus vestris, et supra quam satis fuis- D set commotus, ampliori et vehementiori fuit nunc indignatione commotus, vestri cordis altitudinem et domini papæ injuriam erga ipsum indubitanter accusans. Episcopi vero et abbates regni Anglorum audientes, quia vos nihil cum eis agere, neque nostro judicio vos supponere velletis, in nostra præsentia litteras domini papæ, quibus vobis mandasse se dicit, ne vos regnum Anglorum interdicto supponatis, nobis coram perlegerunt. Requisierunt etiam a nobis, si ab utroque nostrum, vel altero accepta legatione in Anglia possent a vestris gravaminibus defendi. Cum autem respondissemus, nos de negotiis regni Anglorum nullatenus habere

potestatem, ibidem incontinenti, tam pro se ipsis, A quam pro toto regno ad dominum papam appellaverunt, in protectione domini papæ, et nostra seipsos, et regnum ponentes, diem quoque ad festum Sancti Martini constituentes. Unde mandamus dilectioni vestræ, et ex parte domini papæ et nostra præcipimus, quatenus deferentes appellationi prædictæ, inhibitionem etiam, quam dominus papa se vobis fecisse testatur, attendentes nullum interdictum, nullam excommunicationem in regno Anglorum intendatis, quousque apostolica præsentia adeatur, et quid domino papæ et Romanæ Ecclesiæ super his placeat, agnoscatur. Ipsi quoque episcopi et abbates nuntios proprios ad vos transmittunt, qui appellationem in nostra præsentia factam, et diem vobis denuntient.

EPISTOLA CCCCIX.

EJUSDEM AD GILBERTUM LONDONIENSEM.

Domino Londoniensi WILLELMUS Papiensis cardinalis.

Illius siquidem dilectionis intuitus, quam olim inter nos grata societas amicali relatione contraxit, ad omnia quæ honori vestro consonant, diligenti studio prosequenda, nostram jugiter intentionem animat et inducit, nec nostrum, auspice Deo, poterit in hac parte mutari propositum, qui semper eam curam vestris impendamus negotiis, quam in propriis adhiberi vellemus, et fere circa nos etiam desides mallemus inveniri. Hujus igitur amaris consideratione permoti, eos quos vobis fideles cognoscimus ac devotos, discretioni vestræ, cum expedit, commendare tenemur, ne forte qui fideliter operantur, propter silentium aut ignorantiam a suo defraudentur servitio. Novimus igitur quod egregius vir, et quem multiplex litteratura magnificat, magister D., occasione vestri venit ad curiam et in vestris adeo constanter et provide studuit perorare negotiis, et pro vobis eatenus militare, quod si patris sui res ageretur in medio, nequaquam posset exstitisse fidelior. Quia vero in conspectu summi pontificis et totius Ecclesiæ Romanæ, et præcipue coram nobis jam dicti magistri scientia pariter et honestas, necnon et eruditio comprobata abundanter complacuit et gratiam meruit obtinere, nos qui arctius fraternitatem vestram amplectimur, epistolari mediante commercio suadere vobis audemus atque consulere, quatenus sæpedictum D. sic curetis, sicut tam prudentem virum decet honestius venerari, et ad ejus promotionem et commoda ita semper intendere, ut ipse vobis fiat ex devoto devotior, et nos vestram merito commendare debeamus industriam, cum tam utilem personam elegerit, quæ in multis poterit necessitatibus suffragari. Si autem, sicut frequenti casu contingit, alicujus in eum attentaverit æmulatio novercari, et immunem dente livido lacerare, nullam fidem adhibeat vestra sagacitas, quoniam ipsum vobis fidelissimum esse comperimus.

EPISTOLA CCCCX.

EJUSDEM AD EUMDEM.

WILLELMUS Papiensis cardinalis GILBERTO Londoniensi episcopo.

Amicitiæ ratio, qua vobis astringimur et illustrissimo regi Angliæ, serviendi diligendique propositum nullatenus immutandum plurimum persuadet, ut his quæ honori suo ac vestro consona videantur, facilem præbeamus assensum. Inde est quod ea, quæ nobis per litteras intimastis, quatenus facultas indulsit, diligenti sollicitudine studuimus promovere. Sicut enim ex quo domini regis notitiam fuimus assecuti, vigili opera elaboravimus efficere, ut eum Ecclesia Romana materno sinu specialiter amplecteretur et extolleret, ita ex quo perturbationes emerserunt, cum omni B sedulitate curavimus suadere, ut tolerantia præjudicium severitati faceret et regiæ dignitatis inspectio, servitiaque innumera ampliorem sibi locum, quam imminuta devotio et reverentia postmodum forte subtracta apud apostolicam mansuetudinem vindicarent. Nihil itaque, labore nostro vigilique cura interveniente, adhuc est ultionis seu severitatis adhibitum nihilque de cætero proventurum, quod absit! nos auctore Domino speramus effecturos, donec per misericordiam Dei aperiatur plenæ pacis via, et pristinus amor inter Ecclesiam et ipsum penitus reformetur. Vale.

EPISTOLA CCCCXI.

EJUSDEM ET OTTONIS AD NORWICENSEM ET CICESTRENSEM EPISCOPOS.

C WILLELMUS et OTTO, Dei gratia cardinales et apost. sed. legati, vener. et dilectis fratribus Norwicensi et Cicestrensi episcopis.

Discretioni vestræ præsenti significatione mandamus, quatenus personas illas, quæ a Cantuariensi archiepiscopo excommunicationis vinculis dictæ sunt innodatæ, in manu vestra promissione recepta quod nostro debeant stare mandato, postquam istas videritis litteras, absolvatis, et sic præstita securitate singulis injungatis quod vobis moderatum videbitur. Hoc autem occasione proposita prosequi studeat et adimplere quicunque vestrum apices istos primus receperit; et ex quo vestrum receperint mandatum, significetis eos juramento præstito absolutos.

EPISTOLA CCCCXII.

T. CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI AD GILBERTUM LONDONIENSEM.

D T. Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, venerabili fratri GILBERTO quondam Dei gratia Herefordiensi, nunc vero eadem gratia Londoniensi episcopo, salutem.

Noli graviter ferre, dilecte in Domino frater, quod tibi majus onus imposuimus, quod te ad majoris Ecclesiæ curam vocavimus, confidentes id divina miseratione salubriter fuisse provisum. Hoc mores tui, hoc nota religio, hoc sapientia data desuper, hoc opus bonum, quod in Herefordiensi Ecclesia operatus es promeruerunt, ut dicatur tibi : *Amice, ascende superius : super pauca fuisti fidelis, merito*

supra multa constitueris (*Math.*, xxv). Non homini rudi et inexperto navigationis sicut ex humilitate scribis, navim Petri commisimus, verum illi qui jamdiu exercitatus in flumine, amodo debet eamdem in alto gubernare. Lucerna accensa, quæ quasi sub modio abscondebatur, jam super candelabrum posita est, ut longe lateque luceat in domo Domini. Cantuariensi Ecclesiæ, quæ in regno Anglorum est sicut caput in corpore, Londoniensis familiarius adhæret præ cæteris, ad quam te Deo auctore transtulimus, ut e vicino matris tuæ Cantuariensis Ecclesiæ, cui debes omne quod potes, nobiscum possis onera sustinere. Præterea cum dominus papa tibi specialiter curam animæ domini nostri regis commiserit, ubi te sedere magis decet quam in regia urbe, quo crebrius propter negotia publica veniens, frequenter tuis instruatur colloquiis et consiliis solidetur? Venire ergo ne formides, quo virtus tua te vocat, quo Dominus præcipit, de ope nostra et auxilio. quanta debetur amico et coadjutori, consolationem percepturus. Credimus siquidem hanc esse mutationem dexteræ Excelsi, eamque a divinæ dispositionis fonte emanare, non modo ut Ecclesia Cantuariensis in negotiis suis fortius tanto nitatur auxilio, verum etiam ut imperfectum nostrum, quod in multis videmus, tua beatitudine suppleatur. Utinam, si fieri posset, priore de Dominico Londoniam venisses, ut tuum adventum digno susciperemus honore, ubi tunc præsentes aderamus. Nunc autem quoniam negotia nostra illinc nos avulsere, archidiacono nostro vices nostras commisimus, adjuncto etiam illi domino Roffensi, si præsens adesse poterit. Valeat in Christo fraternitas tua, dilectissime frater.

EPISTOLA CCCXIII.

THEOBALDI, ut videtur, AD. . . .

Suscepimus litteras domini regis, quibus queritur Willelmum abbatem ecclesiæ suæ de Lisleshula a vobis male tractatum esse, petens causam, quæ inter vos et jam dictum abbatem vertitur, a nobis fine canonico terminari, et nisi velitis acquiescere, non patietur, quod jam dictæ ecclesiæ aliquid amodo habeatis. Nos autem jam dicto abbati persuasimus ut appellationi omni renuntiet, si ei vos renuntiare volueritis, et nostrum subire judicium, et jam sub hac conditione renuntiavit appellationi et factæ faciendæ. Inde est quod vobis, si conditionem hanc admiseritis, diem præfigimus Dominicam, qua cantabitur : *Misericordia Domini* : tunc, auctore Domino, quod in abbatem statuistis, si justum apparuerit, roborabimus, evacuabimus si fuerit injustum. Vobis autem merita causarum facilius clarescent, poteruntque partes sine vexatione justitiam consequi, religionis cultus in Ecclesia reformari, si partium assertione veritas innotuerit. Et hoc modo regum, qui pernecessarius est, poteritis retinere favorem, quem amittetis omnino, si ecclesiam suam aliqua improbitate volueritis conculcare. Si vero memorata die, conditione præscripta, adesse placuerit, nobis, si placet, sine mora rescribite, aut si conditio displicuerit : indecens enim est, si aut nos deludimur ab amicis, aut alios deludimus.

EPISTOLA CCCCXIV.

EJUSDEM AD HENRICUM REGEM.

T. Cantuariensis regi Anglorum.

Etsi propriis et privatis urgeamur angustiis, procellis tamen publicis magis affligimur, fortius cruciamur. Nos enim in propria persona manus Domini visitavit, in flagello clementiæ suæ, de longa et gravi infirmitate aliquantulum jam erexit. Verumtamen omni infirmitate gravior est animæ nostræ procella discordiæ, quæ Domino permittente scidit Ecclesiam, regnaque collidens et principatus, a populo Domini securitatem excussit et pacem. Hæc est afflictio nostra quotidiana, hic omnium bonorum justissimus dolor, amarissimus gemitus, et quidem eo amarior, quod in absentia vestra incerti sumus quid sperare oporteat, quid timere. Inde est quod serenitati vestræ affectuosius supplicamus, ut nos de statu vestro sollicitos certiorare dignemini. Si enim res vestræ prosperæ fuerint, speramus in Domino, quia nos Ecclesia Domini, quæ apud nos est, prosperabitur. Nam in unitate consistit, et Domino auctore nunquam schismaticis adhærebit. Ecclesia vero Gallicana, sicut nobis veridica relatione innotuit, recepit Alexandrum, ab Octaviano recessit. Quod autem ad humanum spectat examen, meliori, saniori parti videtur adhæsisse, cum omnibus constet quod persona Alexandri honestior est, prudentior, litteratior, eloquentior : causa ejus ab omnibus inde venientibus sincerior, justior prædicetur. Et quamvis neutrius illorum adhuc nuntium aut scriptum viderimus, scimus tamen quia omne nostrates, si vester consensus adfuerit, proniores sunt in partem Alexandri. Audivimus autem quod imperator vos in partem Octaviani trahere conetur : sed absit ut in tanto periculo Ecclesiæ pro amore et honore hominis faciatis nisi quod crederitis Domino placiturum, nec decete majestatem vestram, si placet, ut in tota Ecclesia regni vestri superponatis hominem, qui sine electione, ut publice dicitur, sine gratia Domini, per favorem unius imperatoris tantum honorem ausus est occupare. Nam tota fere Ecclesia Romana in parte Alexandri est. Incredibile autem est, quod pars illa possit obtinere, prævalere per hominem cui justitia deest, cui Dominus adversatur : eos vero in humili casu prævaluisse, crebra recolimus lectione quos Gallicana recepit et fovit Ecclesia Romana in exitum eorum quos tentationis impetus introduxit. Sic obtinuerunt temporibus nostris Innocentis adversus Petrum, Calixtus adversus Burdinum, Urbanus adversus Wibertum, Paschalis adversus tres, Albertum, Maginulfum, Theodoricum, et multi similiter in diebus Patrum. Nobis ergo provideat dignatio vestra, vestrumque in partem illam Deus declinet assensum, quæ justitiæ veritati innititur, Christo propitio triumphabit, et, si vobis placet, in tanto periculo totius Ecclesiæ Domini, utendum est

vobis consilio regni vestri, nihilque in præjudicium A ejus statuendum est sine consilio cleri vestri.

EPISTOLA CCCXV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Salutem ab eo qui dat salutem regibus.

Qua devotione vobis servierim, verbis enarrare superfluum duco, cum mihi multorum temporum manifesta opera attestentur et fidei meæ testis in cœlo sit, et conscientiæ conscius in excelso. Attrita est caro mea, et tam ætate quam laboribus perfatigati sunt artus, et ægritudo gravis et diuturna dierum meorum finem in brevi adesse denuntiat. Desideratam diu faciem vestram videre sperabam, antequam moriar, et eos quos meæ custodiæ in regno vestro commendaverat Deus, ipso inspectore et teste vobis præsentialiter decreveram commendare. B Sed, quia ad ejus examen citius vocor, ante cujus tribunal in brevi stabimus omnes, serenitatem vestram, regios corde provolutus ad pedes, litteris coram Dei judice omnium præsentibus alloquor, attentius supplicamus, ut fidelem vestrum, cujus in vos nunquam devotio tepuit, agentem in extremis dignemini exaudire. Exaudite, quæso, ut vos in extremis vestris exaudiat Deus. Exaudite ne pro domo Domini et pro parvulis ejus, quos humano destitutos solatio derelinquo, ut domum vestram tueatur Altissimus, et parvulos vestros et filios vestros in ævum consoletur. Transmitto vobis et semini vestro benedictionem a Domino Jesu Christo; et vos, si placet, destitutis meis majestatis vestræ solatium mittite. Commendo vobis sanctam Cantuariensem C Ecclesiam, de cujus manu per ministerium meum regni gubernaculum accepistis; ut eam, si placet ab incursu pravorum tueamini: et mihi qui eam, licet indignus, disponente Domino, hactenus ut potui et scivi, rexi, talem studeatis subrogare pastorem qui tanta sede non videatur indignus, cui religio placeat et qui virtutum meritis placere credatur Altissimo. Fidelis vester sum. Vobis consilium debeo, et ecce coram Deo et omnibus sanctis ejus consilium do. Non quæratis in hac re quæ vestra sunt, sed quæ Dei. Quia ego pro eo spondeo vobis quod si causam ejus fideliter procuraveritis, et ipse vestram utilissime promovebit. Post multas vexationes, auctore Deo, in Ecclesia Cantuariensi reformavimus pacem: religionis promovimus cultum: idoneos ex conscientia nostra custodes præfecimus ordini: ne quis eorum cujusquam temeritate mutetur, antequam archiepiscopus subrogetur, prohibeat dignatio vestra eosque cohibeat, qui scissuras et nova molimina molientur, quoniam et nos hoc sub anathemate inhibuimus et eos excommunicavimus, qui dispositionem ordinis, quam fecimus, præsument immutare. Præterea, alumnos nostros clericos et laicos, quos nostri et sæpe vestri obsequii ministros habuimus, vestræ committimus protectioni, rogantes ut quæ iis contulimus, misericorditer conservetis nec eos patiamini alicujus opportunitate vexari. Audiat adhuc Dominus meus clementissimus verbum unum et egredientem animam meam lætificet. Residuum bonorum nostrorum mobilium et quæ usque ad exitum pro incerto vitæ et diuturnitate ægritudinis in usus domesticos visa fuerant conservanda, sicut Deus inspiravit, post exitum meum præcipi pauperibus erogari; illos, qui fraudem committent, aut qui quominus pro salute mea et vestra et liberorum vestrorum erogentur, impedient, anathemate jam promulgato, condemnans. Ratam habete, si placet, dispositionem meam, et eam transmissis ad officiales vestros patentibus litteris confirmate. Neque enim quidquam auri superest aut argenti, sed victualium tantum, et quæ magno damno poterunt esse amissa pauperibus, et vobis nullo erunt emolumento. Valeat in æternum serenitas vestra.

EPISTOLA CCCCXV.

EJUSDEM AD. . . .

Gravati sumus plus quam tibi et aliis dicere pos sumus, et nondum bene evasimus. Spes tamen nobi est evadendi salubriter, quia nobis, auctore Domino propositum est satisfacere flagellanti. Flagellun æternum declinare castigatione præsenti: nequ certiores sumus de venia, quo gravius affligimu præsenti corporis pœna. Flagellat enim Dominu omnem filium quem recipit. Parati ergo sumus pa tienti et læto animo amara suscipere de manu Do mini, qui dulcia toties in usum accepimus. Itaqu sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. Nih enim aliud desideramus in vita, licet aliquid prop siti differamus, donec domini regis, tuo utamur co silio. Interim domui nostræ, animæ nostræ disp nemus, pro consilio religiosorum, amodo præstant Domino, efficacius disponemus. Est autem quod ta de consilio religionis, quam de proprio concepimu spiritu, ut omnes malas consuetudines quæ nostr temporibus per nos ortæ sunt in archiepiscopat emendemus ante exitum nostrum. Unde cum in ex tremis agere videremur, Domino vovimus inter ca tera, quod consuetudinem de secundis auxiliis, qua frater noster archidiaconus ecclesiis imposuit, d strueremus, ab ea relaxantes, liberantes ecclesias sub anathemate prohibimus, ne ulterius ab aliqu exigantur. Et, ne hoc nostrum beneficium, aut poti debitum imposterum valeat infirmari, hoc ipsu scripto nostro confirmavimus. Tu quoque, si præ D sens nostras vidisses angustias, gratum haber quidquid fieri videres pro nostra salute, nostra malles animam liberari, quam de peccatis, damn tione nostra, pecuniam, divitias infinitas acquirer Inde est quod te ad præsens in vexatione hujus au lii audire non possumus, sine læsione voti, salu nostræ periculo. Sed, si Deus nobis vitam deder sanitatem quam nondum bene adepti sumus, sper mus quod adhuc ita tibi per manum nostram D minus providebit, quod talibus non egebis auxili gratias ages Domino, quod a mala consuetudi suam temporibus vestris liberaverit Ecclesiam. R gamus itaque, quod fecimus gratum habeas, qu

nobis parum prodesset totus mundus, si animam perderemus.

EPISTOLA CCCCXVII.

EJUSDEM AD.....

Causam, quæ inter dilectos filios nostros canonicos Meritonenses et monachos de Messa vertebatur super possessione loci qui dicitur Acchab. et B. et damnis quæ sibi canonici querebantur illata, et mandato domini papæ decidentes, monachos canonicis condemnavimus, in restitutionem præfati loci ad damna sibi resarcienda. Quarum summam cum illi ad octoginta marcas, servata veritate, adhibita moderatione extenderent, nos partibus nostris interpositis eam ad XL marcarum reduximus quantitatem. Vestræ itaque fraternitati mandamus, domini papæ auctoritate præcipimus, ut præfatos monachos memoratis fratribus jam dictum locum, pecuniam præfatam, omni occasione postposita restituere compellatis, ne in exsecutione mandati apostolici negligentiæ vos quisquam arguere possit obnoxios. Hoc autem monachis non debet suffragari, quod præscriptum fundum advocato illius, sicut nobis confessi sunt, tradiderunt, cum ille qui dolo desiit possidere pro possessore damnetur : unde locum incontinenti restituant, pecuniam infra instantem festivitatem Omnium Sanctorum persolvant. Quod si dominus fundi vobis quacunque occasione se opposuerit, eum severitate ecclesiastica, adhibita diligentia, coercere non differatis.

EPISTOLA CCCCXVIII.

EJUSDEM, ut videtur, AD.....

Nos super re non ambigua consuluistis, et quam præsertim a sapientibus expediri potius oportuerat, quam differri. Siquidem rerum turpium nulla deliberatio est, turpitudinis dilata repulsa quamdam consensus inhonesti prætendit imaginem. Quod autem turpius est quam, totius divinæ legis auctoritate contempta, in Sancta sanctorum impudenter irruere, et impellente avaritia, contra jus et fas, jus hæreditarium in rebus ecclesiasticis, imo in ipso altari vindicare. Quis, nisi profanus, patienter audiat, nedum petat, quod tam manifeste sacri canoni exhibent, quod utriusque Testamenti tam expresse condemnat auctoritas ? Revolvite canones, quoniam in hac parte latissime patent, plane videbitis petentium talia improbatam esse petitionem, et eorum qui tales audiunt, durissime plectendum esse assensum. Non relictus nobis dissimulandi locus, quia in concilio Lateranensi, cui nos et vos, frater episcope, interfuimus, domino Innocentio præsidente audivimus, vota talia promulgato canone condemnari. Sed forte regia vos urget auctoritas, recte quidem nisi sciretis Dominum homini præferendum, nisi religio principis possit circumveniri, nisi per subreptionem ab eo nonnulla esse extorta jam fuissetis experti. Summa ergo consilii nostri hæc est, ut legi Domini et sacris canonibus juxta professionem vestram obtemperetis : quoties vos tales angustiæ presserint, incidere in manus hominum quam Domini viventis, tutius judicetis. Sed est forsan unde merueritis super successionibus hujusmodi vexari, eo quod in fraudem canonum ad cessiones et substitutiones illicitas nimium proni estis.

EPISTOLA CCCCXIX.

THEOBALDI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI TESTAMENTUM.

Supremis deficientum voluntatibus suum accommodant jura favorem, et ipse velut inhumanus provocat iram Domini, qui piis eorum desideriis obvius contradicit. Nostra quidem voluntas est et quæ Domino auctore nunquam mutabitur, ut residuum bonorum nostrorum mobilium, quæ propter necessitates domesticas, et diuturnitatem languoris usque ad exitum vitæ duximus conservanda, in usus pauperum omnino cedant, secundum quod nobis Dominus inspiravit, sicut dedimus in mandatis venerabili fratri nostro Waltero Roffensi episcopo, fidelibus nostris, Philippo cancellario nostro, magistro R [adulfo] Lexoviensi, et Joanni de Saresberia quos eleemosynæ nostræ dispensandæ præfecimus : et omnibus ministris et fidelibus nostris per fidem quam nobis debent, injunximus, ut istis obtemperent, et eis omnia nostra exponant, amicos cleri omnes suppliciter exoramus, ut pro misericordia Domini omnipotentis, eis auxilium et consilium præbeant. Omnes autem qui in præfatis pauperum rebus committent, aut qui, quo minus dispositio nostra procedat, impedient, anathematis sententia condemnavimus, ipsique officiales regis, si se dispositioni perturbandæ immiscuerint, se fidelium communione noverint esse privatos, tanquam sacrilegi, excommunicati, ab introitu omnium ecclesiarum abstineant. Omnibus autem dispositionis nostræ adjutoribus, benedictionem Domini et nostram damus, ipsos beneficiorum Cantuariensis Ecclesiæ participes constituimus, eisque de injuncta sibi pœnitentia quadraginta dierum indulgentiam facimus. Præterea ex parte omnipotentis Domini sub anathemate interdicimus, ne quis officialium domini regis ad res, quæ propriis monachorum Cantuariensis Ecclesiæ usibus dicatæ sunt, temerariam manum prætendat extendere, sed habeant omnes res suas in ea integritate, libertate, qua easdem ipsis domini papæ et nostro privilegio fecimus confirmari. Ad hæc sub eodem anathemate, terrarum, quæ ad archiepiscopum pertinent, omnem alienationem fieri prohibemus, et excidia, et damna nemorum, donec nobis successor subrogetur, nisi quantum necessarius Ecclesiæ exigit usus, vel dominus rex proprio ore præceperit, vel misericordia discreta cum moderatione, pauperum hominum necessitati indulserit. Sub eadem quoque interminatione clericis episcopatus nostri prohibemus indebitis exactionibus et injustis vexationibus opprimi : eis omnes libertates et consuetudines justas, quas habuerunt tempore Willelmi, bonæ memoriæ decessoris nostri, præcipimus observari.

EPISTOLA CCCCXX.

PRIORIS ET CONVENTUS CANTUAR. AD ALEX. PAPAM.

Domino papæ, prior Cantuariensis et conventus.

Eos vobis securius commendamus, etc. *Vide inter epistolas variorum ad Alexandrum III, papam.*

A

EPISTOLA CCCCXXI.

ODONIS PRIORIS ET CONV. CANT. AD ALEX. PAPAM.

Domino papæ Odo prior et conventus Cant.

Calamitates quas Ecclesia nostra pleno decennio jam sustinuit, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXXII,

EJUSDEM, ut videtur, AD RICARDUM PICTAVIENSEM ARCHIDIACONUM.

Venerabili domino et amico suo Ricardo, Pictaviensi archidiacono, frater Odo, æternam in Christo salutem.

Licet adjectio paupertatis meæ tanti viri familiaritate judicari possit indigna, prudens tamen excellentia tua spirituales divitias temporalibus anteponens, quam humiliter mihi in familiaritate per charitatem et orationum gratiam conjungi postulare dignata sit, credo quod nondum oblivioni tradiderit. Unde, quoniam juxta dignationem voluntatis tuæ, per charitatis tibi vinculum teneor, et me tibi in his quæ Dei sunt obnoxium esse confiteor, non modicam tibi scribendi habere fiduciam debeo. Nec si pro avertendo ecclesiæ meæ periculo tibi per litteras supplico, nimis præsumptuosum existimo. Videns igitur in appellatione episcoporum, cui per justitias regis consentire compellimur, æternum Ecclesiæ nostræ imminere periculum, et sempiternum opprobrium, in magno pro hoc cum universo conventu nostro mœrore constitutus, ad pedes pietatis tuæ me corpore et mente prosterno. Et illud tibi evangelicum cum clamore valido et lacrymis offero: *Domine, si quid potes, adjuva nos* (*Marc.* IX). Utinam hoc quod ibi responsum est, et tu mihi respondeas: *Si pote credere, omnia possibilia sunt credenti* (*ibid*). Huic responso statim subinfero: *Credo, Domine* (*ibid*). Nec illud adjicio: *Adjuva incredulitatem meam* (*ibid*). Perfecte etenim credo, et certissime scio, quia in volueris, ab imminenti periculo cum omni facilitate liberare nos poterit. Videtur enim mihi, rem diligenter consideranti, quod sententia ista ex ore domini regis minime processit, quæ nos adversus archiepiscopum nostrum, contra æquum et bonum, appellationem facere compellit. Si enim ore ipsius dictata fuisset, hoc nimirum ordine procederet, ut primum episcopi omnes, deinde abbates omnes, postea priores quicunque alicujus auctoritatis sunt, omnes archidiaconi quoque et decani omnes, ad hoc faciendum vocarentur, quorum interest jura ecclesiastica defendere, et pro eis appellationes facere. Ad postremum vero, si necesse esset, monachi claustrales, præsertim hi qui abbate et priore carent, ad appellationis supplementum humiliter rogarentur, non violenter compellerentur: maxime cum ad eos hujusmodi negotia minime pertinere noscantur. Nunc vero, transitis abbatibus multis, prioribus etiam tam monachorum quam canonicorum, magnæ auctoritatis viris præteritis universis, archidiaconis quoque et decanis cum suis synodis et capitulis plerisque dimissis, qui est quod monachi simpliciter claustrales, abbate et priore carentes, ad hanc quietis nostræ perturbationem specialiter præ cæteris evocamur, et ad rem nobis tam illicitam, tam periculosam, et in omnibus post futuris sæculis cum maximo nobis opprobrio semper objiciendam, tam violenter compellimur? Quid dico, violenter? Imo cum tanto et cum tam inevitabili periculo hoc facere compellimur, ut si periculum, quod ab ira regia nobis imminet, si ei inobedientes fuerimus, per consensum appellationis declinare tentemus, majus hinc periculum statim incurramus, quod imminet nobis a Deo in damnationem, a domino papa

B

et ab archiepiscopo præsertim in excommunicationem, vel certe in ordinis nostri destructionem, ab omnibus archiepiscopis futuris in æternam odii et depressionis occasionem, ab universo mundo, ubicunque hoc auditum fuerit, in sempiterni opprobrii confusionem.

O angustia! o violentia undique periculosa! Absit hoc, absit a domini nostri regis pietate atque prudentia, ut tam periculose contra nos dictaverit, qui nos ab omni humano solatio destitutos in sua cura suscepit. Qui nobis loco archiepiscopi et loco prioris se futurum fideliter proposuit. Et hactenus misericorditer fuit. Quem solum post Deum et sanctos ejus in terra patronum habemus, et a quo solo solatium, consilium et auxilium speramus. Certus sum quod sententia ista a domino nostro rege contra nos filios suos, sibi semper et ubique fidelis-

C

simos, minime processit, sed justitias ejus excommunicatorum calliditas circumvenit, ut nos, qui in capite regni sumus, secum appellationem facere cogant, per quam et causam archiepiscopi maxime deprimendam, et suam e contrario plurimum roborandam fore existimant. Sed utrum ex appellatione nostra aliquis profectus illis subvenire possit, ambignum est. Nobis autem tam a Deo quam ab hominibus inde maximum imminere periculum, certissimum est. Sed neque apud dominum nostrum regem tutum nobis esse potest, ut vel absque special ejus mandato, vel proprii oris imperio hoc faciamus præsertim cum in ipsius consilio ex toto posit simus. Scio neque ipsum neque suos in aliquo ve modicum dubitare de nobis, quo necesse sit hujus modi rem periculosam a nobis exigere. Sciat enim

D

dilectio tua, sciat tecum sociorum tuorum, id es justitiarum regis prudentia, sciat vobiscum univers terra, quod dominum nostrum regem præ omnibu hominibus, qui sunt in terra, in veritate diligimus et honorem ipsius in omnibus, et per omnia pr modulo nostro servamus, et servare volumus.

Hujus veritatis testes sunt orationes nostræ, qua Deo pro salute ipsius et hæredum ejus, et pro in columitate totius regni ejus, specialius quam pr ullo hominum, die ac nocte affectuosa charitat offerimus. Quod ut quiete, sicut hactenus fecimu semper facere possimus, si vere et Ecclesiæ nostr et regis amicus es, imo vero, quia es, nos ad in

minens evadendum periculum, in quantum potes, providere, et socios tuos, regis justitias et amicos ad similiter providendum omnibus modis allicere debes. Ut igitur Christum, cui in Ecclesia ipsius devote servimus, in maxima necessitate tua non aversum a te, sicut in visione vidisti, sed ad te conversum, sicut iterum vidisti, tibique propitium invenias, et ut beatum Dunstanum omnesque sanctos, quorum reliquiæ in nostra continentur ecclesia, non contra te coram Deo accusatores, sed pro te apud Deum semper intercessores efficias, ecce ego o domine venerabilis et amice charissime, in persona totius conventus ad pedes pietatis tuæ supplex et humilis jaceo, gemitibus et lacrymis insiam tibi bonitatem postulans, ut nobis, de tuo consilio et auxilio plurimum confidentibus, in hac periculosa necessitate subvenias, et ita nos ab hac angustia secundum datam tibi a Deo potestatem atque sapientiam absolute liberes, ut nec domini regis indignationem, appellatione subterfugientes, incurramus, nec appellationem facientes universo mundo sempiternum opprobrium efficiamur. Credo in Christo, et de tua bonitate confido, quod in hac necessitate nostra illud proverbium in te verum experiemur: « In necessitate probatur amicus. » Puta ipsum Christum pro hac necessitate ecclesiæ suæ tibi supplicare, et omnes sanctos, quorum in ea reliquiæ continentur, tuum pro loco sepulturæ suæ patrocinium postulare. Vale, domine mi et amice charissime, pro certo sciens quod si nos ab imminenti periculo liberaveris, totam ecclesiam nostram in perpetua charitatis servitute tibi semper obnoxiam habebis. Adjuvet Dominus Jesus Christus in liberatione Ecclesiæ suæ. Amen.

EPISTOLA CCCCXXIII.

WILLELMI PRIORIS ET CONVENTUS ECCL. CHRISTI CANTUAR. AD UNIV. CHRISTI FIDELES.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis W. prior humilisque conventus Ecclesiæ Christi Cantuariæ, æternam in Dominum salutem.

Decens credendum est et honestum quod auribus denuntientur singulorum, quæ ad gloriosi martyris Thomæ devotionem cedunt et honorem, et quæ fidelium respiciunt salutem animarum. Ea propter universis ac singulis innotescat dominum papam Honorium ob reverentiam jam dicti martyris, accessuris intra quintum decimum diem ad solemnitatem translationis ejusdem remissiones indulsisse et confirmasse sub hac forma : *Honorius papa*, etc., *dilectissimi filiis priori et conventui Ecclesiæ Christi Cantuariensis, salutem*, etc. (Vide epistolam Honorii ante in loco suo insertam).

EPISTOLA CCCCXXIV.

ROGERI EBORAC. ARCHIEP. AD ALEXANDRUM PAPAM.

Si mihi præsto esset facundia, etc. *Vide inter epistolas variorum ad Alexandrum III papam, post ipsius Regesta.*

EPISTOLA CCCCXXV.

EJUSDEM AD HUGONEM DUNELMENSEM EPISCOPUM ET ALIOS.

Rogerius, Dei gratia Eboracensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, venerabili fratri Hugoni Dei gratia Dunelmensi episcopo, et dilectis filiis R. decano et Willelmo Cantuariensi et universo capitulo Eboracensi omnibusque canonicis Sanctæ Mariæ de Sudewelle, Sanctique Wilfridi de Ripun, Sanctique Joannis de Beverleia abbatibus, prioribus, clero et universo populo per Eboracensem provinciam constituto, salutem et gratiam.

Non ignorat dilectio vestra, quanta pro dignitate Ecclesiæ nostræ hac tempestate sustinuerim, in qua tantum invidiæ mandari adversum me licuit, ut vix aliquis locus veritati relinquereretur. Familiare est omnibus iniquis, quoties nancisci possunt occasionem, maledictis eos quibus invident inurere et venenatis verborum jaculis figere innocentes. Fecerunt hoc qui jampridem sederunt mihi in insidiis. Et quidem primo paraverunt laqueum suspensionis, quo dominus papa plus eorum falsas suggestiones quam juris ordinem secutus me innodavit. Deinde, ne quoquomodo solvi posset, iniquitatem iniquitati addentes, hinc maximorum virorum libellos arte multiplici, sicut jam pluribus retro annis instructi fuerant, conquirebant, inde peregrinorum et qui me nunquam viderant multitudinem subornabant, ut ea quæ non noverant mentientes, apud summum pontificem et curiam Romanam, quocunque modo famam onerarent. Absens eram, et qui ex parte mea in curia pauci tantæ multitudini vix resistere poterant, tam exquisitis pressi mendaciis, maxime cum quidam solo habitu religiosi videntes illos prosperari in iniquitatibus suis cum illis currebant, et neglecto Dei timore ad eversionem dignitatis Ecclesiæ nostræ una cum meretricibus suis quas secum duxerant, ne quis sexus persecutioni meæ deesset, multa dixerunt. Hi omnes in unum convenientes, proposuerunt in cordibus suis gigantes imitari, parietem ex maximis quasi quibusdam lapidibus et multis mendaciis fictis ad tempus suspiriis et gemitibus, non solum domos, sed et plateas replentes diurno et nocturno ululatu, eumdemque ipsum parietem tanquam quodam indissolubili bitumine, vim naturæ facientes, simulatis lachrymis linierunt, sperantes hoc modo cœlum se claudere posse, et veritatem perpetuo carceri deputare. Quid plura ? Idem Pharao illorum ille spiritualis, cujus ipsi membra sunt, in tali equitatu incedere videbatur cum corona, et ego misere cophini servituti deputatus, respiciebam ad auxilium hominum et non erat. Cuti enim meæ consumptis carnibus os meum adhæserat. Levavi ergo ad cœlum oculos et in angustia spiritus mei ad Dominum clamavi, et intercedentibus meritis et orationibus vestris, exaudivit me pro sua reverentia. Qui malleo bonitatis suæ innatæ prædicto pariete confracto et in nihilum redacto, fugientibus Babyloniis, quæ clausa

tenebatur veritatem eduxit, et squalore carcerali A deterso, liberam in publicum exire præcepit. Quæ simul ac suæ reddita est libertati, ad me velociter evolavit, et in præsentia dominorum Rotrodi Rothomagensis et eorum quos episcopus Ambianensis vice sua delegaverat, quibus negotium meum a domino papa commissum erat, necnon et episcopi Ebroicensis multorumque religiosorum tam abbatum quam priorum a dextris mihi luce liquidior astat. Cujus faciem gravem et fulgentem prædicti archiepiscopus et viri religiosi a domino Ambianensi destinati intuentes, gavisi sunt gaudio magno valde et nullam moram sustinentes, juxta formam quam iis dominus papa præscripserat, incontinenti me a suspensione qua tenebar absolverunt, universis qui aderant benedicentibus Dominum, qui superbos B humiliat, qui sapientes in astutia sua comprehendit, qui de misericordia sua præsumentes liberat et vinctos educit in fortitudine. Ipsi gloria et nunc et per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Veniam autem ad vos, Domino volente, in proximo, ut gaudium meum in vobis impleatur. Quos ego ultra quam dici possit videre desidero. Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti super vos descendat pro nobis orantes.

Facta sunt hæc secunda feria post Dominicam, qua cantatur: *Gaudete*; *die festo Sanctæ Luciæ apud Albermaliam.*

EPISTOLA CCCCXXVI.

ARCHIEPISCOPI REMENSIS AD ALEX. PAPAM.

Alexandro papæ Remensis archiepiscopus. C

Venerabilis frater et amicus noster, etc. *Vide in Alexandro III, an.* 1159-81.

EPISTOLA CCCCXXVII.

CANONICORUM REMENSIUM AD ALEX. PAPAM.

Alexandro papæ canonici Remenses.

Invalescunt, Pater, scandala temporibus nostris, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXXVIII.

ROTRODI ROTHOMAGENSIS AD ALEX. PAPAM.

Evocati a domino nostro rege cum venissemus ad curiam, est. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXXIX.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Alexandro papæ, Rotrodus Rothomagensis archiepiscopus, obedientiam et reverentiæ plenitudinem. D

Perseverans in corde nostro desiderium videndi optatam serenitatis vestræ præsentiam, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXXX.

EJUSDEM AD HENRICUM PISANUM CARDINALEM.

Rotrodus Rothomagensis archiepiscopus, Henrico presbytero cardinali.

Pro domino rege Anglorum omnem exhibemus securitatem, quod imperatori nec per se, nec per nuntios juramentum præstitit, aut promissionem quod schismatico adhærere velit, Ecclesiam relicturus: imo certi sumus quod in illis qualibuscunque de matrimonio pactionibus, licet Teutonici super hoc laborarent per triduum, nihil unquan concedere voluit, nisi præeunte in omnibus fidel tate domini papæ, et Ecclesiæ, et regis Francia Ipsi vero litteris vestris mandavimus domina impe ratrix et nos, ut ab hac nota quam citius se excu set. Nos quidem cum Rothomagi essemus et illi essent nuntii imperatoris, de illis audivimus, se eos non vidimus. Domina imperatrix, cum eam v dere summopere requirerent, respondit quod pro pter episcopos non auderet. Nec eam viderunt. D ea nulla apud vos habeatur dubitatio, quod aliqu modo vacillaverit. Imo fortitudine accincta de hu jusmodi verbis satis admiratur. Nuntium, quem a nos direxistis, ad eam direximus : ipse vobis r feret quæ audivit. Postquam autem nuntii domi regis ab imperatore reversi fuerint, omnem reru veritatem sollicite inquisitam vobis significare nc differemus. Ex verborum tenore perpendere p testis dictorum falsitatem, quia quinquaginta ep scopos, quos exhiberet, rex non habet. Nos ve detrimentum Ecclesiæ nec sustinere, quantum nobis est, possemus, nec videre. Super his domin papæ, quod vobis videbitur, significabitis.

EPISTOLA CCCCXXXI.

EJUSDEM AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Thomæ Cantuariensi archiepiscopo, Rotrod Rothomagensis archiepiscopus.

Cum in mente haberemus devote pro parte vest laborare, accessit desiderio nostro mandatum, exhortatio domini papæ, qui dominæ nostræ imp ratrici et nobis mandavit, ut ad pacificandu vos domino regi operam diligentem adhiberemu Unde ipsa et nos, prout melius novimus et p tuimus, scripsimus ei, prædicando, consulend admonendo ex parte domini papæ et nostra. Ip autem litteris, quibus rescripsit asserens vos n expulisse, nec exire coegisse, de vobis conquest est hoc modo : Liquido cognoscitur quod inq contra me et regnum meum egerit; quam po posus, quam rebellis et seditiosus adversum m semper exstiterit; et quam nequissime nom meum et bonam opinionem infamare, et dignita regni mei, in quantum potuit, diminuere atten verit. Videte si super his idoneam excusation habetis, et recogitate in qua humilitate et dilectio ei præsentare possitis.

EPISTOLA CCCCXXXII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Thomæ Cantuariensi archiepiscopo, Rothomag sis archiepiscopus.

Scimus prudentiæ vestræ notum esse quod m lior est obedientia quam victimæ, et quod idololat scelus est nolle acquiescere, ei præsertim cui betur omnis obedientia in Ecclesia præsenti. qui cogendi habet potestatem dominus papa, no et venerabili fratri nostro Nivernensi episcopo c tam præscripsit formam, juxta quam absolveren venerabilem fratrem nostrum Londoniensem e scopum. Et mandato additum est quod si utero

ıostrum adesse non posset, alter nihilominus ab eo equisitus eum absolveret. Nos itaque requisiti, ab o die Paschæ, juxta formam mandati eum absolimus, auctoritate domini papæ vobis injungentes, uatenus hoc ita penes vos secretum observetur, icut ex rescripto litterarum domini papæ, quod obis mittimus, discretioni vestræ manifestius aparebit. Valete.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

EJUSDEM AD CLERUM ET POPULUM ANGLIÆ.

Rotrodus, Rothomagensis Dei gratia archiepiscous, dilectis sibi in Domino universis per Angliam onstitutis episcopis, abbatibus et clericis cæteisque Christi fidelibus, salutem, gratiam et beneictionem.

Si, ut monet Apostolus, legem charitatis admitmus, alterius invicem et congratulari commodis t compati debemus adversis. Unde, sicut veneraili fratri nostro Gilberto Londoniensi episcopo ob ententiam a domino Cantuariensi in eum quocunue modo latam intime condoluimus; sic ad indulım sibi nunc a domino papa benignitatem et graam tota cordium alacritate congaudemus. Noverit nim fraternitas vestra nos a summo pontifice id in ıandatis accepisse, ut eum a jam dicta sententia postolica auctoritate absolveremus, sic quidem ut b eamdem sententiam nullam penitus infamiæ noım sustineat nec honoris, dignitatis aut ordinis etrimentum ullum omnino incurrat. Quod, ut nobis ijunctum est, habentes mandato operis effectu omplere curavimus: et jam dictum fratrem norum a lata in eum sententia, summi pontificis autoritate a nobis solemniter absolutum, dilectæ obis in Domino universitati vestræ præsentium stificatione commendamus. Valere vos optamus ı Domino, charissimi.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

EJUSDEM AD CLERUM ET POPULUM LONDONIENSEM.

Rotrodus, Dei gratia Rothomagensis archiepiopus, dilectis in Christo fratribus, clero et poulo Londoniensis episcopatus, salutem, gratiam t benedictionem.

Universitati vestræ notum facimus quod veneabilem fratrem nostrum Gilbertum, episcopum estrum, a sententia qua in eum protulerat exommunicationis Cantuariensis archiepiscopus, ıandato domini papæ absolvimus, de mandato ejus oc habentes, ut pro quod excommunicatus fuerit, ec honoris nec officii detrimentum nec infamiæ otam sustineat. Unde auctoritate domini papæ obis præcipimus quatenus ei, tanquam a domino apa absoluto, communicare non dubitetis, solitam debitam obedientiam et reverentiam ei exhibens, Valete.

EPISTOLA CCCCXXXV.

EJUSDEM AD HENRICUM REGEM.

Reverendo domino suo H. ill. Anglorum regi, Rorodus Rothomagensis archiepiscopus.

Formam verborum quam reliquistis nobis, a le-A gatis nequivimus impetrare propter determinationes quæ tam a vobis quam ab ipsis hinc inde multiplices et ambiguæ ponebantur. Eos autem abrupte, et sine spe pacis recedere, nec honori vestro nec utilitati congruere videbatur. Cum igitur nos plurima tractarentur, verbum incidit, in quo dignitati vestræ et honori vestro non derogatur in aliquo, nec Cantuariensi aliqua in futurum litigii materia comparatur. Est autem verbum hujusmodi, ut concedatis pro amore Dei et domini papæ archiepiscopatum redire in Angliam, et archiepiscopatum suum ita integre habere faciatis, sicut habuit antequam exiret, et illis qui cum eo vel propter eum egressi sunt, similiter sua. Placuit autem nobis brevitas et simplicitas hujus verbi, quia nullis artibus aut suspicionibus videbatur involutum. Unde vobis consuli-
B mus et laudamus, ut vestrum ad hoc accommodare non dubitetis assensum.

EPISTOLA CCCCXXXVI.

ECCLESIÆ ANGLICANÆ AD THOMAM CANTUARIENSEM

Venerabili Patri et domino Thomæ, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, suffraganei ejusdem Ecclesiæ episcopi, et personæ per eorumdem diœceses locis variis constitutæ, debitam subjectionem et obedientiam.

Quæ vestro, Pater, in longinqua discessu, inopinata rei ipsius novitate turbata sunt, vestra sperabamus humilitate et prudentia in pacis pristinæ serenitatem, cooperante Dei gratia, revocari. Erat quidem nobis solatio, quod post discessum vestrum ad
C omnes illico fama divulgante pervenit, vos solum et in transmarinis agentem nil altum sapere, vos in dominum nostrum regem aut regnum ejus nulla machinatione insurgere, sed sponte susceptum paupertatis onus cum modestia sustinere, lectioni et orationi insistere, præteritorumque jacturam temporum jejuniis, vigiliis, lacrymisque redimere, et spitualibus occupatum studiis ad perfectionis apicem beatis virtutum incrementis ascendere. Ad pacis bona reformanda vos studiis hujusmodi gaudebamus insistere, ex quibus spes erat vos in cor domini nostri regis hanc posse gratiam desuper evocare, ut vobis iram regia pietate remitteret, et illatas in discessu et ex discessu vestro injurias ad cor de cætero non revocaret. Erat amicis vestris et benevolis ad
D ipsum aliquis, dum hæc de vobis audirentur, accessus, et ob conciliandam vobis gratiam supplicantes benigne quandoque sustinuit. Jam vero quorumdam relatione didicimus, quod ad memoriam anxie revocamus, vos scilicet in cum comminatorium emisisse, quo salutationem omittitis, quo non ad obtentum gratiæ consilium precesve porrigitis, quo non amicum quid sentitis aut scribitis, sed intentatis minis interdictum aut præcisionis elogium in eum jam dicendum fore multa severitate proponitis. Quod si quam dure dictum est, tam fuerit severe completum, quæ turbata sunt non jam speramus ad pacem redigi, sed in perenne quoddam odium

inexorabile pertimescimus inflammari. Rerum vero finem prudentia sancta considerat, dans operam sollicite ut quod prudenter inchoat bono quoque fine concludat. Advertat itaque, si placet, discretio vestra quo tendat, an conatibus hujusmodi queat finem obtinere quem optat. Nos quidem, his ausis, a spe magna cecidimus, et qui pacis obtinendæ spem quandoque concepimus, ab ipsis jam spei liminibus gravi quadam desperatione repellimur. Et dum velut extracto gladio pugna conseritur, pro vobis supplicandi locus utique non invenitur. Unde Patri scribimus ex charitate consilium, ne labores laboribus, injurias superaddat injuriis, sed omissis minis patientiæ et humilitati inserviat, causam suam divinæ clementiæ Dominique sui gratiæ misericordi committat, et sic agendo carbones ignis in multorum capita coacervet et congerat. Accenderetur hoc modo charitas, et quod minæ non poterant, inspirante Domino, bonorumque suadente consilio, sola fortasse pietas obtineret. Bonum erat de paupertate voluntaria gloriose laudare, quam de beneficii ingratitudine ab omnibus in commune notari.

Insedit alte cunctorum mentibus, quam benignus vobis dominus noster rex exstiterit, in quam vos gloriam ab exsili provexerit, et in familiarem gratiam tam lata vos mente susceperit, ut dominationis suæ loca, quæ a boreali Oceano ad Pyrenæum usque porrecta sunt, adeo potestati vestræ cuncta subjecerit, ut in his solum hos beatos reputaret opinio, qui in vestris poterant oculis complacere. Et ne vestram gloriam mobilitas posset mundana concutere, vos in his quæ Dei sunt voluit immobiliter radicare. Et dissuadente matre sua, regno reclamante, Ecclesia Dei, quoad licuit suspirante et ingemiscente, vos in eam, qua præestis, dignitatem modis omnibus studuit sublimare, sperans se de cætero regnare feliciter, et ope vestra et consilio summa securitate gaudere. Si ergo securim accipit, unde securitatem sperabat, quæ de vobis erit in cunctorum ore narratio? Quæ retributionis hactenus inauditæ rememoratio? Parcatis ergo, si placet, famæ vestræ, parcatis et gloriæ, et humilitate dominum, filiumque vestrum charitate vincere studeatis. Ad quod si nostra vos monita movere nequeunt, debet saltem summi pontificis sanctæque Ecclesiæ Romanæ dilectio et fidelitas inclinare. Vobis enim suaderi debet e facili, ne quid attentare velitis quod laboranti jamdiu matri vestræ labores augeat, quoque multorum inobedientiam deploranti in eorum, qui obediunt, amissione dolor accrescat. Quid enim si vestra, quod absit! exacerbatione et opera dominus noster rex, quem largiente Domino populi sequuntur et regna, a domino papa recesserit, ipsumque sibi fortassis adversum vos solatia denegantem sequi de cætero declinaverit: ipsum namque in hoc quæ supplicationes, quæ dona, quot quantave promissa sollicitant? In petra tamen firmus huc usque perstitit, et totum quod mundus offerre potest, victor alta mente calcavit. Unum nobis timori est, ne quem oblatæ divitiæ, et totum quod in hom[...] num gloria pretiosum est, flectere nequiverun[...] animi sui valeat indignatio sola subvertere. Quo[...] si per vos acciderit, in threnos totus ire poterit[...] et lacrymarum fontem oculis vestris de cæte[...] negare nulla quidem ratione poteritis. Revoce[...] itaque, si placet sublimitati vestræ, consiliu[...] domino quidem papæ, sanctæque Romanæ Eccl[...] siæ, vobisque, si placet advertere, modis omnibu[...] si processerit, obfuturum. Sed qui penes vos a[...] sapiunt, vos hac forte via progredi non permittu[...] Hortantur experiri quis sitis in dominum nostru[...] regem, et omnia quæ sua sunt, potestatem exerce[...] qua præestis. Quæ nimirum potestas peccanti [...] menda est, satisfacere nolendi formidanda. Do[...] num vero regem non quidem nunquam pecca[...] dicimus, sed semper Domino paratum satisface[...] confidenter dicimus et prædicamus. Rex a Domi[...] constitutus paci providet per omnia subditorum[...] ut hanc conservet ecclesiis et commissis sibi popu[...] dignitates regibus ante se debitas et exhibitas s[...] vult ac exigit exhiberi. In quo, si inter ipsum [...] vos aliqua est oborta contentio, a summo super[...] pontifice paterna gratia per venerabiles fratres [...] stros Londoniensem et Herefordensem episcopos c[...] ventus et commonitus, non in cœlum os suum [...] suit, sed de omnibus in quibus vel Ecclesia, vel [...] clesiastica quæcunque persona se gravatam ost[...] derit, se non alienum quærere, sed Ecclesiæ re[...] sui pariturum judicio, humiliter et mansuete resp[...] dit. Quod quidem et factis implere paratus est [...] dulce reputat obsequium, cum monetur ut corrig[...] si quid offendat in Deum. Nec solum satisface[...] sed etiam, si jus exigat, in hoc satis dare paratus[...] Igitur satis dare et satisfacere volentem, Ecclesiæ[...] se judicio in his quæ sunt Ecclesiæ, nec in mod[...] subtrahentem, colla Christi jugo subdentem, [...] jure, qua lege, quove canone aut interdicto gra[...] bitis, aut securi, quod absit! evangelica præcide[...] Non impetu quidem ferri, sed judicio prudenter [...] laudabile est. Unde nostrum omnium una es[...] commune petitio, nec consilio præcipiti mactare [...] gatis et perdere, sed commissis vobis ovibus, u[...] tam, ut pacem, ut securitatem habeant, pate[...] studeatis gratia providere.

Movet quidem omnes nos, quod in fratrem [...] strum dominus Saresberiensem episcopum, et [...] canum ejusdem, præpostere, ut quidam existim[...] nuper actum audivimus: in quos suspensionis [...] damnationis pœnam ante motam de culpa con[...] versiam, calorem, ut videtur, iracundiæ, plus qu[...] justitiæ secutus tramitem, intorsistis. Ordo judi[...] rum novus hic est, hucusque legibus et canoni[...] ut sperabamus, incognitus: damnare primum, e[...] culpa postremo cognoscere. Quem ne in domin[...] nostrum regem et regnum ejus, ne in nos et c[...] missas nobis Ecclesias et parochias, in domini [...] pæ damnum sanctæque Romanæ Ecclesiæ dede[...] et detrimentum, nostræque confusionis augm[...]

ım non modicum, exercere tentetis et extendere, emedium vobis appellationis opponimus. Et qui ontra metum gravaminum in facie Ecclesiæ viva ımdudum vos ad dominum papam appellavimus, erato jam nunc ad ipsum scripto etiam appellaıus, et appellationi terminum diem Ascensionis ominicæ designamus, quanta quidem possumus evotione supplicantes ut inito salubriori consilio əstris ac nostris laboribus, expensisque parcatis, ιusamque vestram in hoc, ut remedium habere ıeat, ponere studeatis. Valere vos optamus in Doino, Pater.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

EORUMDEM AD ALEXANDRUM III.

Patri suo et domino, summo pontifici ALEXANDRO, ovinciæ Cantuariensis episcopi, et personæ per rumdem diœceses locis pluribus constitutæ, doino patrique debitum charitatis et obedientiæ faulatum.

Vestram, Pater, meminisse credimus excellen-.m, etc. *Vide in Alexandro III*, an. 1159-81.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

EORUMDEM AD EUMDEM

Patri suo et domino, summo pontifici ALEXANDRO, glicana Ecclesia devotum et debitum charitatis obedientiæ famulatum.

Sublimitati vestræ, Pater reverende, venerande, ıtias affectuose referimus, etc. *Vide inter epistodiversorum ad Alexandrum III papam, post ius Regesta.*

EPISTOLA CCCCXXXIX.

CLERI NORMANNIÆ AD EUMDEM.

Domino papæ ALEXANDRO, episcopi et clerus Nornniæ salutem et obdientiam.

Juntios et litteras vestras dominus noster rex, . *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXL.

CLERICORUM QUORUMDAM AD REGEM HENRICUM

harissimo domino suo HENRICO illustri Angloı regi, duci Normanniæ et Aquitanniæ, et comiti legavensi R....., abbas Wallatiæ, REGINALDUS esberiensis archidiaconus, R....... Lexovienarchidiaconus, RICARDUS BARRE, et magister RICUS salutem, et fidele in omnibus et ubique equium.

overit majestas vestra, quod cum Ricardus e nos præcessisset, et cum multo periculo et vamine nos ad curiam domini papæ prævenisnos quatuor, cum duobus episcopis et decano əicensi, et magistro Henrico, cum multa diffiıte venimus usque Senas. Ibi diebus aliquot defuimus. Comes enim Macharius sic ex omni e vias obsidebat, quod nulli patebat egressus. . vero nos quatuor cum episcopis, qui plurin exire desiderabant, non potuissemus, in maxiınimi angustia positi ex communi consilio ia nocte occulte et fraudulenter exivimus, et erabrupta montium, et per loca fere invia, sub no timore et periculo tanndem venimus Tuscu-

A lanum. Ibi Ricardum Barre, de vestro honore, sicut decebat, sollicitum et ad vestram utilitatem prudenter et instanter laborantem invenimus, multum tamen contristatum et confusum, quia nec dominus papa eum receperat, nec alii benignos et humanos se illi exhibuerant. Nos autem venientes dominus papa nec videre, nec ad osculum, nec ad pedem voluit admittere. Vix enim plerique cardinalium dignati sunt nos recipere vel in verbo. Diu ergo in amaritudine spirituum nostrorum anxie conturbati, his qui vos fidelius diligebant, omnimode supplicavimus, ut eorum interventu dominus papa nobis quocunque modo audientiam indulgeret. Ad eorum instantiam recepti sunt dominus abbas de Wallatiæ et R..... archidiaconus Lexoviensis, B qui minus habebantur suspecti. Ipsi autem cum nomen vestrum tanquam devotissimi filii Romanæ Ecclesiæ in salutatione ex vestra parte proponerent, acclamavit totâ curia : Sustinete, sustinete, tanquam domino papæ abominabile esset audire nomen vestrum. Sic a curia venientes sero redierunt ad dominum papam, ei de nostro communi consilio exponentes quod nobis fuerat a vestra majestate injunctum, referentes etiam seriatim singula beneficia, quæ contuleratis Cantuariensi, et singulos excessus, et inopportunitates quas contra vestram commiserat dignitatem, totumque hoc primo secreto, postea, coram domino papa et omnibus cardinalibus, contendentibus etiam contra eos Alexandro Wallensi et Gunterio Flandrensi, clericis Cantua- C riensis. Instante vero quinta feria ante Pascha, in qua de consuetudine Romanæ Ecclesiæ solet dominus papa publice absolvere vel publice excommunicare, cum certi essemus quod de vestro et regni vestri gravamine tanquam ad hoc proni diutissime tractassent, consuluimus eos, quos majestati vestræ fideliores cognovimus, scilicet dominum Portuensem, dominum Hyacinthum, dominum Papiensem, dominum Tusculanum, dominum Petrum de Mirso, dominus Joannes Neapolitanus aberat, cum omni studio et instantia exorantes, ut nobis animum domini papæ, et quod circa vos statuere proponeret, aperirent. Ipsis vero nihil nisi sinistrum et vestræ celsitudini ignominiosum reportantibus, ex singultuosa eorum et fratris Franci fidelis vestri rela- D tione præsensimus, quod ea die immutabiliter disposuerat dominus papa in vos nominatim, et in totam terram vestram cismarinam et transmarinam de communi fratrum consilio interdicti ferre sententiam, et eam, quæ in ipsos lata fuerat, confirmare. Positi ergo in arctissimo, omni studio attentavimus per cardinales, et per illos de sociis nostris, qui ad illum habebant accessum, et per familiares suos, ut cessaret ab hoc proposito, vel saltem differret usque ad adventum episcoporum vestrorum. Quod cum nullo modo fieri posset, nos, sicut decet et sicut debitores vobis sumus, personæ vestræ dedecus, et totius terræ vestræ gravamen sustinere non valentes, nec debentes, tandem convocatis

sociis nostris coram quibusdam cardinalibus viam invenimus saluti vestræ et honori bonam et securam, et universæ terræ vestræ utilem, et episcopis necessariam, pro qua a vobis et a terra vestra et ab episcopis vestris dedecus et periculum quod imminebat, avertimus, et nos ipsos pro hac liberatione toti periculo exposuimus, credentes et certam spem habentes quod totum negotium procederet secundum quod credimus vos velle et secundum quod credimus vos velle debere. Timore namque perterriti iisdem cardinalibus intercedentibus, significavimus domino papæ, nos accepisse in mandatis a vobis, quod juraremus in præsentia ejus, quod vos stabitis mandato suo, et hoc jurabitis in propria persona. Eadem ergo die Jovis fere circa horam nonam, vocati sunt nuntii, tam vestri quam episcoporum, et in generali consistorio juravimus, abbas scilicet de Wallatia et Saresberiensis ex Lexoviensis archidiaconi et magister Henricus, et Ricardus Barre, quod vos stabitis mandato papæ, et ad præceptum ejus hoc jurabitis. Nuntii vero archiepiscopi Eboracensis, Londoniensis et Saresberiensis episcoporum juraverunt similiter, quod domini sui stabunt præcepto ejus, et hoc jurabunt. Ipsa die tamen generaliter excommunicavit interfectores Cantuariensis, et omnes qui consilium, vel auxilium vel assensum præbuerunt, et omnes qui in terram suam eos scienter receperint aut foverint. Dominus Wigornensis, et dominus Ebroicensis episcopi, et Robertus de Novo Burgo, Ebroicensis et magister Henricus in proximo venturi erant et eos quidem dimisimus ultra modum anxios et turbatos, quia pro explendo negotio vestro pro velle suo venire non poterant. Fuitque de consilio eorum et nostro, quod nos quocunque modo præcederemus eos, ut dedecus et malum, quod parabant nobis adversarii nostri impedire possemus. Certi enim eramus quod vestrum gravamen in curia præparabatur et timuimus illius diei consuetudinem. De nuntiis quos ad dominum imperatorem misistis, nihil postea audivimus. De vestro, quod mihi per Reginaldum misistis secreto, coram Wilelmo filio Hamonis et postmodum abbate de Wallace spem bonam concepimus quod fiet. Valeat et diu vigeat sublimitas vestra. Confortamini in Domino, et exsultet cor vestrum, quoniam præsens nubilum ad gloriam vestram sequetur serenum. Die Sabbati ante Ramos palmarum ad curiam venimus, et lator præsentium die Paschæ recessit a nobis.

EPISTOLA CCCCXLI

ECCLESIÆ ANGLICANÆ AD THOMAM CANTUARIENSEM

Ecclesia Anglicana Cantuariensi archiepiscopo, salutem et debitam charitatem.

Vestram scimus non latere prudentiam, nos anno jam præterito ad dominum papam appellasse, et directis ad vos litteris idipsum vobis significasse. Appellationis hujus causas, si dissimulare non vultis, scitis esse justissimas. Nullum enim excommunicari justum est juri se offerentem, se et causam suam divinis per omnia legibus submittentem. Vos tamen in dominum nostrum regem, a summo pontifice causæ suæ judices petentem pariter et exspectantem, excommunicationis ferre sententiam et in regnum ejus interdicti pœnam statuere severitate si placet attendere, non recte quidem moderata proposuistis. Quo nimirum modo si processisset negotium, domino nostro papæ sanctæque Romana Ecclesiæ magnum ex hoc non ambigimus jamjam provenisse dispendium. Unde ne facto vestro ve stem Christi scindi, inconsutilem ejus tunicam male dissui taciturnitate nostra et indiscreta quadam con niventia sineremus, ad dominum papam appellavi mus, et debitam sibi fidelitatem, ad ipsum appel lando, conservavimus. Appellationis hujus dilat siquidem prosecutio non fuisset, nisi pietatis i nos oculos apostolica clementia reduxisset. Qui no bis et vobis affectu paterno compatiens laboribu nostris et expensis, ut scribens ipse testatur, mise ricorditer parcens, viros sapientes et honestos, pe ritos juris et æquitate probatissimos de latere su transmisit ad nos ut causam hanc plene cognosce rent et ipsam suscepta potestatis plenitudine te minando, finem laboribus jandiu protractis impo nerent. Litteras in hoc domini papæ suscepimu quibus nobis apostolica auctoritate injungitur uti sis assistere appellationis nostræ causas apud e exponere, eorum parere sententiæ et reverentia judicariæ potestati debitam in omnibus exhibe non omittamus. Ipsis itaque nostram una cum d mino nostro rege præsentiam exibere curavim optantes pariter et expetentes omnia quæ inter do num nostrum regem vertuntur et vos, simul et quæ nos contingunt sub sole fieri, et juxta apostol formam mandati diffinitiva eorum sententia term nari. Constat itaque non subterfugisse judicium qu ad judicium subeundum suis se constat judicibus c tulisse. Data vero opera procurasse, ne qui ob pace venerant, pacis fungerentur officio, quid est aliud n turbationem Ecclesiæ protelasse et ejus Spiritui c ait: *Habete sal in vobis et pacem habete inter vos* (*Ma* IX), animositate forte nimia restitisse? Ad judices mandato properavimus et ecce qui nos audiant n habemus. Unde ne apprehendant nos mala, appel tionis remedio hactenus evitata, ne potestatem qu in ædificationem Ecclesiæ et non destructionem s cepisse debueratis, minus canonice exerceatis nos, vestram attendentes prudentiam statuta Patr non observare, si quid habetis in subditos def sionis eis locum et tempus non concedere, susp dere statim nec citare, reputare notoria quæ n nota sunt nec subnixa veritate, mandatis vestris discrimen eorum quibus scribitis sarcinas gra imponere, contra suspectas nobis sententias stras, adversus mandata vestra omnia domino stro regi et regno ejus, nobis etiam et commissis bis ecclesiis et parochiis gravamen aliquod imp tantia, ad eum cujus declinari nequit examen, do num scilicet papam appellamus et appellationi minum diem obitus beati Martini constituimus.

EPISTOLA CCCCXLIX.

WALTERI ALBANENSIS EPISCOPI AD GILBERTUM.

WALTERUS Dei gratia Albanensis episcopus, et omini papæ vicarius, venerabili et in Christo dilecto] fratri G. eadem gratia Londoniensi piscopo, et dilectis in domino filiis, capitulo Hunredi de Rocheforde, salutem et omnium plenituinem gaudiorum.

Veniens ad apostolicæ sedis clementiam Petrus ubdiaconus lator præsentium, coram domino papa t nobis humili et lacrymabili confessione narravi-, instigante humani generis inimico, quemdam ubdiaconum interfecisse. Unde nos de mandato ımmi pontificis eum vinculo excommunicationis quo tenebatur absolvimus, talem sibi pœnitentiam ijungentes, ut usque ad quindecim annos quartam riam in cibo quadragesimali, sextam in pane et qua jejunet, secundam vero feriam si voluerit leəndo psalterium vel pascendo pauperem redimat, ıadragesimam ante nativitatem Domini sicut marem observet, præter orationes, eleemosynas et ia pietatis opera, quibus sollicite invigilet. Et, ıia non judicat Deus bis in idipsum, licet idem trus perpetrato crimine non in subdiaconatu, sed acolythatu, deinceps Deo et Ecclesiæ servire leat: tamen ex dispensatione et benignitate saosanctæ Romanæ sedis, concessit et dominus ıster ecclesiasticum beneficium integrum retinere scretioni vestræ mandans quatenus ipsum absotum in pace manere et beneficium ecclesiasticum ıod hactenus habuit, libere et quiete possidere rmittatis, nec eum super hoc ulla ratione de tero vexetis.

EPISTOLA CCCCXLIII.

LLELMI ALTISSIODORENSIS EPISCOPI AD ALEXANDRUM PAPAM.

ALEXANDRO papæ, WILLELMUS Altissiodorensis epiopus.

Si unum patitur membrum, etc. *Vide in Alexano III, an.* 1159-81.

EPISTOLA CCCCXLIV.

BANGORENSIS ARCHID. AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Quanta mentis exsultatione quanta animi jucunate nostra privetur Ecclesia, tam pii Patris orbata æsentia, nec stylo notare nec verbis exprimere vamus; sic quippe cuncta in vobis relaxabat miserirdia, quod nihil inultum omitteret justitia, et licet nnes de vestro damnum patiantur exsilio, nos taen majori super omnes affligimur incommodo: æsentes quippe nos pio mentis affectu venerabani et inimicorum insidias in absentes illatas fruıbamini. Deus autem pro his vos abunde remuret, cum nostræ imbecillitati digno retribuendi ablata facultas. Quod nisi locorum distantia s a jucunditate vestræ præsentiæ sejungeret, noi erga vos animi affectum clarius sentiretis, tum stri copiam vobis exhibendo, tum nostram vobis A ut Domino, substantiam offerendo. De hoc autem, quod nobis indignis ecclesiarum regimen dignati estis remittere, Deum super hoc trahimus in testimonium nos omnem, quam potuimus, adhibuisse diligentiam, et vestris in omnibus obediisse præceptis; quod et de cætero faciemus, et quod vestræ de Ecclesia regenda sollicitudini visum fuerit, nobis litteris vestris remandate.

EPISTOLA CCCCXLV.

BITURICENSIS ARCHIDIACONI AD EUMDEM.

Dilectissimo Patri et spirituali domino T., Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, V. . . suus Bituricensis archidiaconus, quidquid est et quidquid potest.

Litteras sublimitatis vestræ suscepi, continentes B vos admirari quoniam de adventu cardinalium nihil per me vobis innotuit. Qui nisi ita subitus esset, quod præscire non potuerim, quam libentius et jucundius nobis significarem, novit ille qui corda scrutatur et renes. Ego autem, ut amicum decat, pro vobis sollicitus, quamvis alio itinere præpeditus fuissem, apud castrum Radulphi obviam eis occurri, diligenti ab eis perquirens studio, tum seorsim, tum communiter, quam pro vobis aut contra vos potestatem in mandatis accepissent. Denique, sicut unius relatu conjeci, et ex litteris legationis utriusque oculata fide percepi, nihil prorsus contra vos, sed potius pro vobis eis permissum est. Præterea inde tamen occasione accepta cœpi suggerere eis, ut omnimodis præcaverint ne in dominum regem Francorum, aut C in regnum ejus, vel etiam in vobis aliquid motirentur, reducendo eis ad memoriam quam ægre dominus rex tulerit absolutionem illius Joannis de Oxeneford. Cui misso a rege Anglorum cum Reginaldo archidiacono, in introitu ipsius curiæ cum forte obviarem; ipsi, inquam, prætendenti osculum prius denegavi, quærendo in publico an excommunicatus esset. Sed quid mirum, si erubuerit versus in cachinnum? Tandem ab ipsis legatis, dum recederent accepi, quod etiam si contra vos, quod absit, potestatem accepissent, promptum animum, in quantum fas esset, et devotam stare pro vobis gererent voluntatem. De cætero quod vobis placuerit, per præsentium latorem resignate mihi, in omnibus et per omnia parato obedire.

D EPISTOLA CCCCXLVI.

WILLELMI CARNOTENSIS ELECTI AD ALEX. PAPAM.

ALEXANDRO papæ Carnotensis electus.

Ecclesiæ Romanæ filius. etc. *Vide in Alexandro III.*

EPISTOLA CCCCXXVII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ, WILLELMUS Carnotensis electus.

Vigor sensuum membris omnibus manat a capite, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXLVIII.

ÆGIDII EBROICENSIS AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ, ÆGIDIUS Ebroicensis episcopus.

Circa meæ vocationis initia, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXLIX.

ROBERTI [OXONIENSIS ARCHID.] POSTEA HEREFORDIENSIS EPISCOPI.

R. archidiaconus Oxenefordiensis, postea episcopus Herefordiensis GILBERTO, Londoniensi episcopo.

Non potest mihi tranquillus esse animi status, cum vestræ tranquillitas perturbationem jugi meditatione reminiscor. Verumtamen non modicum in hoc consolationis accipio, quod animo meo studiose perscrutanti non occurrit præcedentis in vobis culpæ meritum quod præsentis causam tribulationis induxerit. Quod si ita est, tanto amplius det in vobis clarescere fortitudinis virtus, quanto abundantius innocentiæ testimonium reddit vobis justissimus arbiter bene sibi conscius animus. Quapropter, si per tribulationem hujus sæculi is qui foris est homo vester corrumpitur, is qui intus et renovari debet de die in diem, sicut olim in prosperis ad temperantiam, ita nunc in adversis patientiæ probationem. Scriptum est enim: *Tribulatio patientiam operatur; patientia probationem, probatio vero spem* (*Rom.* v). In hoc ergo multa mihi spes est, quod innocentiæ simul et humilis patientiæ vestræ meritis ad gloriam et honorem vestri liberabit vos Deus de manibus persequentium vos, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacob.* iv). Unde votis indesinentibus omnipotentem Deum implorare satago, quatenus consuetæ discretionis vestræ oculum nullatenus aliqua subrepentis indignationis macula involvat, ne, quod absit, offensam quam nondum in puritate conscientiæ habuistis, ex novo coutumaciæ crimine contrahatis. Bonum est humiliari, ut gloriosius exaltemur. Bona est humilitas, quæ superni judicis favorem invitat et consilia dissipat superborum. Humiliatus in carcere est in compedibus Joseph, et postmodum nihilominus eloquio Domini inflammante super omnem terram Ægypti est constitutus et a venditoribus sanguinis sui præpositus fratribus adoratur. Humiliatus est David ad propheticam objurgationem, et postmodum Deo placens ad prophetalis spiritus gratiam est reparatus. Humiliata est et Maria ad cœlestis annuntiationis oraculum et ad conceptionem Altissimi, Spiritus sancti virtute, meruit obumbrari. Humiliavit etiam semetipsum Christus; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen. Si ergo ab aliquo facta est nobis datæ in vos sententiæ denuntiatio, circumspecta deliberatione utendum est, ne vel eam contumeliose observetis, vel, quod fortassis videri potest, superbe et periculose contemnatis. Non hæc dico quod aliquo præsumptionis typo putaverim a mea parvitate vestram posse instrui prudentiam in cunctis canonum distinctionibus circa hos articulos sufficienter edoctam. Sed qualem circa honorem vestrum affectionem habeam subticere non possum: hoc certe pro meo parvitatis modulo suggerens, ut morbo adhuc recenti festina remedia procuretis, ne forte inveteratus difficiliori cura opus habeat. Timendum enim est ne majoris auctoritatis robore quod factum est fulciatur. Quanquam et hoc timere certe impietate plenum sit, ne dicam sacrilegum. Quis enim putare audeat adeo eversum esse ecclesiasticæ petræ fundamentum ut apostolica auctoritate non solum apostolicorum canonum regula confringatur, verum etiam ordo ille evangelicus ipsius Dominici oris constitutione consecratus, humanæ præsumptionis immutatione, ut ita dicam, profanetur, ipso Domino dicente: *Non est servus major domino suo, nec apostolus major eo qui misit illum* (*Joan.* xiii). Unde mihi nulla ratione persuaderi potest, apostolica auctoritate quamlibet modicum Christi corporis membrum, nedum episcopum orthodoxum non commonitum, non regulariter citatum, inauditum, indefensum, et in nullo contumacem, aut notorii criminis reprehensioni obnoxium ab ipsius Christi corpore abscidi licere. Omnipotens Deus corroboret spiritu sapientiæ suæ cor vestrum, actus quoque vestros muniat spiritu consilii et fortitudinis, ut præsentium tentationum impulsibus tam prudenter quam fortiter resistere valeatis. Ego certe quantulacunque portio creationis vestræ non tantum sumptus meus sed etiam meipsum, si jusseritis, impendere pro honore vestro paratus ero. Bene valeat in Christo dominus meus.

EPISTOLA CCCCL.

HENRICI DECANI ET CAPITULI S. PAULI LONDON. AD ALEXANDRUM PAPAM.

Postquam dominus noster archiepiscopus Cantuariensis occasionem sibi reperit de terra nostra exeundi, etc. *Vide inter variorum ad* Alexandrum I*II epistolas, post ipsius Regesta.*

EPISTOLA CCCCLI.

STEPHANI MELDENSIS AD ALEXANDRUM PAPAM.

ALEXANDRO papæ STEPHANUS Meldensis episcopus.

Licet non sit discipulus super magistrum, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCLII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ, STEPHANUS Meldensis episcopus.

Crebrescunt, Pater, scandala temporibus nostri, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCLIII.

AD EJUSDEM EUMDEM.

Domino papæ, episcopus Meldensis.

Licet præsentis negotii magnitudo, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCLIV.

MILONIS MORINORUM EPISCOPI AD ALEXANDRUM PAPAM.

Sanctissimo domino et Patri charissimo, ALEXANDRO Dei gratia summo pontifici, MILO Merinorum episcopus, salutem et devotum in omnibus obedientiam.

Impudentiæ mater ambitio, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCLV

BERNARD NIVERNENSIS EPISCOPI AD ALEX. PAPAM.

ALEXANDRO papæ, BERNARDUS Nivernensis episcopus.

Post nuntiorum vestrorum a domino rege disces-im, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCLVI.

WILLELMI NORWICENSIS AD THOMAM CANTUAR.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, WILLELMUS orwicensis episcopus.

Secundum formam mandati vestræ sanctitatis cle-cos de terra comitis Hugonis, qui post interdictum omini papæ in terra ipsius divina celebrare præ-impserunt, accepto ab iis sacramento quod vestro andato stabunt, absolvimus, interdicentes iis ne vina celebrarent. De quorum numero latores præ-ntium, Gilbertus et Baldwinus presbyteri sunt, ios ad pedes vestræ sanctitatis suspensos cum lit-rarum nostrarum testimonio dirigimus, quia ipsi iserabiliter ad nos accedentes id a nobis impetra-runt, sperantes misericordiam vestram præve-re potius quam exspectare judicium. Semper va-e.

EPISTOLA CCCCLVII.

BALDWINI NOVIOMENSIS AD ALEX. PAPAM.

ALEXANDRA papæ, BALDWINUS Noviomensis episco-s.

Ferreum pectus est aut lapideum, etc. *Vide in exandro, an.* 1159-81.

EPISTOLA CCCCLVIII.

EJUSDEM ET MAURICII PARIS. AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ, BERNARDUS Noviomensis et MAU-IUS Parisiensis episcopi.

Nos sanctitati vestræ pro Ecclesia Anglicana et nerabili viro Cantuariensi archiepiscopo preces pius porrexisse meminimus, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCLIX.

PETRI PAPIENSIS AD THOMAM CANTUAR.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, PETRUS Pa-nsis episcopus, salutem et omne bonum.

Loquitur Sapiens ita dicens: *Aqua frigida animæ ienti, et nuntius bonus de terra longingua* (*Prov.* v). Quam vera sit ista sententia, benignitatis ve-æ dignatio experiri me fecit. Benedictione et enim salutatione, quam de terra longinqua in signum imiæ dilectionis misistis ad me, revera non mo-e refrigeravistis animam meam sitientem ad vos illa die, qua nosse et videre vos, et recipi merui er vestræ familiaritatis arcanum. Igitur tantæ di-ationi humilitas nostra, etsi quas debet, certe as valet, gratias reddit. Oro etiam ut ille vobis atiam retribuat pro me, pro cujus amore, licet in-gnum, tanto me affectu et amatis et honoratis. De tero, reverende Pater, filiali præsumptione obse-o vos ut patrem, moneo ut amicum, ne deficiatis tribulationibus, quæ invenerunt vos nimis, maxi-e cum ista sit via, qua itur ad Deum. Cum enim, xta Apostolum, diligentibus Deum omnia coope-ntur in bonum, per prospera et adversa in hoc undiali stadio per patientiam Christi miles, tan-am aurum in fornace, probatur. Denique, sicut ectis tribulatio patientiam operatur, patientia pro-tionem, probatio spem, quæ nec confunditur nec

A confundit cum a charitate fulciatur; sic e contrario reprobis tribulatio impatientiam, impatientia pusillanimitatem, pusillanimitas tristitiam parit, et illa interimit, cum per eam animus in desperationem absorbeatur. Igitur viriliter agite, confortetur cor vestrum. Nec ullius vos, quod absit! suasio, quasi cedere debeatis, educat, quin potius agite quod agitis, et tenete quod tenetis, ut a summo pastore de commissio grege mercedem plenam recipiatis. Hoc tam fideliter, quam amicabiliter consulo vobis. Hoc utinam pesuadere possim et mihi. Hoc salubre nobis, hoc imitabile nobis commissis, ut bene agendo et sustinendo quod voluerit, et quandiu voluerit Deus, et ejus inhærendo vestigiis honorificemus ministerium nostrum. Quod autem parvitatis nostræ
B precibus vos attentius commendatis, merita quidem propria metiendo, confundor, sed devotionem vestram suspiciendo amplector. Quidquid igitur amoris et obsequii pro vobis efficere possum apud Deum et homines, vestrum esse sciatis cunctis diebus. Atque utinam se offerat locus et tempus, quo palam liceat experiri quam pure diligam vos, non tam verbo et lingua, quam opere et veritate. Valete.

EPISTOLA CCCCLX.

MAURICII PARISIENSIS AD ALEXANDRUM PAPAM.

Sanctissimo Patri et domino ALEXANDRO, Dei gratia summo pontifici et universali papæ, MAURICIUS, eadem gratia Parisiensis Ecclesiæ humilis minister, obedientiæ, servitutis et et devotionis pleni-
C tudinem.

Noverit celsitudo vestra, serenissime Pater, quod nuper prope Parisios de pace inter regem Angliæ et dominum Cantuariensem reformanda tractatum est etc. *Vide in Alexandro III, an.* 1159-81.

EPISTOLA CCCCLXI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ, MAURICIUS Parisiensis episcopus.

Parit et alit culpas licentia delinquendi, et in augmenta facinorum prosilitur, dam secura impunitate peccatur. Latuit aliquandiu Londoniensis ille episcopus, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCLXII.

JOANNIS PICTAVIENSIS AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Reverendissimo domino et patri, beatissimo
D THOMÆ, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, suus JOANNES, eadem gratia Pictaviensis Ecclesiæ humilis sacerdos, salutem et sanctæ perseverantiæ virtutem.

Vix mihi, domine, vel unum diem in itineris procinctum indulsi post litterarnm vestrarum suscetionem, imo et omnis mihi etiam unius horæ morula odiosa erat post illarum perlectionem litterarum, quæ nihil continebant nisi solam obtestationem, ut tam necessario negotio, absque cujus impetratione non erit, sicut proponitis, absque scrupulo conscientia vestra, meum præstarem obsequium. Fateor, domine, excussisse mihi lacrymas litterulas illas quarum tam sedula, et sub tali imprecatione

obsecratio nescio quam circa fidem amici dubita- (A) tionem importare videbatur. Malo tamen, ut salva pace domini mei loquar, vos juxta nominis nostri proprietatem parum credulum, quam me minus devotum inveniri. Et quamvis, sicut præcepistis, in hujus itineris arreptione Pictaviensium meorum contempserim loquacitatem, volui tamen, salva gerendi negotii fide ipsorum declinare nugacitatem. Inde fuit quod palam proposui me episcopo Ebroicensi, Ricardo de Humet constabulario, Willelmo filio Hamonis, cæterisque regis officialibus Turonis occursurum, qui eisdem diebus ibi convenire debebant, ut super pace comitum Arvernensium tractarent. Consilii siquidem illorum fidem explorare necesse habebam propter novorum mandatorum inauditam duritiam, quæ mihi locus noster, cujus (B) et mentis oculum penitus excæcavit Deus, et cum illo Simon de Turnebu conestabularius Toarcensis, ex parte regis apportaverant. Illi enim, paucis diebus post natalem Apostolorum, Pictavium venerant, et solum mie in partem traxerant, tanquam secreta habentes ad me mandata; adhibito tamen secum Henrico Panetario. quasi legationis sibi injunctæ fideliter peractæ, si necesse foret, teste futuro. Cumque plurimum insisterem, ut vel unum mecum adhibere possem, sive abbatem, quia plerosque ibi mecum habebam, sive quamcunque Ecclesiæ meæ personam, sive saltem canonicum, id mihi concessum non est, eo quod mandata ad me tantum, non etiam ad illos perferenda accepissent. Inhibuerunt itaque mihi sub districta interminatione, ne aliquid (C) ad regis dignitatem pertinens mihi usurparem. Cui mandato cum libenter pariturum respondissem, ad specialia tandem descenderunt, prohibentes ne ad querelas viduarum, vel orphanorum vel clericorum, aliquem parochianorum meorum in causam trahere præsumerem super quacunque possessione immobili, donec ministeriales regis, vel dominorum, ad quorum feudum rex controversiæ pertineret, in facienda justitia eis defecissent. Deinde, ne super accusatione fenoris quemquam audirem. Præterea, ne in aliquem baronem, ipsis inconsultis, imo donec ipsis illum mihi, in quibus deberent, ad justitiam offerrent, anathematis sententiam promulgarem. Hæc (D) enim fere erant, in quibus contra regiam agere dicebar dignitatem. Et præcipue clericos circa, quorum patrimonia ad ipsos quocunque titulo devoluta a sordidorum et personalium munerum præstatione irreverenter defendere dicebar. Pœna quoque his omnibus subjecta est, si hæc de cætero mihi usurparem. Quamvis enim circa personam meam, ut aiebant, duriora illis injuncta fuissent, mihi tamen etiam cum periculo suo parcentes, indictam sibi ad alios pœnam extenderent, ita scilicet ut si quis ad citationem meam veniret, prædictis privilegiatis personis responsurus, omnia illius bona confiscarentur, ipso, eo quod coram nobis respondisset, publico carceri deputando. In accusatione vero feneratorum eidem quoque pœnæ subjicerentur, tam accusator qui nos adiisset, quam accusatus qui coram nobis respondisset. Quod si vel in istos, eo quod coram nobis respondere nollent, vel in alios quoslibet a rege possidentes principaliter, ipsis inconsultis, excommunicationis sententiam dictarem, scirent exinde excommunicati illi regni non displiciturum, si vel in personam meam manum extenderent, vel in bona mea grassarentur, vel ni personas vel in bona clericorum meorum, qui sententias ex mandato meo promulgarent, aut promulgatas observarent.

Ad hæc ego illis et reverenter et humiliter respondi, oportere me omnia hæc, licet solus audissem, ad Ecclesiæ meæ referre conscientiam, cujus erant libertates illæ, quibus hactenus usus eram, et nunc uti prohibebar. Quibus omnibus si ipsis inconsultis renuntiassem, nihil actum esset, nisi quod in capitis mei periculum redundare posset. Verum, cum communicato cum ecclesia nostra verbo me nihilominus in libertatis nostræ prosecutione perseveraturum cognovissent, primo coram plerisque baronibus Pictaviensium, deinde coram nostris civibus sua publice promulgaverunt edicta. Hinc mihi, sicut supradixi, Turonis proficiscendi, de cæterorum ministerialium regis consilium explorandi occasionem accepi. Adjeci etiam, quod si forte apud eos certi mihi consilii certa forma non appareret, illud. Senonis secretario domini papæ explorare non esse utile. Sub hujus consultationis obtentu cum Turonis pervenissem inveni supra nomitatos regis officiales, jam firmato consilio quod in Arverniam proficiscerentur, ipso die ad castrum, quod Luchiæ nominatur, prefectos esse. Quos ego continuato diplomate usque ad idem castrum prosecutus, ibidem Willelmum filium Hamonis et Hugonem de Cleers reperi. Cæteri jam ad ante auroram ad castrum Radulphi iter arripuerant. Apud quos cum nihil consilii fere, quod ad negotium Ecclesiæ meæ attinebat, invenissem, gaudio tamen gravisus sum, quod opportunitatem accepi conveniendi ipsum Hugonem de Cleers super litteris, quas ei mittebatis. Cumque præsensissem, quod G. clericus ejus ibidem præsens non esset, adjeci ne in mandatis accepisse a vobis, quod ego, si ille adesset, et in litteris legendis, et eisdem, postquam lectæ essent, communicandis, et etiam in rescribendo vobis, si quid rescribere vellet, absentis locum supplerem. Et, quoniam spatium illi ad ea, quæ rescribere volebat, non suppetebat, impetravit a me, ut litteras, quas G. suo mittebatis, ipse in manu sua fideliter reciperet, et illas, quas ipsi prælegeram, sub fidei suæ pollicitatione donec ad eas rescripsisset conservaret, nullius oculo nisi sæpedicti G. illas inspecturo. Et is quantum mihi videtur, compatitur injuriis quæ Ecclesiæ Dei irrogantur, et si non usquequaque forsitan contemplatione divina, respectu tamen, ut existimo, affectionis domini sui, cui, quantum animadvertere possum, timet, ne forte in his, quæ agit, a Deo, quem offendere videtur, percutiatur. Ego vero do-

inum Ebroicensem, et illos qui cum eo præibant, teris tantum prosecutus, in cœpto itinere instit, ab eodem castro, id est a Luchiis, præsentium torem ad vos remisi. Præmisi autem cursorem, er quem abbatem Pontiniacensem, ut mihi in iria occurrat, invito, qui Clarævallensi, et de essanova, ordinis sui abbatibus, in negotio vestro noscum cooperetur, si illos forte in curia invenerimus. uibus, prout Deus permiserit, expletis, nuntium l vos dirigere curabimus, per quem omnia ad vos l ad nos pertinentia, quæ cognitione vestra dia existimabimus, vobis significare studebimus. e cætero, paternitati vestræ supplico pro clerico istro, amico meo, Turstano de Burius, ut gratia istra ad me vel semel videndum venire permittat, iem, si obsequio vestro necessarius est, vobis ntinuo remittemus. Bene valete.

EPISTOLA CCCCLXIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Reverendissimo domino ac Patri sanctissimo IOMÆ, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, us JOANNES, Pictaviensis Ecclesiæ humilis sacers, salutem et spiritum fortitudinis.

Prævenisset tarditatem meam in litterarum verarum benedictione diligentia, nisi præsentium torem diuturna, sicut nobis proponebat, detinuist infirmitas. Hujus itaque ægritudinis beneficio, beo, quod meum apud vos excusare possum sintium : imo quod mea manifeste non est deprensa negligentia. Verum, ut verius dicam, et salva ajestatis vestræ reverantia licentius atque libeıs loquar, neuter nostrum recte excusabilis apıret, dum nescio quæ non timenda timemus et egligentiam nostram cautelæ nomine velamus, nquam exeuntibus a vobis ad nos tendantur insiæ, vel contra. Non recipit hujusmodi excusaones amicitiæ illius necessitudo, qua nos usque in ınc diem absque intermissione devinxit mutuæ aritatis affectio, a primis ineuntis adolescentiæ idis usque ad omnium sortis nostræ vel condinis invidiam. Nunc vero aut locorum distantia, it dignitatum inæqualitas affectionis pristinæ ulum aliquatenus obscurasse videbitur, si interırrentium cursorum parcamus laboribus ; si non terius alteri plenissime innotescat sollicitudo, in ntum ut omnem detraxisse videamur localis seırationis injuriam. Sileat igitur, obsecro, serenisme domine, de cætero hujusmodi excusationis æetextus, et quod vocibus negatum est, chartulis ncedamus. Quod verbis non possumus, litteris primamus. Illarum inventoribus non existamus grati, quorum merito aliquid detraxisse videtur, quisquis ex minus, evidenti necessitate illoım uti cessaverit beneficio. Nec prætermittendum, iod de deprehensionis injuria nullus per Dei graım internuntiorum nostrorum adhuc conqueri itest. Esto tamen, et, quod absit ! deprehensum iquem interim ponamus, quis recte indignari porit si illas, quæ Ecclesiæ Dei et nobis fiunt, ad

A alterutrum deploramus injurias ? Quis vapulantes est injusta passos flere prohibebit ? Nunquid in maxillas nostras lacrymæ nostræ impune descendent? Denique etiam nobis omnino cessantibus, et nec voce nec scripto aliquid interloquentibus imponitur, quod et nos vestro, et vos nostro omnia consilio peragatis. Quod ita verum est si idem spiritus consilii utrique inspirat, ut impressiones quas peccatis nostris exigentibus, nobis et Ecclesiæ Dei inferri videmus, æquanimiter non sustineamus. Si enim Dei ministri sumus, hæc utique communi, id est divino pertractamus consilio, qui demolientes vineam Domini Sabaoth siccis oculis non videmus, qui ruinam domus Israel saltem lacrymantes prosequimur. Licet enim nos non illa, qua certe debe-B remus, perseverantia opposuerimus, licet nondum usque ad sanguinem restiterimus, licet multa pro temporis incommoditate, et matris nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ scissura dissimulaverimus, nemo tamen per gratiam Dei dicere poterit, quod eorum adhuc comminationibus cesserimus, aut impietatis consiliis consenserimus, quin accepta temporis opportunitate, quæ secus acta sunt, et evacuari possint, ad eadem evacuanda libere nos interponere valeamus. Deo enim incessanter gratias refero, quod, sicut ex aliorum fida relatione et nunc ex testimonii vestri fide certissime teneo, detestabiles illas profanasque consuetudines, quæ diebus nostris sub innovationis obtentu promulgatæ sunt, non absolute, sicut earum innovator gloriatur, observandas promisistis, neque, ut cæteri, scripti vestri munimento roborastis.

Veram de legatione Angliæ concedenda non est quod vereri quidquam debeatis, si verbis apostolicis fides aliqua haberi potest. Gravi enim redimit pœnitentia illam qualem qualem, quam Eboracensi fecerat, concessionem. Nec moleste ferat dominus meus quod a domini papæ et curiæ frequentiori visitatione abstineo. De industria etenim declino, quoad possim, Pictaviensium nostrorum detractiones, qui quoties illuc accedebam, regi scribere non cessabant, quod in ipsius suggillationem, et institutionum suarum læsionem pleraque in curia machinabar. Consultius itaque credidi personis discretis et religiosis tam vestra quam mea negotia credere, et earum in parte ista opera uti. Quod et nunc pau-D cis diebus ante litterarum vestrarum receptionem feceram, sub eo videlicet tempore, quo paganum cognatum meum ad vos misi. Nactus enim opportunitatem viri venerabilis, et sanctitatis incomparabilis, domini abbatis Pontiniacensis, qui forte cum amore nostri, tum gratia visitationis abbatiarum, quas in nostro episcopatu habet, in partes nostras descenderat, ipsius industria pleraque, tam ad vos, quam ad me pertinentia, ad dominum papam securius perferenda commisi ; specialiter autem super verbo legationis, et Sancti Augustini. Qualiter enim litteræ legationis sub indignatione conviciis permista domino papæ restitutæ fuissent, et quomodo

ad instantiam quorumdam cardinalium quasi ad A placandam regis indignationem districtiores vobis litteræ pro benedicendo abbate Sancti Augustini directæ sint, per communem amicum nostrum dominum Henricum Pisanum mihi plenius innotuerat.

Quamvis autem præfatus abbas et discretionis suæ, et religionis intuitu, nec non et obsequii, in quo illis frequens deservit, in curia plurimum possit, si tamen præceperitis, et expedire magis vobis videatur, nec tibi detrahentium linguas, nec ejus, apud quem detrahitur, molestias vereor, nec sic aut laborem corporis declinare, aut sumptibus parcere quæro, quin ad mandati vestri imperium in persona propria ad illos ascendam, nihil difficile ad laborem existimans, in quo matris meæ sanctæ B Cantuariensis Ecclesiæ utilitatibus deservire possim. Nec est, ut mihi videtur, quod de urgenti domini papæ mandato circa benedicendum Sancti Augustini abbatem supra modum conqueri debeatis; maxime cum adjectum sit, sicut accepi, quod si illi ulterius benedicere cessaveritis, ipse ei ad se venienti benedicturus sit. Aut igitur vobis ad prosecutionem juris vestri patebit exeundi libertas, aut si tam manifeste negata fuerit, quidquid sub tam manifesta impressione fiet, tempore accepto pro infecto haberi poterit. Commoneo autem sanctitatem vestram, ut cum supradicto abbate Pontiniacensi vel in persona vestra, si sub prætextu causæ vestræ in partes Galliarum veneritis, vel certe per litteras vestras, si exeundi facultatem non ac- C ceperitis, ulteriorem ineatis familiaritatem : quamvis tam ego, quam communis amicus noster, abbas videlicet de Stella Isaac, ut continuam vestri habeat sanctissimus ille conventus Pontiniacensis in orationibus suis memoriam, recte procuravimus. Invenietis quoque et eamdem domum utilitatibus vestris etiam temporalibus deservire paratum, si necesse fuerit. Industria enim et sanctitate supradicti abbatis sui omnibus Cisterciensis ordinis abbatiis plus potest. Et hic mihi, ut tutis auribus loquar, exilii sedem elegi, cum tortoris nostri molestias ulterius sustinere non potero.

Quod vero scribitis, ut negotia vestra nemini credam, nisi soli summo pontifici, et Pisano nostro adjecisse, nisi fallor, debueratis etiam cardinalem D Sancti Laurentii magistrum Albertum, quem profectibus vestris deservire exitimo, non tam personæ vestræ, quam negotii intuitu, quia vos non vestram, sed Ecclesiæ causam suscepisse et protestatur et agnoscit. Ego tamen interim, nisi novo a vobis suscepto mandato, fines mihi præcriptos non transgrediar. Scripsissem vobis de Octaviani decessu miserabili, et Guidonis Cremensis substitutione exsecrabili, nisi quia nostros, qui in curia morantur, hæc omnia plenius scire scio, per quos vobis fidelius innotescere debent. Et hujusmodi nova nonnisi ab ipsis, et per ipsos ad nos usque derivantur. Familiaris autem status meus, quem Dei gratia vobis describi jubetis, post discessum pagani nostri, per quem vobis viva voce omnia intimari præcepi, in nullo innovatus est, quia Luscus noster, qui licet in plenitudine potestatis, non tamen in plenitudine luminis ad nos reversus est, nondum sua promulgavit edicta. Exercitum solummodo Aquitaniarum submonuit, ut regi Francorum, si in Arverniam, ut destinabat, proficisci perseveraverit, in manu valida occurrant. Missi tamen sunt ad regem quærendæ pacis procuratores, sicut nosse vos credo, dominus Ebroicensis, et Ricardus de Humez. Nondum vero ad nos pervenerat, quid perfecerint. Cætera, cum nobis innotuerint, et fidelem invenerimus nuntium, vobis significare non differemus. Obsecro autem, ut per puerum illum, quem sæpe dictus paganus meus ad me in brevi mittere debet, omnia, quæ cognitu mihi necessaria duxeritis, rescribere non differatis. Bene valeat dominus meus.

Præsentium latorem una tantum nocte mecum retinui, ut adventus sui moram celeritate reditus sui purgare possit, quem tamen, sicut asserit, infirmitas excusat : et ne aliud vobis suggerere posset, in festo Sancti Albani animæ dicessit. Vereor, domine, ne charta hæc plus vobis in legendo, quam mihi in scribendo tædii importet. Veniam tamen meretur, qui prolixitate sua omnes retroacti temporis negligentias redimere debet. Cui tamen sub hac causula finem impono, ut cum tempus acceperitis, devotissimi vestri, communis amici nostri, magistri Joannis Saresberiensis memineritis, sæpius ad animum revocando, quod relegationis pœnam primus ob hoc sustineat, quod necessitatibus ecclesiæ vestræ, et vestris utiliter ac fideliter deservire credebatur. Iterum et semper valete, memor nostri in orationibus vestris.

EPISTOLA CCCCLXIV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Venerabili domino et Patri sanctissimo THOMÆ, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, suus et suorum suus [JOANNES Pictaviensis episcopus] salutem et spiritum consolationis.

Excitatus præcurrentis famæ celebritate, et nominis vestri præconio, antequam nuntiem vestrum viderem, ad curiam festinavi : sed, priusquam vel ipse illuc pervenissem, jam omnibus omnia innotuerant, et plena erat omnis terra gloria Domini, et magnificabat omnis auditor, quod inventus est qui coram principibus terræ loqueretur prudentiam. Quamvis igitur patriarchatus vestri sedes amplissima suæ dignitatis nobilitate præfulgeat, vestro tamen per gratiam Dei merito plurimum illi honoris accessit, ut quod loci illius antistitibus familiare videbatur, nunc per vos in ea perpetuatum esse credatur. Et nunc quidem tanto gloriosius, quanto sæculi illius principes modestius incedebant, et iidem decessores vestri principibus suis minus putarentur obnoxii : præsertim cum et mater nostra sacrosancta Romana Ecclesia nullam eo tempore

ıtegritatis suæ pateretur divisionem. Qui ergo obis dedit incipiendi audaciam, dabit et in perse- erando constantiam. Dabit in boni operis per- everantia proventum; aut illum utique, quem de- deramus, aut certe fructuosiorem. Nam quod ad umanum auxilium attinet, nihil est quod de curia ı aliquo, quod regem offendere debeat, exspectetis. um enim tam nos, quam nuntius a latere vestro ansmissus circa porrectas a nobis petitiones per ultos dies laboraverimus, vix in una obtinuimus t illa quidem tam trepide consummatur, ut nihil ripturæ committatur, sed tantum vivæ vocis re- ponsali credatur. Asseverabat tamen adhuc dominus enricus Pisanus se ad extorquendam domini Lon- niensis professionem laboraturum. Timeo ne in- ssum; quoniam omnia, quæ pro ea obtinenda ihi proponi posse videbantur, allegaveram. Pri- um, quod eum translatio ab omni obligatione li- rasse videbatur. Neque enim in hujus Ecclesiæ iscopum recipi posset, nisi alterius Ecclesiæ epi- opus esse desineret. Quod si episcopus esse desiit, siit et Ecclesiæ Cantuariensi obligatus esse. Ad ec, quid si in aliam transisset provinciam, nun- id non suo profiteretur metropolitano? Ubi mani- tum est, quod illum translatio a prius facta pro- sione liberat. Causam quoque non tacebamus, are etiam Romanæ Ecclesiæ expedire posset, ut ret, eo quod in nuper celebrato conventu sic se buiset, tanquam sibi liber esse videretur. Con- etudinem quoque vulgarem prætendebamus: quod quis novum feudum ad eodem domino recipiat, minium quasi ex nova causa iterato facere com- llitur. Ad quæ omnia hoc mihi responsum est, od professio semel facta sic obligat personam, ut lla status sui mutatione liberari possit, donec in erius transeat jurisdictionem: nec eam aliqua tione a vobis peti posse, nisi forte de consuetu- ıe Ecclesiæ vestræ esset, quod solius archiepiscopi rsonæ, qui illum consecrasset, professio facta et, et non ipsi atque successoribus suis cano- e substituendis. Quod si ita esset, tunc quidem ım a vobis jure exigi posse, non utique suæ, sed stræ ratione personæ.

De cætero quod ad benedictionem abbatis Sancti gustini pertinet, frustra aliquid solatii exspecta- . Quod igitur agitis, dilectissime Pater et domine, ius Dei, et illius, cui Deo auctore præsidetis, Ec- siæ libertatum conservandarum intuitu faciatis ad eo solo laboris hujus et consolationem et retri- tionem exspectetis. Ego, sicut a multis mihi pro- nitur, non modo similem, sed duriorem calculum specto. Utinam exsilii vestri particeps futurus aut evius. Nec utique nobis inglorium erit, ut qui ɔ vanitatibus et sæculi delectationibus, multis pe mundi prosperis abusi sumus, nunc, si necesse rit, pro retributione cœlesti adversa simul susti- re non formidemus. Laborat tamen Pisanus noster, mihi in loco tutiori prospiciatur. Et id ipsum se bis per abbatem de Eleemosyna intimasse, asse- verat. Ego Pontiniacum proficiscor, ut illius reli- gionis devotioni tam vestram quam nostram com- mendem intentionem. Nam ibi divinum imploran- dum est auxilium, ubi humanum deesse videtur. Orationibus Clarevallensium per ipsum papam vos commendari fecimus. Bene valeat dominus meus.

EPISTOLA CCCCLXV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, JOANNES Pi- ctaviensis episcopus, salutem et in adversis patien- tiam.

Paternitatis vestræ litteras, quas novissime nobis attulit frater Simon, devote suscipientes multum consolationis ex ipsis percepimus. Quas etiam quasi quoddam remedium eorum, quæ contra votum nostrum nobis prænuntiata erant, habuimus. Con- gruo quoque loco litteras vestras consolatorias; Cenomanni scilicet; præsente domino illius sedis, recepimus. Qui et ille vir Catholicus, sanctæ Ec- clesiæ tribulationi compatiens, ex eisdem litteris animum, ex sinistris prænuntiatis non modice afflictum, consolatus est. Spem etenim nobis inde concipere licet, quod si vera sunt, quæ nunc pro- ponuntur, imperator ille, pluribus occupatus, ty- rannidi suæ in Ecclesiam exercendæ minus vacare poterit. Est autem super quo miramur, litteris vestris non fuisse expressum, quid actum sit in colloquio, quod dominus rex Francorum Altisiodori habuit in Octavis apostolorum. Consultum vero nobis videtur, quod beneficia, quæ idem rex Fran- corum et comes Henricus vobis obtulisse dicuntur reciperetis, quibus patientius exsilium vestrum, donec dominus ad propria vobis reditum pararit supportare possitis. Dominus etiam rex prædictus secretius et securius consilia sua discretioni vestræ concrederet, si quo beneficio vos sibi obligatiorem et obnoxiorem speraret. Sed et multo sollicitior fieret, ut vobis, vacante aliquo episcopatu vel ar- chiepiscopatu, in redituum perceptione provideret, si quid de domino suo in usus vestros contulisset, ut sic propria sua ad se redirent. Necesse quidem habetis, secundum quod præsens temporis status nobis dat conjicere, fortunæ vestræ quibuscunque modis poteritis, consulere, ut inimicis vestris ad suam confusionem videamini ad quantamcumque hujus exsilii patientiam esse paratus. Unde, ut sæpius discretionem vestram diligenter commo- nuimus, adhuc etiam persuadere intendimus, ut his, quibus carere poteritis, vos exoneretis, ad temporis malitiam respicientes, quæ vobis ad pro- pria facilem vel citum reditum minime repromittit. Scire autem vestra debet prudentia, quod nemo est qui vobis ignominiam reputet, si præsenti statui vos conformantes, sed et domui religiosæ, quæ vos exhibet, condescendentes, moderato et neces- sario tam equitaturarum, quam personarum numero contenti esse velitis. Nosse autem vos volumus, quoniam a regina nec auxilium nec concilium spe- rare potestis, maxime cum totum consilium suum

in Radulphum de Faia, qui vos non minus solito A persequitur, contulerit. Singulisque diebus multæ succrescunt præsumptiones, quibus fidem fieri posse videtur, quod infamia, cujus alias meminimus, veritati accedat. De cætero, de rumoribus, quos ab Anglia referent ad reginam a rege commeantes, qui partem suam magnificare videntur, vobis communicare possumus hos : scilicet quod dominus rex jam secundo cum Wallensibus congressus, sed, ut gloriantur, eos aggressus, illos confudit, et innumeram de eisdem multitudinem interfecit. Regem vero aiunt de suis paucos amisisse. Litterarum vero, quas rex matri suæ destinavit, transcriptum vobis mittimus. Scriptum quoque, quod magister Hugo, clericus Ricardi de Ivelcestre, vobis direxit, per manum latoris præsentium recipietis. Quid vero in B colloquio de Salesberi actum sit, nos nescimus, præterquam quod dominus rex episcopos quos illuc vocaverat, emunxit, et eos statim dimisit, eorumque familias secum retinuit. Si qua alia vestræ cognitioni expedire cognoverimus, vobis manifestare curabimus. Vos quoque nobis vicem rependere dignemini. Valete.

EPISTOLA CCCCLXVI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Domino et Patri reverendo THOMÆ, Dei gratia venerabili Cantuariensi archiepiscopo, suus J. eadem gratia Pictaviensis Ecclesiæ humilis sacerdos salutem, et juges in Domino successus.

Ipso die Purificationis Beatæ Mariæ, quo litteras vestras recepi, locutus fui cum Joanne Cumin, et C Radulpho de Tamewurde, qui præcedente die Turonum ingressi sunt, a curia domini papæ in continenti revertentes. A quibus cum multa, tam super statu quam super agendis suis explorare in voto haberem, in paucis per eos certiorari potui, tanquam a me omnia occultando, domino suo se crederent obsequium præstare. Verumtamen ad eis vel pauca, vel invitis extorsi, nonnulla a decano Beati Mauricii, in cujus hospitio recepti erant, accepi. Aliqua etiam per clericum quemdam Santonensem, qui in comitatu eorum aliquandiu venerat, addidici. Retulit siquidem mihi idem clericus, quod dominus Papiensis multiplicibus et instantissimis precibus regis Angliæ sollicitatus, et a domini papæ simili sollicitudine et instantia impetratus, D procul dubio legatus venit in omnem terram prædicti regis. Et creditur, quod cum omni plenitudine potestatis veniat, ut cognoscat, judicet, plantet et evellat : maxime ut inter regem sive alios, et vos super universis querelis vestris potenter decernat, et irrefragabiliter pronuntiet, remoto omnis appellationis obstaculo. Ita quod non multum vobis prodesse possit decretum repetendæ restitutionis vestræ, præsertim ut tanto tempore habeatis possessionem, quanto passus estis ejectionem ante principalis causæ constitutionem. Omni enim exceptioni, omni decreto, ut dicitur, præjudicium afferret, præfati legati plena potestas. Sed et huic adjunctus esse narratur dominus Otto, diaconus cardinalis de carcere Tulliano. Et utinam ! Stellæ namque unius malitiam, si non exstinguat, temperat tamen et attenuat sibi adjuncta magis propitia stella, et benevola. Hi siquidem duo urbe egressi sunt in Kalendis Januarii, ad partes nostras properantes. Illud autem verbum, quod mihi significastis, clericum quemdam vestrum a curia redeuntem vobis attulisse, non facile mihi persuaderi potest, quod sub tali conditione absolutus sit Joannes de Oxeneford, nec quod consuetudines illas domino papæ adjuraverit, sive de mandato regis sive alio modo. Hoc autem dicitur, quod persona ipsius Joannis erepta est a potestate vestra, quantum ad excommunicationis innodationem. Namque, sicut referunt isti, qui nunc redierunt, Joannes Cumin, et Radulphus de Tamwurde, Joannes de Oxeneford plus gratiæ et favoris in oculis domini papæ promeruit ex hoc, quod suggessit ei, pacem inter regem et vos posse reformari, si esset, qui de ea fideliter tractaret : promisitque se ad hac omnimodam operam daturum. Unde prædicti Joannes et Radulphus illum Joannem de Oxeneford regis proditorem vocant, et prædicant, qui, quod rex habet pro impossibili, se facturum pollicitus est, ut in propriis negotiis melius procederet. In hunc modum ipsi Joanni de Oxeneford in operibus suis omnibus detrahunt isti duo Joannes et Radulphus. Dicunt quoque, sicut a decano Beati Mauritii, qui fideliter ad eis hæc omnia exploravit, accepi, quod omnes litteras, quas domino papæ contra regem direxistis vel alii pro vobis, et petitiones vestras omnes regi apportant. Inter quas multum mirantur se invenisse litteras domini Bituricensis, de quod rex nihil tale suspicabatur. Sed et quorumdam episcoporum litteras de terra regis, imo etiam quorumdam de domo regis, contra ipsum pro vobis scribentium, dicunt se habere. Verum qui essent, vel episcopi, vel illi de domo regis, noluerunt aliqua ratione revelare, nisi ipsi regi. Jactitabat autem Joannes Cumin se domino papæ improperasse, quod ei litteras contra regem misissetis. Et ne hoc posset inficiari, principium litterarum dixit tale esse : « Satis superque, domine reverende, sustinui. » Sequens ipsarum continentia erat, quod vos in personam regis sententiam ferretis. Litteras vero istas dixit se Viterbis acquisisse, ubi quidam nuntius vester eas deferens dicitur fuisse deprehensus. At verisimilius est, quod eas in cancellaria habuit. Ab ipsis Joanne et Radulpho didici, quod alii excommunicati vestri missi sunt ad absolvendum quibusdam in partibus vestris, sed qui illi essent, per illos scire non potui. Creditur autem quod Joannes de Oxeneford in Angliam profectus sit, ut testes accusatores contra vos cum consilio eorum, qui sanguinem vestrum sitiunt, præparet, et instruat, et adducat. Quorum machinationibus duris, et diris, dum tempus habetis, consulo, quocunque modo potestis, ocurratis. Magna enim et multa in vos parati sunt tentare.

nnocentiam vestram super criminibus gravibus ccusare. Verum ille nullam consolationem recepit, iec aliquam fiduciam de promissionibus regis conipit. Medicis autem quærentibus ab eo ægritudinis jus causam et occasionem, respondet quod, si qua nedicina rancorem et indignationem animi tollere otest, tunc ipse, et non aliter, curari poterit. Ad æc isti, qui modo a curia redierunt, multum vobis iinantur, eo quod in litteris vestris, quas domino apæ direxistis, et quas modo regi reportant, regem nalitiosum tyrannum nominastis, et sæpius maliam ejus repetistis. Bene valete, et spiritus consilii obiscum sit, et in quantum famam ejus conseraverim, magister scholaris noster vobis scribit.

EPISTOLA CCCCLXVII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Reverendissimo Patri ac domino THOMÆ, Dei graa Cantuariensi archiepiscopo, suus JOANNES, eadem ratia Pictaviensis Ecclesiæ humilis sacerdos, salum et consilii spiritum.

Supra vires meas esse fateor, serenissime Pater domine, in re tam ardua consilium dare. Quia men novi quod ex affectione potius ad nostræ arvitatis consultationem omnia contulistis, quam iod nos in re tamen incerta certam præsumamus æscribere formam, dicam quod sentio. In primis, his quæ dominus papa vobis consulendo scribit, iam potius quam vestram causam agit. Licet enim a omnium nostrum causa sit, illud tamen prima cie tractat, ut, quocunque libertatum Ecclesiæ veræ pro quibus exsulatis dispendio, in sua interim iasi fidelitate et vel simulata obedientia regem tineat. Quanquam mihi certus esse videar, quod illi et toti quæ ad ipsum respicit Ecclesiæ, plumum expedisset, ut ab initio post commonitiones inonicas secundum justitiæ tramites adversus reım constituisset. Verum ut, omissis his quæ nec omino papæ nec dominis nostris cardinalibus iqua ratione persuaderi potuerunt, illa tractemus iæ possumus, quantum ad securitatem eundi, orandi, et, si necesse fuerit, revertendi, sufficere bere credimus, si tres illæ personæ, quarum in teris vestris meministis, vos in fidem suam recerint. Quibus tamen et fratres Templi, si fieri post, adjici desiderarem, de quorum consilio nunc urimum rex pendere dicitur, tanquam nescio quid cretum cum iis tractans, cum tamen ipsum omnia dolo et dicere et facere arbitrer, sicut in negotio stro quod per eosdem fratres tractabatur, ipsum ibulasse vobis in aliis litteris significavimus. Si ihi nuntii nostri vera nobis reportaverint, clerici mini Rothomagensis Dan[iel] scilicet et frater ıs magister T. non illam quam desiderabant reus vestri securitatem adhuc sub reditu nostron receperant, imo prædictus D[aniel] quia fortius securitatis firmitatem instabat, molesta a rege ba recepit. Verum, si vos imperatrix et dominus thomagensis ad suum invitaverint colloquium, nfidenter accedetis, sed, quantum mihi videtur, non dico paucis, sed paucissimis comitatus, ut faciem exsulantis ipsa quoque paucitate exprimatis. Magis enim omnes ad compassionem movebit paucitas illa, quam si centum post vos de coexsulibus vestris traheretis. Quis enim sine multo cordis dolore videre poterit illum quondam regis cancellarium, et nunc in tantæ dignitatis fastigio constitutum, qui tanto in utroque statu fastu incedebat, tot stipatus ordinibus, pro Ecclesiæ suæ libertate ad extremam deductum paupertatem, ut vix aut duos aut tres religiosos post se trahat? Præterea Ecclesiæ obiter constitutæ, vos in eundo et redeundo exhibere sine onere poterunt, ad quas non solum declinandorum sumptuum, sed magis orationum gratia divertetis. Circa hæc plurima allegare possem, nisi quia ad cætera festino. Quantum perpendere possum, hi qui de pace vestra tactant hoc solum prima fronte loquuntur, quatenus cum securitate et pace ad Ecclesiam vestram redire possitis. De modo et forma reditus vestri nemo agit. Ubinam, quæso, et quando hæc discutientur? An postquam in Angliam redieritis? Ubi scilicet nec imperatrix nec comes Flandriæ præsentes esse poterunt, solus forsitan Rothomagensis ad id prosequendum veniet. Nostis quomodo ibi omnes ea tantum loquuntur, quæ regi placitura existiment. Certe vereor ne sub quocunque justitiæ prætextu, denuo vos exsulare oporteret, et fierent novissima pejora prioribus, omnibus contra vos tum in cura domini papæ, tum in præsentia regis Francorum, et verbo et scripto attestantibus. Nemo igitur hoc vobis persuadeat, ne forte nisi sub certa et penitus elimata forma redire tentetis, nisi omnia ad vos pertinentia in regis arbitrium conferre velitis, quod vobis persuadere non audeam. Quod si ista ante reditum vestrum procurari debent, cujus diligentia atque discursu animi vestri in unum poterunt consensum trahi, dum ipse in Anglia aget et vos in Burgundia exsulabitis? anni unius revolutio huic discursui non sufficeret. Non video quomodo ista recte discutiantur, nisi illum necessitas aliqua in partes cismarinas traxerit, aut vos ad angustius mare versus Flandriam scilicet descenderitis.

Verum ut ad ipsam tandem pacis formam veniamus, sive per vos ipsos, sive per interpositas personas tractetur; ex his quæ nobis proposuistis capitulis, nec omnia nec nulla nobis objicienda videntur. In primis de feodo W. de Ros interim silendum esse arbitror, non quod in judicio possessorio facile obtinere non possetis, ubi ex æquo contenderetis, verum in petitorio timendum vobis esset, et dolo petere videtur qui id petit quod statim restituturus est. Plane spoliatio sine judicio facta restitutionem vobis pollicetur. Auctor vero donationis, aut ut verius dicam venditionis, causam proprietatis non recte tuebitur. Verbum quoque ad terras H. de Essexia pertinet, sub dissimulatione tantisper prætermitatur: quanquam manifestius ibi injurietur rex adversus vos. Sed injuria hæc magis ad regalia

vestra respicit, quam ad ecclesiasticæ libertatis diminutionem, pro cujus nunc exsulatis defensione Illud vero nulla ratione dissimulare poteritis, quin statim ab initio repetatis quæ vobis ablata sunt, et multo fortius quæ personis maxime ecclesiasticis vobiscum exsulantibus, tam cismarinis quam transmarinis violenter sunt adempta, quarum innocentia omnibus nota est et causam vestram non parum justificavit. In hoc capitulo nihil indulgendum puto etiam temporis malitiæ. In hanc rationem cadit et pecunia illa quam post egressum vestrum a fidejussoribus vestris extorsit. Inter quos dominum Salesberiensem in tantum prægravasse dicitur, ut nec uno bove hodie dominium Ecclesiæ Saresberiensis extollatur. Hujus capituli in litteris vestris non meministis. Illud quoque omittendum non est, quin Ecclesiam Cantuariensem in eo statu libertatum suarum permensuram concedatur, in quo vos eam suscepistis, quamvis clausula hæc speciem honestatis in facie hominum magis præferat, quam aliquid utilitatis vobis conferat et sub obtentu justitiæ litigii semper causam non præcidat, sed inducat. In summa dicam quod sentio. Si hæc et alia quæ discussionis necessitatem exigere videntur inter vos tractari cœperint, intelligere non possum, quomodo tanta animorum et causarum diversitas, imo certe adversitas in unum trahatur consensum. Una mihi via pacis et compendiosissima et tam vobis quam regi honestissima videretur, ut certarum et paucarum staretis arbitrio personarum; quarum illæ quæ ex parte vestra essent de regno vel potestate ipsius non essent. Alioquin nisi in digito Dei non possum harum tot et tam multiplicium exitum metiri difficultatum. Sub hujus autem pacis prætextu, possetis statim cum honestate reverti, et arbitrorum sententiam in ecclesia vestra exspectare. Hujus vero ingressus vestri multas mihi videre videor utilitates etiamsi res optatum non sortiretur effectum. Inter cætera quidem quod coexsules vestros, quos semel introduxissetis, iterum expellere confunderetur, licet vos justa qualibet causa excluderet. Ut enim asserunt qui de ejus conscientia hoc dicere videntur: de illorum magis quam de vestra eliminatione confunditur. Vos enim tanquam sponte, ut asserit, existis; illi nolentes inviti et absque causæ cognitione expulsi sunt. Præterea quia forsitan illi jam vexatio intellectum dedit: gratiam vobis in oculis ejus ingressus iste pacificus, quique illi inhonestus non esset, pararet et pareret. Dicitur enim sæpius conqueri, quod omni certo firmoque consilio destitutus sit, quodque super his, quæ in Wallia ei acciderunt, supra modum confusus, jam de substitutione filii sui cogitet. Circa hunc articulum cum modo Turon. venirem, Hugo mihi de Sancta Maura pleraque secretius dixit; quæ præsentium latori auribus tantum vestris instillanda commisi, sicut et pleraque alia; tum quia non per omnia verbis illis fidem habeo: tum quia scripti prolixitas et negotiorum multiplicitas nos omnia scribere prohibebant: et utinam hujusmodi nuntios ad nos mittatis! quia et absque suspicione vobis loqui possunt et de illorum fide dubitare non est necesse. Bene valete!

Si ad colloquium in Normanniam transieritis, magistrum Joannem Saresberiensem, si fieri potest, vobiscum ducatis: tum quia homo bonæ fidei est, et alti consilii, tum quia apud religiosos et viros bonos magni nominis est: tum quia et imperatrix et dominus Rothomagensis bene illi cupiunt et de illo bene sentiunt. Iterum et semper valete! Coexsules vestros nomine nostro salutate; memor nostri in orationibus vestris.

EPISTOLA CCCCLXVIII.

EJUSDEM AD GILBERTUM LONDONIENSEM.

Venerabili domino et amico G. Dei gratia Londoniensi episcopo, J. eadem gratia Pictaviensis Ecclesiæ humilis sacerdos, salutem et patriæ cœlestis jucunditatem.

In ulteriorem vestræ sinceritatis gratiam me fuisse admissum, et gaudeo plurimum, et grates vobis habeo. Id profecto ipse rerum effectus præsentem Docuit, et absentem dubitare non permittit. Quantus enim honor a vobis mihi sit habitus, dum adhuc essem in solo natali constitutus, nec alios latet, nec ego possum esse immemor. Postquam vero dispositione divina civitatis ignotæ sum factus incola, lator quoque præsentium nepos noster vestræ dilectionis certissima cœpit argumenta. Pro quo vobis oblatæ petitiones tam facili benignitate sunt exceptæ, ut in parte nulla fiunt illi repulsa damno, vel mihi verecundiæ. Igitur, ut vota nostra vestris cumulentur beneficiis petimus, quatenus data opportunitate, non solum per oblationem precum obtineat ut paginæ divinæ lectioni det operam, verum ut hoc fiat, paternam audire mereatur admonitionem, et sicut ipsum ad hoc specialiter deputo, ut vestris vigilanter obsequiis inhæreat, totaque insudet devotione, pro modulo suo vices nostros acturus, ita in laboris et fide devotæ præmium, charitatis nobis exhibitæ sentia[t] et lætetur se esse participem. Valete.

EPISTOLA CCCCLXIX.

RICARDI PICTAVIENSIS ARCHIDIACONI.

Pictaviensis archidiaconi.

Qui fuerint primi nuntii regis, et qui secundi, e[t] quid tam hi, quam illi postulaverint, et quomodo [a] curia recesserint, sub ea qua potero brevitate per[]stringam. Primi missi sunt Joannes Cumin, et ma[]gister David ad petendum absolutionem et relaxatio[]nem episcoporum. Sed Joannes Cumin prius ven[it] ad curam, et fere quindecim diebus in ea, antequam David veniret, et post multam instantiam suam pri[us] facta promissione quingentarum marcarum auditu[s] est, astantibus cum eo et plurimum allegantibus a[d] excusationem episcoporum clericis Eboracensis a[r]chiepiscopi, et nuntios Dunelmensis. Et credo quo[d] reportassent absolutionem nisi supervenisset rum[or] de morte archiepiscopi, qui omnia denigravit. I[ta] enim perturbatus est dominus papa, quod nec etia[m]

sui fere per octo dies cum eo potuerunt habere colloquium. Et generaliter interdictum est, ne Anglici ad eum haberent accessum. Et suspensa sunt omnia eorum negotia. Secundi nuntii fuerunt episcopi Wigornensis et Ebroicencis, et abbas de Wallace, et archidiaconi Saresberiensis, et Lexoviensis, et dominus Robertus de Novo Burgo, et Ricardus Barre, et magister Henricus Pinchun et quidam Templarius, missi ad excusandum regem, quod nec ejus mandato, nec voluntate interfectus esset Cantuariensis. Hoc autem non est negatum, quin ipse dedisset, causam mortis suæ, et quin aliquid dixisset, unde interfectores illi occasionem interficiendi sumpserunt. Sed nec isti secundi nuntii simul ad curiam venerunt, et a domino papa non sunt admissi, nec in conspectu ejus apparere potuerunt. Deinde ad preces quorumdam cardinalium recepti sunt abbas et Lexoviensis archidiaconus. Appropinquante die Jovis, proxima ante Pascha generaliter dicebatur in curia, quod dominus papa illa die daturus erat sententiam excommunicationis in regem et regnum. Unde nuntii timore perterriti quibusdam cardinalibus intercedentibus significanerunt domino papæ se accepisse in mandatis a domino rege quod jurarent in præsentia ejus, quod rex stabit mandato suo, et hoc jurabit in propria persona sua. Eadem die Jovis fere circa horam nonam vocati sunt tam nuntii regis, quam nuntii episcoporum, et in generali consistorio juraverunt nuntii regis, scilicet abbas de Walace, et duo archidiaconi prædicti, et Henricus, et Ricardus Barre, quod rex stabit judicio domini papæ, et ad præceptum ejus hoc jurabit. Nuntii vero Eboracensis archiepiscopi, et Londoniensis et Saresberiensis episcoporum juraverunt similiter quod domini sui stabunt præcepto ejus, et hoc jurabunt. Eadem tamen die excommunicavit generaliter interfectores Cantuariensis et omnes qui consilium, vel auxilium, vel assensum præbuerunt, et omnes qui eos in terra sua receperint aut foverint. Post Pascha venerunt Wigorniensis et Ebroicensis episcopi, et Robertus de Novo Burgo, et utrum illud juramentum ab eis exactum sit, nescio : sed scio quod non juraverunt. Et cum stetissent in curia per quindecim dies, et eo amplius, vocati sunt ad audiendum responsum suum. Nam illi cum aliis concordabant, tam in excusatione regis, quam in accusatione, secundum quod dictum est. Et cum crederetur dextrum calculum reporturos, confirmavit dominus papa sententiam interdicti, quam dominus Senonensis dederat in terram regis cismarinam, et sententiam excommunicationis et suspensionis, quæ lata erat in episcopos Angliæ. Præcepit etiam quod rex temperaret ab ingressu ecclesiæ, et subjunxit, quod ipse mittet legatos suos ad regem, ut videant et cognoscant ejus humilitatem. Deinde post multam nuntiorum instantiam, et interventu quorumdam cardinalium, et magnæ pecuniæ etiam, sic dicitur, hoc impetratum est, quod dominus papa scribit Bituricensi archiepiscopo, quod si infra mensem post adventum nuntiorum in Normanniam non audierit legatos transalpinasse, quod tunc absolvat Londoniensem et Saresberiensem ab excommunicatione, præstito prius juramento, quod stabunt mandato domini papæ, tam illis quam aliis in suspensione manentibus. Sic recesserunt nuntii domini regis a curia, nec aliud reportant. Quando autem venturi sint, vel qui, nondum credimus cardinalibus innotuisse. Sed nunc non oportet vos timere interdictum in Anglia, sicut credo, si rex legatis parere voluerit. Et dominus papa scribit ei, et invitat eum ad humilitatem. Sed vix fuit impetratrum, ut ei scriberet.

EPISTOLA CCCCLXX.

JOCELINI SARESBERIENSIS AD THOMAM CANTUAR.

THOMÆ, Cantuariensi archiepiscopo, JOCELINUS, Saresberiensis episcopus.

Veniens ad nos monachus quidam ex parte vestra, ut asserebat, sua nobis relatione indicavit, quod vestra sublimitas nos gravissime arguebat de Joanne de Oxeneford, clerico et fideli domini nostri regis, in decanatum Saresberiensem admisso, quem quidem communi voto et unanimi assensu capituli nostri canonice electum suscepimus, et secundum Deum et juxta consuetudinem Ecclesiæ confirmavimus, attendentes ex hoc ipso mojorem inchoatæ dilectionis firmitatem inter dominum papam et dominum nostrum regem proventuram; vestræ nihilominus commoditati prospicientes, ut exinde ad gratiam domini nostri regis promerendam facilior sanctitati vestræ pateret accessus, non minus quidem de vestra, quam de Ecclesiæ Saresberiensis pace reformanda, et libertate conservanda diligentes et solliciti. Quia vero præfatus monachus inauditam suspensionis sententiam, tam ab omni sacerdotali quam episcopali officio in nos proposuit, ne tanto gravamine innocentes opprimeremur, absentes, non citati, indefensi, non confessi, neque convicti ad sedem appellavimus apostolicam. Et, sicut tunc verbo, ita et nunc scripto in vestra præsentia appellamus, tam personas quam totam Ecclesiam nostram protectioni beati Petri et domini papæ submittentes. Noverit sanctitas vestra non modica nos admiratione moveri, cæterosque hujus rei auditores, tam subito motu, tam severo judicio, non dico præcepiti voluntate, patrem in filium irruisse innocentem immertum, non contumacem, non tertio, non secundo, sed nec semel citatum, ut prædictum est, absentem, indefensum, non confessum, non convictum condemnasse, ut vestram prudentiam præteriisse videatur illud Gregorii : « Sæpe in solvendis ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur pastor, sicque ipsa ligandi atque solvendi potestate se privat, qui hanc pro sua voluntate, non pro subditorum moribus exercet, qui erga quemlibet proximum odio vel gratia movetur. » Considerandum erat, quod subjectos magno moderamine pastores solvere debeant vel ligare. Dignum erat memoria illud Au-

gustini : « Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas eum in terra, sed ut juste alliges, vide. Nam injusta vincula dirumpunt justitiam. Scitis quia qui dicit justum injustum, aut qui injustum, justum, abominabilis uterque est. » Avertat Dominus a Patre meo et domino, ne quid sibi de Pharisæorum assumat supercilio, ut vel damnet innocentem, vel solvere noxium arbitretur. Legit sanctitas vestra de leprosis præceptum esse ut se ostendant sacerdotibus : et, si lepram habuerint, tunc a sacerdote mundi fiant. Prius habenda erat notitia delictorum, audienda varietas peccatorum, exinde ligandum aut solvendum. Nemo enim, ut ait Gregorius, præpropere vel præpostere, scilicet non commonitus neque convictus, est judicandus, dicente Sixto papa : Incerta nemo unquam pontificum judicare præsumat, et quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ certis indiciis comprobantur, nisi quæ manifeste convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur. Denique, Pater venerande, ne factam appellationem prosequi compellamur, qua possumus et debemus humilitate sanctitati vestræ devotius supplicamus ut nostri gratia, paterna moti miseratione, sententiæ rigorem in nos, et in Joannem decanum Saresberiensem, et ecclesiam nostram factæ misericorditer relaxetis : et quæ in nobis corrigenda videritis pro loco et tempore, juxta statuta Patrum et formam canonum, cum debita veneratione corrigatis.

Inter hæc, venerande Pater, unum est, quo admodum movemur, nec vos minus tangere debet : quod a vobis, tantæ auctoritatis viro, tantæ maturitatis persona, tanto patre ac pastore, tantæ facilitatis processerit verbum, ut dominum et papam nostrum, sive alium nobis prælatum abjuraremus vel abnegaremus! Absit ut nos adeo derelinquat Dominus et confundat! Deum testamur et veritatem, quæ Deus est, quia nec ex ore nostro processit hoc verbum, nec ex corde propositum, nec quidquam a nobis actum est, vel etiam exactum, quod adversus Ecclesiam Dei fuerit, vel quod dominum papam vel prælatos nostros in aliquo debuerit offendere. Unde testes invocamus Cicestrensem, et Exoniensem, et Lincolniensem episcopos, qui in omnibus, quæ diximus et fecimus, interfuerunt, ubi Dei gratia remissa est nobis et ecclesiæ nostræ regis indignatio. Valeat et vigeat chara nobis vestra paternitas!

EPISTOLA CCCCLXXI.

EJUSDEM AD GILBERTUM.

Venerabili domino Patrique charissimo G. Londoniensi Dei gratia episcopo, JOCELINUS, Saresberiensis Ecclesiæ humilis minister, salutem et modicum munus, se ipsum.

Exsultat pater evangelicus cui restitutus est filius in longinqua profectus. Exsultavimus Dei gratia et nos reverso filio evangelico qui perierat et inventus est. Ocurrimus ei in tympano et choro usque ad ostia. Occidimus ei vitulum saginatum, et al
præparavimus, quibus utinam et vestra reficere
jejunia. Prospera nobis nuntiant Dei gratia n
nostri ad dominum nostrum regem properar
quorum in reditu vel mandato, et nostra pe
exspectatio, et domini nostri regis responsio,
nos agere disposuerit. Proinde Cenomannis eligi
moram facere, donec nos mandatum regium
trahat, quod forte Andegavis erit, cum civitas i
via qua reversurus est dominus rex non longe di
Si vero descenderemus Argentonium, et lon
forsan nobis via restaret, et pincerna pro vino
racissimo, quo abundamus, turbatioris subere
visiam, generosis invisam, etiam parcius propin
Hoc etiam est domini Cicestrensis consilium
minus consiliosum ducit certum pro incert
micilium mutare, et Baccho Libero, ancillan
stucæ filiam maritare. Valeat charissima nobis
tra dilectio.

EPISTOLA CCCCLXXII.

CAPITULI SARESB. AD THOMAM CANTUAR.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo, capitu
Saresberiense.

Ad nos usque pervenit discretionem vestra
episcopum nostrum gravaminis non modici de
sententiam, et graviorem in decanum nostrum
daturos proposuisse. Quoniam ergo prælat
nostrorum gravamen nostrum reputamus, s
hoc audito ad sedem Romanam appellavimus,
vestra præsentia appellamus, protectioni beati
et domini papæ nos et ecclesiam nostram su
tentes. Valeat et vigeat paternitas vestra.

EPISTOLA CCCCLXXIII.

MATTHÆI TRECENSIS AD ALEX. PAPAM.

Apud dominum meum fiducialius ago, etc.
inter variorum ad Alexandrum III epistolas,
ipsius Regesta.

EPISTOLA CCCCLXXIV.

ROGERII WIGORNIENSIS AD CAPITULUM CANTUARIE

HENRICUS Wigorniensis episcopus capitulo
tuariensi.

Acta nostrorum paucis dilectioni vestræ
stringo. Siquidem nostrates metu interdicti in
tibus nostris divulgati, deliberatione habi
episcopis nostris accitis, concione contracta s
tati sunt a singulis, utrum personas suas et eccl
sibi commissas sub illa vellent appellatione in
quæ dudum ab episcopis nostris in initio. Qu
gesimæ, scilicet ad terminum Purificationis,
fuit : quam et communi consilio proposuer
octava Pentecostes innovare. Requisitus ergo D
mensis episcopus, sicut sedebat primus, res
quod illi appellationi non interfuerat, neque m
tum commonitorium inde aliquod in scripti
sine scriptis audierat, deliberaturum se cum
tropolitano suo super hoc, et quidquid licere
vo ordine Dei et suo, se consulte facturum.
autem tali delusione favorem audientium, et

ionem. Post hæc Exoniensis requisitus, quid inde enseret, respondit eo inconsulto coepiscopos suos acile ad illam appellationem convolasse, non posse pariter et illa appellatione inniti, et excommunicaorum consortium declinare, periculum autem imminere, si summi pontificis sententia interdictum llud corroboret, cui discrimini nulla se vellet raione committere. Si tamen Ecclesiæ Dei consuleent expedire, et prosecutionem ei regius favor inlulgeret, ut mox regno posset excedere, de novo ppellaret a gravamine, non illato, sed formidato, icet impetrari posset adversus omnem appellatioiem speciale subsidium : quod si ei innotesceret, et astoris sui sententia illum percelleret, obedienter llam susciperet. Hoc dicto Londoniensis religioiem ejus ridiculam fecit, et Exoniensis deinceps xtra synagogam fuit. Accitus est dominus Winoniensis per responsales suos, ut apud Northamonam super illa quæstione coespiscopis suis propoita responderet. Rescripsit itaque dominus Wintoiensis sic: Lex divina præscribit, quod appellatus ad najorem judicem, ad inferiorem appellare non poest. Quilibet autem qui appellat, appellationi proequendæ sese ex necessitate astringit. Inde est. uod quia morbo senioque fatigatus a Domino ppellor, sæculari et forensi appellationi faciendæ loneus non existo. Unde dilectionem vestram exratam esse volo, quatenus me in illas appellatiois angustias pareatis intrudere, ubi maledictionis iculum debeam formidare. Hanc vero responsiois formam, licet auditores suspicionis arguerint, ıaluit dominus Wintoniensis offensas hominum ıereri, quam offendere legem Dei. Quod et palam ecit, quando denuntiationem excommunicationis ibi insinuatæ publicavit, et exinde consortium exommunicatorum attentius evitavit. Suggeritur auem nobis quod Reginaldus archidiaconus Wiltesire atri suo reconciliationem impetraverit, et quod ominus papa sententiæ latæ prorsus ignarus exiterit. Unde et fingitur quod Londoniensi et Saesberiensi causæ cujusdam cognitionem cum apoolica benedictione deleget, estque data rescripti ost diem latæ sententiæ. Super hoc vero cavillanır malitiosi, quod excommunicatos illos dominus apa reputet absolutos. Super his omnibus, quæ ilectioni vestræ scribere studui, cum in scholis vesis, causidicorum more, themata inde elicueritis, juxta oratoriam vel legitimam institutionem uintilianum vel Papinianum fueritis in argumens et allegationibus imitati, merita causarum, ex icude et malleis vestris exsilientium, nobis tanuam desideratum antidotum renuntiate, recepturi ostmodum gratiora, et quæ vestram plurimum ebeant spem alere, et fiduciam erigere, ut ex illis obis fides fiat, quia vicistis mundum.

EPISTOLA CCCCLXXV

ENRICI WINT. AD PRIOREM ET CONV. S. MARIÆ WIGORNIENSIS

Henricus, Dei gratia Wintoniensis episcopus et apostolicæ sedis legatus, priori et conventui Sanctæ Mariæ Wigorniensis Ecclesiæ, salutem.

Miramur multum quod denarium sancti Petri de ecclesia et parochia ecclesiæ vestræ nondum reddidistis, cum ab omnibus episcopis secundum condictum iis terminum jam eum receperimus. Unde mandamus vobis et apostolica auctoritate præcipimus, ut, visis litteris istis, infra quindecim dies eumdem beati Petri denarium Wintoniam mittatis, aut ne exinde in ecclesia vel parochia vestra divinum fiat officium, interdicimus, excepto viatico et baptisterio. Episcopo enim vestro et archiepiscopo absentibus, non habemus nisi vos quibus de hac re scribere debeamus. Valete.

EPISTOLA CCCCLXXVI.

FRATRUM CARTHUSIANORUM AD HENRICUM REGEM.

Excellentissimo et in Christi visceribus amplectendo regi Anglorum strenuissimo, fratres Carthusiæ, utinam pauperes spiritu, sic in præsenti sæculo regnare, ut in futuro valeat coronari!

Cum sanctus Job sederet quasi rex circumstante exercitu, erat tamen mœrentium consolator. Rex regum et Dominus dominantium aperuit manum suam, et habenas regni vestri multipliciter dilatavit. Oportet ergo ut semper ante oculos vestros habeatis illam terribilem sacrosanctæ Scripturæ comminationem, qua dicitur : *Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatus* (*Sap.* VI). Et illud Psalmistæ : *Terribili et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ* (*Psal.* LXVV). Divulgatum est ab Oriente usque in Occidentem, quod Ecclesias regni vestri intolerabiliter affligitis, et exigitis ab eis inaudita quædam et inconsueta, quæ si quæsierint, quærere tamen non debuissent antiqui reges. Potest autem fieri, ut in tempore vestro, quoniam multam contulit vobis Deus sapientiam, tanta afflictio utcunque tolerari possit, sed forsitan post decessum vestrum tales regnaturi sunt, qui devorabunt Ecclesiam toto ore, et indurati cum Pharaone dicent : *Nescio Dominum, et Israel non dimittam* (*Exod.* V). Parcite, quæsumus, parcite dignitati vestræ, parcite nobilitati, parcite generi, parcite et famoso nomini vestro; et qui plenus ac potentissimus estis, formam compressionis futuris non dimittatis. Mœrorem et ærumnam sanctæ Ecclesiæ, quæ fere ubique conculcatur, clementi oculo respicite, et regia consolatione eam fovere, ac tueri indesinenter et infatigabiliter studete.

EPISTOLA CCCCLXXVII.

A. CERTESIENSIS AD ALEX. PAPAM.

Venerando et charissimo Patri suo et domino Alexandro Dei gratia summo pontifici et universali papæ, frater A. indignus Certesiensis minister, sinceræ dilectionis reverentiam ac debitam cum omnibus fidelibus obedientiam.

Vestræ majestati, charissime Pater et Domine, etc. *Vide in Alexandro III, an.* 1159-81.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

II. CLUNIACENSIS ABBATIS AD GILBERTUM.

Venerabili domino et Patri, domino G. Dei gratia Londoniensi episcopo, frater humilis Cluniacensis abbas, salutem in Domino et quidquid potest obsequii et amoris.

Vidimus litteras vestras plenas dulcedinis et amoris, quæ humilitatem nostram tantis præconiis efferunt, ut ad tantam lucem laudis infirmi nostri cordis oculis potius hebetentur et delitescant, quam tantum jubar acie pati irreverberata sufficiant. Nihil enim tale in nobis nostra conscientia recognoscit. Sed fortasse altiori consilio ideo facere voluistis, ut nos immerito commendando, stimulum pudoris suggeratis nobis, et audiendo quales esse debemus, nitamur coram Deo apparere quod dicimur. In his omnibus innotescit nobis erga nos animi vestri sinceritas, quia profecto nisi plurimum diligeretis nos, non possetis tam sincerus et tam verax, licet indigne de nobis talia profiteri. Quod superest, licet in magnum honoris apicem divina vos dignatio evocaverit, nihilominus tamen unum de specialibus Cluniacensis Ecclesiæ filiis vos esse præsumimus. Unde, quia nullo pacto vos erubescere credimus ad nomen matris quæ vos in Domino per Evangelium genuit, rogamus ut tam apud dominum regem Anglorum quam apud alios primores regni pro ejus negotiis sollicitus intendatis. Venerabilis frater noster dominus Arn[oldus], lator præsentium, vir utique quantum credimus religiosus et strenuus, cætera quæ dicenda supersunt venerationi vestræ plenius intimabit. Ipsum apud vos sollicitius esse volumus commendatum. Compatimini matri vestræ et erga ipsam pietatis viscera non claudatis, quæ multis ex causis a longo tempore tantis incommodis detrita est, ut vix jam valeat respirare. De fratre Roberto Broi fecimus quod rogastis.

EPISTOLA CCCCLXXIX.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Venerabili et charissimo fratri suo, magistro G. Dei gratia Londoniensi episcopo, excelso in verbo gloriæ, frater H. humilis Cluniacensis abbas, salutem et sincerum amorem.

Cum religio, sapientia et eloquentia, qua persona vestra ornata est, Ecclesiæ Dei honor sit, illi tamen specialis est gloria, qua in Christo vos genuit, et uberibus suis lactavit. Felix, inquam, Cluniacensis Ecclesia, quæ meruit talem habere filium, qui esset flos doctorum, religionis speculum, et præsentis sæculi decus. In quo natura, gratia Dei præveniente et subsequente, omnia laudanda sic perfecit, ut vix aliqua reprehendenda reliquerit. De quo dubium est utrum malit virtutibus ornari quam emundari vitiis. In quo scientia multarum artium vitiorum fuit interitus, non cumulus. Qui mundanum philosophum, vero Christo philosopho sic mutavit, ut istius veritatem retineret, illius astutiam non abjiceret. Qui magistrum scholarum sic dimisit, ut discipulatum idiotarum Christi devotus addisceret. Quem non necessitas, sed sola charitas traxit ad Christum; non miseria, sed solius perfectionis intentio alienavit a mundo. Cui multiplex scientia humilitatem accumulavit, humilitas constantiam adjecit. Qui tantum honesta diligere, otiosa odire, turpia timere, ut in voluntate habuerit, ostendit. Cui fuit injuria pro honestate, injuriis non affici, labor in requie esse pro justitia, requies in labore vivere pro veritate. Qui factus monachus de clerico præter ordinem nil sibi retinuit; abbas constitutis, opera monachi non deseruit; elevatus in magnum pontificem, idem qui antea permansit. Quod gradus accesserunt, tot virtutes successerunt. Per multiplicem curam impositam, virtutes sibi auxit, non minuit. Monachum reservavit in opere, in sollicitudine nil perdidit de abbate, in observantia mandatorum Dei episcopum honoravit et extulit. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Novit hæc Gallicana Ecclesia tota, et fere Latina, et laudant Cluniacensem Ecclesiam in hujusmodi filio. Scit hoc Cluniacensis et propter hoc plurimum in Domino exsultat. Audistis, charissime, quod in partem Octaviani declinaveramus, et con turbata sunt viscera vestra. Sed non turbetur cor vestrum, quoniam nunquam ei adhæsimus. Nec ad preces, nec ad promissa terrores et blandimenta imperatoris, vel ad modicum acquievimus. Concilio ejus quod celebravit Papiæ, nec propter amorem imperialem interesse voluimus. In confinio regni et imperii sumus, Alemannia, Hungaria, Rossia, Lotharingia, Burgundia, trans Ararim provincia, Italia ex maxima parte, Lugdunensis provincia cum imperatore obediunt domino O. Minatur imperator, se nobis ablaturum omnia quæ habemus in imperio ejus, nisi consentiamus ei. Comes Matiscon' qui juravit in verba imperatoris, et in cujus sumus potestate, extentum tenet gladium suum super cervices nostras, Lugdunensis cum suffraganeis suis suum parat jaculari anathema in caput nostrum. Domini cardinales qui sunt in regno maledictionem suam, non benedictionem, nobis promittunt. Reges Franciæ et Angliæ minantur se exterminaturos omnia nostra in regnis eorum posita, nisi domino papæ A. obediamus. Ex duabus integralibus partibus constat corpus Cluniacensis Ecclesiæ. Altera est in imperio, altera in regnis. Quamlibet amittamus, væ nobis, angustiæ nobis undique quemadmodum et Susannæ. Credimus divino miraculo liberari quemadmodum et ipsa. Omnipotens dextera non est impotens ad salvandum nos. Si decrevit liberare nos, continuo salvabimur. Adhuc in medio sumus et regia via incedere deliberavimus. Vos igitur, qui pater noster estis per ætatem, frater per amorem, filius per gratiam, ne obliviscamini nostri, qui in omni charitate vobis conjuncti sumus. Ne obliviscamini matris vestræ, quæ, etsi jam in Christo vos parturivit, adhuc tamen in visceribus suis portat, vobis congaudens, vobis condolens, vestra omnia prospera et adversa sua reputans. Alia quædam

dicenda, quæ epistola non loquitur, præsentium lator noster et vester monachus, vice nostra vobis loquetur pro ipso et pro Ecclesia de Lentona, cujus, ut audivimus, specialis estis defensor et adjutor in causis, dilectionem vestram affectuose rogamus, quatenus in ejus dilectionem et protectionem, sicut cœpistis, dignanter invigiletis causa Dei et Ecclesiæ Cluniacensis.

EPISTOLA CCCCLXXX.

PHILIPPI ABB. DE ELEEMOSYNA AD THOMAM CANTUAR.

Reverendo in Christo Patri et domino THOMÆ, Dei gratia venerabili Cantuariensium archiepiscopo, frater PHILIPPUS de Eleemosyna et fr. L. de Curia Dei, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

A nostris utilitatibus non recedit, quod utiliter accrescit usibus amicorum. Hoc enim habet amicitia B proprium ut sit ei suavis et jucunda possessio quidquid a suis professoribus possidetur. In sinum gratiæ vestræ dilatato corde et affectu prompto magistrum Girardum benignius collegistis : vicissitudinem quam potuit retulit, amicus fidelis inventus est, factus est strenuus propugnator justitiæ vestræ, allegator insignis, assertor providus causæ vestræ, et operum vestrorum præconator eximius ; nec sibi pepercit nec suis ut vobis proficeret, et totum se sic vestris impendit usibus et gratiam rependit pro gratia, ut nihil sibi lætum proponeret nisi quod honori vestro militaret et nomini. Si a fructu magno circa vos fidelem ejus operam torrens iniquitatis absorbuit, non est minori dignus amplexu si quod voluit implere non valuit : quia, quantum potuit, C utilis esse non destitit. Nunc igitur, si in conspectu principis illius magnorum suffragantibus meritis pacem potuit invenire, esse non debet a cordis vestri conspectibus alienum ; sed, ut credimus, in mente vestra debet florere cum gratia, si apud eum gratiam receperit, cum quo familiarius et fidelius honoris et pacis vestræ possit inire commercium. Qui enim amicus est, omni tempore diligit, et amicitia certa nulla vi, nulla necessitate excluditur. Rogamus ergo dilectam nobis in Christo charitatem vestram et benevola persuasione consulimus, ut fideli vestro nullius conditionis apponatur dura necessitas ; quia, sicut ait Ovidius :

Lenis alit flammam, grandior aura necat,

æterna sapientia, quæ attingit a fine usque ad D finem fortiter, suaviter disponit omnia et cum magna reverentia disponit nos. Bene valeat semper in Domino vestra sinceritas.

EPISTOLA CCCCLXXXI.

HENRICI II REGIS ANGLIÆ AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

Has litteras misit Henricus rex Angliæ singulis episcopis Angliæ.

Nosti quam male Thomas Cantuariensis archiepiscopus operatus est adversum me et regnum meum et quam male recesserit : et ideo tibi mando, quod clerici sui, qui circa ipsum fuerunt post fugam suam, et alii clerici, qui detraxerunt honori meo et honori regni, non percipiant aliquid de reditibus A illis, quos habuerunt in episcopatu tuo, nisi per me, nec habeant aliquod auxilium vel consilium a te. Teste Ricardo de Luci, apud Merleberg.

EPISTOLA CCCCLXXXII.

EJUSDEM AD VICECOMITES.

Has litteras misit HENRICUS rex Angliæ singulis vicecomitibus Angliæ, in principio persecutionis sancti Thomæ.

Præcipio tibi quod, si aliquis clericus vel laicus in bailia tua Romanam curiam appellaverit, eum capias et firmiter custodias, donec voluntatem meam percipias ; et omnes reditus et possessiones clericorum archiepiscopi saisias in manum meam, sicut Randulphus de Broc, et alii ministri mei tibi dixerint : et omnium clericorum, qui cum archiepiscopo sunt, patres et matres, fratres et sorores, nepotes et neptes ponas per salvos plegios, et catalla eorum, donec voluntatem meam inde percipias, et hoc breve tecum afferas, cum submonitus fueris.

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

EJUSDEM AD REGINALDUM COLONIENSEM.

HENRICUS rex Angliæ REGINALDO schismatico Coloniensi

Diu desideravi justam habere occasionem recedendi a papa Alexandro ; et a perfidis cardinalibus ejus, qui proditorem meum Thomam, quondam Cantuariensem archiepiscopum, contra me manutenere præsumunt. Unde cum consilio omnium baronum meorum, et cum consensu cleri, magnos viros de regno meo, scilicet Eboracensem, Londoniensem, archidiaconum Pictaviensem, Joannem de Oxeneford, Ricardum de Luci, Romam missurus sum, qui publice et manifeste ex parte mea, et totius regni mei, et omnium aliarum terrarum, quas habeo, proponent et denuntiabunt papæ Alexandro et cardinalibus ejus, ne ulterius proditorem meum manuteneant, sed ita liberent me ad eo, ut alium cum consilio cleri in Ecclesia Cantuariensi possim instituere. Denuntiabunt etiam, quod quidquid Thomas fecit, in irritum revocent. Hoc etiam postulabunt, quod coram eis papa jurari faciat publice, quod ipse et successores sui et mihi et omnibus successoribus meis regias consuetudines Henrici, avi mei, inconcussas et inviolatas, quantum ab se, conservabunt in perpetuum. Quod si forte alicui petitionum mearum contradicere voluerint, neque ego, neque barones mei, neque clerus meus alicui petitionum servabimus obedientiam, imo manifeste eum et omnes suos impugnabimus. Et quicunque in terra mea inventus fuerit, qui ei post adhærere voluerit, expelletur. Eapropter rogamus vos, sicut charissimum amicum, quatenus fratrem Ernolbum, vel fratrem Radulphum, hospitalarium, omni occasione remota, cito ad me mittatis, qui ex parte imperatoris et vestra prædictis nuntiis, meis ducatum præbeat, eundo et redeundo per terram imperatoris.

Visis litteris istis consuluit Coloniensis imperatorem, quid regi Angliæ sit respondendum. Rescripsit imperator voluntati regis Angliæ esse annuendum.

Quia quanto solemnius ista fient, si consenserit papa Alexander, tanto major ejus erit confusio. Et forte in occulto per alium templarium, vel hospitalarium, vel aliquem alium, a quo caveri non possit, rex Angliæ pro pecunia sua idem obtineret. Missus itaque est frater Radulfus hospitalarius ad regem Angliæ qui nuntiis, quos rex ad curiam mittere disponit, ducatum præbuit per terram imperatoris.

EPISTOLA CCCCLXXXIV.

EJUSDEM AD QUEMDAM CARDINALEM.

Rex Angliæ cuidam cardinali, vel cœtui cardinalium.

Super his, quæ dominus papa vobis significavit, scilicet quod ab amore et devotione Romanæ Ecclesiæ mentem et animum averteramus, in primis respondemus, quod prudentia vestra plenissime cognovit, quam sincero affectu Ecclesiam Romanam, et personam domini papæ semper dilexerimus, et quanta pro eo fecerimus, et sustinuerimus. Siquidem, ut cætera silentio prætereamus, cum de ipsius susceptione controversia haberetur, ipsum non tractirecepimus, sed ad eum recipiendum alios, licet invitos, traximus et compulimus. Nec nos animum nostrum a dilectionis elongavimus plenitudine, sed ipse, qui, ut vobis liquet, a retroactis temporibus nobis præter modum molestus exstitit, sicut operum in quamplurimis declaravit exsecutio, et nunc maxime verbo et opere, scripto, etiam nostram quod summopere principum lædit animos, non desistit infamare personam, cum scripto suo et verbo nos Ecclesiæ persecutorem nominet, et gravatorem appellet. Attendat autem dominus papa, quam paterne erga nos egerit, qui nobis significavit, quod summa principum debet esse cautela et ollicitudo, famam suam conservare illæsam, nec paternum circa nos gerere videtur affectum, qui famæ nostræ adeo opere et sermone derogat. Universitati utique vestræ constare volumus, quod quidquid honoris, celsitudinis et potestatis habemus, regnum etiam, et cætera, quæ nostro commissa regimini, singula a Domino et Creatore nostro nobis collata scimus et profitemur, et ipsi soli non quantas debemus, quoniam ad id non sufficimus, sed quas possumus, gratiarum referimus, actiones. Et utinam dominus papa pro nobis Dominum deprecetur, ut Domino et Creatori nostro deditam exhibere possimus et sciamus devotionem et reverentiam, et ut ipsi servire, et ipsum diligere, in tertia saltem quam debemus portione, valeamus! Sane licet, quantum ex debito tenemur, ipsum diligere et venerari non possimus, affectum tamen et devotionem habemus ipsi in singulis deservire, in omnibus obsequi, in universis obedire. In integritate autem gratiæ, et dilectionis domini papæ libenter perseverare volumus, et affectamus, si nobis et regno nostro eumdem honorem, et honoris et dignitatis conservationem observaverit, quam sancti et honesti Romani pontifices viris nobilibus et potentibus prædecessoribus nostris exhibuerunt. Verumtamen appellationes, quas proponit nos prohibuisse, et ne quis de regno nostro curiam Romanam visitaret, nos asserit inhibuisse, vestram nolumus latere prudentiam, quod nec appellationes nec visitationes aliquatenus impedivimus, quin eo modo, ea ratione, eo ordine fiant, quo temporibus prædecessorum nostrorum, virorum illustrium, juxta regni nostri consuetudines et dignitates solebant fieri; et sicut antiquiores et prudentiores regni nostri, tam cleri quam laici, recolunt et retractant. Quod vero confœderationis factæ cum excommunicatis nos arguit, in hoc non æstimamus nos Deum offendisse, nec obviasse rationi, quia, sicut ex ore domini papæ accepimus ipsum dominum Fredericum Romanorum imperatorem nunquam pro excommunicato habuit, nec postea ipsum excommunicatum fuisse alicujus relatione cognovimus. Verum, et si filiam nostram filio imperatoris in matrimonio concesserimus, nec in minimo nos deliquisse credimus, sed id nobis licitum esse non dubitamus, quoniam ut a simili sumamus exempla idem excellentissimo et potentissimo regi Henrico avo nostro licuisse recolimus, qui filiam suam Henrico bonæ memoriæ Romano imperatori matrimonio copulavit. Nos etiam a prædecessoribus nostri[s] sumpta ratione, communicato consilio prudentum et discretorum virorum regni nostri, matrimonium inter filium imperatoris et filiam nostram contrah[i] concessimus.

Præterea, quod nobis scripsit, ut Cantuariensem archiepiscopum, quem a regno nostro nos asser[it] expulisse, in statum, a quo recessit, revocemus, [et] ad sedem suam reducamus, evidentissime novimu[s] universitati vestræ liquido constare, quod ipsum nunquam expulimus, nec a regno nostro exire coegimus. Sed ipse, suæ magis levitatis et pravitatis impulsu, quam aliqua ratione ad hoc ipsum inducente fugam arripuit, intentione et proposito adversum nos malignandi, et nobis et famæ nostræ, quo[d] nequaquam, ut omnibus liquet, promerueramus maligne derogandi. Si autem idem archiepiscopu[s] sicut ex propria voluntate aufugit, eodem modo voluntarie reverti voluerit, et nobis fecerit, quod domino et principi facere debuit, nos eidem juxta clericorum et laicorum consilium, tam regni nostri quam transmarinorum, quod debebimus exsequemur. Verum ipsum per nos revocandum non censemus, quem a regno nostro exire non coegimus.

Itaque, si vobis constiterit nos in aliquo deliquisse et excessisse, consilio cleri et baronum nostrorum juxta consuetudines, et dignitates, et celsitudines regni nostri, quidquid debuerimus, animo libe[nter] faciemus. Si vero aliquis jura, et consuetudines [et] dignitates regni nostri impedire attentaverit, s[eu] diminuere, ipsum publicum hostem, et manifestu[m] nominis nostri, et honoris, et regni æstimabim[us] inimicum, et nos vita comite dignitatum et consuetudinum regni nostri diminutionem nullatenus [su]stinebimus, quas illustres viri prædecessores nos[tri] habuerunt, et tenuerunt temporibus sanctorum [...]

manorum pontificum. De cætero, quod mandavit per vos nobis insinuandum, ne scilicet ecclesias, vel personas ecclesiasticas regni et terræ nostræ gravaremus, vel gravari permitteremus, Deus nobis testis est, et mera conscientia, quod id usque in hodiernum diem nec a nobis actum est, nec permissum.

EPISTOLA CCCCLXXXV.

EJUSDEM AD ABBATEM CISTERCIENSEM.

Henricus rex Angliæ abbati Cisterciensi.

Quando dominus Willelmus Papiensis et vos nostram apud Rothomagum adiistis præsentiam, conquesti sumus vobis quod quidam monachi ordinis vestri, quos in terra nostra præter voluntatem et assensum omnium fere baronum et hominum nostrorum cum omni honore et reverentia manu tenueramus hactenus, et promoveramus, quædam verba mandata adversariorum nostrorum amaritudinis plena nobis deferebant, et quædam discordiæ seminaria, et iræ, et odii incentiva, quæ a nullo probo viro aliquo modo essent proferenda. Promisit itaque nobis dilectio vestra quod illud corrigeretis, et monachos vestros a talium mandatorum delatione coerceretis. Post promissionem vero illam abbas noster de Criscampo scriptum quoddam Thomæ, qui fuit cancellarius noster, ex parte ejusdem nobis detulit, et ore suo legit, in quo nos arguebat et de Dei læsione, et de schismate nos videbatur accusare, et alia continebat scripti illius series indignationis et superbiæ verba, quæ nostro derogabant honori et personæ. Inde est, quod vobis mandando attentius rogamus, quatenus injuriam nostram digna emendatione ita corrigere non omittatis, et honorem nostrum, et etiam ordinis vestri conservetis. Noveritis autem quod si excessus monachorum vestrorum non correxeritis, ulterius sustinere non poterimus, quin injuriarum nostrarum quæramus remedium, teste Jocelino de Baille apud Canon.

EPISTOLA CCCCLXXXVI.

EJUSDEM AD WILLELMUM SENONENSEM.

Henricus rex Angliæ Willelmo Senonensi episcopo.

Quod ad me misistis ordinis Cisterciensis viros religiosos et venerabiles, sicut decuit, honorifice suscepi, attente audivi, diligenter inspexi. Verbum autem, quod ex parte vestra mihi intimaverunt, bene secundum quod vos accepisse ex domini papæ mandato mihi significaverunt, ut mecum de pace firmanda inter me et archiepiscopum Cantuariensem loqueremini, admisi. Placet itaque mihi, quatenus super hoc meum loquamini. Vobis enim ex una parte innotuit causa quæ inter nos vertitur et præsens audistis, ubi in præsentia domini regis Franciæ inter nos inde sermo haberetur. Ipse causam præstitit discordiæ, ab ipso concordiæ debet causa procedere : ipse vulnus impressit, ipse sanare studeat.

Per ipsum morbus invaluit, in ipso est ut sanitate sua morbus evacuetur. Ego neque causam mali neque executionem excitavi vel implevi. In quo ergo loco utrique nostrum, donec convenire possimus, significetis. Confido autem de fidelitatis vestræ integritate et constantia, quod causæ hujus veritati favorem inclinabitis. Ideoque affectuosius accipio, ut vestra discretio diligentius meam circa hoc voluntatem et æquitatem attendat. Præterea ad vos dirigo meam conquestionem super hoc, quod dominus meus rex Franciæ nuper æquum excedens, mihi in meis fecit injuriam. Vestra namque mediatione, et comitis Theobaldi fratris vestri, posthabito meorum consilio, super hoc quod prædecessores mei nunquam fecerunt, pro bono pacis me totum nuper exposui voluntati domini regis Franciæ vestro acquiescens consilio. Vos autem non credo latere, quomodo mihi nuper injuriatus est. Vobis autem conqueror, ut quod in præjudicium pacis inter nos statutæ dræsumpsit, transgressio vobis displiceat, et eum ad satisfactionem justam deducere satagatis, quo auctore ipsa facta est.

EPISTOLA CCCCLXXXVII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Henricus rex Angliæ Willelmo Senonensi archiepiscopo.

Venientes ad me nuntii domini papæ pro negotio, quod inter me et archiepiscopum Cantuariensem vertitur, licet aspera et omni honori meo portarent contraria, pro domini papæ reverentia, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ debita devotione, honorifice suscepi, et qua decuit benignitate audivi, mandatum domini papæ modeste admodum admittens, quod ipsi deferebant, licet me in meis gravatum sentirem, quos ipsi excommunicatos habebant, extraordinarie præcipitata in illos sententia, magis ex impetu animi et motu mentis, quam ex rationis librata æquitate vel deliberationis consilio. Cum autem super hoc diutius sermo duceretur, petii ut absolverentur, quos ipsi sic ligatos habebant. Ipsi vero se illos absoluturos promittebant, si illis securitas juratoria præstaretur ab eisdem, quod absoluti ipsorum parerent arbitrio. Hinc autem motus vehementius, juravi quod nullatenus sacramentum inde præstarent, sed, si vellent, a laicis fidei interpositione, a clericis in verbo veritatis promissione eis securitatem fieri facerem, ut mererentur absolvi. Ipsi autem esse hoc extraneum a consuetudine asserentes, et a sibi injuncto tenore alienum affirmantes dixerunt, quod ad hoc vestrum habere vellent consilium, qui et archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus estis, ut, si hoc ex vestro haberent consilio, pro excusatione eis sufficeret, si aliquando transgressionis propter hoc arguerentur. Mittunt itaque ad vos, et ego mitto et precor, quod honori meo et commodo consulentes, ad hoc consilium vestrum applicetis. Confido autem constanter de vobis, quem pro summo amico amplector cum abundantissima devotione, quod in hoc et aliis negotiis meis et gratiam uberem, et diligentiam vigilantem, et firmissimam fidelitatem exhibebitis. Desiderio meo plurimum successisse reputarem, si vobiscum loqui possem, sed aliorum negotiorum instantia hoc ad præsens fieri prohibet. Peto itaque quatenus

aliquem de vestris ad me mittatis, per quem plenius A vestra mihi voluntas innotescat, et mea vobis pariter notificetur.

EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

HENRICI REGIS EPIST. AD ALEXANDRUM PAPAM.

Venerabili Patri summoque pontifici ALEXANDRO HENRICUS rex Angliæ, dux Normanniæ et Aquitaniæ et comes Andegaviæ, salutem et debitam venerationem.

Si devotionis meæ, Pater, erga sanctitatem vestram experimentum quæritis, etc. *Vide inter variorum ad Alexandrum III epistolas, post ipsius Regesta.*

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Domino papæ dominus rex.

Novit Ecclesia Romana ex longo temporis tractu, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXC.

EJUSDEM AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ HENRICUS rex Angliæ.

Episcopos nuntios nostros ad pedes paternitatis vestræ direximus, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXCI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

ALEXANDRO papæ HENRICUS rex Angliæ, omnino subjectionis debitæ obsequium.

Vestræ satis innotescit serenitati, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCCXCII.

EJUSDEM AD GILBERTUM.

H. Dei gratia rex Angliæ, Patri suo charissimo G. Londoniensi episcopo, salutem et dilectionem.

Quoniam personam meam vestri gratia speciali sinceræ dilectionis affectu vos semper dilexisse expertus sum, de statu mei et incolumitate vos velle certificari, et de successibus meis gratulari indubitanter scio. Unde mitto ad vos charissimum et familiarem meum episcopum Bathoniensem, per quem vobis secreta mea secure significo, et insuper voluntatem meam et quæ mihi Deo cooperante acciderunt beneficia postquam ab Anglia recessi. Vos itaque fidem adhibeatis his quæ ipse vobis direxit ex parte mea, et ipsum episcopum dilectissimum et familiarem meum, qui in negotiis meis expediendis pronus et devotus semper assistit, charum habeatis et diligatis et honorem exhibeatis. Vestræ etiam paternitatis sollicitudinem de qua non minimum confido, attentius et devote expostulo, quatenus negotiis meis summam operam et diligentiam adhibeatis, et paci et defensioni regni mei qro facultate vestra providere studeatis. Teste H. Baiocensi episcopo, apud Chivill'.

EPISTOLA CCCCXCIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

HENRICUS rex Angliæ GILBERTO Londoniensi episcopo.

Audivi gravamen, quod ille Thomas proditor et adversarius meus intulit in te, et in alias personas regni mei, quod non minus ægre fero de persona tua quam si in meam propriam personam virus suum evomuisset. Et ideo pro certo scias, quod ego omnem operam dabo, per dominum papam, et per regem Francorum, et per omnes amicos meos, quod de cætero non nobis nec regno nostro nocere poterit. Unde volo et consulo, quod tu interim nullo modo in animo tuo turberis, sed tibi viriliter provideas, utrum magis tibi et mihi expediat, quod ad me in Normanniam venias, vel quod in Anglia remaneas. Hoc enim totum tuæ committo dispositioni, pro certo sciturus, quod si ad me veneris, et Romam adire volueris, omnia necessaria ad viam de meo tibi honorabiliter et sufficienter inveniam. Teste G..... clerico apud S. Macharium in Guasconia.

EPISTOLA CCCCXCIV.

B

EJUSDEM AD ABBATES CISTERCIENSES.

HENRICUS rex Angliæ et dux Norm. et Aquit. et com. Andeg., viris ven. abbati Cisterciensi et omnibus abbatibus Cisterciensis ordinis, qui ad capitulum Cisterciensem conveniunt, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

De vestra sinceritate et religione plenius confidens, et constantius præsumens, universitati vestra devote supplico, humiliter petens, quatenus mei e hæredum meorum memoriam habeatis, nec non e fidelium meorum, quatenus precibus vestris pro pensius mihi inclinetur divina clementia, nobisqu miserationem ejus propitiam facere studeatis, u cum pace solida et continua nos dirigat, et regnu C meum et alias terras mihi subditas conservet. Præterea vobis innotescere volo, quod nuntios domi papæ, viros venerabiles, Gratianum domini pap notarium, et magistrum Vivianum S. Romanæ Ec clesiæ advocatum, quos pro negotio archiepisco Cantuariensis ad me transmisit, honorifice suscipe petitionem ejus per easdem mihi porrectam devot sicut decuit, audire curavi. Eidem autem petitio adhibito consilio archiepiscoporum, episcoporum abbatum plurium, benigne et sufficienter responde cum prædictorum nuntiorum consensu studui, sic vos subscripta docebunt, ut domino papæ omnim dam videar in hoc negotio exhibuisse reverentia licet semper juri stare, et quod inter nos jus statu ret, subire petiissem a primordiis hujus causæ sæpius postulassem, ut a latere domini papæ tra D mitterentur, qui de ista causa plenius cognoscent illam æquitatis fine concluderent. Archiepiscop Cantuariensis, sicut ad remotiores finium nost rum partes fama discurrere divulgatum est, sine m licentia et conscientia exivit ab Anglia, et post e tum ejus me apud religiosos viros crudelitatis no bilem haberi voluit, in me vota principum et cle corum provocans, et odium gentium exterarum. F petitione tamen et reverentia, et amore domini p pæ, licet mihi gravissimum esset, et voluntati m admodum repugnans, et mihi molestissimum vi retur, concedo quod ipse redeat in Angliam, et h beat archiepiscopatum suum cum ea integrita

cum qua illum habuit, quando illum dimisit: et sui similiter sua habeant. Et ipse et sui pacem habeant ad honorem Dei et mei, salvis dignitatibus regni mei. Quod autem brevius vobis de præsenti negotio, quam solemniter, quibus præsentibus actum sit, ex litteris datur intelligi, vobis diligentius et plenius intimabunt venerabiles fratres vestri qui aderant: frater Gaufredus de Altisiodoro, abbas de Mortuomari, abbas de Bellet, abbas de Rievalle, quibus, ut decet, fidem habebitis. Universitati autem vestræ dissuasum esse desidero, ne de cætero tam facilem adhibeatis credulitatem, si quis in perniciem me de vobis sinistra prædicare et persuadere voluerit. Præterea dilectioni vestræ grates uberes exsolvo, quod ad petitionem meam fratrem Gaufredum mihi misistis. Et nunc iterum diligenter peto, quatenus eumdem quam citius mihi remittatis. Necessariam enim mihi ejus intelligo discretionem et prudentiam, ut mihi præsens adsit, et aliquandiu propinqua mihi ejus sit conversatio. Teste G. archidiacono apud Rurum.

EPISTOLA CCCCXCV.

EJUSDEM AD ROTRODUM ROTHOMAGEMSEM.

Rex Angliæ ROTRODO Rothomagensi archiepiscopo.

De vestro, aliorumque fidelium baronum meorum consilio, pacis reformandæ inter me et archiepiscopum Cantuariensem, susceptam formam domino papæ, nuntiis et litteris meis insinuavi. Ipse, sicut per suas mihi litteras significavit, eam cum tenore, quo a vestro prodiit consilio, eique ex parte vestra fuerat significata, suscepit cum gratiarum actione plurima, mandans, monens, supplicans et suadens attentius ut illam exsequar mediatione vestra et Nivernensis episcopi. Illam itaque vobis mediantibus plene et libenter complebo, nullatenus declinaturus formam vestro consilio propositam, teste Ricardo de Luci, apud Westmonasterium.

EPISTOLA CCCCXCVI.

EJUSDEM DE PACE REDDITA CANTUARIENSI.

Pro amore Dei et domini papæ, pro salute nostra et hæredum meorum, remitto Cantuariensi archiepiscopo et suis qui cum eo et pro eo exsulant, iram meam et offensam, et eidem remitto omnes querelas præcedentes si quas habebam adversus eum, et concedo ei et suis veram pacem et firmam securitatem de me et meis, et reddo ei Ecclesiam Cantuariensem, in ea plenitudine in qua eam habuit, cum factus est archiepiscopus, et omnes possessiones, quas habuit et tenuit Ecclesia et ipse, ad tenendum et habendum ita libere et honorifice, sicut melius et honorificentius eas habuerunt et tenuerunt ipse et sui, et omnes ecclesias et præbendas ad archiepiscopatum pertinentes, quæ cœperunt vacare, postquam ipse Cantuariensis exivit de terra, ut faciat de iis sicut de suis, prout ei placuerit, reddo ei similiter, salvo honore regni mei.

EPISTOLA CCCCXCVII.

EJUSDEM AD FILIUM SUUM.

HENRICUS rex Angliæ regi filio suo salutem.

Sciatis quod Thomas Cantuariensis archiepiscopus pacem mecum fecit ad voluntatem meam. Et ideo præcipio quod ipse et omnes sui pacem habeant; et faciatis habere ipsi archiepiscopo, et omnibus suis, qui pro eo exierunt ab Anglia, res suas bene et in pace, et honorifice sicut habuerunt tribus mensibus antequam ipse archiepiscopus exiret ab Anglia, et faciatis venire coram vobis de melioribus et antiquioribus militibus de honore de Saltwude, et eorum sacramento faciatis recognosci quid ibi habentur de feudo archiepiscopatus Cantuariensis, et quod recognitum fuerit de feudo ejus esse, ipsi archiepiscopo habere faciatis. Teste Rotrodo archiepiscopo Rothomagensi, apud Chinum.

EPISTOLA CCCCXCVIII.

EJUSDEM AD THOMAM CANTUARIENSEM.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo HENRICUS rex Angliæ.

Sciatis quod obviam vobis Rothomagum venire non potui ad terminum, quem prælocuti fuimus inter nos, quia significatum mihi fuit ab amicis meis Franciæ, regem Francorum præparare se ad eundum in Alverniam super homines meos et ad male faciendum ipsis et terræ meæ. Ipsi autem homines Alverniæ idem mihi significaverunt, rogantes ut eis succurrerem. Quapropter ad terminum quem statuimus inter nos ad vos Rothomagum venire non potui. Sed mitto vobis Joannem decanum Saresberiensem, familiarem clericum meum, vobiscum in Angliam iturum, per quem significo Henrico regi Anglorum filio meo, ut bene, et in pace, et honorifice habeatis omnes res vestras: qui etiam emendari faciat, si quid minus actum est, quam oportuerit, de his quæ ad vos spectant. Et quoniam mihi et filio meo plura referuntur de mora vestra quam facitis, quæ forsitan vera non sunt, vobis, ut credo, expediret, ne ire in Angliam diutius differretis. Teste rege ipso apud Lokchas.

EPISTOLA CCCCXCIX.

MATILDIS IMPERATRICIS AD THOMAM CANT.

THOMÆ Cantuariensi archiepiscopo MATILDIS imperatrix.

Mandavit mihi dominus papa, et in remissionem peccatorum meorum injunxit, quatenus de pace et concordia inter filium meum regem et vos reformanda intromitterem, et vos ipsum eidem reconciliari satagerem. Inde etiam, sicut scitis, me requisistis. Unde majore affectione tam pro honore Dei, quam pro honore sanctæ Ecclesiæ rem istam incipere, et tractare curavi. Sed multum grave videtur regi, et baronibus suis, atque consilio, sicut vos dilexit, et honoravit, atque dominum totius regni sui, et omnium terrarum suarum constituit, et in majorem tandem honorem, quem habebat in tota terra sua, vos sublimavit, ut de cætero vobis securius debeat credere, præcipue cum asserant quod totum suum regnum, quantum potuistis, adversus eum turbastis, nec remansit in vobis, quin ad eum exhæredandum pro viribus intenderitis. Eapropter mitto

vobis fidelem et familiarem nostrum Laurentium archidiaconum, ut per eum sciam voluntatem vestram super his omnibus, et cujusmodi animum vos habetis erga filium meum, et qualiter vos continere volueritis, si contigerit, quod petitionem meam, et precem de vobis ad plenum exaudire voluerit. Unum quoque vobis veraciter dico, quia nisi per humilitatem magnam, et moderationem evidentissimam, gratiam regis recuperare non poteritis. Verumtatem quid super hoc facere volueritis, nuntio proprio, et litteris vestris mihi significate.

EPISTOLA D.

OWENI WALLENSIS AD THOMAM CANTUAR.

Religiosissimo Dei gratia sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopo Thomæ suo Patri spirituali O. Walliarum rex suus spiritualis in Domino filius, debitam ac voluntariam in Christo obedientiam.

Vestræ, Pater mi venerande, discretionis auribus insonuit, quanta sui juris detrimenta post mortem episcopi nostri Mauritii nostra passa fuerit Ecclesia. Unde et magno timore perculsi trepidamus, ne, quia nobis incumbit necessitas curam et sollicitudinem hujus Ecclesiæ gerendi, Deus nostræ negligentiæ ista imputet. Nobis quoque, quantum nos immeritos oderit rex Angliæ, ita ut nostro honori et in ecclesiasticis et sæcularibus negotiis pro posse deroget, in quo vestri exsilii damnosam sentimus absentiam. Sed, quoniam in tali statu non estis, quo super hac re nostræ indigentiæ consulere valeatis, vestram deprecamur obnixe clementiam, quatenus cum sic amodo esse nequeamus, nostrum alibi episcopum ordinandi licentiam tribuatis, tali tamen interveniente conditione, quod sanctæ Cantuariensi Ecclesiæ et vobis exhibeat obedientiam, ac si vestræ manus impositione consecratus fuisset. Et bene nostræ petitioni debetis satisfacere, quia non jus aliquod nos cogit vobis subjici, sed voluntas, quæ semper durabit immobilis, nisi in vobis remanserit, quo minus perseveret. Quod si nos de obedientia, si hoc contigerit, suspectos habueritis, securitatem faciemus quam velitis. Et sicut archidiaconus noster David vestra in omnibus præcepta sequitur, sic et nos omnes faciemus. At unum tamen sciatis, quod amplius sic esse non valemus. Voluntatem itaque vestram super his mihi litteris vestris renuntietis.

EPISTOLA DI.

ANONYMI AD ALEXANDRUM PAPAM.

Eram magnificentiæ vestræ quædam cum tranquillitate mentis intimaturus, etc. *Vide in Alexandro III, an.* 1159-81.

EPISTOLA DII.

LUDOVICI AD EUMDEM.

Alexandro papæ Ludovicus rex Franciæ.

Pro archiepiscopo Cantuariensi, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA DIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Alexandro Dei gratia summo pontifici, Ludovicus eadem gratia Francorum rex, salutem et debitam reverentiam.

Ab humanæ pietatis lege recedit filius, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA DIV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Ludovici reg. Fr. ad Alexandrum papam.

Potestis recolere, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA DV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Alexandro papæ Ludovicus rex Franciæ.

Tenemus firmiter et recolimus, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA DVI.

EJUSDEM AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Thomæ Cantuariensi archiepiscopo Ludovicus rex Franciæ.

Jam diu sanctitati vestræ obtulimus, ut apud nos mansionem faceretis. Id ipsum nunc vobis offerimus ex grandi animo. Et hoc recipere nobis esset ad gaudium magnum. A nobis frequenter non habetis nuntios, quia sumus adhuc in exspectatione et alias res, et alios rumores vellemus audisse quibus vos lætificare nobis esset gratissimum Sed nondum res est secundum desiderium nostrum. Valete.

EPISTOLA DVII.

EJUSDEM AD MANUELEM IMPERATOREM.

Manueli Dei gratia illustri et glorioso Romanorum imperatori semper augusto, venerabili fratri e amico charissimo Ludovicus, eadem gratia rex Francorum, salutem et ei fideliter et feliciter adhærer qui regna largitur et transfert imperia.

Honor quem nobis in Domino peregrinantibu apud vos exhibuistis, Deo auctore a memoria no stra nunquam excidet. Et licet nos maria et inte jectorum regnorum interstitia separent, nulla ta men vis meritis vestris debitum nobis excutiet cha ritatem. Inde et quod de vestra properitate læta mur ut nostra et æmulis vestris quod nostris op tamus evenire promptum gerentes animum, s Deus opportunitatem dederit, vestram in Domin implere voluntatem et gloriam dilatare ; ut auter vos de nostro et nos de vestro statu faciat certiore latori præsentium Theobaldo, venerabili prio Crispiacensis Ecclesiæ dedimus in mandatis, u imperialem adeat majestatem et ad thronum cels tudinis vestræ secreta perferat, quæ potius fid ejus quam litteris censuimus imprimenda. Est eni vir litteris cruditus, morum sanctitate conspicuu præclari nominis, et nobis admodum familiari Unde præ cæteris qui in ordine suo perfecti hab bantur, electus est procurare necessitates Eccl siæ Cluniacensis, quæ non modo monasterioru regni nostri caput exstitit a diebus antiquis, sed toto orbe Latino monasticæ religionis præ cæter omnibus obtinuit gloriam. Imperatoriam ergo cl mentiam imploramus, ut tantum virum condecent admittat, verba nostra quæ posuimus in ore eju

audiat diligenter et misericorditer exaudiat preces A ejus et respiciat Ecclesiæ necessitates.

EPISTOLA DVIII.

EJUSDEM AD WILLELLMUM REGEM SICILIÆ.

Ludovicus Dei gratia rex Francorum, illustri regi Siculorum Willelmo venerabili fratri et amico suo charissimo, salutem et ei jugiter adhærere qui dat salutem regibus.

Honor, quem nobis magnificus avus vester in obsequio Dei peregrinantibus exhibuit: liberalitas, quam in nos et comperegrinantes exercuit; consolatio multiplex, quam fessis et laborantibus devotus impendit, a memoria nostra recedere nequeunt, sed animum nostrum indesinenter accendunt. Utinam B devotio, quam habemus ad vos, possit operis exhibitione clarescere, et effectus meriti conspicuum testimonium reddat affectui promerendi. Gratius enim esset nunc si opportunitas divinitus aperiretur obsequium vobis rependere, quam fuerit tunc illud a vestris progenitoribus accepisse. Magnique muneris instar erit si decreveritis imperare, quod desiderio nostro præstaret materiam obsequendi. Licet enim nos interjacentium terrarum spatia separent, et obsequiorum vicissitudines intercludant, ferventissimam tamen a pectore nostro nequeunt excludere charitatem, quin properis vestris congaudeamus ut nostris, et adversa quoties audiuntur, feramus ut nostra. Proinde quod honori vestro et gloriæ credimus inservire secure petimus et sincera con- C sulimus charitate sicut preces vestras admittere prompti sumus et similiter expedienti consilio obedire. Nobilis vir Stephanus quem familiaritatis vestræ honore sublimastis, caro et sanguis noster est, et clarissimo proceres regni Francorum cognomine vel affinitate contingit. Qualiter autem ad ignominiam generis et gentis suæ dejectus sit et ejectus, prudentia vestra tanto certius recolit, quanto quæ circa eum gesta sunt, insidiantium fraude, clarius per præsentiam intellexit. Rogamus ergo affectuosius nobilitatem vestram, ut eam ad gloriam nominis vestri et regni Francorum consolationem curetis maturius revocare, eumque restituatis in integrum amoris, familiaritatis, honoris et dignitatis. Ob hanc causam et alias quas scripto non duximus D committendas, latorem præsentium Theobaldum venerabilem Crispiacensis Ecclesiæ priorem ad excellentiam vestram fiducialiter destinavimus cui in his quæ vobis ex parte nostra dixerit credi postulamus ut nobis. Et enim vir fide plenus, reverendus titulo sanctitatis, litterarum eruditione præclarus, nobis admodum familiaris charus et acceptus regno Francorum. Procurat autem necessitates nobilis Ecclesiæ Cluniacensis in Oriente; in quibus eum a vestra sublimitate petimus benignius exaudiri et efficacius promoveri. Gloriam vestram ad honorem suum in longa tempora promoveat et tueatur Rex regum et dominantium Dominus.

EPISTOLA DIX.

A. . . . . REGINÆ FRANCORUM AD ALEX. PAPAM.

Sanctissimo domino et Patri charissimo Alexandro, Dei gratia summo pontifici, humilis et devota filia ejus A. . . . . regina Francorum, salutem, et cum sinceritate cordis devotum obsequium.

Vobis sicut Patri loquar et domino, etc. *Vide in Alexandro III, an.* 1159-81.

EPISTOLA DX.

FREDERICI IMP. AD HENRICUM REGEM.

Fredericus Dei gratia Romanus imperator et semper augustus, dilectisssimo amico suo H. illustri Anglorum regi, salutem et indissolubilem intimæ dilectionis affectum.

Cum Christus Ecclesiam suam quam pretioso sanguine redemit, unicam et indivisam beato Petro præ cæteris apostolis singulari et speciali privilegio gubernandam commiserit, constare videtur quod unus in Romana Ecclesiæ pontifex esse debeat, qui unius Dei et Petri vicarius, unius et universalis Ecclesiæ gubernator existat. Unde nos qui unitatem colimus, et omnes unum corpus sumus Ecclesiæ, nonne dolere debemus quod scissa illa tunica inconsutili, unitatis scilicet Ecclesiæ, duos apostolicos in Romana Ecclesia videtur habere? Defuncto enim Adriano papa in Kalendis Septembris, cardinales, qui columnæ immobiles esse videbantur, quibus sancta et catholica inniteretur Ecclesia, non quæ Dei sunt, sed sua quærentes et unitatem Ecclesiæ scindentes, duos pontifices elegerunt. Pro tanta namque et tam perniciosa Ecclesiæ jactura tota Italica Ecclesia conturbatur, et dissensiones schismatis ortæ in capite, jam in inferiora membra defluxissent, et totum corpus Ecclesiæ commaculassent, nisi nos consilio et auxilio religiosorum virorum qui Spiritu Dei aguntur, tam impudicæ iniquitati justitiæ rigorem opposuissemus. Ne itaque in tantæ discrimine discordiæ universalis Ecclesia possit periclitari, Romanum imperium quod ad remedium tam perniciosi morbi divina clementia providit, universorum saluti debet sollicite providere, et ne tanta mala in Ecclesia Dei præmineant, futuris solerter obviare. Coadunatis etenim in unum omnibus episcopis, tam Italicis quam Teutonicis, cæterisque principibus ac viris religiosis, qui zelum Dei et Ecclesiæ habere videbantur, quid facto opus esset, diligenter investigavimus. De decretis pontificum Romanorum, et statutis Ecclesiæ veraciter accipientes, quod exorto schismate in Romana Ecclesia ex duorum apostolicorum electione ambos vocare, et secundum sententiam et consilium orthodoxorum litem decidere deberemus. Ex consilio itaque omnium qui aderant, episcoporum scilicet, cæterorumque principum curiam solemnem, et generalem conventum omnium ecclesiasticorum virorum, in octavis Epiphaniæ Papiæ celebrandum indiximus. Ad quam ambos qui se dicunt

pontifices Romanos, omnesque episcopos imperii nostri vocavimus. Sane cum sis unum de principalibus Ecclesiæ membris, ac sine cujus consilio et auxilio tam arduum tamque necessarium negotium salutarem effectum sortiri nec debet nec potest, si fieri posset, pro reformanda unitate Ecclesiæ, etiam tuæ personæ sublimitas insudare deberet. Sed quia hoc jam diu desiderabile votum nostrum necessariæ causæ præpediunt, dilectionem tuam mondis quibus possumus exoratam esse cupimus, quatenus de venerabili collegio episcoporum regni tui et abbatum, aliorumque orthodoxorum quorum sapientia et religione Anglorum præfulget Ecclesia, quotquot potes, nobis transmittas, et prædicto sacro conventui interesse facias, ut eorum cæterorumque ecclesiasticorum virorum salubri dictante consilio unitas Romanæ Ecclesiæ, Deo mediante, qui facit utraque unum, reformetur, et status ecclesiarum nullo deinceps dissensionum turbine collisus, nostris temporibus incolumis in sua possit tranquillitate permanere. Interim autem, in neutram partem prædictæ scissuræ assensum tuum declines, nec

[*desunt nonnulla.*]

rationabiles aliquatenus recipias.

EPISTOLA DXI.

EJUSDEM AD CUNCTOS POPULOS.

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, cunctis populis quos clementiæ nostræ regit imperium.

Jam dudum innotuisse credimus, qualiter exorta quondam inter Ecclesiæ Romanæ cardinales de apostolatu discordia in reges et regna impetu pestifero est diffusa. Pro qua ad optabile bonum pacis revocanda quantos post beatæ memoriæ papæ Victoris electionem et confirmationem Catholicam Papiæ, Mediolani, Laone, atque in diversis imperii finibus in corpore nostro labores, tam nos quam invicti principes nostri pertulerimus, quantas rerum copias zelo justitiæ impenderimus, in extremis quoque mundi partibus jam auditum non dubitamus. Denique beatissimo papa Victore ad paradisi gaudia feliciter assumpto, et in ejus locum ad episcopi et cardinalibus almæ sedis apostolicæ domino Paschali, viro Christianissimo, in præsentia episcoporum et religiosorum Lombardiæ ac Tusciæ, illustris quoque urbis Romæ præfecti ac multorum nobilium Romanorum, catholice substituto, ipsum etiam dominum Paschalem ex Ecclesiæ ac principum imperii judicio atque consilio in papam et Patrem Catholicum solemniter recepimus, debitoque honore venerari semper intendimus. Proinde obstinata schismaticorum perfidia, mortem viri justi suis successibus aperta fronte ascribens, Sireniis suis blanditiis quorumdam fidelium nostrorum animos adeo molita est denuo immutare, ut nisi novis morbis nova maturius remedia objicerentur, pars nostrorum non modica viderentur ex fiducia nostræ lenitatis seducenda. Igitur zelo reformandi decoris domus Dei ardentius accensi, cum regem Francorum, qui nulla nostra culpa præeunte, una cum Rolando, imperii nostri hoste publico, ejusque sequentibus, imperialem nostrum honorem manifeste molitur auferre post multos nostros admonitus irrevocabilem persensissemus, universis imperii principibus in sancto Pentecoste curiam Wichebuch generalem indiximus. Quorum cœtu celeberrimo ibidem solemniter præsidente, Ecclesiæ Dei statum ac domini papæ Paschalis negocium serio ac magnifice duximus roborandum. Invocata igitur devotissime Spiritus sancti gratia, et universorum qui aderant consilio altius communicato, ad removendam pro parte nostra omnem prorsus ambiguitatem, ipsi nos manu propria super sanctorum reliquias juramentum publice præstitimus, quod Rolandum schismaticum, vel ejus successorem, quem ipsius pars elegerit, in papam nunquam recipiemus, nec ad eum recipiendum unquam alicui assensum præbebimus. Nulli etiam fautorum ejus gratiam nostram unquam reddemus, nisi ab errore viæ suæ ad unitatem Ecclesiæ fuerit conversus. Dominum vero papam Paschalem manutenebimus semper et promovebimus, eique tanquam Patri catholico et universali pontifici obedientiam, honorem et reverentiam exhibebimus : et ab ipso, ejusque parte, vita comite, nunquam recedemus. Electos quoque, qui sub eo aut ejus successore, quem pars ipsius elegerit, consecrationem receperunt, vel adhuc receperint, honore aut ordinibus suis per ejus obedientiam privari nunquam permittemus. Et hujus absolutionem sacramenti nunquam requiremus nec oblatam recipiemus. Præterea noster in imperio successor, quem principes universi elegerint, hunc honorem Ecclesiæ Dei et imperii, et hanc partem nostram sub eodem juramento tuebitur semper atque tenebit. Idem quoque juramentum archiepiscopi et episcopi omnes, atque electi qui interfuerunt numero quadraginta, super sancta Dei Evangelia propria manu unusquisque sub stola sua præstiterunt et publice firmaverunt. Nihilominus universi grincipes sæculares, dux videlicet Saxonum, et Bavero marchio Albertus senior, Conradus palatinus de Rheno, et Ludovicus Landgravius, et reliqui omnes, super sanctorum reliquias id ipsum juraverunt. Repente autem Spiritus sanctus mentem omnium adeo unius effecit voluntatis, quod electi omnes in sabbato quatuor temporum ad laudem Dei, et honorem imperii sacros ordines devotissime susceperunt. Firmiter quoque a nobis et ab universis decretum est, ut quicumque supersunt ordinandi, in primis quatuor temporibus similiter eos sequantur : alioquin dignitatis, et quam electi sunt, honore, omni remota dilatione, priventur. Ad hæc honorabiles legati illustris amici nostri Henrici gloriosi Anglorum regis, ad nos ab ipso transmissi, in totius curiæ nostræ præsentia super sanctorum reliquias ex parte regis Angliæ publice juraverunt nobis, quod rex ipse cum toto regno

suo in parte nostra fideliter stabit; dominum Paschalem, quem nos tenemus, nobiscum semper tenebit. De Rolando autem schismatico manutenendo nullatenus se de cætero intromittet. Quia vero ustitiæ, quam hostes Ecclesiæ Dei et nostri, sive ex superbia, sive ex causæ diffidentia devitarunt, nos semper hactenus stare parati, nunc tandem ad insolita sacramenta ex eorum manifesta obstinatione sumus impulsi. A schismaticorum communione omnis homo, omnisque ordo caveat. Furor enim eorum, etsi hactenus aliquo modo visus est venialis, in posterum prorsus erit irremissibilis. Ad perfectum quoque hujus negotii firmamentum ex totius Herbipolensis consilii decreto irmissime præcipimus, ut si quis ad sui mandaum antistitis sacramentum supra scriptum non præstiterit, si clericus sit aut monachus, ecclesiastico privetur honore ac beneficio; si laicus, allodia et beneficia quæcunque possidet, nostra ipsi uctoritate a suo judice vel domino prorsus adiantur.

Data Wicheburch, Kalendis Julii.

EPISTOLA DXII.

EJUSDEM AD STABLAUNENSEM ABBATEM.

FREDERICUS imperator Stablaunensi abbati.

Sicut novit dilectio tua, ad curiam Wicheburch, uam in Pentecostem indiximus, nos una cum principibus universis, tam sæcularibus quam ecclesiaicis, gloriose convenimus. Ubi inter cætera sanæ Ecclesiæ statutum est præcipue de negotio domini aschalis papæ, quod in cordibus multorum duium habebatur, communicato universorum consilio, principum videlicet, et omnium clericorum atue laicorum, qui aderant feliciter et magnifice oboravimus: invocata enim sancti Spiritus gratia, ominum papam Paschalem, et ejus honorem in unc modum stabilivimus et confirmavimus, quod os propria manu nostra super sanctorum reliquias ublice juramentum fecimus, quod de cætero, Rolanum Schismaticum neutiquam pro papa recipiemus. t si ipse decesserit, ejus successorem, quem pars dversa substituet, similiter nunquam recipiemus. ominum vero Paschalem papam de cætero, sicut niversalem et Catholicum Patrem, cum obedientia, t honore, et reverentia habebimus et tenebimus, t ab ipso ac ejus parte nunquam recedemus, quanuipse vivet, et nos vivemus. Si autem ab hac vita os decedere contigerit, noster successor, quem rincipes universi substituent, hunc honorem impei et hanc partem nostram sub eodem juramento ebitur semper atque tenebit. Hoc idem juramenum omnes archiepiscopi et episcopi nostri et lecti, qui interfuerunt numero quadraginta, super ancta Dei Evangelia manu propria unusquisque sub tola sua fecerunt, et publice firmaverunt. Et ad emovendam pro parte nostra omnem ambiguitaem omnes electi, primus Coloniensis, deinde cæeri, sacros ordines in Sabbato quatuor temporum ad laudem et honorem imperii apud Witzeburgh cum omni devotione susceperunt. Similiter universi principes sæculares, dux Saxoniæ, et Albertus marchio senior, et palatinus comes de Rheno, landgravius, et reliqui omnes super sanctorum reliquias publice juraverunt. Honorabiles quoque legati regis Anglici, amici nostri, ab ipso ad nos transmissi, in præsentia totius curiæ nostræ super sanctorum reliquias ex parte regis Anglici et baronum ejus juramentum apud Witzeburg juraverunt, quod et ipse rex Anglicus cum toto regno suo in parte nostra fideliter stabit, et dominum papam Paschalem, quem nos tenemus, et ipse tenebit, et nostram partem manutenebit. Et de Rolando schismatico, vel ejus parte amplius de cætero se non intromittet. Nos itaque de tua dilectione et fidelitate confidentes, et plurimam fiduciam habentes, mandamus tibi attentius monentes ac præcipientes, ut prædictum juramentum, quod nos propria manu nostra coram principibus juravimus, et ipsi principes juraverunt et firmaverunt, ipse cum omnibus ecclesiæ tuæ fidelibus publice jures et observes, et singulis Dominicis diebus et festis in publica missa, sicut edictum est et sancitum a nobis et a principibus, publicam orationem pro domino papa Paschali nominatim et assidue, intus et foris, præcipias recitari.

Edictum quoque est et statutum, ut hæc omnia juramenta infra sex hebdomadas ad omnibus compleantur. Quod si aliquid monachorum, clericorum, laicorum in imperio nostro huic confirmationi et edicto nostro aliquo modo se opponendo contradixerit, certum sit apud te, quod sicut publicus hostis imperii, absque omni spe recuperationis, judicatus est et damnatus, et ab omni officio et honore et beneficio destitutus. Litteras quidem vocationis tibi transmisimus, et quia secundum prudentiam tuam nobis necessarius valde fuisses, quod litteræ nostræ ad te non pervenerint, valde dolemus. Interim in partibus tuis præsentiam nostram prætolaberis: ibi cum viciniores erimus, si quid justitiæ defuerit, per omnia complebimus.

EPISTOLA DXIII.

REGIS SICIL. AD REGEM ANGLIÆ.

Regi Angliæ rex Siciliæ.

In receptione litterarum specialissimæ dilectionis vestræ cognovimus, quod quidem sine admiratione maxima proferre non valemus, videlicet quod ordine humanitatis oblito, et naturæ lege soluta insurrexit filius in parentem, in genitorem genitus. Commota sunt viscera ad bellum intestinum, irruerunt ad arma præcordia, et quod novum prodigium est, et nostris temporibus inauditum, caro defervuit in sanguinem, et se ipsum quærit sanguis effundere, et quoniam ad tanti furoris impetum compescendum, potentiæ vestræ auxilium loci commoditas non admittit, eo quo possumus charitatis affectu, quem locorum spatia non con-

cludunt, personam et honorem vestrum devotius amplectantes, dolori vestro compatimur, persecutionem vestram moleste ducimus, et quasi propriam reputamus. Confidimus autem et speramus in Domino, cujus judicio regum judicia terminantur, quod non diutius permittet filium vestrum tentari, supra id quod debet, et qui factus est obediens usque ad mortem, ipse in eo filialis lumen obedientiæ inspirabit, per quod memorabitur quia caro et sanguis vester est, et relictis hostilitatis erroribus agnoscet se filium, redibit ad patrem, naturæ solidabit incommodum, et debitæ dilectionis fœdera ordo pristinus continebit. Valete et gaudete in Domino.

EPISTOLA DXVI.

PHILIPPI COMITIS FLANDRENSIS AD ALEX. PAPAM.

Alexandro papæ Philippus comes Flandriæ.

Multas sanctitati vestræ refero gratias, etc. *Vide inter epistolas variorum ad Alexandrum III papam, post ipsius Regesta.*

EPISTOLA DXV.

RANULFI DE TURRI EPIS. AD GILBERTUM.

Domino Londoniensi Ranulphus de Turri, semel semperque suus, misericordiæ abundare visceribus.

Quamvis spontanea beneficia incitamenta non exigant, instinctu erga vos charitatis præcipitor piæ petitionis. Venit ad misericordiæ vestræ januam J. filius A. magistri quondam vestri, procuratoris vestri, tutoris vestri, vestri dicam et nostri? Sed ut verius fatear, et vestri dicam et nostri. Venit ille, qui ut ad vos veniat, non modo est invitandus, sed trahendus. Venit, inquam, non voluntate ductus, non voluptate corruptus, sed impetu necessitatis invectus. Onerant enim eum supra modum redituum angustiæ, debitorum paternorum sarcinæ, amicorum raritas, fratrum sororumque pluralitas et reliquæ sarcina parentelæ. Hæreat animo sanctitatis vestræ illa magistri Adæ circa vos curarum gravitas, alimoniæ fecunditas, diligentia doctrinæ, specialis impensa benevolentiæ. Quis hodie proprios liberos regit providentius, educat uberius, instruit attentius, diligit ferventius? Sic pene amor ille modum excessit, ut vos diligeret non quasi excellenter, sed quasi singulariter. Absit ab episcopi pietate tot et tanta talis tantique magistri merita non attendere, et ejus non compati liberis, qui vos aliquando pro filio adoptavit. Det ergo Deus vobis angelum magni consilii, quatenus portuorem præsentium, qua decet honestate suscipiatis, et qua abundatis pietate reficiatis, et qua præeminetis potestate promoveatis. Si autem se sanctitas vestra magis ad fratres suos qui minus, imo nihil nisi per ipsum habent, inclinat, confiteor coram Deo, prædicabilius atque salubrius esse ad hujuscemodi inopes respicere, quam quosdam vicatim cibaria quærentes reficere. Cum autem religionis vestræ benignitas se passim ad omnes conetur extendere, his potissimum debet subvenire, qui in bonis vestris aliquid juris videntur habere qui fodere non norunt, mendicare erubescunt, quibus si supernum quod modicum est subtrahatu auxilium, nullum vivendi relinquit adjutorium. Non præsumo docere sapientiam vestram, sed exhorto charitatem vestram, ad honorificentiam et saluten vestram. Denique pepigit gratia vestra aliquem d alumnis magistri Adæ suscipere, alere, promovere Quod nondum solutum, rationis dictat ordo solvendum, et misericordia præcipit ad implendum. In hi et omnibus repleat cor vestrum Deus spiritu consilii, et fortitudinis, et pietatis. Valete semper i Domino.

EPISTOLA DXVI.

Super appellationis denuntiatione vestræ sati provide et prudenter egistis. Sed dominus rex co sultius in hac parte providerat vobis et aliis su gratia, cum statim postea convenit regem Franc rum de conventione facta inter eos fide interposit quod neuter eorum alterius invasorem in terra su retineret, aut infestatorem quemcunque reciper aut manuteneret qui sui domini curiæ stare noll judicio. Objiciebat enim guerram archiepiscopi Ca tuariensis gravissimam et omnimodo inordinatan Ad hoc itaque tandem ventum est quod proposit est archiepiscopo utrum mallet Galliam exire a ab excommunicationibus suis temperare et insup omnes illos absolvere quos excommunicaverat. Pr terea inpræsentiarum nuntiorum litterarum abi runt in Franciam dominus Sagiensis et archidiac nus Cantuariensis pro magna utilitate et unitate pace Ecclesiæ Anglorum. Item Raginaldus arc diaconus Saresberiensis in reditu est, peractis o nibus domini regis ad voluntatem suam et suoru adducens secum duos clericos familiares a late domini papæ, videlicet Gratianum subdiaconum, r potem Eugenii papæ, magistrum notariorum, Vivianum advocatum curiæ Romanæ. ad quid qualiter nondum scimus, sed omnia bona spe mus, sicut a quibusdam accepimus quod nu audietis.

EPISTOLA DXVII.

...... EP. AD GILBERTUM

Domino Londoniensi salutem præsentem et f turam.

Sicut tradit quædam eloquentiæ persona sublim ingratus est qui negat se beneficium accepisse, gratior, qui dissimulat, ingratissimus omnium, oblitus est. Ne igitur famæ vestræ nitor egreg ingratitudinis hujus vel illius videatur carbone grescere, tangat memoriam vestram illa magis Adæ circa vos curarum gravitas, doctrinæ prof ditas, alimoniæ ubertas, postremo fervens, imo dens charitas. Hæreat animo vestro quanta cur quali amplexu, quam speciali privilegio, illa doc ris vestri, procuratoris, tutoris, diligens vigilan vos non modo supra familiares, verum supra qu

libet mortales adoptaverit, qualiterque ejus spiritus in vestro ut ita dicam, spiritu quieverit. Tantorum ergo et plurium contemplatione meritorum et mearum interventione precum, J. latorem præsentium gratia vestra eo benevolentiæ respiciat intuitu, quæ vestræ congruat sanctitati, et paternæ respondeat sollicitudini, quatenus filius utilitate sentiat, quod pater labore promeruit. Pater enim ejus cum fati munus impleret, filium reliquit ære alieno gravatum, ratrum numerositate impeditum, redituum angustiis constrictum, et quibusdam aliis nexibus intricatum. Decet erga dilectissimam religionem vestram quæ etiam aliorum prævenit merita, hujus devotissimi vestri attendere necessaria, et filio sublimitatis vestræ sinum aperire misericordiæ. Valeat sanctitas vestra in Domino charissima.

EPISTOLA DXVIII.

R.... AD THOMAM CANTUARIENSEM.

Suo suus, domino servus, THOMÆ archiepiscopo antuariensi R.... quidquid in vita jucundius et aluti conducibilius.

Quod vobis rarius scripsi non absque delicto arbitror. Peccavi equidem, sed confitenti parcere novit lementia. Minus etenim diligens hactenus exstiti n his quæ ad vestræ dispensationis curam pertinere oscuntur. Totius quippe Ecclesiæ nostræ dispensatio et sollicitudo vobis incumbit. Vobis namque mnia commissa sunt et universa vestro consilio onstituere vel arbitrio immutare, bona in melius romovere et perversa de confusione in ordinem revocare permissum est. Se et sua vestræ dispositioni adita sancta Dorobernensis gaudet mater Ecclesia: uem sibi patrem, pastorem, ducem, cura, sollicitune et consideratione ordinata unanimi voluntate ræfecit. Interior siquidem et exterior omnium ura imposita vos ad vigilantiam excitat. Grandis onor: onus grave: et cuivis importabile, si non ıstentetur divino miseramine. Sollicitudo, ni falr, multa, et labor plurimus incumbit. Vane igitur his præsumit humana præsumptio, ubi totum percit divina miseratio. Diligentia igitur plurima opus t et gravis sarcina plurimorum participatione ıblevanda. Quod itaque ab uno minus potest, a ultis supportetur. Sed viros discretos et industrios lis impertitio exigit: qui et exteriora prudenr administrare et interioribus zelo Dei armati secundum scientiam præesse vigilanter noverint: qui ommunia propriis præferentes, non sua sed quæ Je-Christi quærentes, discrete sciant, humiliter velint utiliter possint assignatorum sibi curam gerere: qui on carni obsequentes aut sanguini, maxime domeicis fidei bona noverint providere; qui non Ecclesiæ ıbstantiam in propinquorum locupletationem disahant; qui non panem filiorum canibus mittant, ut omesticos attenuent, dum alienos saginant, quos miæ tenacitatis nævus non inficiat, aut prodiga usio non infamet; qui non in deliciis carnis cum habeant, sed spiritui servire contendant, quos

A non aut edulio crapula aut vino gravet somnolentia: quibus jucundior sit hymnorum aut psalmorum modulatio quam vel diurna vagatio vel nocturna dormitio, quibus magis cordi sit animarum cura quam corporum; qui et speciosæ Rachel amplexus desiderent et Liam propter fecunditatem tolerare non recusent; qui contemplationem Mariæ ardenter sitiant et laborantis Marthæ sollicitudinem non omittant: qui alterna se vicissitudine, nunc ad interiora nunc ad exteriora, discrete se habentes, ut cætera se ipsis adjiciantur et primum regnum Dei quærentes, spiritualia carnalibus, divina humanis anteponant. Tales enim oportet episcopum habere ministros, quibus secure ea quæ propter aliarum Ecclesiarum sibi etiam commissarum sollicitudinem minus ipse sustiB nere post onera impertiatur. Sana enim hæc est, ut arbitror, consultatio, quæ virum honestum et discretum commendat. Succenseat adversus me forsitan alius et dicat: Quid pergis vel Minervam docere vel Apollinis aptare digitos citharæ?

Quid cum principibus tibi vix popularibus apto?
Vix terra dignus quid super astra facis?

Ut ab his cessem laudant; attendam sortem meam consulter et professionis meæ conscius, loqui erubescam. Oppilare os suadent propter monachum, mortui enim, ut aiunt, sumus et nihil omnino nobis cum exteriorum cura qui mundo renuntiavimus. Sit ita, ut aiunt. Sed, quæso, dent mihi aliquem qui in mundo sine mundanis possit vivere. Sunt enim in C mundo sed de mundo qui mundo tanquam non utantur utentes, soli Deo in omnibus placere quærunt. Si quis, quod absit! se palliat vivens aliter, videat ipse: mea etenim nil interest. Sed utinam non mordear a conscientia mea. Si quis est gloriosus iste, qui quasi nesciens quid loquator infrunita fronte obloquitur. Nunquid non obsequium præstandum est? Sed quid majus, quid melius, quid utilius obsequium aut honestius præstari poterit, quam ut amicitiæ vinculum indissolubile conservetur? Nunquid, ut omittam cætera, domini et episcopi mei periculum mihi parvipendendum? Nonne in quo et ipse periclitatur et ego? Quæ enim navis naufrago gubernatore evasit? Quisve negare audeat etiam maxima minimis interdum D posse juvari? Sæpenumero vidimus et audivimus id accidisse. A Domino constitutus Israelitici populi Moyses judex consilio Jethro in omnibus usus est: fessum in itinere Amalechitam puerum David inventum refecit, et eo duce eosdem qui captivas ipsius uxores et prædam abduxerant comprehensos Amalechitas interfecit. Judicium quoque Daniel etiam in Babylone adversus seniores judices qui videbantur regere populum suscepit: et eos condigna pœna exterminavit. Sed quid indignantur minus discreti reprehensores mei? Nunquid et hic in Ecclesia Christi non licet fieri, in qua ea quæ a sapientibus abscondita sunt, Pater cœli et terræ parvulis revelat? Quis spiritum divini consilii fra-

terna charitate non suscipiat cum fas sit et ab hoste docere. Non ambigo, non ignoro virum prudentem tanto regimini deputatum, sed nihil nimis vel consilii talis providentiæ in tantarum rerum administratione unquam legitur fuisse. Sibi ipse sufficit: sed affectus meus volo ei innotescat. Mereri libet. Gratum etenim mihi est si quid ex me in illius usus emanat. Non est ; ipse enim noviter ab heri vel nudiustertius nostræ familiaritatis contracta gratia quæ ab ipsius ætatis pene exordio traxit originem, et quam processu temporis succedentibus sibi invicem meritis usque in hæc tempora conservatam et uberius auctam arbitror. Jucundum mihi et quam maxime gratum quod talem sortitus sum, si talem conservare meruerim. Quod si in aliquo aberravi, ignorantiæ, quæso, non malitiæ ascribatur. Scio tamen quod superest mihi adhuc prior affectus et ex dispositione in habitum usus perseverat : licet in ostensione minor fuerit effectus. Duret utinam iste et inviolatus permaneat usque in finem non habiturus incrementi modum. Amo quidem amo, et si parum est, amem oro validius. Stat tamen immotum apud me quod nemo filiorum vestrorum me uberius, jucundius aut dulcius vos diligere queat, parum licet vobis mea dilectio conferre possit, minus utique est quam vellem, sed imperfectum meum omnipotentis Dei miseratio suppleat. Excessi epistolarem in scribendo modum, dum parum mihi est, qua parte licet scheda magis quam lingua vobiscum loqui. Parcat tamen mihi benigna patientia, si hoc unum adjecero ne vel nimis supra modum terreamini vel blanditiis turbamini. Veritatis amatorem sentiat adulator et assentatoris lingua in præsentia vestra obmutescat. Erectus sit vestræ constantiæ status : flecti vel frangi nesciat. Turbabitur forsitan mundus, sed exaltatam procellam sedare ac deprimere potens est Dominus. In manu Domini corda sunt regum quibus vel in misericordia vel in judicio utitur miserator et justus Dominus. State igitur in fide; viriliter agite; confortamini in Domino et omnia vestra in charitate fiant, et Deus pacis et dilectionis erit et sit vobiscum. Amen.

EPISTOLA DXIX.

De nobilitatis vestræ gratia certam obtinentes fiduciam, amicos nostros quoties expedit, et maxime quos domino papæ et toti Ecclesiæ Dei fideles cognoscimus et devotos, vobis fiducialiter commendamus, procul dubio attendentes, quod tanto nostris debeatis partibus inclinari, quantum apud nos vestræ possent efficere. Proinde venerabilem fratrem nostrum Londoniensem episcopum quem Romano pontifici et Ecclesiæ indubitanter comperimus esse fidelem, serenitati vestræ commendamus attentius, transmissis affectibus admodum exorantes, quatenus ipsius nuntios venientes ad curiam sublimitas vestra benigne recipiat, et eorum petitionibus, quas ex parte memorati ferunt episcopi, amicabiliter cooperari studeat et efficaciter promovere. Si autem aliquid apud curiam domini papæ de prædicto episcopo sinistrum aliquid fuerit intimatum, unde eum credimus esse immunem, vestra curet id ita delere solertia, ut prælibati nuntii a summo pontifice benignius exaudiantur et in iis exhibeatur gratia dirigenti. Vale.

EPISTOLA DXX.

Venturi sunt, ut dicitur, magister Otho Tuscula nus episcopus, et dominus Albertus presbyter car dinalis; et si dominus rex mandato domini star voluerit, tunc creditur eos venturos in Angliam Dominus Jacinthus transiit ad Hispaniam, functuru ibidem officio legationis. Abbas Clarevallensis fui Placentiæ prima die Dominica post Ascensionem Do mini transiturus ad dominum papam, et modun pacis sicut et imperator et rex Francorum conco des effecti sunt domino papæ et curiæ repræsenta bit. Nuntii nostri transitum habuerunt prope Romar datis senatoribus viginti libris, et idem nuntii fu runt Bononiæ in reditu primo die Dominica po Ascensionem. Vigorniensis tamen episcopus et R ginaldus archidiaconus non ausi sunt se committer fidei senatorum. Robertus de Novo-Burgo transi in Siciliam, visitaturus regem et parentes suo Prætereat sciatis quod dominus rex omnia castell Widomari de Leun subvertit in Britannia, except tribus quæ dominus rex habet in manu sua. Plan terra Widomaro concessa. Quod autem Widomar occupavit de feudis vicinorum suorum reddet, v super hoc stabit in judicio coram rege, quod occ pavit de feudis hominum suorum reddet, vel e plenum rectum tenebit in curia sua, si dominus r præceperit per breve suum. Bituricensis archie scopus his diebus rebus est humanis exemptus, cujus loco substitutus est consensu clerici et pop Meldensis episcopus, scilicet dominus Stephan frater Adæ quondam camerarii regis Francorur

HERBERTI DE BOSEHAM

S. THOMÆ CANTUARIENSIS CLERICI A SECRETIS

OPERA QUÆ EXSTANT OMNIA

Nunc primum edidit J. A. Giles, LL. D. presbyter Eccl. Angl. et collegii Corp. Christi Oxon. nuper socius. (Oxonii et Londini, 1845, 8o, 2 vol.)

EPISTOLA DEDICATORIA.

Amicissimo fratri suo Jacobo Norris *S. T. P. collegii Corporis Christi præsidi, cæterisque viris amicissi-*
nis et bonis fratribus suis, ejusdem coollegii sociis et discipulis, frater eorum et quondam consocius Joannes
Allen Giles, *salutem et in bonis litteris optimo frui successu.*

In partibus transmaritis mihi diu peregrinanti et totum fere Occidentem pervagato, quantum gaudii des
lerit, quod tandem exemplare vetus Herbenti de Bosham in Bibliotheca Atrabatensi nactus sim, fraternitas
estra dubitare non potest. Is enim Herbertus, sancti Thomæ archiepiscopi per tot annos comes individuus
a quæ ipse viderat, quorum ipse pars magna fuerat, stylo, ut tunc temporis putabatur, immoderato et ul-
ra legem evagante, descripsit. At Hercle, quæ ante quingentos annos præ nimio scribendi labore Patrum
nostrorum diligentiam penitus evicerunt, his temporibus, post præclaram typographi artem inventam, diutius
n codicibus mstis latere, nemo non dolebit. At libri istius Atrabatensis, quem (quantum scirem) solum su-
peresse putabam, decimum quodque folium, ignominiosus quidam bibliothecarius, cujus nomen periit, me-
noria adhuc vivit, ut inde paucorum assium membranam vendendo lucrum faceret, sacrilega manu excer-
pserat! Quo factum est ut per totum librum hiatus plurimi valde deflendi, legentium studium interrumpant
ta monitus de parte quæ supererat similem casum evenire posse, totum codicem transcribi feci atque in his
omis publici juris facio.

Sed non hiatus isti omnes in meis libris apparent. Id quidem Providentia divina quæ mihi in hac re arri-
it, nec ulla cura mea effecit. Nam in bibliotheca fraternitatis vestræ, imo nostræ, superest adhuc codex qui
ureum hoc opus, tribus tantum libris prioribus exceptis continet. De quo suspicio quidem mihi olim incide-
at; sed quia codices qui in collegio nostro servantur, ex confusione tanta laborabant, ut libri qui quærren-
ur vix ulla diligentia inveniri possent, istum codicem nunquam videram, nec si vidissem, faciliter recogno-
issem, quia nullius auctoris nomen præ se fert, nee initium quidem mutilus et imperfectus habet.

Cum itaque res ita sit, fratres mei hanc primam editionem Herberti de Bosham libelli de Vita sancti Thomæ
Cantuariensis ad pedes vestros depono, memor quidem illius temporis, quo apud vos, nullis mundi rebus im-
plicitus, omni cura temporalium solutus, verum quærere, fontes ipsos adire, et inde haustus divinos co-
piose imbibere pura et simplici mente satagebam.

Fraternitatem vestram precor obnixiusque supplicor ut Herbertus meus favore et patrocinio vestro ful-
us in lucem prodeat, et ut liceat mihi iisdem verbis eum ad vos commendare avibus Horatius amicum
Septiimum Neroni commendavit:

Scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

Kal. Dec. 1845. J. A. G.

J. A. GILLES PRÆFATIO IN TOM. I.

Vitam S. Thomæ complectentem.

Cum sanctus Thomas Cantuariensis archiepiscopus id merito jure obtinuerit, ut multos haberet vitæ
uæ scriptores, eosque coævos, nullum sane nactus est quem majori cum voluptate, ne dicam amore,
xcipias, præter hunc nostrum Herbertum de Bosham. Qui enim propter hoc tantummodo apud nos ce-
ebratur, quod arctissimis amicitiæ vinculis præsuli suo adhærebat, ita ut ne ulla quidem memoria Herberti
ujusdam hodie foret, nisi eo cum nomine sanctissimi præsulis posteritati committeretur. Accipimus au-
em tam ex ipsius quam cæterorum scriptis hunc esse gente Anglum, natumque Bosham seu, ut vulgo
licitur, Sussexiacorum Bosham: quod antiquitus dominium Cantuariensi sedi ascriptum, vicissim deinde
n diversorum manus, Cantianorum scilicet comitum, Guillelmi Marshall et domus Berkeley devenit.
dem vero statura procerus, venustus forma, adeo inter omnes eminebat ut militiam potius quam sacer-
lotium redoleret ac singulari virtutis acie immanique virium suarum copia natus ad hæc, sicut re com-
ertum est, suscipienda videretur, quæ nimirum, imminentibus undique periculis, audacissimum quem-
que requirebant.

Thomæ causam amplexus est cum nullo adhuc ille, nisi cancellarii, fungeretur officio; cui consecrando
estis adfuit; quem prosecutus est postea ad Clarendonense consilium; cui vero usque adeo consensit in
ac famosissima Northamtunensis castri curia, ut dum nefandam istam per noctem, veluti turbationum
omnium inverecundæque tyrannidis formitem, aufugeret præsul, aufugerit et ipse per eamdem noctem,
Cantuariam reversus. Qui igitur, collecta ibi, ut ei præceptum erat, nummorum, ex aurro argentoque
vasorum et omnis suppellectilis maxima quam potuit copia, cito transmeans mare, in sanctum Audomarum
ibi post septem vel octo dies dominum suum erat recepturus, pervenit. Jussus inde qui legatos quosdam
ungeret, quos Henricus ad Alexandrum papam direxerat, non multo post regem ipsum ad colloquendum
ggressus est. Ibi autem, cum Henricus suum cuique et omnibus gratiam, dummodo archiepiscopi partes
elinquerent, sese redditurum dictitaret ac polliceretur, nihil omnino concessit noster, nisi quod liberius
iriliusque, fortasse procacius, se ipsum patefaceret. Et sic deinceps, multa peregisse dicitur, quibus

tantum fidei ejus concredebatur quantum et ipse periculis sese devoverat : quippe cui, non favente casu certissima regis ira immibebat, adeo atrox ut inimici cujusque devicti oculos erueret et alia corporis membra truculenter succideret. Attamen Thomas, comitante Herberto, Cantuariam suam recuperavit. Quem nihilominus tam cito, tam miserabiliter oppressum suismet oculis non visurus erat Herbertus ; quandoquidem ipse, pridie hujus sceleratissimi diei urbem, imo et Angliam, ad Francos delegatus, reliquerat. Ex quibus sane (licet ex adverso), dubitatur utrum si tam præceps et audax adfuisset ille vir, tanto timori fuisset occisoribus, ut scelus suum minime perpetrare potuissent, an potius ille ipse multo pejoris etiam internecionis, etsi invitus et reluctans, infanda tamen causa futurus extitisset. Nec plura, Thoma defuncto, de Herberto legimus, nisi quod, elapsis annis post parricidium quatuordecim, suis ut satisfaceret amicis, magni hujus viri vitam enarrare aggresus fuerit, quem ipse tot anno sadeo prosecutus erat, ut omnes suos in hunc unicum reponeret affectus et quasi in deum, ut ita dicam, « cultum idololatriæ suæ. »

Opus in septem libris digestum est, in quo breve de Vita pontificis continetur compendium. Sequitur alius seu *Melorum liber*, cujus argumentum in plurimas inter Christi vitam et Thomæ, prout auctoris ingenio libuerit, similitudines versatur. Quem tertio. id est ultimo loco excipit historia alia de rebus gestis videlisset post mortem archiepiscopi. Hactenus hæc. Quæ sint enim hujusdem auctoris opera si inquiras videre est tom. II in præf. (3), ubi cætera omnia, quæ hic desunt, habent quæque peculiarem suam et congruam satis explanationem.

Et nunc quid restat, nisi ostendam qua ardua via, ut huncce librum tanti pretii typis excuderem, ad summam fere totius argumenti pervenerim. Equidem Epistolis a Lupo [Wolf] Bruxellensi editis Vita Thomæ præmittitur, in qua exstant larga sane fragmenta, tam ex nostro quam ex variis excerpta. Quorum ego fontes, et si non Herberti ipsius autographum ejusdem librorum exemplaria quædam, vel unum per totius Britanniæ collectiones quum requirerem, frustra conatus sum. Et jam in desperationem venire incœperam, et post omnes gentium bibliothecas ire, quas aliquando utique Anglici cujusdam operis unicum forsan exemplar habere videres, dum nescit quidem opus quoddam esse Anglia illa nostra, Tunc Atrebates, qui primum inter Gallorum Flandriæ gentes locum sibi, vindicant, Deo favente, applicui ubi, inter non pauca magni momenti opera, pulcherrimum Herberti de Bosham ms. codicem inveni, sed eheu! parte fere quarta discerptum. Et quis sacrilega, dices ? Bibliothecarius quidam, cupidissimus vere nec non ineptissimus, membranam obtinendi seu vendendi causa, opus sic dilaceravit?

Inde cum ad Anglos remeassem, Rev. H. O. Coxe conscium me fecit sibi, dum catalogo recenseret *Corporis Christi collegii* mss. codices, exemplar quoddam Herberti occurrisse, quod equidem superesse antea noverant, sed ubinam lateret hucusque ignorabant. Qui plura ? Maximo mihi in his excudendis adjutorio fuit illud exemplar. Insunt enim ei quatuor ultimi libri quæ in Atrebatensi desiderantur ; ideoque quasi ad integrum totum opus redactum est, paucis tantum foliis omissis, quæ utique ad scripturam priorum librorum pertinent, sed ad rem ipsam mediocriter, ut videtur.

Quod si codex alius, redacto a nobis in primitivam quasi seu formam opere illo, tertius ordine et admodum integer accederet, tales volumen admittit intercapedines, ut cuncta desiderata in hoc etiam libro, suum quæque vacantem locum facillime invenire ac supplere possent.

Pax ergo Manibus Herberti de Bosham ! Pax animæ ejus ! Et si unquam illi datum est in hasce versari cogitationes, per quas ultimos deguerit vitæ suæ annos, tunc consoletur et exsultet ! Ecce enim hoc opus, suum inquam, quod ipse ne dissiparetur, cum fletu contestatus est, ecce reparatur, confirmatur et vivet, ut spero, in perpetuum.

(3) Præfationi tomi I quæ ad tom. II præfatus est D. Giles, subjecimus. Edit.

PRÆFATIO IN TOM. II

Herberti de Boseham opuscula et epistolas complectentem.

In præstanti admodum quam de Vita S. Thomæ scripsit elucubratione Boshamensis, non semel operi cui adhæserat invitum se innuit valedicere. Quod nusquam magis patet quam cum, post narratam archiepiscopi necem, jamjam scribenti materia deficeret. Cujus tamen defectum ut suppleret, quasdam subjecit *consonantias*, ut ait, in quibus sanctum archiepiscopum ut belli spiritualis militem, Christum ut imperatorem inducit. Inde *liber melorum* seu melodiarum, mera quidem et male digesta farrago, quæ, licet segregatim considerata parum luce digna videatur, nonnulla tamen exhibet notatu haud indigna, ubi scilicet auctor semetipsum cum Henrico II colloquentem inducit. Ex rerum port Becqueti necem gestarum narratione in Herberti Vitam, cum jam senex ageret, lux aliqua affulget. Mortuo magistro in Anglia degisse videtur. Quod autem Herbertum purpuram cardinalium indutum aliqui narrant, hoc nonnisi ex textu *Catalogi eruditorum* mirum in modum in editione Lupi corrupto fluxit.

Librum *Melorum* excipiunt ; *homilia* in die festo S. Thomæ dicta, et *constitutiones Clarendonienses* quas, ut ait Boshamensis in prologo ad librum *Melorum*, ex *funesto* illo *chirographo* descripsit « quod prius exsilii nostri et postea martyrii causa fuit. »

His quatuor partibus constat monumentum quod in memoriam dilecti magistri sui exigit Herbertus. Permulta complectitur quæ ujus ævi historiam Anglorum illustrant, et non immerito inter majoris momenti scripta quibus tempus pepercit annumerandum est.

Exstat præterea Boshamensis, ineditum opusculum, *Commentarii* scilicet *in psalmos*, in bibliotheca Bodleiana asservati Horum præfationem damus.

Eximiæ Herberti de Vita S. Thomæ elucubrationi æquiparandum opus sequens, de quo tamen, quod mireris apud auctores qui de iisdem egerunt vix mentio exstat ; *Collectio* scillicet *epistolarum* quas in persona magistri sui scripsit Herbertus cum ei esset a secretis. Has epistolas jam senex collegisse videtur, cum res gestas in memoria retractaret, posteris consulens, quarum olim, cum juvenis ageret, pars magna fuerat. Harum epistolarum codex ms. in bibliotheca collegii Corporis Christi Cantabrigiensis asservatur, ex quo, exceptis quibusdam jam editis, in lucem hodie prodeunt.

Hæc sunt Herberti scripta hucusque comperta.

Accedunt Alani abbatis Tewkesburiensis epistolæ nonnullæ, hucusque ineditæ, quas suppeditavit codex **ms. bibliothecæ collegii Corporis Christi Cantabrigiensis.**

Oxon. Dec. 1845.

VITA SANCTI THOMÆ

ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

AUCTORE HERBERTO DE BOSEHAM.

EPISTOLA

AD BALDEWINUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM ET AD EJUS CATHOLICOS SUCCESSORES

Beatissimo sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ archi-æsuli BALDEWINO et successoribus suis quotquot nonice substituendis, sanctitatis suæ servorum inimus HERBERTUS DE BOSEHAM, salutem in Domino debitam patribus reverentiam.

De vita et actibus gloriosi neomartyris nostri beati iomæ, decessoris vestri, historiam exaravi: non uidem eo styli splendore, non ea dictionum solem tate, quam dignitas materiæ exigit, sed prout de-per datum. Grandes quippe materiæ, ait quidam, genia parva non sufferunt. Verum, ne tam præ-ıra tanti viri gesta per tam crebras, tam conti-as temporum et generationum successiones, aut uscaret vetustas aut deleret oblivio, oneri supra es sciens et prudens supposui humeros; præser-ı cum aliis, qui mecum viderunt passionem viri, nsociis, confratribus meis, fere omnibus e mundo blatis et jam in Christo dormientibus, mihi adhuc perstiti specialiter incubuerit hoc et propterea inum apposui, malens, si forte necesse sic, im-udentiæ quam tarditatis seu negligentiæ incusari. rum apud vestram paternitatem filialis me, nec bito, excusabit devotio, qui quondam styli bene-io sublatum mundo exemplar restitui vobis desi-ro; exemplar quippe hoc vere incorruptum, seq ndum quod vivere, secundum quod regere, in quo quotidie legere debeatis. Vobis enim præsertim emplum dedit exemplaris iste vir, ut, quemadmo-m fecit ipse, et vos similiter faciatis. Unde et per am historiam hanc virum descripsi exemplarem, n quidem mirandum in signis, sed imitandum in eribus: signa enim propter infideles data, quæ ividerunt et scripserunt, toto libello historico hoc eo, prætereo, ea sola viri exemplaris signa ope-th prosequens. quæ fidelibus ad mira dum et ad itandum data sunt. Et vobis præsertim a Deo vo-is et, si ausis, ni fallor tamen verentibus tanti iletæ inire pugnam, subire curam, implere cathe am. Et præstet id vobis omnipotens, ut illius sor-mini zelum; cujus consecuti estis ministerium, us virtutem, cujus vobis creditam habetis dispen-tionem, illius in omnibus curam, cujus impletis thedram. Et ergo ovicula vestra, per avia et invia A deserti multo tempore devia, humeris vestris ad gregem Dominicum oro reportari et opto.

In hanc martyris historiam argumentum.

Hanc historiam gloriosi martyris Thomæ in septem tomos partimur.

I. Primus tomus nativitatis viri locum et parentum nomina et de primis vitæ suæ annis: breviter quidem et perfunctorie quasi in transitu tangit.

II. Secundus tomus de viri juventute et juventutis operibus agit diffusius, et de accessu ejus ad magni Patris Theobaldi tunc Cantuariensis archipræsulis obsequium et de promotione ejus in archilevitam Cantuariensem, et causa promotionis: et postea qualiter ab archipræsule quasi ab ecclesia sit translatus ad aulam, videlicet ad illustris regis Henrici secundi in aula cancellariæ officium, ubi pariter do-B cetur et qualis et quantus in aula fuerit.

III. Tertius tomus indicat qualiter ab aula post jam dicti Patris de mundo excessum reversus sit ad matrem suam ecclesiam, de Cantuariensi archilevita in Cantuariensem promotus archipræsulem; ubi docetur quod quemadmodum sedis illius sublimitas solet exigere, qualem mox et quantum et apud Deum et homines archipræsulem implere studuerit, ob id quot et quantæ, nec mora multa, ipsi tribulationes, angustiæ, pressuræ, persecutiones sint obortæ: et quæ fuerit horum malorum omnium causa et qualiter excogitata per malitiam, ut ita inter tam magnum regem et tantum archipræsulem profana oriretur dissensio, quorum sicut ante magna, imo maxima C dilectionis fœdera, mundo vidente — sic et invidente.

IV. Quartus tomus docet archipræsulis jam sic pressi, angustiati, afflicti, et ne deterius quid fieret persecutionis fervorem declinantis, in exsilium fugam, et exsilii non solum mala, sed et prospera, et exsilii tempus et locum describit.

V. Quintus tomus inter ipsum et regem demum reconciliationem, et reconciliationis modum refert et causam, et ita reversionem suam ab exsilio in patriam, et postea adversus ipsum, instigantibus malitiosis non uno sed multis, regis iram iteratam et iteratæ causam.

VI. Sextus tomus post exsilii persecutionem sub-

jungit martyrii agonem, ipsius describens modum A et constantiam et fortitudinem martyris.

VII. Septimus tomus eruditorum Thomæ, de quibus per historiam mentio fit, catalogum continet, et de hac historia non mutilanda et quare. In fine vero legentium hanc historiam orationibus se commendat: Et quem, etc.

Finita vero historia, libellum mox historiæ annectit, eo quod tota pene ipsius materia de historia pendet, quem a materia nomine *Melorum* inscribit. Siquidem libellus ille instar citharæ de tribus consonantiis tres quasi melos formans resonat. Quæ vero consonantiæ illæ sint de quibus formantur meli tres, præmissus libello prologus docet

Libello vero melorum cum tribus melis sui summato, adjicit adhuc homiliam suam una martyre quæ sic incipit: « Cantemus Domino riose enim magnific. » In omnium vero calce ptum illud funestum, chirographi instar confe postponitur, quod primo inter tantum regem tum archipræsulem, ut mundus vidit et invidi magna et tam chara dissolvit fœdera, archipr primo exsilii et demum martyrii causa. Et qu de septem tomis, quos distinximus, quidam xiores sunt, ut facilius inveniri possit quod tur, etiam singulis tomis singula et propria ca sua præmisimus.

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI TOMI.

1. *De consuetudine ecclesiastica qua sanctorum Patrum Vita describitur et quare.*
2. 3. *De multa Domini pietate super Thoma, ubi tangitur de nativitatis suæ loco, et parentum nom et viri pueritia et adolescentia tangit et per transitum quod viri adhuc pueri refert visionem e discipulus nihil pro testimonio de magistro scribat quod non ipse viderit*

Expliciunt capitula primi tomi.

INCIPIT

PRIMUS HISTORIÆ TOMUS.

DE VITA ET ACTIBUS BEATI THOMÆ MARTYRIS ET PONTIFICIS CANTUARIENSIS.

1. DE CONSUETUDINE ECCLESIASTICA QUA SS. PATRUM B VITA DESCRIBITUR, ET QUARE.

Ecclesiasticæ consuetudinis est præclaras sacrorum Patrum describere vitas, et ea quæ in mortali adhuc carne immortalia gesserint opera, perpetuis, ut dignum est, litterarum monumentis inserere, ut sic quodam styli remedio restituantur mundo quibus dignus non erat mundus. Et ita nos, qui adhuc vivimus qui residui sumus adhuc in præsentis vitæ agone positi, ex ipsis per vocem ad cursum animemur ad pugnam et spe certa præstolemur victoriam. Et hoc est verbum illud in amoris cantico dilectæ ad dilectum, Sponsæ ad Sponsum, Ecclesiæ ad Christum: Omnia, inquit, poma nova et vetera Sponso C a Sponsa servantur cum bonorum operum fructus nunc ab antiquis nunc vero a modernis Patribus tanquam arboribus tam salutiferis quam fructiferis decerptos in memoriali librorum apotheca recondit Ecclesia. Et inde quotidie ad Christianæ conversationis disciplinam, tanquam quotidianæ refectionis usum, Christi pauperibus ad gloriam et laudem Christi opera exemplarium Patrum et exemplaria operum hilariter et devote dispensantur.

Nos ergo, fratres, jam non solum cum Hebræorum pueris ad Christi laudem et gloriam ramos de arboribus cœdentes, nec sacrorum Patrum dictatum sed et facta recolentes, curramus nunc cum duobus D charitatis geminæ pedibus ad arborem quamdam novam novum fructum nobis nova poma ferentem, et juxta promissionem sponsæ cum veteribus Sponso nova poma servemus. Inter alias quippe tam salutiferas quam fructiferas paradisi Dei arbores una est, unde uberius diebus istis novum fructum colligimus. Et unus est stans inter alios Eccles principes qui præcesserunt et prævenerunt no quorum adhuc tergum secundum Psalmistar limus, unus, inquam, singularis et insignis, cui nostris non fuit similis qui pro lege Dei su ret. Hic, inquam, stat nunc inter principes q venerunt conjunctus psallentibus, quem e vultus vulnus tamen discernit. Stat enim mar pudians et triumphans toto lacero capite. Et ne cui vestrum in dubium veniat quis iste sit ita circumlocutorii sermonis colore depingim tollamus oculos, erigamus aures, et principem utpote patronum nostrum et patrem cognosca nomine: Thomas est nomen ejus. Iste ce Thomas qui quondam Cantuariorum antist nunc jam non urbis sed orbis primas est. Q tius Dominatori universæ terræ nunc assiste solum urbem, sed et urbem est judicat orbem.

2. DE DOMINI PIETATE SUPER THOMA.

O ineffabilia super te, Thoma, divinæ piet scera! O incomprehensibilia divini arcana co Te quippe Thomam vidimus hominem nost lem passibilem, nostri comportorem oneris stræ comparticipem infirmitatis. Vidimus, i te Londonia ortum nescio a quo Gilberto pa matre Matilde carnaliter procreatum. Et ecc modo nunc inter socios sors tua est et int Dei computaris. Ecce quomodo nunc isti de veniunt! ecce illi ab aquilone et mari et isti australi: vulnerati in sepulcro dormientis invocare merita, quærere patrocinia et adora nera, tanquam spirantia et ubique spargentia

uem vivificum miræ suavitatis odorem. Ipsius re- era opus hoc qui suscitat de terra inopem et de tercore erigit pauperem ut sedeat cum principibus t solium gloriæ teneat.

3. DE VIRI PUERITIA ET ADOLESCENTIA.

Verum cum hujus viri gesta ipso opitulante bre- iter describenda susceperim, pueritiæ pariter et dolescentiæ ejus annos in præsentiarum pertranseo, olum ea de viro hoc pro testimonio relaturus, quæ ose vidi et audivi, de quibus duntaxat verum testi- nonium est. Ita ut et mihi, etsi indigne viventi et nsulse scribenti illud evangelistæ quoquo modo ptari valeat: *Hic est discipulus qui testimonium erhibet de his et vidit et scripsit hæc* (*Joan.* XXI). erum illas pueritiæ et adolescentiæ hujus ætates A nunc prætereo, nisi quia aliis referentibus qui apprime noverint id accepi, quod annos illos sicut illam decet ætatem bona simplicitate et puritate transegerit. Unum tamen est, quod ipsomet mihi referente didici et hic interserere curavi. Puerum adhuc agens dum aliquo tempore febre corriperetur, et ipsa invalescente ardens jam sensim per omne corpusculum ex intimis sudor erumperet, visa est ei domina quœdam statura procera, vultu placido et aspectu decora, in lecto decumbenti astitisse, et puero de sanitate pollicita confortato duas claves aureas tradidisse sibi in manus in hæc verba : « Thoma, » inquiens, « hæ sunt claves paradisi, B quarum tu adhuc es habiturus custodiam. » Et his dictis disparuit.

—

CAPITULA SECUNDI TOMI.

TOMUS SECUNDUS

1. Igitur vir iste cum pueritiæ et adolescentiæ æ annos transegisset, crescente ætate, crevit et dustria et gratia apud homines, sed apud Dominum n adeo quod ut videamus cur dixerim, duplicis atiæ recordemur : duplex enim est in hominibus atia : est quippe civilis quædam gratia, urbana, nigna, dulcis, socialis et ad sui dilectionem invi- ns qua homo plus placet sæculo sed Deo minus, pote bonitate destituta adhuc, tanquam sæcularis ædam absque bonitate benignitas. Unde, etsi vilis et urbana bonitatem non habens comitem nquam sæcularis fallax et vana gratia hæc. In qua men magis notari potest sola sæculi vanitas quam la operis turpitudo, ulla iniquitas. Verumtamen atia hæc, etsi fallax et vana, a Deo tamen. Gratia uippe sæculi hæc, velut exertior carnis pulchritu- , quæ quidem a Deo, quanquam ipsa sit gratia llax et vana. Juxta quod Sapiens : *Fallax*, inquit, *atia et vana est pulchritudo* (*Prov.* XXXVI). Ve- mtamen gratia hæc benignitas optima benignitati ic bonitate adjuncta.

Est autem alia sæculi sed cœli duntaxat gratia, quam præmisimus plurimum ut videtur adversa. priori quippe cum absque bonitate sola beni- itas, in hac vero cum absque benignitate sola bo- as. Gratia etenim hæc tristior, districtior, seve- r, non ut prior omnibus omnia, sed sibi soli et o. Et hac homo plus placet Deo, sed minus sæ- lo, quæ semper qui tristis et austerior, non homi- C nes sæculi seu etiam eos ipsos, quorum assidue consortio jungitur, invitans aliqua sui dulcedine, sed potius quasi rugata fronte eis semper intentans. Spiritualis quidem sancta et bona hæc sed minus idonea et jucunda consortio. Et qui hac pollent boni certe, usque benigni non adeo, quod facit illa prior, gratia videlicet civilis et urbana. Unde duplici hac pollere potissimum, illis præsertim qui in sæculo sunt et inter sæculi homines commorantur, ut si boni sunt, sint et benigni. Et hi quidem utraque, gratia præditi sic, etsi, cives sint Jerusalem præ cæteris tamen magis sunt idonei qui civitatis utriusque Jerusalem videlicet et Babylonis, negotio gerant. Unde et Joseph duplici hac gratia præditus, etsi esset civis Jerusalem administrabat sapienter et in- D dustrie, Deo et hominibus gratiosus, in Ægypto res Ægyptiorum. Similiter et Daniel in Babylone res Babyloniorum. Et ipse magister duplici hac præpollens omnibus omnia factus est. Quas ut nobis et in nobis conjungendas monstraret, post quindecim carnis opera innumerata inter duodecim fructus spiritus mox post bonitatem benignitatem ponit. Tunc enim non solum bona sed et jucunda bonitas si comitem habeat benignitatem, gratiam videlicet illam civilem et urbanam a qua cœpimus. Hac profecta in primis juventutis suæ annis Thomas hic noster pollebat etsi ea, quam inter fructus spiritus ipse præponit magister, bonitate destitutus adhuc. Verum Deus noster, sicut benignus et bonus, miram

et mundo insperatam postea huic bonitatem dedit et cum bonitate benignitatem auxit, gratia proficeret, sicut apud homines et apud Dominum. Solet quippe Dominus bonus et benignus hominis præ cæteris benignitatem respicere, non solam illam quæ bonitatem habet sociam, sed et illam quam etiam absque bonitate diximus. Solet, inquam, talem respicere bonitatem, ipsi sicut vult et quando vult adjungendo. Spiritus enim sicut ubi vult, ita et cum vult spirat, et qui novissimi veniunt his qui prævenerunt pares fiunt. Itaque is ab ineunte juventute juvenilia sequens, litteras quas in teneris adhuc annis in scholis didicerat, manum jam subducens ferulæ, fugit more Ephraim pascens ventos et sequens umbram. Unde et quod illi dulce et familiare solet esse ætati, juxta illud poetæ :

Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi.

nugis curialibus intendebat : vagis et vanis studiis se occupat. Et ut inter cæteros cæteris emineret, præ cæteris cultiores semper appetebat ornatus : cum tamen magister scurrilitatem quæ ad rem non pertinet inhibeat, et sapiens moneat in habitu nunquam gloriandum, qui quanto ambitiosior tanto magis suspicione non caret. Nec recta facit credi de se etiam si forte tota compositio hæc interdum non ex libidine pendeat, sed ex virtute. Verum iste popularis auræ, quam juvenis captabat, sequens spiritum, nec magistri curabat mandatum nec sapientis sequebatur consilium.

2. DE CONTINENTIA THOMÆ CUM JUVENIS.

De quo tamen hoc certiori certius, quod in hujus fervore ætatis et in hoc quo vivebat seculi luxu juvenis amplexus præ honesto tamen, castitatis semper amator vehementissimus fuit, in hoc jam uni sanctorum similis de quo legitur quod, etsi superbus et vanus, castus tamen habebatur in corpore. Præterea labia mendacia et linguam semper detestabatur detrahentem, nam et misericors Deus prædestinatos suos sæpe et per crebro propter aliquas culpæ maculas juste in parti deserit, quibus tamen per aliqua gratiarum dona aliorsum semper assistere non desistit. Et hinc quidem deserendo permittit cadere ut liberati magis sint obnoxii gratiæ, inde vero assistendo cadentes non permittit in profundum corruere, ne si peccator illuc venerit in contemptum veniat pœnitentiæ puteo super ipsum urgente et coronante os suum : quod ni fallor, attendens propheta ita, videlicet in uno et eodem hinc aliquas maculas culpæ, inde vero nonnulla dona gratiæ, Dominus inquit unam eamdemque civitatem ex parte quidem compluit, sed ex parte aridam et incomplutam derelinquit. Et profecto cum proni sint ad lapsum gressus hominis, grande tamen in homine spei datur insigne, si quem videremus interdum labi per aliqua oblectamenta culpæ, retentum tamen ne ruat in profundum per aliqua adjutoria gratiæ Domino supponente manum et erigente elisum. Talis ergo

A Thomas hic noster, qui, etsi per virtutum v
inanem gloriam sicut juvenis adhuc minus
tus videretur infectus, nec tamen penitus c
virtutum gratia fuit destitutus. Castitatis ama
ut diximus, veritatis æmulus, fidem etiam
terrenis debetur dominis summa semper c
devotione.

3. DE SÆCULARIBUS QUIBUS OBSEQUEBATUR.

Terrenis quippe dominis, nobilibus quidem
viri sæcularibus, in primis ætatis suæ annis
quando tempore obsequens, per fidem et
dentiam et obsequii sedulitatem devotam
ætate et prout nostri officii professores
tales proficere possent, cito profecit. V
B quorum est diversa professio, diversa solet
conversatio.

4. DE ARCHIPRÆSULE THEOBALDO AD QUEM SE
TRANSTULIT.

Cernens itaque hic noster Thomas professi
professioni et sic conversationem conversation
trariam, cogitavit a curiis sæcularium ad ali
grandem virum ecclesiasticum se transfer
Domino sic inspirante et cooperante et cogi
nem confirmante ad sanctæ recordationis
Theobaldi venerabilis tunc archipræsulis Ca
riensis obsequium se transtulit.

5. DE GRATIA QUAM CONSECUTUS EST IN OBSEQU

Unde tunc temporis cum per aliquot juve
annos eo plus gratum quo plus fidum et dev
C pontifici impendisset obsequium, in oculis d
sui multam cito, gratiam et familiaritatem ob
cujus etiam jam præ cæteris, qui et multi
dustrii assistebant, crebriori et secretiori ute
colloquio et consilio fruebatur.

6. QUOMODO ARCHILEVITA FACTUS.

Cernens itaque pontifex ex nova hac nostra a
nova quædam tunc virtutum germina pull
hanc Domini plantationem inter poma conva
in horto sponsi plantare disposuit. Et ita inspir
Deo pontifex Theobaldus Thomam, quem pr
cundum formam canonum ad alios inferiores
nes, postea in levitam, simul etiam et ecclesi
archilevitam, in illa sancta et humili monac
congregatione ordinavit ; ordinavit, inquam,
D turo, quem pullulantia virtutum germina sp
bant, fructu nihil hæsitans, et si ipsa tenera
quæ pullulabant adhuc pestilens crebro sæ
gloriæ aura eventilaret et niteretur corrun
Nihil tamen oç id hæsitans sed potius atte
edoctus in hoc a Deo pontifex, quod præte
quas jam supra numeravimus gratiarum dot
juvenis in aliis juvenili quadam levitate ad
pompam excesserit, strictis tamen semper h
contra illius ætatis naturam et supra vires,
bilis quidem in ea ætate et paucis imitabilis,
nentiæ se semper freno coerceret. Unde ju
illi excessus qui salva integritate corporis e
fiebant continentia, naturæ magis quam cu
ætati potius quam errori, etiam apud sapie

ui illius ætatis idiomate sunt experti, imputandi debantur, quem etiam jucunda illa juventutis ania præter illam carnis gratiam nonnulla alia, jam diximus, initialia in juvene virtutum dona cusabant, pro quibus certissima futuræ conmmationis spes erat. Et profecto in juventutis imordiis vitia, ut sæpe accidit, copulata virtutis solent vitia, effugare virtutes, si non clypeus rnis castitas causam tueatur virtutum. Sed tunc rte sunt acies virtutum in tuto, si istius clypei erint defensatæ præsidio. In tuto dico, sicut in ate tam lubrica et inter tot præsentis viæ et æ laqueos quid potest esse in tuto. Magni autem jusdam et præclari ruina hæc nostra testatur rba. Sed quid dico magni et præclari? Imo maxi- et præclarissimi prophetarum eximii; ni fallor, vid iste est, qui cum ab ineunte ætate multis atiarum donis claresceret, tamen quia adhuc junis jam dicto carnis clypeo caruit : per luxuriam nuliere in carne prostratus occubuit, qui simul per seditionem virum justum in carne prostravit. buit enim juvenis hic noster David multa dona tiæ, isto tamen quo præditus fuit hic noster omas, solo continentiæ dono subtracto adhuc. vid quippe juvenis quasi civitas illa prophetica, qua supra tetigimus, ex parte a Domino comta, ex parte vero arida derelicta et incompluta. rum quia in juventute hoc solo continentiæ dono uit, per hujus virtutis adversariam incontinenm, cæteris quæ habebat gratiarum donis spous nudus remansit. Tali itaque civitati, tali jui, qui hinc quasi a dextris habet aliqua gratiæ a, inde vero quasi a sinistris quæ adversus mint, ut illa spolient, juvenilis ætatis desideria, gna est, ne tollantur donorum gratiæ et virtua, quas ex parte habet securitas, si carnis gracastitas fuerit coadjutrix et conservatrix virtua. Hæc quippe conservatrix fidissima, utpote ad ritualia aromata reponenda, quoddam quasi inrum vas. Nam propter Dominum corporis pura titas quid est nisi cujusdam præclari et pretiosi is solida quædam integritas, in quo donorum ritualium charismata quasi quædam pretiosa nsi et sponsæ aromata virtutum thesauro repotur ? Unde et Magister : *Hæc*, inquit, *voluntas sanctificatio vestra ut abstineatis vos a fornicae ut sciat unusquisque vestrum suum vas possiden sanctificatione et honore* (*I Thess.* IV) ; non in sionibus desiderii, sicut et gentes quæ ignorant ninum; pariter et hæc eadem castitas ad aroa hæc et virtutum thesauros conservandos, ne ribus vel latronibus tollantur in via, sicut convatrix fida et coadjutrix est fortissima. Solet ppe hæc fortiter et constanter, pulsis vitiis, virbus liberum quietum et pacificum habitaculum dere: et ostio clauso, vitiis adhuc pulsantibus, ssanter obstare et reverberare pulsantia, quæ quam minus impudentia ad ostia maxime juvea, cito etiam priusquam pulsa fuerint iterum

A pulsant Sed. ostiaria domus cauta quam diximus continentiæ virtus fortis et prompta, mox repellit tam crebro, tam importune et inverecunde pulsantia. Ita quidem est, si hæc retenta fuerint in Juvene vitia copulata virtutibus. Cujus ut breviter dicatur in juvene tanta virtus est et tanta securitas, ut propter Dominum habenti hanc juveni parum est quin dicere audeam: Habes castitatem: fac quidquid vis. Luxurioso vero seni contrarium omnino et adversum. Nec dicimus virtutes hic eas quibus recte vivitur, sed aliqua dona gratiæ etiam adhuc in justo data per quæ crebro in vitiis retentis quasi dormiens adhuc vocatur, movetur, et trahitur ut plene excitetur. Talis quippe habens cum virtutibus vitia nequaquam profunde dormit, sed quasi B dormitat, qui crebro caput inclinans quasi jam somno imminente conquiniscit. Modo per virtutum manus, quæ hinc velut a dextris, hinc a terrenis et carnalibus desideriis retrahitur, modo et vitiorum pondere quæ inde quasi a sinistris insidiantur illo revolvitur, vicissim inclinans caput jam jam nisi per quas habet virtutum manus retraheretur, imo nisi Domino manum suam apponente fortius traheretur, post dormitationem quasi lethargicus nimis profunde dormitururs. Juxta quod præfatus juvenis noster rex David prius per aliquas gratiarum virtutes a Domino tactus, et postea plene excitatus: *Si dedero*, inquit, *somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem* (*Psal.* CXXXI). Ecce qui prius adulter in adulteræ carnis fece obdormierat et obdor- C mitus sic virum justum seditiose prostraverat, jam non dormitat neque dormit qui custodit rex Israel virtutibus, quas præhabuerat Domino manum suam apponente adhuc et obdormitum trahente jam fortius et procul amovente dormitationem etiam sicut et somnum. Et ita multi per aliqua gratiarum dona sibi prius collata, trahuntur primo sic ut postea plene excitati strenue currant, et ita post cursum perveniant et demum bravium gloriose comprehendant juxta illud Sponsæ ad Sponsum: *Trahe me*, inquit, *post te et curremus in odore unguentorum tuorum* (*Cant.* I). Et Sponsus ipse; *Nemo*, inquit, *potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* VI). Et ita pudicus juvenis, Joseph alter, Thomas noster primo per pudicitiam et alia gra- D tiarum dona tractus cucurrit postea in odore virtutum, donec, sicut nunc cernimus, non jam in odore virtutum curreret, sed ipsum Dominum virtutum ipsum regem gloriæ comprehenderet.

7. QUALIS CUM ARCHILEVITA.

Sed leviticum, sicut præfati sumus, ordinem adeptus, necdum currens sed tractus adhuc, qualiter ad cursum in odore virtutum venerit videamus, et sic demum finito cursu qualiter cursus bravium in fine sine fine comprehenderit. Nec enim levita factus mox supposuit humeros levitarum oneribus sed levitatis potius et sæculi hujus operibus extunc magis operam dabat, omni jam quæ sacri maxime ordinis viris competit mediocritate despecta, adeo

quod suscepto ordine post modicum non cœterorum coaulicorum aulicos quinimo ipsos regios fastus assumeret et aulam ingressus cæteris coaulicis in omni magnificentia præfulgeret. Quod tamen qualiter acciderit sub quadam hic brevitate perstringendum.

8. QUOMODO TRANSLATUS ET CANCELLARIUS FACTUS.

Illustri Anglorum rege Henrico secundo regnum suum inchoante, cujus dominatio non solum in cismarinis, sed et extra regnum in transmarinis a Boreali oceano ad Pyrenæos usque montes tendebat, felicis memoriæ præfatus archipræsul Theobaldus, qui ipsum in regem unxerat, id post modicum procurat ut Thomas hic noster, juvenis adhuc et archilevita novus, regis novi et pariter adhuc juvenis intret aulam et in aula aulico se officio mancipet. Cernebat quippe pontifex juvenem cujus mores et industriam in variis jam rerum eventibus expertus fuerat. in agendis strenuum, in consiliis fidum, in dubiis securum, in adversis magnanimum. in apparatu magnificum, in largiendo munificum, ad jussa promptum, et in obsequio sedulum, in omni denique opere providum et circumspectum: unde et talem aula dignum et aulæ gratum futurum nec immerito arbitratur, sperans exinde nihilominus istius opere et opera inter regnum et sacerdotium deinceps pacis gratiam et imitatis vinculum firmius. Agente ergo et procurante pontifice Theobaldo, Thomas aulam ingreditur et tribuente rege in aula aulicum officium suscipit, quod vulgo nunc cancellaria dicitur, officium certe in regia honorum sed onerosum plurimum, quod illius officii optime norunt experti.

9. QUALITER PRO TEMPORE LEVITAM EXUERIT.

Levita ergo hic noster aulam ingressus, et in aula cancellariæ mancipatus officio, levitam pro tempore exuit et cancellarium induit. O quam magna, quam admirabilis in aulæ ingressu nostri juvenis condita discretione industria! o singulare in virtutibus et operibus discretionis officium! hæc quippe auriga virtutum dissimulatrix operum oculis intentionum otius denique sapientiæ et scientiæ condimentum, qua plerumque non minus sapienter quam scienter dissimulatur quod agitur, et agi putatur quod non agitur, et non agi quod agitur. Qua etiam instruente persæpe fit ut ex charitate contra charitatem, contra legem pro lege et contra pietatem pro pietate fiat. Unde et illa multarum facierum persona egregius ille gentium magister Synagogæ alumnus Judæorum advocatus secundum datam sibi discretionem ex charitate contra charitatem pro fratribus a Christo anathema esse optavit et contra legem pro lege in templo se purificavit et totondit, contra pietatem vero pro pietate Timotheum jam adolescentem circumcidit. David pariter insanum se simulavit ut evaderet, et Judith se meretricem ut Jerusalem salvaret, pariter et hic levita noster, quem, etsi non nostra verba, tantorum tamen operum excusant exempla, ingressus aulam mox levitam deponit

A pro tempore, tempori magis quam rationi et potiu vanitati quam veritati industrie parens, tanquam s ad consodales suos coaulicos quotidie illam elogi apostolici pericopen audiatur clamare; *Insipien factus sum, vos me coegistis* (*II Cor.* XII). Nec tame ob id dico quin illius officii viris regum cancellarii inter coaulicos serica et holoserica et alii ambitio insignes et præclari apparatus non deceant, si qu dem qui molibus vestiuntur in domibus regu sunt, sed ob id dico quod, nisi subesset causa, l vitam sicut ne aulicum esse nec aulicus apparatu decuisset. Veaum in levita nostro causa quam ja præfati sumus suberat ut aulam intraret. Qua etia mira divini dispensatione judicii postea per mart rium modicum subtractus mundo, non sublat

B magis quam in hac carne vivus, sicut hodie cernit et sacerdotio profuturus erat et regno.

10. QUIBUS GRATIARUM DONIS REGIS GRATIAM SIT ADEPTUS.

Thomas itaque noster, levita jam quasi deposit cancellarium agens cancellarii per omnia stren portabat onus et industrie opus exsequebatur. Que juxta jam sæpe dicti pontificis opinionem et votu rex pro ætate sapiens et argutus præter alia gr tiarum dona quotidie fidum experitur in consil et discretum, in dubiis providum et intrepidu fortem vero in asperis et magnanimum: quæ p fecto aspera et dubia grandem semper potentatu comitantur. Cujus, etsi vita brevis, curæ, tam immortales sunt et innumeræ; et grandi fortu

C semper quasi sedentes in insidiis et tendentes queos ambigui et adversi humanarum rerum sub et ex insperato quotidie emergentes eventus. Un contra dubia et aspera, quæ tam crebro eveni maxime in grandi fortuna, forti consilio tanqu rumpenti laqueos et eludenti tendiculas quoti opus est. Juxta quod ait quidam: « In dubiis asperis fortia quæque consilia fore optima. » Ha consilii fortitudinem et discretionem et fidem r industrius in isto experiebatur in dies.

11. QUANTUS IN CANCELLARIA FUERIT.

Rege vero tantam cum prudentia cancellarii cernente magnificentiam, cancellarius apud reg gratia proficiebat in dies, et ut breviter dicam, brevi, sicut magnificentia ante omnes, ita et gra super omnes apud regem eminuit. In tantum q omnium judicio etiam quotquot ante ipsum vener primi facti sunt novissimi. Et merito quidem s quotquot enim strenua ipsius in cancellaria op hic enumerare vix sufficerem; qualiter videlice quam industrie munitiones quinque munitissim in Franciæ et Normanniæ sitas confinio, dom suo regi, ad cujus tamen jus ab antiquo spect dignoscebantur, a rege Francorum per matri nium sine ferro, sine gladio, absque lancea, abs pugna, in omni regum dilectione et pace reve verit, Gizortium scilicet castrum munitissimu alia quatuor. Et quod majus adhuc, quam audac quam stenue ultra Guasconiam in partibus T

ınis cum pauca manu militari fidenter remanserit A
omino suo rege ob causas Tolosæ obsidionem,
uæ ut asserebat omni jure debebat sibi esse sub-
cta, differente tunc. Quam per beati Exuperii pa-
ocinia semper credibile est defensari. Verum re-
ɜ obsidionem civitatis differente sic et cum gran-
ı exercitu suo reverso, cancellarius post illum in
rra illa rebelli relictus est qui a rege captas in
rra munitiones conservaret. Verum qualiter illas
ɔnservaverit et alias strenue in manu militari ac-
ıisiverit, et hæc et alia multa ipsius et cancellaria
pera strenua quæ mundus novit hic pertranseo.
t ergo, omissis his, ad ipsius adhuc revertar ma-
ıificentiam, ipse certe supra suscepti officii debi-
ım, cujus sicut norunt experti onus grande, sed
se etiam supra debitum munificus, omnibus dap- B
lis supra omnes et præ omnibus apparebat magni-
ıus sicut magnus corde, magnus et corpore, ma-
ıus et apparatu. Nihil circa eum nisi magnum, nihil
si magnificentia. Et si quando vacaret, nunc in
/ibus cœli ludens aucupium, nnnc bestiis terræ
minans venaticam exercebat. His allecti, sicut
e solet hominum genus, confluebant ad ipsum
m catervæ equitum, stipabant undique novellæ et
nerosæ generosum propagines, magnati magna-
m filii tanquam novellæ olivarum in circuitum
ensæ ejus. Hinc inde vero ministrorum examina
illulabant. Et quia, ut diximus, clericorum pro
npore quædam discretionis cautela deposuerat,
ınt quidem clerici de familia, sed seorsum. Vide-
ı totam domum ipso tanquam stella matutina, C
teris vero tanquam stellis micantibus circum-
ɔtam illustrari. Tandem vero cum tantis et tali-
s apud regem summum gratiæ gradum attigis-
, jam quasi rerum summum ipsi committens,
i sui Henrici universorum hæredis tutorem facit
patrem, ut reputet ipse filium per gratiam, quem
ipse genuit per naturam. Et cancellarii quidem
ıtia apud regem sic erat.

12. DE AULICORUM INVIDIA.

/erum crescente gratia viri et gloria, ex his jam
aula conceptus crevit aulicorum vermis, per
ıam serpens jam sed adhuc latens invidia.

/ermis quippe hic potissimum in aulis inter au-
ɔs confovetur et coalescit per aulas jugiter sed
ɜnter serpens et serpentine latens. Qui holoseri-
os purpuratos etiam ipsos et gemmis bibentes, D
latentius quo interius pungit et corrodit. Qui,
ı forte ipsi non pungunt quia summi, ab his
ıen quibus sunt superiores quasi serpente pedi-
ı calcato punguntur. Exeat ergo aula necesse est,
hujus serpentis aulici virus metuit, qui toxicum
fugit. Quia si forte non pungit ipse, ab alio tamen punctus inficitur: et eo quidem periculosius quo latentius quo ignoratur quis punxerit. Unde et in aulis maxime a quo caveatur nescitur: juxta illud in Psalmo: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: et, si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo* (*Psal.* LIV). Verum in aula quis quem evitet aut a quo abscondet se? Omnes enim amici et omnes inimici; applaudunt omnes et omnes pungunt; omnes extollunt et omnibus detrahunt; osculantur in publico et produnt in oc[culto..

(*Codicis Atrabatensis unum hic deest folium, quod finem secundi et initium tertii libri, vel paginas* 23 *et* 24 *editionis nostræ, continebat.*)

. . . .

pervenerunt et de consilio quod rex convocat, ubi rex ab archipræsule et fratribus suis coepiscopis postulat, ut exauctorati clerici etiam corporaliter puniantur, et de causa et controversia, quæ super hoc inter regem et archipræsulem ore ad os ventilatur, uno allegante pro pace populi altero vero pro libertate cleri; et de regiarum consuetudinum a rege exacta observantia, et qualiter ab archipræsule et coepiscopis simul tunc omnibus concorditer sit responsum se observaturos has, salvo ordine suo, et quomodo ex adjectione hac rex offensus fuerit.

19. De munitionibus, quas rex ab archipræsule repetit et de episcopis qui archipræsulem suum deserentes: regi adhæserunt, et quomodo archipræsul postea a multis persuasus adjectionem illam, videlicet salvo ordine, promisit se mutaturum.

20. De concilio apud regiam illam mansionem quæ Clarendune dicitur convocato, ubi archipræsul et coepiscopi mutaverunt adjectionem verbi præfatam et de consuetudinis quæ regiæ vocabantur, ad quas observandas archipræsul et episcopi jusjurando se obligaverunt mox ibi expressis.

21. De archipræsulis a concilio hoc revertentis meditatione in via, et allocutus quid responderit, et quod ex verbis discipuli nonnulla consolatio est archipræsuli, qui ab altaris officio circiter per dies quadraginta semetipsum suspendit, donec a viro apostolico et consolationis et absolutionis gratiam obtinuisset, et de fuga ipsius bis attentata, sed non proficiens quomodo ad regem sit reversus, et qualiter exceptus a rege, et de pontificabilus ipsius operibus cum ipsi necdum fugere licuisset, et vocatione archipræsulis ad causam apud regium illud castrum quod dicitur Norhamtunæ, et de ipsius ibi pœna et pugna et demum fuga et causæ fugæ.

INCIPIT TOMUS TERTIUS.

. His itaque se habentibus, Thoma nostro in aula
ıma augustali gratia et gloria cæteris longe præ-
ɜente, et ipso jam velut rerum summam gerente,
sæpe nominatus Cantuariorum antistes Pater Theobaldus, vir omni sanctitate et religione perspicuus qui Thomæ nostri currus extiterat et auriga, cum

Cantuariensem Ecclesiam per annos viginti duos A strenue et prudenter rexisset, senex jam et plenus dierum decretam universæ carnis ingreditur viam. Quod cum statim ad regem et ad aulicos pervenisset, suspicantur mox omnes, submurmurant hi, asserunt illi cancellarium archipræsulis defuncti successorem futurum; et id ipsum præconizabat et populus. Verum rex omnino dissimulat; nisi quod archiepiscopatus, sicut et episcopatus et etiam vacantes abbatiæ solent, curæ cancellarii et custodiæ traditur. Cancellarius vero, qui quasi præsagiis quibusdam et conjecturis jam de regis voluntate præsumebat, tamen sicut et rex dissimulans, rem tacitus considerabat. Rege autem tunc in transmarinis extra regnum agente et cancellario cum eo, propter crebras Wallensium infestationes et alia B quædam regni negotia cancellarium rex in Angliam mittere disposuit; et quia plurimæ et magnæ erant causæ, cancellario nemine suorum ad magna sic idoneo, injungit legationem, qui cum jam suscepta per dies legationis forma, in ipso profectionis articulo ingressus aulam apud castrum illud in Normannia quod Faleise dicitur, ut rege duntaxat salutato mox conficeret iter vocato eo, seorsum rex instillat secretum: « Necdum, » inquit, plene nosti tuæ causam legationis. » Et adjecit: « Meæ, » inquit, « voluntatis est te Cantuariensem archipræsulem fore. « Cui cancellarius schemata quædam risibilia quibus tunc inductus subridendo ostendens et quasi oculis ingerens: « Quam religiosum, » inquit, « virum, quam sanctum in tam sancta sede et super tam C celebrem et tam sanctum monachorum conventum constitui desideras! sciturus certissime quod si, Domino disponente, acciderit sic citissime a me avertes animum et gratiam, quæ nunc inter nos tanta est, in atrocissimum odium convertendam. Novi quippe te nonnulla exactorum et etiam in ecclesiasticis te jam multa præsumere quæ ego æquo animo sustinere non possem. Et ita occasione nacta interponent se invidi, qui exstincta gratia perpetuum inter nos odium suscitabunt. »

O mira viri magnificentia domino suo comminantis sic; in cujus manu erat adhuc ipsi comminanti, honorem conferre vel adimere! O sincera animi puritas non honorem ambientis, nec respuentis tamen, sed cum honore propter honorem humeros D suos ad honoris onus portandum se mox parantis! Mox, inquam, in primo honoris illius auditu, utpote qui expertus optime novit quantum honor ille oneris habeat cum honore. O quam magnum, quam certum pastoris boni Ecclesiæ profuturi verbum hoc præsagium erat, ipsomet contestante ante illum recessus sui a rege articulum quod ipse nec per se nec per alium regi nec rex ipsi vel etiam verbum unum prælocutus fuisset. Verum rex nihil motus ex cancellarii sui quasi dilectionis comminatorio hoc, sed in proposito manens mox in ipsa cancellarii præsentia magnis et industriis viris legationis ipsius in Angliam comitibus hoc votum suum et desiderium super cancellarii promotione, sacro metropolitanæ ecclesiæ conventui et regni sui clero intimandum, sedulo et operose injunxit. Et ad unum inter legatos præcipuum specialiter sermonem dirigens (Ricardus dictus cognomento de Luci hic erat) « Ricarde, » inquit, « nonne, si mortuus jacerem in sandapila, intenderes ut primogenitus meus Henricus in regem sublimaretur? « Et ille: « Etiam domine, pro posse. » Et rex illi: « Adeo volo intendas ad cancellarii in sede Cantuariensi promotionem. » In quo certe, sicut in priori cancellarii magnificentia et animi absque ambitione puritas, ita et in hoc perspicue videre possimus constantem regis gratiam et rege magnificentiæ gloriam. Eo ipso, ni fallor sicut et rerum cito post probavit exitus, ad cancellarii sui promotionem ferventior quo ipsum magnifice sic locutum audierat et quo minus ambitiosum pensabat. Sed super omnia et præ cæteris intuer hinc libet vere regum corda in manu Dei esse et dispositionibus Altissimi nihil posse resistere. Han historiæ pericopen ab ipsomet pontifice postea in exsilio, propter verbi sui quasi cujusdam vaticin finem tunc impletum, sæpius rememorante didic Unde et pericopen hanc eo promptior quo veric ipsa, et ab ipso mihi edocta pontifice, historiæ hui curavi hic interserere: et eo præsertim quod ex ha utriusque tam regis quam cancellarii virtutum hin inde magnificentia adverti possit. Et ita rex cancellarium suum in hæc dimisit, qui post dies paucos in Angliam applicuit.

2. QUALITER CANCELLARIUS ELECTUS.

Regis autem voluntate et petione cito post cancellarii adventum in sancto illo et religioso sanct Cantuariensis Ecclesiæ conventu et episcoporu quibusdam accitis super cancellarii promotione d clarata, mox ut solet varia diversorum fertur sententia. Et præsertim in sacro illo monachorum conventu utpote quos præ cæteris contingebat negotiu asserentibus his quod hoc fieri bonum, aliis ve contra imo malum. Hi regis gratiam allegabant per hoc tam gratioso inter regnum et sacerdotiu mediatore Ecclesiæ deinceps pacem futuram sic securam ita et prosperam: aliis vero e diverso illa regis gratiam non profuturam, sed plurimum eo ip Ecclesiæ obfuturam opponentibus; eo quod official Augusti et præsertim quotquot aulici, pontifice n de ecclesia sed de aula assumpto, in Ecclesiæ bo liberius grassarentur: et præterea quod nimis fo absonum et omni divino juri adversum homine militari potius cingulo quam clericali officio man patum, canum sectatorem et pastorem avium, oviu constituere pastorem; præsertim super tam sanctu monachorum conventum et super tam grandem tam numerosum, qui per totam Angliam diffundit Dominicum gregem: hunc profecto aulica cupidit et voracitate quadam lupina totius gregis dissipator potius et voratorem quam pastorem, certissime pr sumendum; et qui propter popularis auræ flatu universa eventilet et aulico fastu expompet.

O quam multos in facto supplantavit suspicio et in vanitate detinuit sensus eorum? Cernebant hominis vanitatem, de futura quam necdum videbant veritate diffisi. O divina judicia, et si terribilia in consiliis super filios hominum, nihilominus tamen et jucunda! O temeraria hominum judicia quæ, etsi quando probabilia, fallentia tamen! Ita quidem mundi homines de mundi homine, secundum mundi judicium judicabant, sed longe secus et satius et jucundius de mundi homine, non secundum mundi temerarium sed secundum jucundum Dei judicium accidit. Unde et rex ille et Propheta: *Amputa,* inquit, *opprobrium meum quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda (Psal.* cxviii). Vere jucunda Dei judicia contra mundi spem, contra omnem mundi suspicionem, educentis mel de petra, oleumque de saxo durissimo et de lapidibus istis suscitantis filios Abrahæ [auferentis etiam et amputantis opprobrium servi sui.] *Amputa,* inquit, *opprobrium meum quod suspicatus sum.* Quis enim crederet nisi suspicione ab ipso Deo amputata, quis asserenti se non apponeret, canum, ut aiebant, sectatorem et pastorem avium, futurum ovium tam bonum et tam fidum pastorem? Quid tamen hoc facto non solum satius, sed et jucundius et inter Dei opera Deo dignius? Eo quidem deo dignius quo clementius et quo illo mirabilior Deus. In tanta quippe potestate, etsi omnia ineffabiliter admiranda, nihil tamen tam stupore tam admiratione dignum quam quod in tanta potestate sit clementia tanta. Propterea ex qua causa monet Sapiens ne ante mortem hominem laudes, ita et ne vituperes ante mortem. Quis enim scit si convertatur et ignoscat Deus et relinquant post se benedictionem? Unde et Magister: *Nolite,* inquit, *ante tempus judicare* (*Joan.* v). Omnium igitur impræsentiarum suspicione amputata et altercatione omissa, divinæ qui cuncta militant, dispensationi pariter et in hoc regio quoque voto militante et episcoporum provincialium et conventus sanctœ Cantuariensis Ecclesiæ communi omnium consensu et unamini Thomas ejusdem Ecclesiæ archilevita in archipræsulem Londoniæ in regio illo et præclaro monasterio quod dicitur Westmunstier eligitur. Eligitur, inquam, jam in aula annis quinque cancellariæ functus officio, ætatis vero annum vitæ circiter agens quadragesimum quartum. Et mox filio regis regni hæredi Henrico adhuc puero, et quem de eximia regis gratia cancellarius quasi in filium et alumnum, sicut jam præfati sumus, susceperat, præsentatur regis patris sui de mandato, patris in hoc vices gerenti. Et electioni Ecclesiæ regia conniventia accedente, auctoritate quoque regia ab omnibus curiæ nexibus absolutus, liber Anglicanæ Ecclesiæ redditur et in ea libertate ab Ecclesia in hymnis et canticis spiritualibus sicut solet cum summa jucunditate suscipitur.

3. QUALITER ELECTUS AD SE SIT REVERSUS.

Thomas ergo noster, non jam aulæ cancellarius sed Ecclesiæ electus et ab omnibus curiæ nexibus A absolutus, mox quasi homo de gravi somno evigilans, qui jam diu fuisset et qualis deinceps futurus esse debuisset, cum corde suo meditabatur. In aula aliquandiu quasi lethargicus sui ut videbatur passus oblivionem. Sed nunc rediens ad cor cum corde suo meditabatur. Et ex meditatione hac concaluit cor, et sensim cœpit ignis exardescere, quo novus qui exstinctus putabatur homo fotus et coalitus cœpit paulatim coalescere, sed necdum erigere caput. Qui tamen novus homo, sicut jam supra diximus, quadam discretionis cautela veteris hominis habitu magis fuit opertus, quam oppressus a veteri, nisi quia ipsa opertio quasi oppressio erat. Verum nunc mox in ipsa mutationis, suæ novitate novus homo et relegari appetit et se diutius opprimi B non permittit. Electus vero noster Londonia sicut ortus, sic ibi et electus cum multorum et magnorum comitatu cito post electionem metropolim Cantuariam propter consecrationis gratiam proficiscens inter itinerandum, non in agrum deflectens, sed in ipsa via solum discipulum qui scripsit hæc accersivit, ipsi secreto inquiens se in visu eadem nocte vidisse venerabilem quamdam personam ipsi astitisse et decem tradidisse talenta. Cujus quidem interpretationem discipulus minime tunc advertens de somnii conjectura hæsitabat. Quam tamen mox post expletam de homine, quæ tunc non putabatur, dispositionem Altissimi, servus ille evangelicus qui acceptis in sorte quinque talentis alia quinque præter sortem negotiando superlucratus est, absque hæsitatione omni et ænigmate nunc apertissime solvit. C Adhuc autem eumdem discipulum secretius alloquens pariter et in via mox subjecit: « Hoc volo, hoc tibi injungo de cætero, quem homines me esse dixerint confidentius mihi et secreto edicito, etsi quoquo vitio laborantem, tibi, inquam, injungo ut mihi libere hoc confidenter sed secreto edice [edicas). Multa quippe amodo de me quæ non mihi dicentur, quemadmodum et de allis et præsertim divitibus, plurima passim in vulgo de ipsis et pauca ullius nulla ipsis. Pariter et excessum indica, si quo tu ipse videris et judicaveris excedentem, » et in calce sermonis adjiciens, » circumspectius quippe, » inquit, « et clarius quatuor quam duo oculi vident. » Quod mihi tunc credo quia forte ni fallor et aliis et alias me sanctioribus et circumspectioribus nisi quia ergo D minime talis, idem pariter injunxisse.

O prudentia viri! O forma jam in necdum episcopo episcopalis, certe omnibus sed præsertim episcopis et admiranda et imitanda! O propheticum! o videns et videntis oculatum animal! quod ne in distortæ et anfractuosæ viæ et vitæ hujus nocte offendat ullatenus et ante et retro jam sibi oculos coaptabat. Jam profecto illius compastor et compastoris discipulus, qui compastoribus et discipulis suis dans formam: *Quem,* inquit, *dicunt homines esse Filium hominis? (Math.* xvi.) Formam, inquam, dans ut hi qui lux sunt mundi et gentibus in lucem dati, nequaquam contemnant sed crebro et sedulo de se

a suis vulgi inquirant opinionem. Ne videlicet ipsis A nescientibus lucis suæ radios aut squalida et atra detractionis nubes subobscuret aut adversus aliquis sinistri rumoris flatus eventilet : tunc quippe, quod absit ! de luce mundi, de lucerna verbi, de candelabro templi magis fumus quam illuminatio emitteretur, quod ne accidat vulgi de a suis opinionem pastor ille pastorum forma sciscitatur, in hac etiam sciscitatione id notans multa dici et sinistra de nobis quæ non nobis. Unde et plerumque in rebus humanis illud lacrymabile accidit, ut etiam qui sibi nihil conscius est, forte tamen ob aliquam mali speciem in populo habeatur famosus, ipso tamen quæ de ipso sinistra dicuntur penitus ignorante. Habens quidem oculos ante sed retro carens, quid de se, nec per se, quia non potest, nec per alium, quia B negligit aut contemnit, sed solum quid ipsi dicatur attendens.

4. QUAM MAGNIFICE FUERIT CONSECUTUS.

Verum electus noster, necdum episcopus, episcopalem tamen jam formam induens : vix adhuc etiam electus, mox elegit quibus istam quasi propriam propriæ visitationis suæ curam injungeret. Moti ergo Londonia, ubi electio, Cantuariam venimus, in qua tanquam metropoli secundum morem et canonum formam metropolitani consecratio celebranda Ad quam jam consecrationem ob consecrandi reverentiam totum fere regnum confluxerat. Clerus quidem ut ex debito, proceres vero regni et magnates ut regi, cui opus adeo complacebat, pariter et electo, qui de aula prodierat, honoris impederent C gratiam et obsequium. Igitur in sacramentali illo tempore in illis tam miræ quam mirificæ unctionis diebus in hebdomada Pentecostes, in hebdomadæ Sabbato, temporis et ordinis ut mox claruit consonantibus sacramentis, archilevita Ecclesiæ electus in sacerdotem ordinatur, in crastino Dominicæ diei in antistitem consecrandus. Verum ordinato jam sacerdote, quis pontificum provincialiam in consecratione primam manum habere debeat, deliberatur mox inter pontifices. Londoniæ quippe episcopali sede, ad quam id pertinere dignoscitur, tunc vacante, Wintoniensis, qui absentis aut non superstitis Londoniensis vices in provincia, gerit, id ad se omnimodis pertinere asserebat. At econtra Rophensis eo quod ab Ecclesiæ suæ fundatione et jure D specialiter peculiari archipræsulis capellamus sit, id suum esse et non alterius contendebat. Tandem vero ob quædam quæ in præsentiarum hic interserere prætermitto, salvo in hac parte jure Rophensis ecclesiæ, de Rophensis consensu venerabili viro sicut generositate ita et sanctitate præclaro Henrico Wintoniensi episcopo archipræsulis consecratio est delata, et in crastino Dominico die in octavis Pentecostes festivæ supra modum et magnifice sicut futurum tantum decebat antistitem consummata. Cujus profecto consecrationi, præter procerum et nobilium regni tanquam turbam innumeram, quibus et egregius ille adhuc puer Henricus regis filius et regni hæres præminebat, quatuordecim comprovinciales episcopi interfuerunt, ipso, ni fallor, qui consecrabat archipræsule quinto decimo. Et electi quidem nostri in archipræsulem consecratio sic erat, ipso tunc circiter quadragesimum quartum, ut supra diximus, ætatis suæ annum agente.

Nuntii vero ad felicis memoriæ Alexandrum tertium Romanæ sedis pontificem confestim directi sunt, qui de novo propter schisma quod in Romana tunc Ecclesia erat, apud Montem Pessulanum applicuerat et ibidem per aliquod tempus moram fecerat. Qui vero missi fuerant, viri religiosi litterati et honesti, insigne illud metropolitanorum quod pallium dicitur, instanter sicut decebat et fortiter postulantes tum quia favorabiles in se qui petebant, et præcipue quia ea persona favorabilis ad cujus hoc usum petebatur, citius et facilius pallium a sede apostolica obtinuerunt et in brevi cum pallio lætabundi et prospere sunt reversi. Et ita Thomas hic noster cum summa devotione suscepto pallio de episcopo archiepiscopus factus est.

5. QUARE VEREATUR DISCIPULUS CONSECRATI VIRTUTES.

Verum cum hucusque imaginem terreni, hominem sæculi, per sæculi prospera, tanquam cymbam per æquoris placida regens, qualiscunque pictor quoquo modo depinxerim, superest nunc imaginem cœlestis, hominem Dei, Christi pontificem per sæculi prospera et adversa transeuntem depingere ; quod jam non est cymbam in aura per æquoris plana ducere : sed potius suspenso velo, artemone erecto laxatis funibus in altum maris descendere, et per tot rupes et scopulos, per Syrtes et Scyllæos canes navem institoris gubernare. Jam quippe Thomas noster, non officialis aulæ sed antistes Ecclesiæ descendit mare in navibus ut faciat operationem in aquis multis. Propterea ego vetus, stylum non habens præter quam tenuem et exsanguem, et materiæ novitatem et magnitudinem pensans, in ipso limine cum stylo meo tam tenui nunc sto et hæsito dubius admodum quomodo fœdus pictor et ignarus non jam in homine sæculi imaginem terreni, sed in novo et tanto Christi pontifice cœlestis digne valeat imaginis lineamenta depingere, et illam institoris navem, tot et tam pretiosis refertam mercibus, inter tot maris pericula ad salutis portum, ad quem semper velificabat, describendo perducere. Quærite cui facile ; mihi certe fateor hoc difficile. Qui enim de terra est de terra loquitur et terrenam terreni quoquo modo formare potest imaginem, utpote qui format, formatæ similis, qualis enim terrenus tales et terreni. Verum qui de terra est terrenus, imo qui terra est et in brevi reversurus in terram, quomodo digne poterit ullius, etiam alicujus cœlestium explicare imaginem. Qualis enim cœlestis tales et cœlestes. Unde cœlestis imago cœlestem pictorem exigit, non terrenum, non luteum. Accedit etiam oneri quod nunc quamvis cœlestem cœlestis imaginem sat sit nunc a

ormandum, quin potius, quod de cætero materiæ A
iovitas, dignitas et magnitudo exigeret, nova et
upercœlestis ipsius pontificis Christi pontificalis
orma velut interiori quodam et diligenti intuitu
xcogitata et discreta, humano generi in sæculorum
ines intuenda aut depingenda nunc, aut silendum
st penitus. Certe Moyses, ipse vita tantus et scien-
ia, seorsum a populo in montis cacumen ducitur, et
bi condendi tabernaculi cum utensilibus ministe-
iorum, et ministrorum formam, et ministrandi ri-
um et ordinem, in præostenso exemplari contem-
latur. Cui Dominus: « Vide, inquit, exemplar. » Cui
t inter cætera, et ni fallor præ cæteris, legalis pon-
ficis et ministrantium ei forma in exemplari præ-
stenditur. Et ecce plus quam legalis pontifex hic.
egalis quippe ille, evangelicus hic. Attamen miser B
go, peccator magis fœdus quam pictor fidus, cum
ujus formam describendam susceperimus, nec seor-
ım a populo in montis cacumen cum Moyse, nec
tiam cum Josue in ullam ductus montis devexita-
m, sed in valle lacrymarum, in medio populi mei
ılpa et pœna mei similis habito. Et propterea ego
etus ad novum jam hominem accessurus, ad materiæ
ovitatem stupet animus et ad magnitudinem stylus
ui velut hucusque tenuis et inanis hominem sæculi
er inania transeuntem exarendo descripserat. ex-
auritur: et ad materiæ dignitatem velut ob eximiam
olendoris materiæ claritatem repercussus reverbe-
ıtur et quasi obducitur. Verumtamen ego visu qua-
cunque adjutus, me non sicut sciolum sed humiliter
cisum, plasmatore hominum et formatore sicut C
olet tales erudiente per gratiam cœlestem, cœlestis
naginem et pontificalem in Christi pontifice for-
am mei nunc temporis hominibus et omnibus post
ituris sæculis intuendam et admirandam, et præser-
m pontificibus imitandam, stylo prout datum fuerit
amutato qualitercunque describam, qui tamen sti-
io magis depingendus quam stylo describendus fuis-
et. Describam tamen: describam, inquam, visu qua-
cunque adjutus. Nam si gloriari oportet, imo quia
portet et sic expedit nunc, et mihi exemplar non
uidem in monte sed in hac lacrimarum valle præ-
stensum: vidi quippe ego, et secutus sum per to-
ım tempus usque ad ultimi exitus sui diem per mul-
s et varias tentationes obsecutus pontifici: et quia
loriari nunc expedit, multa per totum id tempo- D
s familiaritatis ipsius gratia decoratus, ita ut in
ac parte gloriæ nulli secundum fuisse me credam.
nde et ni fallor, secreta quadam dispositione Altis-
mi, cæteris jam fere omnibus de mundo sublatis
ui mecum viderunt et comministraverunt pontifici,
ihi quasi soli adhuc reservato hoc reservatur ut
ıxta exemplar quod præ cæteris multis, pontifici
militer obsequentibus diligentius et familiarius in-
tebar, præsentis et post futuri sæculi hominibus
elestem cœlestis imaginem explicem: præsertim
ım a viri hujus de hoc modo excessu jam quartus
ecimus annus sit quo scribo hæc, Altissimo certe,
fallor, sine cujus consilio nec folium cadit de ar-
bore, disponente sic, et me per annos scribere pro-
crastinante. Et bene quidem sic; possum quippe
nunc, docente Domino, ad sæcula post futura scri-
bendo transmittere de viro hoc non solum illa quæ
vidi de vita ipsius in carne hac, sed et de his quæ
post mortem et per mortem ejus sicut pretiosam et
triumphalem acciderunt. Sed ad cœptam historici
hujus cantici seriem revertamur.

6. QUOMODO EXUTO VETERI NOVUM HOMINEM INDUERIT

Thomas ergo noster, non jam officialis aulæ, non electus Ecclesiæ, sed jam Ecclesiæ consecratus omnino supra omnium spem mox deposito cancellario, antistitem vivens in spiritus de cœlo subito advenientis vehementia quo in illis unctionis diebus unctus mox fuit repletus, totum veterem hominem adeo concussit, excussit, et expulit ut jam vetustatis nec compareret vestigium. Unde et novus quidam homo, quem supra pro tempore veteris hominis habitu opertum magis quam oppressum a veteri diximus, discoopertus, et in unctione dati spiritus magis robur accipiens, mox totum se exerit et haud segniter strenue se accingit ad opera, ea præsertim quæ novum tunc decebant pontificem. Unde et pontifex jam non tractus, sed sacra delibutus unctione, cursor levis, non ut prius operto adhuc novo homine in virtutum odore, sed jam in forti et strenua virtutum operatione celer currebat, non ut prius virtutes odorans sed fortiter operans. Et qui supra electus cum corde suo meditabatur quasi deliberans, jam consecratus, in sacra illa unctione unctus Domini, ab unctionis spiritu consilium habuit, quo sicut corpore sic et corde aulam exiret, purpuram deponeret et cilicim sumeret. Unde et mox, tanquam veteris hominis indumento rejecta purpura, sicut corpore sic et mente exivit aulam, exivit purpuram, et cilicium induit, novum novi hominis habitam, indumentum novum, sed inusitatum aulicis et peregrinum ab aula. Ecce Thomas noster alter in spiritu et virtute Eliæ pilis camelorum vestitus! Ecce virgo alter electus a Domino, qui relicta sindone, cilicio super nudo amictus, viros sanguinum inimicos crucis Christi fugiens, novi regis vexillum novus tiro in cilicio sequitur; illius novi regis jam tiro novus, cujus vox in Psalmo: *Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio* (*Psal.* XXXIV); et item: *Posui*, inquit, *vestimentum meum cilicium et factus sum illis in parabolam* (*Psal.* LXVIII).

O Thomas, et Thomas jam non Thomas et tamen vere Thomas! jam non holosericatus, non purpuratus Thomas, sed alter Thomas, qui jam toto tam delicato, tam tenero corpore inter Cresi opes Darii divitias et Sardanapali delicias enutritus, nunc sacco cilicino obvolvitur, infirmioribus etiam corporis hac circumdatis asperitate. O quanta et quam omni admiratione digna super te Thoma dexteræ Excelsi mutatio, qui in palatio inter augustales divitias et delicias educatus, et inter Palatinos sicut gratia eximior sic et cultu præclarior, totum palatium illustrare videbaris, nunc totus fœdi et hirsuti animalis pilis obvo-

lutus assumens saccum pro socco, cilicium pro holoserico et pro pallis cinerem? Sed quid! Vere novi regis jam tiro novus, cui jam vetera transierunt et ecce facta sunt omnia nova. Novus enim rex, nova lex, novus grex, amictus novus, novus et ipse. Ecce jam omnia nova, novus rex Christus, nova lex amor Christi, novus grex Christi Ecclesia, amictus novus cilicium, novus et ipse Christi tiro novus. Unde et hæc inter initia tirocinii nova sunt nostri arma tironis, quibus indutus exterius pugnaturus erat ad bestias. Hoc militari schemate in illo sacramentali tempore Pentecostes, quo consecratus et cum apostolis vir apostolicus virtute ex alto indutus, induitur: et hoc fuit primum et inter initia in illis unctionis diebus uncto Domini unctione magistra edocente cœlitus datum consilium: et hoc initium operum.

Verum qui manum mittunt ad fortia, inter initia spiritu ferventes, processu temporis quasi fatigati ex cursu seu pressi nimis sub onere, solent sensim in dies tepescere, donec tandem sancti officii suscepti debito inimica semper oblivio superveniens, per seducibiles carnis illecebras, per quotidiana vitæ hujus oblectamenta et occupationes varias, spiritum inter initia adeo fervidum in fine penitus exstinguat: turpi quadam et fæda mutatione de spiritibus tam ferventibus, in fine tanquam ut corpora seu potius cadavera quasi insensibilia et exanimata conversi, seu cum misera illa muliere humana in eis effigie abolita quasi transsubstantiati in statuam, illi cadaverosæ seu infatuatæ, aut ut novo utar verbo instatutæ animæ similes, quæ secundum prophetica prius in croceis nutrita postea stercora amplexat. De qualibus Magister: *Sic* inquit, *stulti ut cum spiritu cœperitis nunc carne consummemini* (*Gal.* III). Quod oculatum animal hoc, Thomas scilicet, operose attendens et studiose præcavens, quodam sacri ordinis insigni quod stola seu orarium dicitur, mox ut sacerdos utrumque quod sacerdotum est humerum ambiebat et hoc quotidie et continue in omnium visu gestabat. Juxta quod Dominus in lege de decem legis verborum signa habens orarium hoc quasi jugiter appensum ante oculos suos et ligatum quasi signum in manu sua. Orario itaque hoc evangelico legalium fimbriarum quæ Domino ipso jubente sunt introductæ, in sacerdote hoc evangelico formæ instar: quæ profecto fimbriæ per angulos palliorum filiorum Israel ut fierent, a Domino præceptum est, ut cum illas vidissent memores fierent mandatorum Domini, ne sequerentur cogitationes suos et oculos per res varias fornicantes. Tale quid et post legales fimbrias in evangelico orario hoc, ut per hoc sacerdos his evangelicus, quod jam susceperat, evangelicum jugiter recolat jugum, et utrumque humerum orario ambiens hoc, ni fallor, insigni cœlitus in signum accepto; quasi visibiliter tam prophetizans quod sicut bona susceperat de manu Domini, ita et mala foret perpessurus pro Domino. Et hic esset utriusque humeri ambitus, bona videlicet hinc, mala inde, alia etiam et digna

A de causa hoc sic assidue gestans, ut ad confirmationis sacramentum celebrius peragendum semper foret pacatior, ad quod præ cæteris omni tempore promptissimus et devotissimus fuit. Duo itaque quæ gestat pontifex velut Domino insignia tenemus in pontifice, cilicium et orarium: primum cilicii insigne in signum Christi militis; alterum vero orarii insigne in signum Christi sacerdotis, quasi adhuc multum pro populo et pro sancta civitate oraturi. Primo unctus advertit se Christi militem, sed quo ambitur secundo Christi sacerdotem. His ornatus pontifex quotidie procedebat in publicum, nisi, quod cilicium juxta nominis sui rationem et religioni veritatem tenendam, celabatur admodum in occulto nemine præterquam aliquo sine quo tale quid gerr

B non poterat conscio. Unde et istud sui insigne tirocinii deinceps toto tempore non deposuit, done gloriosi certaminis sui consummasset triumphum. Verum alterum illud, quod orarium diximus e gestabat in publico, in exsilium exturbatus mo deposuit, eo quod jam exsulem in alienis provincii non deceret. Ob id etiam et merito illo sacerdoti exutus insigni, quod exturbatus sicut vere exsul, si et quodammodo exsacerdos. Et quidem de novi nc stri pontificis insignibus hæc: verum in reliqu veste quotidiana et communi, toto quidem ann primo more suo clarus et nitidus, sed cleri postm dum præsertim in habitu mediocritatem est secutu ita ut juxta quod ait quidam nec essent exquisiti sordes nec affectatæ deliciæ. Clausæ ipsius veste

C pullæ et poderes, et pelles non quidem pretiosa sed agninæ. Unde et nonnulli eum ob similitudine vestium suspicati sunt fuisse, sicut vulgo dicitu regularem canonicum, cum tamen sola devotion quod et omnium vere fidelium commune est, can nicus fuerit sed professione nequaquam. Et vest quidem pontificis, quo emptæ vilius, eo sicut sol crebrius mutabantur, ut eo ipso Christi nudus in Christus ipse in nudo operiretur frequentius his ips vestibus quibus operiebatur ipse Domini christu Et hæc pro certo universis Domini Christis pon ficibus Christi forma ab hoc tanto Christi accept pontifice maxime observanda, ut quo ipsimet ve tiuntur in nudo suo vestiatur et Christus; nec nec illi his ipsis quibus Christus Domini præte

D quam solus et nudus Christus induatur qui ips ovium suarum lac et lanam commisit et veller Ad illius quippe, necdum etiam pontificis, op exemplare pontificibus præsertim recurrendu qui cum nihil præterquam chlamiden qua ind tus erat, haberet cum paupere tamen nudo lam dimidiat. Unde et mox nocte in secuta ad A glorum circumstantium multitudinem audit Jesu voce clara dicentem: « Martinus adhuc catech menus hac me veste contexit. » Videat ergo q faciat episcopus si fecit sic iste etiam adh catechumenus. Videat, inquam, episcopus quid ciat inter tot vestium mutatoria, de vestibus s jam attritis, cum catechumenus hic de unica

quam habebat chlamide et se sic operiret et pauperem, imo teste Christo Christum ipsum in paupere. Nec enim ut illud in propheta statu Veteris Legis breve pallium hoc, sed in Evangelio sub lege gratiæ ex charitate latissimum illud qui cœlum et terram implet et operit operiens et Martinum. Sed hoc Martini, imo et Christi pallio jam ipsis communi intermisso, ad pontificis nostri novi, novi tironis Christi novum schema revertamur ; cujus quidem corporale et visibile corporis schema ut jam descripsimus sic erat.

Sed fuit adhuc longe aliud longeque spectabilius non quidem corporale et visibile, sed sicut spirituale et invisibile, novum novi schema tironis, eo certe fortius quo interius, quo non patebat accessui ; de quo militiæ tribunus magister : *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei* (*Ephes.* v), loricam justitiæ, scutum fidei, galeam salutis et gladium spiritus, calceati pedes. Ecce Dominica novi Dominici militis armatura nova, in qua lorica justitiæ sicut in hoc Dominico milite præminuit ita et præponitur a magistro. Attamen lorica hæc reponenda adhuc tempore quidem suo assumenda : *Omnia enim tempus habent ; tempus dilectionis et tempus odii ; tempus belli et tempus pacis* (*Eccle.* iii). Hæc itaque reposita servatur adhuc.

. DE PRIMA PONTIFICIS MENSA CORPORALI, QUOD EST MANDATUM NOVUM.

Et interim videamus nova quæ circa pontificem novum. Et post pontificis habitum, quem præscribendo perstrinximus, ad pontificis mensam accedamus ipsius vitam quemadmodum et habitum intuentes. Nec enim fideliter cujusquam vita describitur si quo vivitur, vel qualiter ipse vixerit, omittatur ; præsertim cum nova ista pontificis novi mensa tam pontificalis sit tam opulenta tam splendida, magis certe pietatis operibus quam dapum corporalium quibus tamen uberrime abundabat, referta varietate. Ad hanc itaque omnes sed vos præsertim pontifices invitandi. Et certe ad hanc confrater vester novus ipse pontifex universos vos invitat, et ut accedatis sicut dignum et justissimum est ; in hac quippe mensa magnus ille paterfamilias pastor pastorum et magister discumbit. Primus in capite et post ipsum ex ordine et cum ipso sui duodecim. Et in hac mensa nova novus pontifex, tanquam Domini dispensator novus, ponens vestimenta sua et præcingens se, Domino cum suis discumbenti ministrat. Ante Dominum discumbentem in cilicio suo stans et orario regi suo novo ministrans, in his tanquam novi dispensatoris insignibus miles ipse novus novi regis Christi et sacerdos. Hoc est mandatum novum quod ipse jam instituit novus. Siquidem diebus singulis post synaxim decantatam quam cito post gallicinium sub profunda nocte decantare consueverat, mox clam in conclavi aliquo subintroducebantur fratres tredecim quibus ipse positis vestimentis suis et se præcingens discumbentibus ministrabat [singulis quatuor argen-

A teos largiens.] Et hoc ita mandatum furtivum magis quam fur verus, per singulas noctes faciebat ; veritus nec immerito ne si sub luce faceret, illud ex visu hominum virtutum virus inanis inficeret gloria quo ut supra tetigimus, ipse dum adhuc juvenis quasi incurabiliter videbatur infectus. Unde et quo secretius, eo fiebat et securius.... (*De hoc hiatu vide infra, col.* 354.)

(*Deest unum folium codicis Atrabatensis.*)

sicut prioribus parum aut nihil damnationis est, qui non solum potentiam sed et una probabiliter quidem inducti, aut ut durius loquar seducti, etiam opus potentiæ ad salutem suam, quod tamen forte non subest, confitentur. Imprimis quippe qui non credit pro impenso beneficio quod non credunt be-

B neficiorum uredo ingratitudo est. In secundis vero qui credunt pro beneficio non impenso quod tamen impensum credunt, dulcis quædam et grata obnoxietas est. Quos, etsi forte aliqua pœna maneat, quia credunt falsum, minime tamen ut nunc sentio, erit eis exinde æternum in morte supplicium : quin potius ipsorum forte remunerabitur devotio, quam habuerunt pie et devote credendo aliquid Dominum pro salute sua misericorditer fecisse, etsi illud non fecerit. Nemo autem illud Magistri hic mihi objiciat: *Si autem*, inquit, *Christus non surrexit*, *inanis est prædicatio nostra*, *inanis est et fides vestra* (*I Cor.* xv). Nemo, inquam, illud magistri nunc mihi objiciat. De apostolis quippe proprie ibi sermo est, unde et mox subjicit : *Invenimur autem et falsi testes Dei*

C *quoniam testimonium diximus adversus Dominum quod et suscitavit Jesum Christum, quem non suscitavit si mortui non resurgunt* (*ibid.*). Nec solum de apostolis sed et de illis etiam et pro illis potest videri magister dicere, qui mandaciis assentatoriis, tanquam si deliniri et demulceri possit sicut homo Deus, Dominum honorant et extollunt. Contra quod ait doctorum unus perhorrendum fore aliquid falsi de Deo dicere, etiam si ad laudem ipsius videatur pertinere, qnia non minori sed majori fortassis scelere in Deo laudatur falsitas quam vituperetur veritas. Ecce doctoris verba : « Unde et mihi et Dei hujuscemodi assentatoribus modo nihil, sicut nec ipsis et Deo. » Hoc est enim quod ego longe ab eis diversus imo penitus adversus, dico quod ego existimo, quod ego sentio, videlicet quod si quis pie

D devote et ex probabilibus ad suam salutem crederet Christum resurrexisse, etiam, etsi non resurrexerit nihil aut parum damnationis fore huic, qui crederet sic de Christo Jesu. Sed forte ex præmissis mihi quis sic objiciet : Quid igitur si ex Scriptuirs et ex probabilibus multis signis et prodigiis et virtutibus crederet Ecclesia Dominum ad salutem suam jam misericorditer incarnatum, et tamen necdum incarnatus fuisset ; quemadmodum et errans Synagoga Messiam necdum venisse credit sed venturum adhuc, quæ tamen Dominum in carne venturum diffitetur, futurum Messiam purum hominem tradens ; unde nihil nunc nobis et illis, qui

nec præsentis nec etiam futuræ incarnationis fidem A habent ? quid igitur si Ecclesia crederet Dominum sic incarnatum et tamen necdum incarnatus fuisset ? Sentiunt certe plerique et non irrationabiliter forte, quod si Ecclesia crederet sic, Ecclesiam ob fidem hanc damnabilem minime. Ita tamen si in reliquis fidei articulis et præsertim in unum et trinum Deum fides fuisset integra ; qumadmodum et diverso et Cornelius mox minime damnabilis fuit, et si non crederet Christum iucarnatum qui tamen antequam id crederet incarnatus jam erat. Cui etiam, antiquam Christum jam incarnatum crederet incarnatum, dictud est illud per angelum : Orationes tuæ et elemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et illud etiam ante de illo, quod religiosus erat et timens Deum. Verum solum hoc B tacto et, quia nunc locus non est, sermone nostro non nomine protracto super hoc, ut ad superiora redeam, certe quidquid absque assertione nostra nunc de prætacta incarnationis sit fide, hoc certe evidens, quod etiam etsi præfata illa sicut fide certo-tota credit catholica panis et vini in corpus Christi et sanguinem non fieret sacramentalis conversio, tamen quod ad se miro meo (*sic*) esset sicut munda et clara, simplex, sincera et devota in puro pane et vino secundum ordinem Melchisedech, matris nostræ catholicæ oblatio hæc. Mundior, inquam, et sincerior magis quam de mille taurorum, hircorum arietumve pinguium mactatis carnibus et spurcitiis sanguinum. Mundior revera et simplicior evangelica hæc Ecclesiæ oblatio quam fuerit Synagogæ. C Et ut videri potest, carnificum potius quam sacerdotum statu legis non tam pia oblatio, quam velut dira quædam et inhumana bestiarum, et in mane et in vespere quotidiana occisio. Ubi quotidie oves tot, tot boves, tot tauri, tot hirci, tot agni, tot vituli, tot verveculi mactabantur. A qua etiam mactatione nec simplicitas columbam nec castitas turturem tuebatur. Verum hoc nostrum hoc matris nostræ Eccclesiæ pro nobis evangelicum sacrificium merum, sicut videtur, duntaxat sacrificium laudis, non dilaniatarum carnium, non erutorum viscerum, non fetentium intestinorum, non fumi, non stercoris, in nullo sicut videtur sacrificium iniqui et peccatoris. Juxta quod in hymnidico cantico Dominus : *Nunquid*, inquit, *manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo ?* (*Psal.* XLIX.) Et postea hoc nostrum evangelicum quasi a legali illo distinguens sacrificium, subdit : *Immola*, inquiens, *Deo sacrificium laudis* (*ibid*). ; et in fine cantici ; *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me* (*ibid.*). Unde et hoc laudis sacrificium, quo plus honorum, plus sincerum, plus salutiferum, plus pacificum et tanquam sacrificium justitiæ, quo plus Domino acceptum eo exterminator angelus hujus hora sacrificii, sicut et magis subdolas et acriores et crebriores facit immissiones. Ut si prævalere sic potest absque defensore, sine dilatione, absque miseratione ulla, fidem ipsam primogenitam hic præ virtutibus cæteris pressa ratione triumphantem percutiat et si potest sic in perenne exstinguat. Nemo autem opinetur, suspicetur nemo, me ex diffidentia aut hæsitatione vel modica de tam glorioso, tam salubri totius salutis nostræ sacramento, quidquam scripsisse hic. De quo tamen cum ergo aliquando quasi hæsistans cogitare cœpissem, nocte sequenti visa est mei ostia hac et illac in calice, quasi in motu continuo et citissimo circumagere se et circunferre. Quod cum in crastino domino meo archipræsuli secreto retulissem, et qualiter quasi hæsitans præcogitaveram, respondit mox archipræsul hostiæ motum in calice fluctuationem meam indicare quæ præcœpit in mente. Unde et in hujus sacramenti fide per Domini gratiam semper firmior sto et deinceps devotior. Sed revertamur ad prætactas malas mali angeli immissiones.

Quod si forte fidem adultam et adeo robustam et solidam reperit ut nec valeat, non dico ipsam perimere, sed nec ullis incredulitatis stimulis vel in modico pungere, alias et alterius modi facit immissiones, quas nos experimus quotidie, utinam ab illis, quos præmisimus, et incredulitatis stimulis liberi. Ad alia itaque se convertit is cui mille nomina et mille nocendi artes, ut vel sic cor in fide firmum et solidum, quod incredulitatis stimulis non perforat, vel emolliat. Et cogitationes vagas et vanas, fluxas et fluidas in cor mittit, sicut de illo : *Et cœna*, inquit, *facta cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas* (*Joan.* XIII). Ecce missio seu immissio prius a propheta, post ab ipso evangelista, qui de ipso pectore sapientiæ recumbens hauserat evidenter expressa. In cor enim missio quid aliud est nisi immissio ? Misisset, inquit, in cor ; verum ut humilitatis magister majestatis Dominus tradatur, ut illudatur, ut flagelletur, ut conspuatur, ut habeatur quæstui ut habeatur ostentui ut demum linguis et manibus crucifigatur : hujusce modi duras immissiones seu immissionibus duri quotidie operatur erroris spiritus in diffidentiæ filiis ipso Domino, sicut jam propheta testatus est, immissiones has pro meritis perditorum faciente per angelos suos malos. Sed istas immissiones, de quibus nunc quotidie operatur idem erroris spiritus non solum in diffidentiæ sed etiam in devotis Ecclesiæ filiis, et etiam in ipsis Ecclesiæ primogenitis in ipsis dico Domini christis, sacerdotibus Christi Et ibi præsertim, ubi sacerdotii exhibent officium et sacrificii peragunt ritum. Ea hora potissimum quotidie vagas has et vanas fluxat et fluidas, fluentes et refluentes cogitationes immittens, quæ tanquam muscæ tabidæ in tam suave olenti sacrificio totum perdant mox tantæ suavitatis odorem ; hora præsertim sacrificii glomeratim irruentes, nisi confestim per sacrarii ostiariam fidam, circumspectam videlicet devotionem, et pomptam Spiritus sancti flabello repellantur.

Igitur ut omnes has, tam videlicet illas quæ perforant, quam et illas quæ cor emolliunt, immissio-

ies præveniens declinaret sacerdos noster, pontifex noster novus, pro quo totus hic sermo texitur, agnum immaculatum, sicut reverenter pariter et ob reverentiam ad legis mandatum festinanter, semper edere consueverat. Per totam hanc Domini mensam, sicut in mystico et sacerdotali ornatu festivus, ita et in edendo festinus et sicut jam supradiximus in orando brevissimus. Totum tamen devote et celeriter etsi ob supradictas causas celeriter agens. Quin potius eo ipso devotius quo celerius.

Quia in sibilo duntaxat auræ tenuis Eliæ a spelunca sua egresso et in speluncæ suæ ostio stanti, solum in transitu loquitur Dominus. Solum quippe per speculum et in ænigmate quasi in sibilo auræ tenuis his qui corporis sui domos luteas egrediuntur, et egressi in ostio hujus luteæ speluncæ suæ stant, cupientes dissolvi et esse cum Christo animæ suæ ut moriantur jam petentes, his, inquam, solum et tamen non nisi solum in transitu loquitur Dominus. His quidem frequentes fiunt, sed semper breves et citissime disparentes theophaniæ, sanctorum reventur splendores et exsultationes Dei in cordibus eorum : quæ animam ad cœlestia pio desiderio suspirantem crebro quidem, etsi non reficiant, refocillant tamen et illustrant. Sed brevis hora hic et parva mora, quandiu in lutæ speluncæ suæ ostio alias steterit, donec a lutea spelunca sua penitus egressus fuerit. *Corpus enim*, ait Sapiens, *quod corrumpitur aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX). Et vere in theophaniis his brevis quidem hora et parva mora. Hinc est enim quod in sancti amoris cantico Sponsa Sponsum suum tam crebro tam sedulo tam officiose et in tam multis quærit suspiriis. Et quærens et suspirans nunc invenit, nunc perdit, nunc evolat, nunc declinat, nunc ad ostium pulsat, nunc tenet, nunc elabitur, nunc revertitur, nunc vocata tacet, nunc vocans alloquitur. Unde et Sponsum suum Sponsa, capreæ hinnuloque cervorum in montibus salienti et colles transilienti assimilat. Et ipsa Sponsa, id crebro experta, nos hac sua parabola docens, ut opera illa et sacramenta eo fiant celerius quo necesse est ut paragantur devotius. Et propterea noster sacerdos novus, novus noster pontifex illud, de quo jam aliquandiu egimus, altaris sacramentum eo quidem celerius celebrabat quo illud peragere et consummare devotius peroptabat. Unde tanti sacerdotis exemplo plerique arguuntur sacerdotum, qui ut devoti habeantur aut forte quia sunt, hoc altaris sacramentum verbis admodum paucis abbreviatum et consummatum et hoc speciale orationis genus breve, quod et debet esse brevissimum et si non in catechumenorum, saltem in missa sacramentorum arguuntur, inquam, exemplo hujus, qui sic differunt, ita trahunt, sic protrahunt. Me, qui intersum et audio et deberem intendere interim super vanum et citum cogitationum mearum vehiculum, scandente et ab Oriente in Occidentem usque volante, et per viam, vicos, munitiones et civitates salva mea et aliena pecunia absque omni sumptu et labore exstruente, et interdum prout fert spiritus impetus me interim multa constituente bella absque omni sanguinis effusione aliave frivola et otiosa commentante ; et pro me loquar, ego interim sic vado, sic venio, sic operor, sic commentor. Sic et, ni fallor, de missæ auditoribus et de aliis aliqui. Et mirum si ille tanquam homo adhuc nostris similis, sacerdos dico noster, qui commune salutis nostræ sacrificium est oblaturus pro nobis, ad missam se parans, vel etiam in missa ipsa, interdum in se ita non sentiat ; aut si non sentit, deberet saltem tanquam sacerdos noster consentire nobis et condescendere, ut ita, juxta quod magister de pontifice gloriatur, haberemus sacerdotem, qui posset compati infirmitatibus nostris. Unde dico quia istius, de quo nunc loquimur, sacerdotis in missa sic morosi aut est hypocrisis manifesta aut religio inscia. Verum, ut deinceps compatiantur nobis sacerdotes hi et vos universi sacerdotes præinvitati ad mensam, qui cum novo sacerdote, novo nostro pontifice jam discubuistis, scitote et vos similia debere parare. Exemplum enim dedit vobis ut quemadmodum ipse fecit et vos similiter faciatis. Post spiritualium mensarum discubitum juxta supra dispositum ordinem et nostrum supra promissum nunc deinceps ad corpoream mensam accederemus, nisi tamen quia necdum hora est discumbendi præsertim pontifici, quem tam multiplices tam variæ et sæculares et ecclesiasticæ occupationes et causæ trahunt et necdum sit nisi circa diei sextam.

9. QUALIS FUERIT IN AUDITORIO.

Missæ itaque celebritate consummata, Pontifex egressus ecclesiam, mox auditorium intrat, et sedet ut judicet quasi de sede ad sedem de cathedra ad tribunal ascendens. Et sicut prius ad mensam, ita nunc ad auditorium hoc fratres suos universos et præsertim comprovinciales suos episcopos vocat, ut sibi assideant et secum jura decernant. Nunc enim sedet ut judicet. Et quia de formandis judiciis et accipiendis muneribus, quæ judicia solent pervertere, loquendi nunc locus est, primo qualis in ipsis fuerit persona novi judicis, novi nostri pontificis, intuendum. Et in primis quidem novus hic judex, novus noster pontifex interim excutiebat manus suas præsertim a suspectis muneribus ut ab his, quos causas habere nosset, nec obolum nec etiam valens acciperet. Nisi forte aliquid esculentum et proculentum aliquid offerretur quod decenter respuere non valeret. Et quia de muneribus accipiendis sermo impræsentiarum se obtulit, ut ad novi nostri judicis laudem magnificam et civilem industriam evagemur licentius, qualis fuerit in accipiendis muneribus videamus. Illorum certe semper munera recusare consueverat, quibus credebat accipere necesse magis quam dare. Imo etiam assuetissimus erat semper et promptissimus ut talibus daret et his præsertim inter tales qui petere confundebantur. Ab illis etiam, et si aliquando, raro

tamen accipiens, quibus ob causam fuisset offensus, A etiamsi abundantes forent hi, quasi cum Domino spernens Cain et munera ejus, et respiciens solum propter Abel ad Abel munera, non propter munera ad Abel. Verum ab aliis cum multa gratiarum actione accipiebat, quos sibi amicos et hilariter dare noverat, nec post donum detrimentum passuros; decenter edoctus quod in dandis accipiendisque muneribus magno præsertim viro multa debeat esse cum cautela discretio. Juxta quod etiam ille in gentilium ethica morum censor : « Videto, inquit, cui des. » Et hoc quidem paternum consilium est et pro dante. Pro accipiente vero sapiens : *Datus*, inquit, *insipientis non erit utilis tibi* (*Eccli.* xx), quasi sicut supra morum ille censor dantem, ita et hic sapiens accipientem erudiat. Ut B sicut ille danti dixerat : Videto cui des, ita et hic accipienti : Videto a quo accipias, juxta quod et Dominus : *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos neque de gregibus tuis hircos* (*Psal.* XLIX). *Nec enim*, ut testatur idem sapiens, *dona iniquorum probat Altissimus* (*Eccli.* XXXIV), quorum per multa Scripturæ loca semper ea legitur respuisse ; id tamen pro testimonio dico quia novus hic judex noster nil unquam, me qui scripsi hæc seu etiam me familiariori, sicut credo, sciente, si tamen hac gratia me magis præditus quis, nil inquam ab aliquo ipsomet postulante, cum adhuc libere et quiete ageret in ecclesiastico potentatu suo, accepit. Ita ut illud prophetæ a diversis varie interpretatum, novus hic judex noster ipso tunc opere nobis certa quidem et C evidenti expositione interpretaretur ut doceret. Si quidem prophetarum unus principum cupiditati improperando : *Princeps*, inquit, *postulat*, et postea mox subdit : *Et judex in reddendo est* (*Mich.* VII). Hoc quasi unum et primum et per se censitum ponit cupidi principis vitium dicens : *Princeps postulat*. Quid enim est subdito intimata principis postulatio, nisi a subdito quasi quædam violenta exactio aut quasi ab invito dura quædam extorsio? Deinde aggravando subdit sicut cupidi jam pariter et dolosi principis vitium alterum : *Et judex*, inquit, *in reddendo est*. Ac si dicat propheta cupiditati principis sic improperans, quod videlicet si forte princeps postulans non exauditur, nec obtinet a subdito quod desiderat, aut incontinenti aut ut occultius D tegatur fraus processu temporis, sive per se sive per alium, subdito sibi, a quo repulsam passus, aliquam super illa aliave quacunque re quæstionem movet, tanquam rei postulatæ molesto detentatori ; ut sic obtineat vel per qualemcunque sententiam, quod prius postulans non potuit obtinere per gratiam ; et ita qui prius fuerat princeps postulans sed minime obtinens, postea ipsemet efficitur judex rem postulatam per calumniam obtinens. Et sic ipsemet eam sibi per calumniosum judicium reddens, seu ipso per tale judicium principi reddere compulso, qui prius postulatum postulanti gratis præbere recusavit. Est igitur grande in principe cupiditatis vitium solum etiam postulare a subdito, etiam etsi ab altero, quod a propheta subditur, vitio immunis sit, videlicet post rei postulatæ repulsam nihil contra renuentem moliendo. Ipsum quippe principem a subdito postulare, etsi aliud malum non subsequatur, nihil parumve distat ab exactione turpi et molesta seu extorsione invita. Hanc nostram super illud prophetæ interpretationem prius Naboth et postea Achab vinea roborat. Achab enim princeps Naboth vineam postulabat : ecce primum cupidi principis vitium : sed repulsam passus ipsemet per Jezabel dominatricem judex fuit in reddendo : ecce quod priori longe deterius est vitium alterum : lege sacram eo loci historiam et liquido mox videbis quod sic. Hanc pariter interpretationem et nunc novus noster judex, novus noster princeps ecclesiasticus, ipso novo opere suo sed ex contrario roborat, utrumque pariter, tanquam si ab exactione neutrum discrepet, sicut extorquere et postulare semper devitans. Nam quemadmodum ab ipsomet testante sic frequenter accepi, in eo maxime confundebatur cum ex aliqua causa etiam valde urgenti, sicut interdum solet accidere, oporteret ipsum rem alterius petere, etiam si devote e[t] prompte se exaudiendum sperasset, sicut difficil[e] accipiens et adhuc multo difficilius postulans me[-] mor verbi Domini qui dixit : *Beatius est magis dar[e] quam accipere*. Ita ergo novus hic judex noster muneribus manus suas excusserat, ut cum univers[is] Israelis sancto propheta et æquissimo judice posse[t] et ipse, pariter gloriose immunis, sciscitari a sub[-] ditis utrum bovem cujusquam tulisset, an asinum si quempiam calumniatus, si oppresserit aliquem si de manu cujusquam munus acceperit ; pariter [et] cum magistro sicut æquo gentium judice et egregi[o] doctore, gloriari quod nullius argentum et aurum aut vestimentum concupiverit. Apprime inter initi[a] novus judex noster, magistra unctione edoctus utpote in illis unctionis diebus, sicut supra ostendi[-] mus, quo principes ecclesiarum mundi contemptore[s] judices uncti et ipse unctus, apprime, inquam edoctus illud legislatoris quod munera excæcan[t] oculos sapientum et vim auctoritatis inclinant. Cu[i] et consonat illud sapientis : *Quia xenia*, inquit, [et] *dona excæcant oculos judicum et quasi mutus i[n] ore avertit correptiones eorum* (*Eccli.* xx). Et illu[d] item hic non tacendum, quod ignis devorabit ta[-] bernacula eorum qui munera libenter accipiun[t]. Ecce quam incorruptus quam etiam incorruptib[i-] lis erat hic noster judex novus in se.

Avaritiam etiam, tanquam judicum corruptela[m] pestiferam et judiciorum velut quoddam lethal[e] toxicum, non solum a se sed et a suis tam long[e] projiciens, tam excutiens, et tam evitans, ut ipsa[m] a domo sua penitus eliminaret. Idololatria quippe i[n] templo, avaritia in pontificis domo. Unde et novu[s] hic judex noster nunc clam sigillatim singulis, nun[c] publice communiter universis inhibebat district[e]

me, non solum ne exigant, sed ne etiam oblata a :igantibus accipiant nec aliorum vexationes suas cerent prædas, solum tamen advocatis non recolo indulta salaria. Sed hoc scio quod alii accipere nnino sunt inhibiti.

Unde et tunc temporis accidit ut abbatum unus traret curiam et habens negotium, aliquot aureos ınc hic nunc illis qui in judiciis poterant offere- ıt. Sed cum omnes respuerent, abbas negotium ›regit, aurum retulit, et recedens : « Curiam, in- ıit, repperi supra quam auream, quæ non solum ost aurum non abit, sed aurum abjicit, aurum ernit, aurum calcat. » Et quidem de domo pontifi- s abbatis hoc gloriosum præconium. Adeo etiam nore justitiæ et compassionis affectu et in ava- tiæ odium negotia habentibus pontifex condescen- ns, ut in domo hac nihil pretio, sed omnia gra- fierent. Nihil hic a sigillifero nihil a signatore cipitur a notario nihil : nihil hic venditur, nihil nitur, nihil distrahitur nec cera nec chartulæ nec gillum. Cujus enim imago hæc vel superscriptio in gillo ut vendi debeat vel distrahi ? Nequaquam esaris sed pontificis. Revera domus hæc novi dicis nostri, novi pontificis, nequaquam fuit do- us negotiationis, sed domus veri et æqui judi- s, domus sancti pontificis et vere domus orationis. Hujus profecto sancti pontificis et justi judicis æ cæteris et ante cætera debent esse tria hæc ; aare continentiæ sanctimoniam, colere justitiam calcare pecuniam. Unde et apud nos nec imago ntificis nec instrumentum justitiæ sigillum vende- tur nec aliquis inde quæstus. An enim licitus quæstus hic in pontificis domo, vestra, Patres ncti coepiscopi qui novo metropolitano nostro sidetis, consideratio hæc, vos decernite : videbitur rte hoc magis inter gratuita quam debita, inter lata magis quam exacta numerandum, de quibus pra aliquantis peregimus ; unum pro certo scio, od silicet sic acquirere, non tamen expedit, præ- rtim in pontificis domo, unde et, ni fallor, multo agis melius et pontifici gloriosius, justitiæ in- umentum sigillum gratis exhibere, et propriam eciem ceræ vel sigillo impressam erogare pau- ribus, qui etiam pro ipsis tenetur adhuc et semet- sum super impendere. Sic itaque omni a domo ntificis avaritiæ eliminata spurcitia, nullus qui ediret pecuniæ, sola in domo pontificis imperante stitia. Et hæc et quam supra diximus Christi mini novi Christi tironis lorica justitiæ nova, missos omnes cupiditatis stimulos in se mox re- dens et repellens a se. Cujus tamen adhuc for- udo major suo tempore revelabitur, quin jam n stimulis sed lanceis et gladiis decertabitur. d interim talis nunc sufficit. Ob hunc autem tam ıgularem et tam ferventem justitiæ zelum, inter a multiplicia dona Spiritus, et hoc sibi abunde tum a Spiritu, ut haberet spiritum judicandi inter um et virum. Nec enim ex magistri hominis eru- ione hoc illi, magis autem ex unctione magistra,

A juxta quod ille præ participibus suis exunctus : *Habenti*, inquit, *dabitur et abundabit* (*Matth.* XIII). Et justissime quidem et sincerissime sine omni acceptione personarum absque ullo interventu nummorum cum suo quem supra commendavimus eruditorum catalogo assessoribus suis jurisdictionem ecclesiasticam exercebat : ita ut profecto cerneres tantum in tribunali judicem quantum modo videras in altari sacerdotem. Vos igitur ad assidendum comprovinciales vocati, metropolitani vestri jam, ni fallor, in judiciis advertitis scientiam, tenetis formam et jam quantum habuerit justitiæ zelum, quantum et pecuniæ contemptum cernitis. Utinam et vos apprehendat æmulatio ut illius similem sortiamini zelum cujus simile consecuti B estis ministerium.

His vero omnibus in quibusdam aliquantisper immorati sumus, et in Dei mensis discubitibus et in sæculi causis discussionibus rite expletis, circa diei nonam pontifex, a tribunali exsurgens, mox thalamum ingreditur, et ad corporalis alimonia se discubitum parat. Et ad hanc quidem mensam sicut et ad alias invitandi forent pontifices, nisi quia in mensa hac bestialis duntaxat ut videtur et corporum non spirituum hæc refectio : verumtamen decet et expedit sic, ut etiam invitantur et ad hanc utpote quos ex auditis et visis spero accessuros libentius. Invitentur igitur et si placet accedant ut quemadmodum fratris sui noverunt ha. . . .

(*deest unum folium.*)

C . . . . rabat quid sicut mensæ opulentia. Unde et ipse semper in discubitu creberrime super totas mensas oculos consueverat circumducere. Ita ut et paropsidi propriæ posset videri minus fore intentus. Etiam ut hic oculatum animal se probaret, non quidem notabili sed modesto quodam modo et civiliter erudito nec vagi more vel attoniti sed circumspecte oculos circumducens per totum ut videret discumbentium ordinem, et exhiberet cui honorem honorem. Et si forte inter tot novissimum teneret locum qui præsidere debuisset, huic profecto tunc honorationem locum crebris calicis proprii et ferculorum exeniis recompensans, videret pariter et notaret qualiter qui ministeriis præerant quisque pro suo gradu et officio ministraret, quod si forte D perperam, acriter ab ipso archipræsule loco et tempore corripiebatur incurius. Verumtamen ministri novi hujus nostri patrisfamilias in mensa morem quotidianum experti quisque pro officio suo erat circa ministerium sollicitior. In mensa quippe super universos qui discumbebant et super singulos et super dispensatores ipsos et ministros ita provide, ita circumspecte spargebat oculos ut diceres hos solum mensæ oculos ad solius corporalis mensæ civilem quamdam et domesticam custodiam deputatos, quod si de eruditis suis forte aliquis deforet, et suo ex aliqua causa mutato in inferiori loce discumberet, mox providus et urbanus novus hic noster paterfamilias hoc advertebat.

Juxta quod et Saul rex inscius in hoc tamen urbane edoctus cum in mensa sedens locum David vacuum adverteret: *Cur*, inquit, *non venit filius Isai nec heri nec hodie ad vescendum ?* (*1 Reg.* xx.) Pariter et hoc noster paterfamilias mox de suis advertebat etiam et sciscitari solitus pro absente. Cui quidem loco suo mutato, sic mittendo et remittendo ipsi honorem exhibere non cessabat, ita ut et posset sibi ipsi videri primus qui in discubitu se novissimum fecerat. Aut etiam si quivis alius quem honorare voluisset forte vel ad thalamum vel ad aliquem domatis angulum, eo quod aliis cederet vel quod non esset ei in triclinio locus, divertisset, et hoc quidem advertebat citissime: et istum tanquam si inter tot discumbentes per medios jugiter intueretur parietes crebris ferculorum visitationibus honorabat. Ita profecto oculis quos a natura amplos habuit et clarissimos totum quasi penetrans, illustrans, et amœnans discubitum. Nihil modo istis et illis oculis, quos supra diximus lacrymarum exitus deduxisse, alia quippe mensa hæc illa alia; illa mensa Dei hæc mensa sæculi: ibi alimonia spirituum sed hic corporum epulæ apponuntur, inter quas ingerere lacrymas sicut importunum et incivile. Nihil ergo modo hic istis et illis oculis. Nihil huic triclinio et furtivo illi de nocte mandato, in quo ut supra monstravimus, pauperibus discumbentibus pontifex in cilicio ministrabat: longe quidem distant opulentia hæc et abjectio illa.

Sed quorsum hæc? quo tendit apparatus hic tam magnificus, et tam augustalis mensæ descriptio? Mensa hæc videtur potius mensa Cæsaris quam pontificis. Et talis et tantæ ad pauperis Christi mensam nulla penitus videtur communicatio. Nihil apparatui huic et spicis illis quas discipuli vellicantes et manibus confricantes edebant, seu etiam conviviis illis evangelicis, ubi pisces tantum et hordeum, seu ubi pars piscis et favus mellis. Christus etiam jam resurgens a mortuis quærit duntaxat pulmentarium non leopham, non aprum, non capream, non capreolum, non damulam, non cervum, non phasides aves, non gallinacium, sed solum hoc est quod sicut quærit videtur et appetere pulmentarium: verum videtur mensa hæc, quam describere cœpimus, potius Augusti quam Christi vel christi Domini. Sed quisquis et qui sic cogitas, sta hic, ne pracedas, ne judices, sed vide et admirare et imitare, si postes, multorum oculorum animal et multarum facierum personam. Vide discipulum ad magistri formam omnibus omnia factum; gaudentem cum gaudentibus, flentem cum flentibus, reddentem quæ sunt sæculi sæculo et quæ sunt Dei Deo; modo cum sancto sanctum, modo cum perverso perversum, modo cum ethnico ethnicum, modo cum Judæo Judæum, modo cum servis servum, modo cum liberis liberum, modo cum jucundis jucundum, modo cum infirmis infirmum. Nam juxta illud Sapientis et quasi in mundi specula constituti verbum: *Omnia tempus habent*; *tempus*

A *flendi et tempus ridendi, tempus plangendi et tempus saltandi, tempus amplexandi et tempus continendi ab amplexibus* (*Eccle.* III); omnia, inquit, tempus habent, quod et præsertim pontificis est, ut tempori pareat, tempori indulgeat et conformet se tempori. Alioquin non erit multorum oculorum animal nec multarum facierum persona. Alioquin non habebit gratiam apud Dominum et apud homines: quod præsertim requiritur a pontifice, qui nec soli Deo propter sæculum potest vacare nec sæculum propter Dominum debet deserere, ut placeat Deo, placeat et sæculo. Placete, inquit magister, per omnia omnibus, ut propter hoc merito et illud de pontifice pontificum qui pontificum est sicut forma et gloria scriptum sit: *Proficiebat*, inquit, *sapien-*

B *tia et gratia apud Deum et homines* (*Luc.* II). Sic et iste pontifex noster novus Deo dilectus et hominibus, totus Dei, totus sæculi, suus nunquam, nisi quia exinde plus suus totus. Talem quippe decet esse pontificem, qui nunquam suus sit, nunquam sibi vivat, sed sciat se Deo natum et patriæ, non sibi, parentem omnium, foventem omnes et sub alarum suarum umbra protegentem. Sic, inquam, iste multorum oculorum animal et multarum facierum persona, factus omnia omnibus, modo cum cilicio in discubitu ministrans pauperibus, modo cum orario in altari ministrans fidelibus; modo cum lorica justitiæ in tribunali finem imponens litibus, modo cum temperantia in convivio congaudens epulantibus.

11. DE SOBRIETATE PONTIFICIS.

C Verum cum qua temperantia, quod nondum dictum, dicendum est, ut quemadmodum jam de habitu, pariter et in hac tanta mensæ opulentia inter tot epulantes et tantas epularum delicias, de proprio quoque ejus victu juxta quod supra sumus polliciti, cognoscamus. Revera inter tot et tantas delicias in nullo penitus Sardanapalum sed solum episcopum sapiebat, nullius ut notari posset avidus, nec super ullam omnino escam se effundens. Juxta quod ille sapiens et urbanus: *Noli*, inquit, *avidus esse in omni epulatione et non te effundas super omnem escam* (*Eccle.* XXXVII). In tanta igitur affluentia nullatenus ipsius in ulla epulationis aviditate vel modicus poterat denotari excessus. Unde et cum in omnibus sobrius, virtuti etiam sobrietatis quadam

D civilitate adjuncta, ipsam sobrietatis virtutem colorabat, non solum religiose quod ad Deum, sed etiam quod ad sæculum civiliter sobrius. Unde sicut et in cæteris ita et in hac præsertim sobrietatis virtute quasi mensæ virtute propria, sicut Deo et hominibus complacebat; nam cum sobrietatis virtus sociam semper habeat abstinentiam, ipsam tamen abstinentiam, propter simul discumbentes, quadam civili dissimulatione in mensa occultare consueverat, ut sicut congaudere gaudentibus ita et coepulari epulantibus videretur. Occultabat quidem nunc crebris huc et illuc ferculorum exeniis, nunc interserta quadam de Scripturis cum eruditis suis, qui dextris ejus discumbebant, collatione non quide

ediosa sed moderata pro tempore. In hac quippe iensa non audiuntur tibicines,non cornicines,non yra, non fistula, non citharœdus, non choraula, uod inter cætera luxurianti populo per propheta-um unum improperat Dominus : *Tympanum*, in-uit, *et lyra et cithara in conviviis vestris* (*Isa.* v). ı hac quippe mensa præterquam mundam splen-idam et inundantem epularum opulentiam,nulla ulæ nulla lasciviæ et nulla penitus luxuriæ incita-ienta. Sed sicut instrumentis et incitamentis aliis ıbmotis, ex sacra lectione solius Spiritus sancti rganum, sicut supra jam diximus, ab initio usque ı finem discubitus grata quadam et interpolata ro tempore vicissitudine personabat. Sic ergo co-es sobrietatis abstinentia relevatur nunc ad hos, unc ad illos, crebris ut diximus ferculorum exe-is nunc collatione interposita de Scripturis. Sed ıper omnia placido vultu et facie hilari totam abs-nentiam obumbrabat quo et totum jucundabat scubitum. Verum et ipsa ejus abstinentia Deo ata, gravis nulli ; quæ, ut diximus, propter simul scumbentes civili quadam dissimulatione velata x etiam notari valuisset.

Et expressius adhuc audiamus abstinentiæ modum quibus uti consueverit. Tria namque sobrietas igit, videlicet quid quando et quantum sumanus ; quid prohibitum, ne quid citra horam, ne quid tra mensuram ; unde et Adam, qui primus come-t vetitum, confestim proscribitur : Jonathas, qui ra horam, maledicitur ; Israel vero, qui ultra ensuram mox punitur. Adhuc enim escæ eorum in e ipsorum et ira Dei ascendit super eos, Verum ıjus triclini princeps pontifex in sobrietatis vir-te præstans, et longe distans ab his, de hora et ensura quæstione nulla hic sicut nec opus est ha-a, solum quibus ipse uti consueverit audiamus, in hoc quod facile nimis justis et indiscrete re-iosis videri posset,videatur in aliquo vel in mo-o tam claram tam speciosam et tam mundam, am de eo prædicamus, sobrietatis, decolorasse tutem. Multa quidem offerebantur, apponebantur ılta et varia,sed inter plurima pauca ad usum et ım proprium retinebat, verumtamen inter oblata quibus ipse utebatur et delicatoria quidem et tiosiora hæc, quæ, etsi non sint prohibita, a so-ietatis tamen perfectione et a perfecte sobrio his esertim quos diximus,nimis justis videri possent ena. Tanquam et sicut illis rudibus adhuc disci-lis, sicut illi Christo, sic et isti insultent Christo mini, et clament. Ut quid perditio hæc ? potuit ım venundari et dari pauperibus : unde et cum us justorum talium super hoc inter discumben-m semel ipsum quasi subridendo notaret pontifi-n,aliquantisper zelo motus pontifex ei sic respon-: « Certe, inquit, frater, ni fallor, cum aviditate jori tu tuam sumis fabam quam ego appositam hi phasidem avem. » Et erat tunc avis hæc ante esulem in paropside. Et frater ille aliquandiu ernos conversatus,deliciosa non quærens,utpote

A qui ad hæc consuetudinem non habuerat, revera avidus erat comedo grossiorum.Et bonum quidem et prudens pontificis hoc et pro fratris consuetudine et pro veritate responsum. Nec enim refert, ut tradunt animarum medici Patres orthodoxi,quid quantumve quis sumat, si solum necessitati et valetudini suæ non voluptati indulgeat : unde et primus omnium parens non propter esum cervi vel caprei sed propter gustum pomi vetiti de paradiso ejectus exiit. Et Esau non propter gallinacium, sed vilis lentis edulium primogenita perdidit. Et David aquam nimis concupitam metuens bibere, in terram fudit et Helias mane et vespere allatas carnes comedit. Adeo non refert quid pro valitudine seu quantum pro necessitate sumatur; sola quæ virtuti sobrietatis
B semper in insidiis sedet relegetur concupiscentia, cui semper parum est quod necessitati sat est. « Est enim, ait quidam, natura humana contenta modico. » Nihil ergo refert quid quantumve sumatur, valitudini duntaxat aut necessitati hoc et non concupiscentiæ militet ; verum et magister : *Non est*, inquit, *regnum Dei esca et potus sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* xiv).

Hujus itaque nostri princeps triclinii, quia grossiora non poterat utpote minime enutritus in his, deliciosa quidem sed parce admodum sumebat et sobrie. Nam juxta quod et de se ait quodam, jumentum suum hordeo non pascebatur quod fuerat in deliciis enutritum a puero. Cui et consonat illud Sapientis : *Qui nutrierit*, inquit, *servum suum in*
C *deliciis a pueritia, postea sentiet eum contumacem* (*Prov.* xxix). Et quidem indiscrete omnino et contra religionis veritatem fit, si anima nutrita in croceis grossiora compellatur amplecti,et jumentum a pabulis arceatur consuetis.Alioquin si diutius arceatur sic et cito in via deficiet et prope interitum est, cui sic subtractis consuetis apponuntur nova. Quod non aliud quam si detur hordeum, cui non nisi triticum sapit, aut pro faba vicia aut pro avena lenticula : tale etiam et hoc, tanquam si det quis pro pane lapidem aut pro pisce porrigat scorpionem. Et quidem omnino irrationabiliter hoc ; verum et Magister de castigatione corporum agens inter cætera : *Rationabile*, inquit,*obsequium vestrum* (*Rom.* xii). Rationabile, inquit, ut videlicet corporis tui
D castigatio et mortificatio carnis cum discretione fiat, ut si forte spiritus promptus sit, tamen juxta vulgatum illud Græci proverbium : « Ne quid nimis.» Sed discretione magistra,omnium auriga virtutum et moderatrice operum, carnis infirmitati condescendatur et consueta non omnino negentur : ne si jumento debilitato pabula subtrahantur,contingat ipsum prius sub fasce ruere quam fascem portare et deficere prius quam currere. Sapiens dominus rationabile quærit obsequium ut, si est zelus, in obsequio sit et scientia, et zeli fervorem scientia temperet : unde et Magister, quasi de apostolo conversus in medicum, discipulo corporis sui immoderato castigatori aquam prohibet et modici vini

indulget bibere propter stomachum suum et frequentes suas infirmitates. Et quale quidem in discipulo hoc, tale et in hoc Magistri condiscipulo præsentis triclinii principe. Cui similiter et ex causa simili propter stomachum, quem semper a natura frigidissimum habuit, aquæ potus supra modum nocivus, unde et juxta admonitionem magistri et medici ad discipulum, et iste condiscipulus aqua nunquam raro sincera sed vino duntaxat utebatur, modice quidem sumpto et ad sobrietatem, sobrietatem certe supra quam commendabilem et admirandam et cuivis sacerdoti sed præsertim pontificibus imitandam: sicut enim ante mensam et in mensa et post mensam ita semper æqualis ut nec in facie nec in lingua, an sitibundus foret an potus, potuisset discerni. Et adhuc quod et miraculo accedit et gaudio, sicut ex secreta confessione quidam religiosi ipsius familiares id noverunt secretius, non magis cibatus quam jejunus, nec post vina plus quam ante ullam, vix sentiens carnis rebellionem. Revera, miraculosum hoc et singulare privilegium gratiæ inter vina et epulas et in carne concupiscentiæ nec dum maturioris ætatis exhauste beneficio tantæ et tam angelicæ vivere puritatis ut ne dicam opus sequi vel consensum, sed rara et sæpius nulla spiritui a carne moveatur rebellio.

Audivimus jam de præsentis nostri triclinii principe, in triclinio hoc quam magnificus, in mensa hac quam immensus, quam crudite circumspectus, quam curialiter eruditus, quam magnifice discumbens, quam gratiose distribuens, et quam civiliter sobrius quod ad sæculum, et quam religiose quod ad Deum. In utraque revera mensa magnus et immensus: magnus in mensa Dei, magnus in mensa sæculi. In altari sacerdos devotissimus, in triclinio pater familias providissimus, et si adhuc adjiciamus tertium quod supra posuimus medium, judex in tribunali æquissimus. Verum omnibus quæ mensæ sunt celebriter jam et festive expletis, tempus est ut surgamus de mensa. Si quidem hymno dicto pontifex cum eruditis suis exit jam et ingreditur thalamum. Et ut quod semel dicendum est, semel hic sufficiat dictum, eum per historiam hanc archipræsulem cum eruditis suis hoc vel illud fecisse crebro audieris, ideo dictum noveris quia in agendis sive his quæ ad Dominum sive his quæ ad sæculum, non admittebatur extraneus, præter quam soli eruditi sui et consiliarii forte alii, quales erant œconomi: vix etiam adventans clericus in discubitu in propria archipræsulis mensa inter eruditos hos, sed honorifice quidem et decenter in aliqua mensarum discumbebat seorsum, crebris tunc ab archipræsule mensalibus visitatus exeniis. Non admittebatur, inquam, inter eruditos in discubitu quis, nisi forte is esset quem archipræsul ex nomine vocans multum honorare decrevisset, magis semper sanctæ conversationis vel scientiæ quam dignitatis vel officii merito. Et ob id maxime hoc, ne in mensa in qua archipræ-

A sul ipse inter eruditos suos discumbebat, aliquod forte verbum, sicut tunc solet, elaberetur et præsertim coram extraneo quod tacuisse melius. Sic admodum suos honorans in mensa et sibi prospiciebat et suis. Et ut memoratorum gratia addam adhuc, antiquus decessorum suorum mos fuit, et sic ipse proposuerat patres sequens, ut in domo sua non retineret clericum et maxime qui consiliis interesset, quem nosset regibus hominio seu fidelitatis juramento obnoxium. Et ob id, ut ab ipso archipræsule accepi, sanctorum decessorum suorum vetus mos hic, quod soleat ab hoc jam ab antiquo inter reges et archipræsules profana nimis crebro suboriri dissensio. verum et archipræsulis de domo et familia clericus regi obligatus, ut diximus, dissensionis tempore quasi inter malleum et incudem erat positus,

B aut regi aut archipræsuli male fidus aut saltem suspectus, unde obsequens et obligatus sic non poterat nec etiam innocens, facile, aut hinc aut inde, famæ suæ saltem non sustinere dispendium, plerumque etiam cum enormi rerum jactura, quod attendentes sancti illi Patres, qui semper quasi in motu erant et accincti, et sibi et aliis prospexerunt in hoc, juxta illud Sapientiæ verbum quod nemo possit duobus dominis servire; sed ad historiæ ordinem revertamur. Itaque finito mensæ hymno, ut diximus, pontifex cum eruditis suis a mensa surgens, thalamum ingreditur, ubi aut in Scripturarum collatione est aut in agendorum consiliis. Et quidem quotidie sic, nisi forte pro tempore modico somno

C indulgeat; vos autem invitati pontifices qui sedistis ad mensam, scitote et vos similia debere parare

12. QUALIS FUERIT IN ORDINIBUS.

Verum necesse ut vos, præsertim comprovinciales, tempore statuto et congruo et hoc in brevi, ad novum metropolitanum vestrum revertamini. S[...] quidem in instanti septimi mensis solemni jejunio dispensatores in Dei mensa ordinare et constituer[e] disposuit; et vos ad hoc necessarii, ut quales mi[...]nistros in Dei mensa ordinare et constituere novu[s] pontifex debeat, aut docendo detis formam aut di[...]scendo a metropolitano vestro capiatis exemplum. Et profecto ut disposuit accidit. Nam post conse[...]crationem propriam, quam in octavis Pentecoste[s] tam festive tam celebriter factam supra diximus,

D in sequenti quatuor temporum septimi mensis je[...]junio ordines celebravit: eo quidem maturius, quo jam aliquandiu metropolitana sedes vacasset; [...] revera ut verum fatear et revera verum, supra cæ[...]tera et præ cæteris in hoc præsertim pastoris offici[i] pavidus admodum fuit et sollicitus. Legerat quipp[e] illud magistri ad discipulum: Manus cito nemi[ni] imposueris neque communicaveris peccatis alien[is]. Ex his quasi terribili quodam tonitrui sono et ips[e] præsertim tonitrui filiis metuendo toto corde co[...] cutiebatur et corpore. Illud supra modum, quod i[n] calce terribilis sermonis illius adjicitur, veritus: *Neque*, inquit, *commnnicaveris peccatis alienis* [...] *Tim.* v), unde et in exhortatorio quodam sermon[e]

uem ipsemet tunc ad ordinandos fecit, inter cætera ermonis et ipse hoc interpretatus est verbum: non umen novam inducens nec a veteri orthodoxorum iterpretatione dissidens. Cujus, ad multorum præ-ante Domino instructionem, interpretationis suæ ic propria verba interserere curavi quæ ipse tunc d ordinandos habuit ad ipsos loquens sic:

« Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, e manus meas cito vobis imponi patiamini, præter uam illis qui secundum officii sui gradum in Ec-esia Dei digne ministrare disposuerint, ne peccatis ienis communicem qui propriorum multitudine ni-is sentio me gravari. Certo enim certius est quod ui indignum scienter vel absque multa probatione rdinat, etiamsi ordinatus postea corrigatur, gra-ter Deum offendat: quod si ordinatus non corri-tur, ordinans ordinati peccatis se maculat, his axime quæ post ordinationis suæ diem ordinatus erpetrat. Verum Apostolus Timotheo præcipit di-ns; *Manus nemini cito imposueris neque commu-caveris peccatis alienis* (*ibid.*); vobis ergo, fratres, parte omnipotentis Dei et nostra interdicimus, quis jugum Domini a nobis sibi imponi permit-t, si se minus sufficientem attendat. Stet potius bono, quandiu non convalescit ad melius. »

Hæc inter cætera in sermone illo ad ordinandos rba ipsius propria: vide ex his si non exterritus, non tremebundus, si non sollicitus, verum et in dinandorum discussione indagator erat acerrimus: imum, ut ecclesiastica habet institutio, si vita gnus, secundo si scientia ornatus, pro gradu tamen em quærebat, tertio si vitæ et scientiæ et gradu em quæreret, ecclesiæ beneficium competens; postquam promoti palantes et vagi seu conductitii, ros ordines non religioni sed potius quæstui ha-rent et ostentui. Et tria quidem hæc jam non secun-m canonis sed potius secundum ipsius summi for-m Christi sacerdotis. Cujus in altaris mensa omnes sic ordinati ministri sunt: qui primum quidem pit facere et docere et in usum suum et suorum pauperum loculos habuit. Ecce tria hæc, vita, entia, beneficium. Audis enim et vides Christi lo-lum et Christi in Ecclesia accipe beneficium. Non onicam super canonicam, non ecclesiam super ec-siam, non beneficium super beneficium, ut si hoc mmonæ cumulus, sed aliquod ecclesiæ beneficium mpetens, ut hoc Christi sit locutus; non super-undans sed sufficiens. Tale quippe et solum tale risti locutus est, apostolorum divitiæ: *Habentes uint, alimenta et quibus tegamur*; *his contenti ius* (*I Tim.* VI). Tria igitur hæc noster pontifex, dinator novus ad illius magni pontificis Christi mam in his primis quos celebravit ordinibus in risti ministris expetebat: verum horum adeo in-gator acerbus ut vix ulli absque se ipso hanc in-ginem crederet. In tantum veritus ne, ut ipsemet u prædixit, alienis peccatis communicaret. Vel pro templi ministris in templo Dei idola erigeret,

A vel ne tanquam trapezita subdolus summi Regis nummum adulteraret.

Nam profecto contemptibilis vitæ et scientiæ homines regalis ministerii insignire charactere, hoc revera est Regis summi nummum quem creditum sibi habent pontifices, adulterare. Et non auro vel argento, sed horum vice stanno potius vel ære vel plumbo signaculum regis imprimere; unde et magni Regis falsarii hi exhæredandi et tradendi patibulo.

Quid ergo de his qui absque multa Ecclesiæ necessitate clericos suos, necdum in his quos jam susceperunt ordinibus canonice statuto tempore probatos, mox ad ordines superiores cogunt et crescere compellunt invitos? Hi, ut videtur, aut dominari in B clero appetunt aut reddunt se de turpi exactione suspectos, cum ab id accipere ut ordinatio procedat vel subsistat par scelus sit et Simoniæ crimine censeatur: Sed de hoc alias, vos autem qui ad hos ordines accessistis, supra convocati pontifices, videte si non in novo ordinatore hoc ordinandi canonica forma sit hæc, scio nec dubito quia canonica judicabitur. Verum et Ecclesiæ expedit ut si novo ordinatori huic non præformastis, vel nunc a metropolitano vestro novo deinceps teneatis formam hanc, ordinantium quippe creber valde in hoc et enormis excessus. Et eo quidem periculosior quod juxta quod ait doctorum unus vir apostolicus, judicari non potest semel ordinatus, verum et tanto subtilius prius examinandus est quanto ordinatus C deinceps judicari non poterit.

Verum unum erat quod nec sine causa plurimum movebat novum nostrum archipræsulem nostrum, novum ordinatorem. Cernebat enim et in sua et in provinciis aliis, proh dolor! his diebus nimis frequens, paucos a Deo vocatos tanquam Aaron, sed fere quotquot sola regum hominumve gratia ad apicem pontificalem ascendere; et deferri hic non vitæ, non scientiæ meritis, sed sanguinis generositati, pecuniæ, gratiæ, et potissimum principum obsequiis seu acclamationibus sæculi. Et hoc certe malum illud quod rex sapiens vidit sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis, positum videlicet stultum in dignitate sublimi et divites sedere deorsum; servos in equis et principes ambulantes quasi servos super terram. De quo et alibi D idem rex sapiens: *Sicut qui mittit lapidem in acervum mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem* (*Prov.* XXVI). Super quo ejusdem regis sapientis sucessor sed illegitimus et primus regum schismaticus Jeroboam qui primus et sicut regnum sibi et sacerdotium usurpavit, inter prima schismatici regni sui initia creberrime per prophetas arguitur, quod super populos quæ populus adoraret constituerit idola et fecerit fana in excelsis et sacerdotes de extremis populi. Et ita rex ille schismaticus sacerdotium sibi usurpando et quæ populus adoraret super populum idola constituit, et post qui idolis ministrarent de novissimis populi sacerdotes fecit: verum quia in

figura nostri omnia contingebant illis, scripta sunt A autem propter nos, o quot reges nostri post umbram illam futurorum sacerdotium sibi usurparunt et quotidie usurpant adhuc. Lege historias nostras, lege libros temporum, lege annales, qui de his, et vix inter reges reperies qui de anathemate non tulerit, qui de sacerdotio non usurpaverit qui ad arcam manum non miserit, qui de templo non asportaverit, qui in vasis templi non biberit, aut de templi vasis non contrectaverit, tanquam si eis regnum non sufficiat, nisi et sacerdotio se immisceant; verum tanquam veteribus omissis his ut ad nova revertamur, et nostra quæ de præfato illo primo rege schismatico vetus, eadem nunc nostri temporis nova querimonia est; pro illis certe regibus, qui nunc super populos post illa inveterata priorum similia quasi B nova fabricando idola constituunt et qui ministrent idolis priorum similes quasi novo sacerdotes de extremis populi faciunt, quid enim? sunt pro regum voto et nutu pontifices stulti et inscii, hic, et ibi super populos constituti in Ecclesia, nisi Jeroboam in Dan et in Bethel idola? juxta quod prophetarum unus: *O pastor*, inquit, *et idolum* (*Zach.* XI). Et quid qui ministrant his idolis de extremis populi sacerdotes, nisi illi qui nunc his subsunt pontificibus, sacerdotio fungentes, extremæ vitæ homines. Quos quidem sicut tales pontifices pariter et reges, tales faciunt sacerdotes. Non quidem ipsis manum imponendo sed tales præficiendo, qui tales faciant, qui talibus facile manus imponant. Tales, inquam, faciunt similes illis qui faciunt ea. Tanquam dii falsi C et simulacra gentium sicut hi et illi dii minores hi magni illi. O quam cavenda regibus et in sublimitate positis sacerdotii usurpatio, sicut ambitiosa et profana! Cavenda, inquam, ne Abiam suum perdant cum ambitioso Jeroboam; ne dividantur cum improviso Oza, et ne lepra percutiantur in fronte cum temerario Ozia; frontem nunc dico illam, quam in sacerdote auri lamina venustando operit in propheta *tau* litteræ impressio ab occisoribus protegit, et quam ad procacis et provocantis allophyli interitum fundæ lapidis ictus conquassavit. Prætereo nunc immensum illud propheticum deserti maris onus. Tantum videlicet Babyloniorum destructum imperium, eo solo quod ab aliis prius asportatis, in templi vasis principes Babyloniorum bibere et ea irreverenter attrectare præsumpserunt. Verum hoc præ- D senti sermone rex vel princeps non tangitur, qui cum rege sancto David et propheta, diligens decorem domus Dei, optat, operatur et studet, ut in domo Dei ad decorem domus et ecclesiæ portandam fabricam excisæ et fortes columnæ sint, et ut tales ad regimen populorum assumantur ex clero si forte reperiantur quæsiti. Nec enim tales se ingerunt quos sacra Scriptura commendat quos disponit, quos ordinat, et huic præsertim tam sancto officio deputat; cum revera tales et solis tales sint digni, alii etenim indigni penitus nostri officii viri; illi præsertim qui de bonis ecclesiæ divites contra formam omnem ecclesiasticam die noctuque castra laboriose sequentes solum ut crescant adhuc, ecclesiasticos et præsertim pontificales honores pro beneficiis quærunt; verum si objeceris talem quem Scriptura describit et quærit in clero nunc columnam nullam, eo quod sicut olim prædictum et nunc adimpletum, ætas nostra vivorum sic inops sit, respondeo: Utinam vel assumerentur potiores ex clero eo religiosius quo et studiosius inquisiti! Nec enim, ut jam diximus, tales ad honores se ingerunt; sed aut in scholis aut in claustris aut potius in montibus aut in speluncis aut in cavernis terræ a mundi contribulatione et contradictione se abscondunt.

Sed ut ad id propter quod digressi revertamur, cernimus quidem hodie multos sola regum gratia, utinam absque Regis regum offensa, aut quia non sine offensa utinam non sine venia, ad culmen pontificale ascendere: verum ut et dicam quod ego nunc sentio super his, in his metropolitanorum potius quam principum sicut videtur culpa gravior, ita et adversus metropolitanos instat querimonia acrior, quantum distat inter volentem et facientem seu inter voluntatem et opus. Principes quippe solum volunt, sed metropotitani et vol nt et faciunt, qui talium prius electionem roborant et postea manus imponunt. Quorum eti m ipse scrutiniorum liber, quem ordinarium suum vocant, sacrilegam impudentiam manifestans apertissime damnat. Si igitur hoc noster ordinator novus, hic noster archipræsul novus, hæc cernens vereatur, nec mirandum. Tales enim primo sibi oblatos, ut talium talem qualem electionem primum roboret et confirmet, et demum quod adhuc majus est, manum imponat et consecret, repellere videtur omnino injustum, cum in facie Ecclesiæ nec super crimine aliove convicti sint vel confessi, quo sint minus idonei, nec sit aliquod crimen notorium consecrandi. Econtra tale admittere admodum periculosum, utpote quibus pastorali officio vita ante acta non consonat, aut si forte consonat, omnium tamen judicio minime visa est consonasse: cum tamen jure divino et omnium testimonio solus sit ille assumendus ut dignior, cujus videatur conversatio sanctior. Verum ut in præsentiarum de conversatione omittamus et vita, hanc enim eo melius quo interius Deus quam homo videt, quod statim in evidenties scientia minime sufficit. Hujus dico consecrandi, seu ut consecretur electi, qui totam vitam per vana e otiosa sæculi ducens, necdum dicipulus, non ut i scholis velut aliquis arbitrarius, sed in ecclesiis verus ordinarius Scripturarum quæsit esse magister. Novus itaque archipræsul noster arctabatur ex his, et quod, ut ostendimus, et tales admittere foret periculosum et tamen tales respuere videretur injustum. Et præ cæteris archipræsul arctatus ex eo quod Magister ad discipulum, et apostolicus, imo verius magnus apostolus quasi ad metropolitanorum suorum unum hoc inter cætera scripserit: « Hujus, inquiens, rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros sicut eg

te disposui ; » quales autem constituendos disposuerit mox subjungit : « Si quis sine crimine est, » et cætera quæ in illo pontificalium virtutum catalogo sancto apostolica series seriatim contexit, juxta sanctorum orthodoxorum interpretationem nomine presbyterorum episcopos hic intelligens : in nomine ætatis nomen officii. Arctabatur itaque et maxime ex his salutaribus magistri monitis noster hic archipræsul, ordinator novus. Talis enim et solus vere et plene dignus, quem sic describendo pulchre depingit magister, pictor et ipse pulcher. Sed ut humanum adhuc dicam propter torporem et teporem nostri temporis, et si consecrandus omnino talis non sit, necesse tamen ut in horum nonnullis catalogi pontificalis gratiarum donis is qui consecrari quærit præfulgeat et hoc ipsum cernere consecratorem. Alioquin certe indigne et in proprium suum judicium consecrat nisi virtutum consecrandi ipse potissimum qui consecrat certis aliquibus argumentis bene conscius fuerit : et raclamante conscientia, alienis peccatis communicans cui cito nimis manus imponit. Itaque per magistrum, tanquam divini juris præconem, promulgata sunt in duo simul cœlestis imperatoris edicta mox indicens. Quorum primum illud dixerat : *Omne quod non est ex fide peccatum est* (*Rom.* XIV), et hoc secundo : *Manus cito nemini imposueris neque communicaveris peccatis alienis* (*I Tim* V). In hoc ipso tamen periculosa dispensatio, si potiori neglecto præferatur inferior, juxta illud prophetæ : *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum et votum faciens immolat debile Domino* (*Malach.* I). Et ita in magnis sacerdotibus grande quidem et quod vix vitari possit periculum. Minores, quippe sacerdotes eo minus periculosius, quo liberius possunt et in vita examinari et in scientia differri, repelli, ejici, amoveri : sed istos tales et tantos, quanto majores et indigniores, fugere aut fugare quis audet aut potest ? Aut superstitiosus aut temerarius haberetur qui de novo hoc attentaret. Adeo jam a multo tempore invaluerunt tales et multiplicati sunt super numerum. Pontifex itaque noster novus non sine causa arctabatur et his : et arctatus sic in primis sui ipsius accusator erat acerrimus, eo videlicet quod ipse sicut se accusabat talium quod descripsimus similis, homo vanus et superbus contra omnem juris formam ab aula ad ecclesiam sicut deformiter et enormiter sic fuisset assumptus. Cui cum tunc eruditorum suorum aliquis in medium exemplatim proponeret multos ab aula et alios multos a sæculo ad pastorale culmen assumptos, et frequenter multos simplices, inscios et Scripturarum ignaros, sancte tamen et strenue curam pastoralem implesse, et ibi etiam maxime abundasse gratiam ubi superabundavit peccatum, respondit mox, ad illum de eruditis suis qui sic locutus fuerat specialiter verbum dirigens : « Frater, inquiens, et hæc quidem quæ tu recolis miserentis Dei miracula sunt ad consequentiam minime trahenda : alioquin juxta illa, quæ tu inducis exempla passim et sine delectu eligatur in Ecclesia, sicut justus et impius, sicut mundus et immundus, et cum docto indoctus, et videamus si adhuc potens sit Deus, et si est virtus in Excelso : et spreto judicio ecclesiastico totum divino committamus miraculo, cum possit Altissimus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ ; et sæpe, ut tu per exempla tua indicas, fecerit sic. » Et in finem : « Unum, inquiens, certissime statui, quod conscientia mea reclamante si, Domino disponente, sic evenerit, nec destinati pontificis oblatam meam electionem confirmabo nec consecrabo electum, unde et suppliciter Altissimum invoco ut hoc meum propositum et desiderium, quod justum esse non dubito, ipse misericors et miserator Dominus in dies augeat, roboret et confirmet. » Et quidem novum nostrum archipræsulem, sacerdotum, ut præostendimus, ordinatorem tam districtum et episcoporum ut ex jam dictis patet, consecratorem tam timoratum, exauditum a Domino evidenter quidem et cito historiæ hujus declarabunt sequentia.

13. CUR IN DESCRIBENDIS OPERIBUS PONTIFICIS MORETUR.

Hucusque prosecuti sumus, prout, datum, quantus Thomas hic noster fuerit in aula et quantus post cœperit esse in Ecclesia, mox adepto pontificii gradu quam strenue prius Henrico illustri regi Anglorum et quam gloriose post militare cœperit Christo summo regi Anglorum ; in aula reddens quæ sunt Cæsaris Cæsari et in Ecclesia Deo quæ sunt Dei : verum in his pontificis operibus exsequendis, sicut supra quod verebar non tacui, et hic iterum propter obtrectatores quos vereor non iterare non possum. In his, inquam, pontificis exsequendis operibus forte nimis morosus videor et in ipsorum commendatione operum tædians inculcator verborum, et potius theologicæ ædificationi quam gestorum viri historicæ explanationi insistere, et ita nimis theologum, historicum vero parum sapere : verum quivis notans nos sic saltem non judicet, sed advertat prius nos non solum pontificis opera sed et causas operum, quod et supra jam nos dixisse meminimus, explicare : quasi non solum facta, sed et animum facientis quem ab ipso sic accepi factore. Unde et factorum causas eo diligentius prosequor, quo eo ab ipso auctore sic acceperim, et factorum causas prosequens ideo in describendis ipsis sum morosior. Curramus enim per singula quæ jam descripsimus opera et liquido videbitur quod sic. Curramus, inquam, per singula, primo ad novi tironis cilicium, ad novi sacerdotis orarium, ad dispensatoris furtivum de nocte mandatum, ad solemnem illum in altari festinanter comestum agnum anniculum, ad judicem in tribunali indeclinabiliter æquum, ad patremfamilias in mensa tam civiliter et tam religiose sobrium, ad magistrum in schola discipulorum examinatorem tam districtum. Curramus, inquam, per singula hæc, et horum omnium pervidebis vel quam ipsomet didici vel quam per me ipsum indubitanter accepi, causam quidem evidenter et ob id minus

breviter historiæ huic insertam. Et propterea quia tanti pontificis facta et causas factorum inseruimus tam ampla et tam digna, sicut infra molestam brevitatem concludere non valui, ita et elaborata brevitate tam clara et tam spectabilia obscurare et coarctare formidavi. Igitur quia post descripta pontificis opera et ipsorum operum causas, mox subscribendo conscripsimus, patet profecto quod ex his ædificatio fructuosior, instructio perfectior, et proinde necesse ut per verborum fila prolixioris sermonis tela texeretur extensior. Et ob idem forte historiæ legem excedens plus theologum sapio : nec enim absque theologia, absque Dei sermone, Dei operum virtus declarari potest aut debet.

Igitur, si excessi in hoc, me ad id virtus operum compulit. Et si quis forte est, excusabit excessum ; aut si non est, augebit meritum et uberiorem ædificationis faciet fructum.

Et quidem ad operandum multum est ut quis divina operans operum suorum causam et virtutem intelligat ; verum et propheta ad operandum operum quærit intellectum, ut non solum sciat quid facere debeat, sed et cum facit, cur faciat. *Da mihi, inquit, intellectum et scrutabor legem tuam et custodiam illam* (*Psal.* CXVIII). Ecce quod ante practicam et sanctarum operationum theoricam postulat, ut quemadmodum medici corporum salutem corporis, ita et hic salutem spiritus secundum præeuntis theoriæ operetur intellectum. Sancta quippe operatio, quanto plus intellecta tanto ædificat fructuosius et vivificat fortius et pro tempore vel agitur vel dissimulatur securius. Siquidem opus absque scientia corpus sine anima, terra sine aqua, et velut sicca absque pluvia nubes, unde etiam et charitas quæ cum scientia habetur alii omni supereminet charitati. Quod discipulos scire inter cætera optat Magister eis scribens sic : *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi* (*Ephes.* III). Quodvis enim bonum, si diligatur, tanto diligitur affectuosius, quanto scitur perfectius. Quod si forte tentationis alicujus vehementia amittitur, is qui scientiæ spiritum habet, tanto illud iterum facilius recepit quanto pro amisso pœnitere fructuosius et modum et viam ut ad illud revertatur novit perfectius, juxta quod rex ille sapiens : Qui apponit, inquit, scientiam, apponit dolorem. Ille enim profecto de virtutis bono amisso cum pœnitet acrius dolet qui scientiam habet. Quod enim est acetum sapori quod oleum igni, quod ligna pyræ, quod diagridium medicinæ, hoc est scientia pœnitentiæ. Alioquin quod magister obsecrat, non erit obsequium rationabile obsequii causa incognita Nam, sicut melius est Domini mandatum facere quam nosse, ita prius est nosse quam facere ; facere enim et ignorare cum facias, sicut non perfectæ cognitionis, non perfectæ obedientiæ est : cui ignorantia detrahit et minus reddit devotam, unde et prophetarum unus : Et tu, Israel, noli ignorare. Et Magister : *Propterea nolite fieri imprudentes sed intelligentes quæsit voluntas Dei* (*Ephes.* V), quam profecto cum feceris et causam noveris faciendi, tunc quod magister optat discipulis in omnem plenitudinem Dei impleberis. Sed ut ad priora redeamus, sicut jam diximus, in novis his novi pontificis virtutum operibus cum ipsis operibus causas et virtutem ostendimus operum ; et ideo prolixiores sumus in exsequendis his, verum prolixitas hæc, sicut ædificationi cedit, et laudi. Nam quicunque hæc qualitercunque exarata et qualicunque excepta calamo ob tanti pontificis devotionem et memoriam legere dignabuntur, non solum opera sed et virtutem operum suorum dicent et magnitudinem ejus narrabunt.

14. DE PRÆDIIS QUÆ REPETEBAT A LAICIS.

Verum ab his, quibus tam gloriose vitam suam instituit pontifex, sicut mihi datum utcunque expeditis, cum pontifice procedendum ad alia. Jam enim qui hucusque in portu ecclesiæ navigarat sæculi mare ingredi incipit et sæcularia attrectare. Quod persæpe necesse pontifici, sed sapienti pontifici dulce nunquam. Jam quibusdam regni magnatibus viris magnis et potentibus, de prædiis per prædecessorum suorum impotentiam seu incuriam ecclesiæ suæ ablatis, quæstionem movet, quædam repetendo, nonnulla vero ubi manifesta videbatur injuria absque quæstione revocando, qualia erant illa prædia, quæ vulgo in tera dicuntur firmæ feodales ; quas omnes archipræsul, tanquam ad mensam suam propriam pertinentes, mox inter pontificii initia, illis qui firmarii dicuntur exclusis ad proprium suum dominium revocat, nullo fiscal judice requisito. Conventus vero quare hoc facere respondit nullo modo se litigaturum super his quæ ad dominium suum pertinere fuisset notissimum, etsi quocunque titulo injuste alienata. Et ita prædia illa pro voluntate sua ordinavit et tenuit donec exturbatus et hæc et alia propter justitiam proscriptus perdidisset ; quod plenius enarrabun sequentia. Et præterea instantissime repetebat feodum illud, quod dicebatur Willelmi de Ros, feodum ni fallor, septem militum, quod defuncto archipræsule Patre Theobaldo mox fuerat confiscatum, verum archipræsul mota duntaxat super feodo hoc quæstione substitit hic, regis qui tunc extra regnum agebat adventum sustinens. De quo tamen feodo propter alia quæ emerserunt, nec tunc in proximo regis adventu verbum movit sed distulit. Erat etiam inter archipræsulem et nobilem virum comitem de Clara dura tunc contentio, eo quod archipræsul exigeret super castro illo quod dicitur de Tunebrige, et omni territorio quod castri est sibi hominium fieri : et præsertim super omni eo quod infra leugam castro circumjacentem est, quæ vulgo *banleuga* dicitur, sive ut dicatur Latinius *bannum leugæ*. Comes vero hominium obtulit, sed super quo, quod quærebat archipræsul, exprimere recusavit. Præterea repetebat turris Rophensis custodiam, quam et de Ecclesiæ suæ jure protestabatur

super hoc instrumentum publicum, chartam videlicet divæ recordationis Willelmi illustris quondam Anglorum regis, qui regnum strenue in manu forti certamine bellico acquisierat, producens. His itaque et hujuscemodi motis quæstionibus et prædiorum revocatis his, repetitis illis, oriuntur pontifici mox contentiones et lites adversarii multi, sed propter regis metum occultiores, eximiam illam ut supra ostendimus, quam pontifex habebat adhuc, regis gratiam sicut reverentes et verentes, et ob hanc pontificis non modicum metuentes offensam. Verumtamen qui se læsos sentiebant aut lædendos verebantur, regem extra regnum agentem adhuc nonnulli adeunt, et querentes exponunt aliqui se passos alii vero se passuros injuriam per pontificem, nisi regia clementia justitiæ adhibeat manum. Et constantem regis ad pontificem gratiam vel in aliquo labefactare attentantes, addunt quod nimia regis gratia cornua daret pontifici ad excedendum. Sed rex, qui opere et veritate eum diligebat, nihil motus ex his, a talibus avertebat auditum : et quia in articulo erat transfretandi, in adventum suum in Angliam querentes distulit.

Et ecce quia post modicum crebro, sicut decet et solet, ante prænuntiatus rex apud australem portum, qui dicitur Suthamtune, nuntiatur applicuisse. Applicuit autem rex primo anno consecrationis pontificis, ni fallor, cito post Salvatoris natalitios dies. Cui confestim archipræsul una cum egregio illo puero, quem jam sæpe nominavimus, Henrico, regis filio et regni hærede, obviam venit, utpote qui regis jam ante per aliquot dies mari appropinquans prope præstolabatur adventum. Et ecce una cum regis filio regis hospitium ingrediente pontifice, rege, et universis occurrentibus per totam aulam gaudium magnum et exsultatio ; rege et pontifice in mutua ruentibus oscula et amplexus et esse invicem honore prævenientibus, imo et contendentibus prævenire: ita ut videretur quia rex pro filio parum, sed totum se pro pontifice effunderet, et in pontificem, et in omne se gaudium dilataret, utpote qui nunc primo suum quondam aulæ Thomam videret pontificem : sed maxime et supra alia in gaudio dilatatus ob hoc, quod de sanctitate pontificis ex aula sua sic assumpti tot et tanta, quæ supra descripsimus, secreto jam et pro certo acceperat. Pontifex vero regi ex maris fatigatione et tædio condescendens cito post salutationem mutuam et invicem sic concelebratum gaudium abscedit et in hospitium, quid prope erat, se recipit. Et mane convenientes diei crastinæ simul conficiunt iter, toto itinere soli duo, cæteris amotis omnibus, familiariter et secreto colloquentes et sibi invicem applaudentes. Cum vero per dies aliquot sic fuissent, pontifex cum præfato alumno suo regis filio a rege in gratia summa abscedit. Præfati vero queruli, videntes et audientes sic abscondunt se et querelas dissimulant.

15. DE PROFECTIONE EJUS AD CONCILIUM TURONENSE.

Et ecce quia post modicum felicis memoriæ tertius A Alexander papa per universam catholicorum Ecclesiam, erat quippe in Romana Ecclesia tunc schisma, concilium convocat: verum et archipræsul noster, in omnibus magnus, magnificentissime quidem ad transfretandum se parat. Et rege, quem tanquam dominum et supra hominem diligebat, adito, alumnum suum regi patri restituit: et inter ipsum et regem per dies dulci ei familiari colloquio habito, rege saluto, in Cantia in proprio pago suo, qui dicitur Rumenel supra mare sito auram exspectat prosperam. Qua post paucos dies data, mare ingreditur et in Flandria, in portu qui dicitur Graveshende, applicuit prospere cum magno quidem et magnifico apparatu. Cui mox in ipsa maris ripa nobilis Flandriæ et Viromandiæ comes Philippus et in crastino terræ illius B proceres et nobiles occurrerunt, omnem honorem exhibentes et certatim et sua et quæ poterant offerentes. Deinde vere per Normanniam et Cenomanniam transiens, in omni illustris regis Anglorum ditione, per civitates, per castella et vicos adeo honorifice quidem tanquam si rex ipse excipitur. Turonis vero jam appropinquans tertio, ni fallor, die ante celebrandum concilium civitatem ingressus. Audito archipræsulis Cantuariensis adventu mox universa civitas commovetur et obviam exeunt universi, non solum cives et indigenæ, sed et personæ ecclesiasticæ quæ ad concilium jam fere omnes convenerant, diversarum nationum archipræsules et pontifices, Et quod minime tacendum, præter Romanæ Ecclesiæ morem, domini Patres et rectores Ecclesiæ, cardinales C universi, longe priusquam civitatem ingrederetur, occurrunt ; præterquam duo tantum qui domino papæ, ne in tam celebri frequentia absque lateribus esset, considebant. Tanta vero fuit sequentium turba ut, archipræsule ad dominum papam ingrediente palatium, ipse papa, quasi ex necessitate ne comprimeretur, in quo erat evir et thalamum et ingrederetur palatium. Quasi prophetiæ spiritu impellente, ipse papa, qui nemini vix assurgit, archipræsuli quasi obviam veniens et jam quasi in occursu reverentiam exhibens. Totus quippe occursus hic, ut videtur, sicut honorus et propheticus et in Christo Domini quasi alter Domini Ypapanti tanquam vaticinium futurorum. Quod et nos hodie impletum cernimus, quando jam ab universo Ecclesiarum orbe, et ab Oriente et ab Occidente per multas difficultates ad D ipsum veniunt et adorant magis quam occurrant. Et dominus quidem papa archipræsulem benignissime tunc suscepit. Et eo quidem benignius, quod ex multo tempore cupiens erat videre eum et jam multa bona audierat de eo. Et ut videbatur super itinere ei compassus, cito dimissit eum et in hæc verba : « Vade, inquiens, frater, quiesce ; necessaria est quies post laborem. » Et ita tunc recessimus, et in arcem regis, quæ prope papæ palatium erat, hospitio nos recepimus.

Videres mox in crastino ad hospitium hoc confluere multitudines. Nam, sicut audientes, sic videntes qui convenerant pontificis magnificentiam

quotquot diebus confluebant ad ipsum diversorum regnorum personæ ecclesiasticæ, gratiam et familiaritatem quærentes et offerentes. Præterea nobiles terræ et potentes crebro euntes et revertentes ad nos, et hi præsertim qui regiam jurisdictionem exercebant, scientes pontificem in summa regis gratia, assidui circa nos aut parati ad obsequendum aut obsequentes. Et quod cæteris majus adhuc, Romana Ecclesia nostrum archipræsulem, tanquam ex multis qui convenerant primogenitum, quodam quasi primogeniti honore et cultu honestabat præ cæteris. Jam vero per aliquot dies celebrato concilio, ad archipræsulis nostri petitionem nonnullis Ecclesiæ suæ privilegiis renovatis, vir apostolicus in osculo pacis dimisit [eum cum benedictione sua et gratia. Et quidam æquore et aere faventibus, in Angliam cito cum gaudio reversus est, secundo jam anno consecrationis suæ. Et a rege, pro more et debito, tanquam pater a filio in omni gaudio suscipitur].

. . . .

[*Hic intervenit in cod. Atrab. hiatus unius folii cujus initium et finis ita ex Quadrilogo suppleri posse videntur* :

. . . .

De consecratione episcoporum Wigorniensis et Herefordiensis.

His diebus duæ vacabant sedes episcopales in provincia, Wirgoniensis videlicet et Herefordiensis, prioris sedis pontifice jam mortuo, sed altero ab Herefordiensi ad Londoniensem sedem translato. Translatus Gilbertus Folioth vocatus erat nomine proprio, cognomento Folioth.]

. . . operiatur alterum, aut si nudetur unus pauperum ut nudus alter vestiatur. Quia juxta Scripturam redemptio animæ viri divitiæ propriæ. Euntes enim ibant et flebant, non aliena sed semina sua mittentes. Juxta quod et legimus Dominum de tuis justis laboribus honorandum. Alioquin juxta Sapientem: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum quid aliud agit quam in patris conspectu victimare filium*? (*Eccli.* XXXIV.) Et ut majora addamus adhuc toto tempore, quo occupatæ ecclesiæ vacant, sic perit opus, perit opera, perit penitus cura pastoralis et pastorale officium. Et sic totius gregis salus in periculo. Quod si monasterium occupatum sic, perit in monasterio sine patre coercitio, perit sine virga eruditio, perit sine chamo districtio, perit sine doctore disciplina, perit sine prælato obedientia. Et sic quasi per libertatem noxiam emancipata in claustris perniciosa dissolutio imperat. Qui prius sancte et districte monasticæ regulæ servi fuerant factis ejusdem regulæ liberis. Et profecto pro his gravis et præsertim in archipræsules querimonia, quorum provisioni et sollicitudini tota provincialis Ecclesia commissa. Quorum dissimulationibus reges plerumque transeunt in tyrannos: quos, proh dolor! ipsi archipræsules palpant, demulcent, et deliniunt, quibus potius tanquam patres filiis imperare debuissent. Unde et magister ad metropolitanorum

A suorum unum: *Argue*, inquit, *cum omni imperio*. (*Tit.* II); verum ut taceam nunc de metu seu negligentia aut forte imprudentia magistorum, horum et Patrum sunt nonnulli, qui ex sola mansuetudine, ne dicam nunc remissione, ab hujuscemodi correptionibus retardantur. Qui profecto minorem quam oporteret exhibent justitiæ libertatem, dum amicitiæ verentur exasperare dulcedinem. Sic Adam peccavit cum conjuge, et Heli cum sobole profana. In quo et se et alios quos diligunt, cum multa etiam interdum populorum strage lædunt, dum, ne amicitiam offendant, errorem libere non produnt, et reprehendenda pro auctoritate qua funguntur imperiose non arguunt. Et ita dum uni sic parcunt, multi corruunt. Isti certe sic demulcentes, sic dissimulantes, sic
B correptionem suspendentes, non patribus diligentibus, seu pastoribus sollicitis comparandi, sed, ut ait doctorum unus, potius furibus qui seducendo avertendis pecoribus spargunt pabulum, non comminando errantibus ut revocentur intentant flagellum: quod bene attendit sapiens ille, qui olim jam dixerat utiliores esse plerumque inimicos jurgantes, quam amicos objurgare metuentes. Illi enim, dum rixantur, crimina nostra sæpe produnt quæ credebamus occulta, unde et magis confundimur; isti vero dum tacent, in nostris nos criminibus magis fovent, eo longius quo liberius, absque coercitionis freno, pro voluntate in invio et nos in via currentes. Interdum in invio hoc visa nobis via recta, ejus tamen novissima ad mortem ducunt: interdum etiam viam
C pravam et scientes et prudentes carpentes, minime tamen arbitrantes quod tam vicina, tam directa sit ad præcipitium, unde et quemadmodum juxta prophetiam: *Cultus justitiæ est silentium* (*Isa.* XXXII), ita et juxta eumdem et ipsum idem silentium justitiæ interdum est præcipitium: *Væ*, inquit, *mihi quia tacui* (*Isa.* VI). Prophetica hic væ sibi intentat, væ metuit, et præsertim ob id quod Achab regem imperiose et libere qua decuit auctoritate non corripuerit, propter quod etiam et labia polluta contraxisse se accusat. Hæc ergo omnia archipræsul noster novus ad se reversus recolens et attendens id sui esse officii, regem quem supra hominem diligebat, nunc rogabat, nunc supplicabat, nunc monebat, ut sedes diu vacantes ordinari permitteret, nunc vero amice
D corripiebat, objurgans quod eas vacantes tam diu occuparet, et in temporalibus et in spiritualibus quæ inde increscebant mala non tacens: et præsertim motus ob duas illas pontificales cathedras, quas tunc temporis jam supra vacuas diximus.

16. DE DUOBUS ELECTIS IN PONTIFICES.

Et rex tandem ad multem archipræsulis instantiam pontifices fieri annuit. Et ita ad duas sedes prænominatas pontifices sunt electi, viri certe omni sanctitate perspicui; ad primam quam diximus sedem Wigorniensem quidam est electus ætate juvenis, sed moribus et gravitate senex, nomine Rogerus, magnatus hic, magni viri Roberti quondam Glauconensis comitis filius; cujus adhuc virtus ic si-

;nior sanguinis generositatem superabat. O si nihi nunc liceret et cœptæ historiæ lex sic per- nitteret, virum istum pro virtutum suarum meri- is condignis efferre præconiis! Certe totam hanc nartyris historiam quasi cœlestis firmamenti stella natutina illustraret, aut velut carbunculus aliquis rdentissimus in his præsentis vitæ nostræ tene- ris præ cæteris ardens et lucens; quem quoties d mentem revoco, et alterum mihi effigio Simonem, niæ filium, sacerdotem magnum, qui in vita sua ıffulsit domum, et in diebus suis corroboravit tem- lum: qui quasi arcus effulgens inter nebulas, et uasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, et quasi flos sarum in diebus veris, quasi thus in igne ardens vas auri solidum, vas pretiosum, vas sanctifi- ıtum in honore et vere utile in domo Domini. Ve- ım præsentis materiæ meæ proposito reclamante, r amœna virtutum ipsius prata stylo nostro effo- ente, nequaquam nunc rivus, sed nec etiam rivulus icendus est, nec tanquam amœnans et speciosa rum gratiarum suarum varietas depingenda: iantæ videlicet fuerit puritatis lilium, quantæ ve- cundiæ rosa, quam cœlestis conversationis viola; iam jucundæ societatis musica; et super omnia ianta justitiæ columna, et ad cæterorum præsi- ım quam infringibilis constantiæ adamas.

His ergo solum sic tactis, quia nec modo locus t ut moremur in his, hic ætate juvenis, sed mo- ıus grandævus et virtutibus, communi omnium quos id spectabat voto electus, primus fuit quem ster novus archipræsul in episcopum Wigornien- n consecravit. Qui postea et in prosperis et in versis ipsi semper obediens etiam usque ad dam- , usque ad proscriptionem et pericula multa: pe judicans si imperator in castris, miles domi, asi inter mulierum colos seu calathos puellarum, nearum et unguentorum uteretur fomentis. Sed ia præsentis historiæ sequentia nos compellunt, præsens pertranseamus de hoc.

Accedamus ad alium Robertum nomine, cogno- nto de Meleduno et sæcularium et sacrarum lit- arum in scholis magistrum præclarum, in vita ım quam in scientia multo magis adhuc præcla- rem. Cujus et ille sacerdos magnus, de quo pro- ıe sermo, prius consecratus in scholis disci- lus fuerat. Hic quippe doctor magnus tam vita ım scientia, tanquam luminare magnum per uni- sum ecclesiarum orbem erat rutilans, et disci- orum multitudinem eruditam tanquam varios orbem lucis suæ radios a se emittens. Hic se- ıdus et etiam novissimus quem novus archipræsul ter cum cleri et populi unanimi totius univer- tis assensu in Herefordiensem episcopum conse- vit. Et ita in duobus his consecratis pontificibus ıi, sicut mundus novit, sanctitate conspicuis, ter quos novus consecrator noster alios non secravit, ipsius quod supra in historia hac jam ati sumus, et propositum stetit firmum et ab ssimo desiderium est expletum, quo, ut supra ostendimus, disposuerat, quo Altissimo supplicans postulaverat ut, archipræsulatus sui tempore contra conscientiam suam nemini præterquam digno consecrationis præsertim imponeret manum.

Post modicum vero archipræsul, plerisque comprovincialibus episcopis convocatis, nobile illud et regale monasterium de Redinges, in quo divæ recordationis Henricus, quondam Anglorum rex, secundi Henrici nunc illustris regis nostri avus in mausoleo gloriose quiescit, cujus et ipse fundator; magnifice dedicavit, rege volente sic et præsente, Et eodem etiam anno Londoniæ apud monasterium præclarum pariter et regale quod dicitur Westmuntier, gloriosi et vere sancti regis Edwardi corpus, tanquam clarum admodum et pretiosum perfectæ vas continentiæ, de terræ pulvere extulit et ob multa et præclara regiæ vitæ merita solemniter quidem et sublimiter ibidem in Ecclesia inter sanctorum corpora collocavit, rege itidem volente sic et præsente. Et erat, sicut prælocuti sumus, illustris regis et sancti pontificis cor unum et a ima una in Deo, regno per hoc et sacerdotio in summa pace et tranquillitate concurrentibus, Deo pacis et dilectionis sic agente.

Sed, proh dolor et vere dolor! nihil in humanis diuturnum, nihil permanens, sed juxta dictum Sapientis et id optime experti: *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo: tempus flendi et tempus ridendi; tempus dilectionis et tempus odii; tempus belli et tempus pacis: omnia tempus habent* (*Eccle.* III). Magna certe nomina et chara fœdera tanti regis et tanti pontificis. Revera tantum regem et tantum pontificem in alio mundi regno inveniri simul difficile esset et tantam inter tantos concordiam. Grandis quidem concordia, sed brevis hora. In brevi quippe extrema concordiæ dissensio occupat, nec per alium quam per totius pacis et dilectionis inimicum misere et infeliciter istud tantum et tam firmum concordiæ vinculum dissolutum, ad regni et sacerdotii unitatem solidandam tam necessarium.

Sed quid nomino vinculum? siquidem in moribundis mortalium cordibus, sicut in nobismet quotidie experimur, per tot cogitationum inania, per tot curas et causas, per occupationes tot in semetipsis divisis, dilaceratis, discissis et divulsis, quæ bilinguium et susurronum stimulis et suspicionum aculeis adeo pervia sunt, firmum, ut nunc experto probatum, ad alterum amicitiæ vinculum omnino videtur nullum. Potest quidem talis qualis esse quasi lutea seu parietina et ruinosa quædam conjunctio, mox mox ad primam et modicam aquarum inundationem, seu ad primum et brevem aquilonis flatum dissolvenda. Quomodo enim deinceps manebit hoc inter alios, cum inter tantum regem et tantum archipræsulem amicitiæ vinculum contra omnem mundi spem sic sic ex insperato sit solutum? Quisve deinceps non mutuat inimicum sibi futurum adhuc quantumcunque alter alteri amicissimus

sit ? Quibus quantumcunque se amantibus, si regis Henrici et archipræsulis Thomæ meminerint, non formidanda aut suspecta saltem aliquo adhuc tempore futura inimica dissensio? vere, etsi alicubi quod hoc ipsum et raro, nusquam tamen nec unquam in aula, præsertim inter tot assentatores, tot invidos inter bilingues, tot susurrones et suspiciones tot, secura nunquam dilectio, sed inter mortales et in aula potissimum sicut infida et instabilis semper et incerta, vanitati ut videtur cum reliqua creatura subjecta? Quæ et præsertim inter potentes qui velut quædam vitrea dilectionis vasa sunt, si modicum impingat, ex modico læditur, ex modico offensa frangitur. Et in potentibus delicata et tenera ex modico sauciatur et in brevi exspirat. O inter cætera et præ cæteris misera hæc et miseranda in mortalibus humanarum rerum conditio ! Hodie in dilectionis dulcedine delectatur, cras in amaritudine odii moratur spiritus meus. Hodie tu mihi quasi cor meum, cras quasi ulcus aut vulnus lethale mihi : vere tentatio est vita humana super terram.

O sicut incredibilis et vere tristis regis et archipræsulis tantæ amicitiæ in inimicitias tantas, ut cito monstrabunt sequentia, sæva et cita et dira nimis et dura conversio ! Sicut certe incredibile, sic et admodum triste conversionis hujus miraculum hoc. O quandam amicitia quæ sic modo emortua, tamen luctus et doloris et regno et sacerdotio ingessisti, quantum adhuc dum superstes exsultatione circumdedisti et lætitia ! Nam ut anticipem hic, et nunc quia locus aliquantulum sic exigit in posterum loco suo plenius dicenda præveniam ; o quot et quanta ex dissensione hac regis et pontificis acciderunt et regno et sacerdotio mala ! Nam, ut cætera taceam, quæ jam forte regno nobis ignorantibus acciderunt, a quibus et ab aliis in futurum regnum incolume conservare dignetur Omnipotens et immune ; profecto ex dissensione hac, ut sequentia declarabunt, egregii illius pueri quem jam sæpe nominavimus, Henrici regis nostri Henrici filii et regni hæredis, accelerata est unctio in regem immatura : et postea bis inter regem patrem et regem filium gravis subsecuta et nefanda rebellio. Et demum, ni fallor, ob rebellionis peccatum in patrem regis filii cita mors nimis et festina. Et quidem regni proprie malum hoc ex dissensione hac. Inde etiam et in sacerdotio mala multa et pericula. Et in primis quidem cleri totius per regnum desolatio misera et miseranda per Ecclesiæ inimicos, ejusdem cleri absque defensore oppressio miserabilis per annos vacantium ecclesiarum destitutio, archipræsule peregrinante. Et quod adhuc gravius quæ ad omnium salutem, omni tunc sacramentorum usu cessante, utpote in vacantibus ecclesiis deficiente omni pastoralis officii cura. Juxta quod celebre illud Christi floribus quondam vernans Ægypti desertum monachorum multitudine per cellulas, tanquam mellificantium apium examinibus per alvearia circumseptum, imo et Ægyptus tota quondam religione florente, tanquam paradisus po morum omnium et plena Spiritus sancti apotheca demum tamen ex defectu pastorum in paganismum reversa traditur, in defectum canum sic grassanti bus lupis. Et ut ad prænumerata prætactæ dissen sionis mala addam adhuc, demum ex dissensione hac inimica et omnibus post futuris sæculis dete standa processit ipsius archipræsulis mors : quæ etsi universus ecclesiarum orbis concelebrat, pr tiosa in se et toti sicut nunc cernimus fructuos Ecclesiæ, in multorum tamen et magnorum ignom niam cessit et perniciem. Ecce quantum, quam de testabile in sacerdotio ex dissensione hac malum quæ tanquam lethalis quædam pestis nocifera et pe regnum et per sacerdotium longum nimis et circun plexum traxit post se funem malorum.

Nos autem qui præsentes, vidimus et audivimus sed et qui superstites adhuc nec audierunt nec v derunt et potissimum qui post nos futuri sunt, di sensionis hic causam legant. Et fuit hoc quide quod nunc dicemus dissensionis initium, sed ne dum finis.

17. DE INITIO DISSENSIONIS INTER REGEM ET ARCHIPRÆSULEM.

Contigit ut quidam operarii diabolici, nomi duntaxat clerici, sed de sorte Satanæ, de malefici accusati et capti tenerentur in vinculis, talibus crebro solet in regno enormia patrantibus flagi et violantibus pacem. Inter quos sacerdos unus homicidio infamis et accusatus a propinquis d functi. Iste ob privilegium ordinis ad diœcesanu episcopum Salesberiensem captus dirigitur, re officialibus et propinquis defuncti qui accusaba acriter instantibus ut episcopus exhiberet jus tiam. Sed sacerdote constanter inficiente, cum n posset super homicidio per accusatores convin canonica indicitur purgatio accusato, accusatorib præsertim fama consentiente et ipsis etiam prob biliter arguentibus accusatum. Sed eo in purgatio deficiente, mittit episcopus ad archipræsulem jure consulens, et ut in exsequenda pœna proced securius. Archipræsul vero consultus præmanda ut omni privatus beneficio ecclesiastico exauctor retur et in monasterio ad agendam perpetuam vi districtissimæ pœnitentiam perpetuo recluderet Et pœna hæc in defectum per sententiam adjudica purgationis quæ ac si in convictum eadem. quidem clerici in hunc modum super malefic accusati et convicti vel deprehensi vel etiam in mes et in purgatione adjudicata deficientes, absq omni mutilatione vel deformatione membrorı ex decreto archipræsulis pristinis authenticor canonum sanctionibus roborato, hujuscemodi spi tuali absque omni corporali pœna per provinci percellebantur : pœna tamen exasperata et emoll pro qualitate flagitii pro gradu etiam et ordine d linquentis et modo et causa delinquendi. Illud eti minime prætereundum quod circa idem temp Philippus quidam, cognomento de Brois, in se

piscopali Lincolniensi canonicus, justitias regis, [u]æ vulgo errantes in terra dicuntur, probrosis [q]uibusdam affecerat contumeliis. Propter quod rex, [n]on solum adversus ipsum, sed potius adversus to[t]um regni clerum, exasperatus videbatur. Solet [q]uippe mox in totam cujusvis officii professionem [c]onferri si quid forte turpiter vel enormiter ab ali[q]uibus de professione admittatur. Sed revera iræ [s]eu invidiæ sicut citum nimis et inconsideratum [j]udicium hoc, tanquam si in aliqua vel exigua cor[p]oris particula macula reperta fuerit, et ob id mox [t]otum corpus nævorum sorde judicetur respersum [e]t in contumeliis illis et probris constat quidem [c]lericum deliquisse non modicum, verum querela [a]d archipræsulem delata, citatus clericus etiam [s]upra modum delicti ut vel sic regis facilius quie[s]ceret indignatio, punitus est: publica virgarum dis[ci]plina clerico adjudicata et ipso per annos, quot [ta]men non recordor, ab omni ecclesiastico beneficio [qu]od in regno habebat suspenso; verum regi irato [ne]cdum etiam plene pro irati voto satisfactum in [h]oc. Istud enim est quartum illud quod inter illa [n]umerat Sapiens, quod donec penitus exstin[gu]atur, videlicet iræ ignis, nunquam dicit sufficit; [ve]rum cum regi non sufficeret hoc, videbatur rex [po]tius reum clericum ad aliquam pœnam corpora[le]m deposcere, sed verebatur hoc exprimere, jam [a]vertens archipræsulis rigorem non posse flecti [in] hoc. Arctabatur itaque rex, arctabatur et ponti[fe]x. Rex etenim populi sui pacem, sicut archipræsul [cle]ri sui zelans libertatem, audiens sic et videns ad [m]ultorum relationes et querimonias accipiens per [h]ujuscemodi castigationes talium clericorum, imo [ve]rius characterizatorum dæmonum, flagitia non [re]primi, sed potius in dies per regnum deterius [fie]ri, archipræsulem et comprovinciales pontifices [et] reliquum regni clerum Londoniæ apud West[m]instier celebriter convocat.

18. QUALITER REX ALLEGAT PRO POPULI SUI PACE.

Rex autem, causa vocationis exposita, mox in[sta]nter exigit ut deprehensi vel pro convictis habiti [tam] tam enormibus flagitiis clerici lictoribus suis, [ec]clesiæ præsidio destituti, exponantur: ad nocen[du]m promptiores fore adjiciens nisi post pœnam [sp]iritualem corporali pœnæ subdantur, et parum [cu]rare de ordinis amissione, qui contemplatione [or]dinis a tam enormibus manus continere non [ve]rentur; et tanto deteriores esse in scelere, quanto [su]nt cæteris ordinis privilegio digniores; unde et [se]verioribus coercendi vindictis, quando reperiun[tur] in scelere: hoc ergo rex, quorumdam fretus [co]nsilio, utriusque juris se habere peritiam osten[den]tium, instantissime postulat ut tales mox sub[la]ti a clero curiæ tradantur, quod non solum jus [hu]manum, sed et ipsius divini juris canonica sanxit [au]ctoritas: unde et de talibus sæpe reperitur in [can]one: « Tradatur curiæ, » unde et qui pro rege, [ad] regium favorem, ut videbatur, scienter indocti, [all]egabant tales nequaquam exsilio vel monasterio,

A sed canonibus sanctientibus sic potius tradendos curiæ, deinceps futuros curiæ servos, curiæ perpetuo servituros, seu alia quam adjudicaret curia pœna percellendos. Et hoc esse tradi curiæ, judici videlicet sæculari relinqui ab eo puniendos, unde et bene in canone sequitur: « Et recipiat quod inique gessit. » Et quidquid dicatur de monasterio, asserebant constanter exsilium nequaquam judicium esse sacerdotis, sed Cæsaris: cujus enim terra est ejus est extorrem facere, relegare, deportare, expellere, quemadmodum cujus est ecclesia et ejus est anathematizare, suspendere, ab altari arcere, et hoc quidem pontificis, cujus est ecclesia, sed alterum Cæsaris cujus est terra. Hoc autem ob id hic intersero de exsilio, quia jam archipræsul
B sacerdotem quemdam propter flagitium degradatum terram abjurare compulerat, unde et inter cætera motus rex Addebant et adhuc quod sub lege illa sancta per Moysen data transgressores, nulla habita gradus seu ordinis exceptione, corporaliter puniebantur, pro qualitate maleficii, reddentes animam pro anima, oculum pro oculo, et in aliis sic talionem semper recipientes, sicut populus ita et sacerdos, secundum Dei justitiam, flagitio ad se tuendum nullo tunc ordinis vel dignitatis privilegio indulto; quin potius ordine seu prælatione potioribus, si transgressores hi, durius quidem fiebat judicium et cruciatus fortior. Miram autem hanc esse nunc legis novitatem et vere sanctitatem novam, si possunt per privilegia sic se tueri flagitia quibus
C regnorum turbatur pax, regnum violatur justitia, et denique sanctitas omnis profanatur.

Qualiter archipræsul contra allegat pro cleri sui libertate.

Verum post modicum archipræsul una cum fratribus suis comprovincialibus episcopis et cum præfatis eruditis suis librato consilio, regi sic ad hæc; « Domine, inquit, mi rex, sacrosancta Ecclesia, omnium mater et regum et sacerdotum, duos habet reges, duas leges, duas jurisdictiones et duas coercitiones. Duo reges, cœlestis rex Christus et rex terrenus, duæ leges, humana et divina, duæ jurisdictiones, sacerdotalis et legalis, duæ coercitiones, spiritualis et corporalis: *Ecce duo gladii hic Satis est* (*Luc.* XXII), inquit Dominus. Neuter superabundans et sufficiunt hi, hujus vero professionis
D viri dicti clerici ordinis ratione et officii proprie solum Christum regem habent, ipsi quodam proprio qui capiti superponitur assignati charactere, quasi per hoc a gentium nationibus segregati et proprie et peculiariter ad Domini opus assumpti, unde privilegio ordinis et officii terrenis regibus non subsunt sed præsunt, utpote qui reges constituunt, a quo et rex militiæ cingulum et gladii materialis accipit potestatem: unde et regi nulla jurisdictio in his, ratione dico professionis et ordinis, sed ipso potius regum sunt judices. Isti, enim, etsi in sæculo infirmi, contemptibiles, et imbelles nostri officii viri, tamen, juxta quod de ipsis prænuntiavit

rex quidam magnus et propheta, alligant reges gentium in compedibus et nobiles sæculi in manicis ferreis, unde et non sub regibus sæculi, sed sub proprio suo rege, sub rege cœli, propria lege reguntur, et si transgressores, propria lege puniuntur, quæ suam propriam habet coercitionem. Nec est ista lex quam nunc dicimus illa publica et communis quæ omnium pie in Christo viventium est, sed cum illa, non præter illam, privata quædam et propria, propter istam edita professionem, clericos dico. Hæc sunt sanctorum Patrum constituta quædam edita propter nos, quæ bene agentes etiam in præsenti Ecclesia remunerant, secus vero agentes damnant : verum et sicut proprius ipsorum rex cœlestis, lex spiritualis, et jurisdictio in spiritualibus, ita et in peculiari Dei portione et spirituali coercitio spiritualis seorsum per se et a sæculari coercitione separata. Et inde est quod absque membrorum mutilatione et sine omni deformatione corporis est. Spiritualis est enim. Adeo etiam quod ordinis privilegium excludat cauterium ; quam tamen pœnam communiter inter homines etiam jus forense damnat, ne videlicet in nomine Dei imago deformetur.

In his etiam constitutis nostris regum provisum est majestati et clementiæ. Turpe enim valde et indecens, si crudele et abominabile regia clementia videat, ut manus Deo consecratæ ei quæ paulo ante Regis crucifixi, mundi Salvatoris, in altari effigiaverunt imaginem, nunc, post tergum ligatæ, publicum latronem effigient. Et plecta collo circumligata pendeat in ignominioso patibulo caput sacræ chrismatis unctione delibutum, ad cujus paulo ante pedes regia se inclinavit majestas, gratiam quærens et veniam. Adjiciebat veniam archipræsul quod nec regiam deceret magnificentiam nec clementiam regiam, ut manus illæ, a quibus modo accepit ipse rex divinæ gratiæ et benedictionis cœlestis beneficium, ab ipso mox suscipiant ignominiosum supplicium, carnificum securi suppositæ, seu alias sicut deformiter et enormiter mutilatæ. Et adjecit qui regi loquebatur archipræsul : « Pariter, inquit, domine mi rex, dico et de his, qui in sacris ordinibus sunt, clericis qui sacerdotum Altissimi in altari coadjutores sunt, quorum tanquam coadjutorum ministerio et reges terræ cœlestis regis benedictionem assequuntur, verum tamen si qui noster fuit exauctoritatus et curiæ traditus, deinceps ex nova causa hæc sustineat et dictante sæculari judice pœnam corporalem subeat, æquum fore hoc et dignum non negamus et de coercitione vel coercendo deinceps nostra nil interest Curiæ enim traditus est regiæ et sæculari jurisdictioni suppositus, curiæ perpetuo serviturus. Hoc est enim quod canon dicit : « Tradendum curiæ, » quod ex historiis unum verbum hoc sumitur manifestum : verum et postquam sic traditus, nobis et illi jam curiæ servo nihil. Et ideo si qua deinceps pœna infligitur, jam non erit pœna nostri tanquam alicujus de clero, sed erit pœna vestri tanquam unius de populo. Quod autem adjicitis etiam nostros extorres facere non nostrum esse sed vestrum, cum terra vestra sit non nostra, et pœnam hanc non ecclesiasticam fore sed civilem, breviter respondemus nos illius gerere vices qui supra omnes reges est, cujus est terra et plenitudo ejus : verum et juxta quod sacri sanciunt canones, illius regis auctoritate cujus terra est et cujus legatione in terra fungimur, interdum et exsiliis et bonorum suorum proscriptionibus nostros condemnamus judicatos pro modo delinquendi et pro qualitate flagitii. Nec enim illius regis cujus infinita est potentia, limitatæ sunt pœnæ. Nisi tamen quod nobis judicio sanguinis nec etiam licet interesse quod vestrum est, qui alterum portatis, ferri dico non verbi gladium, qui noster est : sicut ille ferri vester : *Ecce enim duo gladii hic* (*Luc.* XXII), sub quibus omnis coercitio non quidem, quod absit ! rebelles inter se, sed coadjuvantes ad invicem ut quod unus non valet, alter quasi coadjutorius exsequatur et suppleat ; unde : *Satis est* (*ibid.*), inquit. Et non solum etiam nostros, sed et vestros vestræ propriæ regiæ jurisdictioni suppositos sæculares, dico nobiles sive ignobiles, cum Dei gratia præventi de his quæ in hoc sæculo flagitiis admiserunt pœnituerint, terram nativitatis suæ egredi et loca illa deserere in quibus eis facilior causa et materia delinquendi est et peregere proficisci summi regis auctoritate compellimus, et persæpe Hierosolyman in templo aut in hospitalario aliave vitæ districtioris loca religiosa et longinqua temporaliter vel perpetuo peregrinaturos ibi destinamus ; hoc modo summi regis mandato quasi relegantes eos aut deportantes, tantum tamen pro qualitate flagitiorum admissorum et pro salute pænitentium de flagitiis.

« Si autem, ut dicitis, nostri proniores sunt et promptiores ad maleficia, quia corporalis pœna spiritualem non sequitur, potest quidem esse quod in aliquibus sic : nec in his animum, quod solius Dei est, sed manum a maleficiis, quantum licet et possumus, cohibemus, monasterio seu etiam alii loco districto sub arctissima custodia deputantes damnatum, cum viderimus expedire sic : nec progredimur.

Nostræ siquidem pœnæ, sic etiam et vestræ limitatæ sunt ultra quod progredi transgredi est. In nos in quominus, rex noster proprius nostrum in suorum pœnis supplebit imperfectum, qui dicit : *Mihi vindictam et ego retribuam* (*Hebr.* X). De sacerdotibus vero veteris Testamenti et levitis, qui legis transgredientes mandata corporaliter puniebantur ad præsens nihil de his : in nova enim lege censura nova, verum et quia nova hic lex, novus rex, novum hic reformatur judicium, non solum in pœnis sed et in sacramentis, in sacrificiis et in operibus et oneribus novis. Vetera enim transierunt, et ecce quia facta sunt omnia nova, novus rex, nova lex, novus grex, nova sacramenta, nova sacrificia, no-

›era et nova onera. et sic coercitiones novæ et ænæ novæ. »

Hucusque regem audivimus et archipræsulem, ıi in hunc modum, unus pro populi sui pace, alter ›ro pro cleri sui libertate conferebant, quinimo ›ntentiosum jam funem trahebant, cum archipræ-ıle confratribus suis coepiscopis unanimiter tunc antibus et constanter, ita ut videretur tanquam ıædam castrorum acies ordinata quæ penetrari non ›sset. *Hic est discipulus qui testimonium perhibet his et audivit et scripsit hæc* (*Joan.* XXXI). Scripsit, quam, et si non eadem veerba hinc inde, tamen ctorum virtus et materia hæc quæ hic scripta.

O rex eto pontifex, quorum utrumque Dei appre-ndit æmulatio ! hic zelat populi sui pacem, alter ro cleri sui libertatem. O quantus in clero pon-ex, quanta devotione amplectendus a clero qui o cleri libertate tanti regis perdidit gratiam et stposuit gloriam ! Jam enim contentio magna, jam ssensio manifesta. Quanta igitur hic devotione lendus a clero, qui proposito sibi gaudio pro clero stinuit crucem, confusione contempta, magis eli-ns affligi pro clero Dei quam regiæ augustalis ha-re jucunditatem ! Nec tamen adhuc pro clero nisi um dissensionis initium hoc et prima causa dis-nsionis. His majora et ampliorem his dissensio-ı materiam sequentia declarabunt. Et o quantus populo rex, quantum ei a populo exsultandum et am devote, quam fideliter serviendum cum tre-›re, qui mox pro propuli pace a tam dilecto sibi tam fido se avertit pontifice, cui et ipse ut præ-tendimus tanto animo præoptaverat pontificium ! zelus regis et zelus pontificis ! o zelus et zelus, am durum, quam lacrymabile, quod zelantes hos entiæ spiritus non conjunxit ; sed qui semper dis-ıgit, intermiscuit se spiritus vertiginis et erroris ! rto enim certius quod uterque Dei habuerit æmu-ionem, unus pro populo, alter vero pro clero ; ius tamen eorum fuerit cum scientia zelus, non minis, qui cito fallitur, sed scientarum Domini, i in fine declarabit judicium, verumtamen archi-æsul in calce suæ supra scriptæ responsionis m omni devotione regiam obsecrabat clemen-m ne sub novo rege Christo, et sub nova Christi e in nova et peculiari Domini sorte contra sanc-um Patrum statuta novam per regnum suum luceret coercitionem.

Et hoc quidem pro se et pro regni sui stabilitate secrans humiliter, obsecrans et frequenter ; cre-› interadjiciens se hoc sicut nec debere sustinere : posse ; verum rex, nihil motus ad hæc, sed eo plius, ut videbatur, commotus, quod cerneret hipræsulem et coepiscopos adversus ipsum ut ıutabat unanimes, sic et constantes, siscitatur x an consuetudines suas regias forent observa-i. Ad quod archipræsul, præhabito tamen cum tribus suis consilio, illas respondit se et fratres ›s observaturos, salvo ordine suo. Et id ipsum me ex ordine responderunt singulatim singuli per se a rege interrogati pontifices, nisi quod in musica hac una vocum duntaxat dissonabat ; episcoporum videlicet unus, qui audiens ob hanc unam omnium vocem regem magis exacerbatum, archipræsule et coepiscopis inconsultis, mutavit verbum : et profecto pro bono, ut reor, ut regis videlicet sedaret animum, dicens se observaturos regias consuetudines bona fide. Bonæ memoriæ Hilarius tunc Cicestrensis episcopus hic erat. Sed rex nihil mitigatus ob id ipsum quibusdam affectum contumeliis sprevit ; et ad archipræsulem et coepiscopos se convertens, omnium sic una et eadem voce audita, dicebat aciem firmatam contra se et captiosum esse et venenum verbo illi inesse, scilicet salvo ordine, unde et petebat et repetebat ut absolute et absque adjectione regias consuetudines se observaturos compromitterent. Archipræsul respondit ad hæc quod fidelitatem ei juraverant, vitam scilicet membrum et honorem terrenum, salvo ordine suo, et quod in honore terreno regiæ fuissent consuetudines comprehensæ ; et ad earum observationem se minime in alia forma obligaturos nisi in qua prius juraverant, adjiciens quod per universum Ecclesiarum orbem non solum pontificibus, sed et minoribus clericis hæc esse jurisjurandi forma a sanctis Patribus introducta, nunc vero communis et usitata, unde nec ab hac tutum recedere, præsertim cum ut allegabat per adjectionem hanc cleri non taceat privilegium ; unde et ad debat qui hujus sunt professionis cum terrenis potestatibus fidelitatem jurant, eo ipso quod ordinem suum non tacent, eisdem ipsis quibus jurejurando se obligant privilegio ordinis superiores et indicant, ipsis tamen propter temporalia aliasve justas causas obnoxii, pro quibus et eis fidelitates tenentur jurejurando præstare : et archipræsulis quidem responsum hoc. Cum vero multum inclinata esset jam dies, imo jam circa diei et noctis crepusculum, tota die rex vexatus, insalutatis pontificibus, in ira et indignatione multa, subito recedit ab aula. Pariter et pontifices tota die vexati recedunt et in hospitia se recipiunt. In recessu vero episcopus ille, quem supra diximus, ab archipræsule acriter est objurgatus, quod et se et coepiscopis inconsultis commune omnium verbum mutare præsumpsisset.

19. DE MUNITIONIBUS QUAS REX AB ARCHIPRÆSULE REPETIT ET EPISCOPIS EUM DESERENTIBUS.

In crastino vero rex munitiones et honores quæ archipræsul a rege jam a tempore cancellariæ in custodia habuerat repetita recepit. Et nec salutans nec salutatus a pontificibus, imo et nescientibus ipsis, clam et antelucanus Londonia recedit. Et quidem hoc grandis iræ et indignationis argumentum exstitit. Nonnulli vero episcoporum videntes sic et exterriti, regem mox sunt secuti, regi etiam, sicut præter archipræsulis sui conniventiam et conscientiam cum quo, ut supradiximus, prius steterant, in omnibus voluntati parentes, si id bene, habent modo ipsi quotquot mortui judicem suum Deum

viventem : videat ipse et judicet. Nec enim mensuræ A meæ nec meæ congruit parvitati de tanti nostri officii viris sinistri quidpiam dicere : unum scio grave esse in falsis fratribus periculum ; quod quidem ab initio cœpit et usque ad sæculi finem non desinet. Cætera quippe pericula quiescere possunt, sed hoc minime. Quod inter præsentis vitæ tentationes et agones, illos, qui secundum propositum vocati sunt sancti, exercet jugiter. Quod enim fornax auro, quod flagellum grano, quod lima ferro, hoc falsus frater est justo, quo velut eraditur donec ad veritatis acumen perveniat. Juxta quod doctorum unus Abel inquit, esse non valet quem Cain malitia non exercet.

Quomodo episcopi archipræsulem deseruerint.

Reliquis itaque tanquam paleam a grano eventi- B latis et excussis soli remansimus, soli sedimus, paucis de episcopis jam nobiscum, aliis subtrahentibus se a nobis in dies. Et hi tamen pauci qui nobiscum propter metum occulti. Per dies itaque quam plures soli sic sedimus, regis tamen gratiam sperantes in dies et præstolantes, donec per vacationem regiæ indignationis deferbuisset incendium, et ira sedata causam indignationis suæ rex industrius et clemens adverteret et rediret ad se. Interim vero multi et magni videntes sic et condolentes, crebro inter nos et regem commeantes multimodis archipræsulem ad regis gratiam exhortantur, nunc familiaritatem pristinam, nunc impensos honores, nunc collata beneficia, hinc quantum pacis bonum, inde vero quantum dissensionis malum proponentes; adjicien- C tes etiam quanta foret insipientia unius verbuli contentiosi occasione bonorum tantorum ingratitudinis incurrere notam, tam diligentis et tam dilecti tantam perdere gratiam, et tot et tantarum malorum radicem fovere dissensionem, et hoc totum unius verbulli regem scandalizantis contentione. Hoc enim solum agebatur tunc ut verbum illud, scilicet salvo ordine, quod, ut supra diximus, regem offenderat, aut supprimeret archipræsul in regiarum consuetudinum obligatione, quam sibi fieri petebat rex, aut mutaret. Et præ cæteris suadebat quibus sciebat modis et impellebat archipræsulem ad verbis hujus immutationem episcopus ille, quem supradiximus, inconsulto archipræsule et coepiscopis, auctoritate propria hoc mutasse, vir certe mul- D tum pectoris habens et sermone potens. Suadent igitur hi, suadent illi, sed super omnia quam archipræsul ad regem habebat urget charitas. Charitas enim vera, sicut magister docet, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet ; unde et persuasus tandem archipræsul, sed super omnia charitate urgente, apud nobile illud et regium castrum quod dicitur Oxeneford, ad regem accessit et verbum quod regi scandalo erat se mutaturum promisit ; unde et rex jam aliquantisper sedatus, archipræsuli vultum exhibet sereniorem, necdum tamen ut solito. Dicebat autem rex obligationem de regiis consuetudinibus observandis velle sibi fieri in forma hac in episcoporum et procerum regni conspectu et audientia publica. Accesserunt et quidam archipræsulis ex multo tempore æmuli, sapientes ut facerent mala. Et hi suaserunt clam regi ut mox facta obligatione regiarum consuetudinum faceret expressionem. Unde et persuasus rex adjiciebat pariter se velle ut per regni magnates et antiquiores qui noverunt, regiæ consuetudines recenserentur, ne de cætero, ut aiebat, fieret aliquod inter regnum et sacerdotium schisma, clero quæ regis sunt usurpante, aut rege quæ cleri sunt. Et qui tunc aderant præsules et proceres bonum hoc testabantur. Et videbatur quidem verbum hoc superficie tenus bonum, quod tamen in veritate pessimum erat, et inter regem et archipræsulem perpetui schismatis fomes. Quod apprime noverunt sapientes illi ad facienda mala, dantes pro melle fel, pro consilio virus.

De sapientes ut mala faciant.

Talia enim solent esse consilia talium qui juxta prophetam sapientes sunt ut mala faciant, quia juxta eumdem aureus calix Babylon ut qui videt aurum non timeat venenum, quod etiam dari non solet nisi molle circumlitum. Isti igitur ut mala facerent sapientes in ore quidem mel, sed vere ut scorpionum fratres gestabant in corde fel, et in cauda aculeum ut sagittent in occultis immaculatum. Quod manifestius in fine rerum declarabit eventus. Et vere isti propinantes pro melle fel, pro dulcedine pacis amaritudinem dissensionis; habent enim regna universa, ut universi norunt, consuedines bonas quas Ecclesia approbat, habent et alias malas quas Ecclesia tolerat; quibus etsi forte expressis compellatur ut auctoritatem præbeat et assensum non cedit, tolerat tamen. Nam juxta legisperiti dictum : « Expressa nocent. » Et ut Sapiens ait : *qui vehementer emungit sanguinem elicit* (*Prov.* xxx), verum ut bonis consuetudinibus et aliis expressis indistincte ab Ecclesia præstaretur auctoritas, moliebantur viperei consiliarii hi, quod si non, perpetuum fieret inter regnum et sacerdotium schisma.

O invidiæ temeritas semper summa feriens! O Satanæ calliditas semper sancta persequens ! Revera invidia Satanæ advocata alumna schismatis, mater contentionis, et detractionis inexstinguibilis fomes mœsta in prosperis, congratulans pro adversis quam pax turbat, sedat turbatio, amœnat tristitia depressio elevat, jucundat dolor et aliena semper infelicitas pascit. Hæc nunc Satanæ calliditate adjuncta sub adumbrata pacis specie inter regnum et sacerdotium pessima perpetui schismatis zizania seminare jam inchoat.

20. DE VOCATIONE ARCHIPRÆSULIS APUD CLARENDUNE.

Verum rex regni et sacerdotii pacem ut videbatur zelans, sed et sibi et archipræsuli suo minus in hoc prævidens, nec ullum deprehendens in hoc malitiæ fucum, mox apud quamdam nobilem et præclaram regis propriam mansionem, quæ ex re nomen habet Clarendune regnum convocat universum, præsules regni et proceres. Et infra dies paucos conveniunt

niversi, ubi in omnium conspectu et primus ante omnes archipræsul in prætacta forma se obligat, quod idelicet regias consuetudines foret observaturus bona fide, verbo illo suppresso, scilicet salvo ordine; et uasi juratoriam adjiciens cautionem hoc se factum in verbo veritatis confirmavit. Et id ipsum et in adem forma sigillatim universi pontifices. Cum ero multorum et magnorum suasionibus et consiis, quidquid prius apud præfatum illud castellum, delicet Oxeneford spopondisset, vix inductus fuisit ad obligationem hanc, hæc tamen ut induceretur otissima causa fuit, charitas videlicet fraterna et ompatiens, quibusdam enim fratrum suorum coepiscoporum fraterne compatiebatur, illis metuens agis quam sibi, gloriosæ videlicet memoriæ generso viro Henrico tunc Wintoniensi et Jocelino tunc lesburiensi episcopis: quibus nisi fieret sic, tum antiquo odio, tum quia in præsenti propter ecsiæ negotium habebantur suspecti, aut captio aut od deterius imminere videbatur. Et quidem arhipræsulis et pontificum ad regias et ut nominantur avitas consuetudines observandas in genere ligatio talis. Et incontinenti facta obligatione in rma hac, per quosdam regni proceres, qui has sse debuerant, facta regiarum consuetudinum cognitio, et sicut publice ita et expressim recenntur. Verum cum pleræque jam fuissent expressæ multo plures ut videbatur forent exprimendæ huc, archipræsul interlocutus est se nec esse de tiquioribus regni, ut pristinas regum consuetunes sciret, nec in archipræsulatu diu fuisse, unde dicebat se nescire de his; et præterea, quia inclita esset jam dies, tantum negotium differendum crastinum. Placuit sermo et in sua se receperunt spitia, in crastino revertentes in id ipsum. Et quæ idie intermissæ fuerant consuetudines regiæ recoitæ sunt et expressæ et in scriptum chirographi odo confectum redactæ, et regiarum consuetudinum nomine censitæ. Quarum tamen multæ, ut perbebant multi, nequaquam regiæ, sed, ut jam dicere pimus, odio archipræsulis ad ancillandam Eccleim evomitum emulationis et invidiæ virus: ipso am rege ignorante quod inimici homines sic inter um et archipræsulem suum hac astutia dissensio zizania seminare intenderent. Nec enim rex, qui huc juvenis, sicut nec archipræsul suus novus, stinas regni consuetudines nisi ex aliorum relacognoscebat.

De consuetudinibus exactis.

Et ut illarum consuetudinum seu libertatum vel nitatum, duas regias vocabant et quæ tunc proitæ nobis, interseramus ut aliquas, prima, ut reti funesti chirorgraphi propriis utar verbis, hæc:

« I. De advocatione et præsentatione Ecclesiarum si ntroversia emerserit inter laicos, vel inter laicos clericos, vel inter clericos, in curia domini regis tetur et terminetur. » Sic mox in primis respon-

A dit archipræsul evidentissime clericos ad sæcularia judicia pertrahi, et ecclesiasticam jurisdictionem in sæcularem converti. Advocatio quippe ecclesiarum juri spirituali, quo is qui vulgo Ecclesiæ persona dicitur curam spiritualem et regimen animarum adipiscitur, accedit et innititur, unde cujus est de jure principali cognoscere, et de accessorio, cum unum de altero pendeat et sibi invicem innexa sint et adnexa. Alioquin si istud quod perniciosa quorumdam adinventione jus advocationis nominatur, merum sæculare jus et hæreditarium est: vendatur, ematur, et etiam aliarum instar sæcularium in monomachiam deducatur. Dupliciter igitur arguebat archipræsul funestum adinventum hoc, tum quia clericos trahebant ante judicem non suum, tum quia id unum
B controversia non de cognitione sæcularis, sed potius judicis ecclesiastici est.

Huic vero funesto aliud, non tamen continuo sed tertium in chirographo, decretum subjungebatur profanius, cujus sunt hæc verba et talis sanctio:

« Clerici relati vel accusati de quacunque re, submoniti a justitia regis venient in curiam ipsius responsuri ibidem de hoc, unde videbitur curiæ regis quod sit ibi respondendum et in curia ecclesiastica unde videbitur quod ibi sit respondendum: ita quod justitia regis mittet in curiam sanctæ Ecclesiæ ad videndum qua ratione res ibi tractabitur. Etsi clericus convictus vel confessus fuerit, non debet de cætero eum Ecclesia tueri. » Hac, ut nominabant, consuetudine sic in scriptum redacta, advertit mox ar-
C chipræsul et certius magis intellexit quam et priori propinari sibi serpentinæ æmulationis virus; et mox testatus est totius funesti chirographi ipsa verba sicut insipidæ elegantiæ, sic plena malitiæ et plane libertatis cleri subversionum, adjiciens: « Ecce, inquit, quia juxta funestum canonem hunc clerici tam in criminali quam in civili causa ad sæculare judicium pertrahuntur. Et de novo judicatur Christus ante Pilatum præsidem. Et quod adhuc pœnalis servitutis accedit cumulo, contra Domini in propheta mandatum clerici bis judicabuntur in id ipsum et duplex eorum consurget tribulatio. Quod si sic omnium sceleratorum excedet adhuc deterior clericorum conditio. » Huic vero subsequens erat funesti chirographi decretum alter:

D « Archiepiscopis, episcopis et personis regni non licet exire de regno absque licentia domini regis. Et si exierint, si regi placuerit assecurabunt quod nec in eundo nec in moram faciendo, quærent malum vel damnum regi vel regno. »

Archipræsul vero objecit huic quod hujus promulgationes edicto cessarent ad loca sancta peregrinationis et vota et etiam evacuaretur obedientia, et quod maxime personis regni regnum præclarum carcer fieret, et sic deterior personarum regni conditio quam privatorum. Quid enim si aliqua personarum peregre proficisci se voverit, aliave forte justa causa et honesta traxerit ad transmarina? Quid si forte, sicuti interdum solet inter viros apostolicos et

Anglorum reges simultas aborta, ad concilium A aliasve Ecclesiæ necessitates expediendas vocat hic, inhibet ille. Nonne oportet obedire magis huic quam illi? Christi vicario quam regi terreno? Oportet quidem: quanto magis Deo quam homini. Verum personis ecclesiasticis regibus obligatis sic et votum et obedientia secundum obligationis hujus formam de regum penderet arbitrio; unde ut archipræsul interloquendo subjecit: « Decens quidem est et congruit sic ut quævis personarum regni, si ob causam exire regnum disposuerit, a rege prius licentiata recedat; sed juratoria cautione se obligare ad hoc, ne absque licentia exeat, sicut irreligiosum et indecens. »

Hisvero consequens erat adhuc chirographi decretum septimum :

« Nullus qui de rege teneat in capite, vel aliquis domesticorum ministrorum ejus excommunicetur, nec terræ alicujus eorum sub interdicto ponantur, nisi prius rex, si in terra fuerit, conveniatur vel justitia ejus, si extra regnum fuerit, ut rectum de ipso faciat. Et ita ut quod pertinebit ad curiam regiam ibidem terminetur et de eo quod spectabit ad curiam ecclesiasticam ad eamdem mittatur ut ubi tractetur. »

Hoc chirographi decreto perhibebat archipræsuli plane exauctorari Ecclesiam, et sacerdotes in præsenti Domini Sabaoth, velut electi quidam aliorum duces et principes, militiæ suæ privari cingulo, qui a summo omnium principe et qui omnium principum aufert spiritum, acceperunt gladium et liberam habent ligandi et solvendi potestatem super reges ipsos et principes. Juxta quod rex ipse et propheta : *Ad alligandos*, inquit, *reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis*(*Psal.* CXLIX). Exauctorarentur, inquam, Christianæ militiæ duces sacerdotes sic, quorum est discernere inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, et ad quorum qui leprosus fuerit separatur arbitrium.

Huic vero mox subsequens chirographi decretum octavum :

« De appellationibus, si emerserint, ab archidiacono debent procedere ad episcopum, et ab ipso ad archiepiscopum. Et si archiepiscopus defecerit in justitia exhibenda, postremo ad regem est perveneniendum ut præcepto ipsius in curia archiepiscopi controversia terminetur, ita quod non debet alterius procedere absque assensu regis. »

Huic in prima facie cervice erecta archipræsul se opposuit proclamans, huic promulgato sic, ipsos archipræsules, si consenserint, manifeste perjurii reos, qui in susceptione pallii inter cætera de appellationibus deferendis Romano pontifici expressum juraverunt : adjiciens etiam dire et funeste tolli hic omnium refugium oppressorum, quibus tanquam ad matrem omnium Romanam Ecclesiam libere recurrere prohibetur.

Post hoc inter pleraque alia supponitur chirographi decretum duodecimum :

« Cum vacaverit archiepiscopatus, vel episcopatus, vel abbatia, vel prioratus de dominio regis, debe[t] esse in manu ejus et inde percipiet omnes redditu[s] et exitus sicut dominicos. »

Huic mox respondit archipræsul breviter, re[s] pauperum fisco minime applicandas, et hoc forte sicut contra clementiam et magnificentiam regiam quæ etiam tanquam alienæ divitiæ nequaquam sun[t] redemptio animæ principis, quod etsi illorum qu[i] præcesserunt nos temporibus aliquando sic, minim[e] tamen tanquam sacrilegium hæreditarium hoc tra[hendum] ad consequentiam. Sed Ecclesiæ sempe[r] clamandum, semper obviandum, et quatenus potes[t] B resistendum ; et si sustineatur quod corrigi non po[test], tamen consentiendum nunquam.

Sequitur vero in eodem irregulari canone : « E[t] cum ventum fuerit ad consulendum Ecclesiæ, debe[t] dominus rex mandare potiores personas Ecclesiæ, e[t] in capella regis fiet electio. » Et quidem archipræsu[l] tanquam validus canonicæ electionis patronus, præ[habito] cum eruditis suis consilio, sicut in aliis et i[n] hoc, mox respondit, sicut canonem novum et nova[m] ex ipso electionis formam introductam, apostolica[rum] sanctionum priscis jam et usitatis institutis s[i]cut penitus diversam et adversam ; nec licere sib[i] absque viri apostolici, seu potius totius universali[s] Ecclesiæ auctoritate, novitati tam singulari et singu[]laritati tam novæ, præsertim super tantis person[is] C ecclesiasticis constituendis in insulana credita s[i]bi Ecclesia, novam auctoritatem præstare, vel as[]sensum, etsi Ecclesiæ plurimum expediret si[c]. Hoc enim esset jam velut particulare quodda[m] schisma in Ecclesia facere ex suo sensu et su[o] spiritu, a generalibus ait jam usitatis sanctoru[m] Patrum sanctionibus sic recedere : addens quo[d] hæc electionis forma nova in Anglia, velut qua[]dam in corde maris scintilla, mox per universu[m] Ecclesiarum orbem incendium grande de facili e[x] se posset producere. Nam si ad votum suum [et] nutum hanc electionis formam adinvenit in regn[o] suo rex Anglorum, quidni similiter facturi in regn[is] suis audientes hoc et reges cæteri? Addens etia[m] quod novus canon hic plane canonicæ election[is] D libertati et honori plurimum derogaret : cum ni[si] urgentissima ratio interveniat, eo in loco eligend[us] sit antistes, ad quem consecrandus est, non quide[m] in præsentia principis, etsi de principali connivent[ia] et assensu. Quis enim principis præsentiam n[on] paveat? Quis non exhorrescat ? Quis nominabit [li]bere, nisi quem desideraverit ac quem postulave[rit] princeps? Quod sancti Patri religiose et sapient[er] providentes statuerunt, ut nec in curia nec in a[ula] seu camera, nec etiam in principum capella s[eu] oratorio pontificum aut fieret aut confirmaret electio.

Adjiciebat etiom decere minime ut ecclesiast[icos] principes, personæ tam celebres, tam magnific[]

uibus tot populorum regimen, tot animarum cura, t tot Ecclesiarum sollicitudo credita est, in talibus t talium præsertim locis quæ quorumlibet laicorum eu etiam regum deputata sunt obsequiis aut eliantur aut confirmentur electi. Et objectis sibi mox spondit, quia etsi in hoc Anglorum regno ab aliuorum regum retro temporibus sit factum sic, nagis hoc tyrannice usurpatum quam constitutum gitime. Adjecit tandem de variis electionum fiuris, de quibus per utriusque Testamenti paginam cclesiasticæ nos historiæ edocent, ex quibus in cclesia primitiva Catolicos sæculi principes ecclesiasticis electionibus et negotiis nonnunquam infuisse manifestum, verum secundum profectum lei et varias circa Ecclesiam rerum vicissitudines ria sanctorum. Patrum super electionum figuris spensatio invenitur. In quibus aliter statutum reritur inter Ecclesiæ nascentis primordia, aliter ro nunc, quando juxta prophetæ vaticinium posita t in superbiam sæculorum; unde et ab hac eleonis forma, quam nunc universalis Ecclesia suspit, approbat et observat, absque Ecclesiæ auritate recedere tutum minime. Et quidem archiæsuli responsum ad hæc sic:

x istis itaque constitutis funestis, quæ jam exssimus, odio archipræsulis ad ecclesiasticæ liberis oppressionem ab Ecclesiæ inimicis fabricatis, quisque mox videre potest quam manifesta, am juxta archipræsulis nostri primo exsilii et dem martyrii causa fuerit. Quod alicujus martyn causa justior fuerit aut apertior, ego nec aui, nec legi: qui potest doceat, cum tamen et illis pleraque alia restent adhuc funesto illi reti chirographo inserta formæ et sanctionis similis.

erum non est meum, non est meæ mensuræ, parvitatis meæ, ad regias seu ecclesiaticas suetudines dignitatesve aut libertates se extene. Nihil parvitati meæ et dignitatibus illis: nec e mensuræ est vel scientiæ probare illas vel robare: ipsorum potius regum et pontificum conratio hæc. Solum quod audivi, quod vidi, hic or. Unum scio quia hæc quæ jam expressimus et nonnulla similia his, numero, ni fallor, quasi eta capitulatim distincta sexdecim præfato ina chirographo, plena jam erant inter regem et ipræsulem dissensionis materia. Et hoc decreti agraphum, ab ipso originali mutuatum. fae Domino, in historici hujus voluminis fine gre postponemus ut cunctis martyris hujus riæ lectoribus liquido pateat, etiam præter ea jam posita, quam clara, quam aperta, quam picua primo exsilii et postea martyrii fuerit ipræsulis causa. Domino quidem omnium jumirabiliter quidem, sed æquissime disponente, ujus fuerant odio introductæ et quibus semetn accusans videbatur quodammodo consen-, per eumdem ipsum postea in proprio ipsius re sint abolitæ, delens sic hoc, quod adversum

A nos erat decreti per chirographum quod erat contrarium nobis, palam etiam triumphans principatus et potestates in semetipso. Nam ut de aliis nunc prætereain, ipsius regis advertentis se et corde toto et corpore ad archipræsulem suum in fine reversi, huic de quo nunc agitur præsenti decreti chirographo renuntiavit, renuit et vim ejus omnem et auctoritatem explosit: quod plane liber, quem Melorum inscripsi, quem historiæ huic subjunxi, edocet. Quod si mihi objeceris multa de iniquis statutis illis per regnum observari adhuc, breviter respondeo et certissime regem ipsis, ut diximus, renuntiasse et Christi sponsam Ecclesiam in sanguine martyris Christi triumphali evicisse. Si rex pœnitens et renuntians perseveraverit, Deus
B novit, Deus velit, rex ipse viderit. Et si, ut mihi objicis, funesti illius chirographi consuetudines aliquæ vim habent, et tanquam de stirpe noxia de nocuis amputatis nonnulla quasi spuria vitulamina male excrescant, adhuc sperandum quod ad archipræsulum martyris successorum instantiam, per regum clementiam, cum crebro et devote martyris et martyrii causæ exstiterint memores, imperfectum supplebitur, et plene a facie Ecclesiæ computrescet servitutis ecclesiasticæ jugum. Aut si non habebuut, Altissimo disponente, sic martyris successores archipræsules his diebus carnis suæ exercendæ probandæque virtutis materiam, — sed quasi præoccupantes, necdum est de his quæ nunc hic tangimus locus, revertamur ad hoc quod in
C præsenti agitur, jam propositam plenam et, ni fallor, solum ex his quæ prætetigimus, præter alia quæ hic præterimus, totius Ecclesiæ judicio justissimam dissensionis causam et materiam. Quam totius Ecclesiæ primas vir apostolicus sua quæ omni præest auctoritate justificavit confirmans, sicut sequentia declarabunt. Revertamur, inquam, ad plenam jam dissensionis causam. Jam enim plana, jam ampla dissensionis materia, post modicum exsilii, et posmodum martyrii causa.

O æmulorum inveterata iniquitas! o legum profana novitas, ad malum nimis efficaces! Quæ tantum regem et tantum pontificem tam necessario, tam commendabili charitatis conjunctos vinculo, tam irreparabiliter disjunxerunt; væ illis propheticum et
D æternum, qui leges has novas condiderunt! Ipsius profecto diabolicæ æmulationis adinventiones hæ. O æmulatio quæ in vilis et contemptibilis vitæ hominibus tugurium habens, regum solia et doctorum cathedras petit! Vere quidem dictum et vere nimis verum, quod

Summa petat livor, perflent altissima venti.

Cui et illud consonat Sapientis: *Stellio manibus nititur et moratur in ædibus regum* (*Prov.* xxx). O quam dira, quam dura et quam inhumana æmulatio hæc, tam dulcia, tam chara et mundo tam clara tantæ dilectionis, dulcedinis tantæ dissolvens fœdera! quæ charitati ex directo opposita, ut jam supra nos dixisse meminimus, et dolor iterare nunc

urget, semper de pace turbatur, de concordia dis- A sidet, incolumitate tabescit, de felicitate torquetur, de successu tristis, de dolore hilaris, cum gaudentibus flens, et cum flentibus gaudens. Sed spretis his pacis inimicis, operariis Satanæ, revertamur et exsequamur proposita.

Scripto vero expressas, ut jam diximus, consuetudines continente ad chirographi formam confecto et propalato, postulat rex ab archipræsule et coepiscopis, ut ad cautionem majorem et firmitatem sigilla sua appendentes apponant: verum archipræsul, etsi vehementer motus et contristatus, dissimulat tamen, regem exacerbare tunc nolens. Et caute quidem non de plano negat, sed differendum dicebat adhuc. Etsi paratos ad faciendum, adjiciebat tamen propter negotii magnitudinem decere dilatio- B nem vel modicam, cum juxta Sapientem absque consilio nihil faciendum sit grave, et exinde post deliberationem aliquantulam, ipsum et episcopos alios super hoc decentius requirendos. Scriptum tamen dictas consuetudines continens recipit, præmeditate quidem et provide ut causam videlicet suam secum scriptam haberet. Alteram vero scripti partem suscepit Eboracensis archiepiscopus: rex vero ipse tertiam, in regum archivis reponendam. Et sic a curia recessimus, versus civitatem Wintoniam proficiscentes.

21. DE ARCHIPRÆSULIS MOESTITIA ET PLANCTU.

Verum archipræsul in via supra modo conturbatus videbatur et contristatus, contra solitum neminem suorum alloquens in via, nec ipsum aliquis; C neminem vocavit, nullus accesit, sed solus et seorsum equitabat per viam, solus in via meditans. Deprehendimus mox id nos, initeris comites, conferentes et condolentes, et jam aliquantulum suspicantes quid hoc. Tandem vero discipulus, qui scripsit hæc, præsumpsit accedere: « Domine, inquiens, contra solitum quare vultus tuus sic concidit? Nec enim eam ostendis faciem, quam heri et nudiustertius, nec in via, ut solito, cum illis aut consilium habes aut collationem? » Cui archipræsul: « Nec mirum, inquit, [*videre enim jam mihi videor, quod per me, peccatis meis exigentibus, debeat ancillari Anglicana Ecclesia, quam mei prædecessores inter tot et tanta, quæ mundus novit, pericula rexerunt tam prudenter: pro qua et inter hostes ejus militarunt* D *tam fortiter, et triumphaverunt tam potenter: et quæ ante me exstitit domina: nunc per me miserum videtur ancillanda: qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret: et Ecclesia quidem merito passura hæc est per me, et meo tempore, qui non, sicut prædecessores mei, de Ecclesia, sed de aula assumptus sum ad hoc officium. Non de claustro, nec de loco religionis aliquo, nec de schola Salvatoris, sed potius de satellitio Cæsaris, superbus et vanus, de pastore avium factus sum pastor ovium; dudum fautor histrionum, et canum sectator, tot animarum pastor: posuerunt enim me nescio qui custodem in vineis, qui meum propriam non custodivi, sed neglexi; longe certe a salute Ecclesiæ anteacta vita mea: et nunc hæc opera mea: unde et plane video me jam a Deo derelictum, et a sede sancta, in qua locatus sum, jam abjici dignum.* » Dum igitur dolor eum sic urgeret, exitus aquarum deduxerunt oculi ejus, ita ut inter continuas lacrymas singultibus crebro erumpentibus, compelleretur magis rumpere sermonem, quam finire.] ...., (Hæc ex Quadril. Hiatus un. fol.)..,... novissimo in die ab auditione mala non timebit. Et compatiens discipulus sic, lacrymis prout poterat repressis et singultibus, ita magistrum est adorsus: « Domine, inquiens, scriptum est quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti: adeo etiam quod si indistorta et anfractuosa via et vita hac deviant et exorbitant et currant in invio et non in via, hoc ipsum invium ipsis sit tanquam quoddam compendium ad salutis viam, ad veram patriam, eo ipso quod sic deviant, duce suo rectore suo Deo ipsos mirabiliter dirigente; unde et mirabilis Deus in sanctis suis deducens eos in via mirabili, adeo mirabili ut ipsum invium via fiat eis ad salutem, via ad patriam. Confide igitur, domine mi, quia si cecidisti, Domino manum supponente resurges fortior; si alio impellente corruisti, resurges cautior; si vero motu proprio resurges humilior. Ita et apostolorum princeps, pastorum forma, Petrus præsumens se prius moriturum quam negare magistrum, primo ad ancillæ vocem negavit, e[t] postea ductus ante reges et præsides non cess[...] deinceps, ex præsumptione factus doctior et hum[i]lior, ex apostasia fidelior, ex negatione constantior. Sic novit Omnipotens sapientiæ spiritus ex mali[s] elicere bona, tanquam si ex arida violam, ex ros[a] spinam, mel de petra, oleumque de saxo durissim[o]. Ad hoc igitur deinceps summo elaborandum studio ut quemadmodum in apostolorum principe et past[o]rum forma, fiat similiter et in te. Si verbo offe[n]disti ut Petrus, Petri instar opere ne offendas. Regia[s] quidem bonas consuetudines observare bonum [et] justum. Si quæ vero aliæ, ut dicis, novæ tui odi[o] in Ecclesiæ detrimentum ab æmulis adinventæ, sat[is] notum quid agendum de his; quas profecto, sic[ut] credibile, nec rex exigeret si novas fore adverter[et] et inductas ab æmulis: profanæ enim legum nov[i]tates evitandæ, quorum adinventoribus propheta, imo Dominus ipse per prophetam suum væ inte[n]tat, *Væ*, inquiens, *qui condunt leges novas* (*Isa.* x[...]) Quas profecto novas et malas Christianorum regu[m] clementia ad Christi honorem non solet inducer[e] vel inductas exigere, sed potius abolere. Sic eni[m] crevit Ecclesiæ libertas, sic decus cleri. Sed ut ja[m] de alio, de quo tam lacrymabiliter planxisti, adn[...] ctam, de vita anteacta dico, unum pro certo sci[...] quam, sicut te ipsum accusas, officio huic in q[uo] nunc es, vita, anteacta non consonat. Nihil delici[is] et divitiis illis Augusti et sarcinæ huic pastorali: unde et, ni fallor, ostendet tibi Deus quanta p[ro] ipso oporteat te parti, qui non de Ecclesia, sed [...]

ıla assumptus, ad sedem hanc gradum hunc tamen andere præsumpsisti. Igitur quod solum superest, ut dicis, cecidisti turpiter, fortiter resurge et denter, et excute te, si filius excussorum es, imo ıia es, et viriliter age et confortetur cor tuum, ne stitia te absorbeat, sed potius justitia erigat, viiter, inquam, age et confortare, et esto deinceps utus, fortis et robustus. Et scias pro certo quia ›minus erit tecum, adjutor fortis, sicut legitur isse cum David rege propheta, prius tamen adul-'o et proditore, et cum eo, quem jam diximus, ostolorum principe, prius apostante, et cum ncta illa et apostolica peccatrice, et demum cum regio illo gentium doctore, prius et supra omnes clesiæ persecutores : fuisti quidem et tu, ut videtur tunc et dicebatur sic, aliquando Saulus. Quod ıunc Paulus esse desideras, squamis oculorum ›rum abstersis palam ipso opere ostendet tibi ·us tuus, quanta te oporteat pati pro nomine ejus.» lis dictis, tantæ quam supra descripsimus mœiæ aliquantulum consolationis videbatur infusum. gis etenim quam ad verborum virtutem, respexit exhortantis dilectionem et fidem. Et ecce episco-s ille, cujus suasione et impulsu supra diximus bum illud suppressum, scilicet salvo ordine, ›ito nuntiatur nos sequi. Et archipræsul conver-s sermonem ad discipulum qui proxime locutus ıuc cum eo fuerat : « Sequatur, inquit, et vadat :o me Satanas. »

ɔmodo archipræsul a viro apostolico sit absolutus.

'ost paucos vero dies eo quod ex gestis cauteria-ı gereret conscientiam, archipræsul cum multa inatione ad Romanum mittit pontificem utpote us est sanare contritos corde et alligare contritio-eorum. Igitur sicut absens per scripta poterat, ıus detegit, medicinam quærit, interim toto teme videlicet circiter quadraginta dies ab altari se ›ns, donec reverso nuntio a pontifice, super his bus se accusabat per apostolicum scriptum abıtionis gratiam obtinuisset, nuntio quidem in brevi reverso eo quod summus pontifex tunc obili et regia Galliarum civitate Senonis propter ısma moraretur. A quo et præter absolutionis eficium multam per apostolica scripta consolaem accepit, quibus ut et pastoralem sarcinam iter et alacriter sustineret, et strenue ad opera loralia se accingeret, paterno exhortabatur af-D u. Verum et apostolicum ipse mandatum hoc [uam hostiam cœlitus sibi missam in omni judıtate suscepit, sicut et qui spiritu ferventissi-: erat; in omni, inquam, juncunditate et alacri-hinc per apostolicæ absolutionis gratiam, inde › per apostolicam epistolam exhortatoriam, [uam duo materni pectoris ubera, plene jam ıs spiritu recreato : verum, quia, ut diximus, ıinus papa erat prope, et confessionis saluberriusus per scripta nec fieri solet nec debet, vi-: etiam quia propter ea quæ supra diximus, in ılo suo vix faceret fructum, in propria persona

A summum pontificem adire disposuit, unde et suis etiam ignorantibus præterquam duobus tribusve quos secum ducebat noctu clam transfretare attentavit. Nec enim si palam vellet, pateret egressus. Inter cæteras quippe prescriptas consuetudines fuit et hæc, quod nemo pontificum vel personarum regni absque licentia regis vel justitiarum ejus terram egrederetur; unde et archipræsul clam egredi attentavit, bis quidem mare ingressus, sed quoties ingressus et repulsus, tanquam Deo per elementa sua ipsi in facto hoc resistente. Sicut enim omnia tempus habent, sic et tempus occurrendi et tempus fugiendi, fugæ vero hujus necdum tempus. Quæ etsi clam destinata, citissime tamen divulgatum per terram quod archipræsul sic transfretare attentas-
B set; unde et stupet populus, proceres admirantur, pontifices turbantur, rex plurimum motus est, eo maxime, ut credebatur, quod archipræsul tam cito et subito contra statuta sua agere præsumpsisset.

Archipræsul vero intelligens Deo minime placere quod attentavit, audiens etiam certissime et sciens regem exacerbatum ex hoc, et propterea mœstus, qui adeo regem diligebat quod eo exacerbato lætus et hilaris esse nequivisset, apud regiam illam mansionem quæ dicitur Wodestoche acceleratim accessit ad regem. Rex vero venienti ad se archipræsuli honore, non tamen quem solebat, exhibito dissimulavit audita; quod tamen minime archipræsul et qui cum eo erant arbitrantur: dissimulavit, inquam, nisi quia velut jocando improperavit archipræsuli quare
C terram suam deserere voluisset, tanquam si ipsos duos simul capere non posset; verum jam deprehendit archipræsul, qui regem ex multo tempore et familiaritate eximia noverat, cor regis elongatum ab eo, et qui in aula id ipsum jam prædicabant; unde et quantocius licentiatus a rege discedens et intelligens apprime ab ipso cui mare et venti obediunt, egressum de terra inhibitum, cogitabat jam intra se, et secreto etiam suis expressit, deinceps aut cedendum turpiter aut certandum viriliter: verum et fultus apostolica auctoritate et exhortatione, sicut erat spiritus fervens, mox excussit se filius excussorum, cum prophetico sarculo evellens, destruens, dissipans et eradicans quidquid in horto Domini male plantatum reperisset. Non quiescebat manus, non parcebat oculus. Quidquid etiam pravum, quidquid asperum quidquid distortum, non jam cum prophetico sarculo sed in evangelica securi dejiciens; regias quidem et ecclesiasticas consuetudines bonas observans; alias vero in Ecclesiæ detrimentum et cleri dedecus introductas, tanquam spuria quædam vitulamina resecans, ne mitterent radices altas. Et tanquam de salebri nimis silva et veprosa, sic nitebatur pro viribus, quidquid asperum, incompositum, indecorum, obviumve foret, totum de populo suo delere et exturbare, ut faceret prava in directa et aspera in vias planas.

Sed heu! grandis quidem opera, sed parva mora. Jam enim eo ipso suscitantur et adversarii a dextris

et a sinistris : ita ut prophetatum de capite huic illius capitis membro aptari possit, quod videlicet positus sit in ruinam et in resurrectionem multorum et in signum cui contradicetur. Currunt hinc quotidie ad regem rumigeruli, accusantes quod consuetudines regias, quas se observaturum juraverat, non observaret, inde vero pulsant queruli plangentes quod de nimio regiæ gratiæ favore confisus eos exhæredasset. Sed super omnes æmuli aulici pungunt et instigant, improperantes jam manifeste tot et tantorum bonorum ingratitudinem. Jam enim serpens ille tabidus, quem circa operis hujus initium diximus latenter per aulam et angulatim serpsisse, manifeste exerit caput. Et hæc certe, ut dicit Sapiens, lingua tertia, quæ multos commovit et dispersit de gente ad gentem. Tres igitur hi rumigeruli, queruli et æmuli audici ; primi ut sciniphes, secundi ut apes, tertii vero scorpiones; omnes hi jam virum depungentes et regem jugiter instigantes, ita ut vox illa de capite congruat et huic illius capitis membro : *Sicut apes*, inquit, *circumdederunt me, et exarserunt sicut ignis in spinis* (*Psal.* CXVII). Convenerunt igitur omnes hi archipræsulem pungentes et regem contra archipræsulem suum instigantes, nec igitur mirum, si ad instigationes has tanquam ad aculeos tot cor regis expungatur et in iræ et indignationis flammam ebulliat. Unde et ex his, quæ quotidie colliguntur, stipulis, rex magis ac magis accenditur, et ira, repressa adhuc intus, excrescit in dies, quæ et tandem erumpit. *Si enim sufflaveris*, inquit Sapientia, *quasi ignis exardebit* (*Eccli.* XXIV). Et in primis quidem ad dictorum querulorum instantiam archipræsul citatur ad causam, ut super quibusdam ablatis sibi, ut dicebant prædiis ipsis veniat responsurus.

De citatione archipræsulis apud Norhamtune

Verum quia ad citationem primam in propria persona se non exhibuit, misso tamen procuratore secundo citatur, et præter tempus locus etiam determinatur, nobile videlicet illud et regium castrum quod dicitur Norhamtune. Tempus, ni fallor, mensis October, hebdomadæ feria quinta, sexta ante beati Calixti papæ et martyris natalitium. Ad diem et locum hunc ex edito regio regni pontifices universi et proceres districtissime convocantur.

Sed quæ hactenus stetit in littore, nunc navis in altum trahenda. Nam, qui hucusque navigavimus in portu, in mare deinceps magnum et stapiosum velificare nos oportet, et inter Scyllæos canes et Charybdim, inter Syrtes et periculosas alias multas maris voragines navis nostra ducenda. O voragines maris ! o pericula sæculi ! Omnia excelsa tua et fluctus tui super nos transierunt. Dixit enim et stetit spiritus procellæ et exaltati sunt fluctus ejus.

De opere primæ diei quo ad concilium venit.

Vocatus, ut diximus, ad causam, imo potius ad luctam, statuto tempore et loco supra determinato Domini palæstrita accessit. Et in primis quidem supra dicti queruli, sicut apes, christum Domini, pontificem Christi circumdederunt. Et acerrime qui-

A dem in ipsum tanquam tot pungentes aculei, civiles quæstiones intentantur. Et cognito hoc quod, sicut jam diximus, ad primam regis citationem in propria se persona non exhibuerit, etsi, ut econtra allegabat, responsalem sufficientem miserit, nihilominus tamen omnium et procerum et etiam pontificum judicio, ipsius mox bona omnia mobilia sunt confiscata, nisi forte regia clementia vellet temperare judicium, quod est, sicut vulgo in terra dicitur, de omni mobili suo in regis misericordia judicatus est. Cum vero audisset se jam judicatum sic : « Qualis, inquit, sit sententia hæc, quale judicium hoc, cujusvis sive scripti sive consuetudinarii, jurisperitis omnibus patet : me contra hanc dicere quidquam non oportebit; B me tacente, sæcula post futura non tacebunt. « Nova quippe judiciorum forma hæc, forte secundum novos canones proxime apud Clarendune promulgatos. Verum de judicio præteriens sic protestabatur hucusque inauditum a sæculo, Cantuarienses in curia regum Anglorum pro qualicunque causa judicatos, tum propter dignitatem Ecclesiæ, tum propter auctoritatem personæ. Eo videlicet quod Cantuariensis et regis et omnium qui in regno sunt, spiritualis sit omnium parens ; unde et ob id et a regibus et a proceribus regni archipræsuli suo semper delatum Verumtamem multo magis quam de judicio seu proceribus judicantibus, de confratribus suis suffraganeis coepiscopis querebatur, novam dicens formam hanc et ordinem judiciorum novum, ut archipræsu a suis suffraganeis, pater a filiis, judicetur. Minu C fore male adjiciens verenda patris detecta deridere, quam patris ipsius personam judicare. Nam ut aiebat, professionis et obedientiæ vinculum ita arctum est et adeo ligat, quin potius professos præposito suo, tanquam membra capiti, sic conjungit e unit, quod, etsi ratione temporalium regibus obnoxi sint, præpositos tamen suos pro temporalibus ne etiam civiliter judicare possunt aut debent, præser tim inhibiti. Cum obedientiæ virtus tanta sit, quo non solum temporalia deserere, sed et propter ipsam semetipsos super impendere teneantur. Supra om nes etiam causabatur pontifices quod talem senten tiam tulerint. Quod tamen nequaquam vel nome meretur sententiæ, sed meri potius odii conflato D rium fuit. Unde et hæc ita gesta nullum libertati præjudicium successoribus suis parere verebatur nec post futuris temporibus ad consequentiam tra henda. Et quidem, ut asserebat secretius, pontifice suum sic archipræsulem judicantes, quin potiu linguas in archipræsulem suum sic debacchante suspensionis interdicto mox ligasset, nisi quia Chr sti athleta ad majorem se adhuc parabat conflictum Et hæc sententia, sic lata in archipræsulem feri quinta, prima fuit concilii actio.

De opere secundæ diei.

Die vero sequenti rex ipse exigit ab archipræsul pecuniam quam, ut asserebat, cancellarius tunc a s acceperat mutuam, argenteorum videlicet libra quingentas. Quod audiens archipræsul, quasi i

tuporem mox versus, incivile inquit, regiæ præ-ertim magnificentiæ, donata repetere: « Nec inficior uidem tempore cancellariæ eam, quam nunc, ut udio, repetis, numeratam mihi pecuniam non mu-uam, sed donatam: et, si placeret, in officio illos ualem me obsequio vestro exhibuerim, magis nunc d memoriam revocandum, quam ex indignatione dversum me, ut sentio, concepta, sic in me nunc, er inter nos gesta tunc, vindicandum. » Verum ex ad verba non respiciens judicium postulat, et ræfati illi parati ad judicandum, tam pontifices no-tri quam proceres, petitam pecuniam solvendam idicant, eo quod archipræsul pecuniam illam, etsi onationis titulo quem tamen tunc probare non po-rat, confessus est se recepisse. Adjudicata vero bi pecunia exigit rex cautionem; sed respondit chipræsul ad hoc, se in regno habere quod pecu-a adjudicata multo pluris esset, nec decere si esset regis beneplacito ut aliam cautionem exhiberet, u etiam ut rex exigeret. Sed objectum est quod mobili nec etiam haberet tantum, eo quod die sterna universa bona mobilia sua per judicium nfiscata fuissent. Instatur ergo et cautio petitur, ibidem acerrime dictum ei in faciem quod aut veret aut remaneret: qui comminabatur corporis ptionem sic innuens, verum nonnulli, rege ex recto jam adversante, videntes archipræsulem stitutum, qui nec etiam a suffraganeis suis suf-gium, sed naufragium potius incipiebat jam pati, lentes, inquam, sic et commoti, sponte eorum qui se obtulerunt et fidejusserunt pro eo. Et erant ejussores quinque singuli pro libris centum. Et c pecunia, sic exacta ab archipræsule feria sex-secunda fuit concilii actio.

De opere tertii diei.

n crastino vero, Sabbati videlicet die, non nobis bbati dies illuxit, sed dies operis et afflictionis, ote rege ipso, ut jam diximus, ex directo nobis opponente. In hoc igitur Sabbati die rex ab ar-præsule super omnibus quæ de regis mandato npore cancellariæ in custodia habuerat, ratioci-exigit, episcopatibus dico tunc vacantibus et batiis, baroniis etiam et honoribus multis et ma-s quorum omnium cancellarius tunc custodiam uerat: horum omnium, ut dicebat rex, ratiociniis usque sicut nec exactis nec præstitis. Et red-dæ ratiocinationis summa taxata, videlicet circa inta marcarum millia. In palatio vero et alii qui concilium venerant universi jam audientes hoc tupescunt. Et jam sparsim submurmurant so captionem archipræsuli superesse. Alii vero m graviora suspicabantur et hoc quidem jam sim. Archipræsul vero, qui, ut supra diximus, re in castro hoc inchoavit descendere, et maris uli periculosas attentare voragines, subito et ex pinato exacta ratiocinatione hac turbatus est, us sicut ebrius et omnis sapientia ejus devorata De qualibus Psalmista: *Turbati*, inquit, *sunt, i sicut ebrius et omnis sapientia eorum devorata*

A (*Psal.* CVI): verumtamen convocatis pontificibus post deliberationem multam quid respondendum agendumve ad hæc, sanctæ recordationis Henricus, tunc Wintoniensis episcopus, qui quidem archi-præsuli favit, sed propter metum occultus, tandem recordatus est quod in electione archipræsulis tunc Cantuariensis archidiaconi et regis cancellarii, ab omnibus curiæ nexibus Anglicanæ Ecclesiæ redditus fuerit absolutus. Quod et nos supra dixisse memini-mus cum de archipræsulis electione ageretur. Et quidem tam evidenti hujus testimonio reliqui epi-scopi deesse non poterant; unde et demum commu-niter universi episcopi coram rege et concilio verbo huic testimonium perhibebant, et ita circa vespe-ram Sabbati dimissi. Sed necdum tamen sic propter B verbum hoc dimissi sumus in pace; verumtamen ra-tiocinatio sic exacta ab archipræsule in Sabbato tertia fuit concilii actio.

Crastino vero, Dominica videlicet die, propter diem quievimus, in secundam feriam quæ vulgo dies Lunæ dicitur citati et exspectati ad agonem. Verum archipræsul ea die, in ipsa etiam nocte diei, gra-vissime illa quæ iliaca dicitur percussus est pas-sione. Sed rex et qui in aula, fictum hoc non veram infirmitatem arbitrantes de majoribus regni proce-ribus, qui convenerant, ad archipræsulem, mittunt ut explorent quid hoc. Quibus archipræsul: « Hodie, inquit, sicut ipsi cernitis a Deo gravi præventus va-letudine, ad curiam venire nequeo: sed pro certe sciatis favente Domino cras exhibiturum me curiæ, C et nisi aliter datum in lectica vehendum. » Verum aliter desuper datum, et favente Domino, sicut athleta Christi optavit, accidit, nocte superveniente plene convaluit.

De opere diei ultimi.

In crastino vero, tertia videlicet feria, quæ vulgo dies Martis dicitur, quæ et nobis vere dies Martis illuxit, curam intravit non quidem ut clinicus in lectica vectus, sed velut turris in Jerusalem directo sita contra Damascum, verum antequam intraret curiam, summo mane conveniunt ad eum pontifices attoniti quidem et exterriti. Si quidem jam sermo exiit passim quidem in palatio et sparsim in concilio, minime tamen palam adhuc, archipræsuli ea die solam imminere captionnem aut quod deterius. Se-creto etiam id ipsum per quosdam aulicorum archi-D præsulis auribus instillatum, qui ipsum ob beneficia et honores pridem sibi impensos diligebant adhuc: unde et pontifices, non aperte propter enormitatem, sed sub quadam insinuationis specie, artificiose sua-debant ut archipræsul de omnibus, etiam de ipso archipræsulatu, regis se per omnia voluntati subji-ceret et arbitrio, si forte vel sic posset regis ira se-dari et indignatio: adjicientes etiam quod nisi fie-ret sic, jam audiret in curia perjuriis ibi crimen im-poni, et tanquam proditorem judicandum, eo quod terreno domino honorem terrenum fidelitatis jura-mento comprehensum non servaret, regias videlicet ipsius consuetudines non observans; ad quas etiam

specialiter observandas nova jurisjurandi obligatione se astrinxerat : dicentibus his, contestantibus illis, parum prodesse regis indignationem habere et archipræsulem esse ; hoc regni et sacerdotii magis turbationem esse quam pacem, grande detrimentum et fructum nullum : quin potius ipsum episcopatum verius patibulum esse quam episcopatum. Et quidem in concilio hoc pontifices convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.

Ecce quia jam non solum prætacti sciniphes, apes et scorpiones, sed et tauri pingues Christi athletam circumdederunt : ita ut vox illa de passione capitis huic jam patienti illius capitis membro coaptari possit : *Circumdederunt me*, inquit, *vituli multi ; tauri pingues obsederunt me* (*Psal.* XXI). Tauri quidem pingues tales pontifices, vituli vero multi talium sequaces, quorum omnium unum fuit concilium, ut ex toto regis arbitrio se supponeret. Et quidem per quotidianas pulsationes has, per has singulorum dierum pressuras nitebantur ad hoc, ut genua videlicet curvaret et succumberet, et ut pressus, imo oppressus, sic quos pastorali sarcinæ jam supposuerat humeros terrenæ potestati submitteret. Verum columna Ecclesiæ, sicut excisa et fortis, semel quidem, ut supra diximus, mota, sed nunc eo ipso immobilior : in charitate radicata, et supra firmam petram fundata, in petra firmiter stans, hoste impellente firma, fortis a casu : unde et principalis columna hæc, quasi columna columnarum princeps, videlicet episcoporum ex insinuatis fratrum suorum deprehendens jam votum et concilium, ipsos allocutus est sic :

Oratio archipræsulis ad episcopos.

« Fratres, inquiens, sicut jam cernitis, fremit contra me mundus, insurgit inimicus : sed quod plango lacrymabilis, quia cæteris est detestabilius, filii matris meæ pugnant contra me. Etsi enim ego tacuero, sæcula post futura enarrabunt qualiter me solum in certamine deserueritis, qualiter me archipræsulem vestrum et patrem, quantuscunque sim peccator, per duos continuos dies bis jam judicaveritis, facti mihi clavi in oculo et lancea in latere, qui mecum adversus malignantes consurgere et simul stare debuissetis. Et adhuc conjicio ex his quæ dicitis, nos non solum in civili, sed et in criminali causa in foro sæculari judicare me paratos : verum communiter vobis omnibus in virtute obedientiæ, sub ordinis vestri periculo hoc inhibeo, ne deinceps intersitis judicio quo mea persona judicetur. Quod etiam ne faciatis, matrem nostram omnium refugium oppressorum Romanam Ecclesiam appello. Et si, ut rumor jam in vulgo est, fiat hoc et sæculares in me injecerint manus, vobis itidem in virtute obedientiæ præcipimus, ut pro patre vestro et archipræsule quam decet ecclesiasticam exerceatis censuram. Unum autem sciatis, quia fremat mundus, insurgat inimicus, tremat corpus, caro quippe infirma, ego tamen, favente Domino, nec turpiter cedam, nec creditum mihi gregem enormiter dere-linquam. »

His breviter dictis, ab illo archipræsulis præcepto videlicet ut si in ipsum judicatum sæculares injice-rent manus, ecclesiasticam exercere censuram epi-scopi non differrent, episcoporum unus confestim appellavit : Gilbertus Londoniensis episcopus hi erat. Et post hæc archipræsulis verba pontifice discesserunt, properantes ad curiam præterquam duo qui archipræsulis thalamum, ubi pontifice convenerant, tardius egredientes, secreto conforta-bant et animabant archipræsulem ; sanctæ videli-cet memoriæ jam sæpedictus Henricus Wintoniensi episcopus, qui ut supra jam retulimus archipræsu-lem consecraverat, unde et amplius compatiebatu afflicto ; alter vero Jocelinus Salesberiensis episco-pus ; et hi tamen propter metum occulti. Arch-præsul vero quasi ad extremum jam in curia pro-cessurus agonem, ubi exspectabatur solus, quia cer-tabatur contra solum, parat se ad palæstram. E post episcoporum discessum cito ecclesiam intra et ad cujusdam canonici sicut habitu et affectu regu-laris, missam ipsemet de beato protomartyre Ste-phano celebrat. Et erat missæ introitus : *Eteni sederunt principes et adversum me loquebantur.* hanc quidem missam eo die, quia festus non era cum pallio celebravit, nisi quia beati Calixti pap et martyris natalitium fuit. [Ministeriales vero regi qui ibi forte tunc aderant, id tacite considerabant quibus visum est rem ipsam aliquid prætendere

O quanta in missa hac celebrantis erat devoti quanta cordis compunctio et totius hominis ext-rioris et interioris commotio ! Quot et quanta susp-ria inter aquarum exitus quos oculi ejus deduc-bant. Ita ut inter orandum crebro compelleretu collectæ facere finem, ubi finis non erat, vix redien et revertens in id quod cœperat. Missa vero tander sicut potuit, præ lacrymarum abundantia et si-gultuum crebris eructibus vix finita, eam stati quam in missa habuerat, deponit faciem, facie videlicet humilitatis, faciem hominis assumer faciem leonis, propheticis illis animalibus imo p-tius evangelicis a propheta descriptis simillimu quibus inter cæteras erat facies hominis et faci leonis. Et quidem in mysticis illis et sacerdotalib indumentis, pallio etiam insignitus, sicut ibide tunc missam celebraverat, perrexisset ad curiam nisi quidam Templares milites magni et religi-viri, quos jam pridem familiares habuerat, obs-tissent. Dicebat enim se velle ut curia videret intelligeret quem jam bis judicasset, et quem p-rata adhuc condemnare ; attamen ad dictorum -stantiam, sacrum quod diximus schema depos-verumtamen, eo quod multi et magni credeba jam et verebantur ipsa ea die aut captionem al-quid deterius imminere, quod et ipsimet a quibu-dam aulicorum secretius instillatum, secum ipsem, sed clam, ecclesiasticæ communionis portabat v-ticum, eucharistiam scilicet ; verum jam audac

factus et securior, tanquam si ad prædam, leo noster evangelicus ad curiam properat. Ad quam jam pontifices et proceres convenerant, archipræsulis adventum et rei finem exspectantes. Archipræsul vero, ut aulam ingreditur, a crucis bajulo ante ipsum crucem mox accipit, et palam in omnium conspectu crucem ipsemet bajulavit, tanquam in prælio Domini, signifer Domini, vexillum Domini erigens : illud etiam Domini non solum spiritualiter, sed et figuraliter implens : *Si quis*, inquit, *vult meus esse discipulus, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me* (*Math.* XVI). Revera mysticum opus futuræ crucis suæ præsagium fuit. Videntes vero hoc stupent universi, anguntur pontifices, indignatur proceres. Rex autem, qui in cœnaculo seorsum, audiens sic quasi factus extra se ; unus vero episcoporum qui archipræsuli aulam ingredienti confestim occurrit, videns hoc et velut stupidus effectus, attentavit mox a manibus archipræsulis avellere crucem, sed non valuit. Magister Robertus de Melundino, quem archipræsul in sacerdotem ordinaverat et in Herefordensem episcopum consecraverat, hic erat. Alter vero episcoporum, qui similiter occurrerat ex altera parte crucis, objurgans convitiabatur : « Si rex, » inquiens, « suum exerit gladium, ut tu nunc tuum exeruisti, quæ poterit esse de cætero inter vos reformandæ spes pacis? verum qui semper fatuus, tua in te hodie apparebit fatuitas. » Ecce contumelia, ne videlicet discipulus jam in cruce in parte hac magistri in cruce pendentis titulo defrauderatur. Jam supradictus Gilbertus Londoniensis episcopus hic erat. Sed discipulus in cruce sequens magistrum, qui cum malediceretur non remaledixit, contumeliam dissimulans, procedit crucem bajulans, donec ab aula in aliam domum interiorem ingrederetur et sedens inter pontifices crucem tenebat in manibus. O spectaculum cernere Thomam, olim quidem in aula jam multiplici præclarum peregrinarum vestium schemate, nunc vero in cilicio et in cruce ! olim quidem quacunque per aulam tot et tam spectabilium corona circumseptum, ad quem præterquam solis magnatis vix pateret accessus, nunc vero ita singularem et solum, ad quem vix qui velit accedere, omnibus se jam ab eo elongantibus, ita ut discipulo vox illa magistri aptari posset : *Elongasti a me amicum et proximum et notos meos a miseria* (*Psal.* XXXVII). Et illud prophetæ: *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se supra se* (*Thren.* III): vere in spectaculo hoc Dei judicium etsi terribile jucundum tamen, cernere Thomam in aula crucis bajulum in qua tot deliciis et divitiis aliquando super affluens omni se specie vanitatis expompavit ; justo quidem Dei judicio solvere jam inchoans abjectionis pœnam, ubi tantæ adhuc in sæculo sumpserat elationis materiam. Et quidem verum illud Sapientis dictum : *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei in sta in justitia et timore et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Mox autem convocatis præconis voce

A pontificibus et proceribus universis gravem et grandem rex deponit querimoniam, quod archipræsul in ignominiam ejus et regni sic intraverit curiam, non tanquam regis sed proditoris, se de proditione sic notabilem reddens : inauditum a sæculo in curia alicujus regis Christianæ professionis hoc factum. Quotquot vero regis verbo testimonium perhibentes dicebant illum vanum semper et superbum exstitisse, et ignominiam hanc non in solum regem, sed in regnum totum, in ipsos omnes redundare, et hoc nunc merito regi accidisse, qui talem fecerit secundum sibi in regno cui subessent omnes et par nullus. Omnes igitur passim et manifeste proditorem conclamabant, quasi domino suo et regi, a quo tot et tanta acceperat, non jam honorem terrenum sicut B juraverat servasset, sed potius in facto hoc et regi et regno perpetuam proditionis maculam impressisset : et propterea in eum tanquam in regis perjurum et proditorem animadvertendum. Et super hoc clamor invalescebat, unde et audientes hæc per totam aulam tremore et horrore concutiebantur, adeo etiam, quod cum aliqui de cœnaculo, in quo rex cum suis erat, ad inferiorem domum in qua nos eramus descendissent, et archipræsul et nos quotquot in domo manus levantes crucis nos signaculo muniebamus. Archipræsulem vero alloquebatur nullus, nec ipse aliquem præterquam discipulum qui scripsit hæc qui ad pedes tenentis crucem sedebat.

Cum vero semel aliqui aulicorum qui ut videbatur ostiariorum in aula habebant officium, cum virgis et baculis de sæpe jam dicto cœnaculo in magno C impetu descendissent, et vultu minaci et digitis extensis versus archipræsulem et discipulum ad pedes sedentem respexissent, quotquot in domo erant crucis signaculo se signantibus, archipræsul inclinato capite sedenti ad pedes discipulo : « Timeo, » inquit, « jam tibi ; verumtamen tu non timeas; adhuc enim coronæ meæ particeps eris. » Cui mox discipulus : « Nec tibi, » inquit, « timendum nec mihi : erexisti enim nobile illud et triumphale vexillum omni potestati sanctum et terribile, in quo multi multa bella vicerunt. Et inter alios hæc nostra verba sanctæ et divæ recordationis Constantini magni docent et confirmant exemplaria prælia. In quo etiam crucis vexillo tam inclyto non solum terrenæ, sed et aeriæ potestates triumphatæ et exspoliatæ D sunt, mundo per ipsum et in ipso et inferno pariter subjugatis. » Et adjecit qui loquebatur discipulus : « Memento, » inquit, « quondam te extitisse regis Anglorum signiferum inexpugnabilem, nunc vero si signifer regis angelorum expugnaris, turgissimum. » Dum vero magister et discipulus sic in aure colloquerentur, pontifices de licentia regis sperati a proceribus per se seorsum inierunt consilium. Res enim in arcto erat, siquidem pontifices aut regis indignationem incurrerent aut una cum proceribus archipræsulem suum super causa criminis in curia condemnarent. Quod quidem propter nimis manifestam sanctarum sanctionum prævaricationem non audebant.

Nec enim qui sapientes sunt ut mala faciant, ad quævis mala manus semper apponunt, sed ad ea duntaxat, quæ commentitia et concinnata fraude tegi valent. De qualibus in Psalmo : *Narraverunt*, inquit,*ut absconderent laqueos,dixerunt* : *Quis videbit eos* (*Psal.* LXIII.) Talium quippe velut mulieris adulteræ via quæ juxta sapientis dictum comedit, et tergens os suum dicit,Non sum operata malum. Alioquin nec essent sapientes ut mala facerent, si evidenter et absque tergiversatione omni posset malitia deprehendi. Unde et in arcto hoc volvunt pontifices et revolvunt quid agendum,qualiter hæc evadenda necessitas. Et demum de communi omnium consilio hoc concinnatum, quod archipræsulem ad Romanam sedem de perjurii crimine appellarent, et regi se obligarent in verbo veritatis promittentes, se omne opus et operam archipræsulis sui depositionem pro viribus adhibituros,sub hac conditione, ut rex eo de beneplacito suo ab hoc quod nunc imminebat archipræsulis absolveret judicio. Regi igitur ita se obligantes et archipræsulem super crimine ad Romanam audientiam appellantes expressim, et personas suas et ecclesias suas et officium sub appellatione concluserunt. Et ita dé regis beneplacito semoti a proceribus,appellatione facta, juxta archipræsulem sederunt unusquisque in ordine suo.

Jam vero terror et horror plus quam prius universos pervasit. Rege enim cum principibus,pontificibus subtractis,jam pro tribunali sedente, certissime putabatur mox captio aut quod durius archipræsuli imminere. Extunc siquidem principes et quotquot regni majores aperuerunt ora sua, sicut leo rapiens et rugiens, et perjurum et proditorem archipræsulem, ut postea nobis intimatum,judicarunt. Quid tamen judicatum, magis quam scire, suspicari potuimus, sicut mox ostendetur. Igitur cum pronuntiandum foret, rege cum paucis remanente et universis quotquot erant de cœnaculo ad domum inferiorem, in qua nos eramus,descendentibus, ut pronuntiarent coram archipræsule steterunt. Quibus descendentibus cum archipræsul vellet assurgere, discipulus qui ad pedes crucis sedebat, instillavit secretius, nequaquam decere,ut in tali articulo pater assurgeret filiis, præsertim dum tanti regis vexillum propriis manibus sic teneret. Acquievit archipræsul, nec coram ipso astantibus assurgens, nec in gestu seu verbo vel opere ullum in ipso pusillanimitatis vel inertis trepidationis argumentum poterat deprehendi. Nobis vero vir Robertus tunc Leicestre comes inter honoratos honoratior, in cujus ore verbum positum fuerat, loqui exorsus est. Primo autem memoravit in quam familiarem regis gratiam admissus fuerat ; quot et quanta de manu regis acceperat, et quomodo nunc horum omnium immemor videbatur et ingratus, mala pro bonis tribuens, et pro gratia et gloria odium et ignominiam. Et quia comes hic vir magnus et generosus archipræsulem, a tempore cancellariæ, semper quidem pure et sincere, sed nunc propter metum occulte diligebat, mœstus et compatiens ut liquido adverti poterat,verba protrahebat veritus pronuntiare.Quod cum archipræsul cito adverteret, comitis verba interrumpens omnibus qui coram astabant in virtute obedientiæ et sub Christi fide, quam profitebantur, tanquam pater filiis inhibuit ne tale pronuntiarent judicium, quo persona sua judicaretur. Verum comes, etsi invitus, ut adverti poterat, nihilominus processit,tractim tamen et morose ad pronuntiandum. Cum vero ad hoc ventum quod archipræsulem de reatu perjurii tangeret, volens jam, ut adverti poterat, pronuntiare perjurum et forte ut conjectabatur et proditorem, præsentiens hoc archipræsul mox,non exspectato judicio, surgit protestans non eorum esse archipræsulem suum judicare de crimine : unde nec pro certo novimus quid judicatum. Verum mox improperatum et conclamatum a nonnullis, qui ut judicium redderent astiterunt,quod tanquam perjurus et proditor a curia discederet. Ipse vero ad improperantes sic se vertens et torvo vultu respiciens, respondit quod nisi ordo sacerdotalis obstaret, et sibi fas esset, in armicis bellicis a perjurio et proditione se contra ipsos defenderet. Et ita discessimus a concilio : *Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his et vidit et scripsit hæc* (*Joan.* XXI). Qui et in eo articulo solus extra domum interiorem, donec aulam intraremus, archipræsulem crucis suæ bajulum secutus est : factique sumus ea die spectaculum mundo, angelis et hominibus.

Verum egressus a curia, cum jam essemus in equis, archipræsul vix poterat equum regere, crucem portare et benedictionem dare poscentibus, tanta erat benedictionem poscentium populi multitudo. Nam quasi futurorum præsagium, egresso a curia et crucem bajulanti, per vicos et plateas populi se multitudo prostrabat, adorans et benedictionem petens. Cum vero ad hospitium ventum,ecclesiam videlicet Sancti Andreæ religiosorum monachorum monasterium conventuale, mensæ confestim positæ et sicut solet magnus erat et præclarus apparatus, verum mox multi de familia nostra equites præsertim et generosi pueri, propter regis metum dimitti petentes, licentiati in anxietate et amaritudine multa a nobis discesserunt : illud jam in nostris sapientis experti elogium : Est, inquit, amicus socius mensæ et non permanet in die necessitatis. Attamen excusabiles hi quia laici,regiam ob id nec immerito indignationem formidantes.Sed erant inter deserentes nos nonnulli nostri officii viri, clericos dico, qui minus excusabiles et plus in culpa. Qui mox ut inter regem et archipræsulem futuri temporis nubilum præsenserunt, tanquam hirundinei homines,futuræ hiemis metu,mox semsim avolarunt a nobis. Hirundinei vere hi et arundinei, qui in primo venti impulsu mox cesserunt. Tales revera, filii auræ,amici, fortunæ,solum præ-

dam sequentes et quærentes quæ sua sunt. Sed non pergo nunc ulterius istorum exagitare verecundiam; solum sufficit tetigisse; præsertim cum ipsi postea rerum cernentes exitum, se errasse humiliter confessi sint et graviter pœnituisse, quod pastorem suum et patrem sic deseruerint. Decuit tamen tetigisse hoc, ut de cætero hi, qui sunt nostri officii viri, pastorem suum et patrem sequentes minime retro respiciant et in angustiis derelinquant. Nam juxta Sapientis dictum: *Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur* (*Psal.* xvii). Omissis igitur his qui exierunt a nobis, sed non erant ex nobis, gestorum ordinem prosequamur; hoc solo ad gloriam tanti archipræsulis inserto, quod subtrahentibus se his, discedentibus illis, vir ille virtutum constantiæ firmiter subnixus, columna cui tota virtutum innititur fabrica, sine qua etiam nec per momentum stare posset, sed funditus rueret, animi fortitudine universa dissimulat.

Magna quippe anima, quidquid in tempore prosperi acciderit vel adversi, pro exiguo reputare consuevit, attendens quod, sicut quidam ait, Nec prosperitas diuturna nec ærumna sit pertinax. Igitur quoniam in recessu nostro a curia diei vespera erat, finito vespertino officio, confestim archipræsul cum suis quos tunc habuit discubuit et inter prandendum in ecclesiastica Historia Tripertita de persecutione Liberii episcopi lectio fuit, ubi cum illud Evangelii scilicet: *Si vos persecuti fuerint in ista civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x), interpositum audiremus, respexit archipræsul discipulum qui scripsit hæc, jam ut conjectabam, et sicut mox exitus probabit, evangelicam in animo concipiens fugam. Hymno vero dicto archipræsul, surgens a mensa, confestim Rogerum tunc Wigorniensem et magistrum Robertum et Melunduno tunc Herefordensem episcopos, quos sacerdotes ordinaverat et episcopos consecraverat, nec enim alios præter hos duos antea vel post consecravit, et item Roffensem episcopum proprium cappellanum suum invocavit, et ad regem mittit, postulans ab eo securum de terra sua egressum. Qui vero missi fuerant cito revertentes retulerunt regem respondisse quod in crastino ad consilium hoc differret.

De inita archipræsulis fuga.

Interim vero a consciis regalium secretorum secreto mandatur et consulitur archipræsuli, ut et sibi provideat: unde et archipræsul eadem nocte parum ante gallicinium in quatuor tantum suis clam destinatam iniit fugam, paucis admodum consciis, duntaxat discipulo qui scripsit hæc capellanis suis, et cubiculariis sine quorum conscientia hoc geri non poterat. Discipulo vero injunxit ut eadem nocte Cantuariam proficisceretur. Quia eo tempore ratio redituum et totius archiepiscopatus generalis pansio fiebat, præcepit ut colligerem si quid possem, et ad transmarina, ad claustrum videlicet illud opinatissimum Sancti Audomari in Flandria accelerarem, et in nobili et omni religione prospicuo monasterio Sancti Bertini ipsius certissime præstolarer adventum; illic, favente Domino, sine occasione venturum se asseverans, nisi aut captio aut mors ipsa impediret. Adjecit vero quod curavi hic interserere, rogans ut cujusdam libri sui curam haberem, ne cæteris suis post fugam ut videbatur diripiendis periret. In quo notari potest quantus fuerit cum decuit possessorum contemptor, qui in tanta tam varia supellectile et ambitiosa quam reliquit, unius erat duntaxat codicelli memor. Et sic archipræsul recessit et discipulum post eum ejulantem et clamantem dereliquit. Eadem vero nocte quidam de sociis nostris fugæ istius ignari, in thalamo quodam seorsum dormierunt. A quorum uno, ut ipse mihi post et aliis retulit, in somnio sonus vocis manifeste auditur duos illos psalmigraphi versus decantantis: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus* (*Psal.* cxxiii). Et in hac quidem tertia feria tanti regis et tanti archipræsulis perniciosa dissensio et capitis et membrorum, metropolitani videlicet et suffraganeorum, profana diviso, et denique regni totius et sacerdotii turbatio et nostri exsilii totis sex annis usque ad martyrium duraturi inchoatio, quarta fuit concilii actio.

O maledicta dies! o malignum concilium! O diei et concilii actio omnibus post futuris sæculis detestanda, per quam tanti regis et tanti pontificis tam chara fœdera tam irreparabiliter sunt soluta, de cætero nunquam rege et archipræsule se in regno revisuris. O quanta ex his gestis et regno et sacerdotio incommoda pervenerunt! Unde et quod vidi, quod audivi, et quod ipse sensi, hoc testor, quam profanum est, quam pestiferum, quam funestum inter regnum et sacerdotium discordiam seminare vel schisma, nisi forte et manifestissima justitiæ causa sacerdotalis æmulatio provocetur. Nam propter Dei veritatem, inter reges et sacerdotes ortum schisma vel scandalum non tam est schisma vel scandalum quam ecclesiasticæ pacis et libertatis fomentum. Verum mihi sacerdotum quibus potestas data sub obumbratæ religionis obtentu transeunt, tacent et dissimulant, cleri libertate in ipsorum oculis periclitante pro bono pacis ecclesiasticæ, ut aiunt et suadent sibi, inter regnum et sacerdotium schisma suscitare nolentes. Quorum tamen nonnulli verius ob id dissimulant quod vident, et laborem et dolorem considerant si aggrediantur hæc: hi præsertim dissimulatores optimi et omnia propter Cæsarem sustinentes, quorum ad sublimiora promotionem aut concessit de facili aut interdum Cæsar ipse etiam ultra quam licuit procuravit. Verum hic noster Thomas, etsi ut præostendimus de regia assumptus, et tanta regis gratia præditus, et rege sic volente et procurante promotus, tamen cum tempus accepit et causa suberat, præteritorum oblitus, in anteriora se extendit, et se pro cleri

decore et pro ecclesiastica libertate quam tuendam susceperat, homini, quam supra hominem diligebat, nec minus tunc dilectus, regi se opponit. Non ut vetus ille sacerdos in Evangelio, non ut levita, carnalium minister, pertransiit, non præteriit, non dissimulavit, unde tamen multa et minime hic enarranda et regno et sacerdotio incommoda ex schismate hoc et dissensione hac provenerunt. Quod et ipse tanquam vir in omnibus providus ante malorum eventum prædixerat, verum, ut addebat, minime periclitantis justitiæ causa deserenda aut etiam dissimulanda ob id. Arduos quippe aggressus et facta grandia grandis solet subsequi aut comitari jactura ; verum et ipse virtutis aggressus, et A ipsamet virtus demum sic probata, sicut perfectior et commendabilior redditur. *Virtus* enim, in quit Magister, *in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII) Quæ autem et quanta hinc inde et regno et sacerdotio incommoda ex dissensione hac provenerint, sequens ex parte historiæ ordo declarabit. Quæ et nos supro in hujus operis textu tetigisse meminimus. Quæ qui plenius nosse desiderat, legat epistolas nostra a nobis in exsilio nostro confectas aut directas a nos vel pro nobis. Ex omnibus quippe hic compa ctis confectum est grande unum corpus epistolare ad quod recurrendum. Plurima enim ex his, quæ in epistolis continentur, per sequentis historie tum brevitatis causa præterimus.

INCIPIUNT CAPITULA TOMI QUARTI.

INCIPIT TOMUS QUARTUS.

1. DE FUGA THOMÆ ET QUOD EVANGELICA FUERIT.

Deposito igitur orario, quod in memoriam suscepti jugi sacerdotalis publice et assidue, ut superius ostendimus, supra humeros gestare consueverat, fugit Thomas, eo ipso quasi jam indicans posse se jam minime in pressura tanta sacerdotio libere fungi. Fugit itaque deposito orario, nihil secum præterquam insigne illud metropolitanorum, quod pallium dicitur, et sigillum suum in via portans, non peram, non panem, non in zona æs, sed solum cilicio amictus super nudo secutus est Jesum. Secutus, inquam, Jesum fugientem prius, sed postea intrepide occurrentem. Nam, ut formam daret suis fugiendi pro tempore, fugit pastor pastorum Jesus; fugit et post magistrum magister magistrorum Paulus; et, si antiquiores adhuc quærimus fugitivos, fugit Jacob, fugit Moyses, fugis et Elias, quotquot illud Domini de fuga adimplentes mandatum: *Si vos*, inquit, *persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x). Fugit igitur Thomas, ut Domini adimpleret mandatum, in fuga providens regi quem adeo diligebat, et sibi, ut regiæ videlicet indignationis declinaret fervorem et manus servaret innoxias. *Indignatio enim regis*, ait Sapiens, *nuntius mortis, et vir sapiens placabit eum* (*Prov.* xvi). Nec igitur de fuga hac opus est sermonem apologeticum texere quæ non mercenarii fuit, sed pastoris qui videbatur personaliter quæri. Fugit etiam eo quod remanendo et opponendo se magis morti fructificaret quam vitæ, dolore super dolorem apposito. Qualiter et Apollo magistri discipulus, quem et Corinthiorum episcopum ordinaverat, ipsos, quibus nuper prælatus erat, fugiendo deseruit, quia sedare nequisset, adeo quod etiam multum rogatus a magistro ad eos reverti, tunc noluisset, metuens ne propter obfirmatos non faceret fructum. De quo illis Magister: *De Apollo*, inquit, *fratre notum vobis facio quoniam multum rogavi ut veniret ad vos*; *et utique non fuit voluntas ut nunc veniret* (*I Cor.* xvi). Sic et ex causa simili, crebro multi alii pastores et boni aut penitus sine grege deseruerunt gregem sibi commissum aut de grege ad gregem translati, ubi curam utiliorem impenderent. Non itaque pro fuga hac apologia necessaria; illorum potius, provincialium videlicet episcoporum, inexcusabilis fuga qui remanserunt.

—

A *De fuga spirituali, qua non pastor fugit, sed mercenarius.*

Et certe fugerunt qui remanserunt. Nemo enim qui ipsos fugisse diffiteatur, qui archipræsulem suum militiæ suæ ducem in die belli deserentes, in partem transierunt adversam: fugerunt revera tanquam filii Ephrem, qui intendentes et mittentes arcum, videlicet se ante bellum ad bellum præparantes et promittentes auxilium, conversi sunt in die belli; corpore quidem remanentes et amplectentes quæ carnis sunt, mente fugerunt, sub timoris modio militiæ suæ arma et veritatis lucernam abscondentes cum deberent contra principes et potestates mundi hujus ex adverso ascendere et pro domo Israel stare
B in prælio in die Domini. Alioquin Dominicus miles sine causa gladium portat: imo, ut jam diximus, sub timoris modio gladium suum abscondit et fugit, etsi non corpore, spiritu tamen. Hæc quippe fuga non corporis, sed spiritus est, semper inexcusabilis, quam mundi terror aut amor in mercenariis facit; qui in templis auro micantibus et inter deaurata altaria quotidie psallunt et legunt, et tamen fugiunt: qui in auro quotidie et gemmis inter ministrorum examina splendide epulantur et bibunt, et tamen fugiunt: qui sub ficu et vinea sua secure dormiunt, et tamen fugiunt, sic enim fugiendo principum gratiam et mundi gloriam consequuntur. Væ generationi nostræ, ministros loquor altaris, a fermento hoc, a fuga hac! Nec est enim jam qui se op-
C ponat qui ex adverso ascendat. Psalmos quidem psalmis, orationes orationibus et missas missis copulant, et quotidie satis regulariter audiunt: et pauperibus quidem et egenis manus abunde aperiunt; sed hæc quidem omnibus Christianis communia; Judæi quippe et ethnici faciunt hæc, sed episcopi illud principium nominis episcopalis, longe supra avolat a privatorum conversatione communi. Hoc quippe in episcoporum declaratur nomine, quod ab iis exigitur in operationis virtute. Quorum est jugiter arguere, increpare instare opportune, importune, contra diem resistere, terrenis potestatibus se opponere. Hic est enim clivus arduus et hæc est propria sarcina pastoralis. Et hoc est illud episcopi nominis episcopalis principum, hoc episcoporum fastigium, hoc tam præcellentis in ecclesia gradus privilegium, quo privatos excedere et supra nos avolare debent, qui supra nos sunt, qui præsunt nobis,

sui quidem, ut jam diximus, in jejuniis, in vigiliis in dandis, in erogandis, et orationibus et reliquis pietatis seu religionis operibus cæteris, se inferioribus comparticipant, utpote quæ non episcoporum propria, sed Christianorum omnium communia sunt. Sed, proh dolor! quotquot hi? et si hæc quæ non oportet omittere faciunt, tamen diebus his militiæ suæ arma abscondunt, qui dum terrenis commodis inhiant, dum honores cevent, aut per ambitionis spiritum sublimiora appetunt, opponere se renuunt, ne perdant quæ diligunt, aut ad id non perveniant, ad quod tendunt unde et plane illo Domini comminatorio per prophetam præsens feritur ecclesia, *Auferam*, inquit, *a Juda et Jerusalem validum et fortem* (*Isa.* III). Quod et in Threnis suis in persona synagogæ alter luxit propheta; luxit quidem non murorum seu lapidum templi jacturam, sed virorum inopiam. *Abstulit*, inquit, *omnes magnificos meos a me* (*Thren.* I). Olim quidem prædictum, sed nunc impletum admodum hodie in Juda et Jerusalem: Pauci magnifici, validi, pauci et fortes: omnes quippe terga vertentes, fugientes omnes: qui fugiendo sic ea assequuntur quæ Thomas fugiendo contempsit, quorum certe fuga periit a Thoma fugiente, ita ut fugiens vere possit illam in Psalmo versiculi pericopen decantare per viam: *Periit fuga a me et non est qui requiret animam meam* (*Psal.* CXXI). Cernens enim quod omni tempus sit, et quod tempus sit fugiendi et quod tempus occurrendi, fugit prius sed postea occurrit, quemadmodum finis istius operis et finis hominis declarabunt. Unde et commendabilis hæc Thomæ fuga et magna fides fugientis, nihil cogitantis de crastino, nihil secum in via præter crucifixi fidem et paupertatem portantis, cum tamen fuisset, ut satis supra ostensum, in Augustalibus deliciis enutritus. Toto igitur Britannico orbe Thomas profugus agitur Oceano, omni ex parte circumseptus, unde et egressus difficilis, præsertim cum omnia suspecta essent fugienti, utpote qui ubique publici hostis nomine censeretur: verum de itinerario fugientis et egressu calamum ad modicum suspendamus, dicturi prius quale in crastino, quarta videlicet feria, cognita jam fuga, inierint consilium principes et pontifices adversus Dominum et adversus christum ejus.

2. QUID SIT GESTUM IN CURIA, COGNITA ARCHIPRÆSULIS FUGA.

Mane quidem facto, fuga jam cognita pontifices et principes convenerunt in unum; rex vero turbatus sciscitatur quid agendum: et commune quidem consilium ut majores natu episcoporum, maxime qui, ut supra diximus, regi se obligaverant, Romanum adirent pontificem, de turbatione pacis et regno et sacerdotii et reatu perjurii archipræsulem suum accusaturi, et in interim omnia ipsius in pace essent, donec quid Romanus pontifex judicare et reportarent: unde et mox regis edicto præconis voce proclamatum, ne quis homine archiepiscopi molestaret aut possessiones, seu de ejus quidquam auferret, sed universa ipsius pacem haberent. Et hoc quidem sapientes illi, ut mala facerent, dederunt consilium, ut ita commodius causam suam justificarent, archipræsulis vero deprimerent: quod videlicet cum temere et ignominiose regem exacerbasset, regni et sacerdotii pacem inconsulte turbasset, et fatue et indiscrete ecclesiam suam noctu fugiendo reliquisset, ipse tamen post omnia hæc ex regia clementia regiæ pacis bono frueretur immeritus. Ita pontifices cum divitibus in occultis paraverunt laqueum fugienti; et ita confestim arripiunt iter Rogerus tunc Eboracensis archiepiscopus, Gilbertus tunc Londoniensis, Rogerus Wigorniensis, Hilarius tunc Cicestrensis, Bartholomæus Exoniensis episcopi. Præter hos vero et cum istis nonnulli aulici et alii quidem honorati viri et magni ab ipso latere regis missi in testimonium illis, per quo rex scripto suo piæ recordationis Ludovico tunc regi Francorum, et nobili comiti Flandriæ Philippo, conquerendo intimavit, Thomam quondam Cantuariensem archiepiscopum, talis quippe erat scripti conceptio, a regno suo tanquam proditorem fugisse, et ne eum in terra sua reciperet. Proficiscuntur igitur hi; sed ante alia fugientis Thomæ itinerarium ad humilitatis exemplum memorandum,

3. DE ITINERARIO THOMÆ FUGIENTIS.

Ut diximus, noctu clam fugiens, fratrem unum de ordine de Semplingeham secum habens viæ ducem, versus Aquilonem ad nobilem illam civitatem quæ Lincolnia dicitur, tendebat, sciens et prudens invium carpens et non viam, ut ita cautius qui possmitterentur persecutores effugeret et declinaret insidias. Et ea nocte venit ad pagum qui dicitur Graham, viginti quinque circiter milliaribus a Northamptune distantem; ubi postquam modico indulsit somno, in crastino arripiens iter venit Lincolniam, iterum circiter viginti quinque millia hospitatus in civitate in domo cujusdam fullonis. Et ibi aquam quæ fluit per civitatem intrans, ad locum quemdam solitarium in medio aquarum situm, qui dicitur Hermitorium et pertinet ad sanctam illam sanctimonialium congregationem de Semplingeham, per aquam venit millia circiter quadraginta; ubi propter loci solitudinem, et propter difficultatem accessus eo quod in medio aquarum sit, per tres dies securius latuit, ad iter quod restabat vires reparans. Una vero dierum cum frater, qui ipsi ministrabat, videret solum sedentem in mensa et pulmentariis vesci compunctus lacrymas continere non potuit; et continuo exivit ne inter sacras epulas Dei virum lacrymæ effusæ perturbarent.

De hermitorio venit ad sanctum Botulfum decem milliaria: et inde per aquam venit ad locum qu dicitur Haverol, ad prædictam sanctimonialium congregationem itidem pertinentem. Deinceps vero nocte solum proficiscebatur, veritus deprehendi Jam siquidem orientem versus ad Cantiam tendebat, ubi a populo terræ facie magis cognitus erat Nocte itaque ibat et die latitabat octo noctibus die

um conficiens iter, donec in Cantia perveniret ad agum supra mare situm qui dicitur Estrei; ubi ansfretare disposuit. Ibi quidem eo cautius quo ecurius, eo quod pagus ille esset proprius de mensa acri conventus sedis suæ metropolitanæ, a Canıaria octo tantum milliaribus distans. Latuit auım lux mundi futura in pago hoc usque ad diem nimarum diebus octo. Die vero Animarum qui fuit rtia feria, quintus decimus dies ab illa tertia feria, b illo die Martis, quo apud Northamptune pugnarat l bestias, nocte parum ante diem absque omni veura in scapha intravit mare, et circa vesperam apicuit in quodam maris latere quod a vulgo terræ citur Oie in Bolonia, per unam leugam distans a ortu qui dicitur Graveninges. Et ivit vir Dei pedes ıantum potuit, sed parum potuit, eo quod com mocum vas marinum intrasset, scapham, ut diximus, r crebros et profundos maris jactus non parum isset ex mari fatigatus. Unde et post modicum iter clinavit in terra, non valens procedere, et dixit tribus qui cum eo erant: « Hinc non recedam si vehar a vobis aut quæretis mihi vecturam. » quæseriunt ei jumentum pro uno argenteo: et nentum hoc non frenum sed tantum prolectam ca collum habebat. Et posuerunt vestimenta sua pra dorsum, et eum desuper sedere fecerunt.) spectaculum cernere Thomam, quondam in curus et in equis, super jumentum nunc sedentem,) freno solam prolectam circa collum habens, et) sella super dorsum fratrum pauperum et con'sorum panniculos! O quam magna super te, oma, rerum mutatio! ubinam sunt quondam tot ıi aut tot equites tui et tam divites et tam ambisæ phaleræ tuæ. Ecce nunc quod omnia hæc ad ıentum unum et ad prolectam unam redacta: : tamen jumentum tuum vel prolecta tua, sed rius est. Te revera transeunte, transierunt et tua, era enim tua transierunt et facta sunt omnia a. Vere mirabilis Deus in sanctis suis, deducens in via mirabili, de tribulatione lætificans, de ssura dilatans, de tentatione probans; destruendo ficans, percutiendo sanans, occidendo vivificans. od quidem inter cæteros et in Thoma hoc nostro uidissimum. Et quidem ad supradictum portum veninges venit, sic supra jumentum sedens. Teritaque feria, quæ dies Animarum fuit, qui vulgo s Martis dicitur, qui fuit, ut supra jam diximus, ıtus decimus ab eo die quo apud Northamptune upra descripto discrimine fuit in transmarina licuit. Nescio quippe quo rerum præsagio, si en præsagium magis quam eventus, tertia feria ım iniit, tertia feria in transmarina applicuit, a a marinis recessit, et tertia iterum revertens ngliam applicuit, et tertia demum feria gladio ıbuit, ab eo die, quo revertens, applicuit, mense m exacto, ut ita quæ fuit dies Martis, fieret et tyris; in qua velut quodam futurorum præsagio uater sic parabatur ad martyrium. Tertia itaque

A feria, quæ dies Animarum fuit in transmarina applicuit, et in vespera Graveninges venit.

4. QUOMODO THOMAS FUGIENS IN FRACTIONE PANIS AB HOSPITE SUO AGNITUS SIT.

Et cum sero recubuisset una cum tribus fratribus viæ sociis, ab hospite suo in fractione panis agnitus est: cum tamen in mensa non magis ipsi quam alii deferretur, imo minus, utpote qui in mensa primum nequaquam teneret locum, sed extremum. Qui etiam per totum hoc itinerarium suum sicut habitu ita et nomine mutato, a confratribus suis viæ sociis frater Christianus vocabatur, nomen Christiani sortitus pro proprio, totum ob id ne potuisset agnosci. Verum cautus hic hospes notavit quod præ cæteris recumbentibus singularem haberet vescendi modum et in B distributione affectum. De illo siquidem modico quod ipsi in mensa apponebatur, parvulis et aliis qui in domo singulis dispergebat et dabat.

De corporali archipræsuli forma.

Præterea ad certius conceptæ jam agnitionis argumentum, totius hominis compositionem intuebatur et gestum, corporis videlicet proceritatem egregiam, frontem amplam et aspectum severum, faciem oblongam et venustam formam manum oblongarum et articulorum in manibus congruam et quasi exquisitam his protensionem. Videns itaque hominem in modo edendi, in corporis qualitate et gestu cæteris louge dissimilem, existimavit mox se magnum aliquem virum in hospitio suo suscepisse, et pro certo suspicabatur Cantuariensem hunc esse archiepi- C scopum, eo quod jam densus in terra circumquaque percrebruerat rumor Cantuariensem sic a Northamptune clam recessisse, et jam in partes illas aut applicuisse aut in proximo applicandum fore. Hospes igitur confestim rusticam suam seorsum vocavit, et instillavit secretius Cantuariensem esse quem hospitio susceperat. At illa impatiens, vix verbo exaudito, ad mensam properat et post modicum intuitum mox rediens et subridens: « Certe, » inquit, « bone vir, ipse est. » Rustica igitur mox sollicitior circa ministerium discurrit, festinat, et nunc nuces, nunc pona, nunc caseolum, ante fratrem Christianum apponit. Frater vero Christianus suspicans se jam ex aliquibus indiciis deprehensum, carere mallet his quæ rustica affectuose apponebat, et tamen dissimulat.

D Cœna autem facta, hospes cum nova vultus hilaritate accedit propius. Quem cum frater Christianus supra sedem juxta se ponere voluisset, hospes constanter renuit, in terra secus ipsius pedes sedens. Et post modicum: « Domine, » inquit, « gratias ago Deo quod dignus fui ut sub tectum meum intrares. » Cui mox frater Christianus: « Quis ergo sum ego? nonne ego quidam pauper frater sum et Christianus dicor? » Et hospes: « Certe, » inquit, « quidquid dicaris, scio te magnum virum esse et Cantuariensem archiepiscopum. » Igitur cum frater Christianus nullis verborum involucris ab hospite suo se potuisset evolvere, quin horum alterutrum necesse haberet, aut de se veritatem fateri constanter aut diffiteri

mendaciter, confessus est quod ipse est, et non negavit. Et ne se proderet, hospitem suum blandis demulcens secum duxit in crastino. Ecce quam longa viri Dei pericula qui etiam jam in portu periclitabatur.

5. QUARE JAM IN TRANSMARINIS SE ADHUC ABSCONDERIT.

Rex quippe nobili comiti Flandriæ Philippo germano suo et amicis suis magnatibus terræ scripto jam et verbo disseminarat Thomam quondam Cantuariensem archiepiscopum (talis enim erat scripti conceptio) de regno suo tanquam proditorem suum fugisse : unde et quam longa manus regia, tam longa pericula regiam manum fugientis, et ideo omnia plena suspicionibus et securitas nulla. Causa etiam qua in illis partibus prodi metuerat erat, eo quod domino regi Anglorum procurante Mathæus frater comitis Flandrensis Philippi, tunc Boloniæ comes cum abbatissa quadam filia Stephani quondam regis Anglorum matrimonium profanum et omnibus post futuris sæculis detestandum contraxerat, archipræsule tunc regis cancellario propter facti enormitatem contradicente, et quoad potuit reclamante ; unde et comes Boloniæ extunc perfecto eum odio oderat. Erat quidem sic : verebatur itaque ipse, nec igitur sine causa in partibus illis manifestari se voluit , unde propter crastinæ diætæ longitudinem et viæ difficultatem et insidias quas verebatur, in crastino summo diluculo arripuit iter, et de Graveninges pedes ivit vir Dei tota ea die, via admodum lutosa et lubrica, tempore præsertim hiemali et circa noctem venit ad monasterium de sancto illo ordine Cisterciensi, quod in terra dicitur Clermareis, ad supputationem indigenarum iter duodecim leugarum terræ ea die conficiens. Est autem monasterium hoc situm prope illud castrum nobile, quod supra nominavimus, Sancti Audomari.

6. DE LOCO UBI DISCIPULUS REVERSUS EST AD MAGISTRUM.

In hoc autem monasterio discipulus, qui scripsit hæc, circiter quatuor quinqueve dies præveniens, sicut supra diximus, sibi injunctum, domini sui præstolabatur adventum, in nobili videlicet et omni sanctitate præclara abbatia Sancti Bertini. Unde mox in adventu domini nuntio accepto, eadem nocte veni et quidem gavisus sum, viso domino, nihilominus et compassus audiens ipso videlicet mihi referente tunc itineris sui difficultates et pericula ; qualiter nocte ambulans die latitaverit, qualiter pedes incesserit et qualiter colobio assumpto in quo tunc eum cernebam cum habitu et nomen mutaverit, a sociis viæ, ut supra tetigimus, nomine tanquam proprio Christianus appellatus. Et in tanto labore quanta fuerit victus inassueta asperitas, ita ut tanquam alterum electionis vas probatum sit periculis in via, periculis in mari, periculis ex gentibus, periculis in falsis fratribus, in labore, in ærumna, in vigiliis, in fame et siti, in jejuniis, in frigore, in colobio et in cilicio. Et ego quidem qui scripsi hæc, audiens et videns sic, toto corde et corpore concussus sum et convulsus : ita tamen ut in dolore ipso dispositionibus Altissimi omnia interiora mea laudem germinarent et gratiam. Cujus est humiliare dum allevat, et allevare dum humiliat. Et magna profecto Altissimi laus et gratia de cœlitus data constantia et æquanimitate tolerantis, illud dum mecum loqueretur patientis elogium replicantis ; « Si bona, » inquit, « suscepimus de manu Domini, mala quare non recipiemus ? « (*Job* II, 10.) Unde ego mox de Sapientis verbo cogitabam vere dicentis quod *Justum non contristabit quidquid ei acciderit.* (*Prov.* XII.) Et post hæc cum de mea vicissim quæreret profectione et qualiter mandatum suum implere potuerim, quod ut supra dixi, in articulo recessus sui a Northamptune mihi injunxerat, enarravi. Et quod quædam vasa sua argentea mecum detulerim et de reditibus suis solum centum marcas, quas velut de incendio vix et terra ejicere potui. Et adjeci qualiter mox cognito ipsius recessu sapientium malo consilio regio fuisset edicto proclamatum ut omnia ipsius in pace forent : et qualiter quod pro malo suo molitum in bonum cesserit, et mentita est iniquitas sibi Altissimo secum disponente et semper resistente iniquitati : alioquin enim, nisi sic regio fuisse edicto proclamatum, a terra quidem omnino vacuus exissem, si tamen exissem, nobis etiam et nostris omnibus prædæ et direptioni expositis.

Archipræsul vero audiens factum sic, Deo gratias retulit, qui mundi sapientes infatuat, et in astutia sua comprehendit. Et priorum oblitus penitus, confortatus est, ut videbatur, nihil de crastino cogitans, cum tantum dictæ solum centum marcæ e vasa quædam pauca argentea solum et totum fueri nostræ peregrinationis longioris plus amis sex du raturæ viaticum.

7. QUALITER NAUFRAGANTIBUS ADVERSARIIS ARCHIPRÆSUL APPLICUERIT.

Eadem vero nocte, qua et archipræsul, regi nuntii præfati cum multo et magno apparatu mar intrantes, subito procella suborta, in multa difficul tate et periculo vix applicuerunt : cum tamen ar chipræsuli et suis in scapha mare pacatissimum fo ret. Testati sunt sic fratres, qui cum archipræsul in scapha, et alii ex parte adversa qui in navibu transierunt : illius revera opus, cui venti et mar obediunt, qui cum vult mare, et cum vult sonum fluctuum mitigat, quod et in Ægyptiacarum plaga rum catalogo illius Ægyptiorum plagæ septima persimillimum, qua Moyse virgam in cœlum exter dente, Dominus dedit tonitrua ac discurrentia fu gura super terram, pluens grandinem super terrai et grando et mista pariter ferebantur : tantum i terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cec dit. Juxta quod similiter et in eorumdem plag nona factæ sunt tenebræ horribiles in univers terra Ægyptia. Ubicunque autem habitabant fil Israel lux erat. Idem quippe fortissimus Deus Isra tunc et nunc discernens sic et in merito et in fla gello justum ab impio, et timoratum a contemptor

Eadem itaque nocte qua et archipræsul, dicti egis nuntii mare intraverunt, et eadem die qua et rchipræsul ad castrum Sancti Audomari venerunt. t quia celebre erat in terra quod Cantuariensis rchiepiscopus ad monasterium illud de Cleramreis, d quod jam venit, adventare proposuerat, eadem octe post nocturnam synaxim decantatam, intravit tagnum quoddam grande et spatiosum, supra quod ıonasterium illud situm est, et in scapha venit ad ɔcum quemdam abditum, aquis septum, qui ab ıcolis dicitur Eldeminster, quondam hormitorium eati et gloriosi confessoris Bertini. Verebatur uippe, si in monasterio illo usque in crastinum ıoraretur, forte ad aliquorum indicia indigenis et ræsertim regis nuntiis revelari in crastino, qui ɔrte ad videndum eum diverterent, et videntes eum c, fieret opprobrium abundantibus et despectio ıperbis, et insultarent de facili, quod fatue et inɔnsulte de tanta quondam fortuna ad tantam nunc ıiseriam devenisset. Unde et eadem nocte se subaxit et in dicto hermitorio per tres latuit dies : et in uarto ad petitionem sanctæ memoriæ Godescalli ınc abbatis et conventus loci, ad abbatiam Sancti ertini venit, et tanquam diebus nubis et caliginis iquantulum serenatis veri solis radius mundo m sensim oriens et se ostendens.

ualiter nuntii regis et post nuntii archipræsulis ad regem Francorum venerint, et qualiter excepti.

Sed archipræsulem in dicto Sancti Bertini monaerio apud Sanctum Audomarum dimittentes adhuc, ius viam et actus nuntiorum prosequamur. Qui ox in crastino sui adventus a Sancto Audomaro cedentes tertio quartove die per piæ recordationis ıdovicum tunc Francorum regem transitum fecent, quem apud castrum regium quod Compendium ɔminatur reperiunt. Et salutato rege litteras ipsius ɔmine regis Anglorum porrexerunt, quarum forma s similis quas supra diximus comiti Flandrensi ectas, quod videlicet Thomas quondam Cantuarisis archiepiscopus de regno suo tanquam proditor gerit : unde et ne ipsum in terra sua reciperet, ıquam dominum precabatur. Verum ut audivit litterarum initio : « Thomas quondam archiepispus, » regem sicut ecclesiæ filium devotissimum itim apprehendit æmulatio, et plurimum ex verbo otus est : verbum quippe insolens offensionem gerat, et juxta Sapientis dictum : *Qui moderatur mones suos, doctus et prudens est* (*Prov.* XVII). Et r mox, qui eum deposuisset, iterum et iterum scitabatur, et adjecit : « Certe, » inquit, « sicut rex glorum, ita et ego rex sum : verumtamen miniım de clericis regni mei ego deponere non valen » Et ita qui missi fuerant, nec ad regis quæɔnem prudens reddere responsum poterant, nec petitionem suam responsum pro voto retulerunt. cipulus vero qui scripsit hæc et quidam alius de hipræsulis societate, cautus quidem et eruditus, consilio archipræsulis et præcepto, nuntios quotidie nescientibus ipsis e vestigio sequebantur : ita tamen quod nos sequentes una semper die præcesserunt. Et quidem ex concilio et industrie factum sic, ut ita cautius et certius ipsorum verba et molimina adversus nos exploraremus. Cum vero ad Christianum illum Francorum regem, a quo nuntii proxima die recesserant, venissemus, ipsum mox ut accessum habere potuimus, nomine archiepræsulis, quem a tempore cancellariæ propter hominis magnificentiam, probitatem et industriam reputabat strenuum et habebat acceptum, devote quidem et humiliter salutavimus. Et quia ante eramus ipsi incogniti, more suo crebro, unde de archipræsulis domo fuissemus et familia, sciscitabatur : quo cognito, mox nos suscepit in osculo et benigne audivit. Cui cum juxta domini nostri archipræsulis mandatum lacrymabilem historiam nostram et labores et pericula exposuissemus, regiæ clementiæ viscera vehementer commota sunt ; et nobis ibidem referre dignatus est, qualiter et in qua forma contra archipræsulem rex ipsi scripserit et quid ipse responderit. Et adjecit : « Debuisset quidem dominus rex Anglorum, si ipsi placuisset, antequam tantum amicum suum archipræsulem et personam tantam tam dure sic, et tam dire tractaret, illius versiculi fuisse recordatus : *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV). » Et supradictus, qui mecum erat, viæ comes et nuntii, comice mox respondit : « Domine, » inquiens, « et forte illius recordatus fuisset versiculi, si illum tam frequenter ut nos in hora illa regulari audivisset, » st subrisit rex. In crastino vero antequam recederemus, cum hominibus suis quos secum habebat, consilio accepto, ad petitionem archipræsulis per nos factam archipræsuli in regno suo pacem et securitatem concessit ; et quidem adjecit, hoc de pristina dignitate diadematis regum Francorum fore, ut exsules, et præsertim personæ ecclesiasticæ regum et regni pace et securitate fruantur et a persecutorum defendantur injuria ; verumtamen quod contra Anglorum regem, Normannorum et Aquitanorum ducem et Andegavensium comitem, quod, inquam, contra potestatem tantam et tot et tam magnos, ut supra ostendimus et honoratos nuntios verbo et scripto supplicantes, nos duo duntaxat homines contemptibiles et ignobiles tam cito et tam facile pacem regiam et securitatem obtinuimus, sicut delectabile et mirabile fuit monachis nostris ; illi totum ascribentes hoc, in cujus manu corda regum sunt, et quocunque voluerit, inclinat illa : ubi pariter et si cursim intuendum quanta sint sanctorum merita quorum virtute etiam imperfecta terrenarum potestatum corda ad ipsorum vota inclinentur. Contestantur et hoc, quæ non necesse enumerare hic, Patrum exempla multorum. Sed hic inter alios, sicut evidenter in libro experientiæ vidimus, sancti archipræsulis Thomæ jam exsulis innocentia et justitiæ causa. Verum de his plenius alias : cœptum historiæ ordinem prosequamur.

8. QUOMODO NUNTII ARCHIPRÆSULIS AD VIRUM APOSTOLICUM VENERINT, ET QUALITER EXCEPTI.

Itaque regiæ pacis dono et securitate fruentus, in exsultatione et lætitia Christianus ille rex licentiatos nos dimisit in pace : verum nos non statim ad archipræsulem revertentes, nec quidquid nuntiantes de hoc, quia cito nos reversuros sperabamus, prout nobis injunctum, ad dominum papam accelerabamus, et venimus Senonis, quo nuntii proxima die quæ præcessit nos prævenerant. Eadem vero die in vespera ad dominum papam habentes accessum, ipsum nomine archipræsulis tanquam patrem et dominum qua decebat devotione et humilitate salutavimus : dicentes quod nos duo tantum eramus, qui evasimus de calore domus Rechab, et ad sanctitatis suæ pedes venimus ut nuntiaremus quod filius suus Joseph adhuc viveret, sed non dominaretur in terra Ægypti ; quin potius ab Ægyptiis oppressus, fere fuisset exstinctus. Enarravimus itaque, libenter audienti et paterno compatienti affectu, filii sui archipræsulis pressuras, angustias et dolores, pericula in pugna illa apud Northamptune ad bestias, pericula in falsis fratribus, pericula in fuga, pericula in via, pericula in mari et in ipso portu pericula, laborem, egestatem et ærumnam, et ad declinandas insidias habitus sui et nominis mutationem. Et audiens hæc patrum ovium pater, commota sunt paternæ pietatis viscera super filio, et paternum non valens dissimulare affectum lacrymatus est, et ita compunctus ad nos, qui loquebamur, verbum dirigens : « Dominus, » inquit, « vester in carne adhuc vivit ut dicitis : magis tamen jam sibi in carne vivens privilegium martryrii vindicat. » Et quia jam valde sero erat, et nos ex itinere fatigati, data nobis benedictione et consolatione apostolica, ad hospitium citius non remisit, reversuros in crastinum.

Quæ objiciant archipræsuli regis nuntii coram viro apostolico.

In crastino vero dominus papa una cum fratribus suis venerabilibus cardinalibus, qui tunc fere omnes in curia præsentes aderant, consistorium intrans, audivit nuntios : qui in primis dominum papam nomine regis officiose salutantes, causam adventus sui exponunt. Et in primis quidem archipræsuli suo, quod pacem regni et sacerdotii, tanquam pacis inimicus turbasset, objiciunt, quod crucem manibus propriis in curia regis bajulasset, quod missam de beato Stephano protomartyre celebrasset et demum fugam clandestinam fatue nimis et turpiter ecclesiam suam deserens iniisset : et quidem omnia hæc in regis ignominiam et contemptum et totius Ecclesiæ Anglicanæ et potissimum suæ provinciæ. Verum qui inter hos eloquentioris et elegantioris eloquii habebantur, et præsertim magister Gilbertus Foliot, Londoniensis, et magister Hilarius Cicestrensis episcopi, turbati sunt in dicendo, et dicendi ordinem et etiam recte accentuandi pronuntiationem in nonnullis dictionibus perdiderunt, juxta Sapientis dictum : *Propter similem linguæ lapsum quasi in pavimento cadentes* (*Eccli.* xx). Quod totum illius est ascriptum tunc et vere ascribendum operi et virtuti qui ora mutorum aperit et disertorum linguas infatuat. Vir vero apostolicus, qui non solum ex nostris, sed aliorum multorum fida sed secreta relatione, causam dissensionis inter regem et archipræsulem et gestorum veritatem cognoverat, criminatoribus non adhibuit fidem, potius in consistorio publice hortabatur episcopos ut in archipræsulem suum parcius agerent. Unde et qui missi fuerant, videntes sic, fortiter et instanter regis nomine postulant ut archipræsulem in Angliam remitteret, pariter et a latere suo legatum, qui remota appellatione causam ibi inter regem et archipræsulem audiret et inter ipsos vel componeret vel causam per sententiam terminaret ; ubi, sicut adjiciebant, gestorum veritas verius et commodius agnosci poterat. Verum Romanus pontifex, necdum petitionem hanc vel concedens vel renuens, hortabatur attentius ut archipræsulis ad curiam exspectarent adventum, et jam objecta eo præsente intentarent, aut nihil objicientes suam facerent petitionem, adjiciens in absentia ejus nil in eum statuendum, nec ipsos in forma illa quam petebant exaudiendos ; at illi exspectare nolentes, eo quod, ut aiebant, ultra terminum a rege sibi præfixum in curia moram facere non audebant, crebro postulant et instanter dictam regis petitionem adimpleri. Arctabatur itaque Romanus pontifex cernens regis juventutem et dominationem amplam, et durum illud et dirum quod tunc erat in Dei Ecclesia schisma : metuebat quod si rex pateretur repulsam præsertim per tam magnos et honoratos factæ petitionis, major in ecclesia scissura fieret : quod et ipsi qui missi, præsertim laici, minabantur. Inde vero verebatur archipræsulem in insulam, in qua jam velut publicus hostis habebatur, et a qua cum tanta difficultate et tot periculis, quasi, ipso domino educente, jam exierat, sua auctoritate remittere : ne sic archipræsulis innocentia, et causa opprimeretur justitiæ, unde et in se Dei provocare judicium, et toti Ecclesiæ scandalum foret. Forte etiam et ob istud in insulam remittere verebatur. Sic enim est in insula contra regem insularum contendere, tanquam si vinculatus in carcere contra magistrum et dominum carceris dimicet. Vir itaque apostolicus coarctabatur, præsertim plerisque fratrum suorum cardinalibus, illis maxime qui ut principibus et magnatibus placeant studere solent, adjudicantibus regis petitionem fieri debere, aliis vero renitentibus. Attamen librato demum consilio. et consilii ac fortitudinis desuper accepto spiritu, Pater patrum dissimulare non potuit, et dictam regis petitionem, in gravamen et oppressionem archiepiscopi conceptam, non adimplendam decrevit, nisi forte archipræsulis ad curiam exspectarent adventum ; alioquin in ipsius absentia nihil agendum contra ipsum. At illi exspectare nolentes, voto et

:ausa frustrati, in Angliam non cum benedictione ıpostolica, sed potius, ut credendum verius, cum naledictione paterna reversi sunt, et in se et in senine suo maledicti, qui patris sui verenda non operuerunt, sed potius frontose detegere nequaquam veriti sunt. Et quidem eo festinantius acceleraveunt, reveriti quod ipsis secreto nuntiatum fuisset, ıonnullos de militibus terræ, favore archipræsulis, :t ipsorum odio, sarcinis suis, in quibus non modicum argenti sperabatur, per viam paravisse insidias. Unde festinanter et subito Franciam exeunt, nultos ibi ad eorum spolia paratissimos, archipræulis, utdiximus, favore, fugiente.s Miro siquidem nodo et incredibili, mox ut de archipræsule per niversum ecclesiarum orbem innotuit sic, omium dedit ei Dominus gratiam et favorem : in dversantse vero e diverso omnium odia concitavit. lo profecto faciente sic, cui populus quem non ognovit servivit, et in auditu auris obedivit. Vix nim est ut non omnibus placeat, qui omnium lacet auctori et cui omnium auctor, juxta quod o uno sanctorum legitur : « Quod quem perfuerat Deus gratia, ab omnibus amabatur ; » adeo uod etiam nominis Christiani persecutores illos uos variis et exquisitis suppliciis peremerunt, ex rtutibus tamen quas cernebant commendarent. ed de hoc plenius alias : cœptum historiæ ordiem prosequamur.

QUALITER NUNTII REGIS IN ANGLIAM REVERSI, ET ARCHIPRÆSUL A REGE FRANCORUM SIT EXCEPTUS.

Itaque non exspecato in curia archipræsule, incto negotio et proposito et voto suo frutrati, vertuntur in Angliam qui missi fuerant. Archiæsul vero, quem supra in Flandria adhuc, apud nctum Audomarum in præclara et religiosa Sancti rtini abbatia dimisimus, propter terræ, quas, ut pra diximus, verebatur, insidias paucos ibi fanns dies, noctu Flandriam egreditur, sed in equis comitatu multorum. Siquidem bonæ memoriæ lo tunc Teruanensis episcopus, et supra nomina- Sancti Bertini tunc abbas, ipsum propter viæ uritatem comitati, eduxerunt de terra ; et ad lytam illam Galliarum civitatem Suessionem duxerunt. Ad quam Domino procurante sic, et crastino sui adventus, dominus rex Francorum nit. Et quidem Christianus ille rex, quem inter tera virtutum ornamenta in regali fastigio pertæ humilitatis decoravit insigne, mox ut Cantuaensem archiepiscopum in civitate audivit, ad spitium suum descendit, et in salutatione præıit ipsum in omni alacritate et exsultatione ipiens ; ex regia quidem clementia vexationi e st labori compatiens, ex regia magnificentia em et securitatem donans, et ex regia munifitia ad necessarios de fisco sumptus quandiu ularet accipiendos compellens : ita quidem ut ı multi dicerent : Dominus dedit, Dominus abst : Dominus archipræsuli Cantuariensi regem glorum abstulit ; Dominus regem Francorum delit. Et quidem jam, ut superius diximus, pacem archipræsuli et securitatem per nuntios suos concesserat : verum rex prius in civitate hac supra nominata visus est ab archipræsule quam nuntii pacis ad archipræsulem reverterentur, illos mox, ut supra diximus, e vestigio secuti Anglorum nuntios; qui contra archipræsulem Senonis ad dominum papam acceleraverunt. Archipræsul vero videns ita cor regis erga se, Deo et regi devotas gratias retulit, illum præsertim et corde et ore summa prosequens gratiarum actione, in cujus manu corda regum sunt. Sed etiam memorandum hic quod cum archipræsul jam inde in longa quæ restabat peregrinationis suæ via et ver. . . . datum, ut supra diximus, sibi et suis haberet viaticum, sumptus tamen de fide regis tam munifice et tam liberaliter a rege ipso oblatos accipere renuit, utpote qui ad dandum potius quam ad accipiendum semper paratus fuerat; juxta quod ipse Dominus dicere consueverat, beatius esse magis dare quam accipere. Verumtamen archipræsul a rege oblata non omnino renuit, sed regi gratias referens dicebat necdum fore tempus accipiendi nec necessitatem urgere adhuc Et ita dominus rex et archipræsul per aliquot dies in civitate commorantes, recessit in mulla gratia archipræsul a rege Senonis ad dominum papam properans. Cui rex statim de ministerialibus suis, qui ipsum per viam necessaria ministrando procurarent et ducerent, commisit.

10. QUALITER EXCEPTUS ARCHIPRÆSUL A VIRO APOSTOLICO ET DE EXSILII SUI CAUSA.

Itaque ad dominum papam Senonis venimus, qui venientem quidem ad se paterna suscepit benignitate, super vexatione ipsius multimoda et peregrinatione tam periculosa et dura paterne compatiens. Post aliquot vero dies placuit archipræsuli de suo et suorum consilio totius dissensionis inter regem et ipsum in Anglia et exitus sui a terra causam domino papæ et cardinalibus exponere. Nec enim dominus papa adhuc hoc ab ipso requisierat, exspectans forte quod archipræsul tanquam providus non requisitus hoc faceret. Placuit itaque archipræsuli sic : nam, etsi per proprios nuntios fuisset prius significata totius mali origo et causa, et sparsim per alios hinc inde commeantes relata, consultius tamen videbatur, ut ipsemet causæ suæ merita exponeret et gestorum referret veritatem, et quas in ipsum præfati Angliæ nuntii imprimere conati sunt, ipsemet per se ipsum dilueret notas. Igitur post aliquot dies adventus nostri ad curiam domino papæ, venerabilibus viris cardinalibus præsentibus, non quidem publice in consistorio, sed in thalamo secretius, totam gestorum seriem et exitus sui causam, grata quadam et succincta brevitate enarravit. Grata, inquam, utpote cujus eloquentia modesta erat et elegans et lingua semper inoffensa. Et in concessione illarum consuetudinum quas supra apud Clarendune fabricatas et in scriptum redactas diximus, qualiter ipse lapsus fuerit mani-

feste confessus est et non negavit, et ex quibus A ad lapsum inductus fuerit, quæ nos supra cum de his ageretur ostendimus. Et ibidem mox allata est expansa funesta illa scriptura secundum chirographi formam confecta, de qua supra satis meminimus, quam ante nunc nec papa, nec cardinales, etsi de ipsa non tamen ipsam audierant : unde et statim in audientia domini papæ et cardinalium omnia lecta sunt, consuetudines videlicet numero sedecim. Quam profecto scripturam, etsi forte hic esset locus, non tamen curavi hic, in hac videlicet libelli historici serie interserere, tum propter nimiam illic verborum inurbanitatem et indecentiam, tum propter historici hujus libelli, qui nunc in manibus est, prolixitatem evitandam : cum tamen ea scriptura exsilii nostri et martyrii causam conti- B neat, quin potius favente Domino finito historico libello hoc scribetur in fine. Pariter et ab omni qui historicum libellum hunc trancribere voluerit, et scriptura illa semper in fine transcribatur, et legatur e nescientibus qui tam gloriosi martyris Thomæ exsilii et martyrii causam nosse desiderant.

Omibus vero quæ iu Scriptura continebantur perlectis, quibusdam etiam in ea lectis et relectis et diligenter et attente singulis auditis et cognitis, dominus papa acerrime motus statim excanduit in archipræsulem, arguens eum et dure increpans quod in illarum, ut aiebat papa, non consuetudinum sed tyrannicarum usurpationum assensu et ipsi et qui cum eo erant episcopi sacerdotio suo re- C nuntiaverint, et Dei Ecclesiam ancillaverint, adjiciens multo satius omne sustinuisse discrimen quam tantis legis Dei subversionibus præbuisse assensum : recolens de Machabæis fratribus septem sanctam illam historiam, mirabilem quidem omnibus sed imitabilem paucis. Et improperans quod illi, cum non essent sacerdotes evangelici nec etiam legales sed Judæi, juvenes et privati, nec quidem pro lege evangelica, sed pro lege patria, pro lege porcina, varia et exquisita supplicia animo prompto et devoto passi sunt, et adjecit : « Verumtamen, » inquit, « inter abominabilia hæc, quæ in præsentia nostra hic lecta sunt et ex vobis audita, nulla quidem bona sed quædam tolerabilia sunt. Quæ utcunque potest Ecclesia tolerare, sed horum major pars D reprobata et ab antiquis quidem et authenticis damnata conciliis, utpote directo sacris sanctionibus adversa. » Qua vero hæc, quæve illa nos nunc distinguere non oportet; quod liquet etiam his qui vel tenuiter sacrorum canonum experientiam habent.

Verumtamen vir apostolicus easdem prænominatas consuetudines, quas et archipræsul, et ob easdem causas breviter quidem, sed admodum indignanter mox ibidem in audientia cardinalium, nobis præsentibus, reprobavit et ab ecclesia in posterum damnandas censuit. Et demum ad archipræsulem se convertens : Verumtamen, » inquit, « frater, etsi tuus et fratrum tuorum coepiscoporum grandis fuerit excessus et enormis, tecum tamen agendum parcius ; qui etsi, ut confiteris ipse, cecidisti, mox post casum resurgere conatus es, propter casum multa jam gravia et dura perpessus. Et statim ut cecideras, cum adhuc esses in Anglia, a nobis quæsisti et meruisti de clementia nostra per litteras nostras absolutionis beneficium : et quasi hæc non sufficerent adhuc, eo quod confessio fieri per nuntium vel per scriptum non soleat, nunc demum apostolicam sedem casum tuum devote et humiliter confitens in labore plurimo et variis adiisti periculis ; unde et dignum est et nos tibi hoc indulgemus ut in tuis adversis clementiæ nostræ consolationem et gratiam præ cæteris personis ecclesiasticis tanto plenius et affectuosius sentias, quanto pro libertate Ecclesiæ et pro fide et devotione nostra majora reliquisti et graviora perpessus es. » Et ita vir apostolicus archipræsulem primo paterna severitate objurgans, et maternæ post consolationis dulcedine reparans tunc dimisit. Et apostolica sic consolatione accepta, jucundi in hospitia nos recepimus.

11. QUALITER CORREPTUS A CARDINALIBUS QUOD TEMPOR[E] SCHISMATIS CONTRA REGEM SE EREXERIT.

Verum in crastino, a quibusdam cardinalium e[t] plerisque aliis de curia viris magnis et eruditis qu[i] in scripturis multum poterant, talibus quippe curi[a] abundare et florere consuevit, archipræsul tanqua[m] familiaribus suis et faventibus sibi benigna quadar[m] et amicabili est asperitate objurgatus, quod diebu[s] illis tam malis, tempore videlicet schismatis et inte[r] ruinas Ecclesiæ, contra principem suum, contr[a] potestatem tantam se erexerit ; parendum potiu[s] tempori et sustinendum dicebant, cum hora ess[et] tunc et potestas tenebrarum, quin Petrus gladiu[m] suum non exercere sed jubetur reponere. Et, sic[ut] addebant, zizania ab inimico homine superseminat[a] ab evangelicis servis nequaquam tunc colligend[a] ne forte eradicando ea eradicarent simul et trit[i]cum : unde et juxta patrisfamilias præceptum usq[ue] ad tempus utraque simul sinuntur crescere. Qu[od] et idem ipsum est magistri consilium, qui propt[er] dierum malitiam tempus redimendum suadet : *R[e]dimentes*, inquit, *tempus quoniam dies mali su[nt]* (*Ephes.* v). Et propheta similiter : *Ideo*, inquit, *pr[u]dens in tempore illo tacebit, quia tempus malu[m] est* (*Prov.* xi). Adjiciebant etiam hi quod fortes E[c]clesiæ columnæ ad Ecclesiæ fabricam diaturni[us] et validius supportandam, interdum, discretior[e] manu adhibita, etiam quasi in fragiles et tenu[es] calamos transformentur pro tempore ; quibus [ad] vehementem procellæ spiritum aliquantisper inc[li]nari et cedere satius quam frangi supra vires r[e]sistendo. Quod et magister secundum sapientia[m] sibi datam, quemadmodum docuit et fecit. C[um] enim illius veteris legis abolitionem prædicar[et] tamen et ipse tempore cedens legem in se ipso i[m]plevit, cujus abolitionem docebat ; caput ex le

ondens et purificatus secundum legem, templum ntrans et hostias offerens, Timotheum etiam cir-umcidens. Et demum cum esset magister gen-um, Judæorum advocatus, et inter magnos theo-octorum maximus, utpote qui non ab homine eque per hominem evangelium didicisset, post mnia tamen hæc terrenæ potestati se subdidit æsarem appellando, ita censens per omnia hæc, um tempus sic exigit, cedendum tempori et tem-us redimendum pro tempore.

Qualiter archipræsul cardinalibus ad objecta responderit.

Auditis vero his archipræsul, qui tanquam pro-dus a magnis et sapientibus curiæ hæc sibi in uria objicienda arbitrabatur, verum et cum suis ætractaverat super hoc, et sermones suos in ju-cio jam disposuerat, secundum sapientiam et atiam sibi datam mox respondit : « Fratres, » in-uit, « non diffiteor quin sicut vos viri tam edocti et uditi dicitis, pro tempore tempori cedendum sit, multa sustinenda pro tempore ; fateor, inquam, in hora hac et potestate tenebrarum, tanto vide-et imperatore Frederico et tanto antipapa Octa-ano, schismaticis tam insignibus in catholicos incipes qui ab Ecclesia non recesserunt sed per-terunt, etiam multum delinquentes, nequaquam tri gladium exercendum fateor, sed reponendum, dicitis, ne forte in Ecclesia Dei scissura deterior t, præsertim cum divisionis malitia plures semper ærat habere consortes. Tanta siquidem temporis test esse malitia ut ecclesiæ solum gemitus et lor restet et ad Dominum clamor, et dormiet uc ecclesiasticæ disciplinæ severitas, ecclesia uc per solum *tau* propheticum consecutura salu-a. Et hoc est tempus malum quando videlicet lorum nulla spes restat correctionis, sed soli o vindicta, sicut ipse Dominus : *Mihi*, inquit, *dictam* (*Hebr*. x). De quo et supra per prophetam tum meministis : *Ideo prudens in tempore illo ebit quia tempus malum est* (Prov. xi) ; et tunc ofecto juxta Sapientis consilium : Vindictæ Altis-ni dandus locus. Est et aliud tempus quando elicet correctionis malorum spes est. Et tunc dem exspectandum, sustinendum et orandum sustentatis. Alioquin sicut per Sapientem dici-: *Væ his qui sustinentiam perdiderunt* (*Eccli*. ii). us quidem tempus tenebrosum, et hora tunc et estas tenebrarum, et tunc juxta Domini verbum dius Petri reponendus. Secundum vero tempus usi nubilum et tunc gladius Petri suspendendus, umendus in tempore. Et secundum hæc tempora vindicta ecclesiastica seu de Petri evangelico dio varie Scriptura loquitur : nunc videlicet de exercendo, nunc de reponendo, interdum vero pendendo et resumendo pro tempore. Et hæc dem, fratres, nostis me multo melius, ut pote in tanta schola totius Ecclesiæ doctoris quo-e discitis aut docetis. Verum in audientia vestra o dicimus hæc, non ut discipulus magistros doceat, sed ne suspicemini quod ego gladium hunc contra principem meum dominum meum Anglorum regem, et si durius adversum me actum sit, exeri adhuc postulem vel desiderem. Sustinendum prius et regia clementia cum exspectatione expetenda, juxta Sapientis consilium : *Fili*, inquit, *in mansuetudine opera tua perfice et super hominum gloriam diligeris* (*Eccli*. iii). Peragit enim interdum tranquillitas, quod non potest violentia, unde est et illud poetæ ethnici :

. . . . . . *Peragit tranquilla potestas*
Quod violenta nequit.

Et doctorum unus : « Sæpe, » inquit, « flectit humani-« tas quos nec virtus potuit superare, nec ratio, » Et ideo non ut arguitis me, non pareo, imo pareo, et libenti animo pareo tempori et non prævenio tempus, sustinens et sustinere paratus, donec favente domino domini mei regis iram indulgentia subsequatur : adeo quod et si in eum gladium exertum cernerem, me interponerem et occurerem pro me in ipsum exerto. Prius enim tempus sustinentiæ, tempus misericordiæ et justitiæ postea, ut ita misericordiam et judicium cantemus Domino. Verumtamen, sicut jam tetigimus, ut tamen nihil contra decreta apostolica seu in veritatis præjudicium audeam, nec indistincte nec usquequaque verum quod diebus malis seu tempore schismatis in principes vel in eos qui sociam multidudinem habent, ecclesiastica non sit exercenda vindicta vel Petri gladius exerendus. Siquidem tempore schismatis qui ab Ecclesia non recesserunt sed persliterunt, principes populorum adeo possent tam dire tam dure matris suæ Ecclesiæ pacem ipsius turbando concutere latera et excutere viscera, quod ipsos tanquam abortivos a se rejiceret et fierent velut ethnici et publicani ; unde et magister in tenera adhuc novellæ ecclesiæ plantatione non solum in concutientes ejus latera et effundentes viscera, sicut illi sunt qui personas ecclesiasticas opprimunt et pacem ejus perturbant, sed in eos etiam, qui per varias criminum maculas ecclesiæ faciem deturpant, gladium evangelicum exerit. *Si is*, inquit, *qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere* (*I Cor*. v) Et alibi, *Si quis*, inquit, *non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate et ne commisceamini cum illo ut confundatur* (*II Thess*. iii), Ecce quia tenera adhuc ecclesia et novella, quando etiam parvulæ in ipsis nativitatis suæ cunabulis manus jam omnium contra ipsam, fiducialiter tamen et intrepide magister gladium exerit, ut sponso gloriosam sponsam exhiberet, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi sed esset sancta et immaculata. Si ergo magister gentium in tenera adhuc et novella ecclesia audet sic, multo minus trepidandum nunc, quando ad prophetæ vaticinium ecclesia posita est in superbiam omnium sæculorum. Alibi etiam magister discipulis, quos inter nascentis ecclesiæ primordia

prælatos ordinaverat, improperat sic : *Sustinetis*, A inquiens, *si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis in faciem vos cædit* (*II Cor.* XI). Ecce magistri in discipulos, quos super novellam adhuc ecclesiam prælatos creaverat, pro ecclesiasticæ servitutis sustinentia improperium. Et si servitus hæc minime sustinenda tunc, quando, ut jam dicimus, ipsa parvula adhuc et manus omnium contra ipsam, multo minus nunc. Nam etsi schisma nunc sit, sicut frequentius in Romana Ecclesia accidit, attamen qui schismati habentur Christianæ sunt fidei professores, ecclesiam quidem vulnerantes, perimentes minime, miserante Domino ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam reversuri in brevi. Et si ecclesiastica non sufficiunt, vel ab ethnicis exempla sumamus. Inter quos unus poeta- B rum gentilium alium quemdam metrice commendat pariter ethnicum, quod sub duro principe et temporibus malis bonus, hoc est liber, esse auderet, ad ipsum quem commendat loquens sic :

Laudari debes quoniam sub principe duro,
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Bonus, inquit, id est liber, generale boni vocabulum sic specificans. Et profecto nisi in pacis ecclesiasticæ violatores ecclesia libere et intrepide gladium exerat, ecclesiasticus judex sine causa gladium portat. Et quidem pax ecclesiastica hæc non solum per schismaticos et hæreticos, sed et papæ per tyrannos Ecclesiæ filios perturbatur, Qui ut supra tetigimus, matris suæ concutientes latera, excutiunt viscera, personas ecclesiasticas opprimunt, expellunt, C leges novas condunt, et cleri libertatem, quæ Ecclesiæ decus et virtus est, adimunt; ita Ecclesiam in superbiam sæculorum positam ancillantes ut sit sicut populus et sacerdos. Et in tales quidem etiam tempore schismatis, tempore hæreseos, quemadmodum in schismaticos et hæreticos, ecclesiastica censura exercenda, et Petri gladius exerendus. Alioquin vicarius Christi successor Petri sine causa, ut jam diximus, hunc portat gladium, quem sicut iners et trepidus tempore belli non exerit sed abscondit, et Ecclesiæ virtus in adversitate non perficitur sed infirmatur. Quod rex et Propheta elugebat : *Infirmata est*, inquiens, *in paupertate mea virtus mea* (*Psal.* XXX) Sed econtra Magister in infirmitate de potentia sua gloriatur : *Quando infirmor*, inquit, *tunc potens sum* (*II Cor.* XII). Et alibi ad discipulum : *Memor esto*, D inquit, *Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis secundum evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula; quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum* (*II Tim.* II). Ita et ad Magistri exemplum, Ecclesiæ in infirmitate sua de potentia sua gloriandum, unde nec verbum Dei gladius spiritus alligandus, sed multo magis inter vincula gloriosius tunc exeritur. Nec enim est quod Ecclesia hæsitare habeat aut timere, cujus, ut ait doctorum illustrium unus : « Proprie proprium est, ut tunc intelligat, « cum arguitur, tunc vincat cum læditur, tunc obti- « neat cum deseritur. » — « Et quæ, ut itidem alius doctorum ait, « de adversitate lætatur, angustia di- « latatur, tristitia erigitur, fletibus pascitur, sanguine « rigatur, mortibus fecundatur, quæ semper novit « triumphare mundi cladibus ingravata, et inde cres- « cit unde mundus deficit. » Arca enim est quæ quanto fortius mundi fluctibus tunditur, tanto altius erigitur. Nec igitur est, ut vos, fratres, quadam mihi verborum insinuatione innuitis, quod etiam hoc tempore schismatis Ecclesiæ timendum sit aut pro Ecclesia, quo minus vicarius Christi successor Petri in ecclesiasticæ pacis violatores Petri gladium exerat. Non est, inquam, Ecclesiæ timendum aut pro Ecclesia. Nam ut firmissimum et quod infirmari non potest testimonium inducamus, adhuc juxta ipsius veritatis in Evangelio verbum, ecclesia hæc domus illa est sapientis viri supra firmam petram ædificata quod ibi ventorum non debeat formidare injurias nec inundationum. Si quidem in petra exaltata, in petra secura, in petra firmiter stans, secura ab hoste, fortis a casu. Et, si adhuc petra non sufficit *In sole*, inquit, *posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII) in sole justitiæ Christo fundata ecclesia : unde et Magister : Fundamentum, inquit, positum est quod nemo mutare potest, quod est Christus Jesus. Non igitur, fratres, simul stemus, qui retrorsum non abivimus, et in hac paupertate, in hac diminutione nostra, in hoc schismatis tempore virtus nostra non infirmetur ; sed cum tempus exegerit, non mundani timoris servi sed justitiæ simus ministri. Scriptum est enim quod : *Justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Bene, inquit, osculatæ, confœderatæ videlicet et concordes. Justitia quippe pacem generat, alit, et ne violetur, protegit. Et ideo duæ hæ tanquam mater et filia, nutrix et alumna, et velut tutrix et pupilla mutuis quasi delectantur osculis continuis se amplexibus fovent. Adeo videlicet confœderatæ inter se et concordes ut neutra absque altera sit, unde et de harum confœderatione et concordia illustrium Ecclesiæ doctorum unus: « Amant, inquit, « se duæ hæ, adeo ut qui fecerit justitiam in- « veniat pacem et non aliter. » Nec igitur diebus malis tempore schismatis vel hæreseos, seu tyrannis vim Ecclesiæ inferentibus et Ecclesiæ perturbantibus pacem, arma justitiæ reponenda, sed verius, ut tamen nihil contra apostolica statuta seu in veritatis præjudicium audeam, arbitror secundum Magistri documenta pariter et hortamenta sanctorum indistincte in quoslibet ecclesiasticæ pacis violatores justitiæ ministris libere et intrepide justitiæ arma exercenda, ut ita in die bellorum Domini in capiendæ pacis auxilium vexilla justitiæ prodeant. Nam sicut vulgo dicitur, arma pacem ferunt : et justitia quidem armata, pax vero laureata et inermis describitur utpote quæ per athletam justitiam vincit. Violatæ igitur seu captivatæ pacis tempore turpe valde et indecens, si justitia se occultet, quia nisi vel paci captivæ vel captivandæ mox justitia subveniret, justitia pacem pacis osculo proderet, justitia enim et pax osculatæ sunt. Et certe, fratres, ut n

parcens veritatem dicam, tantis quas modo supra in allocutione vestea innuistis, dissimulationibus addentes inter cætera quod fortes Ecclesiæ columnæ etiam in fragiles et tenues calamos debeant transformari pro tempore, tantis revera dissimulationibus peccatoribus dantur cornua et reges transeunt in tyrannos. Et præcipui Ecclesiæ filii præcipui Ecclesiæ fiunt inimici, ipsis in matrem suam Ecclesiam libere debacchantibus ecclesiasticæ disciplinæ severitate torpente. Ita tolerabilior sit foris infidelium gladius, quam intus filiorum rebellio, et plangat cum rege illo sancto : *Ecce*, inquiens, *in pace amaritudo mea amarissima* (*Isa*. XXXVIII). Prima enim amaritudo amara pati ab inimicis ; secunda amarior sustinere a proximis ; tertio vero amarissima impugnari a filiis ; hoc enim est tanquam si viscera propria convertantur in ulcera. Propter quod Sapiens : *Fili*, inquit, *tibi sunt*, *erudi et curva illos a pueritia illorum* (*Eccli*. VII). Verum, fratres, ut in insipientia vobis loquar, vos enim cogitis, quæritis, ut video, vertere mihi in culpam quod, nimirum illor, ad gloriam mihi summam et immortalem convertendum. Ecce enim quod ad arcam sanctificationis inclinatam, ad ipsam erigendam, pro officii mei debito, et pro viribus jam opposui manum et apposui humeros inter ruinas Ecclesiæ, Ecclesiæ ruinas quantum datur erigendo, et inter ruinas ejus fere jam obrutus, ne ipsa obrueretur. Et si gloriari oportet quod quidem oportet, quia etiam expedit nunc sic, inter Romanæ Ecclesiæ schismata quasi toto orbe, patres mei decessores, Cantuarienses archipræsules, quasi cervice erecta semper stare inflexibiles consuerunt, tanquam firmissimæ domus Dei columnæ et fortissimæ : verum ut unum vobis, si timide, utinam non temere dixerim, etsi vos in præsenti ex qualicunque causa tam gravis schismatis scandalo ruitis, ego tamen inter vestras quasi ruinas, Domino manum suam supponente, non ruam ; vos tanquam domini nostri et patres quod bonum in oculis vestris videbitur facietis. Ego summi pastoris vester qualiscunque coepiscopus, et ejusdem Domini conservus, tantorum patrum meorum successor, licet indignus, adorabo vestigia. Quos, si non possim consequi, desidero tamen utcunque sequi, unde et ego sicut nunc cernitis, quod et scio, Domino sic disponente, accidisse, cui, non vobis, mecor commissa mihi talenta cum fenore solvere ; hoc, inquam, nunc proposito mihi gaudio pro Ecclesia sustineo crucem confusione contempta, et velit nolit, probet vel improbet mundus, sustinebo flagella paratus quousque juste judicantis Domini manus super me nunc extenta se retrahere velit. Certe eo usque in flagella paratissimus et magis eligens affligi pro Ecclesia Dei quam peccati temporis et aulæ Augustalis habere jucunditatem. Novit enim clerus, novit populus, novit mundus, quantus in aula fuerim, et de aula ad Ecclesiam assumptum quanta me gloria sequeretur, si domini mei regis omnibus voluntati obsequerer. Qui duplicis vera gloriæ stola insignirer tunc, sicut sacerdotali et regia. Sed certe, ut verum fateor, mihi nunc pro minimo est ut in facto hoc ab humano die judicer, solum in præsenti gloria mea sit conscientiæ meæ testimonium. Et si prudenter et pie scriptum illud quod dominus papa heri in publica vestra audientia sic damnavit, velitis advertere, obedientia vestra præsentis turbationis nostræ non modica causa est.

« Quod autem tacite arguendo me dicitis quod ad Magistri consilium tempus redimere debuissem, super prudentia vestra satis admirari non possum. Si quidem ad Magistri consilium me redemisse hoc arbitror. Et si super illo Magistri verbo sanctorum interpretatio, sicut generalis et necessaria, ita vera est, jam non arbitror sed certissime scio me tempus hoc redemisse. Nec enim Magister ibi docet temporis redemptionem, ubi ecclesiasticæ libertatis dispendium vertitur, unde et sicut jam supra diximus, et hic iterare necessarium, discipulus quos super rudem adhuc et novellam ecclesiam prælatos constituerat, sustinentiam servitutis improperat : *Sustinetis*, inquiens, *si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis in faciem vos cædit* (*II Cor*. XI). Ecce quod Magister qui alibi hortatur ad temporis redemptionem cum dies mali sunt, minime intelligit temporis redemptionem ubi servitute introducta ecclesiasticæ libertatis deperit honor, verius quippe ibi quam temporis redemptio, temporis perditio, et Ecclesiæ ignominiosa abjectio est. Nam juxta sanctorum conniventiam quid est secundum Magistri consilium tempus redimere ? Certe ut de meo nihil afferam hic, nec enim mea doctrina mea est, sed sanctorum, quod tempus sit redimendum multi consulunt, sed pauci norunt pauciores vero agunt et aggrediuntur quod norunt. Nam juxta Magistri consilium et interpretationem sanctorum, quid est tempus redimere ? Dare quidem et accipere temporalia, dare et accipere tempus, opportunitatem videlicet serviendi Deo et vacandi divinis a quo temporalia, temporales videlicet et terrenæ occupationes et curæ, nos avertunt. Ut igitur tempus acquiramus, temporalia danda sunt pro tempore, et sic tempus redimimus. Unde et Magister magistrorum in Evangelico, de quo hoc magistri verbum videtur sumpsisse originem : *Si quis*, inquit, *vult judicio tecum contendere et tunicam tollere, dimitte ei pallium* (*Matth*. V). Ac si dicat : Noli propter temporalia damna seu curas temporales et causas cordis tui pacem et quietem amittere, quo minus habeas tempus vacandi Deo tuo. Alioquin non juxta Magistri consilium tempus redimes, sed tempus perdes. Huic etiam doctrinæ evangelicæ ethnicorum tritum et antiquum proverbium consonat : « Nummum, « inquiunt, « quærit pestilentia : duos illi da et ducat « se. » Videte itaque, fratres, si placet, et attendite si non fecerim sic, si non redemerim tempus, qui temporalia dedi pro tempore ; qui Ecclesiæ Cantuariensis divitias et honorem, quæ inter occidentalis orbis ecclesias præfulgens est, pariter et domini mei

regis gratiam et gloriam pro mea et cleri mihi crediti A libertate et pace dereliqui, favente Domino gratiam pro gratia et gloriam pro gloria mihi et Ecclesiæ recepturus adhuc, præter causas alias, ideo præsertim terram fugiendo egrediens quod in præsenti ibi fructum facere nequivissem. Qualiter etiam et Apollo ille magistri discipulus, quem Corinthiorum episcopum ordinaverat, ipsos fugiendo deseruit quia, sedare nequivisset. Ita quod etiam multum rogatus a Magistro, reverti ad eos tunc nollet, metuens ne propter incorrectos non faceret fructum. De quo Magister ad discipulos: *De Apollo*, inquit, *fratre notum vobis facio quam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus, et utique non fuit voluntas ut tunc veniret* (*I Cor.* XVI). Sic et alii pastores multi et boni ob causam similem aut penitus sine grege semel B commissum sibi gregem deserentes, aut de grege ad gregem translati ubi utilius impenderent curæ pastoralis officium. Sic igitur nec pro illorum, sicut existimo, nec pro mea fuga apologiam necessarium texere. Præsertim cum ego non solum desperatæ correctionis causa, sed ideo etiam me subtraxerim, ne remanendo magis morti fructificarem quam vitæ. Remanendo quippe in terra et me in tanto regiæ iræ fervore opponendo cum multo ecclesiasticæ libertatis dispendio dolorem super dolorem apposuissem de facili. Nam juxta Sapientis dictum: *Sicut rugitus leonis, sic ira regis* (*Prov.* XX). Ira enim non habet misericordiam nec erumpens furor, et impetum concitati ferre quis poterit ? unde et tunc cedere consultius. Alioquin non animarum rectori, sed C potius videri posset insano et temerario similis, qui sciens et prudens leoni rugienti occurrit aut qui contra rapidissimum torrentis impetum nititur. Quod Sapiens expressim inhibet: *Noli*, inquit, *resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii* (*Eccli.* IV). Quod ego secutus cessi. Siquidem cor principis, quod ut novit mundus aliquando in manibus meis sic erat, peccatis meis exigentibus sic, obfirmatum nunc contra me, unde et, ut jam dixi, elongavi fugiens, fuga mec inductam nuper in Anglicanam Ecclesiam servitutem non auctoritate roborans, quin potius ipsius sic fortius demum favente Domino et apponente manum suam jugum excussurus omnino. Et quidem major sicut ex dictis ni fallor liquet, me fugiente, quam si me tunc temere D opposuissem, servitutis hujus concussio, eo ipso quod fugi sic me opponens. Nec enim ob id dico hæc vel fugi sic, quod successoribus meis fugiendi præstare velim exemplum, nisi forte expediat, sic et id urgentissima rerum ratio postulet ; sed hoc dico quia Cantuariensis contra principem suum, gloriose quidem si causam habet, sed nihilominus semper periculose decertat. Sic enim est cum mepropolitanus in insula regi insulano se opponit, tanquam si tentus in vinculis et in tenebrosis carceris abditis carcerarium provocet. Et hoc quidem periculum decessores mei fere omnes experti sunt. Hæc est enim omnium vere Cantuariensium archipræsulum, et semper fuit dura et periculosa concertatio, videlicet ut aut in insula se opponant, aut inita fuga si forte magis expedit sic ab insula per multos insidiarum laqueos et angustias exeant.

« Et unum vobis proponam, proximum decessorem Patrem meum et dominum felicis memoriæ Theobaldum archipræsulem, cujus et ego, sicut et in aliis periculis multis et angustiis, et in hoc opere quod nunc rememoraturus sum, comes eram tunc individuus. Contigit, ut plerumque solet inter virum apostolicum sanctæ recordationis Eugenium et Anglorum regem tunc Stephanum simultas ; archipræsule et personis regni, contra mandatum apostolicum, ad Remense concilium quod convocabatur tunc a rege transfretare inhibitis, verum archipræsul omnimodis obedire attentans, noctu furtive et periculose admodum, duobus tribusve secum maris parum sciis, in scapha modica et tenui oceani undis se commisit et ventis ; et quasi absque nauclero et remigio Remis venit sic. Qui cum in concilio se præsentaret, et vir apostolicus jam ipsius viæ didicisset periculum, publice mox et in omni audientia dixit in concilio : « Hic est, » inquiens, « venerabilis frater « noster Cantuariensis archiepiscopus, et magis natando quam remigando ut ad nos veniret oceanum « transmeavit. » Et ita Pater meus his ob causam fugit tunc, sicut et nunc ego. Alioquin cum causa subest, si neutrum horum fecerit, a patribus suis degenerans, non ut legitimus sed nothus, Cantuariensis non erit ; nam is forte talis extra disciplinam est, cujus omnes Patres sui participes facti sunt. » His dictis, nonnulli audientes sic archipræsulis zelum necessarium a terra egressum commendabant, et alii ex auditis minime persuasi, eadem quæ prius criminabant, tali tempore in terra remansisse et sustinuisse dicentes satius. Vere dominus papa hoc solum, ut supra diximus, arguit quod præfatis consuetudinibus, quacunque ex causa præbuisset assensum. Unde et tantum habentes egressus nostri fautorem, aliis qui derogabant in præsentiarum omissis cœptum historiæ ordinem prosequamur.

12. QUALITER ARCHIPRÆSUL PONTINIACUM AD PEREGRINANDUM ELEGERIT.

Cum vero jam aliquot dies fecissemus in curia, archipræsul cum suis deliberat et pensat aliquem de locis religiosis, quo declinando commodius possemus et honestius provisum a Deo peregrinationis nostræ præstolari eventum. Et cum nobis, qui Ecclesiæ causam agebamus, ad aliquod de monasteriis declinare religionis intuitu videretur consultius, præ cæteris in aliquo monasteriorum de sancto illo ordine Cisterciensi peregrinari præelegimus, tum propter ordinis religionem insignem, cum propter magnam ordinis quietem et pacem, eo quod sicut corde, ita et corpore sunt remoti a sæculo ordinis illius professores. Et inter cætero ordinis monasteria unum præelegimus in Burgundia situm, quod Pontiniacum nominatur : insignis vero et præclara illius monasterii religio habebatur. Quod et præfata

civitati Senonis, in qua dominus papa propter schisma morabatur tunc, vicinum erat, solum per duodecim leugas distans. Et adhuc quia amplæ erant et abundantes monasterii facultates et multa charitas in erogando.

Vir igitur apostolicus ad petitionem nostram abbatem loci et potiores de fratribus vocat: et cum abbas et fratres ex ipsius domini papæ relatione et quod tamen prius ex multa famæ celebritate audierant, archipræsulis probitatem et virtutem et præsertim causam Ecclesiæ quam agebat certius cognovisset, Domino statim gratias agunt devotissimas, quo inspirante, palæstrita suus talem locum, velut quamdam agonis sui palæstram, elegerit. Unde et cum ab adventu nostro circiter septimanas tres in curia fecissemus, apostolica licentia et benedictione accepta Pontiniacum venimus, a toto conventu cum tanta alacritate et jucunditate tanquam hostia cœlitus missa accepti. Qui omnes nobis humanitatem exhibentes, præter institutionem ordinis et esum carnium et alia quædam animo prompto et voluntario indulserunt. Et quidem supra quam dicere nunc tempus sit, apparuerunt benignitas et humanitas ordinis circa nos. Tertio vero quartove adventus nostri die, archipræsul capitulum ingrediens, causam Ecclesiæ quam agebat, Domino et ipsorum orationibus commendavit. Et compositis sarcinulis nostris, vicinas sed divisas infra septa monasterii mansiones accipientes, nos quotquot id officii erat, sacrarum litterarum lectioni cœpimus mox studiose intendere.

Archipræsul vero, post tantas quas supra ostendimus ipsius turbationes, quasi post densum tempus et nubilum, ad serenitatem et tranquillitatem divinæ lucis cœpit se mox tota mente convertere, lectioni, orationi et meditationi se dans totum. Hoc vero erat tempus, quod ab initio promotionis suæ in archipræsulem, quod etiam tempore cancellariæ, sicut ab ipsomet accepi, inter mundi vanitates præoptaverat, sciens quod sicut juxta Sapientis dictum: Sapientia in otio scribitur, ita et discitur et docetur. Fuit igitur illud monasterium nostrum nobis sicut certaminis palæstra, qua exercitabatur, pariter et quædam virtutum schola qua erudiebamur ad prælium, ita ut quotidie diceremus Domino: Bonum nobis quod humiliasti nos, ut disceremus justificationes tuas.

De expulsis ab Anglia et proscriptis pro archipræsule.

Verum dum multa quiete et otio erudiremur et exercitaremur sic, venit post dies aliquot quidam ab Anglia duri nuntii bajulus, nuntians quod in præfatorum nuntiorum adventu a domino papa, eo quod, ut supra ostendimus, voto suo frustrati et petitione inexpleta rediissent, ex regis edicto archipræsulis et suorum, qui cum eo, bona omnia tam mobilia quam immobilia confiscata, ac si nuntiet Job alteri: *Ecce Sabæi, qui irruentes tulerunt omnia* (*Job* I); verum et hoc quidem gaudentes sustinuimus, bonorum nostrorum rapinam suscipientes cum gaudio, forti illi athletæ conclamantes: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est. Verum is qui venerat adjecit, unde plurimum patiebamur, quia compassi patientibus, videlicet quod archipræsulis tota cognatio et qui familiares exstiterant, aut etiam qui ab ipso aliquod susceperant clientelæ officium, ejecti omnes et proscripti terram abjuraverint; hoc etiam in juramento contentum, nullo modo se moraturos per viam, donec, ubicunque reperiretur, archipræsulis se offerrent conspectui, ut archipræsule eo amplius exacerbato ira cresceret cum dolore. Et adhuc in ipsorum etiam, qui archipræsulem extra terram secuti fuerant, cognationem par et similis furor debacchavit. Ejecti sunt itaque et proscripti et hi et illi, cognatio et cognatio. Et omnes terram nativitatis suæ abjurantes, nisi forte aliqui essent, qui multæ pecuniariæ interventu se redimere potuissent. Quod tamen admodum paucis concessum, unde et ad edictum hoc turba magna, bonis suis omnibus confiscatis, in egestate multa et angustia terram egressa est, viri et uxores, juvenes et virgines, senes cum junioribus, servi et ancillæ, parvuli etiam in cunabulis et ad matrum adhuc pendentes ubera. Non parcebatur sexui, non deferebatur ætati, non æstimabatur conditio, acsi iterum Job alteri nuntietur: *Ecce ventus a regione deserti, qui concussit domum, quæ corruens liberas tuos oppressit* (*ibid.*). His vero omnibus confiscatis et huic exsecutioni pœnali, quidam aulicorum satellitum mero archipræsulis odio præfectus est: qui inveterato odio archipræsulem oderat, ad exsequendum malitiæ opus talis præelectus, ut archipræsul eo amplius exacerbaretur, et de quo satis fidebatur, quod nec unum pœnalium mandatorum iota præteriret. Ranulfus cognomento de Broc hic erat, qui etiam de suo superadjecisse creditur ultra mandatum, dolorem super dolorem apponendo. Malitia quippe, etsi interdum parvas habeat vires, multos tamen semper habet conatus, unde et occasione aliqua a superiore concessis ad malum viribus, semper in immensum se extendit et ad male faciendum fines datos excedit.

Quæ profecto malitia et adhuc ad quiddam inauditum, eo magis impium quo plus profanum, se extendit. Nam cum quotidie ab ecclesia pro archipræsule suo jam peregrinante oratio fieret, publico quidem edicto per terram inhibitum ne de cætero fieret. Et sic quidem a tam communi, a tam generali ecclesiæ suffragio, tanquam aqua et igni velut hostes publici interdicimur. Quod etiam ad hæreticos, ad Judæos, ad ethnicos, ad ipsos etiam Christi crucifixores extendit, diligentis et miserantis Domini latum mandatum nimis. Verum hic patre peregrinante et quasi periclitante jam, ne dum manibus audeant, filiorum etiam ora clauduntur, ne patri periclitanti subveniant, vel sic verendum, ni fallor, Deo vero et justo disponente, ne aliquo tempore accidat ut qua

mensura nobis mensum, et eis remetiatur qui nobis sunt metiti sic : Filii insurgant adversus patrem, et pater adversus filios, et duo in tres et tres in duo dividantur, et de divisione demum fiat consumptio. O malitia, quam viva, quam efficax, quam penetrabilis tu, quæ ipsam Dei imaginem hominem, non jam penetrando, sed magis perforando, sic vulneras, et ab homine quasi fonte pietatis nativo omnem humanitatis dulcedinem sic exsiccas, ut etiam patri negetur a filiis, quod et ipsi debent persequentibus et calumniantibus se? Homo quippe sicut ex natura homo, et ex natura humanus : imo ut expressius et non emphatice loquar sed proprie, ipse homo, misericordiam et pietatem quasi quædam primordialia semina suæ ex ipsa origine habens inserta naturæ; quæ quidem velut quædam naturæ divinæ privilegia ab initio sibi soli reservavit Altissimus. Quibus tamen idem sapiens et solus pius et misericors, summus omnium opifex, suam in creatione hominis venustavit et ornavit imaginem; nisi quia, proh dolor! cito ex inobedientia per vindicem juste judicantis Domini iram nævorum maculæ super inductæ sunt. Verum cum per miserantis opificis manum imago ipsius denigrata reformatur, in nullo magis hostis ille antiquus a Dei imagine hac effugatur et fugit, quam si pietate et misericordia, velut quibusdam coloribus pretiosissimis, ipsam intueatur decoratam et ornatam. Mox siquidem tanquam tetro et horrendo sibi imaginis splendore repercussus, illa tenebrarum potestas effugatur et fugit et veretur accedere. Verum in hoc facto sæculis omnibus detestando malitia iram pessimam consultricem habens, contra naturam naturæ hominis, hominis hic captivavit naturam, ita ut homo, si tamen homo, omnium bestiarum sævitiam hic excederet. Nam ut plangendo iterem, quod et iterando plangendum et plangendo iterandum est, quid facto hoc inhumanius, imo ut adhuc loquar expressius in homine, quid inhominius quidve ignominiosius? Hinc matres miseræ cum parvulis suis ad ubera adhuc pendentibus ejiciuntur, proscribantur : hinc vero quod in communi debetur omnibus, etiam patri ipsi a filiis commune omnium suffragium tollitur, et pro patre periclitante filiorum ad Deum orantium ora obstruuntur, volve et revolve omnem historiæ seriem, et lege et vide si a sæculo auditum in persecutione seu proscriptione ulla, hujuscemodi factum sit.

De sermone exhortatorio quo eruditi archipræsulis ipsum sunt allocuti.

Archipræsul vero primo audiens et postea videns hæc gesta sic cæpit sollicitus et mæstus esse, nec eam foris ostendit faciem, quam heri et nudiustertius. Unde et archipræsulis eruditi, peregrinationis suæ socii, advertentes hoc, quadam exhortatorii pariter et consolatorii sermonis allocutione ipsum adoriuntur sic: « Domine, » inquiunt, » quare in auditu novi nuntii hujus ab Anglia, facies tua sic concidit et vultus sic est in diversa mutatus? Nos nunc alloquentes te si placet vel modicum sustine. Tibi quippe

A et nobis, qui secuti sumus te, communis est causa, communis pœna, communis pugna, favente Domino et communis erit victoria et communis corona. » Hæc vero quæ nunc de novo superaddita est, ejectorum et proscriptorum pœna, tibi et nobis communis, si pœna est, medicinalis est. Si pœna est ideo dicimus, eo quod magis ut nobis videtur censenda sit nomine medicinæ quam pœnæ, super alia velut mordax quoddam epithema a cœlesti medico super apposita peccatorum nostrorum vulneribus. Nec igitur per impatientiam repellamus a nobis curantis medici manum, nec fatigemur; dum a patre arguimur, si pater super dorsa filiorum addat flagella flagellis. Nec, inquam, fatigemur nec ploremus propter flagella, sed cantemus cum Propheta pœni-

B tente et flagellato, dicentes singuli : *Quoniam ego in flagella paratus sum* (*Psal.* XXXVII) : si forte vel sic omnium injuriarum malefactorum omnium ultor Dominus in omnes adinventiones nostras ulciscatur. Propter quod et per eumdem Prophetam Deus Moysi, Aaron et Samueli propitius fuisse dicitur, quod in omnes eorum adinventiones ulcisceretur : *Deus*, inquiens, *tu propitius fuisti eis et ulciscens in omnes adinventiones eorum* (*Psal.* XCVIII). Magna quippe ira Dei impunita nequitia. Unde et Propheta prius prosperatus et flagellatus, postea : *Noli*, inquit, *æmulari in homine qui prosperatur in via sua* (*Psal.* XXXVI) ; eo quod sicut per prophetam alium ipso Domino dicente : Iste talis quasi pecus occisionis est, quod saginatum ad victimam ducitur. Domino ad

C prophetam respondente, sciscitatur propheta a Domino : *Quare*, inquit, *via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, inique agunt?* (*Jer.* XII.) Cui Dominus : *Congrega*, inquit, *eos quasi gregem ad victimam et sanctifica eos in die occisionis* (*ibid.*) : ac si dicat prophetæ : Prædic et prænuntia prophetali spiritu eos congregandos quasi gregem ad victimam. Et revera talis et tanta vitæ hujus prosperitas absque omni obstaculo sine omni flagello, Dei quidem miseratio est : sed talis certe Dei miseratio omnem Dei iram excedit. Misericordia enim hæc juxta prophetarum unum : *Quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens, quasi spuma super faciem aquæ, aut sicut pulvis a turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario* (*Ose.* XIII). Unde e

D quo sic miseretur Dominus, eo plus iratus peccant Synagogæ. *Recessit*, inquit, zelus meus a te, ultr non irascar tibi. Et alibi per Prophetam alium *Dimisi*, inquit, *eos secundum desideria cordis eorum ibunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX). Ecce sæculi hujus, ecce vitæ hujus prosperitas quæ quas amurca fluit per plateas, oleo in torculari presso e postea reposita in cellaria. Et tu, Domine, ut tame absque Domini loquar offensa, Dei quippe sermone loquimur, tu quidem aliquanto tempore amurc fuisti per plateas fluens, omnibus absque omni ob staculo tibi ad nutum et votum succedentibus. Se videtur nunc quod amurcam convertere velit i oleum qui convertit aquam in vinum. Si ergo oleu

esse desideras, torcularis pressuram sustineas necesse est, donec ex torculari in apothecam defluas. Verum pro novo hoc tam atrocis facti auditu, de sollicitudine et mœstitia quam ostendis, conturbamur plurimum. Sperabamus quippe quod in solitudine hac, qua secuti sumus te, alterum te nobis Moysen exhiberes, et sub tali duce fiducialiter Domini bella committere. Sed si necdum te talem exhibuisti, vel nunc exhibeas necesse est, cum te turba in solitudinem jam incipiat sequi. Non igitur dolore tabescas, non labore deficias, non pavore elangueas, non impatientia dissolvat, non sollicitudo distrahat, non eviscerent curæ, potius in turba sine turbatione et inter curas quasi sine cura versare te oportet, tuos in solitudinis hujus discrimine et exemplo provocans et verbo roborans : ut ita, dum superbiunt impii, pauperes qui te sequuntur, hinc cœlestis verbi igne admoto, inde vero superbiæ seu elationis vento agitati incendantur. Incendantur, inquam, tanquam aurum in fornace, ut probati purgentur et tanquam ferrum in igne, ut omni ex parte accendantur ad amorem. Et hunc quidem elationis ventum, qui nunc nobis sic contrarius est, et ejectorum et proscriptorum pauperum turbam ab insula nativitatis suæ de corde maris eventilat ; hunc, inquam, superbiæ et elationis ventum, et tu ipse, cum adhuc in sæculo inter filios superbiæ versareris, seminasti ; et ideo quidem justum ut nunc turbinem metas. Ex tali quippe semine fructus talis, juxta quod de Israele per nimiam elationem schismatico prophetarum unus : *Seminabunt*, inquit, *ventum et turbinem metent* (*Ose.* VIII). Verum et si istud, quod sic nuper in Anglia in nostram oppressionem gestum est, quidam superbiæ et elationis turbo sit, pauperum turbam de corde maris exturbans et eventilans, nos tamen qui secuti sumus te, turbo hic confortante nos Domino et regente, minime exturbare potest aut debet ; si quem secuti sumus exturbare potest tu videris : nos nec potest nec debet, quin potius turbo hic nos magis sedat quam turbet, hunc quippe turbinem auram reputamus, qua melius et commodius velificemus ad portum ; illos quidem mirabiliter dispensante sic, qui cum, ut ait Psalmista *Mirabiles sint elationes maris, e diverso mirabilis est in altis Dominus* (*Psal.* XCII) ; qui juxta eumdem : *Statuit turbinem in tranquillitatem et procellam in auram* (*Psal.* VI). Et revera, etsi non sentiamus, adhuc sentiemus in brevi quod turbo hic novus nobis in tranquillitatem et procella hæc in auram, Domino sic mirabiliter operante, statuetur. Quod etiam parvæ intelligentiæ hominibus liquere potest de facili. Siquidem nunc primo ex facto hoc nostra nobilitatur peregrinatio, roboratur infirmitas, virtus datur sustinendi, et Ecclesiæ causa in tuto, et contra mundi principem ad nos mundi favor inclinabitur, adeo detestabitur mundus facti hujus atrocitatem.

Sed, ut iterim taceamus de hoc, in brevi quippe videbunt oculi nostri, sic et gaudebit cor nostrum ; nostra si quidem nunc primo, ut jam dicere cœpimus, nobilitatur peregrinatio, et deinceps ex hoc Ecclesiæ causa quam suscepimus in tuto est. Si quidem præter alios ex omni ætate, omni sexu, omni conditione, tot meruimus habere innocentes, parvulos dico et ad matrum adhuc pendentes ubera, nostræ peregrinationis consortes, nobis nunc associati, et nobiscum novi coram omnium judice ecclesiasticæ causæ advocati. Quorum profecto vagitus jurisperitorum omni allegationum robore et nitore in auribus Domini Sabaoth delectabilius et persuasibilius sonat. Nobis ergo ex facto hoc solum superest gaudium et exsultatio, quod videlicet coram terribili et eo qui aufert spiritum principum, tot et talium tanta nobis accreverint patrocinia : unde et, si fidem habemus, nequaqam hæsitandum quod etsi laboriose certemus, siquidem lites laboriosæ sunt, præsertim contra adversarium tam potentem, tam durum, causæ nostræ exitus exinde multo erit felicior. « Tu igitur, domine, pro ejectis nostris et proscriptis, qui, ut jam ostendimus, tam necessarii nobis adveniunt, omni sollicitudine et mœstitia omni deposita, exspecta Dominum et viriliter age et confortetur cor tuum. Hic enim inter ligna silvarum, inter petras et solitarios hos, nobis in solitudine hac velut quadam certaminis nostri palæstra aut cedendum cum ignominia aut dimicandum cum gloria. Quod autem a communi ecclesiæ suffragio interdicimur, si Deus cordis nostri nobiscum, et suorum corda pariter et eo magis corda quo ora clauduntur sic. Et certe oris oratione sic inhibita, eo magis nunc cordis oratio quasi duplicata clamabit intensius, supplicabit devotius, pulsabit securius, et ab Altissimo exaudietur facilius. ».

Responsum archipræsulis ad eruditos suos.

Archipræsul vero attente audiens verba suorum hæc, interposito parum silentio, flebilis et compunctus sic suis respondit : « Benedictus Dominus, qui vestra eruditione manus meas docet ad prælium, et posuit ut arcum æreum brachia mea, tam infatigabiles, tam eruditos et tam strenuos certaminis mei mihi socios dans. Jam quippe vos video me, quem dominum et ducem vestrum nominatis, multo magis in agone fortiores. Unde et illum devota prosequor actione gratiarum, cujus muneris est quod tales et tantos habeo coadjutores, quos ut ego sequar tutius est quam quod me ipsi. Ego etenim, fratres, sicut dicitis, amurca multo tempore per latas et spatiosas vitæ hujus vias excurri, ad nutum et votum vanis et voluptuosis vitæ hujus succedentibus mihi. Et ita secundum mea dimissus desideria, quasi indomitus et effrenis per sæculi devia excurri, efflui, erravi in invio et non in via ; unde et nunc in hoc tanto quod imminet discrimine, in solitudine hac me sequi non tutum. Sed ego vos tanquam eruditos et in his quæ Dei exercitatos, tanquam duces meos et rectores quocunque ieritis sequar. Ita ut a die hoc, ab hora hac, Ecclesiæ causam mihi et vobis, sicut dicitis et verum est, communem, vestris fovendam consiliis, tutandam viri-

bus, vestris commendo manibus. Et ego vestro A provocatus exemplo et roboratus verbo, vos, ut dixi, jam sequar, et favente Domino et dilatante sic gressus meos subter me usque in finem, tali mei non deficient vos sequendo. Et quidem, ut dicitis, amurca fui, sed desidero nunc, si forte dignaretur mirabiliter operari sic Dominus, converti in oleum. Unde et amodo vestri consilii et auxilii adjutus viribus, proposui fortius sustinere et validius torcularis pressuram, si forte vel sic misericordiarum Pater virtutum Dominus de lacu miseriæ et de luto fæcis me educere velit. Verumtamen vos, fratres mei, tam strenui, tam necessarii præsentis agonis Christi coadjutores, si super his quæ nunc acciderunt moveor, misereor et compungor, nec mirandum. Ecce enim, ut a vobis sumam initium, qui B secuti estis me, nihil quidem adhuc accepistis a me, et jam omnia perdidistis propter me. Pro me, inquam, retribuente vobis pro bono malum, pro obsequio proscriptionem et exsilium, vobis ejectis et proscriptis mecum et pro me. Nec jam vos solum et vestra, sed et vestri, vestra omnis cognatio ejecta simul et proscripta; in nullo quidem propter ipsos, sed propter me et vos, imo totum propter me: ita ut emortua veteris legis vetus parabola illa et querimonia, quasi de novo rediviva videatur iterum verti nunc posse in proverbium: *Patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt* (*Ezech.* XVIII). Ego quippe solus peccavi, ego solus cecidi, ego solus iram Domini portare debui. Nam, ut cæteros taceam, grex iste parvulorum sugentium C adhuc matrum ubera, quod fecit? quid commeruit? Et hi præsertim, qui de mea non sunt cognatione, et tamen et hi et illi, ejecti et proscripti propter me, jam maris pericula et viarum difficultates propter me sentientes quibus etiam necdum est sensus, imo neque vox, neque sensus, utpote quorum nonnulli adhuc in matrum utero ante peregrinantur quam noscantur peregrini et proscripti priusquam nati. Et hi de vobis qui secuti estis me, vestra quidem cognatio. De mea quidem propria cognatione ejecta et proscripta, cum omni modestia et patientia sustinerem, cum tamen nullius illorum famosorum criminum conscius sim, pro quibus humana lex hoc fieri jubeat, de mea tamen cognatione patienter tolerarem hoc, sed pro vestra quomodo compassionem dissimulare possum D et dolorem? Verumtamen sermo vester, imo Dei potius cujus supra fuistis organum, vivus quidem et efficax non parum in me energiæ habuit. Ex ipso admodum confortatus et consolatus, ita ut secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes vestræ lætificaverint animam meam. Manifeste quippe ex auditis jam cognosco, vos sequendo me magis Deum sequi quam hominem, magis æternitatem quam tempus et justitiæ causam magis quam temporalium prædam. Quin potius ejecti jam, proscripti, deprædati, et vos et vestri bonorum vestrorum rapinam cum gaudio suscipitis, unde apertissime adverte vos mere Dei causam sequi, non prædam,

et quia, sicut dicitis, causa communis est, pœnam pariter acceptare communem. Video quem sic et non modicum gaudeo, propter vos. Gaudeo, inquam, quod cernam vos cum scientiæ ornamento pariter virtute patientiæ roboratos. Video quippe quod patientia vestram humiliet scientiam, ut paupertatis oneri voluntarie se subjiciat: scientia vero instruit patientiam ut ex corde sub tali onere gaudeat. Et sole[t] quidem sic patientia comitem habens scientiam semper gaudere in adversis, sicut et scientia co[m]mitem habens patientiam semper fortiter sustiner[e] adversa. Juxta quod vos secundum scientiam e[t] patientiam vobis datam supra docuistis in nova ha[c] ejectorum et proscriptorum nostrorum super appo[-] sita pœna solum nobis gaudendum et exsultandum sapienter ostendentes, quod quia *superabundavit malitia, superabundavit et gratia* (*Rom.* V). Et eo ipso amplior ad compatiendum nobis et succurrendum mundi inclinabitur favor. Et quidem accidere sole[t] sic, ut semper omnis malitiæ abundantia, eo ipso quod superabundans est, suis maxime auctoribus [et] fautoribus noceat. Arcus enim pravus malitia super[-] abundans sic, quæ non eminus jaculatur, sed in s[e] ipsam retorquet spicula, ut illis convertatur i[n] augmentum gratiæ contra quos excessum est in f[i]nibus pœnæ. Adeo ubique modus, ubique modesti[a], ubique moderamen necessarium et in supplici[is] maxime. In quo tamen ira et invidia, sicut n[os] videmus nunc et sentimus, semper solent excede[re] pessime potentatuum consultrices; unde et Scr[i]ptura: *Ira*, inquit, *viri justitiam Domini non oper[a]tur* (*Jac.* I). Propter quod etiam Christianus il[le] imperator Theodosius, sicut vos me multo meli[us] nostis, absque regali fastigio pœnitentia publi[ca] publice et patienter expleta, leges sanxit in posteru[m] ut sententiæ principum super animadversione pr[o]latæ in diem tricesimum ab exsecutoribus differre[n]tur, quo locus misericordiæ vel si res tulisset pœn[i]tentiæ non periret. Unde etsi juxta legem nat[u]ralem liceat vim vi repellere, ethnici tamen pri[n]cipes cum moderamine faciendum sic decrev[e]runt, dicentes quidem licere hoc, sed tame[n] cum moderamine inculpatæ tutelæ, pœnis etia[m] aliis, sicut statuunt, molliendis semper magis qua[m] exasperandis. Unde etiam manifestum quod etia[m] apud ethnicos principes misericordia superexal[ta]bat judicio, juxta illud apud Græcos tritum pr[o]verbium: Ne quid nimis, » Verum, fratres, se[n]timus nunc nostri duntaxat odio misericordiæ et [ju]dicio per iram et invidiam meram sævitiam sup[er]positam: ita quod etiam innocentes adducuntur [in] crimen, et in quibus princeps mundi hujus ni[hil] habent, a mundi tamen principe proscribuntur [per] iram et invidiam potentatuum, ut diximus, pe[ssi]mas consultrices; unde et super omnia et præ o[m]nibus lugeo dominum meum regem meum, qu[em] sicut cor meum, sicut animam meam diligebam [et] a cujus etiam charitate adhuc nec tribulatio, n[ec] angustia nec persecutio separare me potest. I[s]

solus est quem plango, quem lugeo; pro ipso tristitia est mihi magna et continuus dolor cordi meo: quem mei æmuli, sui ipsius regis dico amici ficti et inimici veri, regem tam Christianum, tam illustrem faciunt transire in tyrannum, et Herodiana quadam impietate consulunt et compellunt desævire in parvulos, eo quod in me ipsum modo plus nequeant. Quis igitur cum Propheta dabit nunc capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum et plo-rabo? Plorabo, inquam, non me, non vos, non eje-:tos nostros et proscriptos, non damna rerum, non lesolationem ecclesiarum, sed plorabo tam ma-gnum dominum, regem tam præclarum, qui ad pra-vorum suggestionem novam in regno suo pœnam, et ibimet tam ignominiosam induxit, nova excogitata, ut præter alia novum nobis inferret dolorem, et eo amplius exacerbaret afflictos, et eo acerbiorem, quo plus communem, quo etiam extensam in innoentes, ubi nulli misertum sexui, nulli delatum ætati, non æstimata conditio. Salvo domino nostro, alvo Christo Domini rege nostro, sit illis væ perpetuum per quos factum sic, per quos nova pœna æc introducta novum scandalum venit: fiat via lorum tenebræ et lubricum qui innocentibus, prægnantibus et nutrientibus per terras ignotas, per maria inexperta, vias tam difficiles, tam periculosas ıdixerunt. Ita quod juxta Domini planctum væ prægnantibus et nutrientibus his diebus, quorum ıga hieme facta, ut sit supra modum sævitia sæviens, quam præter alia circa tam miserabiles perɔnas et tam infirmas non perpensa, auget inclementia temporis. Cum judicati fuerint exeant con-amnati, qui ita sine misericordia judicaverunt. Et at illis judicium sine misericordia qui judicando isericordiam non fecerunt. Sed esto: hoc certe ɔus eorum, qui detrahebant mihi, qui in aula mei muli erant. Tunc quidem latenter serpentes præ nore, sed manifeste exerunt nunc caput et virus vomunt. Attamen, sicut vulgo dicitur et verum est, ale dolorem suum vindicat qui auget. Isti vero, vos supra docuistis, non nostrum in facto hoc, cut sperant, dolorem auxerunt, sed suum verius am ut iram Dei impræsentiarum taceam, quæ jam ervenit super illos, certe super dolorem et iram ıam habent in nos in hoc facto perpetuam sibi ignominiam cumularunt. Quia, ut cognoscat tam atrox ctum generatio subsequens, filii qui nascentur et surgent enarrabunt filiis suis. Verum debuissent ofecto pravi illi, qui in facto hoc non consilium derunt, sed infuderunt potius pro consilio virus, buissent, inquam, prius advertisse quod omnes regii præsertim potentatus semper sit vita brevis d sequitur ipsum post vitam aut gloriosæ famæ a immortalis, aut vulnera famæ læsæ incurabilia. ıde et regio maxime potentatui nil tam decens, n necessarium, quam consilii et scientiæ spiri-s, quo is qui præest omnibus super omnes et in ınibus modum teneat, non transgrediens, non cedens, non se super se extendens etsi major:

A unde et ante omnia necesse quod qui indomitorum est baculus, contumacium clavus, malleus superborum et omnium denique hostilium nationum debellator, rex dico, qui totus suum esse debet et totus omnium, necesse, inquam, primo et ante omnia ut iram suam in manibus suis habeat et dicere semper possit: Ira mea in manibus meis semper, ut si irascatur, nec enim in regis etiam potestate est non irasci, non tamen peccet. Alioquin si iratus peccaverit, ira est manibus ejus elapsa, jam in manibus ejus non est, sed ipse potius in manu iræ, ira victus, non victor sui vel iræ: unde et ex nimis vehementi iræ impetu scientiæ et consilii exsufflato spiritu qui ex eo datur, perit modus, et quæ ex modo quasi ex matre soboles procreantur, justitia B qua firmatur, et clementia qua venustatur thronus, occumbunt pariter. Per quæ duo regibus per vitam hanc beatæ famæ et jucundæ vita immortalis comparatur. Adeo ut exempti a mundo quodam immortalis famæ beneficio restituantur mundo et sancte et feliciter in præsenti Ecclesia vivant etiam post mortem, qui hic dum adhuc in carne viverent tenuerunt in regimine modum, justitiam et misericordiam observantes. Unde et solus ille rex beatus legitur qui non abiit in consilio impiorum. Quod si abierit, scientiæ et consilii spiritu destitutus, jam non populorum rex, sed fæx potius, nec christus Domini, sed idolum christi, unctum idolum rector populorum constituitur, vel juxta sapientis regis dictum, sicut lapis est in acervo mercurii. Sed esto C ejiciant, expellant, proscribant, pungant, expungant, instigent et insaniant: tempus sustinendi est, patientes erimus et in flagella parati. Et retribuemus interim bona pro malis, dilectionem pro odio, orationem pro maledicto, tanquam vere magistri illius discipuli, qui: « Pro eo, inquit, quod diligebam, adversabantur mihi, ego autem orabam. »

His vero dictis et mutua exhortatorii sermonis nostri allocutione invicem collata, sic exhilarati et animæquiores facti in illas, quas, ut supra tetigimus, infra septa monasterii sortiti sumus, mansiunculas nostras non recepimus. Quotidie autem ad nos nova exsulum multitudo confluebat, nisi quod plerique a prætacto juramento auctoritate apostolica absoluti in Flandria remanserunt, hi præsertim, qui propter ætatis vel sexus infirmitatem et multam quæ tunc D erat inclementiam temporis, absque multo sui dispendio ad archipræsulem, quemadmodum juraverant proficisci non valebant. Cæteri vero quotidie glomeratim veniebant ad nos, ejulantes et plangentes quod essent sic a natali solo ad ignotas nationes expulsi, bonis suis proscripti, et ab amicis suis et proximis elongati. Et ita quotidie pauperes et egeni, ad misericordiæ Altissimi pulsantes januam, archipræsulem movebant. Nec enim poterat non moveri, nec debebat non totis pietatis visceribus concuti super talium clamoribus querulis, qui pro ipso ejecti sic. Movebatur quidem, sed velut aroma aliquod pretiosum, quod quanto plus movetur, tanto

A plus redolet; seu quasi aliquod sinapis granum, quod cum quis fortius terit, eo virtutem validius exerit, et tanquam vere argentea tuba, quæ quanto fortius tunditur, eo amplius producitur et formatur. Qui etiam repente totus visus est in oleum meracissimum defecisse ad torcularis præssuram, facie ejus adeo exhilarata in oleo, ut semper tam æqualis, tam compositi, tam erecti animi esset, ut in omni pressura sua vix adverti posset ullam se sentire pressuram, juxta quod propheta de capite præconizat : *Nunquam tristis deque turbulentus, sed semper hilaris, semper jucundus, jucundus mente, jucundus facie, jucundus semper et æqualis.* (*Isa.* IV.) Sapiens enim inquit: *Sapiens ut sol permanet, stultus vero ut luna*
B *mutatur* (*Eccli* XXVII). Sic igitur iste omni tempore tam in adversis quam in prosperis permanens, qualis in prosperis talis et in adversis. Quem sicut nec sol per diem, neque luna urebat per noctem. Implens opportune apostolicum illud mandatum in se; *Omne*, inquit, *gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis* (*Jac.* I). Et Magister ad discipulos : *Semper*, inquit, *gaudete* (*Philip*, IV). Nam ut Magister ad alios discipulos docendo loquitur : *Sœculi tristitia mortem operatur* (*II Cor.* VII). Cui consonat illud Sapientis : *Tristitiam*, inquit, *non des animæ tuœ, multos enim occidit tristitia* (*Eccli.* XXX). Verum et rex Sapiens : *Omnes*, inquit, *dies pauperis mali, secura vero mens quasi juge convivium* (*Prov.* XV): Malis vero hujus agonothetæ nostri mens quasi in jugi convivio, in continuo gaudio, unde et
C ipso quasi quodam experientiæ libro certissime didici illam Magistri sententiam veracissimam, quod videlicet fructus spiritus sit sicut charitas, ita et gaudium. *Fructus*, inquit, *Spiritus charitas, gaudium* (*Gal.* V); unde et qui spiritum non habent, non solum secundum Magistrum, sed et secundum Prophetam et fructu hoc spiritus carent impii. Nec enim est gaudere impiis, sicut per prophetam dicit Dominus ; verum de hoc ad tanti archipræsulis laudem et gloriam solum hic tetigisse sufficiat, et servato historiæ ordine, ad parvulos nostros et alios ejectos et proscriptos revertendum.

Vir itaque apostolicus et terrarum potentatus nationes et regna audientes de ejectis nostris et proscriptis sic, mox in primo obstupuerunt auditu et
D factum admodum profanantes quotquot archipræsuli et tantæ et tali ejectorum turbæ totis pietatis visceribus compassi sunt. Ita ut archipræsul, quod prius a suis compromissum audierat, mox impletum cerneret, videlicet ex facto hoc, Deo mirabiliter dispensante sic, contra mundi principem mundi ad nos inclinatum favorem. Unde et archipræsul, eo quod tantam turbam secum ferre non posset, ipsos per diversas provincias, per nationes varias, ad diversa etiam regna, quosdam ad personas ecclesiasticas, alios vero ad potentes terrarum cum suis supplicatoriis destinavit. Et quidem qui missi omnes ab eis ad quos missi, tum tantæ malitiæ odio, tum favore mittentis benigne suscepti sunt. Ita quod in susceptione hac etiam populus quem non cognovit servivit ei, tantus jam ipsius erat in populo favor et miseratio pro expulsis. Sed quid? Ejectis omnibus sic, præstante Domino, provisum in brevi ut inter ipsos egens nullus et plurimi etiam felicius in exsilio quam in patria degerent. Unde et felix exsilium et revera felix : felix propter justitiæ causam, felix propter mundi favorem, felix propter magnam exsulum virtutem et constantiam, felix etiam innocentiæ titulo, virginitatis gloria, viduitatis gratia et conjugali honestate insignitum. Per tale revera et tam felix exsilium non nisi ad patriam tenebatur.

14. QUALITER ARCHIPRÆSUL COEPIT ARCTIUS VIVERE

Verum, etsi ejectis nostris Deo miserante provisum sic, archipræsul tamen attendens in tanta ejectorum et proscriptorum multitudine nostrum aggravatum exsilium et pœnam exasperatam, disposuit una et pœnitentiæ suæ aggravare districtionem, ut præter illud quod jugiter portabat cilicium, et crebras quas flagellatus furtivas accipiebat disciplinas, et ipse quoque plus solito districtius viveret. Unde et uni fratrum, qui ipsi in mensa ministrare consueverat, una dierum instillavit secretius ut inter alios lautiores cibos suos, quibus uti solitus erat, caute quidem ita ut nullus adverteret, quotidie conventualem sibi apponeret cibum, quibus solis uti disposuerat. Quod et ut cautius fieret et secretius, mensa ipsi soli seorsum a nobis ponebatur quotidie. Et ita quidem per aliquot dies solis pulmentariis aridis et insipidis, juxta quod Cisterciensis ordinis regularis institutio habet vescebatur, cum tamen ut et nos supra scripsisse meminimus, cum de mensa ipsius corporali et modo victitandi ageremus, in deliciis a primæva ætate fuerit enutritus, propter quod et grossiora non poterat. Verumtamen, quia, ut diximus, ex ejectorum et proscriptorum multitudine peregrinationis suæ aucta est pœna, ideo et præter alia ipsius in vivendi districtione aggravata est pœnitentia : verum per aliquod tempus sic se mortificans, sic districte contra solitum vivens post dies aliquot gravi correptus valitudine decubuit. Discipulus vero qui scripsit hæc cum juxta quotidianum morem ad sacram lectionem manicaret ut, sicut sibi injunctum fuerat, cum archipræsule de sacris litteris conferret, et ab ipso, sicut quotidie consueverat, vel disceret vel doceret, dolens reperit accidisse sic. Et confestim accedens proprius sciscitabar, quæ posset esse tam subitæ valetudinis causa. At ille, sicut mox adverti, causam indicare declinans, alias retorquebat sermonem : verumtamen opportune importune instare cœpi, prout tamen audebam. Qui mihi tandem causam revelavit ad importunitatem instantis, sic tamen ut tenerem secretum. Nec tamen asserebat, sed dicebat se suspicari, valetudinem accidisse sibi sic propter austeriorem illam abstinentiam et insuetam.

Exhortatio discipuli ad archipræsulem.

Et ego mox ipsi, « domine, » inquiens, « si placet

paulisper attende. Nec enim humana quidem, sed potius diabolica videtur tentatio hæc. Qui quos non potest subvertere per gulam, subvertere quærit per immoderatam abstinentiam vel per insuetam. Contra quod Magister, non ignorans illius versuti astutias, agens de castigatione corporum, de mortificatione carnis: *Obsecro*, inquit, *vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo, placentem* (*Rom.* XII); et adjecit: *Rationabile*, inquit, *obsequium vestrum* (*ibid.*); quasi dicat, in hac corporum castigatione est adhibenda discretio : unde rationabile, inquit, scilicet cum discretione, videlicet ne quid ultra, ne quid citra mensuram. Rationabile, inquit, ut æstimetur naturæ possibilitas, non voluntas abstinentis. Rationabile, inquit, ut et ætas æstimetur et conditio, et aptentur cuique congrua. Si ergo, domine, id desideras ut in corporis tua castigatione rationabile sit obsequium, necesse ut in abstinendo ratio comitetur obsequium et voluntatem tuam regat, et non voluntatis tuæ te trahat impetus, qui nimis vehementer ad bonum videtur intensus. Juxta quod ait Sapiens : *Noli*, inquit, *nimis esse justus* (*Eccle.* VII). Et item : *Noli plus sapiens esse quam oportet* (*ibid.*). Sicut igitur nec nimis justus, nec nimis sapiens, pariter et noli esse nimis abstinens. Per pauca quippe quæ expressa, dat Sapiens et multa intelligere quæ non exprimit. Nam, sicut dicitur, paucis sapiens innotescit. Nolimus ergo aliquid nimis, nam, sicut ait quidam : « Omne quod est nimium vertitur in vitium. » Unde et sicut juxta Sapientem : *Est justus qui perit in justitia sua, ita est et abstinens qui perit in abstinentia sua* (*Eccle.* IX). In abstinendo quippe æstimanda est carnis infirmitas, naturæ possibilitas, et diutinæ consuetudinis usus. Sæpissime quippe accidit hoc ut spiritus promptus sit, sed caro infirma, natura impotens et consuetudo rebellis. Unde necesse tunc ut temperato rigore his condescendatur. Nam juxta quod ait Sapiens : *Qui servum suum enutrierit in deliciis a pueritia, postea sentiet eum contumacem* (*Prov.* XXIX), Tu vero es qui fecisti sic, qui corpus tuum semper a puero in deliciis enutristi, nunc vero quia has ipsi subtraxisti, ipsum tibi rebelle sentis, unde, quia Dei voluntas sic, placeat tibi deinceps, ut, quia austeriora non potes, congruis tibi alimentis utaris. Et ut mea doctrina non mea sit, audias si placet quid super his doctorum unus, de escis corporalibus loquens sic : « In omnibus, » inquit, « talibus non usus rerum, sed libido in culpa est. » Fieri enim potest ut sapiens sine omni vitio pretiosissimo utatur cibo : insipiens vero fœdissima gulæ flamma in vilissimum exardescat. Et sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci quam lenticula ut Esau, an hordeo more jumentorum. Nec enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus utuntur cibis. In hujuscemodi enim non ex rerum natura quibus utimur, sed ex causa utendi vel appetendi modo vel probandum est vel improbandum quod agimus. Ecce, domine, quia mea doctrina non mea sed orthodoxorum potius doctrina est. »

Archipræsul vero ex paucis his statim advertit quid agendum, juxta quod Sapiens. *Da*, inquit, *occasionem sapienti, et sapientior erit* (*Prov.* IX). Unde, Domino favente, in brevi restitutus incolumis semper et in omnibus mira quidem et supra modum admirabili, quam supra cum de mensa ipsius corporali ageremus breviter ostendimus, sobrietate comite congruis sibi deinceps alimentis utebatur. Hoc autem de spiritu sancti et devoti pontificis tam prompto et carne ipsius infirma ad legentium ædificationem hic interserto, deinceps cœptum historiæ ordinem prosequamur.

Sicut dicere cœpimus, ejectis nostris et proscriptis, miserante Domino, solatiis. sic Pontiniaci in solitudine inter petras et monachos solitarii nos delitescentes a sæculo jam remoti, eo liberius quo quietius, et eo fructuosius quo secretius, tota mente spiritualibus intendebamus. Archipræsul vero super omnes miro discendi ferebatur ardore, qui tanquam luminare magnum in firmamento cœli sacræ Scripturæ jugiter inhærebat, apostolicis institutionibus. sed theologiæ præsertim summam operam dans. Hoc enim erat tempus quod, ut supra diximus, semper præoptaverat, quo jam dudum perditorum dierum repararet jacturam, ut qui electus erat ad regimen animarum, aliquo tempore. etsi sero, scientiam sibi regendi eas compararet. Unde et tantus erat Scripturarum amator, quod post horas regulares quotidie sacri codices per totum diem vix de manu ejus discederent: præsertim sacri illi duo libri, Psalterii videlicet et Epistolarum, tanquam duo spirituales oculi, mysticus et moralis. Horum quippe uno, ut dicebat, perfecte ethicam, altero vero theoriam præcipue docebatur. Ex amore vero hoc Scripturarum et opera adeo in brevi profecit, ut sæpissime in scrupulosis et nodosis Scripturarum, etiam super docentes se intelligeret. Et quidem mansio nostra Pontiniaci sic erat.

15. QUALITER SECUNDO PEREGRINATIONIS SUÆ ANNO APPREHENDERIT ARCHIPRÆSULEM JUSTITIÆ ZELUS.

Secundo vero peregrinatiouis nostræ anno cernens pontifex inimicorum nostrorum induratum cor nec pro tantis in nos excessibus ulla in eis pœnitentiæ signa, quin potius apponentes peccare adhuc quod jam manu non poterant, nos elongatos et in solitudine manentes linguis detrahentibus persequentes : cernens, inquam, pontifex sic cœpit cogitare intra se et meditari cum corde suo, et in meditatione hac ignis exardescebat, ignis certe non livoris, sed amoris. Videbat quippe filios proprios, etsi in hostem conversos, quotidie ire in interitum et in præcipitium ruere. Et quia pater est, amplius dissimulare non potuit. Nam, etsi illi jam filialem subtraxerint, nequaquam tamen pontificalis perfectionis erat illis paternum affectum subtrahere. Unde et pro pereuntibus filiis condoluit cor ejus

intra eum, et cum meditatione sua hac ignis exarsit, non quidem zelo vindictæ, sed ex zelo justitiæ propter filios et paterno compassionis affectu. Unde et quomodo pater miseretur filiorum et ipse illis misereri desiderat, ut videlicet visitet in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. Itaque apprehendit eum, hinc quod maxime sacerdotibus congruit ardens propter contumaces justitiæ zelus, inde vero quod maxime patrum est intensus propter errantes filios compassionis affectus. Et ita qui hucusque siluit, qui hucusque in omni patientia sustinuit, videns et attendens patientiam suam in superbia et abusione calcatam, jam deinceps non patiens, non dormiens, sed surgens et excutiens se, tanquam verus excussorum filius, confestim cum suis deliberare inchoat quid agendum. Ad illud Domini comminatorium in propheta ad prophetam quasi subito motus et commotus: *Et tu. fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel* (*Ezech.* XXXIII). Quod si non fueris locutus ut custodiat se impius a via sua mala, impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Nos itaque certaminis sui socios in primis quodam deliberatorii sermonis elogio alloquitur sic.

Deliberatoribus archipræsulis sermo ad suos.

« Viri fratres, » inquiens, « in causa Ecclesiæ mecum Christi coadjutores, scitis et nostis quidem, me multo melius, quod omnia tempus habent, tempus sustinendi et tempus rebellandi, tempus miserendi et tempus judicandi : *Cum accepero*, inquit, *tempus ego justitias judicabo* (*Psal.* LXXIV). Et Magister ad discipulos : *Tempori*, inquit, *servientes*. Nos vero hucusque tempori servivimus, hucusque sustinuimus, hucusque peccatores supra dorsum Ecclesiæ fabricantes portavimus, patientes ad omnes ; sed ipsi iniquitatem suam prolongantes, nostra in die bonitate abutuntur et patientia, et peccata peccatis cumulantes solum sibi iram non misericordiam thesaurizant ; cum Dominus per prophetam de indurato et non resipiscente, sed apponente semper peccare adhuc : Nonne, inquit, in tribus et quatuor impietatibus adversabor eum ? Proinde, fratres, ineatis consilium, videte quid deinceps nobis agendum. Nunquid enim quia hucusque tacuimus, semper sic tacebimus ? *Væ mihi*, ait propheta, *quia tacui* (*Isa.* VI). Nunquid igitur exterriti per prophetam tacebimus tamen sic ? Et qui in solitudine hac inter petras has, et monachos hos hucusque dormivimus, non adjiciemus ut resurgamus ? Bonum quidem et delectabile nos esse hic, dormire sic et dulcibus jamdudum concupitæ Rachetis amplexibus frui. Bonum quidem hoc et jucundum ; sed tamen ut nihil inpræsentiarum in sanioris consilii præjudicium afferam, mihi certe videtur nunc quod amodo ad operandum necessarium nos sponsæ negotium trahat et officii nostri debitum urgeat, cura videlicet quam suscepimus pastoralis. Ecce enim quia vulpes demoliuntur vineas et lupi manifeste in caulis ovium grassari non desistunt. Et super omnia hæc non sunt inter prævaricatores qui revertantur ad cor, qui forte reverterentur si percussi. Alioquin nisi lupos arceat pastor, sine causa baculum, et judex, nisi trangressores reprimat, sine causa gladium portat. Et nisi indignos ejiciat sacerdos, sine causa accepit Ecclesiæ claves. Et nunc maxime vobis, fratres, loquor hæc quia patrati contra nos facti atrocitas in ejectis dico nostris et proscriptis in adversarios justitiæ accelerat opus. Selet quippe et justum sic ut diutius toleretur infirmitas vel negligentia quam malitia sæviens. Igitur pro officii nostri debito, sic modo mihi videre videor amodo operandum nobis, non dormiendum, ut una cum sponsa capiamus vulpes, quæ demoliuntur vineas et una cum dilecto surgamus a lecto, egrediamur in agrum, commoremur in villis, et operemur in vineis. Juxta quod sponsa: *Veni*, inquit, *dilecte mi, egrediamur in agrum. commoremur in villis, surgamus ad vineas* (*Cant.* VII). Perit enim nec valet sponsæ opus vel opera, si non ferat opem dilectus. Nos ergo, dilecti, si vobis videtur sic, surgamus, egrediamur et operemur cum prophetico sarculo, evellentes, destruentes et dissipantes noxia, ne per nostram desidiam vel negligentiam crescant adeo et proficiant, ut totum Dominicum hortum operiant, et nos sic a Domino horti, tanquam hortulani pigri seu negligentes desidiæ vel negligentiæ condemnemur. Faciamus ergo juxta quod injunxit horti Dominus cuidam de hortulanis, cui horti sui curam commiserat : *Ecce ego hodie constitui te super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices et plantes* (*Jer.* I). Verum, fratres, vos tanquam in Scripturis exercitati et multorum Patrum exemplis in his et talibus quid agendum nostis me multo melius. Ego tamen, conscientia mea mihi dictante sic dico vobis quod sentio. Verumtamen, ut jam dicti addam adhuc, mihi et hoc videtur inter cætera, s illius volumus imitatores esse cujus et discipuli sumus, quod instar Samaritani evangelici custodis vel et curatoris, ad peccatorum curanda vulnera priu infundendum sit oleum, et vinum postea, si tame postea necesse hoc. Prius igitur quod maxime po tentum vulneribus mederi solet, suavissimum len tatis oleum infundatur. Et in primis, dominus noste rex in omni lenitate et humilitate conveniatur, forte vel sic ira et indignatione malis nostris satur nunc in humilitate nostra nos respiciat clementi regia. »

Et quidem verbo hoc ab archipræsule proposit nobis sic placuit verbum, nobis quoquot propositu pariter et consilium commendantibus.

16. QUALITER REX PRIMO SIT CONVENTUS.

Missus est itaque unus abbatum ordinis Ciste ciensis ad monasterium Pontiniacense pertinei speciali quadam jure subjectionis. Abbas hic Urb

nus nomine et vere urbanus; Urbanus nomine, urbanus et re, urbanus et in sermone. Solus quippe talis idoneus ut tali fungeretur legatione. Is itaque missus, qui secum ad dominum regem nomine archipræsulis suavissimas litteras detulit, supplicationem solam, correptionem vero nullam vel modicam continentes. Quæsierat enim archipræsul verba utilia, suavia et pacifica, et conscripsit sermones lenissimos quibus vel sic regis leniretur cor. Verum qui missus fuerat post dies aliquot ad nos reversus, pro nostris suavibus, pro nostris lenibus et pacificis, non nisi amaritudinem, asperitatem et turbationem majorem reportavit regis corde sic obfirmato contra nos.

Qualiter secundo sit conventus.

Attamen non destitit archipræsul regem adhuc secundo per eumdem convenire. Cui et vice hac non adeo suavia ut prius, sed et duriora legati viva voce dicenda injunxit et litteras aliquantulum austeritatis continentes destinavit, quibus archipræsul regem corripuit, sed in misericordia et in spiritu lenitatis adhuc. Verum eo in brevi iterum reverso qui missus fuerat, reportavit et iterum quod neque vox esset neque sensus adhuc. Archipræsul vos audiens sic, et certissime jam considerans quod hac misericordiæ et lenitatis via non proficeret, in spiritu judicii et ardoris, sicut spiritu fervens erat, tertio jam conscripsit sermones sed asperos et austeros, jam non, sicut prius, regem in misericordia corripiens, sed dure increpans, et sicut tunc decebat episcopum cum omni imperio arguens, tanquam veri Samaritani discipulus prius infundens oleum et vinum postea. Et tanquam figuratum in propheta verum evangelicum animal, habens ante faciem hominis et faciem leonis, juxta in hoc ipso et Magistrum sequens: *Si quis*, inquit Magister, *præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* (*Gal.* VI). Et alibi ad discipulum de episcopali ipsum officio instruens: *Servum* inquit, *Domini litigare non oportet; sed mansuetum esse cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati* (*I Tim.* II). Ecce lenitas et modestiæ spiritum. Et tamen idem ipse ad discipulum alibi: *Quam ob causam*, inquit, *increpa illos dure, ut sani sint in fide* (*Tit.* I). Ecce lenitas et modestia, ecce et increpatio dura! hoc est Samaritani oleum et vinum; hæ in propheta evangelicæ facies, facies hominis et facies leonis. Et revera ecclesiastica disciplina hæc et juris ecclesiastici ordo, ut qui fomenta non sentit, ferro abscidatur superbiæ tumor unde et Ecclesiæ doctor hic noster, archipræsul dico, hac insedens via, hoc procedit ordine. Ad hoc vero durius jam nuntium perferendum quidam approbatæ religionis vir electus est, ob favorem religionis præcipuum et fervorem annosus et miser, omni tempore exercens nudipedalia: unde et cognomento vocabatur discalceatus, Gerardus nomine proprio, vir certe jugiter habens mortem in desiderio et vitam in patientia; cujus semper summa fuerat sollicitudo ad pacem revocare discordes. Solus ergo talis idoneus, qui fungeretur

A legatione hac. In talibus quippe et fiducialiter loquendi Dei verba et operandi grandia multa solet esse libertas, utpote in quibus Domini Spiritus. Is itaque missus; in cujus ore, præter litteras quas detulit, et archipræsul verba sua posuit. Missus est et alius quidam religiosus cum eo. Et hi missi sic fiducialiter quidem egerunt, sed nec hic quidquam profecerunt. Quin potius dura propinantes, dura pro duris, imo multo plus duriora prioribus reportarunt.

17. QUALITER ARCTETUR ARCHIPRÆSUL REGE ADHUC INCORRECTO.

Archipræsul igitur audiens sic cœpit sollicitus et mœstus esse, cernens jam nec sic nec sic cor regis erga se emollitum: quod etiam emollire et pacem et B gratiam inter regem et archipræsulem reformare Christianus ille rex Ludovicus et multi terrarum principes sæpe et sæpius jam studuerant; sed nec magni illi viri nec proprii hi archipræsulis nuntii, nunc blanda nunc austeriora bajulantes, potuerunt proficere; quin potius superbia eorum qui oderunt nos ascendit semper. Archipræsul itaque turbatus intra se cœpit intentius clamare ad Dominum, orare frequentius, refici parcius et continue lugere regem cernens eum adeo ad omnia hæc insensibilem. Videns itaque tantam Ecclesiæ turbationem et regis animum jam obfirmatum sic, coarctabatur e duobus, hinc cupiens solvi a cura et pastorali officio, inde vero propter Ecclesiæ causam, quam tuendam susceperat, permanere. Et post multam intra se animi sui C fluctuationem demum super hoc erudites suos convenit. Qui mox de episcopatu deserendo vix verbo proposito, in primo auditu scandalizati, conclamabant ipsum jam deficere prius quam currere, et in Dominica acie ante jam occumbere quam pugnare: tanquam viri in divinis exercitati, causas multiplices distinguentes, propter quas interdum episcopo liceat de sede ad sedem transire, seu etiam plerumque penitus derelinquere. Verum ut contestabantur nulla talis causa hic; imo potius perniciosum hoc et omnibus post futuris sæculis detestabile, tanquam si proreta quis consternatus et pavidus in procellæ turbinibus navem oneratam in mediis fluctibus derelinquat: aut tanquam princeps vecors ad bellandum profectus, videns hostium cuneos, mox exterritus, ut solum se salvet fugiat, et quæ cum ipso fortiter stare proposuerat D aciem castrorum perdat. Igitur, ut eruditi nostri universi constanter exhortabantur et salubriter, nequaquam tunc tempus fugiendi sed occurrendi, præsertim cum ab Ecclesiæ inimicis solum Ecclesiæ salus quæreretur, decus cleri deformaretur et impugnaretur libertas. Et quoniam archipræsul regem sic conventum sed incorrectum supra modum lugebat, suorum hoc erat consilium ut adhuc sustinens diutinæ passionis suæ exemplo cor regis emollire attentaret quod exhortationis sermone necdum poterat immutare, cum nihil adeo cor irati soleat immutare et ad amorem convertere, quam pro irati voto diutius sustinere et pati. Archipræsul vero ex

eruditorum suorum viva et salubri exhortatione A persuasus, jam nihil cogitabat de cura pastorali deserenda, sed potius deinceps fortius quam prius et virilius exercenda. Attrahens enim spiritum et assumens cor, jam nihil de fuga, nihil de otio, nihil de quiete, sed solum de cura et pugna cogitans, intra se cogitando censuit post omnia hæc regi baculo pastorali comminandum, qui leviorem virgæ castigationem non senserat. Intra se itaque cogitavit et censuit, eruditis suis nequaquam hoc exprimens vel deducens in consilium. Et quidem caute et industrie hoc, suis parcens in hoc, ne videlicet qui eum sequendo magnam jam ob id regis iram incurrerant, in majus et perpetuum forte induceretur odium, si tale contra regem darent consilium, quod forte etsi non regis voluntati, utilitati tamen militaret. Cogi- B tavit itaque sic intra se, cum suis super hoc non prætractans, non prædeliberans, regem suum et filium baculo, ut diximus, severioris castigationis percellere, qui fuerat hucusque ad virgæ tactum insensibilis, si forte percussus baculo devians reverteretur vel sic. Cogitavit, inquam, sic intra se, dubius tamen admodum et anceps super hoc quid agendum. Nec enim, ut diximus, voluit propter prædictam causam deducere hoc in collationem cum suis, vel suorum consilium quærere. Itaque cum se solo deliberans aliquandiu intra semetipsum fluctuabat, stans et hæsitans, Legerat quippe illud in lege : *Principi populi tui non maledices* (*Act.* XXII) ; et illud regis peccatoris : *Tibi*, inquit *soli peccavi* (*Psal.* L). Et rex vere soli Deo peccat. Nam sicut C super locum illum docet doctorum et Ecclesiæ rectorum unus : « Si quis de populo erraverit, et Deo peccat et regi : rex vero non habet hominem qui sua facta dijudicet. » Legerat quidem in lege et in Psalmista sic : legerat et multa alia quæ eruditi et exercitati Ecclesiæ rectores statuerunt de his. Quorum unus : « Non potest, » inquit, « salubris esse a multis correptio, nisi cum ille corripitur qui sociam non habet multitudinem. » Et item : « Cum quisque fratrum in aliquo tali peccato fuerit, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est. » Legerat quidem hæc et alia in modum hunc. In Romana vero Ecclesia, ut supra jam diximus, durum schisma tunc erat, tanto imperatore Frederico et tam generoso viro Octaviano antipapa tunc divisis ab Ecclesia et facientibus schisma, unde D nec sine causa magna videbatur tunc majoris adhuc et durioris schismatis causa, si in tantam potestatem Anglorum, regem dico ætate juvenem et in cismarinis et transmarinis tam late et tam magnifice dominantem, gladio verbi exerto ab Ecclesia separaretur, ne forte rege juvene et tam potente ob id commoto, facile ad partes Ecclesiæ inimicas transiret. Super omnia etiam verebatur ne apostolicæ sedis auctoritas propter hoc gravius schismatis periculum, quod, ut diximus, facile posset accidere, quidquid absque ejus consilio seu conniventia statueret ipse totum ipsa irritaret. Hæc igitur et hujusmodi ut gladium suum reponeret nec baculo suo percuteret hortabantur.

At e diverso his alia obloquebantur, quæ et impellebant ut gladium amodo non prohiberet a sanguine et ut percuteret baculo. Nam, sicut in lege audierat quod supra posuimus, videlicet : Principi populi tui non maledices, ita legerat et in lege tam principes Synagogæ quam etiam alios pro qualitate excessus immundos reputari et extra Synagogam fieri, quod nequaquam erat maledicere principi; hoc in lege prohibitum, sed talis potius excommucatio coercitio erat quædam disciplinalis, et sicut tunc, ita et nunc principem anathematizare non est principi maledicere quod lex prohibet, sed principem tanquam Ecclesiæ filium disciplinaliter coercere. Et tanquam a latronibus vulneratum per Samaritani curam medicinaliter secare, ut ferro abscindatur vulnus quod fomentum non sentit. Legerat et in propheta : *Væ mihi*, inquit, *quia tacui* (*Isa.* VI). Sibi ipsi propheta : Væ dicit, ec videlicet quod regem Achab ea auctoritate qua debui non corripuit, nec pro data sibi potestate coercuerit Quod enim, ut supra induximus, rex adulter et homicida Deo dixerat : *Tibi soli peccavi* (*Psal.* L), non ideo dixit quod prophetis tunc et Synagogæ sacerdotibu in reges adimeretur coercitio, unde et propheta pro peccato mox regem corripuit, sed ideo dixit: *Tibi soli* Deo loquens quia sacerdotes et prophetæ vices Do mini tunc gerebant. Et erant ipsi quasi ipse Dominus cujus ipsi vicarii, unde et quem ipsi puniebant De hæc solius punitio ipsorum inflicta ministerio. E sicut tunc, ita et nunc, si Ecclesia, si sacerdos reger punit, solus tamen Deus punire dicitur. Ille enir punit qui in terra Domini fungitur vice, qui et i terra quasi Deus populo datus est. Juxta quod Do minus ad Moysen: *Ecce*, inquit, *constitui te deum Pharaoni* (*Exod.* VII). Et sacerdotes deos vocari i Scriptura invenire creberrimum. Legerat itaque i lege et in propheta sic, et similiter de regibus corr piendis per varia Scripturarum loca. Et, ut jam no tantum divinis legibus, sed et orthodoxorum Patrur et discretorum Ecclesiæ rectorum agamus exempl audierat itidem et legerat rectorem illum Ecclesi tam eruditum, tam discretum, et tam præclarui doctorem Ambrosium, Theodosium magnum imp ratorem excommunicasse et ab Ecclesiæ penitu exclusisse ingressu. Et ne etiam longe exempla p tantur, audierat felicis memoriæ Ivonem Carnotei sem episcopum, qui velut quoddam Scripturarui armarium modernis temporibus pastoribus magnu scientiæ lumen effudit et spectabilem se ipsum fo mam dedit, audierat, inquam, ipsum Francoru regem Philippum excommunicasse et ab Eccles omnino prohibuisse. Legerat itaque archipræsul audierat et hæc et illa, unde et coarctabatur ex h et illis, hinc super omnia metuens quod si tacer væ sibi, si vero loqueretur, dissensionis periculur Nec enim quæ supra contra hoc inducta sunt ad verebatur, utpote Scripturas intelligens, sed h quidem præ cæteris metuebat gravius, videlic

lissensionis periculum : verumtamen et hæc et illa n corde suo volvens sic, et tandem cogitans regem suum filium suum et dominum, quem ex diutina et amiliari conversatione verius et interius noverat, iequaquam fore filium dissensionis sed pacis, et uod quidquid exacerbatus verbo comminaretur, iequaquam tamen matris suæ Ecclesiæ ut se ejieret, dirumperet uterum ; cogitans, inquam, sic, irmiter in corde suo statuit ipsum baculo pastorali ercellere, si forte devians et justitiæ transgrediens ramitem reverteretur vel sic : verebatur tamen ne, ut upra diximus, Romana Ecclesia sua, quæ omni ræest auctoritate, evacuaret penitus quod ipse fesset omne justitiæ opus, verebatur quidem hoc, at men quidquid faceret Romana Ecclesia tanquam iater et domina, satius judicavit officii sui debitum sequi quam ipso muto et dissimulante malitiam linquere impunitam et fovere transgressionem : bitrans nec immerito sanguinem impiorum de anu sua minime requirendum tunc, etsi forte postas major superveniens ab eo factum immutaret stitiæ opus. Suadente igitur conscientia, imo sicut ipsomet accepi urgente eum ad hoc, illam quam ximus in regem coercitionem ecclesiasticam in rde suo firmissimam tenuit. Alioquin sibi visum od pastor evangelicus sine causa baculum et judex clesiasticus sine causa gladium, et quod sacerdos minicus sine causa claves Ecclesiæ accepisset, si quemadmodum auctoritatem ita et haberet virtem, sicut introducendi, ita et excludendi ab Ecsia quos deberet.

Et quoniam quod faciendum statuerat non sub to, non clam, sed publice et solemniter judicavit iendum, sicut et causa nostra et partis adversæ xa publica erat toto jam ecclesiarum orbe notisna, accessit ad locum celebrem et tempore celebri, eliacum scilicet, instante festivo præ cæteris is ecclesiæ die, die videlicet festo beatæ Mariæ gdalenæ in cujus honore ecclesia loci fundata, us et ibi corpus gloriose requiescit, unde at ad m festum ex diversis regnis concurrunt nationes rimæ. Tempore itaque celebri tam festivo accesusad tam celebrem locum distantem a mansione stra Pontiniacensi monasterio per diætam. Acsimus itaque et venimus proxima ante festum nobis qui sequebamur accessus sui causam orantibus, nec enim propter hoc quod supra imus nobis hoc indicavit, et credentibus quod m propter diem festum accessisset. In crastino , festo videlicet die, ad petitionem abbatis onventus publicam missam faciens, finito Evano ascendit pulpitum, et elegantem et fructuo- sermonem ad populum habuit. Demum vero in ientia hominum causam dissensionis inter ipsum egem exponens, et quam dure et dire secum et suis actum, qualiter etiam rex toties conventus on misertus, sed eo amplius induratus, Ecclesiæ am et se et suos ipsorum orationibus commen- t : et confestim, omnibus audientibus et constu-

A pentibus, miro modo compunctus, voce quidem flebili et intentissimo compasionis affectu in ipsum Anglorum regem Henricum nominative comminatorium emisit edictum. Et nos quidem certaminis sui socii, ex inopinato audientes sic, mox obstupuimus, eo quod nobis inconsultis fecisset sic. Qui quidem sicut cito post nobis ipsemet indicavit, sciens et prudens hoc a nobis celavit, per supradictam causam se excusans quod nobis inconsultis hoc fecisset. Factum vero hoc ex plurimis et variis nationibus, quæ ad diem festum convenerant et ita propriis audierant auribus mox divulgatum per terras citissime ad aures regis pervenit : unde et rex nec sine causa, supra quam nunc dicere aut scribere tempus sit, motus est et turbatus et qui cum eo universi.

B

18. DE APPELLATIONE REGIS AD ROMANUM PONTIFICEM.

Convenit igitur multitudo et mente confusa est, quam certissime jam audierunt sic. Convenit itaque Ecclesia Anglorum in cismarinis ; convenit et Ecclesia Normannorum in transmarinis hinc inde, quid facto opus inter se accrrime deliberantes, summo opere providere curantes, ne videlicet in regem sententia, cujus jam processit comminatorium, ad perfectum procederet, seu in regum vel personas regni aut ecclesias aliquod ecclesiasticæ districtionis gravamen. Consternati etiam jam et tremefacti, non solum ob id quod jam de rege audierant, sed et quia archipræsul Jocelinum Saresbariensem episcopum ob manifestam inobedientiam jam suspendisset : eo videlicet quod C decanatum Saresberiensis ecclesiæ contra interdictum domini papæ et suum inconsultis quibusdam ejusdem ecclesiæ canonicis, qui tunc cum ipso peregrinabantur, quorum erat cum aliis confratribus decanum suum eligere, cuidam de aulicis clericis ad regis voluntatem contulisset. Qui etiam et eumdem aulicum clericum, propter quasdam conventiones et obligationes illitas, quas in Alemannia cum schismaticis fecerat, anathematis vinculo jam innodaverat. Quas tamen conventiones et obligationes a rege missus de regis mandato ipse fecisse dicebatur. Personæ igitur regni metuentes sibi ex his et quæ furura sibi accidere possent gravamina prævenire molientes, solliciti quidem attentissime deliberant quid agendum.

D *Nam tua res agitur paries cum proxi musardet*, ait quidam. Commodius autem sibi non repererunt remedium quam ut ad appellationes convolarent. Et regi placuit, Deo quidem, in subsannationem et derisum novi legislatoris et novarum legum, quas supra apud regiam illam mansionem quæ Clarendune dicitur fabricatas, et in scriptum redactas ostendimus. juste quidem operante nunc sic. Nam cum legibus illis appellationes ad Romanam Ecclesiam inhibitæ forent, nunc tamen ad regis et regni tuitionem ad ipsas recurrere necesse. Personæ itaque regni, quia remotiores erant, pro rege, pro regno, pro se et pro suis ecclesiis, scripto appellaverunt, et per eruditos nuntios libellum appellato-

rium in ea forma conceptum archipræsuli ad solitu- A dinem nostram Pontiniacum transmiserunt. Et quia rex extra regnum erat tunc transmarinus, magnas quidem et venerabiles personas Ecclesiæ Normannorum pro se ipse rex destinavit, videlicet piæ memoriæ Rotherot tunc Rothomagensem archiepiscopum et Ernulfum tunc Lexoviensem episcopum, et cum eis alios plerosque viros magnos et eruditos, qui quidem Pontiniacum venientes nequaquam nos invenerunt. Siquidem a quodem familiari suo, qui tunc in regis curia erat, de mittendis sic nuntiis archipræsul præmunitus se subtraxit. Igitur præfati nuntii, propter nos Pontiniacum venientes, sed minime nos reperientes, mox recesserunt: prius tamen secundum formam juris Pontiniaci, ubi quasi domicilium habere videbamur, appellationem suam B edentes, nec tamen ut docet civile jus scribentes eam pro foribus, sed viva voce appellantes. Subtraximus autem nos, non quasi juris ignari, quin apprime sciremus ratione domicilii, vel quasi appellandis absentibus seu absentantibus se, appellationes posse fieri, sed ideo in adventu nuntiorum nos subtraximus quia illorum colloquia vitabamus. Et quemadmodum appellati ones interpositæ, ita et ad regni tuitionem juramenta quædam illicita et sacrilega per totum regnum exacta sunt in civitatibus, in castellis, in pagis, per comitatus regni singulos, quotquot a quindecim annis et supra jurantibus, quod domini papæ nuntios seu litteras et archipræsulis pariter, aut in captione detinerent si possent, aut proderent illis qui non possent hoc. C Quam vero sacrilegum, quam profanum juramentum hoc, lippi vident et tonsores. Juxta quod ait: *Videns quia peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* xv), verum omisso tanquam sacrilego facto hoc, quod non regni tuitio, est sed potius contaminatio, ad appellatores nostros revertamur.

Qualiter archipræsul cum suis deliberat an sit appellationi deferendum.

Nos vero Pontiniacum cito post appellatorum horum recessum reversi, deliberare mox cœpimus quid agendum, utrum videlicet tali fuisset appellationi deferendum, plerisque nostrum asserentibus deferendum, et ad docendum hoc tanquam eruditi et exercitati in jure, tam ex divino jure quam hu- D mano plurima allegaverunt; aliis vero de nostris contradicentibus et nequaquam deferendum contendentibus, e diverso validis et variis rationibus suam fundantes intentionem. Eo præsertim, ut prudenter astruebant, tam iniquæ appellationi minime deferendum quod videlicet esset ipsa non ad oppressorum remedium, sed potius ad opprimentium prolongandam malitiam excogitatum fomentum; in quorum manibus evidenter et in omnium ecclesiæ spolia et dextera rapinis repleta. Itaque coram archipræsule ab eruditis suis diversa sentientibus super appellatione collatum, ipso, ut moris sui erat, partes suas interponente, et nunc hos, nunc illos de jure crebro sciscitante et opponente. Et quidem inductas tunc hinc inde super appelatione allegationes huic interseruissem historiæ, nisi quia non paterentur se molesta brevitate arctari. Et præsertim sicut et de plerisque aliis, ita et in libello hoc supersedemus ab his, eo quod in corpore quodam epistolari multa continentur de his: de quo epistolari corpore mox loquemur. Collatum igitur est et allegatum hinc inde, verum archipræsul, etsi forte contra tam manifestos malefactores quorum maleficia et lapides in parietibus et tigna in domibus jam accusabant, in ecclesiastica severitate de jure procedere potuisset, substitit tamen adhuc juxta Sapientis consilium: *Qui patiens*, inquit, *est, multa gubernatur prudentia* (*Prov.* xiv). Substitit igitur adhuc, non processit, differre ad tempus satius judicans, donec super hoc Romanam Ecclesiam jam consultasset: super omnia, ut supra jam diximus, veritus ne, quidquid ea inconsulta et tali præsertim tempore ipse statueret, totum ipsa evacuaret. Ad supradictum vero libellum appellatorium, nomine personarum regni ad ipsum destinatum, sensu suo proprio conceptam et proprio stylo exaratam remisit epistolam elegantem satis et sufficienter responsalem. In qua, inter alia, de appellationibus factis, si juste vel injuste, quod sibi visum interseruit. Quæ nos in libello historico hoc, eo quod in ea epistola sint inserta, sicut etiam supradiximus, hic causa brevitatis præterimus. Exstat enim epistola illa inter cæteras epistolas suas, quas vel ipsemet scripsit, vel aliqui de eruditis suis de ipsius mandato sub ejus nomine. Ex epistolis quippe a nobis vel propter nos in exsilio nostro confectis grande compactum est corpus epistolare, de quo supra nos hic dicturos promisimus. Compactum est, inquam, corpus ex his multas in se epistolas continens; quas etiam secundum ordinem historiæ venerabilis prior sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Alanus laboriose quidem et studiose digessit. In quibus d[e] exsilii nostri laboriosa historia perplurima cont[i]nentur; unde et eo quod in epistolis illis diliger[en]tius conscribantur, multa in libello hoc brevitat[is] causa præterivimus, præsertim quia liber ille epi[s]tolaris a multis personis et a multis ecclesiis jam h[a]betur. Verum et qui sufficienter archipræsulis ver[ba] et opera in exsilio, conatus et actus, agones et s[u]dores pastorales nosse desiderat, ad illum recurra[t], ut post libellum historicum hunc legat et illum [li]brum epistolarem. In quo, etsi in plerisque epist[o]larum desunt dictionum solemnia, pre mater[ia] tamen satis commodus est. Quo nos amodo in hist[o]ria facilius contexenda adjuti, de cætero brevi[ter] cœptum historiæ ordinem prosequamur.

19. QUALITER ARCHIPRÆSUL ET REX AD VIRUM APOSTOLICUM MITTUNT.

Appellatione itaque interposita et ecclesiasti[ca] disciplina suspensa sic, parantur, mittuntur nu[n]c ad apostolicam sedem. Mittit rex, mittunt et perso[næ] regni, mittit et archipræsul. Sed multum quid[em]

inter nuntios hos, illi quippe per viam argento et auro suffarcinati; nostri vero expediti et vacui secum in via vix viaticum portantes. Illi in curia his et illis massas aureas et argenteas aut dantes aut certissime pollicentes, nostri vero nuda solum verba apostolicæ clementiæ offerentes. Nec tamen fuit hæc nostra prima ad Romanam Ecclesiam missio. Prius siquidem quosdam de eruditis nostris ad sedem apostolicam misimus, per quos a viro apostolico apostolicæ sedis legationem jam super Angliam obtinuimus. Et quidem ad cautelam a nobis factum sic, ut videlicet firmior et magis authentica ecclesiastica quævis sententia haberetur, si deinceps ab archipræsule aut in regnum aut in regni personas ferretur, unde et cum archipræsul Vizeliaci, sicut supra ostendimus, comminatorium in regem emisit; apostolicæ sedis legatus jam erat etsi impeditus legationis suæ fines intrare non possent. Verum ad Romipetas nostros revertamur.

Qualiter archipræsul amotus est a Pontiniaco.

Hoc tamen prius interserto antequam plura de his, videlicet quod ipsis cito post supradictum diem festum beatæ Mariæ Magdalenæ ad apostolicam sedem profectis, dominus rex Anglorum ad generale illud capitulum Cisterciense, quod in Septembri proximo die Sanctæ Crucis, ut mos est, celebratur, litteras quasdam destinavit, significans quod quemdam de inimicis suis suscepissent et secum haberent, Thomam videlicet Cantuariensem archiepiscopum. Unde et mandavit quod, sicut charum habebant quidquid in terra sua aut cismarina aut transmarina possidebant, ne eum amplius tenerent secum. Tribus itaque diebus exactis, quibus capitulum celebrari moris est, veniendi ad nos Pontiniacum arripiunt iter: abbas ipse Cisterciensis Gilbertus nomine episcopus Papiensis, ordinis illius quondam monachus, et ordinis abbates quidam cum eo, et venerunt festinantes archipræsuli nomine capituli nuntiantes se tales regis litteras et tale in iis suscepisse mandatum. Verumtamen et sermonem ad archipræsulem convertentes: « Domine, » inquiunt, « capitulum propter mandatum tale nec fugat nec expellit te a se nec licentiat, sed tibi et prudenti tuo consilio hoc significat, ut post tale mandatum videas et attendas quid agendum. Scit quippe totum capitulum certissime, et nos qui modo huc venimus, pariter novimus universi, vos adeo nostrum diligere ordinem quod ordinis providebitis indemnitati, ne vestri occasione sicut nec in spiritualibus nec in temporalibus diminutionem aliquam aliquodve detrimentum patiatur. »

Archipræsul vero et consiliarii ejus multa experti et exercitati in plurimis, mittentium et missorum corda conjecerunt et adverterunt mox quid agendum. Unde et incontinenti cum suis consilio habito, mox respondit archipræsul nulla ratione se velle quod sui occasione ordo læsionem ullam seu vel modicum aliquid damni incurreret, qui in tanto et ipsi et suis tantam exhibuisset humanita-
A tem. Eo addidit quod quocunque diverteret, ubicunque caput suum reclinaret, ab iis se citissime amoveret. « Domino, » inquit, « si placet, mihi et coexsulibus meis providente, qui volucres cœli pascit et vestit lilia. » Et archipræsul quidem breviter sic, multorum vero et præsertim abbatis et fratrum nostrorum Pontiniacensium, qui, ut supra ostendimus, tam læti, tam devoti nos susceperant, qui aderant et audierant verbum super archipræsule et suis, pietatis viscera commota sunt cum fletu domum egredientes. Nam ut quod vidimus, quod audivimus, hoc testemur, sanctæ memoriæ Garino de Galardim tunc abbate loci et fratribus invitis et ipsis quoad licuit contradicentibus, propositum fuit recessus nostri verbum hoc. Audito vero archipræ-
B sulis responso hoc, sanctus abbas Cirtercencis et qui cum eo, in crastino recesserunt.

De deliberatorio archipræsulis sermone cum suis.

Archipræsul vero cum suis consilium habens quid agendum mox deliberat supremis suos alloquens sic: « Fratres, » inquit, « mecum coram Domino in causa Ecclesiæ advocati, ecce quomodo Satanas expetit cribrare nos sicut triticum, nos et nostros expellens, proscribens, dejiciens et impellens, ut evincat nos et cedamus. Ecce quod, ut nos persecutus est mundus, fugimus ad solitudinem hanc ejecti et proscripti, ad hos sæculi mortuos declinantes, sperantes nos saltem in solitudine hac, inter hos sæculi mortuos, abscondi a conturbatione hominum a contradictione linguarum. Sed ecce quia
C princeps mundi plurimum potestatis hic habet, qui etiam usque huc nos persequitur, hinc dejicit, et deinceps hic peregrinari non permittit. Quid ergo faciemus, viri fratres? Quo ibimus? Quo divertemus Siquidem sollitudines interdicuntur, nec etiam inter mortuos sæculi nobis jam conceditur locus. Non ædificium nobis nec domicilium, non aurum, non argentum, non pecunia, nec posssesio ulla: elongati sumus ab amicis et proximis: vix etiam qui compati audeat, nedum suscipere nos vel subvenire. Quis enim qui hoc audeat, quæ ecclesia, quis ordo, quodve monasterium nobis, a tam spectabili, tam approbato ordine, quem inter peregrinationis nostræ initia adeo præoptavimus, quem præelegimus ejectis sic? Certe tum quia postpositis aliis præelegimus
D peregrinari hic, tum propter timorem mundi et mundanæ potestatis minas, non est qui nos suscipiat, non ecclesia, non persona ecclesiastica, non ordo ullus, seu etiam solitudo ulla, multo minus sæcularium quis. Ad quos tamen, si qui forte essent, divertere, tum propter causam quam agimus, tum propter religionem quam ab initio usque incoluimus, nec religiosum nobis nec honestum. Nec tamen ob id, fratres, loquor hæc, quasi contra boni patrisfamilias inhibitum adeo sollicitus de crastino. Spero quippe quod qui in monte vidit Dominus, ipse et in solitudine hac nos mundum deserentes et a mundo et ab his etiam qui mundum deseruerunt, jam desertos ipse consuetæ pietatis suæ oculis nos

respiciet. Spero, inquam, et certissime spero, quod A
in arcto hoc misericors et miserator Dominus angustiæ nostræ et inopiæ suam amplissime aperiturus sit manum et benedictione implebit. Verumtamen mihi necdum aperta est via, qua velit nos Dominus ab hac solitudine educere et providere eductis. Quod quidem admodum nunc desidero, ne videlicet, post propositum nobis de recessu nostro verbum, deinceps faciamus hic moram. Turpe enim nobis hoc et indecens. Provideat ergo nobis nunc Dominus præter quem aliud refugium non habemus. »

De responso discipuli.

Discipulus vero qui scripsit hæc, inter cæteros audiens domini sui archipræsulis querulos sermones hos, ante cæteros mox erupit in vocem ; « Domine, » inquiens, « recordare, si placet, quod dominus B
rex Francorum vobis civitate Suessionis tam magnifice, tam liberaliter, obtulerit se, videlicet vobis et vestris in qua velletis vel urbe vel oppido aliove ditionis suæ loco quem elegeritis, de fiscali amplissime provisurum. Et quidem solum distulistis tunc, donec videlicet foret necesse hoc, non renuistis omnino. » et archipræsul : « Recordor, » inquit, et ad eum qui sibi loquebatur singulariter sermonem dirigens : « Sed videor mihi nunc, frater, » inquit, « quod aulicos iterum apparatus et urbanas delicias quæras, quæ temporis hujus est nos deserere qui tenemur in Evangelii vinculis. Satius et multo religiosius esset et honestius tempore hoc ad ecclesiam aliquam vel solitudinem, quam ad aulam vel urbem nos divertere, ubi eo fiducialius quo humi- C
lius salutare Dei præstolaremur cum silentio et prævisum a Domino nostræ peregrinationis eventum. »

Alii vero de eruditis suis, qui consilio intererant, audientes hæc contestabantur religiosius quidem, honestius et humilius hoc ; sed hoc, inquiunt, minime in nostra optione vel potestate nunc positum, nobis jam non qua vellemus, sed qua possumus declinare necesse habentibus : ita ut oporteat nos illud comici sequi : « Ibant, inquit, « qua poterant et qua non poterant non ibant. » Unde et commune suorum omnium consilium fuit, ut de necessitate virtutem faceret, et quia ad interdictas jam sibi solitudines non poterat, ad aulam vel urbem declinaret si et hoc posset. Adjicientes : « Domine, inquiunt, in aula vel urbe potest quis per gratiam D
vitam solitariam ducere et Deo vacare, sicut e diverso potest quis in solitudine aulicis luxibus perefluere. Probat hæc nostra verba Israelitarum vetus historia et notissima, qui ad petitionem suam manducaverunt et saturi sunt nimis ; verum adhuc escæ eorum in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Et quidem in solitudine accidit sic, cum e diverso legamus pudicos illos et sapientes juvenes Joseph et Danielem, res fiscales agentes, unum in Ægypto et alterum in Babylone, vixisse continentissime et ipsos jam cives Jerusalem, nihilominus tamen tunc res Ægyptiacas et Babylonicas ministrasse in tam numerosa quidem turba sine turbatione, versantes et quasi manentes in solitudine. Unde et rex ille debellator et manu fortis, etsi semper in acie, semper in agone, semper in multitudine, in solitudine tamen optatis sibi columbæ pennis gloriatur se mansisse. *Ecce*, inquit, *elongavi fugiens et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV). Quod eorum qui præsunt maxime proprium est, ut versentur sine turbatione in turbis, et maneant semper in solitudine inter multos ; aliorum semper, raro sui, nisi quia quando aliorum propter Deum, tunc magis sui. Unde et Magister, cum liber esset ex omnibus, omnium se fecit servum : his qui sub lege quasi sub lege, his qui sine lege tanquam sine lege, Judæis Judæus, ethnicis ethnicus, infirmis infirmus, omnia omnibus, ut salvaret sic omnes (*I Cor.* IX). Sic ergo nos, Pater sancte, qui urbem non appetimus, quin potius expulsi a solitudine, velimus nolimus, oportet nunc urbem ingredi, poterimus, operante Domino, victitare in urbe, tanquam in solitudine commorantes. Si quis autem ad Latinas, Græcas et barbaras historias recurrere velit ad hoc ostendendum, grandem habebit testium nubem ; adeo sicut nec habitum nec loca, sed vitæ solum merita Deus accipit. Nam ut adhuc recurramus ad nostra, Loth noster, qui in ipsa civitate immunda fuit mundus, in monte immundus fit. Et ut majora inducamus adhuc, primus homo de paradiso et primus angelus de cœlo cecidit, et Job noster in sterquilinio stetit. »

20. QUALITER ARCHIPRÆSUL A PONTINIACO RECEDENS SENONIS AD PEREGRINANDUM A REGE FRANCORUM SIT EXCEPTUS.

Archipræsul itaque persuasus ex his, ad Christianum illum et gloriosum Francorum regem Ludovicum, cujus memoria in benedictione æterna est discipulum qui scripsit hæc mittere non distulit qui de recessu nostro a Pontiniaco et causa recessus regi cuncta nuntiaret. Quod cum audisset rex, non parum est admiratus, et mox itineris sui socios convocans, erat quippe in via cum ipsi re ferrentur hæc, totum ipsemet eis retulit. Et ite rando sic audientibus omnibus : « O, inquit, reli gio ! o religio, ubi es ? Ecce enim quos credebamus sæculo mortuos, sæculi minas timent ; et pro rebus perituris et caducis, quas se propter Deum con tempsisse profitentur, a Dei opere quod cœperan jam convertuntur retrorsum, Dei causam et pro Dei causa exsulem ejicientes a se. » Et convertens rex sermonem ad illum qui missus fuerat : « Saluta, » inquit, « dominum tuum archipræsulem et fiducialiter ipsi meo nomine nunties, quod etsi mundus et etiam qui videntur mundo mortui eum deserant ego tamen eum non deseram. Sed quantacunque rex Anglorum, etsi dominicus homo meus sit, adversus ipsum moliatur et exerceat, ego tamen suscipiam propter Deum et propter justitiam patientem Nuntiet ergo nobis sive ad civitatem sive ad castellum aliumve ditionis nostræ locum divertere maluerit, et paratum inveniet. »

In brevi ergo reverso eo qui missus fuerat, archipræsuli nomine regis reportata sunt hæc.

Nos vero supra alia loca regia ad complendum peregrinationis nostræ residuum præclaram illam et regiam civitatem Senonis præelegimus, a solitudine nostra Pontiniaco quam incolere cœpimus, ut supra nos dixisse meminimus, solum per duodecim ærræ leugas distantem. Civitatem, inquam, illam præelegimus ex indigenarum consilio, eo videlicet quod, sicut ipsi testabantur, et nos hoc ipsum fide oculata deprehendimus, multa essent civitatis illius commoda, utpote frumento, vino et oleo stabiita, silvis circumnexa, pratis amœnata; scatent ontes, fluunt amnes, et denique autumni serenitas uas in omnibus exhibet ubertates. Terra certe ilus similis, de qua nuntiatur quod fuerit terra habitatores suos devorans. Sed super omnia et præ æteris ad civitatem allexerunt nos civitatensium ıores; magis, inquam, allexit nos in clero et poulo civitatis morum edocta liberalitas, quam decripta civitatis commoditas seu agrorum fertilitas lla. Erant enim et in clero et in populo civitatis, cut et jam eramus præexperti, viri munifici libeales, dapsiles, advenis præsertim et inquilinis hoorem exhibentes, affabiles, sociales, sua commuicantes et facile tribuentes. Unde et potissimum iter tales præelegimus peregrinationis nostræ conımmare residuum. Est autem prope civitatem uasi per stadium nobilis abbatia et regia, ubi gloosæ virginis et matris sanctæ Columbæ corpus reıiescit, et monasterium ad ejus honorem dedicam, tam commode situm ut facile possit civitatis ıbere commoda et evitare tumultus. Ad hoc arıipræsul cum suis, tum propter loci religionem, m propter civitatis tumultus facilius evitandos, deinare statuit. Quod quidem et mox, ut præfato illi ıristianissimo regi innotuit et regi complacuit sic.

Biennio igitur jam peregrinationis nostræ Pontiaci expleto a Pontiniaco discedimus. Die vero cessus nostri videres fratres mœstos et ejulantes, ıst archipræsulem currere, discurrere, festinare lutantes et resalutantes et benedictionem iterum iterum postulantes, et iterum et iterum videre alloqui cupientes recedentem, interdum conclaantes: « Pater, cur nos deseris, aut cui desolas nos relinquis? » Ego autem videns sic verissia fore justi verba illa recordabar: *Qui timent*, quit, *te, videbunt me et lætabuntur* (*Psal.* CXVIII); itres igitur isti ita timentes ita discurrebant, ita invicem prævenire contendebant ut vel modicum lerent adhuc et lætarentur. Nec quidem præcepn abbatis nec hora regularis ipsos revocare poat, archipræsulem et suos diu et longe extra ınasterii portam prosequentes: adeo quisque um absque omni ordine prævenire contendens, utationem ultimam et ultimam benedictionem i contendebat eripere. Sed quam pius certe, am ordinatus, irregularis et inordinatus horum essus et excessus hic, ad quem eximiæ charita-

A tis violentia impulit. In hac itaque fratrum pace et dilectione a Pontiniaco discessimus.

De somnio archipræsulis in recessu a Pontiniaco.

Verum die recessus nostri inter itinerandum archipræsul, qui in via maxime solebat esse comes facundissimus et jucundissimus, cœpit admodum tristis et mœstus esse contra morem suum neminem suorum in via alloquens nec ipsum suorum aliquis; nobis viæ sociis opinantibus ipsum tristari sic eo quod a fratribus tam diligentibus et tam dilectis recessisset. Abbas vero noster Pontiniacensis, comes tunc noster per viam, vir edoctus et religionis approbatæ, videns sic et compatiens, accessit propius sciscitans ab eo secretius quare sic vultus ipsius concidisset. Et hoc ipsum iterum et iterum

B sciscitabatur, donec sibi archipræsul aperiret causam ad amicam importunitatem sciscitantis. « Domine abbas, » inquiens, « nec mirum, si animo meo turbato vultus meus sic conciderit: verumtamen causam, et si familiaris meus sis, non prius edisseram nisi eo pacto, ut secreto eam teneas quoad vixero ego. » Et abbas mox pepigit se facturum sic. Et ipse: « Domine abbas, » inquit, « hac nocte vidi somnium, et visiones capitis mei conturbaverunt me. Jam quippe per Dei, ni fallor, revelationem accepi quod morte dura, sed spero quod pretiosa de hoc mundo sim transiturus. Nocte quippe hac mihi visum, quod in ecclesia, nescio tamen qua, contra dominum regem Anglorum in auditorio domini papæ et cardinalium pro Ecclesiæ causa contenderim,

C domino quidem papa parti meæ favente, sed cardinalibus adversantibus pro rege contra me, cum ecce subito quatuor supervenerunt milites, qui mox rapientes me ab auditorio, in eadem ecclesia capitis mei summitatem, ubi coronæ meæ locus est, excoriaverunt, adeo ut mihi videbatur angustiatus quod videbar mihi defecisse. Et ex revelatione hac, scio quippe revelationem esse hoc, non vanum somnium, conturbor sic et contristor: non quidem propter revelationem, pro qua potius Altissimo quantas valeo gratias ago, qui parvitati meæ aperire dignatus est de hoc mundo mei exitus modum, sed propter eos maxime doleo, qui secuti sunt me et tot et tanta sustinuerunt propter me. Qui certissime scio quod me percusso dispergentur, quasi oves non habentes pastorem. » Hanc eamdem visionem pau-

D cis post diebus exactis et cuidam alii abbati ordinis Cisterciensis, amico itidem suo et familiari, pacto simili ne videlicet eam cuiquam, donec visionis videret exitum, revelaret, secreto similiter retulit: de Valle Lucente dictus abbas hic erat. Visionem itaque duobus his abbatibus retulit, ut ita ipso eo modo quo ex revelatione præmunitus fuerat de hoc mundo sublato, in ore duorum staret verbum revelationis hoc. Quod quidem, ut eisdem abbatibus dixit, nemini suorum indicare voluit, ne forte passionis suæ socios eo amplius contristaret. Et quidem sicut prævidit et prædixit, eo modo et de mundo transivit, quemadmodum sequens histo-

riæ ordo declarabit, in hoc et uni sanctorum similis qui similiter de præsentis cursus sui fine revelationem accepit; cui nocte visum quod ipse totus igne cremaretur; et ipse quidem postea ita igne crematus et per ignem transiens in refrigerium est eductus. Ni fallor, beatus Polycarpus hic erat. Dicti vero abbates relatam sibi archipræsulis visionem omni tempore siluerunt, donec ipsam in cursus nostri fine finis ipse confirmaret. Sed hoc de visione interserto, deinceps ad historiæ ordinem revertamur. A

21. QUALITER ARCHIPRÆSUL SENONIS A FRANCIS SIT EXCEPTUS.

Profecti itaque a Pontiniaco Senonis venimus, a piæ memoriæ Hugone Senonensi tunc archiepiscopo et a clero et a populo civitatis, in omni gaudio et alacritate suscepti, de fisco ad usum nostrum necessaria percipientes amplissime. Rex vero omni tempore quo ad civitatem veniret, sicut ubique moris sui erat, primo quidem ad ecclesiam et confestim, nisi major causa detineret, ad archipræsulem visendum accelerare consueverat. Cujus tunc prolixiori eloquio et in magnis consilio, tanquam viri exercitati et experti negotia regia, fruebatur. Sed quid? Suscepti jam a Francis, et de ipsius regis mensa jam eramus, inter ipsos non ut exsules sed cives, non quasi advenæ sed indigenæ; et etiam plus quam ipsis indigenis nobilibus et generosis, nobis a magnatibus et principibus terræ honor amplior impendebatur, ita ut oblivioni datæ essent angustiæ nostræ priores, nec essent jam priora in memoria quæ transierunt. B

De commendatione Francorum.

Unde et, sicut vetus habet historia, quod Gallia semper viris fortissimis et eloquentissimis abundaverit, ita et illi veteri hoc novæ historiæ copulamus nunc, addentes quod viris munificentissimis et honoratissimis abundantissima sit, ad illos maxime tales se semper exhibentes qui advenæ sunt et oppressi. Quod vidimus, quod audivimus, quod etiam nos ipsi sensimus, hoc testamur de Francis, unde et merito ab antiquo dulcis Francia dicta est. Dulcis certe propter terræ fructus, qui præcellentissimi sunt, dulcis etiam propter aerem, qui ibi clementissimus est, sed verius dulcis propter terrigenarum ingenuos mores, suaves et jucundos, et jucunda consortia. Etsi igitur forte ex alia causa dulcis dicta sit, nos tamen in præsentiarum et ea causa dulcem prædicamus, qua ejus dulcedinem sensimus, adeo ut peregrini nos angustiati et afflicti præ ipsius dulcedine non recordaremur malorum. Propria quippe gens nostra nos calice mœroris, calice amaritudinis epotavit, sed ista venientes ad se calice suæ dulcedinis nos inebriavit: adeo ut præ dulcedine propinatæ prius amaritudinis non recordaremur malorum. Dulcis itaque Francia et vere dulcis; dulcis, inquam, ut jam diximus, et adhuc iterare urget amor, dulcis. Dulcis revera propter fructuum gratiam, propter aeris clementiam: sed vere dulcis C

et adhuc dulcior propter eximiam gentis humanitatem et inolitam principum terræ benignitatem. Dulcissima vero propter cœlitus datam regibus terræ mansuetudinem. Donum quippe proprie desuper datum in tanta potestate mansuetudo tanta. Siquidem Francorum reges, ut ex gestis habetur antiquis, viri semper fuerunt bellicosi, tyranni vero vix aut nunquam. Dulcis itaque Francia dulcior et dulcissima est. De cujus dulcedine quia nos gustavimus, imo plene inebriati sumus, inebriati de ipsa nunc, cum tempus est non eructuare non possumus. Et quidem ad laudem et gloriam gentis illius de ipsius dulcedine plenius nunc eructuassem nisi quia amodo tempus est et historia exigit, u intermissum supra historiæ ordinem retexamus Ad supra missos itaque Romipetas nostros rever tendum. D

22. DE ROMIPETIS ARCHIPRÆSULIS REVERSIS ET ADVENT CARDINALIUM AD PACEM.

Nec enim multos dies Senonis fecimus, cum ecc Romipetæ nostri revertuntur, nuntiantes quod do minus papa, cardinales a latere suo in brevi missu rus foret, qui inter regem et archipræsulem de pac tractarent et reformarent pro posse: interim ver omnia debere esse in suspenso, nec aliquid ecclesia sticæ disciplinæ exercendum; hoc ipsum viro apo stolico per reversos nostros signatis apicibus sui archipræsuli mandante et consulente sic. Sedimu itaque per dies plurimos adventum cardinaliu præstolantes. Qui tandem venientes Senonis, per no primo venerunt; ideo prius ad nos quam ad rege quia viæ ipsorum ductus sic se habuit. Fuerunt au tem qui missi venerant, quod ad ipsos, pacis r conciliatores idonei, utpote viri multum pectoris multum oris habentes. Quorum unus dictus e Willelmus de Papia, alter vere Otho, presbyte cardinales. Ipsi itaque primo venientes ad nos, ca sam nobis sui exposuerunt adventus. Et nobis qu dem placuit et devote ut ad Dei honorem et sal Ecclesiæ libertate inter dominum regem et nos co ponerent. Ipsi vero, sic ad regem profecti in No manniam, erat quippe rex in transmarinis extra r gnum tunc, cum rege moram fecerunt non modica ad nos nec revertentes nec nuntiantes quid. H quippe solum quærebat rex, ut dicebatur, quod postea rerum probavit exitus, ut videlicet temp solummodo protelaret, pacem nostram minime v lens, etsi velle se simulans. Verumtamen cardinal ne frustra venisse viderentur, sæpe et sæpius rege de pace convenerunt, sedulo et attente de pace tr ctantes, pacem inquirentes, sed viam pacis non venerunt. Verum ne frustra venisse et nihil egis viderentur, denique nos ad colloquium vocant. F autem colloquium inter nos et ipsos in confi Franciæ et Normanniæ inter duo illa castra Trie delicet et Gisors.

De secundo archipræsulis somnio.

Nocte vero proxima ante colloquium archipræ vidit somnium, sicut ipse nobis mane ad colloqui

euntibus retulit, quod videlicet propinaretur ei venenum in calice aureo. Et quidem accidit sic. Alter quippe cardinalium, præfatus videlicet Willelmus de Papia vir elegantis eloquii, et verba habens persuasibilia pacis quidem suaves et blandos sermones nobis obtulit. Et videbantur in superficie bona verba et pacifica, quæ tamen si quis interius aspiceret, ecclesiasticæ paci et libertati non modicum derogabant. Et ita nos audientes illa et pensantes relatæ nobis prius visionis nocturnæ, mox advertimus conjecturam. Unde et singula fere quæ a cardinalibus de pace proponebantur, nobis suscepta erant, metuentibus capi in sermonibus, qui molliti et melliti erant, et tamen ipsi nihilominus jacula. Et ut ibi prolixius dicta breviter hic et in summa dicantur, summum fuit cardinalium consilium et omnimodis nitebantur ad hoc, ut nulla expressione facta inter regem et archipræsulem de consuetudinibus, quas supra in scriptum redactas diximus, ob quarum contradictionem et nos peregrinabamur, archipræsul ad suam reverteretur ecclesiam, si tamen et hoc a rege posset obtineri vel sic. Dicebant etenim quod nocerent expressa et pacis processui fieret sic offendiculum. Nam sicut adjiciebant, turpe esset regi et indecens, ita manifeste et expressim consuetudinibus illis renuntiare, quæ per antiquiores et majores regni et etiam per ipsos episcopos, etiam et per nos ad regiam dignitatem pertinere, et ad coronam suam spectare recognitum est. « Si vero rex pacem, ut aiebant, vobis concesserit de consuetudinibus sive tenendis sive abolendis nulla habita mentione, eo ipso evacuatæ intelliguntur et abolitæ; præsertim cum super his inter vos et regem tam dura quæstio mota, et tota sint hæ dissensionis materia. Unde si vobis pacem concesserit rex, vobis tamen non concedentibus has nec ad tenendas has vos obligantibus, eo ipso intelligentur evacuatæ et vos obtinuisse in causa. Rex etenim sic, etsi non expressim, tacite tamen intelligetur abolitioni consensisse. » Et addebant exempla, quemadmodum, ut aiebant, si episcopus quemquam ad sacros ordines promoverit, etsi expressus non fuerit, tacitus tamen de continentia fuit consensus. Et ad hoc ipsum quidem probandum, tanquam viri et in divino et in humano jure periti, pleraque alia induxerunt exempla; juxta quod utrumque jus loquitur de consensu interdum expresso, interdum vero tacito et non expresso.

Nos vero e diverso expressam petebamus consuetudinum abolitionem, et ut expressum illud de quo satis supradictum chirographum decreti evacuaretur. Alioquin minime in tuto fore nostram vel Ecclesiæ pacem, nisi totius turbationis et dissensionis prima et summa causa velut totius mali radix exstirparetur. Præsertim cum, ut supra ostendimus, archipræsul circumventus et seductus assensum illis præbuerit. Unde si, nulla vel in specie vel in genere consuetudinum habita mentione, cum rege componeret, priorem illum de consuetudinibus assensum ratum habere videretur, et quæ perperam gesta

A confirmare juxta illam civilis juris regulam Ratihabitio retro trahitur et quæ sunt gesta confirmat. Addebamus et quod eadem, quæ inducebant contra regem propter nos, potius pro rege contra nos facerent, de consensu videlicet tacito et non expresso. Taciturnitas enim, ut dicebamus, non aboleret sed potius eo amplius ad pravarum illarum consuetudinum observationem archipræsulem obligaret, ad quas aliquo tempore male et illicite se obligaverat per apostolicæ absolutionis gratiam, per contradictionem acerbam, et per exsilium grave, rupta penitus illicita illa obligatione et dissoluta. Unde si in ecclesiasticæ pacis reformatione talis sit taciturnitas, et a tali qui contradicendi habet personam, ita ut de consuetudinibus illis evacuandis nec in
B specie nec vel in genere ulla fiat mentio, manifestus videretur consensus, et prior illa quæ jam exspiravit obligatio illicita revivisceret. In quo casu multi loquuntur canones: quorum unus: « Qui non obviat, inquit, cum potest, consentire probatur: et nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. » Et multi alii canones in modum hunc tunc ibi inducti, et exempla multa: verum et canonibus ibi inductis et exemplis pariter, brevitatis hic causa supersedemus, præsertim cum hæc modicam etiam habentibus juris experientiam notissima sint.

Præterea ablatorum nobis, imo Ecclesiæ, potius restitutionem bonorum, tam mobilium quam immobilium, instantissime petebamus illam divini juris
C regularem crebrius iterantes, videlicet non remitti peccatum, nisi restituatur ablatum. Et eo certe majora petebamus et talia quæ certissime sciebamus per ipsos apud regem impleri non posse, quia per quosdam aulicos amicos nostros sed occultos secreto præmuniti eramus, et nos deprehendimus sic, quod nec etiam hoc ipsum quod nobis offerebant impetrassent a rege. Jam enim rex certissime proposuerat et etiam publice juraverat, archipræsulem ipso regnante ad ecclesiam suam non reversurum. Verum cardinales, quorum alter regi per omnia favit, pacis qualiscunque verbum nobis proposuerant,
D ut ita quoquo modo regem excusarent, quasi per ipsum non staret quo minus pax fieret, et, ut jam diximus, ne ipsi frustra venisse et nihil egisse viderentur. Unde et infecta pace, imo etiam absque omni spe pacis per ipsos deinceps faciendæ, discessimus ab eis sic, ipsis ad regem confestim revertentibus.

In Cenomania vero in civitate ipsa Cenomannis nonnullæ regni personæ jam convenerant; et videntes sic pacem nequaquam per cardinales posse fieri, in audientia cardinalium suas appellationes renovarunt pro rege, pro regno, pro personis propriis, et pro ecclesiis suis, ad sedem apostolicam reappellantes. Post aliquantulum vero temporis cardinales, multum a rege honorati et ambitiosis onerati exeniis, nostra et Ecclesiæ pace infecta, ad Romanam revertuntur Ecclesiam.

Nos vero de secunda appellatione hac an ei deferendum, mox inquirere cœpimus. Quanquam enim jus indistincte loquatur et dicat, appellatione interposita, sive recepta sit sive non, nihil innovandum, ne videlicet cognitionali deliberationi præjudicium fiat et secundum utrumque jus ejus esse de appellatione cognoscere, ad quem appellatum fuerit; eruditi tamen nostri nequaquam hoc passim et sine distinctione, verum prudenter et erudite, tanquam viri exercitati in his docuerunt, multa inducentes ad docendum, quomodo intelligendum sit jus, quod de appellatione loquitur sic. A quibus tunc inductis hic causa brevitatis supersedemus, præsertim cum talia viris peritis sint notissima. Nos itaque appellationi jam dictæ, tanquam ad justitiam eludendam et in oppressorum oppressionem manifestissime factæ, ab inferiori judice minime deferendum judicavimus. Quotquot tamen nos domino nostro archipræsuli supplicavimus, monuimus, consuluimus ut sola regis persona adhuc remaneret intacta.

23. QUALITER ARCHIPRÆSUL MULTOS DE AULICIS ANATHEMATIZAVIT.

Igitur archipræsul, sciens a propheta maledictum qui gladium suum a sanguine prohibuerit et qui Dei opus negligenter facit, accinxit se. Et in primis quosdam de aulicis clericis, qui ratione ordinis seu beneficii ecclesiastici obligati sibi fuerant et obedientiam exhibere tenebantur, districtissime citavit, ut ad ipsum venire non postponerent nec differrent. Quibusdam etiam in virtute obedientiæ, sub ordinis sui et beneficii periculo, nonnulla præcepit, at nec venerunt hi nec paruerunt illi. Unde et archipræsul appellationi non deferens, ipsos gladio verbi Dei percussit et publice anathematis vinculo innodavit, et ut præcipiunt canones, quantum permisit malitia temporis, quo debuit paragromata sua mittens, anathematizatos denuntiavit. Et de aulicis clericis sic; pariter et de aulicis laicis et ob causas varias: quosdam, quia invasores, quosdam tanquam rerum ecclesiasticarum violentos detentatores, quosdam quia tempore peregrinationis suæ prædia Cantuariensis Ecclesiæ, non ab ipso, sed a rege acceperant. Omnes denique qui prædia et possessiones archiepiscopatus Cantuariensis vel suorum, qui peregrinabantur cum ipso, auctoritate regis ad custodiendum susceperant anathemate percussit. Et non solum ex his et illis, sed et aliquos etiam de ipsis episcopis propter inobedientiam manifestam et maxime quia inter regem et ipsum totius dissensionis incentores exstitissent, quam et fovere in dies non desisterent. De anathematizatis sic Gilbertus cognomento Folioth episcopus Londoniensis unus erat. Et hi quidem anathematizati ex aulicis de magis familiaribus et consiliariis regis. Unde et fere jam quotquot in aula aut nominative excommunicati sic, aut saltem excommunicati denominative excommunicatorum participio, quos evitare nec poterant nec licebat. Adeo ut vix in capella regis qui in missa pacis illud osculum sacramentale regi offerret nisi excommunicatus vel ex nomine vel ex participio. Excommunicati igitur hi, excommunicati et illi. Nec enim archipræsul sustinere potuit aut voluit amplius, unde non destitit, non pepercit, nec his, nec illis. Non sustinuit, inquam, non pepercit, etsi vir apostolicus auctoritate sua quæ omni præest quosdam jam solvisset quos ipse ligaverat: præfatum videlicet Saresberiensem episcopum et aulicum illum clericum quem supradiximus cum schismaticis in Teutonica illicite contra Ecclesiæ pacem et contra virum apostolicum contraxisse.

24. QUALITER SECUNDO REX ET ARCHIPRÆSUL AD VIRUM APOSTOLICUM MITTUNT.

Audiens vero rex motus et turbatus et pars omnis adversa, sic videlicet nec aulicis deferri propter regem, nec appellationi propter sedem apostolicam, ad virum apostolicum mittunt cum omni festinatione et remittunt. Currunt, festinant, accelerant nuntii et nuntii, et post iterum nuntii, qui hæc viro apostolico nuntient. Mittimus quidem et nos. Sed quia aurum et argentum non erat nobis, mittimus nos iterum, sicut prius, nuda solum verba tetra et atramento scripta. Illi vero aurea et argentea ex abundanti et multo plus plura prioribus. Verumtamen pius noster rex Francorum, de cujus quasi aula jam eramus, quia de ejus mensa, ad virum apostolicum et ad familiares suos dominos cardinales pias preces sacris apicibus suis mittit, propter nos mittens et remittens, mandans et remandans, quod qui tangeret nos tangeret pupillam oculi sui: super omnia mandans et rogans, ne vir apostolicus solveret, quos tam venerabilis, tam sanctus archipræsul tam juste ligasset, nec evacuaret quæ ipse fecisset contra Ecclesiæ inimicos justitiæ opera. Id ipsum etiam et pontifices et principes terræ Romano pontifici et venerabilibus cardinalibus cum omni devotione et affectu monentes supplicaverunt. Jam ergo et per nostros et ab adversariis teruntur in dies apostolorum limina: discurrunt, festinant, accelerant et hi et illi. Moriuntur obiter tam hi quam illi, sed succedunt alii et succrescunt et ex his et ex illis. Nam ut de nostris loquar, de multitudine nostrorum exsulum erat nobis copia nuntiorum, unde et sicut supra satis ostendimus, sic dispensante Altissimo, sicut in aliis ita et in hoc causæ nostræ, etsi nescius, multam opem tulit qui nobis coexsulum tantam multitudinem expellendo sociavit: qui virorum tam eruditorum, tam prudentium et consilium nobis contulit et contra se ipsum pro nobis tam fideles nuntios præparavit. Sed quid? videres certe a paupere archipræsule et coexsulibus suis pannosis et miseris, adversum cives, adversum reges, adversum purpuratos et divites strenue, varie et valide concertatum. Unde nec est, ut ex parte tunc didici, quod vir strenuus eruditus etsi pauper argento vel auro valeat comparari. Talis enim incomparabilis; unde et de sapientia Sapiens. *Venerunt mihi,* inquit, *omnia bona pariter cum illa*

Sap. vii). Non quidem de potentia, non de divitiis A
;ic: *Væ potius terræ cujus rex puer est!* (*Eccle.* x.)
Et divites, inquit Psalmista, *eguerunt et esurierunt*
(*Psal.* xiii), unde et sapiens sapientiam præposuit
ıis et hæc ei adjecta. Talis enim, ut diximus, et
terare non piget, incomparabilis: talis quippe
emper abundans, semper gaudens, egens vel tristis
unquam. *Quasi nihil habentes*, inquit, *et omnia*
ossidentes; *quasi tristes, semper autem gaudentes*
(*II Cor* vi). Juxta quod philosophorum unus, cu-
ıslibet animam ipsius dicebat esse fortunam. Et
rthodoxorum unus: « Nunquam, ait, parvus est
ensus, cui magnus est animus. » Unde et Sapiens:
ogitationes, inquit, *robusti semper in abundantia*
Prov. xxi). Talis semper dimicans, semper trium-
hans, evictus nunquam vel deficiens. Juxta quod B
agister ille agonotheta: *Quando*, inquit, *infirmor*,
nc potens sum (*II Cor.* xii). Et sapiens: *Vi-*
sti, inquit, *virum velocem in opere suo coram*
gibus stabit nec erit ante ignobiles (*Prov.* xxii).
ılis hic Thomas noster, magna anima et robusta
mper abundans, semper in pugna, semper in pal-
a, utpote de forte illo et sancto fortium et sanctorum
talogo, qui occidi poterant et flecti non poterant.
ıod melius in historiæ hujus calce declarabitur:
c interim hic adjecto, quod nec mirum si Thomas
: noster prædicetur hic magnus qui semper ma-
ıus; magnus in aula, magnus in ecclesia, magnus
ando civis in Anglia, magnus quando exsul in
ıncia, sed incomparabiliter magnus et majore
ıximus hodie: qui modico nunc clausus tumulo C
npsit sibi pennas diluculo et a nobis jam super
nnas ventorum avolans, totum mundum trahit
st se. Sed hæc docebunt sequentia melius. Inte-
ı ad prosequendum historiæ ordinem revertamur.
ıque ut dicere cœpimus, plurimæ fiunt et con-
riæ missiones ad virum apostolicum.

QUALITER ARCTABATUR ROMANUS PONTIFEX PRÆ
UNTIIS REGIS ET ARCHIPRÆSULIS SIBI ADVERSAN-
IBUS.

.rctabatur itaque Romanus pontifex quippe ne-
:quod nos fecimus irritaret, sed potius ut ipse ap-
hensus apostolico zelo nobiscum adversus ma-
ıantes consurgeret, urgebant tum justitiæ causa
ım fovebamus, tum mundi favor qui nobiscum,
ı pii regis nostri Ludovici et suorum desideria et
tulationes tam affectuosæ pro nobis. Inde vero D
istebant regis Anglorum juvenis adhuc, ut supra
mus, et tam potentis et suorum postulationes
trariæ. Considerabat etiam vir apostolicus ar-
)præsulem nostrum virum velocem in opere suo
icut videbat ipse et ab aliis jam acceperat,
ceps nec revocari posse, nee desistere velle a
itiæ opere, quin videlicet gladium suum exerce-
:t occideret et mactaret illos quos in tam atro-
s tamdiu et tam patienter supportaverat hac-
s. Considerabat igitur vir Apostolicus sic,
ipræsulis æmulationem tam accensam et ad-
ariorum obstinatiomem tam duram: unde et
turpe et irreligiosum et forte damnabile sibi, si ar-
chipræsulem ex tam justa causa sacerdotali zelo ac-
censum, ab officio suo suspenderet, seu ab ipso fac-
ta irritaret justitiæ opera, ex quo universæ Ecclesiæ
grande et grave scandalum generaret, et regis
Francorum et regni incurreret indignationem non
modicam. Igitur quod solum videtur superesse,
Romanus pontifex inter regem, et archipræsulem
paci amicabiliter reformandæ adhuc studere neces-
sarium duxit. Sacros itaque apices suos ad domi-
num regem Francorum sæpe et sæpius mittit, man-
dans, monens et rogans regem, ut pacis nostræ me-
diatorem se interponat. Mittit etiam nunc ad hos,
nunc ad illos, ad eos maxime qui credebantur a
domino rege Anglorum libentius audiri et beni-
gnius, et quorum opere et industria sperabatur
verbum pacis posse melius et efficacius promoveri.
Mittit et ad viros religiosos, viros pacificos, quorum
in reformatione pacis et in dissidentium reconcilia-
tione solet esse diligens opera et efficax gratia.
Mittit itaque Romanus pontifex et remittit, mandat
et remandat. Pleraque vero de scriptis iliis apos-
tolicis exstant adhuc, in illud, de quo supra memi-
nimus, corpus epistolare redacta, ad quod recur-
rat, si quis hæc legere et nosse desiderat.

26. DE QUODAM REGUM COLLOQUIO, UBI PAX NOSTRA STETIT PRO HOC ADJECTO, SCILICET SALVO HONORE DEI.

Dominus itaque rex Francorum, videns dominum
papam de pace nostra sic sollicitum, tanquam filius
pacis et obediens apostolico viro, operose et attente
partes suas interposuit. Unde et ad pleraque collo-
quia, quæ inter ipsum et dominum regem Anglorum
erant, nos vocavit, pacis nostræ in iis se mediato-
rem interponens. Inter quæ unum colloquium fuit,
quod ad laudem et gloriam tanti archipræsulis ego
hic tacere non debui. Contigit, ut Pictavi et Brito-
nes, ortis quibusdam simultatibus adversum domi-
num regem Anglorum moverunt arma: et, ut fortius
rebellarent et securius, cum illustri rege Francorum
confœderati sunt, qui et tunc pariter cum Anglorum
rege inimicitias habuit. Verum post multa dies col-
loquii statutus, pax reformata inter omnes, donec
tandem ventum ad nos, qui similiter pacem inqui-
rentes colloquio interfuimus. Accedunt autem multæ
et magnæ personæ ecclesiasticæ et alii viri multi et
magni: omnes hi inter regem et archipræsulem me-
diatores. Rex vero quibusdam ex mediatoribus his,
quos archipræsuli magis favere suspicabatur, quos
et archipræsul amicissimos habebat, jam secreto
dixerat velle se crucem facere et Hierosolymis pro-
ficisci, facta solum prius pace ad honorem suum
inter ipsum et archipræsulem suum: et addebat se
de pace hac in hoc colloquio in præsentia regis
Francorum et aliorum solum quærere honorem, sal-
tem verbo tenus. Habito igitur prolixiori verbo de
pace nostra in communi omnium mediatorum, seor-
sum tamen a regibus, isti quos diximus inter cæte-
ros archipræsuli magis familiares, quibus et rex

verbum illud crucis et de pace nostra sic instillave- A rat, archipræsulem a communi illa mediatorum corona seorsum trahunt, et secretius proponunt ei verbum regis, quod a rege secreto acceperant sic, nec tamen ipsi hoc nomine regis nuntiantes, sed verissime asserentes se a rege accepisse hoc. Unde et summum ipsorum consilium fuit et summopere laborabant ad hoc, ut archipræsul, et de tota causa et de ablatis tam sibi quam suis, regis ibi per omnia miserationi et voluntati se supponeret; quod est sicut vulgo dicitur, ut poneret se de tota quæ inter ipsos vertebatur querela in misericordia regis, et absolute sic, absque omni additamento. Siquidem archipræsul ad instantiam et ad consilium mediatorum urgentium ipsum ad hoc, jam in communi mediatorum omnium audientia concesserat se fa- B cturum sic, adjecto tamen hoc: Salvo honore Dei; verum isti inter mediatores archipræsuli magis familiares, viri fideles et exercitati in consiliis, de quibus et tanquam de se archipræsul fidebat, adjectum illud nitebantur adimere, videlicet salvo honore Dei, eo quod, ut dicebant, in verbo illo scandalizaretur rex. Unde et ut absolute super tota controversia regis se supponeret voluntati et arbitrio, summo nisu et studio consulebant; et sic coram omnibus regi daret gloriam et honorem et hoc regi satisfaceret et hoc regi sufficeret: et rex vicissim ipsi restitueret integram gratiam suam et pacem. Et hoc quidem verbum illi simile quod prius, dum adhuc essemus in Anglia, de regiis consuetudinibus observandis adjectum. Dicebat enim archipræsul se regias consuetudines C observaturum salvo videlicet ordine suo, quod in libello historico hoc supra non præterivimus. Illa igitur adjectio huic similis. Ibi salvo ordine, hic vero salvo Dei honore. Eisdem itaque suasionibus et allegationibus, quibus illi pacis mediatores tunc in Angliæ, illud adjectum salvo ordine, et isti nunc in Francia hoc adjectum illi simile salvo honore Dei attentaverunt adimere. Et quidem primam illam adjectionem ordinis, archipræsul expressisset nunc iterum hic, nisi quia, ut supra ostendimus, ex adjecto illo scandalizabatur tunc rex, quemadmodum et nunc ex hoc, salvo videlicet Dei honore, scandalizabitur ut mox dicetur. Sed quid? Denique adeo suasus, tractus, pulsus et impulsus est ut persuasus videretur. Cumque tandem cum eruditis suis D familiarius et seorsum breviter, prout tunc licuit et tempus erat, loqueretur, et eis quæ a mediatoribus illis amicissimis sibi secreto acceperat singula proposuisset, ipsorum fuit omnis sapientia devorata; videbant quippe hinc pacis bonum, et gratiam regis desideratissimam, inde vero turpe et irreligiosum et ignominiosum Ecclesiæ videri posse, si ita super causa ecclesiastica archipræsul laicæ personæ voluntati et arbitris se supponeret, ut nulla videlicet de libertate Ecclesiæ seu Dei honore fieret expressio; præsertim cum de Dei honore habita fuisset mentio et jam quæstio mota. Quod tamen propter bonum Ecclesiæ et nostrum, quod certissime sperabant et asserebant subsecuturum, urgentissime consulebant et cum omni quærebant instantia mediatores, et maxime inter ipsos viri fideles et religiosi, qui et in conciliis exercitatissimi et archipræsuli amicissimi erant. Et ideo eruditi nostri quotquot hæsitabant, et consilium dare verebantur, ne vel per ipsos impediretur pax vel ne forte per ipsos Ecclesiæ causa quam agebant periclitaretur. In hoc igitur casu omnes quotquot siluerunt et ab eruditis nostris omne consilium periit, et ipsorum sapientia inutilis facta est, tanquam ultra sapientia non reperta in Theman. Periit, inquam, ab eruditis nostris sapientia et consilium, nisi quod quidam submurmuraverunt minime tutum in tali casu Dei honorem, seu libertatem ecclesiasticam, pro gratia terrena acquirenda ita supprimere seu subticere; quod non esset aliud, u[t] dicebant, quam lucernam sub modio ponere quemadmodum et in hoc libello supra ostensum est, cum similis illa adjectio, salvo videlicet ordine, in Angli[a] similiter pro bono pacis est adempta. In arcto itaqu[e] hoc periit sapientia et consilium. Igitur, quod solu[m] nobis in articulo tam arcto restare videbamus, cla[]mavimus ad Dominum supplicantes ut daret nobi[s] consilii et scientiæ spiritum. Sed quid? Nobis it[a] consilium suspendentibus et hæsitantibus quid a[] gendum, a pacis mediatoribus, multis et magnis viri[s] et præsertim qui inter ipsos, a viris religiosis [] aliis archipræsuli amicissimis et familiarissimi[s] adeo sicut et supra diximus, suasus, tactus et im[]pulsus est, ut haberetur persuasus.

Itaque cum pacis mediatoribus et aliis hinc st[i]patus jam duceretur ad reges, erant quippe d[] reges simul adhuc pacis nostræ finem exspectante[s] cum, inquam, duceretur, sic ingessit se, diffici[le] tamen inter tot et tantos, discipulus qui scrip[sit] hæc: et breviter et citissime, nec enim aliter potu[it] tunc instillavit et in aure: « Domine, inquiens, [] deto quomodo caute ambules. Unum tibi dico ce[r]tissime, de conscientia loquens, quod si in compr[o]missione hac regi adjectionem illam subticuer[is] salvo videlicet honore Dei, præsertim cum totu[m] hoc nunc agatur ut pro regis gratia subticeatur h[oc] quemadmodum et suppressisti illud in Anglia sal[vo] ordine tuo, cum tunc de regiis consuetudinib[us] observandis ageretur, sicut tunc ita et nunc dol[or] tuus renovabitur, eo quod a bonis obmutueris [et] silueris, unde illud Psalmi lugens recordaberis [ju]giter: *Obmutui et humiliatus sum, et silui a bo[nis] et dolor meus renovatus est* (*Psal.* XXXVIII). Et [] amplius renovabitur dolor, quod tunc percus[sus] ob silentium simile, adhuc disciplinam non re[ce]peris. »

Vix dictis his et ipso solum me respiciente [] respondere non valente, tanta quippe erat ipsu[m] comprimentium turba et quærentium alloqui e[] ecce ductus sic ante reges venit. Sciens autem qu[od] humilitas præ cæteris soleat corda indurata em[ol]lire, quæ etiam præ cæteris virtutibus ipsis sup[er]bis et elatis gratior est, adeo etiam ut per ips[a]

superbia ipsa se sustineat vinci, sciens, inquam, hoc mox archipræsul inter initia ad pedes regis se prostravit. Et cum ipso ad honorem ipsius venerabilis et omni laude prædicandus Willelmus filius magni et præclari divæ recordationis comitis Theobaldi, tunc Senonensis archiepiscopus, illo jam defuncto quem supra in historia hac nominavimus, qui et in primo adventu nostro Senonis superstes erat, sanctæ recordationis Hugone. Rex vero archipræsule vix ad pedes ipsius prostrato ipsum confestim apprehendit et erexit.

Archipræsul vero erectus et stans ante reges humiliter et devote pro Anglicana Ecclesia, sibi ut dicebat licet indigno et peccatori commissa, regiam cœpit interpellare clementiam, se ut justi mos est in principio sermonis sui accusans, et solum suis meritis tantam ascribens Ecclesiæ turbationem et afflictionem tam duram. Et in sermonis sui calce adjecit: « Ego igitur, inquit, domine mi, super tota quæ inter vos et me vertitur hodie causa, vestræ clementiæ et arbitrio in præsentia domini nostri regis Francorum et pontificum et principum et aliorum qui hic astant me nunc subjicio. » sed mox adjecit, quod nec rex nec pacis mediatores, nec alii vel etiam sui proprii æstimaverunt ut adjiceret, videlicet « salvo honore Dei » Hoc quippe, ut supra satis dictum, agebant pacis mediatores, ne tale adjiceret verbum quod regi scandalum et pacis sic fieret impedimentum. Et ideo existimabant archipræsulem persuasum, ne hoc adjiceret, quod scandalum generando pacem posset impedire.

Et profecto accidit sic. Tali quippe adjectione audita, rex mox vehementer scandalizatus in archipræsulem excanduit, multis ipsum contumeliis afficiens, multa improperans, plurima exprobrans, arguens eum et increpans tanquam superbum, elatum et regiæ munificentiæ circa ipsum impense immemorem et ingratum. Et quia archipræsulis persona, ut circa historiæ hujus initia diximus, etiam ab ineunte ætate talis erat et tam honesta, de qua etiam mendaces et detractores propter famæ integritatem falsa dicere verebantur, hoc solum rex expressim pro crimine ei objecit, quod cum cancellarius adhuc esset, ab hominibus suis et cismarinis et transmarinis passim, et a majoribus et a minoribus, homini receperit et fidelitatis juramenta, ea sicut dicebat de causa, ut dominum suum et regem, qui tanta ei contulerat, exhæredaret et fieret ipse dominus universorum: unde etiam, ut exprobrando adjiciebat, tempore cancellariæ tam magnificum se faciebat et tam munificum.

Archipræsul vero, in omni patientia audiens hæc, in nullo ut videbatur perturbatus vel confusus exprobranti sibi mox respondit; et modeste quidem verbum humilitatis omnis et modestiæ, in respondendo ita verbum temperans ut neque rigidus appareret nec remissus: post alia quæ prius breviter dixerat subjiciens mox et ad id respondens, quod de cancellaria rex ei objecerat: « Domine mi, inquiens,

A quod ex ira mihi exprobramini nunc de in cancellaria gestis, ut hoc ut videtur iratus quæritis mihi vertere in culpam, quo tuam perpetuo gratiam promeruisse debuissem. Nec decet nunc nec oportet illius temporis a me in obsequio vestro gesta et fidem vobis tunc servatam ad laudem meam nunc recolere. Novit enim dominus noster rex Francorum, qui hic, norunt et hi qui astant, novit et mundus, et testantur opera, cum adhuc essem in aula, qualem me in illo officio aulico ad vestram utilitatem et honorem [illegible]. Turpe esset et indecens præstiti obsequii exprobrando recolere beneficia, quæ mundus vidit et novit impensa. »

Rex autem ultra non sustinens, sed cito ab ore ipsius verbum rapiens, et ad dominum regem Fran-
B corum se convertens: « Domine mi, inquit, attende si placet quam fatue, quam superbe, iste ecclesiam suam deseruerit, quem quidem nec ego nec alius a regno meo expulit, sed ipse noctu clandestinam fugam iniit, nemine expellente. Nunc autem vobis suadet, quod causam Ecclesiæ agat, et propter justitiam patiatur, et ex hoc multos et magnos circumvenit. Ego quippe semper volui et concessi, et volo et concedo adhuc, ut Ecclesiam cui præest teneat et regat in omni ea libertate, in qua aliquis decessorum suorum sanctorum eam melius et liberius habuit et rexit. »

Rex vero Francorum, quasi aliquantulum motus contra archipræsulem et favens regi propter verbum quod dixerat sanctos decessores suos nominando,
C archipræsuli breviter ait: « Domine archiepiscope, inquiens, nunquid quæris esse plus quam sanctus? » Et verbum hoc, a rege Francorum velut insultando archipræsuli dictum, sic regi et parti suæ non modicum placuit: cujus erat semper studium et opera apud omnes et præsertim apud regem Francorum suam justificare causam et deprimere nostram, ut ita cor regis, qui præstante Domino in tanta turbatione nostra totum et tutum erat refugium nostrum, alienaret a nobis.

Archipræsul vero nec propter reges ut videbatur adversantes jam sibi, in ullo ut deprehendi posset turbatus vel motus, sed sicut ante animi compositi et æqualis, respondit mox regibus se quidem libenti et prono animo Ecclesiam sibi commissam recipere velle in eis libertatibus in quibus sancti decessores
D sui eam rexerunt: sed alias novas consuetudines in ecclesiasticæ libertatis dispendium introductas recipere nolle, sed tanquam sanctorum Patrum institutis adversantes abjicere et damnare. Cum vero de fuga, quam rex clam et noctu temere arreptam improperaverat, archipræsul se excusare cœpisset et justam fuisse causam allegare voluisset, qui pacis mediatores exstiterant multi, ut supra diximus, et magni viri, confestim archipræsulem ab auditorio regum adhuc seorsum trahunt, prudenter advertentes ex verbis his et illis, quæ inter regem et archipræsulem, non pacem sed majorem potius dissensionem orituram confestim: unde et trahentes

cum seorsum, suadent hi, suadent illi, vocant et revocant, pellunt et impellunt quotquot conclamantes : « Da gloriam regi, et verbum illud, quod regem scandalizat, supprimatur, taceatur, et absolute regis voluntati et arbitrio te subjicias, præsertim cum nunc sit tempus pacis opportunissimum, domino rege et primis Francorum præsentibus et omnibus jam in pace præterquam te et tuis. » Ad hoc impellebant archipræsulem multi, ut jam diximus, et magni, tam principes sæculi quam pontifices, Franci, Angli, Normanni, Britones et Pictavi, nonnulli etiam religiosi, qui specialiter propter nos et ex mandato apostolici viri pacis nostræ mediatores, propter pacis nostræ reformandæ meliorem et firmiorem spem, ad colloquium venerant; hoc solum universi postulantes, consulentes, suadentes, ut illud tantillum verbi de compromissione tolleret, taceret, salvo videlicet honore Dei, et sic consequeretur mox et ipse et sui pacem ad honorem et gloriam in conspectu regum et principum.

Videres certe archipræsulem velut hostiam stantem, alios vero ut carnifices, non ferro sed linguis armatos, circumstantes et quærentes honorem Dei exstinguere, arbitrantes tamen se et in hoc obsequium præstare Deo : sed post modicum circumventos se et deceptos palam et passim quotquot se accusabant ut docebunt sequentia. Sed nunc interim quod cæpimus prosequamur.

Igitur archipræsule stante sic et vere stante, tanquam firmissima turre directo sita et respiciente contra Damascum, a tot et tantis impulsus est sed eversus non est, jugiter nunc ad hos, nunc ad illos facturum se ut suadebant asserens : « Salvo honore Dei. » Dicebat etenim minime decere, ut sacerdos et pontifex terreni hominis arbitrio se supponeret aliter, præsertim super ecclesiasticæ libertatis causa et maxime mota quæstione super verbo hoc : et magnum quidem esse et debere sufficere, si vel fieret sic et etiam plus justo hoc, nisi ecclesiasticæ pacis bonum facto causam præberet.

Et verre juxta Psalmistam : *Justus manus suas lavat in sanguine peccatoris* (*Psal.* LVII). Et ut sapientis constestatur elogium, pestilente flagellato sapiens sapentior erit, quemadmodum et vulgo dicitur quod elixatus aquam timet. In Anglia quippe ob verbum, quod et supra posuimus simile huic, salvo videlicet ordine, rex ut supra in historia hac docuimus scandalizatus est. Quod archipræsul, regis sic sperans sibi restitui gratiam, ad quorumdam consilia tacuit : verum postea ex hoc nec regis est gratiam consecutus, sed a bonis obmutescens dolor ejus plus multo quam prius auctus est, et renovatus, unde et verebatur nunc quod tunc accidit. Stetit igitur iste, inter tot et tantos pellentes et impellentes, immobilis quasi domus supra firmam petram ædificata, quasi civitas immobilis supra montem posita, quasi columna ferrea, et quasi murus æreus super terram, regibus, principibus et pontificibus illud corde, ore et opere, quasi in medio castrorum ut videbatur, cantans : *Deus qui præcinxisti me virtute ad bellum, et posuisti ut arcum æreum brachia mea* (*Psal.* XXII). Tunc certe illius legislatoris non immemor : *Non sequaris*, inquit, *turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies* (*Exod.* XXIII). Juxta quod etiam et philosophorum unus : « Et magis, inquit, eligendum quod pauci. »

Pacis ergo mediatores videntes sic immobilem et inflexibilem, mox universi disparuerunt ab eo et remansit solus. Solus, inquam, qui solus portaverat torcularis pressuram : portaverat fortiter et victoriose calcaverat. Pacis igitur mediatores, ut diximus, disparentes ab eo, et athletam Altissimi in campo velut quadam pelæstræ area relinquentes solum, erat quippe in quadam campi planitie colloquium, hominis pertinaciam nuntiaverunt mox regibus, magnam viri constantiam pertinaciam interpretantes. Et reges quidem festinantissime in equis, nox quippe jam diremit colloquium, nec salutantes nec ab archipræsule salutati recesserunt. Quin potius rex Anglorum adhuc in recessu, etsi non in faciem archipræsulis, a conviciis non cessavit, insultando dicens inter alia quod ea die de suo fuisset ultus proditore. Pariter et aulici et qui pacis mediatores exstiterant, in recessu multa etiam in faciem archipræsuli objecerunt, quod videlicet fuisset semper superbus, elatus, sapiens in oculis suis, propriæ semper sectator voluntatis et sententiæ : adjicientes grande fuisse hoc malum et enorme Ecclesiæ damnum et periculum, quod ipse unquam rector Ecclesiæ constitutus fuisset, et quod per ipsum ex parte jam destructa, penitus cito destrueretur.

Sed archipræsul ponens ori suo custodiam, cum peccatores sic adversus eum consisterent, illud Psalmistæ ruminare videbatur et dicere Domino : *Susceptor meus es et refugium meum, quoniam liberasti me a laqueo venantium et a verbo aspero* (*Psal.* XC). et illud : *O Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa* (*Psal* CXIX). Factus est igitur ad exprobrantes et insultantes sibi, quasi non audiens et non habens in ore suo redargutiones, nisi quod uni de Ecclesiæ destructione sibi exprobranti humiliter quidem et mansuete respondit — hic erat unus pontificum, nomine Joannes natione Anglus, episcopus tunc Pictaviensis, ipsi ex diutina conversatione et societate familiaris admodum, charus et acceptus — respondit, inquam; sic : « Frater inquiens, cave ne destruatur Ecclesia Dei per te, per me favente Domino non destruetur. » Ita huic solum hoc respondit modestiæ et mansuetudinis verbum, in colloquio hoc probris et contumeliis pleno, sicut supra diximus, ad omnes sermones suos moderans, ut nec de elatione posset argui nec de remissione subsannari juxta quod Psalmista gloriatur se exspectasse *eum qui salvum se fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate* (*Psal.* LIV). Quoniam archipræsul noster in colloquio hoc pariter exspectavit qui et illum salvum sic fecit, verum et ut supra os

tendimus, a rege durius objurgatus, cum rege tamen non contendit, sequens illud Psalmistæ consilium : *Noli*, inquit, *contendere adversus eum, qui proficit in via sua adversus virum qui facit quæ cogitat.* Pariter et illud Sapientis : Non litiges, inquit, cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Ab aliis etiam conviciatus non reconviciabatur, illius profecto discipulus, qui cum malediceretur non remaledixit, cum pateretur non comminabatur.

Deus bone, quanta passus est in colloquio pro hoc ıonore tuo bellator tuus ! quantum vexatus, quibus ıffectus contumeliis, quibus lacessitus injuriis ! Et oquebatur semper honorem tuum in conspectu 'egum et non confundebatur. Nam etsi ipse factus uerit prodigium multis, tu adjutor fortis : unde etsi ractus, pulsus et impulsus, non est tamen eversus, ıon evictus, non cessit, sed ut cito rerum probabit xitus et docebunt sequentia, omnium etiam iniıicorum judicio gloriose triumphavit. Quid enim i triumpharet Domini miles, Dominica sic inductus ırmatura? Ipse quippe in colloquio hoc velut quolam amphitheatro, verborum spiculis, loricam jutitiæ, linguis lanceatis scutum patientiæ, et terrenæ ·licitatis promissionibus galeam salutis æternæ oponebat, illud cum strenuo illo rege bellatore conınens : *Si exsurgant adversum me castra, non ti-ebit cor meum, si exsurgat adversum me prælium ı hoc ego sperabo* (*Psal.* XXVI). Ita ergo recessit a olloquio gaudens revera et gaudentissimus, quod ignus esset pro honore Dei contumeliam pati. Ibat ıquam, ipse gaudens ; ibant et sui, non gaudentes ımen sicut ipse, sed tristes aliquantulum et solliciti, › quod vel in forma illa quam suaserant omnes erbum pacis nostræ non processerit. Pauci inter os quibus non displiceret, quod ad tot et tantorum onsilium verbum illud, scilicet salvo honore Dei, on fuit suppressum aut saltem mutatum.

De verbo discipuli in recessu ad magistrum.

Verumtamen discipulus, qui scripsit hæc, mox recessu quam cito accessum habere potuit, ad ominum suum et magistrum : « Domine, inquit, ratiæ summæ Omnipotenti a vobis et a vestris gendæ, in cujus manu mors et vita, qui hodie nguam tuam ita moderavit, sic rexit ut ab ore tuo ec elata prodirent nec remissa : sed in hujus iei tanto tumultu tot et tantis in te irruentibus, tot tantis contumeliis affectum et injuriis lacessitum, ılvavit te et servavit custos Dominus a pusillanimite spiritus et tempestate, linguam in udo positam, tam facile labilem, quasi in quodam viæ regiæ edio regens ita ut in responso tuo nec deprehendi osset pusillanimitas nec notari elatio. Et profecto ulo ad oculum videbit mundus adhuc quod Altismus honorificabit te in conspectu mundi, qui in m arcto propter mundum honorem Altissimi nec am verbotenus suppressisti, sed tam fortiter, tam nstanter es confessus. Et juxta promissionem am ipse, a te confessus, te confitebitur et hono-

A rificabit, quod honorificantibus ipsum sic promittit : *Qui honorificaverit me honorificabo eum* (*Joan.* V).

Sic igitur recessimus a colloquio nunc in Francia, sicut prius in Anglia apud Northamtune, ut supra in historico libello hoc satis ostendimus, facti opprobrium abundantibus et despectio superbis.

Et nos ita recedentes dominum regem Francorum sequebamur : cujus erant præparata hospitia in castro, quod Mons Mirabilis dicitur, situm in confinio Carnotusiæ et Cenomanniæ, in quo confinio ea die inter reges colloquium fuerat, sicut et ibi interdum colloqui solent. Eramus et nos in castro hoc pariter hospitati cum rege ipso semper per clientes aulicos nobis abundanter ministrante viaticum. Nos ergo prius quam rex, sero tamen jam sub noctis crepu-B sculo, ad hospitium venimus, colloquii negotiis multis et magnis et maxime pacis nostræ verbo sic per totam diem usque ad noctem fere protractis. Rex autem, qui posterius venit, non declinavit, quemadmodum in aliis colloquiis consueverat, ut archipræsulem in hospitio suo videret ; unde et mox conjecimus cor suum non ita nobiscum sicut heri et nudiustertius. Nihilominus tamen archipræsul hilarem et jucundum se exhibuit ut consuevit, nec deprehendi poterat vultus ejus in diversa mutatus ob hoc. In quo adverti potest magna viri constantia, fortitudo animi invincibilis, qui mundo jam sibi contrario nec ullam vel etiam modicam turbati ex hoc vel solliciti ostendit speciem. Et quidem si sui solam curam haberet et providentiam, non ita spe-C ctabile, non ita admirabile hoc : verum, ut satis supra ostensum, coexsulum suorum multam habuit sequelam. Inter quos multi nescientes quid inter dexteram et sinistram : qui omnes tanquam de matris suæ uberibus de ipsius pendebant cura et providentia. Et tamen mundo jam sibi adversante in nullo turbatus nihil sollicitus videbatur. Sed revera juxta Sapientis elogium : *Justus sicut leo confidit* (*Prov.* XXVIII), cui etsi mundus totus contrarius sit et adversetur, ipsi tamen etiam tunc totus mundus divitiarum est. Juxta quod magister athleta qui mundum persequebatur, et mundus ipsum, quibusdam quos in fide genuerat : Omnia, inquit, vestra sunt, sive vita sive mors, sive præsentia sive futura. Justo igitur omnia sunt : et velit nolit mundus, totus D mundus ipsi divitiarum est, etiam si ipsi totus mundus contrarius sit et adversetur. Quin potius eo amplius suus quo magis ipsi contrarius, eo plus obsequens quo plus adversans. Mundus quippe etsi nescius, nihilominus tamen quasi inter malleum et incudem, inter mala videlicet pœnalia quæ infert, et patientiæ virtutem quæ sustinet, justo coronam fabricat æternam, unde et justo plus servit mundus contrarius et offensus quam placatus. Et melius obsequitur si sic rebellet, quam si pareat, cujus ut experimur quotidie extrema gaudii luctus occupat ; unde juxta Sapientis dictum : *Non constristat justum quidquid ei acciderit* (*Prov.* XII). Nam exaltatus a terra, omnia trahit ad se. Prospera et adversa

mundi æque militant ei. Sicut tenebræ ejus ita et lumen ejus, nisi quia ut hic pro tempore docuimus breviter justo mundi adversa plus servire. Thomas igitur hic noster, exaltatus a terra, cui et terræ jam nihil, omnia traxit ad se, unde et mundo jam sibi contrario nec tristior effectus est nec sollicitior sed æqualis permansit.

27. QUALITER ARCHIPRÆSUL CONFORTAVERIT SUOS IN VIA.

In crastino vero rege ex colloquio proximæ diei fatigato et pausante adhuc, nos mane summo recedentes a castro Carnotum venimus Senonis properantes. Inter itinerandum vero archipræsul, qui jam adverterat plerisque de eruditis suis displicere, quod verbum pacis nostræ ut hesterni mediatores consuluerant non processerit, ipsos allocutus est sic : « Fratres, inquiens, et mecum Christi commilitones, heri fuimus in militia, heri in lucta, heri in palæstra, facti spectaculum mundo et angelis et hominibus. Et mundus jam subsannat nos et irridet : quod sicut protervi et fatui pacem Ecclesiæ et nostram sic distulerimus. Quin potius credit et prædicat pacem deinceps nobis magis ablatam quam dilatam ; verum, sicut vos, fratres, juxta legis præceptum tanquam legem scientes me nostis melius, non est acquiescendum judicio multorum, quod quidem in exemplo evidentissimum, ut puta veritatis et paupertatis, quæ inter se semper amica sunt, amici sunt pauci, cum e diverso vanitatis et divitiarum mundus semper amicus sit, et vanitas veritati, et divitiæ paupertati omnium fere judicio præferantur. Nam etsi qui forte his veritatem et paupertatem verbis præferant, factis tamen negant, divitias potius et vanitates sequentes. Verum, quia nos jam veritatem et paupertatem propter justitiæ causam præelegimus et de illa sumus amicorum paucitate, qui veritatem et paupertatem charius amplectuntur, ne acquiescamus multitudini nec credamus nos mundo sicut nec mundus se nobis. Nam eo ipso quod jam irridet et subsannat nos mundus, causa nostra, cui mundus non communicat, pretiosior est et purior nobis æstimanda, veritatis luce quam pauci sequuntur eo amplius illustrata : quasi *lux quæ in tenebris lucet et tenebræ eam comprehenderunt* (*Joan* I), et quasi *hortus conclusus et fons signatus* (*Cant.* IV.) Signatus, inquam, et singularis fons noster, cui alienus non communicat. Videamus etenim nunc et attendamus si non causa nostra ab heri purior, justior, planior et evidentior facta sit. Prius si quidem agebamus causam Ecclesiæ, ecclesiasticam libertatem protestantes et quod adversarii tyrannice collo ejus nituntur imponere jugum servitutis, concutientes, illud quando Domino et sicut Domino placuerit excussuri. Nunc præter Ecclesiæ causam expressim ipsius etiam Dei causam agendam suscepimus, cujus honorem nec propter mundi sapientiam, nec propter consilium, nec propter metum, nec propter gratiam subticemus nec favente Domino subticebimus. Causa itaque causæ adjecta est, causa Ecclesiæ causa Dei, causa Sponsæ causa Sponsi, causa capitis, causa corporis. Et ita nunc primo causa nostra, quam tuendam suscepimus, integra, Dei videlicet et Ecclesiæ Sponsi et Sponsæ, capitis et corporis. Videamus ergo et nos, ut eo amplius et plus quam prius, simus deinceps bellatores strenui, constantes et integri, ut sicut causa integra et nos integri. Integri dico ne separemur, ne dividamur, sed simul stemus, et item integri, ne videlicet paucitatis nostræ aciem hucusque fortem, sed Domino vires deinceps nostras augente, cujus nunc propria causa super adjecta est fortiorem, mundi irruentis irrumpat fragor, ut vel frangat metus, vel emolliat gratia, Ista etenim mundi duo fortia spicula sunt, sed obtunduntur hæc et resiliunt, nec perforabunt, nec etiam nocebunt vel modicum, si, ut cœpimus, fortiter in acie stantes loricam justitiæ induerimus, quam ad hæc mundi spicula opponamus. Et ecce quia induimus hanc, hac jam ex omni parte protecti. Habemus enim nunc arma justitiæ a dextris et a sinistris ; justam causam Dei et Ecclesiæ justam ; justam causam regnantis in cœlis et justam reginæ causam militantis adhuc et peregrinantis in terris. Unde et bene nobiscum agitur, quia et de cœlo et de terra veniret auxilium nobis. Orabit quippe Ecclesia, exaudiet Dominus, cujus pariter honoris causam nos jam tuendam suscepimus, sicut et libertatis illius. Et ecce quia paucitatem nostram et paupertatem tantæ potestati adhuc resistentem, potestate potestati et rege confœderato jam regi, mundus eo amplius intuetur et admiratur e[t] stultitiam prædicat. Et dicunt de nobis nunc, confœderatis sic regibus : « Miseri illi quo devenient quo divertent, quo fugient ? Nesciuntne tam magnis regibus manus esse longissimas ? Si regis man[...] dato ita pulsi sunt a Pontiniaco, nonne amicis nun[c] et confœderatis regibus citius pellentur a regno imo etiam et a mundo ? Scio quidem et vos parite[r] mundum libere de nobis loqui nunc sic. Et quide[m] quod præ cæteris gravius nos omnes pariter ja[m] advertimus, domini nostri regis Francorum ex con[-]fœderatione hac, etsi necdum penitus exhaustam gratiam tamen et benignitatem extenuatam erg[a] nos. Sed quid ? Certe velit nolit mundus, detraha[t] arguat, obsecret, increpet, et si exsurgant adve[r]sum nos castra, et mundi prælium, auxiliante D[o]mino simul stabimus, non abidimus retro, n[on] cedemus. Quin potius eo nunc fortius agendum, virilius, quo causa nostra nunc justior, et mu[n]dus nunc acrior contra nos, ut mundus [...] dens paucitatis nostræ et paupertatis consta[n]tiam vel in fine assumat inde pro nobis materia[m] laudis, unde nunc habet detractionis. *Si enim De[us] pro nobis, quis contra nos ?* (*Rom.* VIII.) qui per[dit] sapientiam sapientum et mundi sapientes infatu[at] et sæpe et sæpius hoc convertit in optimum, qu[od] mundus judicat pessimum ; et hoc trahit ad v[ir]tutis meritum, quod ille ad peccati stipendium, [...] damnationis supplicium. Unde et Magister docet [...]

tiam hujus mundi stultitiam esse apud Deum. d enim mundus secundum suam sapientiam ju- t malum vel ad malum, hoc ipsum Deus secun- suam ipso opere judicat mundo fuisse bonum, nvertit ad bonum, quod mundus totus judicabat nalum. Sic itaque est et de bonis et de malis, his quæ ad bona et quæ ad mala, cum et de t de illis judicet mundus, judicet et Deus. Sed Deus et illuditur mundus, cum secus et di- in contrarium evenerit quam judicaverit ipse. ant hæc nostra verba infinita exempla. Inter illud de Joseph exemplum celeberrimum, quem es sui vendiderunt ne adorarent, et postea quia iderunt adoraverunt, et mentita est sibi sa- ia mundi. Pariter et Judæi Christum crucifixe- ne locum perderent et gentem: postea tamen crucifixerunt, perdiderunt et mentita est item sapientia mundi. Multa super hujuscemodi pla suppetunt et quotidie crebra succrescunt, mundo et Deo sic in humanis ludente. Juxta poetarum unus :

Ludit in humanis divina potentia rebus.

vos hæc, tanquam viri et in Scripturis et in um exemplis exercitati, nostis me melius. Ve- amen in præsentiarum induximus hæc, ut in enti consolatione recipientes unum præsciatis sime, quod ego nunc prædico vobis, quod ver- illud, quo in conspectu regum Dei honorem do non suppressimus, nobis a mundo ipso et evi vertetur in honorem et gloriam, qui illud nobis vertit in ignominiam, et in nostrum et nostræ detrimentum. Et ipse mundus nobis inde virtutis cumulum, unde assumit nunc a nos tantæ detractionis fomentum. Quippe, ut est, erit sic ipse sibimetipsi contrarius de ic illuso divina potentia, sicut et consuevit, te ludere vos. Itaque, fratres mei et Christi me- coadjutores, consolamini in verbis istis. »

litis igitur his quotquot animæquiores facti. i de nostris, ut supra diximus, eo quod ver- pacis nostræ ad consilium mediatorum non pro- set, aliquantisper fuerant desolati, ex his con- onem receperunt non modicam. Novimus e omnes dominum nostrum archipræsulem vi- valde industrium in multis exercitatum et ex- m multa, a quo etiam prædicta evenerunt sæ- ne.

edentes itaque a præfato castro, quod Mons ilis nominavimus, et venientes ex die Car- , plerique qui ut mos est populi occurre- t transeuntes viderent, quærebant quis esset ansiret. Et cum cognovissent quod archipræ- o esset Cantuariensis et quis ipse, ipsum mox notaverunt aliis qui ignorabant ipsum, indi- s et dicentes invicem, submurmurando tamen: archipræsul ille qui in hesterno colloquio propter reges negare noluit nec Dei honorem ere, » Jam quippe ex celebri fama de collo- nter alia audierant sic. Archipræsul vero in-

A teraudiens hæc et motus et compunctus ex his, qui tunc prope ipsum erat respexit discipulum qui scripsit hæc. Postea etiam sæpissime cum iter per Franciam faceremus multi in populo de archipræsule eadem prædicaverunt. In ipso etiam recessu a colloquio nonnulli qui aliter suaserant, redeuntes ad se et pœnitentia moti viri constantiam et justitiæ causam laudibus et præconiis extulerunt, se et alios quotquot qui contraria suaserant condemnantes. Sed hæc mox melius et plenius sequens historiæ ordo explicabit.

A Carnoto vero recedentes quantocius potuimus Senonis venimus, per duorum videlicet dierum inter. Senonis itaque redeuntes ibi per dies solitarii sedimus et tacuimus, solius Dei salutare præstolantes, B summo in terris pacis nostræ mediatore domino nostro rege Francorum et plerisque aliis, qui, ut diximus, ex mandato viri apostolici pro pace nostra partes suas interposuerant, universis jam desistentibus utpote pace nostra jam ab omnibus desperata, et dicentibus nos nequaquam filios pacis nec cogitare quæ pacis essent, sed per nos ipsos potius impeditum iri quo minus fieret. Sedimus itaque sic per tempus, sustinuimus, tacuimus et exspectavimus. Exspectantes, inquam, exspectavimus et Dominus intendit nobis.

Qualiter archipræsuli cesserit ad gloriam quod mundus reputaverat in ignominiam.

Nam ecce post aliquot decursos dies omnino in terra auditum est, pacem illam inter Anglorum re- C gem et Pictavos et Britones, quæ in præfato colloquio in præsentia regis Francorum et per ipsum facta fuerat et firmata, alias etiam conventiones firmatas inter reges, per Anglorum regem contra pactum, contra fidem enormiter et crudeliter violatas, nihil ibi factum quod nunc non esset infectum, nullis obligationibus, nullis conventionibus observatis ; de pacificatis quibusdam possessionibus suis spoliatis, aliis ejectis et proscriptis, nonnullis vero captis et in carcerem conjectis et in vincula. Inter quos captus sic erat nobilis unus Pictavorum dictus Robertus de Siliaco. Audiens itaque rex Francorum et per proprios ipsorum nuntios cum quibus sit actum verissime accipiens factum sic, supra omnem modum turbatus plangebat quod nobiles illos per D ipsum sic pacificatos prodidisset ipse, et non de alia quam de sua manu ipsorum sanguinem requirendum. Et plangendo sic crebro interponebat : « O quam prudens, inquiens, quam discretus, quam providus Cantuariensis ille archiepiscopus, qui ita omnibus nobis tam constanter obstitit, tam viriliter omnibus reluctabatur, ne faceret pacem quam volebant, cum suadebant omnes. Ipsius certe in colloquio debuissemus quæsisse et acquievisse consilio, qui regis illius mores novit et animum. » Id ipsum etiam jam universa terra prædicabat, magnum videlicet fore virum providum et discretum Cantuariensem, nec ejus in terra similem, qui contra tot et tantos tam fortiter, tam constanter, tam viriliter

steterat, qui solus evasit, ubi omnes alii præter ipsum capti sunt et circumventi. Super omnes vero extollebant nos illi qui in colloquio pacis nostræ exstiterant mediatores, quorum nonnulli ex mandato apostolico, ut supra diximus, mediabant. Inter quos unus ore proprio confessus est discipulo qui scripsit hæc: « Certe, inquiens, mallem mihi pedem fuisse abscisum; quam dominus vester archiepiscopus pacem illam fecisset in colloquio, quam ego et alii quotquot consuluimus. « Frater quidam de Magno Monte dignus Bernardus de Corileto hic erat, vir religiosus et in negotiis exercitatus et prudens, qui et alius quidam cum eo de ordine Carthusiensi prior videlicet tunc de Monte Dei, vir nominatæ religionis et scientiæ, ex mandato apostolico tunc inter regem et archipræsulem mediabant. Rex vero postquam hæc si acciderant paucis diebus exactis, Senonis veniens, et nunc sicut prius consueverat archipræsulem visitans, mox inter sermonis sui initia archipræsulem et suos miro modo commendavit et extulit. Et erant deinceps rex et archipræsul familiares et amici multo plus quam prius. Tota etiam terra nos magis ac magis commendando ampliorem honorem et reverentiam exhibebat in dies. Et ita citissime archipræsulis verbum impletum, quo ut supra ostendimus, in recessu a colloquio prædixerat, hoc nobis in brevi convertendum in gloriam, quod tunc convertebatur in ignominiam. Et discipulus, qui scripsit hæc, cum archipræsule sæpe recordabatur de veritate illius sententiæ, qua Dominus ipse dicit justus et verax: *Qui honorificaverit*, inquit, *me, honorificabo illum* (*Joan.* v). Hoc est verbum illud quod discipulus magistro, supra in arcto illo, videlicet in recessu a colloquio rememoraverat: et fuit revera pro honore Dei in colloquio exhibito quædam nunc archipræsuli in terris honoris recompensatio, sed non nisi modica inchoatio hæc honoris, consummatione incomparabiliter majori et feliciori futuræ viri consummationi reservata, sicut historiæ finis declarabit. Sed interim recompensatus hic honor nonnulla consolatio præsentis erat afflictionis.

Videntes itaque archipræsul et sui cor regis sic reversum ad se, Deo, in cujus manu corda sunt regum, summas et devotas gratias agunt, tanquam summo pauperum adjutori in opportunitatibus in tribulatione: archipræsul vero videns nunc tempus opportunum regi supplicavit utpote qui ad apostolicas preces mediator noster jam fuerat, ut viro apostolico scribat pacem nostram non processisse, et qualiter hoc et quomodo steterat. Postulat et hoc ipsum a pontificibus et principibus et præsertim ab his qui colloquio interfuerant, ut rescribant, et ipsi et hi etiam qui ex mandato apostolico pacis nostræ mediatores exstiterant. Annuit rex, scribit, scribunt et hi, scribunt et illi, et multo nunc quam unquam prius affectuosius, acrius et instantius apostolicæ clementiæ aures pulsantes contra partem adversam. Quod si quis plenius nosse desiderat, ad jam sæpe dictum corpus epistolare recurrat,

A

28. QUALITER REX ET ARCHIPRÆSUL TERTIO MITTUNT AD VIRUM APOSTOLICUM ET DE A LATERE SUO MISSIS AD PACEM.

Rege itaque scribente, scribentibus et his, scribentibus et illis, et scriptis omnium et precibus et mandatis a viro apostolico susceptis, adeo affectuose, adeo acriter, adeo instanter ad apostolicæ pietatis et justitiæ pulsantibus januam et miserationis apostolicæ concutientibus viscera: arctabatur item non modicum et etiam multo plus quam prius Romanus pontifex. Arctabatur, inquam, hinc cernens per mediatores pacem non posse procedere, inde vero quod sicut supra satis ostendimus, tempore tam diri et tam duri schismatis, in eum qui sociam habebat multitudinem ecclesiasticæ disci-

B

plinæ exercere severitatem foret periculosum. Quod tamen tam gravis et tam enormis in nos excessus et justitiæ causa quam agebamus deposcebant. Quam profecto causam vir apostolicus et per scripta et per nuntios, auditis his quæ in præfato regum colloquio gesta fuerant, multo plus justificavit. Quem præsertim angebant tanti et tam instantes acriter pro nobis interpellatores: quibus non modico fieret scandalo toti etiam Ecclesiæ pariter, nisi deinceps aut justitia aut amicabili compositione mediante pax archipræsuli et suis et ecclesiæ sibi commissæ redderetur.

Vir itaque apostolicus, arctatus sic et videns hæc, secundo adhuc juxta formam canonum regem citare disposuit, monendo, exhortando, consulendo, et

C

præcipiendo ut Ecclesiam vexare et pertubare desistat, et archipræsuli et suis pacem suam restituat. Et quidem non cardinales a latere suo, quod, ut supra ostendimus, jam fecerat, sed alios quosdam viros eruditos et industrios speciales suos de curia qui essent apostolici mandati exsecutores, destinavit. Quorum unus dictus Gratianus felicis memoriæ Engenii papæ quondam nepos; alter vero unus in curia de causarum patronis, Vivianus dictus. E[t] isti quidem cito et expedite venientes, nec enim sicut cardinales tot secum circumducentes impedimenta, nec tot ornati faleris, nec tot sarcinularum onerati trossulis, mox inter initia nobis necdum visis regem adierunt. Quem sæpe et sæpius, nunc in omni lenitate monendo et exhortando, nunc ar-

D

guendo et increpando durius, juxta injunctum sib[i] apostolicum mandatum super Ecclesiæ pace et no[s]stra convenerunt. Et alter legatorum præserti[m] non palpavit, non detulit, non pepercit, quin p[o]tius apostolicæ legationis auctoritate cum omni im[]perio arguens et increpans regem, et statuens contr[a] faciem suam. Gratianus hic erat, comite legation[is] Viviano vivacior, acrior et instantior, unde et ve[re] Gratianus, sicut nomine Gratianus, et re. Qui omn[i]modis studebat gratiam regis et pacem Ecclesiæ nobis restituere, qui et ex mediatione hac multa[m] adeptus est coram Deo et hominibus gratiam. Q[ui] etiam ne injunctæ sibi legationis apostolicæ ulla[m] imprimeret notam, a rege, non aurum, non arge[ntum]

tum, quibus præsertim solet rex pervertere corda et per quæ maxime etiam cordati everti solent, nec ullam etiam muneris oblatam speciem accipiens, sed tanquam lutum argentum calcavit et aurum et respuit universa. Sic etenim sancte et religiose proposuerat nihil se accepturum, nisi forte pace reformata, ad quod venerat. Itaque nihil concupivit, nil accepit.

Cum tamen juxta ipsius legislatoris testimonium nunera excæcent oculos sapientum, sed iste quidem sancte et religiose et prudenter cogitans propter hoc quod sequitur verebatur accipere ; nam mox subdit : « Et vim auctoritatis inclinant. » Et bene et exquisite hoc ; nam juxta unius doctorum interpretationem, si ab eo acciperet quem arguere venerat, auctoritatem magisterii inclinaret. Non enim potest nstanter argui a quo accipitur, maxime cum ille promptus sit ad dandum, ut sibi humiliet præpositum. Non igitur accepit iste, ne ex hoc apostolicæ legationis torpesceret vigor. In hoc et Magistrum sequens, qui etiam a licitis abstinebat, ne si acciperet, evangelicæ legationis in arguendo, in increpando, in coercendo, evacuaretur vel saltem extenuaretur auctoritas. Unde et ipse : « Omnia, inquit, mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub potestate nullius redigar ; » quasi diceret : Nolo accipere, quia nolo subjectus esse, quia nolo libertatem meam ancillare. Omnis enim qui accipit, et præsertim qui magisterio fungitur, dante sibi quodammodo inferior est, et quadam infimi ratione contractus suo obligatus datori, adeo ut nequaquam habeat postmodum eam in arguendo, in increpando, in animadvertendo, libertatem quam prius habuerat, ipsa tamen non evacuata, sed violata et extenuata ex parte. Unde et bene legislator qui præmiserat : *Munera*, inquiens, *excæcant oculos* (*Deut.* XVI), mox vigilanter adjecit, *et* vim auctoritatis inclinant. Non quidem, ut jam diximus, auctoritatem evacuant, sed instantiam arguendi et coercendi virtutem, quæ vis auctoritatis est, extenuando humiliant et inclinant. Unde et sicut juxta Domini proverbium : « Beatius est semper magis dare quam accipere, » ita semper et gloriosius et magnificentius hoc. Dominorum quippe dominari quærentium est dare, subjectorum vero minorum accipere, qui eo ipso minorem se ostendit quia accipit. Unde et magister supra licere quidem sibi accipere dixit, sed tamen inquit : *Ego non accipio, quia sub nullius potestatem me redigere volo* (*I Cor*, VI). O quam magnus, o quam liber, quam vere Christi legatus hic, nihil accipiens respuens universa, ne suam extenuando auctoritatem vel libertatem violando ulla sit obligationis ratione inferior eo quem corripere habet. Unde et sicut ipse scribit : *Sed non usi sumus*, inquit, *hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi* (*I Cor.* IX). Et adjicit bonum esse, inquiens, mihi magis mori quam gloriam meam quis evacuet.

A Pariter et hic legatus noster Gratianus, ad cujus laudem et ut imitentur cæteri, jam aliquantisper sumus digressi, omnia respuit ne quod daret offendiculum apostolicæ legationi, satius judicans universa respuere sic, et ad sedem apostolicam reverti vacuus quam ut gloriam suam quis evacuaret. Cujus eo amplius aucta est gloria, quod cum Romanus esset, post aurum tamen non abiit. Utinam quotquot apostolicæ sedis legati istius similes, qui libere arguendo, increpando et coercendo, sub nullius potestatem se redigerent, nihil quærerent, nihil acciperent, oblata etiam respuerent, nisi tunc demum, arguto videlicet et increpato se sic forte convertente ad melius, ut ita ad Abel et ad munera ejus respicerent, a Cain vero et a muneribus ejus se averterent, B et abominarent a sceleratis oblata, cum et juxta Scripturarum testimonia talium dona Altissimus non probet, sed abominetur et reprobet. Quæ pariter nec probare deberent, sed potius tanquam abominanda reprobare et respuere qui in terris et vices gerunt et tenent Altissimi locum, quod iste quidem legatus noster laudabiliter fecit. Tandem vero et ipse et dictus legationis suæ comes, rege prius sæpe et sæpius super pace convento, venientes ad nos retulerunt se in omni negotii articulo ad quod venerant regem reperisse tergiversatorem, versipellem, tortuosum et ejus quod agebatur dissimulatorem, quærentem semper per quasdam ambages, per involucra, et per quasdam exquisitas et excogitatas astutias pacis negotium, ad quod venerant, protelare C et summopere molientem partem suam justificare, nostram vero deprimere. Et Gratianus præsertim hic erat, qui a nobis hoc non celavit, non siluit, non abscondit. Unde et jam certissime advertens quod salvo honore Dei et Ecclesiæ nec per ipsos nec forte per alios mediatores pax processum habere posset, deinceps nec per verborum ambages detentus, nec promissionibus illectus, nec auro argentove suffarcinatus, cito et expedite ad Romanam Ecclesiam ad virum apostolicum est reversus ; reversus, inquam, tanquam legatus fidelis, nuntians viro apostolico plene et perfecte quæ viderat, quæ audierat. Ille, inquam, cito et expedite sic est reversus, illo altero qui itineris et legationis exstiterat comes, nobiscum Cisalpino remanente adhuc. Insulæ D quippe nostræ occidentalis, ut dicebatur, veneno infectus et argento nostro suffarcinatus, minime tam cito poterat, tam expedite reverti.

Videns itaque rex Gratianum reversum sic tanquam legatum fidelem, non quæ sua quærentem et offensam et gratiam in negotio ad quod venerat æqua libra ponderantem, cogitare cœpit deliberans quid agendum. Cogitabat quippe, nec sine causa, quod ille sic reversus ad dominum papam causam suam deprimeret, nostram vero justificaret. Cogitabat etiam quod Francorum rex, pro præfata nobilium qui ipsi adhæserant pace violata motus, dominum papam propensius moveret contra ipsum propter nos. Et ita studebat qua posset arte regem turbatum

sedare et censuram ecclesiasticam quam jam me- A tuebat aut penitus tollere aut suspendere. Hæc igitur eo cogitante, in primis statuit regem aliqua humilitatis specie placare, sciens hominem mitem et mansuetum facile vinci humilitate quæ etiam et superbis gratissima. Dixit itaque se ad gloriosum illum martyrem Dionysium Francorum apostolum peregre profecturum, sic se visurum, quem nunquam prius viderat, novum dominum suum regis filium, qui puer tunc erat. Hic est desideratus ille puer, regi post multos regni sui annos, imo toti populo, præter omnium spem a Deo datus, unicus patris sui, Philippus nomine, qui patri postea successit in regnum et nunc regnat, et per annos et tempora feliciter regnet et potenter.

29. QUALITER ANGLORUM REX VENIT IN FRANCIAM, ET B QUALITER TUNC PAX ARCHIPRÆSULIS STETIT PRO PACIS OSCULO NEGATO.

Igitur post dies paucos jam dictus rex, sicut ex inopinato et improviso, intrat Franciam nec ullum inter se et regem colloquium quærit; sciebat enim quod rex turbatus vitaret hoc, sed sub specie peregrini ad gloriosum illum martyrem Francorum apostolum Dionysium venit, sperans certissime quod rex audito adventu suo in terram mox occurreret: pariter et sperans quod et Cantuariensis ad ipsum properaret, et pro pace sicut semper consueverat supplicaret. Jam enim pœnituit eum, ut pro certo accepimus, quod in supra descripto colloquio proximo nos de pace etiam in forma et adjectione præfata, scilicet salvo honore Dei, non audierat. C

Et profecto sicut præcogitaverat rex, sic et accidit. Occurrit ipse dominus rex Francorum, occurrimus et nos ad locum illum declinantes, qui inter Parisios et Sanctum Dionysium vulgo Sanctum Martyrium appellatur, ad capellam videlicet quamdam sitam in pede montis qui Mons Martis, vel ut alii Mons Martyris dicitur. Capella vero illa ob id, ut dicunt, Sanctum Martyrium dicta, quod ibi dictus gloriosus martyr Dionysius decalvatus fuisset. Ad illum itaque Sancti Martyrii locum ad capellam illam declinavimus. Reges vero, qui jam convenerant et desiderato puero, quem prænominavimus, foris Parisios eis obviam delato occurrerant, et nos præveneraut, extra capellam in quadam campi planitie nostrum præstolabantur adventum. Et cum unus D archipræsulem maturaret ad iter, dicens reges solum ipsum nunc exspectare respondit non decere sacerdotem nisi cum gravitate incedere. Eramus itaque nos in Sancto Martyrio, reges vero extra. Alter vero legatorum apostolicæ sedis, quem Gratiano reverso supra diximus remansisse, cernens nunc opportunitatem sic agendi, cœpit per dominum regem Francorum et per alios magnos et per se pro pace nostra, ob quam venerat, dominum regem Anglorum instanter sollicitare. Et eo quidem instantius quod comite una pacis mediatore jam reverso solus ipse remansisset; desiderans, si forte Dominus daret sic, quod per ipsum mediatorem ad majorem gloriam suam pax fieret. Hæc si quidem in humanis eo major quo singularior gloria est, si in magnis et strenuis actibus nec parem habeat nec consortem. Mansuetus itaque rex Francorum, principes pariter et pontifices, qui interfuerant, operose et attente partes suas interponunt diligentissime exsequentes quæ pacis erant. Unde et tanquam mediatores solliciti, sæpe et sæpius inter regem et archipræsulem eunt et redeunt, veniunt et revertuntur. Sed quid? Post multa hinc inde objecta, post suasiones multas, nunc in aure, nunc in audientia, die jam ex majore parte decursa, omnia complanata et ad pacis tranquillum perducta sunt. Et consuetudines omnes malæ non expressim tamen, sed ita in genere, videlicet quibus ancillaretur Ecclesia, a rege sunt abdicatæ: et libertates ad Ecclesiæ honorem et cleri decus a rege benigne ut videbatur susceptæ, nulla tamen de his vel illis hinc vel inde facta expressione. Hic enim, ut asserebant universi, nocerent expressa, utpote quæ pacis jam ordinatæ totum perturbarent tranquillum. De verbo vero illo adjecto, scilicet salvo honore Dei, de quo in colloquio proximo tota fuerat contentio, tanta lucta, nulla recordatio, nulla mentio hic. Nec necesse. Quia nec hoc agebatur nunc ut archipræsul super ecclesiastica causa aliove regis voluntati et arbitrio se supponeret. Hoc solum dicebat rex, ut archipræsu[l] terram ingrederetur, a qua tamen, ut dicebat, ip[se] sum non expulerat, et ageret ibi quæ archipræsuli essent, et in consuetudinibus et in aliis regi tan[tum] quam regi suo deferret, nec usurparet prætext[u] Ecclesiæ quæ non essent sed regis, ipso e divers[o] non usurpaturo quæ non essent regis sed Ecclesiæ.

De restitutione ablatorum postulata a rege.

Archipræsul vero inter cætera domino regi Fran[-] corum et aliis pacis mediatoribus de ablatis sib[i] et suis urgentissime loquebatur, regulam illam d[i-] vini juris lingua communi, sicut ad litteratos et a[d] laicos, frequenter iterans, non remitti peccatu[m] nisi restituatur ablatum: adjiciens nequaquam re[-] giam decere magnificentiam res pauperum seu ec[-] clesiæ bona confiscata in usum suum converter[e] aut licere ex alieno erogare: quod perinde ess[e] tanquam si ut unum altare cooperiret, discoope[ri-] ret alterum, aut si quis crucifigeret Paulum, ut r[e-] dimeret Petrum. Ablatæ autem sibi et suis pecuni[æ] taxabat summam triginta videlicet marcarum milli[a]. Sed ad hæc respondit dominus rex Francorum alii pariter, nec honestum id nec decere pro pecuni[a] et regno et sacerdotio tam necessariam, tam des[i-] deratam, pacem impediri; præsertim inter tantu[m] regem et archipræsulem tantum. Et inter suade[n-] dum veteris inter eos amicitiæ recordabantur mutuo hinc inde obsequia et beneficia collata n[on] tacebant. Adjiciebant præterea nequaquam hoc ju[s-] et pii pastoris fore, ut omnibus jam complanatis libertate Ecclesiæ restituta, ipse Ecclesiam sua[m] sponsam suam oblatam sibi respueret, et prop[ter] causam pecuniariam exsularet. Debere potius spo[-]

sam suam, etsi nudatam, etsi dilaceratam et convulsam, ambobus dilectionis brachiis gratulanter excipere, et tanquam spiritualis sponsus reddere poscenti quæ spiritualis sponsæ sunt. Verumtamen dicebant mediatores conventuros se regem libenter et diligenter super hoc. Et ita conventus rex respondit, quod nota per procuratores suos et comprehensa ablatorum summa, prudentum et religiosorum consilio se ad restitutionem paratum. Et quia archipræsul tam de immobilibus quam mobilibus moverat quæstionem, adjecit rex quod et de immobilibus pariter tempore suo loqueretur.

De cautione pacis postulata a rege.

Igitur cum post multas et varias procellarum voragines, sicut videbatur et sperabatur ab omnibus ducti essemus jam quasi ad ipsum portus ingressum, archipræsul a rege per mediatores oblatæ pacis cautionem expostulat, adjiciens se tamen in hac parte nil sinistri suspicari de rege, sed potius homines regis propter tantas quæ præcesserunt inimicitias non sine causa fore in suspecto; præsertim nisi aliqua cautionis species interveniret, quæ esset reformatæ pacis et restitutæ gratiæ signum evidens. Et ipse quidem tanquam, vir providus, ante per dies plurimos virum apostolicum consultaverat quid sibi agendum, quæ pacis cautio exigenda, si forte post tantas inimicitias regi reconciliatus terram ingredi permitteretur et ad suam reverti ecclesiam. Ad consultationem vero hanc respondit apostolicus vir, minime decere sacerdotem in tali causa et articulo fidejussoriam seu pignoratitiam aut juratoriam etiam cautionem a rege suo exigere, unde nec apostolici viri consilium fuit ut archipræsul exigeret has. Et quidem adjiciebat vir apostolicus quod causa quam agebat causa esset justitiæ, causa Ecclesiæ, pariter et pax si fieret Ecclesiæ et justitiæ pax; pro qua etiam pace facta, sicut et infecta mori pretiosum et securum, et eo quidem securius quo pretiosius. Unde et dictarum cautionum nullam a sacerdote in eo casu et ea causa exigendam respondit Romanus pontifex. A mundanis et sæcularibus potius quam a personis ecclesiasticis, a sacerdotibus videlicet et pontificibus, exigenda hæc, quibus si justitiæ habent causam, vivere detrimentum est et mori lucrum. Scripsit itaque apostolicus vir archipræsuli ut si forte præstante Domino inter ipsum et regem daretur pax, solo esset contentus pacis osculo, nulla alia sæculari cautione exacta. Hanc, solam, videlicet pacis osculum, sacerdoti justitiæ causam agenti debere sufficere, nec decere aliam, nisi forte spontanee oblatam, non exactam susceperit.

Archipræsul igitur habens consultationem hanc, omnibus tandem cum multa difficultate et opera quæ ad pacem consummatis, in fine omnium ad apostolici viri consilium, in signum pacis et gratiæ inter ipsum et regem, solum cautionem illam expostulat, pacis videlicet osculum, dicens se post tantas inimicitias inter tam longas regis manus eo solo contentum, quod, cum per dominum regem Francorum

A et mediatores alios regi intimatum fuisset, se quidem hoc libenter facturum respondit, nisi quia iratus juraverat publice se archipræsuli pacis nunquam daturum osculum, etiam etsi ei forte processu temporis pacem et gratiam suam restitueret, nec ob aliud se nunc negare osculum, nisi quia juraverat sic, non propterea in corde iram ullam retentam vel rancorem.

Dominus autem rex Francorum et plerique mediatorum, audientes sic, mox suspicati sunt sub mellitis sermonibus qui præcesserant occulte venenum sibi propinatum fuisse. Et ipsi ad archipræsulem confestim revertentes, qui in præfata capella quæ Martyrium dicitur reversuros exspectabat, regis renuntiaverunt responsum. Qui tanquam viri timorati,
B et quibus jam omnia suspecta fuerant, nihil hinc nihil inde suadebant aut dissuadebant, solum et nudum regis responsum referentes.

Archipræsul vero inter cautos cautissimus, tanquam vir multa expertus, in primo auditu sicut et alii in suspicionem mox incidit. Et ex his quæ caute et operte interloquebatur videri jam poterat futurorum sibi præsagus. Nec responsum suum ad consilium distulit, sed mox absolute et præcise respondet se in præsentiarum cum rege pacem non facturum, nisi ad apostolici viri consilium, dato videlicet in signum pacis osculo. Et responsum sic absolutum cum nocte quæ jam imminebat colloquium diremit, cum regibus tamen grandis via restaret adhuc Mantuæ, quæ a Parisiis duodecim leugis terræ distat, ipso-
C rum præparatis hospitis.

Rex vero Anglorum tota die fatigatus, cui et adhuc noctis restabat iter, inter itinerandum archipræsuli sæpe et sæpius maledicebat, recolens in via et repetens labores, vexationes et tædia quæ jam per eum sustinuerat. Nos in regum recessu in templariorum domum quæ Templum nominatur prope extra Parisios, in qua hospitati eramus, confestim nos recepimus. In ipso vero recessu a capella, quæ Martyrium dicitur, in qua, ut jam diximus, ea die de pace nostra fuerat actitatum, accessit unus nostrum ad archipræsulem: « Hodie, inquiens, de pace Ecclesiæ tractatum est in Martyrio et credo quod solum per tuum martyrium Ecclesia consecutura sit pacem. » Archipræsul vero ad loquentem
D sibi se retorquens breviter sic: « Utinam, inquit, vel meo sanguine liberaretur! »

Sermo eruditorum archipræsulis ad ipsum.

Eadem vero nocte post decantatum nocturnum, plerique de eruditis nostris convenerunt archipræsulem alloquentes sic: « Domine, inquiunt, intende nobis, necesse enim est et Ecclesiæ Dei et nobis qui secuti sumus te, ut videamus quomodo caute ambulemus, intelligentes quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens, et non feramur impetu sed regamur judicio. Ecce quia jam sextus annus peregrinationis nostræ est. Et toto tempore hoc multa et regum et principum secuti sumus colloquia, semper qualibet opportunitate data pacem inquirentes et persequentes eam,

Verum necdum consequentes eam nec proficientes adhuc, causam tamen nostram favente Domino nec in modico læsimus: sed spiritu consilii nobis desuper dato sanam et integram inter tot tentationes et laqueos, inter tot impulsores et subversores reportamus. Et quæ nos consolantur in omnibus, paupertatis et peregrinationis nostræ veritas et justitia comites individui sunt. Quin potius causa nostra, tanquam lux oriens, in dies mundo magis ac magis claruit, ipsorum etiam testimonio inimicorum illustrata quæ etiam in proximo illo quod hesternum præcessit colloquio, ut tu consolando tuos sapientes edocuisti, a Deo clarificata est, ut non solum nunc justificetur a filiis suis, sed et ab alienis, qui veritatis nostræ lucem exstinguere nisi sunt. Et ita hucusque magnifice fecit Deus nobiscum. Comprehendit enim mundum in astutia sua, ipso vellet nollet mundus per mundum ipsum Ecclesiæ negotium, quod agimus, clarificante in dies: et nos itidem mundo clarificavit, mundo sicut claros ita et charos reddens et acceptos interim, ut nec nobis qui secuti te nec ejectis propter nos quidquam defuerit. Verum in hesterno colloquio videamus diligenter et discutiamus quid dictum, quid actum sit, in quo articulo pax Ecclesiæ et nostra steterit, et qua ex causa non processerit. Ut nobis videtur inter nos et regem heri omnia fuerunt complacata, plana omnia præter quam quod in solo pacis osculo non dato pax stetit. Hoc solum non datum pacis, quæ usque ad hoc bene processerat, fuit obstaculum. Unde profecto liquet hoc solum, quod Ecclesiæ et nostram impedivit pacem, illud duntaxat nunc esse nostri exsilii causam: et ita qui prius propter solam et manifestissimam justitiæ causam sustinuimus, nunc propter solum negatum osculum exsulamus. Nec enim consuetudines ullæ, bonæ seu malæ, aut Dei honor tacitus, vel expressus, exsilii nostri nunc causa est; siquidem ab heri omnia complanata et aspera redacta in vias planas. Unde et hoc solum nostrum nunc facit exsilium quod solum pacis nostræ fuit impedimentum, pacis videlicet negatum osculum. Igitur si propter solum negatum osculum debeat sacerdos suam vel deserere vel recusare Ecclesiam, alias reversurus ad ipsam et persecutiones et exsilia pati duntaxat propter hoc, vos videritis, nobis minime videtur. Præsertim cum ex sacerdotis absentia commune sit multorum discrimen. Et ecce, Domine, quia sexto, jam ut diximus, anno peregrinationis nostræ multæ interim in archipræsulatu vestro sub cura vestra episcopales sedes vacantes, multæ diœceses suis pastoribus destitutæ. Inter ea perit cura, perit opera, perit opus et officium pastorale. Non sunt qui doceant, non sunt qui sacramenta in Dei Ecclesia celebrent: verum et juxta planctum prophetæ grex ille Dominicus non inveniens pascua, abit absque fortitudine ante faciem subsequentis, tanquam grex absque pastore, oves errantes in invio et non in via. Nec est enim qui exterreat, qui lupos arceat ab ovili, sed fiunt in defectum pastorum aulici sa-

A tellites ecclesiarum custodes. Et bona ecclesiarum instituta ad subsidia pauperum convertuntur in fiscum. Et ita ex absentia tua grande in Ecclesia et in spiritualibus et in temporalibus detrimentum, enorme damnum et commune periculum. Hucusque certe absentiæ et exsilii vestri causa justissima; verum nunc in communi periculo hoc et generali discrimine nec absentia nec exsilii causa justa poterit esse vel excusabilis, sed revera damnabilis et damnabili damnabilior. Præsertim cum personalis, ob quam fugisti, cessit nunc persecutio, rege ecclesiam tuam tibi in omni securitate et pace publice offerente, quidquid disponat ipse, quidquid moliatur interius. Cessat igitur nunc ea quæ præcessit persecutio personalis, cui ut jam ostendimus ge-

B neralis successit, in qua bonus pastor tenetur non se absentare, non fugere, sed ex adverso ascendere, se opponere et inter gladios etiam nudos et exertos se ingerere, et ita si necesse fuerit, animam suam pro ovibus suis ponere. Unde et viro sacerdotali sicut tempus fugiendi ita et tempus est occurrendi, fugæ tempus cum persona quæritur, juxat quod Dominus: *Si vos*, inquit, *persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x); occurrend vero tempus cum Ecclesia periclitatur; de quo e Scriptura *Occurrit*, inquit, *tanquam leo, contemnit pavorem nec cedit gladiis* (*Job.* XXXIX). Sic et magister prius per sportam fugit, sed postea occurrit Cui cum propheta suum prædixisset excessum *Virum*, inquiens, *cujus hæc zona est sic alligar*

C *oportet* (*Act.* XXI), respondit mox: *Ergo*, inquit, *non solum alligari, sed et mori vado in Jerusalem, nec facio animam meam pretiosiorem quam me* (*ibid*) Et quidem prius Magister magistrorum, Pastor pastorum, forma et exemplar; primo dum adhuc infans et tenellus in Ægyptum fugit, sed adultus postea fortis et robustus occurrit. Unde qui prius sui quasi tenellis et in lacte matris adhuc dixerat: *S vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in alian* (*Matth.* x), postea sicut opere sic et sermone suo jam robustos docuit ut occurrerent: *Ecce*, inquiens *mitto vos sicut oves in medio luporum: Ite* (*ibid*) Illi igitur euntes in orbem et vehementi afflati Spiritu in hostes irruentes non quæsierunt osculum sed gladium. Tu ergo, Domine, si illorum quæri

D imitari zelum, quorum sortitus es ministerium, illorum virtutem quorum creditam habes dispensatic nem vade et fac similiter. Non ad terreni pulveri uno flatu facile dispergendi anheles osculum, ne metuas gladium. Ecclesiam tuam potius, non su osculo sed sub gladio, si necesse sic etsi nudatam et spoliatam, etsi convulsam et evulsam, non re cuses, sed maritali zelo cum debita affectione e devotione suscipias. Non te, quæ forte jam tibi ten duntur dolosorum retiacula, retrahant, non mina revocent, non gladii metus emolliat, non deniqu etiam ultimum mortis te retardet periculum. Re gredere igitur et nos tecum, et per eam confiden tiam audeas præsens qua ausus es absens, ut cur

prophetico sarculo fortiter et viriliter evellas, destruas, disperdas, et dissipes, quæ in horto Domini per absentiam tuam male jam excreverunt. Verum quod supra tetigimus de causa metus et periculis si forte terram ingrederemur, nequaquam ideo dicimus quod de tanto rege nostro et tam illustri suspicemur sinistri quidpiam. Nec enim tanta et mundo tam clara et tam gloriosa potestas tanti doli posset esse vel insidiarum ulla latebra. A tanta altitudine longe semotum tam dolosæ simulationis latibulum unde et credibile minime quod moliatur quidquam præsertim adversum te sacerdotem priorem suum in Deo, et propter Deum, seu etiam adversum nos, inerme hominum genus, præsertim ab ipsomet publice pace et securitate donata. Non est igitur, Domine, quod reditum tuum ad ecclesiam tuam si sic ieri poterit, amodo protrahas aut procrastines, sed in forma pacis oblata mature confidenter et ıbsque omni conscientiæ scrupulo revertamur, illum ıumma gratiarum actione et laude prosequentes in cujus fortitudine revertemur. Juravit siquidem rex ›ublice coram multis pontificibus et principibus egni regnante ipso nunquam te reversurum. Nunc ʼero ipse est qui pacem offert, securitatem sponlet, malas consuetudines damnat, bonas probat.)uod revera a Domino factum est cujus infirmum tiam regibus fortius est. Qui ut solus fortis appareret mundo, infirma mundi elegit ut confundat ortia. Et ne ad jam præterita recurramus exempla ides, domine, in præsentiarum pusillum hunc gre;em tuum nos videlicet qui secuti sumus te, quos ıt sequeremur te Dei vocatione vocasti, non quiıem nobiles, non potentes, sed ignobilia mundi et ontemptibilia. Et tamen ut solus ipse victor præicetur, te duce, te rectore, vincit Deus per hos, a ut victoris summa devotione cantare debeamus *ılleluia* reversionis. Mox etenim quasi reversi ceneri possumus, cum nobis a rege tanto a potestate ınta quæ prius in contrarium juraverat pax pulice datur et indulgetur reversio; etiam si per nos taret quo minus reverteremur, non ob id minus in ausa nostra jam vicimus, imo Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. »

Archipræsulis responsum ad suos.

Archipræsul vero suorum suasibiles sermones os diligenter audiens et attente mox respondit. t ad suos sermonem dirigens : « Vos, inquit, tanuam viri eruditi locuti estis quibus est et cum onsilii spiritu sapientia et scientia sanctorum colıta. Et responderem ad singula, nisi quod approbo niversa. Unum vero sciatis quod pacem a rege sic blatam non renuissem, nisi quia viri apostolici seıtus sum consilium. Alioquin pax pro osculo negato on stetisset. Verum quia nunc adeo processum est ı negotio, quod simpliciter absque conditione et bligatione omni pax nobis offertur, quæ tamen ad omini papæ consilium conformari non potest, qui l pacis firmitatem postulandum pacis consuluit sculum, in præsentiarum mihi visum est, nescio si

A et vobis, ut ad ipsum papam, de cujus singulari primatu, tanquam de capite membra tota, dependet Ecclesia, totum quod gestum est referatur, videlicet quatenus processum et in quibus finibus nostrum et Ecclesiæ negotium stet, præsertim cum jam in arcto simus, in tuto minime, pace sic concessa, sed signo pacis negato, pro quo tamen negato ut vos me prudenti eloquio vestro animastis, nec ecclesiam pacifice mihi oblatam respuam nec periclitantium, ut dicitis, salutem animarum contemnam. Quin potius priusquam clara Deo et mundo justitiæ causa quam agimus deformetur, auctore Domino paratus ero ut vos suadetis, et in carcerem et in mortem ire. Alioquin inanis labor noster et ridiculus, si deinceps daremus maculam in gloriam nostram. Gloria autem nostra
B hæc est, veritas causæ nostræ ; veritas inquam, et justitia, ut supra jam dixisse vos memini paupertatis nostræ huc usque comites fuerunt individui. Igitur si vobis bonum videtur sic, necessarium in primis et videtur consultius ad virum apostolicum mittere, ne quidquid acciderit ipsius videamur contempsisse consilium, et ut ipsius auctoritate et conscientia, si forte Dominus sic providerit et permiserit, revertamur et regrediamur in terram, licentia prius apostolica et benedictione et absolutione accepta, passuri pro Ecclesia, quidquid Dominus ibi nos passuros decreverit. Et dominus quidem sic introitum nostrum melius custodiet et securius. »

Et quidem archipræsul ad nos sic. Nos autem. qui prælocuti, audientes virum pro causa justitiæ,
C pro Ecclesia, de excessu suo tam fortiter, tam constanter loquentem, et ut videbatur absque omni suasione pro justitia, si oporteret, antequam cederet, etiam ad mortem paratissimum, non modicum moti sumus et compassi. Et plerique nostrum in tacitas, quas volebant sed non valebant reprimere, lacrymas eruperunt : et ipsius sermonem et de mittendo ad dominum papam consilium commendavimus.

30. QUALITER ARCHIPRÆSUL QUINTO AD ROMANUM PONTIFICEM MISERIT.

Itaque a Parisiis cum omni festinatione Senonis venimus ; et post dies paucos nuntii parati. Qui cum essent jam in articulo profectionis, crebro jam in terra disseminabatur, puero illi regis Anglorum primogenito Henrico, qui ut supra in historia hac
D interseruimus, domini nostri archiepiscopi alumnus fuerat diadema impositum, ungente eum in ecclesia Beatri Petri Londoniæ apud Westmunstier Rogero tunc Eboracensi archiepiscopo, suffraganeis Ecclesiæ Cantuariensis assistentibus et ministerium præbentibus. Rex siquidem cito post supra dictum colloquium, in quo nobis negatum pacis osculum fuit, transfretavit, et odio archipræsulis in læsionem dignitatis Cantuariensis Ecclesiæ ab alieno metropolitano et in aliena provincia filium suum, quem diximus ungi fecit in regem. Et hoc quidem in læsionem personæ Cantuariensis Ecelesiæ, ad cujus dignitatem et jus regum Anglorum coronatio ab an-

tiquo pertinere dignoscitur. Quod audiens archipræsul in primis vix credidit. Ipse siquidem tanquam vir providus, et cui de adversariis suis suspecta omnia, a Romano pontifice litteras impetraverat, ad Eboracensem archiepiscopum et alios Anglorum episcoporum jam ante coronationem directas, quibus auctoritate apostolica in virtute obedientiæ erant inhibiti, ne in præjudicium archiepiscopi Cantuariensis, qui propter justitiam exsulabat, regis filio diadema imponerent. Et directas has sibi litteras quidam episcoporum ante coronationem receperunt; alii vero de mandato præmuniti recipere noluerunt. Unde et contra inhibitionem apostolicam quotquot consecrationi pontificale ministerium præbuerunt.

Sed modicum attendere libeat quam profana unctio, quam odiosa, quam inimica consecratio hæc, si tamen consecratio magis quam exsecratio dici debeat: apostolica benedictione destituta, imo in transgressione contra virum apostolicum facta. Quæ etiam ex mero odio, ira et indignatione processit, odio Patris spiritualis, in luctu matris spiritualis, a patre carnali excogitata. Omnia hic profana, omnia vere hic a fano aliena, aliena et alienata, aliena provincia, alienus consecrator, alienus et rex puer consecratus, lusui adhuc magis quam populorum regimini aptior: et qui consecrari fecit rex pater alienus et alienatus a patre et matre sua spirituali. Probant hæc nostra verba lugubres et omnibus post futuris sæculis detestandi, qui ex hac consecratione provenerunt eventus. Et in primis quidem provenit ex hac ejus qui consecravit et eorum qui interfuerunt episcoporum, apostolici viri auctoritate generalis suspensio, eo quod ut jam diximus, ejus super hoc præcesserit inhibitio, sed contempta; quibusdam etiam episcoporum pro hac et aliis quibusdam causis anathematis vinculo innodatis. Et deinde illius pretiosæ mortis domini nostri archipræsulis unctio hæc non dico plenam causam sed multam tamen et citiorem præbuit occasionem. Et hæc quidem planius et plenius sequens historiæ ordo declarabit. Tertio vero temporis processu et unctione hac contigit inter regem patrem et regem filium dura et nefanda rebellio: et demum egregii illius pueri jam adolescentis ex immatura illa unctione misera rebellione adversus patrem cita et nimis matura mors. Ecce quam abominanda, quam exsecranda ex consecratione hac mala provenerunt; sacerdotum videlicet suspensio, anathematizatio, occisio, semel et iterum inter patrem et filium rebellio, et in fine egregii illius pueri consecrati sic mors in adolescentia, præsentibus et omnibus post futuris sæculis detestanda. Unde et plangendum clamandum et exclamandum: O mors tua, Henrice, o mors, quam dira, quam dura, et quam amara memoria tua, quæ talem et tantam mundi gloriam, dum adhuc ordiretur, succidisti! quam inconciderata, quam inhumana, quæ tam certam, ut putabatur, mundi spem, dum adhuc fructus in flore esset tam præclaro, uno et brevi flatus tui vehementia exsufflasti! Sit mors tua ille qui mors mortis est, ut vel per te transeat ad vitam, qui non sibi, sed mundo sperabatur victurus. Et quidem egregium puerum hunc tanquam lilium totum hortum venustans, et hic et alibi crebro jam historiæ huic quasi quadam campi planitie inserui, quo et ipsa ex insitione hac clarior sit et venustior.

Verum de morte pueri hujus domino nostro archipræsuli spiritualiter, nec dubium est, præostensa hic tacere non possum. Cum essemus in Gallia Senonis civitate peregrinationis nostræ apud monasterium beatæ virginis Columbæ, noctium una post decantatum nocturnum dominus noster archipræsul, ut pausaret, in lectum suum se recepit. Verum, sicut ab ipsius ore discipulus, qui scripsit hæc, accepit, curis et cogitationibus se tunc ut solent ingerentibus, somno indulgere non potuit. Inter alia vero de domino rege Anglorum, de ejus magnitudine, de ejus prosperitate et in filiis et in divitiis et latis potentatibus, cogitatio subit. Super his diutius cogitans, et præsertim de filiis et inter filios potissimum de primogenito ipsius Henrico quem præ cæteris diligebat, et de quodam aliorum; in crastino tamen, sicut referebat, se pro certo scire nesciebat de quo aliorum cogitasset tunc, an de Riccardo post Henricum defunctum regis nunc hærede et comite Pictavorum, an de Gaufrido nunc Britanniæ comite. Cum ergo de rege patre et de filiis cogitaret sic, desiderabat se scire, quid futurum de his et quales circa hos dispositiones Altissimi. Et cum aliquandiu cogitaret sic desiderans inter cogitandum hæc cœpit quasi dormitare, et ecce facta est ad eum vox, per ipsam vocem versu quodam hexametro sibi expresso; versus autem hic erat:

Sors tulit una duos, tulit altera, sed male patrem.

Ecce versus: nec arbitretur quis versum hunc quasi a dormitante aliquo casu compositum, quem etiam vigilanter vigilans non componeret, utpote qui versificandi nec etiam sub scholari disciplina artem attigisset, vel in modico. Hoc autem scio quod versum auditum sic in crastino retulit discipulo qui scripsit hæc; et gemebundus adjecit: « Proh dolor! inquiens Henricus noster, antequam pater vel fratres sui, præmoritur. » Sic quidem archipræsul locutus discipulo qui scripsit hæc. Et vere in morte Henrici, proh dolor! et unde dolor, archipræsul vaticinii sui fine nimis verus propheta probatus est. Pariter et in Gaufridi morte, dum adhuc hanc historiam scriberem, archipræsulis vaticinium adimpletum post Henrici mortem quinto sextove anno ante patrem mortuo, sicut hoc, et illo. Et quod accedit miraculo, vaticinium plus commendans: « Mors tulit una duos, » vere una mors, quia eadem mortis spes ambobus fratribus his morbo dysenterico interemptis, bene quidem et sancte sublatis, ut qui interfuerunt testati sunt. Demum vero, secundum vaticinii ordinem quarto quintove anno a Gaufridi morte, pater ipse mortuus

est. Qualiter vero, me tacente, novit Ecclesia et mundus prædicat. Nec igitur pergo nunc ulterius mortis ejus exagitare modum: solum hic tetigisse sufficiat, ob id solum ut vir Dei propheta verus vaticinii sui fine comprobetur. Et certe plura de actibus hujus Henrici nostri, etsi ætas tenera, strenuis tamen, et de modo exitus ejus a vita inseruissem hic, nisi quia quam describendam suscepimus lex historiæ obviat. Raptum igitur in via puerum et ad patriam reversum nos, qui adhuc in via, salutantes ad cœptum historiæ iter révertamur. Archipræsul itaque sciens tandem pro certo coronationem factam sic, per nuntios nostros quos supra diximus in articulo fuisse Romanæ profectionis, cum in primis audirentur hæc, quatenus pax nostra processerit et in quibus finibus steterit, et de coronatione facta sic Romano pontifici totum et verbo et scripto intimavit, humillime et lacrymabiliter supplicans, ut vel nunc excuteret se excussorum filius, et maxime in falsos fratres adverteret, qui in læsionem patris sui, propter ipsos exsilium et proscriptionem sustinentis et mátris suæ Cantuariensis Ecclesiæ tam manifesti jam erant etiam apostolici mandati transgressores. Et ita profecti sunt nuntii.

Vir autem apostolicus audiens universa et quæ et qualiter fuissent gesta, et in regem et in episcopos vehementer motus est. Et archipræsuli et suis, etiam multo plus quam hucusque fuisset, paterno compassus affectu: unde et in missorum nostrorum reversione quos misertus nostri diu detinere noluit, ut apostolicæ consolationis citius reciperemus remedium, nobis oppressis, tanquam pater pius compatiens, apostolicis scriptis propinavit dulcia, aliis vero amarissima. Scripsit siquidem præ memoriæ Rotherot tunc Rothomagensi archiepiscopo et Bernardo tunc episcopo Nivernensi, mandans ipsis et in virtute obedientiæ præcipiens ut regem Anglorum pro pace nostra districtissime convenirent, adjiciens quod si ipse in obstinatione perdurans adhuc pacem nollet, tota[*] ipsius terra, tam transmarina quam cismarina, sub interdicto poneretur, omni ecclesiæ cessante officio præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium. Eboracensi vero archiepiscopo et aliis quotquot episcopis qui consecrationi inter-

A fuerant litteras direxit suspensionis, scripto dure eos increpans et objurgans et improperans, quod turpiter et enormiter pro vili lentis edulio primogenita sua vendidissent. Quosdam etiam episcoporum, et ob id quod coronationi interfuerant, et ob causas alias, anathematizavit. Et hæ suspensionis et anathematis litteræ per nuntios nostros nobis destinatæ et traditæ, ut illis loco suo et tempore uteremur. Has et alias apostolicas litteras ad nos vel pro nobis missas si quis nosse et legere desiderat, ad illud de quo in hac historia supra tetigisse me memini corpus epistolare recurrat. Quæ quia ibi insertæ, cum loquendi de his per hanc historiam occasio se obtulerit, breviter transimus de his. Scripto vero consolatorio archipræsuli directo, vir

B apostolicus archipræsulis fortitudinem et constantiam congratulando commendabat; præsertim quod absque cautione et absque pacis osculo, si non posset aliter, in terram tanquam ovis in medio luporum paratus esset reverti; illius verbi quod Altissimi verbum ad suos dicit non immemore. *Ecce*, inquit, *mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Math.* x). Unde et sicut benedictionem apostolicam, sic et absolutionem scriptam, quidquid ipsi in terram ingresso accideret, a viro apostolico obtinere tunc meruit. Hæc igitur apostolica scripta, vel pro nobis ad adversarios nostros vel ad nos directa, gratanter suscepimus, misericordiam et judicium cantantes Domini.

Et in primis quidem dictus Rothomagensis archi-

C episcopus et episcopus Nivernensis ad apostolicum mandatum regem pro pace nostra sæpe et sæpius convenerunt, et nisi interveniret pax, censuram ecclesiasticam et sibi et terræ suæ imminere in brevi inferebant, apostolico viro præcipiente sic. Adjicientes nec minis, nec blanditiis, nec aliquibus verborum ambagibus seu tergiversationibus ullius censuram hanc, nisi solum data pace, aut adimi posse aut suspendi, apostolici viri animo obfirmato nunc sic: addentes etiam se nullatenus audere a Romano pontifice statutum terminum præterire, qui mandatam sibi coercitionem exsequerentur nisi pax interveniret.

INCIPIUNT CAPITULA TOMI QUINTI.

TOMUS QUINTUS.

1. Videns itaque rex rem jam in tam arcto certissime promisit pacem. Unde ad quoddam regum quod imminebat colloquium vocati recessimus. Finito vero die tertia regum colloquio, et Christiano illo rege Francorum jam in recessu, in continenti de pace nostra actitatur, et per magnos quidem mediatores, quibus dominus rex Francorum in recessu suo nos commiserat, ut de pace nostra tractarent, nec enim ipsemet potuit seu voluit interesse tunc, Sed quid protraheremus? Ibi pax nostra reformata. osculum vero prius in alio, sicut diximus, colloquio quæsitum sed negatum, nec archipræsul nunc quæsivit nec rex obtulit vel negavit. Nulla quippe ibi facta de osculo mentione, rex publice coram pontificibus et principibus qui aderant, archipræsuli et suis pacem et securitatem concessit. In consuetudinibus et in ablatis tam mobilibus quam immobilibus aliisve, ea forma pacis observata nunc et concessa, quam supra in alio regum colloquio præostendimus, ubi solum pro pacis negato osculo pax nostra tunc stetit. At nunc fortis Christi athleta. pacis cupidus, non mortis timidus, non exacto pacis osculo, ne vel forte sic impediretur pax, sciens et prudens pacem talem qualem suscepit, revera amore pacis victus, timore mortis evacuato, quem amor ille plus quam mors fortis jam foras miserat. Facta est autem pax die beatæ Mariæ Magdalenæ prope ubi duorum regum colloquium pridie fuerat, videlicet in confinio Carnotusiæ et Cenomanniæ, inter duo castella quorum unum nominatur Viefui et alterum Freteval; et ibi in prato quodam amœnissimo, quod tamen sicut multo post accepimus dicitur ab incolis ex antiquo Pratum Proditorum. Et quidem pax nostra sic erat.

Rex autem et archipræsul soli duo seorsum se in equis in quamdam planitiem deflexerunt secreto colloquentes; ubi inter alia archipræsul regi supplicabat ut injuriam, quam sibi et Ecclesiæ suffraganei sui episcopi una cum Eboracensi archiepiscopo in coronatione Henrici filii sui fecerant, secundum censuram ecclesiasticam sine ipsius offensa punire sibi liceret, Et annuit rex. Unde et gratias agens de concessione, confestim in oculis omnium se ab equo demisit et humiliter se ad regis pedes inclinavit. Cum vero archipræsul equum suum reascenderet, rex ascendenti ascensorium aptavit et tenuit, omnibus qui circumvallabant cernentibus sic et mirantibus, sed nescientibus causam donec archipræsul in recessu suis hoc secretius retulisset; cerneres quidem tunc ex multis cordibus cogitationes revelari et præsertim inter aulicos, congratulantibus his, aliis vero mœstis et confusis, qui prius seditionis et discordiæ evomuerant virus. Alii vero nec mœsti nec confusi suspicantes simulationem in his et quod extrema pacis dissensio luctus et dolor occuparet. Et in hoc minime decepti hi sicut sequens historiæ ordo declarabit.

2. DE NUNTIIS EJUS AD REGEM MISSIS.

Facti igitur, ut videbatur, ea die rex et archipræsul amici, amicabiliter tunc invicem recesserunt. Et post dies paucos nuntii nostri in Angliam cum litteris regis missi sunt, quibus rex ministerialibus suis, quos in terra justitias regis vocant, de pace facta mandavit præcipiens ut archipræsulem et suos ad sua in omni pace et securitate restituant. Nos vero in Franciam ad civitatem peregrinationis nostræ Senonis remeantes ad repatriandum nos parabamus. Decrevit autem archipræsul alios adhuc, priusquam intraret ipse, nuntios præmissis majores et plus industrios in Angliam mittere qui testimonio famæ caute explorarent, qui starent pro nobis, qui contra nos, et si qua occulta molirentur adversum nos; et in possessionibus nostris confiscatis quem mandaverit rex faciendæ restitutionis modum. Archipræsul itaque decreverat sic, ob id etiam maxime quod dominus rex pepigisset se quædam prædia de feodo Cantuariensis Ecclesiæ redditurum, feodum videlicet cujusdam nobilis qui dicebatur Willelmus de Ros, et castrum quoddam prope Cantuariam quod Salwude dicitur, quod Henricus quidam vir magnus de orientali Saxonia, seu, ut vulgo dicitur, de Essexe cognominatus, ante duellum quoddam quo evictus fuerat, ab archipræsule tenebat. Et præter hæc turris Rophensis custodiam, quem de ecclesiæ suæ jure fore archipræsul jam sæpe et sæpius constantissime et acerrime fuerat protestatus. Et hæc quidem, quæ hic expressimus, erant quæ archipræsul inter alia acrius et instantius repetebat, quæ et rex ipsi redditurum promiserat, cum in Normanniam revertisset. Misit itaque dominus noster ad hoc sanctæ recordationis magistrum Joannem Saresberiensem postea Carnotensem episcopum pariter et discipulum qui scripsit hæc, injungens etiam nobis ut in Angliam ob dictam causam procederemus, si forte rex promissam restitutionem compleret, alias non, sed mature ad ipsum reverteremur. Et nos ita proficiscentes regem in Normannia reperimus; verum propter febris tertianæ valetudinem, quæ jam regi supervenerat, in curia ultra quam crederemus fecimus moram. Cum autem convaluisset rex, ipsum nomine archipræsulis super dictorum promissa restitutione convenimus. Conventus autem more suo distulit, distulit et redistulit: sed tandem ad instantiam nostram nos absolvit, ad magistrum Joannem qui loquebatur e nomine archipræsulis repetebat, specialiter sermonem dirigens: « O Joannes, » inquiens, « nullatenus vobis castellum tradam, nisi videro prius aliter vos gerere erga me quam hucusque gesseritis. » Et ita absoluti et apprime intelligentes minime nos tunc

proficere posse, infecto negotio, in Angliam, juxta A quod nobis injunctum fuit, non procedentes ad dominum nostrum in Franciam reversi sumus. Audiens autem archipræsul sic plurimum motus est, vanas et semper deceptorias hominis promissiones detestans.

3. DE PRIMO ACCESSU EJUS POST PACEM AD REGEM.

Et cum novimus inter regem et nobilem virum Blesensem comitem Theobaldum colloquium futurum in proximo, accessimus ad colloquium. Sed archipræsul pridie ante colloquium Turonis ad regem processit. Colloquium quippe prope Turonis in confinio Carnotusiæ et Turoniæ statutum fuit. Audiens autem rex archipræsulis adventum, quosdam de aulicis in occursum præmisit et demum ipsemet civitatem exiit et occurrit. At cum convenirent, non B oculi, sed vultus regis, sicut notari poterat, super eum : unde et quod multum notabamus nocte illa in hospitio nostro nec rex respexit nos nec suorum aliquis; quin potius rex summo mane in capella sua missam celebrari fecit pro defunctis, suspicans, ut aiebant, ne si forte archipræsul alii missæ interesset, in missa osculum sibi pacis offerret, quod ibi negare non esset Christiani, sed plane inimici Christi. Et missa celebrata mox rex civitatem exiit ad colloquium properans. Archipræsul pariter sed tardius secutus est, et ante colloquium consecutus est regem. Qui inter viandum mutuo se invicem objurgantes, uterque vicissim alter alteri collata pridem beneficia et exhibita obsequia improperavit. Cum autem venissent ad colloquium, post diem C multam decursam, propter quæ ad colloquium venerant, inter regem et comitem sedatis omnibus, archipræsule etiam inter ipsos sedulo cum aliis et efficaci mediatore, tandem archipræsul regem super dictarum possessionum promissa sed non adimpleta restitutione, acriter quidem et instanter convenit, frequenter tamen ex obliquo assuetam hominis arguens levitatem in verbo et usitatas deceptiones in promissis.

Videres certe tunc sacerdotalem in pontifice zelum. Et vere zelum qui in ipsa pacis novitate et a tanto principe vel invito, in cujus manu pax nostra et non pax, imo et vita nostra et mors, ecclesiæ suæ jura tam viriliter tam constanter repetebat : revera spiritu justitiæ vehemens et in sacerdote zelus domus Dei ardens. Sed quid? Jam dicto comite et aliis D nobilibus interponentibus se, a rege iterum restitutio jam sæpe dictorum certissime repromissa. Volebat tamen rex ut ante restitutionem ad ecclesiam suam reverteretur, sicut aiebat, prius videre desiderans qualem se regno exhiberet. Et huic colloquii finis.

4. DE SECUNDO ACCESSU EJUS AD REGEM.

Post aliquot vero dies archipræsul in castro, quod Calvus mons dicitur, prope Blesis, regem qui illo tunc venerat revisere profectus est : non quidem ut quidquam exigeret vel repeteret, sed solum ut regem videret, etsi posset fieri sic antiquam familiaritatem et amicitiam, quatenus Dominus permitteret, repararet. Et quidem rex ipsum venientem sic honorifice nimis ut decebat, et ut videri poterat gratanter plurimum et affectuose excepit. Qui cum familiariter colloquerentur et jucundius, inter alia dixit rex: « O, » inquiens, « quid est quod voluntatem meam non facis? Et certe omnia traderem in manus tuas. » Et post dies archipræsul hoc regis verbum retulit discipulo qui scripsit hæc ; adjiciens : « Et cum rex, » inquit « mihi dixisset sic, recordatus sum mox verbi illius in Evangelio : *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me* (*Matth.* IV). » Hæc et hujusmodi de viro hoc historiæ huic sæpe et sæpius curavi interserere, ut quemadmodum, sicut paulo ante præmisimus, deprehendi sacerdotis potuit zelus, ita et nunc audiri possit purus in sacerdote fuisse ab omni cupiditatis labe affectus : quem nec inficere poterat, etsi paupertate jam diu tolerata, divitiarum etiam Augustalium virus. Nec arbitretur quis hæc et hujusmodi contra brevitatis regulam superflue et sine fructu inserta, pauca enim vel nulla hucusque interseruisse me memini, quæ non pertineant, etsi non exprimatur, vel ad ædificationem proximi vel ad præconium viri : si ad utrumque, et hoc multo magis melius est.

5. DE PRÆPARATIONE EJUS AD PATRIAM.

In crastino vero licentiati a rege, a castro illo recedentes, ad civitatem peregrinationis nostræ Senonis remeavimus, et mature prout adhuc pauperes et exsules potuimus, nostrum ad repatriandum iter maturabamus. Nec ob id pauperes nomino, quin archipræsul cum suis in magno et præclaro apparatu revertisset, plus, ni fallor, quam cum equitaturis centum repatrians. Quod ideo memoro hic, ut ubique et in omni statu suo probetur magnus. Et revera semper et ubique magnus ; magnus in palatio, magnus in sacerdotio, magnus in aula, magnus in ecclesia, magnus in peregrinatione, magnus in peregrinationis reversione, maximus vero in peregrinationis cosummatione. Sed de hoc exspectemus adhuc per modicum. Siquidem melius hoc viri et historiæ hujus consummatio declarabit.

Igitur domino rege Francorum et principibus terræ, qui deserente nos mundo tam benigne tam magnifice nos susceperant, salutatis, licentiati ab eis repatriantes venimus in Boloneusi territorio ad portum qui dicitur Witsant. archipræsul vero hinc antequam naves ascenderet viri apostolici præmisit litteras quæ, ut supra diximus, erant de generali episcoporum per Angliam suspensione et quorumdam anathemate. Has itaque festinanter præmisit litteras episcopis per Angliam ante suum adventum porrigendas. Quorum aliqui in ipso portu tranrfretare volentes reperti sunt, suspicantes forte quod eis ex inopinato mox accidit : Rogerus videlicet Eboracensis archiepiscopus qui in ipso portu suspensus est, Gilbertus cognomento Foliot Londoniensis, et Jocelinus Saresberiensis episcopi, qui pariter in

portu ipso anathematis sui litteras receperunt Et A mox quidem suscepto mandato paritum est, illo auctoritate apostolica gerente se suspensum, aliis vero se anathematizatos. Et cum nos his præmissis auram adhuc sereniorem exspectaremus, nuntiatum est factum sic. Quod cum audiret archipræsul, gaudio magno gavisus est, lætante justo co quod vindictam desideratam jam vidisst.

Una vero dierum exiit archipræsul, suis et multis aliis comitatus, ut naves suas in quibus transfretaturi eramus videret. Et ecce vidimus jam prope terram navem quamdam ab Anglia ad portum nostrum velificantem. Quæ cum cito applicuisset, a nautis rumores quæsivimus et quid in Anglia de reditu archipræsulis diceretur. Et responderunt, hoc quidem fore gratum valde et toti terræ acceptum. B Verum unus eorum, videbatur mihi quod proreta, seorsum me qui scripsi hæc secretius traxit : « Miseri, » inquiens, « quid quæritis ? quid agitis ? quo properatis ? Certe in mortem vestram ; sic pro certo dicunt qui noverunt, id ipsum in terra suspicantur omnes : et ecce quia multi milites in portu quo applicare quæritis, certe sicut dicitur ut in archipræsulem et suos mox cum applicuerint injiciant manus. Commota est siquidem terra, exasperata adversum vos, et præsertim regis fideles eo quod in primo adventu vestro in terram commovistis et conturbastis eam anathematizando episcopos terræ et suspendendo ; præsertim ut religiosi et sapientes dicunt in Domini adventu qui nunc est, qui mundo fuit tam fructuosus, tam gratus, tam C acceptus, vester nunc pariter in terram adventus tranquillitatis deberet esse et pacis. Sed vos econtrario in vestro turbastis omnia. » His dictis, gratias retuli referenti ; et hoc ipsum quod retulit mihi ipse, alii jam densim submurmurabant.

Post paululum vero vocans archipræsulem a turba seorsum dixi ei secretius : « Sic et sic mihi locutus est navis hujus quæ nunc applicuit gubernator. » Et cum dominus archipræsul et ego conferremus de his, de sociis nostris ingessit se unus, bonæ memoriæ Gunterius nomine, homo semplex et timens Dominum. Qui cum audisset super quo contulissemus, non requisitus mox dixit satius fore et consultius subtrahere se adhuc donec procella hac et turbatione terræ pro episcoporum suspensione D sedata, gratius reverteremur et securius, adjiciens quod « si terra, » inquit, « jam sic mota est, quid erit cum rex audierit. » Et dissuasit in Angliam tunc reverti.

Responsum discipuli consulti a magistro.

Et archipræsul cito post dirigens verbum ad discipulum qui scripsit hæc, qui ea quæ audierat a proreta prænarraverat : « Et tu, » inquit, « quid dicis ? » Et discipulus : « Domine, » inquit, « res in arcto est : Istius consilii magnitudo parvitatis meæ excedit mensuram ; et consilium magis anceps, eo præsertim quod eruditi tui nunc absint, quibusdam adhuc in Francia, aliis vero in Angliam a te præmissis. Verumtamen dicam, si placet, te jubente, quod sentio. In primis quidem videtur mihi hoc, quod si in Flandriam seu in peregrinationis nostræ terram regredimur, vertetur id nobis in confusionem et ignominiam, et erimus oneri qui hucusque fuimus honori : præsertim ad ingrediendum et in patriam revertendum apostolica licentia benedictione et absolutione jam percepta ; terra etiam peregrinationis nostræ salutata et pace publice concessa et accepta. Igitur aut regrediendum turpiter aut procedendum audacter et agendum viriliter. Alioquin profecto dicetur : Ecce quia Cantuariensis qui primo a Norhamtune, nunc etiam secundo antequam dimicet fugit, qui tamen tam constanter firmaverat quod pro Ecclesia tam fortiter staret, tam viriliter ageret ! Et erimus de meticulosis illis filiis, qui intendentes et mittentes arcum conversi sunt in die belli. Unum tamen est, quod si in hac pace nostra dolus est, quod quidem suspicabile et multi asserunt, sic grave certe periculum hoc et inevitabile, cum vis et dolus consociata cooperentur et malitia conatus suos per potentiam perficere potest, quando jam est potestas malitiosa et malitia potens. Cui pesti nil obviare potest, nil resistere. Malitia quippe suggerit, potentia socia et cooperans efficit. Et nos quidem potuimus prius leonem utcumque evitare sævientem, verum draconis nunc evitare fraudulentiam difficilimum. Omnis quippe potestas magis metuenda cum fallit quam cum sævit. Unde et pro magno illud de Salvatore præconizatum: *Et conculcabis*, inquit, *leonem et draconem* (*Psal.* IX), leonis videlicet vim, draconis dolum quæ erit in novissimis diebus novissima Ecclesiæ persecutio, quam adeo gravis non præcessit, videlicet ex vi et fraude composita. O igitur quam felix quam gloriosa exsilii nostri consummatio, si novissima persecutio hæc, qua in fine sæculorum probabuntur justi, a nobis in quos fines sæculorum devenerunt inchoaverit. Quam felix, domine, exsilium si post exsilium daretur desuper ut non solum martyr sed et novissimorum martyrum primitiæ fieres. In quo etiam potissimum Domini tui regis crucifixi mortis titulum humiliter recognosce, proditione forte moriturus, sicut et ipse proditus pro Ecclesia mortuus est. In quo pastor ille pastorum pastoribus formam dedit, ut si hostes suos occultos evitare non valent tolerent, etiamsi videant sibi per ipsos vitæ affuturum discrimen, verum inter sævum et hypocritam principem, qui et leo et draco est, et inter bonum pastorum periculosa quidem semper sed victoriosa conditio. Sæviat quippe ille sive fallat, semper paratus sit pastor bonus pro ovibus suis animam ponere. Qui etsi forte a violento, non tamen est quo a dracone, quod ab hypocrita videlicet tueri se possit. Juxta quod vulgo dicitur neminem posse se a proditione tueri, quandoquidem ipsa pax efficacior est ad prodendum. Non est igitur, domine mi, ut mihi pro sensus mei parvitate videtur, nunc ut deinceps sicut prius de Norhamtune, secunda competat fug

nec etiam aliquatenus te subtrahere, quod provide tanquam fugere est. Non subtractio, inquam, non fuga competens esset, sicut primo, nec excusabilis. Super te quippe jam septem mutata sunt tempora. Ecce enim quia sex anni jam exacti, et septimus hic annus est peregrinationis nostræ septimus exsilii nostri. Et toto tempore hoc supra dorsum tuum fabricaverunt peccatores iniquitatem suam prolongantes, qui, etsi nescientes, toto tempore hoc coronam fabricaverunt tibi incorruptam. Unde et quia septimus hic annus requietionis est, non est de cætero lima necessaria, jam parata corona. Non scalpro opus, pelle pro pelle data. Non scelte opus vel incisorio, lapide tanto tempore cæso et jam effigiato et exciso. Non ignis fornax necessaria auro jam probato in fornace, in qua et veteris hominis ossa sicut cremium aruerunt. Adeo ut vetus homo in te plenius debilitatus vel potius plene exstinctus videatur. Viro igitur sic probato, quid hæsitandum quid metuendum verendumve? Imo quid est quod non aggrediatur, quod non valeat? quod non audeat? Terram igitur tuam nunc vides, ecclesiam tuam fiducialiter intres, illius sequax si necesse sic, qui corpus suum dedit percutientibus et genas suas vellentibus. Intremus, inquam, fiducialiter et potentes, ut erimus illis dii qui nos nunc terrere videntur. Intremus, inquam, ne nobis hoc nunc desuper dato exprobretur forte alias quia cum potuistis noluistis, cum volueritis non poteritis. Et quidem Moysi tanto Dei amico de terra promissa dictum videbis et non intrabis. Caveamus igitur ne et tu, Moyse longe inferior, pœna simili vel forte majori percellaris, si forte terram non intraveris quam tamen videre nunc datum. »

His dictis, archipræsul breviter sic : « Fidelis, » inquit, « ut videtur sermo tuus, sed durus, et quis implebit illum ? » Ad ipsum vero qui prælocutus fuerat et in Angliam tunc processum dissuaserat, specialiter sermonem dirigens et nomen ipsius proprium exprimens : « Certe, » inquit, « Gunteri, terram video, et favente Domino terram intrabo, sciens tamen certissime quod ibi mihi immineat passio. » Et hoc quidem cum dixisset, illius verbi Domini ad Petrum rememoratus sum : *Vade post me, Satana, scandalum es mihi quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum* (*Matth.* XVI). Et post hæc jam in noctis crepusculo ad hospitia revertimur.

6. DE INGRESSU EJUS IN MARE.

Et post modicum duobus tribusve diebus exactis, post festum Beati Andrææ apostoli secundo, tertiove die, in Domini adventu, noctu mare intravimus et ad votum aura prospera propter insidiarum, quæ nobis, sicut audivimus, jam parabantur, suspicionem, non in sinu maris Doroberniæ, ut putabatur, sed in alio maris sinu qui vocatur Sandwiz prospere applicuimus ; eo quidem securius quod homines supra sinum illum maris habitantes, proprium dominum archipræsulem habuerint utpote de proprio Cantuariensis ecclesiæ feodo. In nave vero archipræsulis vexillo

A crucis, cum ad littus appropinquaret, erecto, quod archipræsules Cantuarienses, tanquam totius Angliæ primates, coram se smper bajulare cousueverunt, hoc, inquam, signo erecto, per quod archipræsulis navis ab aliis discerni poterat, videres mox pauperum turbam quæ convenerat in occursum, hos succinctos ut prævenirent et patrem suum applicantem exciperent, et benedictionem præriperent, alios vero humi se humiliter prosternentes, ejulantes hos, plorantes illos præ gaudio, et omnes conclamantes : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, pater orphanorum et judex viduarum ! Et pauperes quidem sic.

7. DE HIS QUÆ IN INITIO INGRESSUS EJUS IN TERRAM GESTA.

Verum milites, qui, ut supra diximus, in alio
B mari sinu nos applicaturos fore speraverunt, ad nos præpropere accelerantes, vix salutato archipræsule, animose sciscitabantur quare in primo adventu suo in terra, qui tranquillitatis deberet esse et pacis, mox etiam necdum ingressus episcopos regis suspendisset, excommunicasset. Et adjicientes comminabantur mox cum innotesceret regis futuram turbationem non modicam unde jam regnum turbatum esset et sacerdotium.

Archipræsul vero mansuete respondit regem non offensurum ob id, nec se ex hoc quidquam vel contra regem fecisse vel regnum, sed absque regis et regni injuria, de ipsius regis permissione sic factum, ita injuria, quam sibi et ecclesiæ suæ in coronatione filii regis episcopi fecerant, impunita non remaneret,
C ne tanta usurpatio de cætero traheretur ad consequentiam. Dum igitur audirent regem de facto laudari auctorem, modestius locuti sunt, et tamen instanter postulantes, ut episcopos excommunicatos vel suspensos absolveret quod archipræsul ad consilium distulit : donec in crastino Cantuariam veniret, et ita recesserunt tunc milites.

Archipræsul vero in crastino a sinu illo quo applicuit, distante a Cantuaria circiter sex milliaria, Cantuariam proficiscens, a pauperibus terræ, sicut jam supra tetigimus, tanquam hostia cœlitus missa, tanquam ipse Dei angelus, tam gratanter tam ovanter exceptus est. Sed quid dico ovanter ? Quin potius, si tamen de pauperibus competit dicere sic, pauperes Christi christo Domini triumphanti laureatum magis
D exhibuerunt quam ovatum. Itaque quacunque archipræsul transibat, turbæ pauperum, parvuli et magni, senes cum junioribus, glomeratim occurrebant, hi prosternentes se in via, illi vero exuentes vestimenta sua et sternentes per viam, illud frequenter iterantes et conclamantes : *Benedictus qui venit in nomine Domini !* Sacerdotes etiam parochiani cum parochianis, ordinata processione cum crucibus transeunti obviam exierunt, et patrem suum salutantes et benedictionem postulantes, crebro illud jam sæpe dictum sæpius interserebant : *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sed quid ? Diceres profecto si videres, Dominum secundo ad passionem appropinquare et imminente passione in pueris et

lactantibus et pauperibus secundum Domino præparatum occursum, et venire iterum moriturum pro Anglicana Ecclesia Cantuariæ qui Hierosolymis pro totius mundi salute semel mortuus est. Cum vero, etsi via brevis, inter tot turbas occurrentes et comprimentes Cantuariam vix ea die perveniret, in sonitu campanarum, in organis, in hymnis et canticis spiritualibus a Christi pauperibus, filiis suis, sacro videlicet conventu suo, debita patri devotione et veneratione susceptus est. A

O qualem videres tunc in primo ecclesiæ ingressu hominis faciem, quod nonnulli videntes notaverunt et mirabantur, sicut ignitum cor, ignita et facies videbatur : facie revera exhilarata in oleo, omnibus grata, omnibus gratiosa, et ut plus addam adhuc, ego quidem arbitror resplenduisse exterius B faciem corporis ex interiori abundantia cordis, imo claritatis in corde tantam flammam in se continere non valente, quin erumperet. Et, ni fallor, hæc in ipso Ecclesiæ Salvatoris ingressu tanta faciei gratia roseo sic subito perfusa et venustata colore, in ipsa Salvatoris ecclesia martyrii mox consummandi, quasi quoddam cœlestis oraculi præsagium fuit. Discipulus vero qui scripsit hæc, fide oculata cernens sic et ad visa notando stupens et stupendo notans, Moysis mox recordatus est. Cujus tamen gloria vultus evacuata, et in aquis contradictionis exstincta : unde nec repromissam patriam intrare meruit, extra in exsilio mortuus. Quod iste minime qui post multa certamina demum evicit, patriam obtinuit; et post modicum in ipsa Jerusalem palmæ suæ coronam accepit immarcescibilem. Unde nec C gloria vultus ejus evacuata nec flamma claritatis exstincta, sed ad aquas contradictionis probata potius quam exstincta, utpote inter populos frementes et frendentes in eum ardens semper et lucens, quod sequens rerum exitus plane, et Domino præstante fructuose edocebit.

Stans autem archipræsul in sedili suo episcopali singulos fratrum in osculo pacis recepit inter osculandum multis hinc inde ejulantibus, erumpentibus et emanantibus lacrymis. Et dum staret, sic accessit discipulus qui scripsit hæc : « Domine, » inquiens, « nunc nos curare non oportet qua hora de hoc mundo excesseris, quandoquidem hodie in te vicit sponsa Christi Ecclesia, imo Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. » D

Et nil respondens solum respexit dicentem sibi hæc. Omnibus itaque ea die in ecclesia celebriter peractis et solemniter, archipræsul in palatium suum se recepit totam diem lætam ducens et solemnem.

In crastino vero præfati milites suum super hesterna petitione quærentes responsum reversi sunt. Venerunt et cum eis prænominatorum trium episcoporum, qui adhuc in præfato sinu maris exspectabant, clerici ad nos missi nomine episcoporum dominis suis episcopis absolutionem postulantes. Respondit vero archipræsul et illos tres et alios episcopos auctoritate domini papæ, quosdam anathematizatos, quosdam vero suspensos, nec ipsius esse a tanto judice ligatos, nisi forte per ipsum, posse solvere. Cum vero clerici et milites urgentissime instarent consilio præhabito, tandem archipræsul respondit quod de domini papæ clementia fisus pro bono pacis in hoc articulo usurparet quæ domini papæ erant, præstita tamen cautione canonica quod super quibus excommunicati erant vel suspensi, Ecclesiæ judicio parerent, alioquin nullatenus se facturum hoc, præcise et absolute respondit. Et hi quidem et illi audientes hæc indignante recesserunt ; in recessu multa in superbia et in abusione loquentes. Inter quos unus, quem supra in historia hac tetigisse me memini, dictus Randulfu de Broc, linguam suam superexaltabat. Sed archipræsul vir admodum patiens, inter eos factus es sicut homo non audiens et non habens in ore su redargutiones. Clerici vero, quos a tribus episcopi missos diximus, revertentes dominis suis quod al archipræsule super petitione sua acceperant retulerunt. Et, ut dicebatur, duo episcoporum anathematizatorum, videlicet Londoniensis et Saresberiensi exactam ab archipræsule cautionem præstitisser nisi tertius ille Eboracensis obtitisset ; vere enim scriptum quia lingua tertia multos commovet.

8. DE EPISCOPIS REGEM ITERUM CONTRA ARCHIPRÆSULEM INSTIGANTIBUS.

At ille tertius duos sic commovit ut confestin transfretantes regem adirent : quem in Normanni prope civitatem, quæ Bajocis dicitur, in regia qua dam mansione quæ vocatur Bur repererunt. Et hc paucis diebus ante Natalem Domini. Qui rege salutato, ad regis se pedes mox prostraverunt, pro regn pro sacerdotio, et pro semetipsis regiam cleme tiam et justitiam pariter interpellantes, unam co testantes ipsum debere læsis, lædenti alteram. Qu rulo itaque et exacerbativo sermone mox enarra quam præcipitanter, quam temere, quam superl Cantuariensis archiepiscopus in adventus sui init regnum turbaverit et sacerdotium pace de regi miseratione concessa sibi et suis abutens. Unde totam Anglicanam Ecclesiam in luctu ese addeba universis per Angliam episcopis suspensis, semetip etiam excommunicatis et suspensis. Et totam ha factam eis confusionem addebant, pro causa ta regia, tam magnifica, tam necessaria, tam hones quod videlicet filium suum primogenitum regni h redem coronassent. Per hæc et his similia et majo his diatim per se et per complices suos regem archipræsulem instigant sic. Verum qualiter quantum rex commotus, imo in qualem et quantu furorem et insaniam instigantibus his convers fuerit, intermitto nunc ; sequens id loco suo histor ordo declarabit. Et interim ad archipræsulem strum historiæ stylus retorqueatur et præostend mus qualiter post adventum suum se in Anglia g serit. Itaque, ut præfati sumus, Cantuariam venie post paucos adventus sui dies misit ad jam sæ

dictum egregium illum puerum Henricum regis filium, tunc regem a jam suspensis episcopis coronatum. Misit autem bonæ memoriæ et utinam bonæ Ricardum tunc priorem Sancti Martini de Dorobernia, virum satis eloquentem et industrium, postea n sede metropolitana domini nostri successorem. Qui ad regem veniens ipsum nomine archipræsulis officiose salutavit et ejus adventum in terram nuntiavit, ipsum de episcoporum suspensione sicut injunctum fuerat excusans, et quod de permissione regis patris sui factum fuisset sic: adjiciens quod ad psum tanquam ad dominum venire in brevi archipræsul se pararet. Verum puer ille rex nec nuntium nec nuntii verba acceptare videbatur: et hoc quidem, ut pro certo accepimus, non de voluntate pueri, ed quia aliter pro rege patre non audebat nec pro ulicis ipsius pædagogis, quibus filium suum rex commiserat, qui plus patrem quam filium verebantur. Unde et missus noster nec ab his nec ab illis n aula benigne exceptus est pro rege patre non audentibus aliter.

Missus itaque noster ad nos in brevi reversus, utote, sicut diximus, puero regi minus acceptus, ertum nobis non reportavit responsum, sed in adventu suo ad curiam retulit nobis aulæ fastum, vultum et supercilia. Archipræsul vero tanquam constantiæ vir, nihilominus se parabat ad iter, volens primis sicut disposuit, quem necdum viderat, alumnum suum puerum videre regem, et postea provinciam a qua tam diu absens fuerat circuire, propens et anhelans ad discurrendum ubique ut extirparet et eradicaret quæ in absentia sua in horto omini distorte et incomposite excreverunt. Itaque post dies paucos a Cantuaria profecti in multo comitatu Londoniam venimus; milites vero aliquot biscum, quia ut dicebatur, in via absconderunt perbi laqueum nobis. Cum vero civitati appropinquaremus, universa civitas commota præ gaudio civitatenses quotquot archipræsuli occurrerunt, eum cum gaudio et exsultatione multa excipientes. In crastino vero, cum jam pararemus nos ad procedendum, ecce in mane regis junioris nuntii, none regis archipræsuli inhibentes ne procederet, l ad ecclesiam suam reverteretur. Nec tamen itretur quis hoc de regis junioris animo provese, sed potius de aulicorum consilio, sub quorum stodia erat ipse, arbitrantium se sic regi patri estaturos obsequium. Archipræsul vero, tanquam spiritu fervens, mox respondit se nullatenus pter inhibitionem hanc regressurum, nisi quia c jam festus tam solemnis urgebat dies, videlicet alis Domini, quo Ecclesiæ suæ abesse noluit. Et non procedens Cantuariam reversus est.

udientes itaque sic ne procederet inimici ejus ulerunt caput, et ipsius jam capiti minabantur. præsertim progenies illa viperarum quæ dicitur Brocheis turpibus et ignominiosis injuriis lacesant. Inter quos unus erat de funesta illa progedictus Robertus de Broc clericus, ut aiebant.

A Hic in ignominiam et contemptum archipræsulis jumentum quoddam, quod quædam culinæ nostræ necessaria vehebat, cui forte obviavit in via excurtavit. Jumentum hoc mutilatum sic ante archipræsulem ductum est. His et hujuscemodi probrosis domus illa exasperans diatim nos exacerbabat, existimans apprime regi patri qui nobiscum pacem fecerat gratum se ex contumeliis et injuriis nostris obsequium dare.

Sed quid? Exsilium quidem felix, sed pax secuta infelicior, quia in pace amaritudo nostra amarissima. Quod igitur faceret athleta Domini? quo iret? quo se verteret? Cedere quippe turpe, certare periculosum. Circumdederunt apes tauri pingues obsederunt, in corde maris circumsepiebat oceanus. B Sed certe, ut verum fatear, fortis ille athleta Domini arietem Dominici gregis se recognoscens, non cogitabat de fuga sed de pugna, jam intelligens se non ad homines, sed ad bestias pugnaturum ovibus suis sic conversis in lupos.

9. DE GESTIS EJUS IN DIE NATALIS.

Die vero Natalis Domini, qui ab adventu nostro in Angliam, ni fallor, circiter vicesimus septimus erat, archipræsul ascendens pulpitum sermonem fecit ad populum, prædicens post alia in calce sermonis, quod instaret tempus dissolutionis suæ, et in brevi se migraturum ab iis. Et quidem cum hæc de excessu suo prædiceret, lacrymarum exitus magis erumpebant quam verba. Pariter et auditorum corda supra modum commota sunt et contrita, ita ut cerneres et audires per totam ecclesiam ejulatus et C lacrymarum exitus emanare et inter se submurmurare: *Pater, cur tam cito nos deseris, aut cui desolatos relinquis*? nec enim lupi erant, sed oves hæ, quæ sic pastoris sui vocem agnoverunt, et compatiebantur auditis pastoris sui in brevi sic de mundo excessum audientes, sed quando aut ubi aut quomodo deberet accidere sic ignorantes. Tandem vero post multum sermonem et de ædificatione, et de excessu suo ad populum præhabitum, non jam plangens, non lacrymans, sed ut audiri poterat et videri, post priores lacrymas tam ferus, tam indignabundus, tam ardens, tam audens nominatim jam et expressim in cervicosos terræ et spurcos invehitur, nec jam ut videbatur, cum his qui oderant pacem D pacificus, gladium in medio inimicorum non reponit, sed audacter et fiducialiter exerit, et plerosque de aulicis regi patri magis familiaribus, et præsertim domum illam exasperantem, de qua supra tetigimus, in spiritu judicii et spiritu ardoris anathemate percussit. Et inter alios nominative prænominatum Radulphum de Broc, et illum supra dictum Robertum qui in contemptum archipræsulis, sicut supra diximus, jumentum mutilaverat, perpetuo anathemati tradidit.

Certe si hæc cerneres, diceres mox te propheticum illud animal, cui erat facies hominis et facies leonis, oculo ad oculum audisse et vidisse. His itaque peractis, per totam alteram diem archipræsul et

in mensa Dei se devotum et post in mensa sæculi more suo se jucundum exhibuit, ita etiam quod ea die, quæ sexta feria erat, et Natalis Domini, tunc carnibus sicut et aliter vesceretur, eas tali die sumere quam abstinere religiosius indicans.

10. DE RECESSU DISCIPULI AB EO.

Jam vero per quosdam et aulicos et alios amicos suos sed occultos, densim sed occulto ipsi significabatur quod de morte sua, sicut seditiosi et studiosi tractaretur, et sic quidem per multos significatum et a multis consulentibus ut provideret sibi et præveniret insidias. Archipræsul itaque terram adversum se commotam fide oculata manifeste cernens, et ex multis amicorum et familiarium suorum secretis, ut prætetigimus, nuntiis laqueos sibi in mortem præparari jam credens, in crastino Natalis Domini, die videlicet beati protomartyris Stephani, discipulum qui scripsit hæc, vocavit secretius : « Ego, » inquiens, « jam disposui te ad dominum nostrum regem Francorum et ad venerabilem fratrem nostrum Senonensem archiepiscopum et ad alios terræ principes transmittere, ut iis nunties quod de pace nostra auditis et videtis videlicet qualiter nobis sit pax pax et non sit pax, sed turbatio. »

Cui mox discipulus, lacrymas continere non valens : « Pater sancte, » inquiens, « cur ita disposuisti, cur facis sic? scio quippe et certus sum me de cætero te in carne ista non visurum. Ego quidem proposui vobiscum fideliter stare : verumtamen, ut mihi videtur, fructu consummationis tuæ defraudare me quæris, qui hucusque tecum in tentationibus tuis permansi, nec ero, sicut nunc video, socius gloriæ, qui fui socius pœnæ. »

Cui archipræsul cum lacrymis jam erumpentibus : « Non sic, » inquit, « fili mi, non sic ; fructu non fraudaberis, qui patris præceptum imples et consilium sequeris. Verumtamen quod dicis et plangis verum quidem, quia revera amodo me in carne ista non videbis ; et tamen volo ut recedas, præsertim quia rex habeat te in causa Ecclesiæ cæteris suspectiorem. »

Tertio itaque Natalis Domini die, videlicet die Beati Joannis evangelistæ, obscura nocte eo quod in via suspectæ forent insidiæ, in multo ejulatu, emanantibus lacrymis, iterum et iterum licentia et paterna benedictione accepta, a patre meo recessi, quem, sicut ipse prædixerat, deinceps in carne ista nec vidi nec visurus sum. Unde et cum historiæ hujus finem, id toto corde, tota anima et totis viribus deprecor, ut quem deinceps non sum visurus in tempore videre merear in æternitate, et fieri particeps in corona, qui socius fui in pugna.

Hucusque non quæ accepi ab aliis, sed quæ vidi ipse et audivi, præsentibus et post futuris sæculis, ad Ecclesiæ Dei ædificationem, de tanta Ecclesiæ columna in libello historico hoc fidelius et constantius enarravi. Verum quia amodo non quæ vidi ipse, sed ut hæc de sancto viro historia consummetur, quæ ab aliis accepi referenda, aliquantulum incipiunt jam obrigescere digiti, et calamus quidem tardius et trepidius figitur, eo quidem trepidius quo quis ab aliis non a se audita vel visa magis hæsitans refert. Verumtamen multis et sanctis viris, qui audierunt et viderunt, a quibus et nos accepimus, indubitanter credendum, ne forte incredulitatem nostram nobis exprobret Dominus, sicut et exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis, qui his viderant eum resurrexisse a mortuis non crediderant.

11. DE IRA REGIS ITERATA ET ADVENTU CARNIFICUM.

Igitur ut ad id quod supra intermisi, sicut ibi pollicitus sum, revertar : rex, ut prædiximus, a tribus excommunicatis episcopis instigantibus eum in furorem omnibus post futuris sæculis detestandum accensus est quasi clibanus accensus a coquentibus : adeo ut flammam jam continere non valens, manifeste coram omnibus et maxime coram suis in aula, quos enutrierat et quibus honores et bona multa contulerat, de archipræsule tanquam de hoste conquereretur. Et sæpe et sæpius ex ira inflammatus, in funestam vocem erumpens, omnes quos enutrierat, qui familiaritatis gratia et beneficiorum collatione sibi obnoxii fuerant maledixit, quod ipsum de sacerdote uno non vindicarent, qui ipsum et regnum suum sic turbabat et suis dignitatibus exauctorare et exhæredare quærebat. Quod sæpe et sæpius furore suo replicantem, de aulicis concubiculariis suis quatuor milites audientes, de verbo audito sic dicentis votum conceperunt, certissime jam arbitrantes gratissimum se in hoc regi præstituros obsequium si archipræsulem interficerent : et ita conjuraverunt in archipræsulis necem. Quorum nomina, ut in æterna maledictione sint, historiæ huic curavi hic interserere : Hugo videlicet de Morevilla, Reginaldus filius Ursi, Willelmus de Traci et quartus Ricardus Brito. Et isti quidem milites aulici regis cubicularii etsi tandem degenerantes, viri certe generosi, honoribus præclari et inter majores magni. Isti quatuor conjurati confestim in Angliam profecti sunt.

Et in profectione horum quatuor hoc quasi novum, imo miraculosum contigit, videlicet ut cum in hieme inter tam crebras aeris et maris mutationes et diversos portuum situs, mare non simul omnes in eodem portu, sed in divisis intrarent, omnes tamen eadem die applicantes, eadem, die imo fere ejusdem diei eadem hora ad locum, quem statuerant convenerunt, ad castellum videlicet illud quod supradiximus nominatum Saltwude, distans a Cantuaria per sex millia, quod de feodo Cantuariensi Ecclesiæ rex, ut supra tetigimus, archipræsuli se restituturum promiserat, Domino quidem, cui venti et mare obediunt, ut videri potest sacerdotis sui imo ipsum sacerdotem suum quasi gratam sibi victimam accelerante sic. Tota vero nocte illa de nece archipræsulis in castello illo contrectantes in crastino qui fuit quartus Natalis Domini dies videlicet in Sanctorum Innocentium die cum complicibus

suis Cantuariam veniunt, secum nihil præter arma A sua militaria et insaniam inauditam portantes. Alii vero cum gladiis et fustibus venerunt occultis tamen his omnibus adhuc, ne forte christus Domini fugeret et absconderet se ab eis. Qui tamen, ut supra diximus, et rei mox probabit exitus, magis de pugna quam de fuga cogitabat.

In primis itaque quatuor præfati milites fastuose ad archipræsulem in thalamo, quo sedebat, circa diei vesperam accedentes, nec suo vel regis nomine ipsum salutantes, utpote a quibus longe erat salus, mors et perditio prope, ipsum superbe adoriuntur, sciscitantes si episcopos regis suspensos et excommunicatos absolveret. Quo mansuete respondente se, auctoritate domini papæ ligatos, sua nec posse solvere nec debere, illi spiritu furibundo frendentes in eum, continuo exierunt ab eo. Et statim prope hortum collegerunt cohortem, se ipsos jam diabolica armatura sua induentes.

Verum quia jam materia grandescere incipit, deinceps immutandus foret et stylus, ut litteris non tetris, sed velut quibusdam filis roseis in syllabarum figuras aureas liquescentibus, et quibusdam dictionum solemniis exquisitis imminentis consummationis viri gloria exaranda. Nec enim linguis hominum, sed angelorum potius eloquenda quæ ab homine supra hominem gesta sunt, et hæc deinceps describenda. Videamus igitur in primis et attendamus quæ gesta, et judicemus postea si non ita.

INCIPIUNT CAPITULA TOMI SEXTI

TOMUS SEXTUS.

I. Militibus itaque armatis et collecta cohorte B um gladiis et fustibus per fenestras palatii coacer-atim jam cœperunt irruere, a quibusdam de familia ostra ostiis jam clausis præ timore. Illi vero qui in alamo cum archipræsule consederunt, audientes umultum exterius et fragorem, et jam advertentes uid hoc, non sine causa exterriti sunt, monentes m archipræsulem ut in locum sanctiorem et tu-orem, ecclesiam videlicet, se reciperet. Quo iterum iterum renuente tanquam mortis intrepido, vix ndem coegerunt ut ad ecclesiam pergeret, gratia ultus ejus etiam in articulo hoc nec vel in modico mutata: adeo, sicut nec in vultu, sic nec in gestu lum parebat trepidationis vestigium. Cum vero ululum processisset, nec crucem videret quam te se bajulare consueverat, accito crucis bajulo C bstitit crucem exspectans ut præcederet: revera, fallor, Domini sui non immemor, qui cum cruce operavit ad crucem.

Cum autem intrasset ecclesiam, quotquot sui præ timore mox dispersi sunt, fugerunt hi, fugerunt et illi, et per cryptas ecclesiæ et sub altaribus absconderunt se ab eo; ita ut illud capiti hoc capitis membrum conclamare posset et plangere: *Sicut aqua effusus sum et dispersa sunt omnia ossa mea* (*Psal.* XXI). Et illud: *Elongasti a me amicum et proximum et notos meos a miseria* (*Psal.* LXXXVII). Solus quippe calcaturus erat torcular ut in eo arcto non alteri, sed gloria daretur soli. Nam si et alteri gloriam, extenuaretur solius. Unde ad sui athletæ gloriam Deo providente sic singulariter erat donec transiret. Quidam tamen de suis, cum ecclesiam intrasset ipse ecclesiæ fores clausit mox et seravit. Illi vero carnifices milites cum cohorte, cum armis et gladiis et fustibus, archipræsulem pedatim sequentes, et jam ad ecclesiæ fores venientes, terribiliter et clamose intonabant ut cito sibi aperirentur fores.

Quod quia aliquantisper dilatum, quibusdam præ-

paratis ferreis machinis fores dejicere et irruere sic A intentabant. Quorum fragorem et clamorem ad ecclesiæ valvas mox futura Christi victima, christus Domini exaudiens, præcepit ut confestim aperirentur, addens decere minime incastellari ecclesiam. Valvis vero apertis mox irruentes carnifices clamabat unus : « Ubi est, » inquiens, « seductor ille ? » Sed christus Domini ad hoc nihil. Alter vero subsequenter clamans : « Ubi est, » inquit, « archiepiscopus ? » Et christus Domini : « Ego sum : Quid vultis ? » Et ille intonando : « Ut moriaris, » inquit, « nec ullatenus vives. » Et ille : « Et Ego, » inquit, « pro Deo meo et pro Ecclesiæ libertate paratus animam ponere. »

2. DE OCCURSU ATHLETÆ DOMINI.

Sed quod mirum dictu, iste tam fortis Domini agonotheta singulariter magnus et manifice singularis, qui antequam lanistæ illi intrassent ecclesiam versus chorum ecclesiæ pergens, ad quem per gradus ascenditur, septem octove gradus jam conscenderat, mox ut gladios in ecclesia exertos vidit festinanter occurrit. Non ipsum duræ mortis suæ nuntium, non lethale verbum, non extractum in necem ejus ferrum, revocare potuit quo minus occurreret. Et quod adhuc majori admirationi et stupori accedit, gladiatores cum omni imperio arguens, quod tam inordinate, tam profane matrem suam ecclesiam introissent, unum eorum, cui prius appropinquaverat, manu mox apprehendens, per loricam tam valide excussit, quod ipsum fere ad pavimentum usque prostravit. Willelmus de Traci hic erat, sicut ipsemet postea de se confessus est.

O quam admiranda tam ardens sacerdotis æmulatio, domum Dei tam ferventer zelantis, qui solus et inermis tot et tam vesanis in necem ejus jam armatis, tam audens, tam fidens, tam pronus, tam promptus, tam intrepidus, et tam paratus occurrerit, quos et de templo Salvatoris Salvatorem suum imitans non formidavit ejicere. Salvatorem dico suum et imperatorem in hoc sequens, nisi quod tam strenuus summi imperatoris miles non jam nummularios et columbarum venditores, sed gladiatores ipsos in necem ipsius sic jam debacchantes, nihil, ut videbatur, expavescens, nihil trepidans attentavit ejicere. Unde et in hoc et tali certe articulo mirandus occursus hic, miranda et objurgatio hæc, sed et admirabilis attentata expulsio, quibus tam funeste in mortem suam jam exacerbatos amplius adhuc exacerbare non verebatur. Non quidem quærens gratiam non orans veniam, nec petens dilationem, sed zelo sacerdotali accensus amore justitiæ exacerbatorum iram jam magis provocans quam placans.

O athletæ audentis manum validam, o viri virtutem, o martyris constantiam, o animi puritatem ? Stat imperiose inter carnifices idem sacerdos et victima. Stat hic et gladiis exertis circumstant illi. Et in medio sacerdos sacerdotis implet officium non lanistas palpans, non se humilians, sed, ut jam diximus, cum omni imperio arguens et objurgans.

Ecce Samson noster intrepidus ad occurendum ; ecce Paulus noster promptus ad argundum ; ecce noster christus Domini fortis ad expellendum. Cujus os in occulto factum jam non est occultatum, etsi subtantia sit in inferioribus terræ. Sed quid dico substantiam in inferioribus terræ ? Sed potius jam in cœlorum superioribus substantia carnis, non jam velut carne, sed potius velut admirabili quadam mutatione transubstantiata in cœlum. Quæ enim caro mortem non horreat ? Quæ exertum super se gladium non metuat ? Quæve gladiatorem ad necem ejus paratum pulset et contemnat. O homo non homo, o caro non caro. O caro Adam, o caro Thomæ. Fortior Thomas inter gladios, in sterquilinio, quam Adam inter ligna fructifera in paB radiso : utpote qui præter quasdam mortis exuvias jam jam exuendas quidquid a primo Adam vetus contraxerat deposuerit ; cui a secundo Adam nunc totum. O Adam et Adam. O primi Adam filii, o secundi, qui post primam ex primo Adam nativitatem moribundam jam non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex secundo Adam secundo nati sunt. Unde et ex secundo patre hoc, tanquam filii generosi non degeneres, non carnis infirma et infirma idiomata, sed spiritus desuper charismata fortia, tanquam spiritualiter generati, sortiuntur constantiam, fortitudinem, et reliquas animi virtutes contrahentes ex patre hoc. Unde etsi cædantur gladiis, gladiis non cedunt, sed contemnunt. De quibus : « Occidi possunt, sed flecti ne-C queunt. » Quin potius occisi isti mors mortis sunt tanquam mortis victores. Et ut loquamur in exemplo : *Ubi est nunc, o mors, stimulus tuus, ubi victoria tua ?* (*I Cor.* xv.) Quæ Adam vicisti in paradiso suo hodie a Thoma victa es in sterquilinio tuo. Quæ Adam oppressisti in exuviis suis, tuas hodie Thomas exuens in propris exuviis tuis te oppressit, exuviis tuis se exuens, qui tibi etiam exuviis adhuc coopertus quasi exprobrare et insultare non trepidat. O si scirem, sed nescio quod os occultum faciat Dominus et qua interna firmitate suos sic roboret. Pacis quidem tempore occultum os hoc, occulta infirmita hæc. Sed minime occultatur cum manifestæ tentationis tempus irruerit. Utinam de occulto osse hoc tanquam esca vere solida gustassem ego. Libente aliis eructarem, sed quia non gustavi, scio me nec-D dum Dominicum canem, verum quod gustavit ho de osse, imo quo tanquam vere canis Dominicus sa ginatus abunde eructat, jam nobis indicat noste Thomas jam non reponens, non occultans os suum Juxta quod fortis rex ille et Propheta : *Non est* inquit, *occultatum os meum quod fecisti in occult* (*Psal.* CXXXVIII). Pariter et nostri Thomæ os in oc culto factum jam non occultatur. Qui non jam car de carne, sed os ex ossibus est in exercitu Domin Sabaoth inter robustos robustissimus. Unde et q cum puero Jesu aliquando fugit, cum eodem adul modo occurrit, modo exit, modo se exerit. Et, jam diximus, et ad laudem ossei nostri iterare no

piget medium mediis se gladiis ingerit, tanquam totus osseus, gladiorum ictus non metuens, sed contemnens. Cujus os hucusque quasi occultum jam inter mortis et vitæ non occultatur confinia: sciens et tunc apprime memorans quia mors hæc caduca, mors carnis, mors brevis, mors mortis sit et porta vitæ: et ut non enumerando singula breviter concludam universa, tantus fuit in viro hoc, sicut dixerunt qui viderunt, mortis contemptus et in pugna securitas, ut adhuc pugnans videri jam posset quasi vincere, et jam vincens quasi adhuc pugnare.

3. DE EXCUSATIONE DISCIPULI QUOD IN DESCRIBENDO CERTAMINE SIT PROLIXIOR.

Nemo autem miretur, calumnietur nemo, si in nostri David monomachia describenda forte prolixior videar. Vetus quippe illa inermis filii Jesse et pusilli contra Goliam monomachia miranda quidem. Sed hæc novi hominis, novæ legis et novi regis filii monomachia incomparabiliter mirabilior. Hic si quidem non suasus, non coactus, non missus, sed in spiritus sui ardore et inaudita virtute, solus et inermis sola voluntate ad certamen procedens, carnis immemor nec, ut videri poterat, hominem se de filiis Adam recognoscens, mortis non pavidus, sed avidus, mediis se gladiis ingerit et Goliam sicut talem deceat athletam, non gladio ferri sed verbi, nec lapide fundæ sed linguæ percussit. Et gladius enim in labiis ejus cum quis audivit: hoc enim et in auditu auris mirabillimum. Nemo itaque calumnietur et legentem non tædeat, si in tam singulari et tam inaudito certamine describendo ego nimius videar, quod mundo spectaculum Ecclesiæ exemplum et angelis gaudium præbet. Nemo etiam subsannet, nemo detrahat, si contra recte scribentium regulam sæpe et sæpius idem volvem et revolvem identidem, nec si juxta poetæ dogma non statim festinem in medias res. Sicut enim varii sunt animi affectus, sic voces variant, quibus se exprimunt, ut amor voces habet dulces, timor meticulosas, gaudium jucundas, dolor vero et compassio gemebundas, quas non quidem juxta regulam scribentium, sed more lugentium sæpe et sæpius iterant. Lugenti enim scribendi lex minime posita est. Nec igitur mirum si scribendi regulam non sequantur, qui scribendo patiuntur et dolent. Quemadmodum enim musica in luctu importuna narratio, ita scribendi et lugendi nulla prorsus convenientia. Ego vero, etsi congaudeam, domino tamen meo, quem in ætate juvenili secutus in vinculis Evangelii ministravi, cum quo steti, cum quo cucurri, ut potui, Deus scit, si non adeo prudenter obsecutus, tamen fideliter; ergo, inquam, etsi congaudeam propter certantis fortitudinem, certanti tamen et jam caput suum et corpus incircumcisorum et immundorum gladiis exponenti, non compati, non condolere non possum imo verius non condoleo, sed solum doleo ipse; me quippe doluisse non videtur. Atque inter scribendum hæc solus doleo, et inter dolendum solus scribo; præsertim cum singulariter mihi et specialiter incumbat scribendi onus et opus hoc. Ecce enim quintus decimus annus hic ex quo gesta sunt quæ nunc scribuntur, et jam fratres mei quondam passionis socii qui mecum audierunt et viderunt fere quotquot ab humanis rebus exempti in Christo dormiunt. Ipsi quidem transierunt, me periclitante adhuc et in mediis ignibus et fluctibus derelicto. Unde singulariter mihi, qui adhuc superstes, scribendi de tanto viro domino meo et alumno quæ vidi vel audivi reservatum opus et opera hæc. Ne, si tacuero, tanquam nescium vel pigrum vel meticulosum vel invidum os meum condamnet me, et mea taciturnitas super me propheticum illud væ inducat: *Væ mihi*, inquit, *quia tacui* (*Isa.* VI). Verumtamen quoniam paterni certaminis recordatio mihi dulcis, invitus ad finem accedo. Nam dum adhuc certantem describo, styli gratum beneficium quasi oculo ad oculum certantis mihi personam effigiat, et est modicum mecum adhuc. Verum cum jam triumphans ignitum currum suum conscendit, discipulus absque magistri pallio nudus derelictus, si magistrum quærat nescit ubi, nescit quippe quo veniat aut quo vadat. Primus quippe Elias subvectus est in paradisum, secundus descendit in infernum; sed iste tertius cum jam rapietur, super pennas ventorum volabit confestim et evolabit a nobis. Evolabit, inquam, in patriam peregrinam nobis et longinquam, utpote peregrinantibus adhuc. Evolabit, inquam in locum quem *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Unde nec mirum si invitus vel a certante patre et magistro avellar; et tamen jam avelli me oportet quia jam tolletur a me. Nam quod totis compunctus et concussus visceribus, dicere necesse est, finis venit, venit finis: nec ergo ultra est quod verbis protrahere valeam, brevem sed fortem pugnam, citam sed gloriosam palmam et coronam triumphantis athletæ immarcescibilem.

4. DE MARTYRIO ET MARTYRII MODO.

Igitur ut prætetigimus, mox ut illum carnificum militum quem prænominavimus noster osseus hic Christi athleta apprehendit, ut supra diximus, et tam valide excussit, ipse gladium exaltans ira vires augente fortiter christi Domini caput percutere nisus est: quod tamen necdum vim ictus in se excepit, clerico quodam qui proxime ad videndum pontificem venerat et eum de prope sequebatur ut videret finem, brachium suum inter gladium venientem et pontificis caput interponente, et exponente brachium suæ carnis ut de se ipso vel sic aptaret pontifici scutum protectionis, protectionem salutis, eo quidem adolescenti qui reliquit sindonem similis, quod secutus est Dominum, sed eo longe dissimilis, quod non fugit, imo quod fortius, quod fiducialius, quod audentius se exposuit et inchoatæ jam immolationis primus primum participium habuit; cujus memoria ut in benedictione sit, nomen hic intersero; dictus videlicet nomine proprio Edwardus cognomento Grim, castello illo in Anglia quod dicitur Cantebrige oriundus. Clericus

itaque hic graviter cæsus pondus ictus sustinere A cœpit. Verumtamen illo, cum se cæsum sentiret et pondus ictus sustinere non posset, confestim brachium retrahente, reliquum ictus in se pontificis caput excepit. Et jam sacer ille sanguis cœpit emanare per faciem. Sentiens itaque sacerdos ille Altissimi, semetipsum Altissimo immolans, immolationem jam inchoatam, confestim quod supra caput gestare consueverat abjecto pileo, attollens in cœlum oculos, genu flexo et orantis modo junctis ante se manibus, in templo ante altare sacerdos obtulit se ipsum hostiam vivam Deo. Et vere hostiam vivam sanctam, immaculatam, Deo placentem. Extendit itaque collum exponit caput, se et Ecclesiæ causam Deo et beatæ Dei genitrici Mariæ et sanctis Cantuariensis Ecclesiæ advocatis et beato Dionysio Francorum apostolo commendans B ut illi inter martyres potissimum Deo inspirante sic commendaretur Ecclesiæ causa, cui ipse in Ecclesia per martyrium simile jam assimilabitur, in pœna isto sicut et illo decalvato. Se itaque exposito mox causam Ecclesiæ quam egerat patronis commendavit et pro suis oravit.

5. DE ATHLETÆ INHIBITIONE IMPERIOSA.

Sed quid dico oravit ? Quin potius, etsi inter lanistarum manus, jam etiam in sanguine suo volutari inciperet, tamen super lanistas suos sacerdotalis officii auctoritate fungens adhuc, ex parte omnipotentis Dei et sub anathemate imperiose inhibuit ne quem suorum tangerent, ne quem læderent : revera, ni fallor, verbi Domini sui in passione memor : *Sime* inquit, *quæritis, sinite hos abire* (*Joan.* C XVIII) nisi quia hic non tam oratio quam imperium est et coercitio. Nec etiam tam orabat ut parcerent, quam anathematizabat eos si non parcerent.

Et quod dictu mirum et auditu, sed opus ipsum mirabilius quis potest hic dissimulare, quis pertransire, nisi forte invidus vel nescius sit ? quis tacere verbum? quis tanti potest sacerdotis hic subticere præconium ? Jam sanguis manat a cæso et tamen inter cædentium manus sacerdotalis officii nec in modico cedit auctoritas, potius inter gladios non ut ignavus et trepidus gladium suum reponit, sed audacter et viriliter exerit. *Ecce enim duo gladii hic* (*Luc.* XXII) ; inter gladios ferri gladius verbi. In hoc tanto discrimine, in hac hora tenebrarum, hunc Petri gladium athleta hic noster D prompte et fiducialiter exerit, et hoc sicut sacerdotem decuit suos defendit. Qui revera gladio ferri et se et suos defendisse potuisset, nisi quia legerat Petrum in passione Dominica objurgatum a Domino quod ad defensionem ejus gladium ferri exeruisset et servi abscidisset auriculam. Unde et ad abscidentis verecundiam restituta auricula, jussus est ipse reponere gladium in vaginam, Domino terribile illud subjungente : O*mnis*, inquit, *qui gladium acceperit gladio peribit* (*Matth.* XXVI). Neutro vero gladiorum in passione sua Dominus usus est : non gladio ferri, eo ipse Ecclesiæ indicans quod ecclesiasticis non competat hic, cui tamen servire debet ad votum et præceptum, non quidem in manu propria, sed aliena, cum viderit expedire sic. Nec etiam, cum esset et ipse verbum, vel gladio verbi usus est, eo ipso informans Ecclesiam minime ab Ecclesia judicandos eos qui foris sunt. Juxta quod Magister hujus magistri magistrorum discipulus : *Quid enim*, inquit, *mihi de his qui foris sunt? Nonne de his qui intus sunt vos judicatis*? (*I Cor.* V.) Unde et hic Thomas noster nunc in agone hoc, plus quam Petrus tunc doctior, edoctus tamen per Petrum a Domino a magistro etiam illo gladiatore, tutore gentium, apprime adinstructus arma sacerdotum non esse carnalia sed spiritualia, Deo et eos qui intus sunt a sacerdotibus judicandos non qui foris, primum gladium contemnit, et eum solum, qui Petro et sibi tanquam Petri successori competit super profanam illam cohortem, quæ solo nomine, sed non numine ; solo numero, non merito intus erat, audacter exerit, viriliter percutit : miro modo et stupendo quidem gladio hoc non se, sed solum suos defensans, et se exponens pro suis, nec gladio hoc repercutiens si ferirent se, sed solum si suos.

O pastor pius et vere pius, qui mox ut percussus, jam non alius quam ovium suarum jamjam dispergendarum sic meminerit. O fons sanguinis et pietatis eximius, in domo David recenter jam ortus, qui inter lanistarum fontem erumpentium manus sicut fluxu sanguinis, ita et profluvio pietatis emanare non destitit, ut sicut pastor ovium, ita et pater orphanorum probaretur. O ineffabilia pietatis viscera, o pingue, o holocaustum medullatum, suos defensans se ipsum non defensans, sed indefensum exponens, idem sacerdos et victima, in templo ante altare se ipsum pro se et pro suis immolans ; immolans, in quam nescio in quem vivificum coram Deo et mundo miræ suavitatis odorem. Tu itaque, Pater sancte, pastor piissime, Altissimi sacerdos magne Christi athleta audacissime, in defensando tuos patrem te probasti et pastorem. In immolando te pro tuis summi omnium sacerdotis secutus formam expressisti effigiem ; in exponendo te evangelicam etiam super adimplens perfectionem. *Si quis*, inquit *percusserit te in unam maxillam præbe ei et alteram* (*Matth.* V). Tu vero percussus in capite mox totum caput et corpus et te exposuisti totum.

O quam magna, quam inaudita super te, Thoma divinæ dispensatio pietatis, qua te talem tuis et tu tibi talem pro tuis exhibuisti. Jam usque ad sanguinem percussus non pro te gladio tibi credito re percutis, sed duntaxat pro tuis ; ne si pro te minus evangelicus videreris quasi propria vindicando injuriam, aut si tuorum dissimulares, non pastor, sed potius mercenarius videreris. O perfectionem evangelicam ! O virum evangelice perfectum, etsi plus quam perfectos non viderimus ubi in tanta amaritudine tam superabundans est tantæ suavitatis abundantia, tam fervida, tam rigida, tam districta sacerdotali æmulatione adjuncta, tanquam si suavissimo oleo vinum ferventissimum adjungatur ! Rever

nisericordia et veritas obviaverunt sibi in palæstra hac, in certamine hoc. Thomas si quidem hic noster nunc in agone corporis, sed ut videtur in excessu mentis, exitu suo de mundo jam imminente, quasi ui ipsius immemor, pro suis punit, pro se parcit, t gladium suspendit ut se solo exposito sui servaentur illæsi. Sui, inquam, qui in tribulationibus uis, in pressuris, in tentationibus variis per dura xsilii et aspera ipsum secuti fuerant viriliter et obecuti fideliter. O quam jucunda memoria, quam ulcis recordatio tantæ et tam superabundantis suaitatis abundantiæ, *Memoriam,* inquit, *abundantiæ uavitatis suæ eructabunt* (*Psal.* CXLIV.) Sed *quis dait capiti mea aquam et oculis meis fontem lacyrmaum et plorabo?* (*Jer.* IX.) non me quidem in mediis gnibus et fluctibus peregrinantem et periclitantem dhuc, non fratres meos oneris pastoralis mecum uondam comportatores et passionis consocios, jam mundo sublatos, sed plorabo quod ego tantæ suaitatis abundantiam eructare non possum, vix etiam nuiter ructans quod accepi ab aliis, quomodo enim uctarem quod non gustavi? Si quidem, ut supra emoravi, a domino meo et patre volente et jubente c, pridie quam certaret dimissus, non præsens fui, on vidi, interesse non merui. Sed miser ego defrauitus sum, ne viderem patris mei et magistri dimintis tantum in certamine robur, tantam constane firmitatem, tantam et tam suavem de pietatis sceribus affluentiam, qua se ipsum exponens diicavit pro suis. O si interesse mihi desuper datum, issem saltem a longe secutus ut viderem finem. ui etiam postea in somnis mihi apparens dixit mihi visu voluisse se ut interfuissem tunc. Et ego ipsi: Domine,» inquiens, « quia homo peccator sum, pessem quidem si fuissem occisus. » Et ille: « Non, » quit, « quia in meo sanguine baptizatus fuisses.» uoties igitur visionis hujus recordor, confundor et mpungor in ærumna mea, et exitus aquarum deicunt oculi mei, quod qui in tentationibus peransi, in fine tanquam repulsus et reprobatus filius tris consummationi interesse non merui. O si infuissem, de tam virtuosa, de tam suavi et tam ictuosa certantis plenitudine, aliis plenius eructam et fructuosius quod nunc exsangui et titubante ylo per venam tenuem vix distillo!

6. DE ITERATA DISCIPULI EXCUSATIONE.

Sed jam forte videor contra promissum meum in tris certantis descriptione prolixior. Verum cui leor sic, cogitet tantam in certamine hoc fuisse certando fortitudinem, in resistendo constantiam, contradicendo auctoritatem, in compatiendo pieem, et tantam denique in singulis totius Christia militiæ formam, ut non perfunctorie citum styli arantis transitum, sed singula potius studiose et m mora scribentis calami tractatum prolixiorem siderent. Præterea, sicut jam supradixi, et hoc n iterare non possum, invitus ad finem venio, em invitus dolens et gemens recolo. Jucundis ippe mihi et fructuosius cernere Thomam cer-

A tantem magis quam referre regnantem, Thomæ quippe certamen etsi non sit de mundo, tamen adhuc in mundo est et mecum est et illud video, verum Thomæ vincentis regnum, sicut nec de mundo est, nec in mundo est, nec mecum est, nec illud video. Verum in certamine stat tanquam adhuc inter nos invictus Thomas, et manibus exertis dimicans, omnes nos ad bellum provocat et manus nostras docet ad prælium. In regno vero manibus jam quietis sedens super solium deinceps ad bellum non provocat, sed bellantibus potius patrocinium præstat. Qualiter tamen aut quibus patrocinetur et quomodo, non novimus, non videmus, nec scimus adhuc, nec puto nos posse scire antequam videamus. Sed quid? velim nolim, etsi plorans et ejulans, etsi ascendentem
B patrem oculis sursum post eum pendentibus aspiciam, proh dolor! avelli me oportet et credere regnantem, quem certantem oculata fide descripsi. Et faciam vel ego Christianus quod fecit quidam sacrificans ethnicus, qui inter sacrificandum, cum audisset filium in bello occisum, mox coronam deposuit, verum cum in continenti audisset quod in bello viriliter egisset, capiti eamdem requisitam mox reposuit. Quid igitur moror? quid hæsito? quid athletæ Domini tam gloriose, tam strenue in acie stantis et dimicantis, tam gloriosum triumphum differo? Quid tam jucundum tripudium protraho? Quid, inquam, differo? quid prolixius traho spem populi et salutem, cleri libertatem et decus, imo et universæ Ecclesiæ patrocinium, et patrem et denique mundi totius fu-
C turum judicem? vincat fides, triumphet affectus, nec tam compatiamur patienti quam congaudeamus regnanti. Et tamen nos illi non compati, non condolere non possumus. Nos, inquam, et præsertim nostri officii viri, clericos dico, huic certe non condolere non possunt aut non debent, qui non pro se sed solum pro cleri libertate tam dura, tam dira, tam probrosa, prius in exsilio, nunc vero in martyrio, inter tam scelestorum, tam sceleratorum et sacrilegorum manus passus est.

7. QUOD DISCIPULUS FINEM MARTYRII INVITUS DESCRIBAT.

Quid igitur? Os meum aperiam et attraham spiritum, ut voluntarius, etsi tamen contra voluntatem, deinceps certaminis finem et ultimum certantis
D describam exitum, et in fine ejus qui sine fine est ego faciam finem, ubi tamen non est finis. Post certantis triumphum ipso jam in gloria deinceps mutus, nihil ex tunc locuturus de regno suo, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II), unde nec verbo nec stylo subjacet. Illa quippe æternitatis et indeficientis claritatis materia omnem temporalis et moribundæ linguæ obtundit sonum, obducit stylum, dictionum etiam proprietates absorbet, utpote sicut inaudita et invisa, sic et inexcogitata materia. Unde tacito hoc quod omnem et scribendi et loquendi modum excedit, consummationis viri finis, qui etiam præ nimia claritate sui et dignitate materiæ ingenioli

mei stylum obfuscando reverberat, mox describendus. Ad quem profecto finem eo jucundius accedo et ardentius, nescio tamen quo retardatus affectu, quod in fine certaminis athletæ certantis non finiatur, sed magis ac magis et ineffabiliter magis augeatur præconium. Et adhuc eo etiam plus voluntarius ad finem propero, quod finis hic etsi non omnis consummationis finis sit, quod est solius capitis consummationi reservatum, miræ tamen consummationis hic finis sanguis effusus hic. In quo latebat tunc tanquam in rosa medicamentum, in cortice balsamum; latebat, inquam, in sanguine tunc, sed manifesta nunc salus populi, decus cleri totius, denique ecclesiarum orbis patrocinium et ipsius corona immarcescibilis, quam gladiatores ferro super capitis et carnis ejus coronam tanquam super B aliquam incudem cudentes ipsi fabricaverunt pro corona coronam. Nec igitur est quod de cætero debeam ad tantæ consummationis finem properare invitus: unde siccatis lacrymis attracto spiritu amodo in fine historiæ super fine viri os meum aperiam. Et Dominus labia mea aperiat ut ad Domini gloriam gloriosi neomartyris sui in fine laudem digne annuntiem, ut juxta illud dictum antiquum ipsi omnis laus in fine cantetur. Habet enim pretiosus finis grande privilegium laudis: adeo etiam quod etsi quis ante mortem laude dignus sit, monet tamen sapiens neminem ante mortem laudandum unde et oporteret, si forte datum desuper sic, in ampliorem tam pretiosi finis laudem nos deinceps super extendere, cum juxta sapientem pretiosus ho- C minis finis totius laudis sibi privilegium vindicet. Quod igitur supra oravi et hoc nunc iterum oro, Dominus labia mea aperiat ut ad gloriam suam gloriosi neomartyris sui laudem os meum digne annuntiet.

8. DE ULTIMA VIRI CONSUMMATIONE.

Itaque ut jam supra diximus collo extento, capite exposito, orantis instar junctis manibus et flexis genibus, lictores, quod sine exuberante lacrymarum fonte inter singultus et suspiria tam crebro erumpentia vix dicere valeo; lictores, inquam, hinc inde feriunt et referiunt; feriunt inquam, et referiunt donec coronam capitis separarunt a capite. Et ita Christus Domini, unctus Domini ibi est immolatus, ubi unctus, sacro oleo unctionis succedente et cedente gladio occisionis. Nam sancto illo corpore in reliquis intacto et illæso, in sola illa corporis particula, qua sacerdotii et pontificii eminebat privilegium, inauditum illud sacrilegium admissum est. Et ita lictoribus decalvatus decoronatus est: et quidem non a tergo, sed qui usque in finem in anteriora se semper extenderat, patronus semper recti, recto corpore super ecclesiæ pavimentum jam moriens ante faciem cecidit. Et hic est consummationis viri finis. Et milites quidem hæc fecerunt quatuor cum cohorte in passione ipsius Christi Domini, sicut et in passione ipsius Christi, qui cum profana cohorte sua ecclesiam vix egressi, mirabantur si jam obisset. Et unus de cohorte revertens A accessit propius. Qui et ut certissime nuntiaret mortuum, qui tamen jam mortuus erat cuspide gladii fixit et sancti capitis cerebrum extraxit et super ecclesiæ pavimentum effudit; ut dicebatur, de præfata illa viperarum progenie, videlicet Robertus de Broc hic erat. Ecce Robertus hic, Longinus alter, nisi quia certe Longinus ille ab isto justificatus est. Ille quippe ethnicus lancea Christi latus aperuit et sanguis exivit, iste vero Christianus christi Domini capiti gladium infixit et cerebrum extraxit et super ecclesiæ pavimentum effudit illud, quasi vile lutum aut pulverem ad calcandum exponens, illis etiam in immanitate sceleris longe supereminens, qui Christi crura, quem obisse jam viderant, non fregerunt.

9. DE VIRTUTE PATIENTIÆ VIRI.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si ab initio nascentis Ecclesiæ vel etiam a prima sæculi origine fuerit dolor sicut dolor iste. Sto hic et hæsito, ultra progredi non possum, singultus et suspiria erumpunt magis quam verba. Stupet animus, plorat oculus, tremit manus, hæret stylus, et adhuc sto hic et hæsito, dubius admodum quo dictionis genere tantam in carne mortis patientiæ virtutem et tantam e diverso inter Christianos patrati flagitii immanitatem exprimere valeam. Debetur huic commendatio in sæcula sicut ineffabilis et inscriptibilis. Illi vero profanatio sempiterna, quæ similiter nec verbis exprimi nec stylo valet describi. Nam ut prius de tanta patientis viri virtute dicamus in hac decalvatione in decoronatione hac, in hac tam dura, tam dira capitis tonsione, ubi testa capitis cum corona unctionis separatur a capite, quod mirum dictu est et vix credibile, nec murmur resonat nec querimonia. Cæteri quidem martyrum si mox decollati non murmurarunt, mirum quidem sed non adeo. Verum hic noster in tam dura capitis tonsione, tanquam ovis coram tondente se, non aperuit os suum. Et bene et vere tondente: quid enim hæc captis tonsio est, nisi dura et dira coronæ tonsio, ubi testa capitis cum corona unctionis separatur a captite: vere tanquam ovis coram tondente et tundente: et vere tanquam ovis non quidem ducta, sed se ipsam ad occisionem ducens? Oblatus est enim quia voluit.

De gladio fracto.

Et cum gladiatores hinc inde percuterent et repercuterent mortem viri accelerantes, super testam capitis unius gladiatorum gladius frangitur. Frangitur quidem et frangitur, frangitur gladius et frangit os exterius, interiori quidem osse quod supra diximus in occulto factum a Domino infringibili, frangitur quippe gladius, sed Thomæ non frangitur animus. O os et os, os de primo Adam, os de secundo. Os quidem de primo Adam os ex ossibus est, de carne caro, sed de secundo os quidem ex ossibus est, sed non de carne caro sed de spiritu spiritus, de fortitudine virtus, de constantia firmitas, de patientia gaudium, de charitate mors. O ossei athletæ nostri

os jam non occultum, nec occultatum, vere a Domino factum. Quod etsi tenui quadam et tenera pellicea mortis tunica sit obvolutum, ferro tamen fortius, ferro firmius, ferro durius est, quod in palæstra hac ferrum fregit, se illæso.

De trucidati corporis compositione in ipso martyrii articulo.

Et ut adhuc, quod non solum ad virtutem sed et ad ornatum attinet, et velut ad privilegiatum quoddam martyrii decus, quadam decenti exterius membrorum compositione exterioris hominis, patronus hic noster paratum sibi decoravit martyrium, quasi indecens pro Christo mori judicans, nisi etiam decenter moreretur pro Christo. Nam donec consummaretur totum et inchoata perficeretur oblatio, sic immobiliter, sic uniformiter, et sicut æquanimiter sic æqualiter, flexis genibus, junctis, ut diximus, manibus collum semper extendit et caput exposuit, ut ipsa corporis compositio oraret Dominum, et ipsa pariter gladiatores invitaret ad ictum. Contra ictuum super se venientium vim nil opponit, nil objicit, de membris suis nullum subtrahit, nullum trahit vel retrahit, non manus conjunctas dissolvit, non hac el illac inclinat caput vel declinat, quominus vim ictuum in caput suum excipiat. Cujus, ut jam diximus, ipsa exterior compositio corporis tam immobilis erat, tam uniformis, tam æqualis, ut gladiatores ad feriendum invitaret. O in tam arcto artuum exterioris hominis compositio hæc inaudita, qua et oraret cœlorum Dominum et gladiatores pariter invitaret ad ictum. Mira revera et admiranda interioris hominis tam constans fortitudo et constantia tam fortis, quæ exterioris hominis actus sic componebat et artus, adeo quod etiam jam moriens non a tergo, ut supra diximus, sed ante faciem suam cecidisset, et prostratus orantis modo super Ecclesiæ pavimentum patronus recti recto se corpore prostrans, in ipso casu mortis decentem totius exterioris hominis compositionem obversans. Ecce quanta, quam inaudita, quam stupenda in interiori homine in martyrio suo patientiæ virtus, quam etiam totam tam decens, tam oruata totius exterioris hominis compositio sicut decorabat et declarabat; virtus quidem cum decore suo omnibus post futuris sæculis admirabilis sed imitabilis paucis; utrum vero cuiquam, nescio. Eo quidem admirabilior virtus hæc, quod etsi in nostro tempore hæc non tamen nostri temporis est vel teporis, quo homines se ipsos amantes et solum quærentes quæ sua sunt.

De enormitate sacrilegii.

Verum quo patientis virtus plus admiranda et gloriosior, eo sacrilegorum factum detestabilius et ignominiosius est. Hoc quippe sacrilegii opus si quis attendat et inspiciat, omnem Diocletiani, Herodis, Maximini aliorumve hostium Christi excedit debacchantiam, omnem Antiochi profanationem, omnem Juliani perfidiam et Herodis sævitiam, omnibus his justificatis ex sacrilego facto hoc. Isti quippe in fidei suæ adversarios aut quos hostes jam habebant vel suspicabantur futuros sæviebant. Sed longe aliter hic. Longe, inquam, aliter, si sacrilegorum horum fides, professio, pax data, gradus, locus pensetur et tempus. Nam si de fide quæritur, Christiani sunt reputati; si de professione; subjecti hi tam quam filii patri; si de pace, pax publice data et scripta; si de gradu, sacerdos, sacerdotum princeps; si de loco, Ecclesia Salvatoris, aliarum in regno mater ecclesiarum; in ipso etiam loculo sacræ unctionis infixo gladio occisionis, si de tempore, Salvatoris fuit natalis. Ecce quot tituli tam nobiles, tam novi, et ad hæc tempora inauditi, novi nostri martyris tam pretiosi, tam gloriosi martyrii triumphum illustrantes, e diverso sacrilegii facti augendo scelus profanant. Sacrilegii quippe hi et fidei et professionis suæ omnin obliti nec datæ pacis fœderi, nec tam alti gradus nec tam sancti loci, nec tam celebris temporis privilegio detulerunt, illis incomparabiliter immaniores qui Christum extra Jerusalem, ne quasi ex eo locus macularetur, in loco qui Calvaria dicebatur, crucifixerunt. Verum isti nil curantes, sive macularetur sive purificaretur vel sanctificaretur locus, in ipsa Jerusalem christum Domini decalvarunt de ipsa civitate tam sancta Salvatoris Ecclesia et matre omnium in terra ecclesiarum Calvariæ locum facientes, filii plus quam sanguinarii matris suæ, sponsæ sponsum et patrem suum in ipso matris suæ utero decalvantes. Sic hæc et alia quæ circumstant circumscripta pensentur, quis audivit unquam tale aut quis vidit simile? Transite et videre, intrate et considerate vehementer, si factum est hujuscemodi. Quis enim audivit? quis unquam vidit? quis fecit? ut in loco consecrationis in ipso etiam loco sacræ et sacri chrismatis unctionis a Christianis et filiis gladius infigeretur occisionis, ibi quidem et non alio, et jam mortui cum cruore et ossibus comminutis super tam sacri loci pavimentum spargeretur cerebrum capitis, aliis etiam quæ supra numerata sunt, augentibus tanti sceleris proditionem, tam inauditi sacrilegii nefas? Cœli certe obstupescunt super hoc, et quod valde omnibus metuendum, ne tota terra aliquo adhuc tempore desoletur vehementer, in qua patratum tam sceleste hoc, ut bibat et ipsa de hoc calice passionis, quæ tamen nec consors fuit nec conscia criminis, quemadmodum et in diluvio multi perierunt, qui non commiserunt, et in illo quinque civitatum Sodomitico igne multi concremati qui non corrupti. David quoque numeravit et gladius desævit in populum; Achar peccavit et populus corruit; Heli filii comederunt et Israelis obstupuerunt dentes. Hæc sunt enim Domini judicia terribilia super filios hominum; et multa abundant exempla super his, quæ et longum esset nec hujus temporis est nunc proferre. Sed utinam ego non sim vir habens spiritum et potius nunc mendacium præloquar. Siquidem genti meæ, nec oro nec opto nec voluntarius propheto malum. Absit potius, Domine, absit in die furoris tui, suspende gladium et in

spiritu judicii discerne, tuum distingue flagellum A ne pro impio justus cum impio conculcetur : gens tua, gens Anglorum, quæ dictum tam devote neomartyris tui victoris novi colit martyrium, non videat gladium, non sentiat ictum, non ferat flagellum, sed sit potius immunis a pœna quæ immunis est a culpa. Quod si in illicitis juramentis contra patrem suum et patronum se illicite obligavit, aliisve secus egerit, sicut supra in libello historico hoc, cum exsilii nostri describeretur asperitas, memoravimus, vis quidem fuit hæc, non consensus. Soli ergo illi, Domine, ultionis tuæ brachium sentiant, qui tam inauditi sacrilegii nefas fecerunt soli, aut qui consenserunt facientibus, quibus tamen et ego qui scribo hæc, etsi dominum meum tulerint et abstulerint, sic oro et opto ut B Dominus eos in judicio non in furore suo corripiat et corripiendo convertat magis quam conterat, ita tamen ut orbis universus ex tam scelesti horum facto profanatus, et quasi quodam maculatus incestu, manus suas in sanguinem ipsorum lavet. Verumtamen de his conversis vel contritis in fine libellus quem a materia Melorum nomine inscriptum huic historiæ mox adnexuimus edocebit. Præsentis siquidem loci et temporis est, et sicut historiæ ordo exigit, nos jam cœpimus sic sacrilegii hujus in primis exaggerare culpam et sequentem ex hac postea describere pœnam. Siquidem peccati vestigium pœna est quæ indicat præcessisse peccatum. Prius igitur agendum de peccato ; de pœna vero tanquam ejus sequela postea ; et quidem necessa- C rium sic, ut omnes, videlicet qui legerunt vel audierunt, apprehendat stupor, et ipsos sacrilegos dolor, et omnibus denique post futuris sæculis, ne de cætero attentent hujuscemodi, incutiatur terror.

Itaque, ut prætetigimus, ex sacrilegis his omnium, qui foris vel fuerunt vel sunt, sceleratorum scelera justificata sunt : nihil his et illis, non est respectus culpæ ad culpam, non pœnæ quæ debeatur ad pœnam, non est, inquam, respectus, non coæquatio, non comparatio ulla : longe quippe alia culpa et pœna alia civium qui civitatem produnt, alia vero hostium qui debacchantur exterius.

Unus vero carnificum militum, pœnitens quod egisset sic, diœcesano episcopo suo confitens secretius revelavit, quod cum ipsi prius ardenti animo D et quasi cum quodam accidenti tripudio ad sancti viri accelerarent occisionem, mox peracto flagitio in recessu suo, quasi tremulis jam et tremebundis videbatur singulis, quibus incedebant, passibus terra quasi aperta, et quasi parata ad ipsos vivos absorbendum. Episcopus, cui sic facta confessio, bonæ memoriæ Bartholomæus Exoniensis episcopus erat ; miles vero carnifex et confessus jam supra nominatus Willelmus de Traci erat. Sed nunc ad cœptum passionis ordinem et sacrilegorum amplius debacchantium adhuc præsumptionem inordinatam describendam revertamur.

10. DE SPOLIIS ET VESTIMENTIS QUÆ PARTITI SUNT INTER SE.

Confestim vero cum athleta hic noster, ecclesiæ patronus et cleri pater de mundo sic transiisset ad Patrem ; confestim, inquam, sacrilegi illi cucurrerunt ad spolia et arcas et scrinia et clitellas et caphnios confregerunt et christi Domine inter se vestimenta diviserunt ; et milites quidem hæc fecerunt ita ut illud de Christo huic christo Domini coaptari valeat : *Partiti sunt*, inquam, *vestimenta mea sibi* (*Joan.* XIX) ; et cum inter alia duo invenissent cilicia, quæ quasi quædam vestium imitatoria athleta ille Christi super nudo induere consueverat, non sunt partiti illa inter se, sed nec sortiti, cujus essent, sed illa tanquam vilia et sibi inofficiosa abjecerunt : admodum tamen jam consternati et stupefacti, quod tam grande, tam evidens obumbratæ religionis cernerent argumentum. Unde et mox plerique de cohorte, cum Centurione illo evangelico, tacite tamen præ timore, loquebantur sibi : *Vere homo iste justus erat* (*Luc.* XXIII). Et percutientes pectora sic revertebantur. Et quidem finis patroni nostri, christi Domini, sic erat, de quo fine circa historici libelli hujus finem nec prætterire debeo, nec subticere de visione quadam vere prophetica, quæ sicut miraculosa ita et certissima est, cum tamen per totam historiam hanc prophe ticas de viro hoc revelationes innumeras et signa propter infideles data, quibus omnibus mundo, e præsertim incredulis, viri probatur sanctitas ; hæc inquam, quæ alii viderunt et scripserunt, per totum libellum hunc prætermittam, solam tamen illam quæ mox subdetur, revelationem vere propheticam hic interserens, cum propter nimiam rerum certitudinem, tum propter referentis auctoritatem, sole quippe plurimum augere fidem referentis auctoritas, tum etiam præcipue propter ædificationem nostram, propter quam etiam scripsimus quæcunque per totam historiam de viro hoc scripta sun Visionis autem hujus certitudo sic omnino audit et sic pervenit ad nos.

11. DE MARTYRIO COGNITO IN JERUSALEM INFRA DIES QUINDECIM.

Patriarcha Hierosolymitanus, sicut notum es de Ecclesiæ columnis nobilioribus, qui nunc supe stes est, Heraclius nomine, vitæ sanctitate non in ferior, propter illius sanctæ terræ crebros et intole rabiles ethnicorum hostiles incursus partes peter cisalpinas demum in Angliam applicuit, a rege ex militibus regni militaris manus auxilium post lans. Et cum de beato Thoma et de ejus convers tione et vita tam sancta et fine tam glorioso creb sermo haberetur ad ipsum et ad alios, ipse int cætera assertione firmavit certissima sibi in Jer salem infra dies XV a martyrio martyris finem ce tissime cognitum et per totum etiam regnum illi ipsum divulgatum. Et ut referebat, erat cognitu sic.

Est in terra illa cœnobium, de cujus fratribus unus ab ineunte ætate et puritatis magnæ et conversationis sanctissimæ in die illo quo beatus Thomas passus est, infirmitatem patiebatur extremam. Et cum jam quasi extremum traheret spiritum, pater cœnobii accessit ad fratrem quem, pro sanctitatis suæ prærogativa, præ cæteris dilexerat et eo magis familiaritatis cum eo contraxerat gratiam. Unde et magis compatiebatur infirmo. Cum vero eum jam in extremis laborantem cerneret, paterne et cum lacrymis supplicabat ut cum migrasset a sæculo ipsum quem adeo in vita dilexerat, et aquo tamen dilectus fuerat de statu suo certificaret si tamen Dominus permitteret sic. Annuit frater: obiit, et infra dies paucos juxta promissionem suam ad patrem cœnobii reversus lætabundus se Deum videre et æternæ salutis sibi jam præmium redditum nuntiavit. « Quod, inquit, ut scias certissime in nullo hæsitans, scito quia cito post ut egressus a corpore ab angelis deportatus vidi Dominum; cito, inquam, post venit magnus quidam et supereminens cum processione ineffabiliter admiranda, sequente ipsum et hinc inde stipante et ducente, quam nemo dinumerare posset, angelorum multitudine, patriarcharum pariter et prophetarum laudabili numero, cum glorioso apostolorum choro, et innumerabili sanctorum martyrum purpurato et candidato confessorum exercitu. Stabat autem ille ante Dominum quasi martyr toto lacero capite, cruore, ut videbatur, sensim distillante per vulnerum rimas. Cui Dominus: *Thoma*, inquiens, *sic decet te intrare in curiam Domini tui.* Et adjecit: *Quantam gloriam donavi Petro nec tibi minorem dabo.* Et accepit mox Dominus miræ magnitudinis coronam auream et capiti ejus convulso et dilacerato imposuit. » Et adjecit, qui loquebatur frater mortuus: « Scito igitur certissime, quia Thomas hic magnus Cantuariorum antistes in his diebus occisus est et sic migravit ad Dominum. Et tu interim hæc tibi dicta nota, signa tempora. Modico quippe elapso tempore ex multorum commeantium relatu fido vera probabuntur hæc. Et tu per gloriosi martyris completum jam exitum tibi nunc prophetatum per me, deinceps de salute mea non dubites: præsertim cum et per alios cito sis accepturus, ut ego nunc tibi propheto completum sic. » Et his dictis mox disparuit qui sicut vere et vere prophetice loquebatur sic frater.

Et revera vere prophetice et omnia prophetica hic, ipse etiam locus propheticus hic, hoc per locum ipsum significante jam Spiritu sancto, videlicet, neomartyris gloriam tam cito in tam sancto et tam celebri loco evangelizatam per quatuor mundi climata citissime prædicandam, ut in omnem terram exiret sonus tam gloriose triumphantis. Militis siquidem a sæculo egressi in medio terræ, ubi Dominus operatus est salutem, ibi mox evangelizata palma, ut inde quasi a mundi umbilico ad reliquas circumquaque nationes gloriæ suæ nomen cito diffunderetur. In umbilico, inquam, juxta quod Dominus in propheta de Jerusalem: *In medio*, inquit, *gentium posui eam et in circuitu ejus terras* (*Ezech.* v).

Pater vero cœnobii, de morte fratris post revelationem sibi factam sic, non modicam consolationem accipiens, exhilaratus jam dictum venerabilem patriarcham citus adiit, et cuncta pandit ex ordine quemadmodum, supra diximus, nobis ipse patriarcha ore proprio enarravit.

Unde libet hinc intueri quam sit singulariter magnus, quam magnifice singularis, cujus gloriam frater ille jam angelorum concivis effectus primum terris evangelizavit, priusquam aliis mundi partibus, terræ sanctæ primum. Ibi christus Domini, vere sequela Christi, post mortem suam primum evangelizatus ubi et ipse Christus primum est evangelizatus post mortem. Et quemadmodum mors Christi mox mundo est declarata per solem, ita et mors christi Domini, jubente Domino, declaratur mox mundo, non quidem per alium, sed per angelorum concivem. Veri quippe solis Christi occasus mundo evangelizatur per temporalis solis obscurum, mors vero christi Domini per æterni concivis sui datæ salutis et concessæ claritatis æternum.

12. DE CONVENIENTIA MORTIS CHRISTI ET CHRISTI DOMINI.

O mors Christi, o mors christi Domini! Exemplar est hæc, exemplum illa. Et vere sic, si quis attendat et inspiciat quam magna convenientia, quam mira consonantia, quam concors, quam dulcis melodia sit pœnæ Christi ad pœnam christi Domini, oblationis ad oblationem, passionis ad passionem, mortis ad mortem. Concors quidem mélodia et ad audiendum dulcis, etsi ad respondendum gravis. Hoc est enim in propheta canticum illud pro Melech ad respondendum succinentis et subsequentis chori Christo præcentore. Et quidem chori hujus et præcentoris concors quidem melodia et dulce admodum canticum. Cum quadam tamen amaritudine dulce propter compassionem, nisi quia dulcescunt mox omnia propter fructum palmæ delectationem obtentam. Verum in libelli hujus historici fine plenius, attentius et commodius audietur concors melodia hæc, et tam dulce quam suave canticum hoc. Adhuc enim canticum hujus materiæ superaddendum ipsius necdum penitus contexta materia. Interim vero patroni nostri et patris, ad patriam suam jam reversi, sanctum corpus quod ex nobis et nobiscum adhuc, quod ascendens mortis suæ exuvias, nobis vero quasi legatum pretiosum dereliquit; hoc, inquam, sanctum corpus inhumatum adhuc debitis humanitatis oficiis prosequamur ad tumulum.

13. DE GESTIS POST MARTYRIUM.

Breviter tamen prætangendum, quod mox audita per civitatem illa prius inaudita tam scelesti, tam profana facti novitate, universa civitas consternata

obstupefacta et commota est, pectora sua tundentes A et manus super genua et manum ad manum præ stupore et dolore ferientes. Et patrem suum et patronum querentes et conquerentes confestim ad ecclesiam concurrerunt. Sed ut omittamus divites, soli pauperes acceleraverunt ad summi imperatoris militem trucidatum sic, utpote qui dum militaret adhuc pauperum fuerat sustentamentum, pater orphanorum, pupillorum adjutor, judex viduarum et mœrentium consolator. Tale hominum genus, et certe soli tales divitibus jam arescentibus præ timore et prementibus se; tales, inquam, et soli tales currunt, accelerant, festinant: festinant omnes, festinat quisque quemque prævenire, ejulantes, querentes et conclamantes, quo pater eorum et B patronus devenisset.

Respiciamus ad passionem Christi et videamus si non sic in hac passione christi Domini, sicut in passione ipsius Christi, si non in passione militis, sicut et in passione imperatoris. Ibi piscatores, ibi mulieres, soli duntaxat pauperes hi cæteris occultis similiter propter metum. Nec immorandum hic, nec plus quam necesse capitis et membri sui conferre et coaptare passiones. Legentibus et scientibus hanc et illam solum hic sufficit tetigisse. Unde et omissis cæteris ad pauperes nostros revertamur, qui sicut Christi pauperes ad Christi monumentum tunc, ita isti nunc ad ecclesiæ pavimentum cucurrerunt, super quod sanctum illud corpus adhuc jacebat, exanime, necdum in monumentum positum. Quod pauperes currentes et præcurrentes mox de- C vote adorant, et cum summa reverentia manus deosculantur et pedes. Hi vero pitacia, alii mapulas in sacra illo fonte sanguinis, qui ubertim super ecclesiæ pavimentum emanabat, tinxerunt, devotionem et reverentiam neomartyri exhibendam et gloriam ipsius in brevi per mundum ampliandam jam velut quodam futurorum præsagio prophetantes.

Demum vero circa noctem, vespera quippe erat cum opus illud tenebrarum ageretur, testa capitis cum corona unctionis, quæ in modum disci dependebat a capite, per cutis modicum fronti hærens adhuc, capiti resolidatur et coaptatur ut potuit, et sicut jacebat super pavimentum, nec exuto ac huc nec loto corpore, ut monachalis præsertim mos est D sepelire defunctos, corpus illud sanctum choro ante altare majus monachorum infertur humeris.

14. DE FORMA JAM EXANIMIS CORPORIS.

Tota vero nocte illa, post grande profluvium sanguinis quod super ecclesiæ pavimentum jam emanaverat, sanguis sensim per rimas vulnerum capite resolidato distillabat. Unde et quod dictu mirum et grande ipsius virtutis Domini miraculum grata admiratione dignum, post cædem tam acerbam, post gladiorum percussiones tam duras, ubi testa capitis cum corona unctionis separatur a capite, post tantum profluvium sanguinis et demum post tam densas tota nocte sanguinis stillas, post omnia hæc non facies pallidior, non macrior, non frontem sulcabant rugæ densiores, non oculorum orbes contractiores, non oculi plus resonditi [non humor ab ore profluens aut naribus], non collum plus exesum non humerus demissior, non digitus rigidior, non cutis laxior est. Denique in nulla corporis parte ulla poterat extenuatio seu exinanitio deprehendi; ipsa corporis mortui viva compositione probante hanc sancti viri ultimam exanimationem non exinanitionem fuisse. Et revera decuit, ut qui moriens tam decentem, tam decoram ut præscripsimus Domino corporis sui compositionem servaverat, quam nec atra mors imminens potuit deformare, decuit, inquam, ut ipsi mortuo, quia jam non poterat ipse Dominus retribueret simile. Et retribuit quidem, hæc enim, quam descripsimus, stibio depingenda, potius quam tetris calami litteris describenda, hæc, inquam, fuit gratia, hic decor exanimis corporis in capite sic tunsi et tonsi sic. Quod certe erat magis quam mortuo placide dormienti similius, ita ut hæsitarent nonnulli etiam si obisset adhuc. Hæc, inquam, fuit gratia, hic decor totius corporis, hæc faciei vivacitas, hæc jucunditas, hæc hilaritas exhilarati, imo jam impinguati in oleo. Hæc, ut supra nos dixisse meminimus, hæc fuit gloria vultus ejus reversi ab exsilio in primo ecclesiæ suæ ingressu inchoata, nunc vero in egressu repatriante ipso consummata: quam non vehemens mortis spiritus exsufflare potuit, sed magis de claritate in claritatem transformavit tanquam a Domini spiritu. Sed quid? Certo certius et luce clarius, quod tam decora, tam jucunda compositio corporis mox quasi præco fuit prædicatrix et nuntia æternæ suæ jucunditatis, ut quam præfatus ille frater angelorum concivis in visione spiritualiter, hic in præsenti oculo ad oculum corporaliter probaretur, ut sic inter exitus sui initia quasi in ore duorum gloriæ suæ testimonium staret. Jacuit itaque in lectica nocte illa tota sancti viri corpus ante altare ecclesiæ majus, qui tamen jam introivit ad altare Dei, ad Deum qui lætificabat dolorem ejus. Jacuit autem corpus, sicut nec lotum, nec exutum adhuc.

15. QUALITER SANCTI VIRI CORPUS SIT DEDUCTUM AD TUMULUM.

In crastino vero reaccedentes viperæ, de jam sæpedicta progenie viperea, virus suum per linguam suam lanceatam evomentes, terribiliter, intonant, si corpus seductoris illius super terram foret adhuc: adjicientes quod nisi citissime ab hominum oculis amotum absconderetur sub terra, illud per totam civitatem equis distrahendum aut suspendendum patibulo: inhibentes etiam ne corpus seductoris inter sanctorum pontificum sarcophaga poneretur.

Mox vero quidam fratrum monachorum præ tam horrida tam sacrilega comminatione stupefacti et exterriti, accelerantes, a lectica in qua jacebat deposito corpore primo ipsius cœperunt vestimenta tollere et post, ut moris est monachalis præsertim,

lavare corpus. Verum prima tollentes vestimenta, quibus ad oculos hominum utebatur, interius omnia invenerunt dissimilia, juxta illud Sapientis : Frons, inquit, tua populo conveniat, intus vero omnia dissimilia sint. Quod quidem in isto : invenerunt quippe mox interius atrum quoddam colobium absque caputio tamen. Quod ipsi mox cucullam monochalem interpretati sunt. Quo exuto intime repererunt totum corpus cilicinis coopertum. Cilicium in humero, cilicium in brachio, cilicium in dorso, cilicium in tibiis, viri toto corpore cilicinis quasi obsuto. Hæc erat poderis, hæc talaris vestis Joseph : hanc, ut circa historiæ hujus initium nos dixisse meminimus, ex quo in sacerdotium promotus mox induit, usque ad martyrii sui consummationem non exuit; fratres vero, in quorum manibus sanctum illud corpus erat, præter spem suam, imo supra mundi æstimationem videntes sic, cum magno tripudio, imo cum quodam mentis jubilo confestim alios de fratribus convocarunt. Et quia inter ipsos plerique, quemadmodum, et mundi homines, de viri sanctitate dubitaverunt, videntes nunc sic, terribiliter stupefacti et salubriter contriti, immobiliter confirmati sunt. Et quasi viso terræmotu et vere ipsius terræmotu carne tam delicata, tam fragili adeo mota, imo immutata sic, viso, inquam, terræmotu hoc quasi evangelico illi centurioni mox conclamentes succinerunt, dicentes : *Vere Filius Dei erat iste !* (*Matth.* xxvii). Igitur postquam exutum fuit, postqua[m] lotum, acceperunt mox corpus Thomæ et al[b]is induerunt vestimentis, sicut mos est pontifices sepelire. Erat autem in crypta ecclesiæ monumentum novum, excisum de petra a multis diebus quasi ad hoc adeo præparatum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et propter metum in ecclesiæ crypta illud quasi abscondentes posuerunt corpus Thomæ in hoc monumento novo, quod erat excisum de petra, anno ab Incarnatione Domini 1171, vitæ vero ipsius anno circiter quinquagesimo tertio.

—

INCIPIUNT CAPITULA TOMI SEPTIMI.

TOMUS SEPTIMUS,

I. DE CATALOGO ERUDITORUM THOMÆ.

Et quoniam in historia hac de eruditis Thomæ unc domini et gloriosi neomartyris nostri crebro nentio facta est, ut ipsorum nomina in æterna beedictione sint, qui in tanta tempestate inter tot naris voragines patri laboriose nihilominus et periculose navem suam ducenti navigii coadjutores xstiterant; ipsorum, inquam, tanquam virorum llustrium, nomina in historiæ hujus calce exprinere commendabile duxi.

1. In primis igitur et supra omnes eruditos hos mnium eruditior ipse Thomas ; sicut eruditior, ita t insignior, reseus et rubicundus, lavans in vino olam suam et in sanguine uvæ pallium suum. Qui nperatoris sui instar torcular calcavit solus, et de dom tinctis vestibus de Bosra cœlum ascendit.

2. Inter eruditos vero Thomæ eruditissimus præarus quidam, sicut natione et nomine Lombardus, e præclara civitate Placentia oriundus. Hic, ad uo matris suæ sponsæ ubera diutissime dependens, ndem ablactatus a lacte, appulsus ab uberibus, sapientia et scientia magnus effectus est, Hic iscipulus tempore, quo vacabat, quietis et otii maistrum in exsilio canones docuit. Ad cujus etiam ocentis pedes quotidie sedebat discipulus qui scriit hæc. Nobiscum semper erat comes individuus, uousque tandem ob præclara ipsius merita ad Romanam Ecclesiam ab exsilio vocatus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis effectus, demum per Romanum pontificem n Beneventanum archipræsulem promotus est.

3. Post hunc Joannes dictus cognomento de Saresberia natione Anglus ; qui ex re nomen habens per Dei gratiam duos sibi in capite sponsæ oculos coaptarat, sermone sapientiæ et sermone scientiæ abunde sibi dato, per spiritum. Hic cum neomartyre nostro in tentationibus ipsius strenue et viriliter ad finem usque permansit. Qui ob præclara, non ut reputabat sua, sed potius neomartyris nostri merita gloriosa, cito post domini nostri martyrium a patria sua Dei vocatione evocatus in Senonensi provincia, in qua nobiscum exsulaverat prius, in Carnotensem episcopum promotus est.

4. Post hunc Robertus, cognomento Folioth, natione Anglus, tunc archilevita Oxenefordensis, in gratiis et virtutibus multarum facierum persona. Cujus si vitam et actus cerneres, in duabus sororibus sibi maritaliter copulatis alterum Laban socerum judicares. Verumtamen hic patrem suum de terra egredientem et peregrinantem ob quasdam causas secutus non est, ut non sequeretur paterna prius licentia et benedictione accepta. Hic postea, ob præclara ipsius merita, in Herefordensem episcopum promotus est.

5. Post hunc, Reginaldus natione Anglus, sed sicut educatione et cognomento Lombardus, pro ætate prudens et industrius, animosus et efficax in agendis, qui extra patriam aliquanto tempore nobiscum fortiter stans, cito doloris nostri fuit principium : ob causam tamen propter quam a nostro agone et paupertate ad aulam confestim se transtulit ut ubi militans principi fortius præliaretur contra nos. Iste tamen in domini nostri morte sicut pretiosa et triumphali, salubriter præstante Altissimo, ad quondam dominum suum et patrem conversus est et reversus. Qui etiam postea, industria et probitate ipsius promerente, ab aula ad Ecclesiam assumptus. in Bathoniensem episcopum promotus est.

6. Post hunc nomine et fama celebris, Girardus nomine proprio, cognomento Puella, natione Anglus. Iste post longos potus turbidarum aquarum Sior, hausit sibi tandem purissimas de fontibus Siloe. Quem dux noster et pater, priusquam peregrinaretur, primus in ordinem clericatus promovit, et primus ei beneficium ecclesiasticum contulit. Qui cum tota die cucurrisset nobiscum, tandem circa diei vesperam in cursu remissior quærens requiem aliquantulum a nobis divertit. Qui tamen postea post domini nostri de hoc mundo transitum bonæ mansuetæ et honestæ conversationis suæ et, scientiæ meritis in Conventrensem episcopum promotus est.

7. Post hunc Hugo, cognomento de Nunant, natione Normannus, tunc archilevita Lexoviensis pro juventutis suæ annis tunc in consiliis discretus, in agendis providus, et strenuus in exsequendis : verum peregrinatione nostra necdum finita, reconciliatus principi de Patris nostri licentia est reversus. Qui per annos a principe fidus repertus, et strenuus sive ab aula sive ab Ecclesia nescio, sed hoc scio quia illo de quo proxime locuti sumus felicis memoriæ Girardo decretam universæ carnis viam ingresso, ad eamdem sedem pontificalem promotus est.

8. Post hunc Gilbertus, cognomento de Glanvile, natione Anglus, formam habens conversationis bonæ et honestæ, et omnium inter quos conservabatur bonorum moribus se conformans, et in utroque jure scientiam commendabilem assecutus. Hic postquam nobis semel adhæsit, nos deinceps non deseruit ; verumtamen vocatione omnium novissimus fuit. Et tamen, Altissimo disponente sic, qui fuerat vocatione novissimus, factus est patri nostro dignitatis loco proximior, jam quippe cum scriberem hæc, in episcopum Rophensem electus.

9. Et ut mox de societate nostra non quidem episcopos, sed alios privatos, viros tamen magnos et industrios enumerem, post hunc erat Radulfus, cognomento de Serra [natione Anglus, vir mitis, mansuetus et socialis], qui, etsi non episcopus, vitæ tamen sanctitate et scientiæ plenitudine adimplebat episcopum. Hujus, cum uvam acerbam non gustas-A set, obstupuerunt dentes, quia cum nec fuisset de familia nec de archipræsulis domo, cum parentibus suis jam magis sepulcro quam exilio aptis, exturbatus est et proscriptus. Qui postea, ob præclara viri merita, Remis in metropolitanæ ecclesiæ decanum promotus est.

10. Post erat Jordanus, vel, ut alii nominant, Gordianus cognomento de Meleburna, natione Anglus, tunc Cicestrensis archivelita, ejusdem ecclesiæ decanus postea, vir pro ætate et pro tempore quo litteris operam dederat non mediocrem scientiam assecutus, verum quia villam emit, excusavit se et patrem peregrinantem secutus non est.

11. Post hunc Matthæus natione Anglus, sicut natione et cognomine Cicestrensis, juvenis ingenio B acer, probus et industrius. Qui cum jam commode profecisset in litteris, curiarum et curarum sæcularibus nexibus a litteris retractus est, cum hæc scriberem jam Cicestrensis, decanus. Hic vero, quia minime vocatus, patrem peregrinantem secutus non est.

12. Post hunc Gervasius, similiter sicut natione et cognomine Cicestrensis, juvenis certe tunc sicut in moribus et in litterarum scientia commendabilis, verum et iste cum nec vocaretur, patriam egressus non est.

13. Post hunc Joannes, cognomento de Tilleberia natione Anglus, vir multum habens pectoris et multum oris. Qui tanquam scriba doctus et velox mox cum necesse de cordis sui thesauro nova et ve-C tera proferebat ; verum ipse corpore jam gravis et annosus, quod patrem peregre proficiscentem non est secutus excusatur.

14. Post hunc Philippus, cognomento de Caune natione Anglus, vir lenis et simplex. Qui corpori et mentis vires in humani juris studio jam exhauserat plurimum patrem suum peregrinantem secutus. Sed cum aliquantisper supposuisset humeros suos, sed minime sufficeret tanto tempore ad onus paupertatis portandum, vidit requiem quod esset bona et repatriavit, prius tamen paterna licentia et benedictione accepta.

15. Pos hunc Hervæus, cognomento de Londoni unde et oriundus. Hic mutuatis vasis aureis et argenteis ab Ægyptiis in deserto mannate saturari D optabat. Sed a patre nostro ad virum apostolicum missus obiter morte præventus est.

16. Post hunc Gunterius, cognomento de Wintonia, unde et oriundus ; homo simplex et rectus, t[...] moratus et sine querela. Cui quod defuit in scientia, commodius ipsi desuper est suppletum in vita ipso cum Zacchæo statura pusillo, super sycomorum ascendente ut vel sic transeuntem videret Jesum Hic cum magistro in tentationibus usque in finem fideliter permansit et constanter.

17. Post hunc Alexander, lingua pater vocatus Cuelin, sicut natione et cognomento Gualensi Edoctus quidem in litteris, jucundus in verbis in verbis jucundis multus. Cujus tamen non omn[...]

virtus in ore ipsius ; quin potius sicut nec lingua nec ei defuit manus. Cum patre nostro et pro patre nunc ultroneus, nunc jussus, nunc vero missus, crebro inter multa pericula caute quidem et fortiter operans et constanter, et quod in natione illa valde pretiosum, sicut operans ita semper et ubique domino suo fidem servans.

18. Fuerunt adhuc et duo, unus dictus Rothlandus, alter, vero Harialdus, natione Lumbardi, viri quidem industrii et præpotentes in litteris. Quos pater noster jam peregrinans vocavit ad se. Quibus intuitu litteraturæ suæ et prudentiæ, cum pauca haberent, de sua paupertate communicabat, per annos singulos primo quem prænominavimus marcas decem, alteri vero centum argenteorum solidos singulis peregrinationis suæ annis largiendo.

19. Superest de hac nostra domini nostri beati martyris societate unus adhuc domino nostro charus admodum et acceptus. Quem quidem pono per se, quasi singulariter magnum et magnifice singularem, et etiam quia vocatione inter novissimos. Hic est Humbertus nomine proprio, natione Lumbardus, de inclyta illa civitate quæ Mediolanum dicitur oriundus, vir opere plurimum potens et sermone. Qui sicut de virtute ad virtutem, pariter et per ecclesiasticos ascendens gradus, cum adhuc exsularemus, primo fuit Bituricensis archidiaconus, et tunc a domino nostro vocatus, de nostra societate factus est quasi unus ex nobis. Postea vero ob præclara ipsius merita in Mediolanensem archipræsulem. unde et ortus fuerat, est promotus. Et exinde primo secundove hujus promotionis suæ anno in omnium patrem et patronum est conversus, de archipræsule in summum Romanæ sedis pontificem sublimatus, hodie totius Ecclesiæ rector, sicut re et nomine Urbanus tertius.

20. Ex isto igitur, quem posuimus, tam prudenti, tam forti felicis societatis catalogo, æstimare possumus quam magnanimus, quam magnificus et quam munificus fuerit dominus noster gloriosus martyr hic, qui, etsi omnibus nudatus et proscriptus causæ Dei et Ecclesiæ tales secum et tantos patronos conquisivit.

21. Fuerunt tamen et alii nonnulli inter hos, quos etsi eruditos et strenuos hic non exprimo, domino quidem suo nihilominus fidem servantes et cum eo cursus agonem usque ad metam debitam strenue et viriliter consummantes. Inter quos, auctore Domino quasi abortivus et eruditorum minimus discipulus qui scripsit hæc, Hebertus nomine proprio, natione Anglus, et sicut natione et cognomine de Boseham.

22. Et ne illum, de quo sermo tam celebris est, de quo etiam in historia hac supra per loco tetigisse me memini, clericum illum videlicet in agone martyris brachio vulneratum prætercam, ipse quidem nomine proprio Edwardus, cognomento Grim, natione Anglus, quem hic per se ab aliis seorsum pono, quia ipse etsi de provincia, de archipræsulis tamen propria familia non erat : sed casu sic ad archipræsulem suum nuper tunc reversum ab exsilio visendum venerat. Unde ipsum in historia hac in archipræsulis eruditorum catalogo hoc nequaquam pono. Qui tamen jam a rebus humanis exemptus, sicut sperandum, ab Altissimo in supercœlesti sanctorum suorum catalogo jam positus est.

23. De his autem, quos in istorum eruditorum pono catalogo, ut supra singulos enumerando notavimus, quidam nobiscum ad prælii pondus sustinendum audaces, robusti, strenui et constantes paupertatis amici permanserunt, pauci abierunt retro. Et in hoc etiam miles suo conformis imperatori. Nam ut nunc de aliis prætercam, nec enim eorum quisque, quos imperator ipse ad apostolatum elegit, permansit, et ut omnium eruditorum nostrorum nunc concludam catalogum, omnes viginti.

24. Nemo autem miretur, calumnietur, nemo, si inter alios in isto eruditorum catalago enumeraverim aliquos qui patrem suum peregrinantem secuti non sunt. Hi inter illos, ut videri potest, amicos potius numerandi, qui cum sint socii mensæ minime tamen permanent in die necessitatis. Aut etiamsi aliquos horum nominaverim, qui patrem quidem peregrinantem secuti, sed tamen, necdum peregrinationis labore finito, sunt reversi. Qui nihilominus fragili illi et seducibili mulieri possunt videri similes, quæ retro respiciens in statuam est conversa, sive illi qui manum suam misit ad aratrum, sed et similiter retro respiciens regno se ineptum reddidit. Si inter alios, inquam, eruditos et hos et illos hic enumeraverim, nemini mirandum calumniandumve hoc. Sciat potius universa mater nostra catholica, quia et illi qui patrem peregrinantem secuti non sunt, sive qui secuti et reversi, fere quotquot paterna prius licentia et benedictione accepta sunt reversi. Et compassione paterna quotquot hi absoluti a patre. Et præterea unum etiam adhuc scimus omnes et mundus videt sic. Unde nec sermo noster apologeticus pro ipsis necessarius nunc, quia et illi qui non secuti, et qui secuti nec tamen permanserunt, si quo contra patrem suum gesserint, si quo offenderint modo, salubriter sunt conversi : et totis cordis visceribus in summa memtis devotione, quidquid prius gesserint, per mortem et post mortem patris tam pretiosam, tam triumphalem, coram patre suo humiliati et ad ipsum amantissime sunt reversi.

Tu igitur, pater sancte, martyr gloriose, qui prius in campo una cum imperatore tuo athleta fortissimus, nunc vero in solio triumphator es gloriosissimus, qui per mortem tuam et mortem ipsam et ipsum pariter vicisti, qui super te mortis imperium, habuit, serva eos qui tecum in tuis tentationibus permanserunt, ut mereantur fieri socii consolationis, qui socii fuerunt passionis. Serva, inquam, domine, omnes quos in nomine suo tibi Dominus dedit, illius non immemor qui cum dilexisset suos, usque in finem dilexit eos. Serva et omnes qui tibi fideliter sunt obsecuti sive secuti sint et reversi, sive qui a te non reversi, quia

te ex licentia paterna non sunt secuti. Et mihi discipulo tuo tali quali nunc historiographo tuo, per avia et invia deserti erranti et te quærenti, de tuo duplici spiritu vel modicum quid impertiri digneris. Non quod ego, peccator homunculus, Elisei prophetæ tam eximii mihi usurpem quid, sed quia Elias es tu, quod mundo et spiritus et virtus et ne quid deesset, etiam, ipse habitus indicavit. Mihi ergo puero tuo, qui tibi in vinculis Evangelii ministrare consueveram, vel de filo prohetici subtegminis tui, ne inter deserti hujus frigora nudus peream, tu ascendens huc projice. Nec enim credendum quod, etsi ignitum currum tuum jam conscenderis, te in tanta gaudiorum abysso sempiterni illi inacessibilis claritatis et dilectionis Spiritus sancti ardores sic absorbuerint: quin peregrinantium et periclitantium adhuc filiorum tuorum sis memor; quin potius eo ipso ad subveniendum promptior, sicut credibile nunc, es et potentior, quanto nunc ipso indeficienti æternæ pietatis fonte debriatus, per mortem tuam triumphalem amplius confirmatus est principatus tuus. Sed ne quis vindicet proprium quod totius Ecclesiæ commune beneficium et gaudium est, sentiat sicut sperat in sanguine tuo, gloriose martyr, populus salutem, clerus libertatem et universus ecclesiarum orbis patrocinium, ut sicut tibi pax, ita sit et quondam coadjutoribus tuis pax et peregrinis tuis pax et Ecclesiæ tuæ et universo Ecclesiarum orbi in sanguine tuo pax; et sit clero necdum plene, etsi ex parte, jam adepta per sanguinem tuum libertas plena, pro quo novo modo et inaudito fortiter constanti et constanter forti tu te ipsum offerre voluisti.

II. NE QUIS HANC MARTYRIS HISTORIAM MUTILET DEPRECATUR.

Hoc autem circa historiæ istius finem oro, opto, et sicut audeo, ipsius etiam martyris nomine inhibeo, ne quis lectorum hanc martyris historiam, etiamsi cui forte videatur prolixior, ullo unquam tempore aut mutilet aut excurtet; prolixior dico, quia et ego ipse prolixam fateor, quam tamen absque multorum offensa et magnorum, quorum ego hujus historici operis eram debitor, non potui evitare aut licuit: qui non solum tanti viri opera, sed et causas operum, pariter et quæ ipsis inerat ædificationis virtutem instantissime a me describi postulabant. Quod totum molesta verborum brevitate stringi non poterat, tam ampla operum et virtutum magnificentia dilatatum. Et inde sunt crebræ, quas per historiam fecimus ædificationis gratia evagando, digressiones. Quod si forte calumnietur quis hoc contra legem historiæ, si placet indulgeat, recolens factum sic non ex multiloquio meo, sed pro voto amicorum Nec tamen, si quis bene historiarum inspexerit schemata, hoc contra historiæ legem, imo verius secundum legem. De quo tamen alias. Verumtamen etsi liber historicus hic etiam contra historiæ legem sic excreverit, oro tamen et opto ne ipsum quis mutilet aut excurtet, nisi forte velit invide tanti viri operum extenuare virtutem aut deprimere gloriam. Non, inquam, mutilet, nisi forte aliquid excipiat, quod dignum judicet publice in ecclesia legi, præsertim in festivos martyris natalitio die. Si novit melius, corrigat, hoc quidem placet: sed hoc oro, *ne mutilet*. Pro multis dico qui de alieno et veteri suum quasi novum cudentes, persæpe, quæ magis necessaria tanquam superflua resecant, aut ipsa superflua tanquam plus necessaria retinent; persæpe etiam in originali inventa juxta sensum suum interpretando et mutilando corrumpentes; nec in ipsis auctoris verbis auctoris mentem sequentes, sed ipsa ad propriam suam trahentes. Hujuscemodi quidem mutilatores, arborum et vitium, in ramis et palmitibus luxuriantibus resecandis, incautis putatoribus similes; qui persæpe magis fructuosa et plus necessaria resecant, dum putant se arida vel spuria tanquam superflua resecasse. Tu igitur, quisquis es, si librum historicum aliumve nosti condere, conde tuum, non facias de meo veteri et a me elaborato tuum illaborate novum: aut si non nosti condere tuum, quomodo corrigendo meum et quæ tibi non videntur superflua et forte magis necessaria resecando de meo quæris facere tuum? Si potes, me ipsum conveni ut me corrigam: sin autem, meo intacto, tuum novum compone: unum dico, quod utinam absque mutilatorum offensa dixerim, sive historicus sive alius liber mutilatus nunquam mihi usquequaque fidus erit, nec ego ipsi. Etiam et ipse placuerit, semper tamen mihi suspectus est, nec unquam plenam ipsi adhibiturus sum fidem.

III. LEGENTIUM HANC HISTORIAM ORATIONIBUS SE COMMENDAT.

In hujus vero historici libelli calce ultimo id oro et supplico, ut quisquis in peregrinatione mea hac seu finita ipsa historicum hoc martyris canticum audire desideraverit, mihi tali quali historiographo orationum et meritorum suffragiis fraternæ unitatis intuitu communicare dignetur et semper derelicti sit memor. Amen.

(*Ex omni hoc libello quinque solum deficiunt plagulæ sive paginæ decem. In duobus tribusve locis inserta sunt pauca ex Quadrilogo desumpta et uncinis inclusa. Vide plura de hoc in Quadrilogo secundo. Vit. S. Thom. supra*).

HERBERTI DE BOSEHAM

LIBER MELORUM.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI MELORUM

—

Finita sancti viri historia velut quodam præmisso A cantico, mox sicut citharizantium mos est, ad laudem martyris tres subjicimus consonantias, ex quibus formati sunt meli tres. Prima consonantia est de consimilitudine seu concordia visibilis pugnæ martyris militis ad visibilem pugnam Christi imperatoris; et inde formatur melus primus. Secunda consonantia est de concordia visibilis palmæ militis ad visibilem palmam imperatoris; et inde formatur melus secundus. Tertia vero consonantia est de concordia invisibilis palmæ militis ad invisibilem palmam imperatoris; et inde formatur melus tertius: unde et libellum consonantias has citharæ instar resonantem nomine melorum inscripsimus. In quo nonnulla de post martyrium gestis continentur. Cujus quia tota pene materia de præmissa martyris pendet historia, libello historico istum melorum mox adnectimus. Finito vero isto melorum libello, adjicio in volumine hoc homiliam unam de martyris natalitio die. Et in fine voluminis postponitur funestum illud chirographi scriptum, quod prius exsilii nostri et postea martyrii causa fuit.

CAPITULA IN LIBRUM MELORUM.

Expliciunt capitula in librum Melorum.

Libello vero melorum cum tribus melis suis con- B summato adjicit homiliam suam unam de martyre, quæ sic incipit ; *Cantemus Domino.* In omnium vero calce scriptum : illud funestum chirographi instar confectum postponitur quod primo, ut mundus vidit et invidit, archipræsulis exsilii et demum martyrii causa fuit.

—

PRIMUS HIC MELUS

DE VISIBILI ET CONFORMI PUGNA MILITIS AD CONSIMILEM PUGNAM IMPERATORIS

INCIPIT LIBER MELORUM

Finita vero de sancti viri vita et actibus historia ac, quasi quodam de tanti Christi athleta præmisso antico, post qualecunque canticum hoc tempus unc exigit, ut deinceps, post tam difficilem pugnam C t tam gloriosam victoriam, ad ejusdem laudem tramque moveamus manum, utrasque pulsemus hordas, et humilis et manu fortis David tanamus citharam ; ut juxta promissionem nostram upra in historico cantico hoc, quam consors, uam consonans, quam concinens harmonia sit ugnæ militis ad pugnam imperatoris, agonis ad gonem, sudoris ad sudorem, pœnæ ad pœnam, ccursus ad occursum, oblationis ad oblatioem, audientiæ ad audientiam, passionis ad pasonem, mortis ad mortem, sub quodam melo brevi, si in gravibus chordis citharæ dulci tamen resoemus. Nec arbitretur quis me sudores et agones imperatoris et militis, seu palmæ hinc inde gloriam coæquare velle aut attentare hoc, sed solum conferre agonem militis cum agone imperatoris, tam sedulo, tam fortiter, tam viriliter, tam e vestigio imperatorem suum etsi non consequentis, subsequentis tamen, et tam concorditer succinentis et respondentis in choro imperatore ipso Christo præcentore. Nemo autem meli hujus auditorum exspectet quod de pugna interiori et invisibili quidquam resonet melus hic, cum tamen duplex pugna sit, quibus quisque militum exagitatur, solo imperatore excepto. Cujus solum fuit pugna exterior, non intra se, in ipso solo carne nunquam concupiscente adversus spiritum neque spiritu adversus carnem. Verum modo nihil mihi et pugnæ illi, qua sicut duntaxat homo exagitabatur miles, sed imperator Deus homo nunquam, unde interiorem illam spiritus et carnis pugnam nunc pertranseo. Et præsertim cum nunc duntaxat proposuerim conformitatem ostendere pugnæ militis ad pugnam imperatoris, visibilis solum et exterioris ad exteriorem et visibilem, nequaquam pugnæ interioris et pugnæ utpote sine qua imperator.

Et quidem in primis inter primi meli hujus initia quasi primas Davidicæ hujus citharæ chordas pulsantes altius repetamus, ut harmoniæ melus eo suavior et dulcior etsi longior sit.

PRIMI MELI PRIMA NOTULA

Imperator igitur mox inter prima secundum

carnem nativitatis suæ initia, cum mundo apparere inciperet, et ad mundi et inferni potestates debellandas descendisset ; mox, inquam, fugit latuit et abscondit se, exsul factus et extorris cum patre suo et matre. Et miles quidem similiter sic, mox cum se ad imperatoris tirocinium transtulit, quasi recens natus, quia novus factus ex veteri ; mox, inquam, fugit, latuit se abscondens, exsul similiter et extorris et cum eo tota ejus cognatio. Rememoremus nunc præmissi historici cantici pericopen hanc.

2 NOTULA.

Imperator anno septimo ad patriam suam, ad regnum suum revertitur inimico rege jam defuncto. Et miles similiter septimo, rege persequente salubriter ut credebatur subverso et contrito.

3 NOTULA.

Imperator ab exsilio reversus in septimo, annis viginti sex præsens et non fugiens, fortiter et viriliter in patria sua, in regno suo omnipotentis patris sui prælia dimicat. Et miles similiter ab exsilio reversus in septimo, in patria sua, in ecclesiastico principatu suo, diebus viginti sex, ut dies detur militi sicut annus imperatori, diebus, inquam, solum viginti sex, quia ultra non licuit, nec imperator plus voluit, imperatoris prælia strenue fortiter et acriter instauravit. Cui imperator tanquam alii cuidam commilitoni suo viro prophetico diem pro anno dedit.

4 NOTULA.

Imperatori, appropinquante passione, Hierosolymam ascendenti, cum processione magna occurit pauperum turba plurima, benedictionem illi propheticam decantantes. Similiter et militi Cantuariam appropinquanti passione sua jam imminente. Rememoremus nunc de præmisso historico cantico pericopen hanc.

5 NOTULA.

Imperator, passione sua appropinquante, ingressus templum cæpit ejicere vendentes et ementes. Et miles similiter, appropinquante sua, ingressus ecclesiam, gladiatores et lanistas attentavit ejicere.

6 NOTULA.

Imperator a commilitone, magister a discipulo, ad mortem proditur ; et miles similiter: non quidem ab uno, sed a multis, proditione sicut ibi et hic sacrilegio et hoc et illo, judæis tunc suum et Christianis suum nunc pontificem occidentibus.

7 NOTULA.

Imperatoris et sacerdotis judicium mortis principes sacerdotum formaverunt, et militis similiter, sacerdotis principes sacerdotum imo verius principes sacerdotes. Rememoremus et hic de præmisso historico cantico hoc pericopas has.

8 NOTULA.

Imperator, cum jam tempus appropinquaret ut de mundo transiret ad Patrem, audacter occurrit, ultroneus se obtulit : et miles quidem quam audacter, quam ultroneus hoc ipsum imperatorem suum hic e vestigio sequens paulo antedictum excidisse non arbitror.

9 NOTULA.

Imperator gladium ferri cohibuit, et miles similiter contempsit hunc, etsi alterum pro tempore et pro militiæ suæ debito gladium verbi exerens exercuerit.

10 NOTULA.

Imperator pro sui commilitonibus oravit, et miles similiter, cum omni etiam imperio arguens, et suos etsi non de gladio suo quo ab imperatore ipso accinctus erat, defensans.

11 NOTULA.

Imperator semetipso tradente se captus, et mox ipsius milites dispersi ; et miles similiter ipso se tradente.

12 NOTULA.

Imperatore percusso dispersi prius milites reversi sunt ad propria : similiter et sui militis, percusso milite, pro corona carnis corona spiritus immarcescibilis.

13 NOTULA.

Imperator coram tondente se tanquam ovis obmutuit : et miles similiter coram tondente se et coronam capitis etiam abscidente a capite : et certe dura tonsura hæc.

14 NOTULA.

Imperator corona spinea coronatus est, sed pro corona corona datur, pro corona spinea corona gloriæ : et militi quidem corona tollitur, sed pro corona corona redditur, pro corona carnis corona spiritus immarcessibilis.

15 NOTULA.

Imperator pergens ad crucem, crucem suam bajulavit : et miles similiter cum accederet suam imperatoris.

16 NOTULA.

Imperator, ab eo dispersis commilitonibus, torcular calcavit solus ; miles similiter dispersi suos.

17 NOTULA.

Imperatore mortuo, commilitones sui per sacerdotum principes extra synagogam facti sunt : similiter et milite mortuo sui extra communionem quibus nostri sacerdotum principes vix etiam audent communicare adhuc. Huic pericopæ ego qui hæc scribo testimonium perhibeo, quia hoc video ipse et sentio, aliis passionis meæ sociis jam de mundo sublatis, me absque patre et confratribus quasi orphano derelicto.

18 NOTULA.

Imperatoris mors, quasi veri solis occasus, mox mundo declaratur per temporalem hunc solem : militis quidem mors quasi angelorum gaudium mox mundo evangelizatur per angelorum concivem.

19. NOTULA.

Imperator a quatuor militibus crucifigitur : et miles similiter a quatuor decalvatur.

20 NOTULA.

Imperatore jam mortuo, milites quatuor ipsius sunt in quatuor vestimenta partiti : et similiter militis.

21 NOTULA.

Imperatoris tunica, eo quod inconsutilis indivisa : et militis similiter cilicia, eo quod vilia et nutilia.

22 NOTULA.

Imperator prope Jerusalem in loco Calvariæ crucifigitur : et miles in ipsa Jerusalem civitate sancta psius Salvatoris ecclesia decalvatur.

23 NOTULA.

Imperatoris sepulti monumentum mox pauperes t soli pauperes adeunt : et similiter ad inhumati dhuc militis pavimentum cucurrerunt, cum adhuc i pro monumento pavimentum fuisset.

24 NOTULA.

Imperatore jam sepulto, etiam adhuc occulti ditites propter metum : similiter et milite etiam jam cciso et insepulto.

25 NOTULA.

Imperatore mortuo, viso terræmotu et cæteris uæ fiebant, mox Filius Dei creditur et vere justus uisse prædicatur : et mortui militis exuto mox corore similiter miles ab incredulis et Dei filius et ve justus fuisse evangelizatur.

26 NOTULA.

Imperatoris corpus in monumento novo in petra cisa ponitur : et militis similiter in excisa petra in onumento novo, in quo nondum quisquam positus erat.

27 NOTULA.

Imperator post mortem suam titulo non gloriose glorio, sed inglorie glorioso seductor vocitatur : miles similiter etiam eodem post mortem gloriar, a suis gladiatoribus, seductor etiam post morm appellatus, sicut Imperator a crucifixoribus is, id etiam addentes de militis corpore quod, nisi issime a visu hominum absconderetur sub terra, ox foret illud aut equis distrahendum, aut suendendum patibulo. Rememoremur circa istius storici cantici hujus finem quasi jam extremam ricopen hanc, et ut in fine meli quasi ab Ω ad a fine videlicet ad principium revertamur, imrator siquidem iste quem miles sequitur sicut A t sic et Ω, igitur ut ad A revertamur, ipso temre quo Imperator natus et miles renatus, imo rius sicut et Imperator natus, tunc enim mar vere nascitur et quasi tunc primum ad esse pro, cum ad illud quod verum esse est pervenit, quod lum esse est, præter quod non est esse quod est, hæc sunt quæ mater colit Ecclesia natalitia marum vera, videlicet quæ ipsi adepti sunt vere staia et æterna gaudia æternorum ; tunc primo, quam si prius non fuissent, incipientes esse ut t cum primo ad illud quod verum esse est sic venerint. Itaque quando imperator et miles natus in carne, hic in spiritu.

A 28 NOTULA.

Imperator quidem natus in plenitudine temporis Et miles similiter tunc, nec solum in plenitudine temporis, sed et æternitatis. Et ut adhuc addam expressius quid, quod, ni fallor, fuit oraculum et quasi quoddam præsagium futurorum, ipsa etiam in carne nativitas militis fuit prope diem natalem secundum carnem imperatoris.

29 NOTULA.

Imperator igitur bis natus, semel ante sæcula ex Deo Deus, et in tempore plenitudinis ex homine homo. Sic et miles in eadem temporis plenitudine, prius in carne natus, post in spiritu, gemina sibi in hac temporis plenitudine ab imperatore suo nativitate concessa, sicut et imperator ipse bis natus, ut
B jam diximus, semel ante sæcula ex patre sine matre, postea in fine sæculorum cum temporis plenitudo venisset, natus de matre sine patre ; imperatore quidem ipso sine socio sine exemplo vindicante sibi privilegium in utraque nativitate hac. Et quidem ut jam tetigimus, similiter duplex fuit nativitas militis, et hoc in his natalitiis diebus imperatoris. Militis siquidem quemadmodum et cæterorum filiorum Adam prima carnis nativitas ex patre carnali et matre, sed secunda revera sine patre, sine matre carnali, dico, non spirituali. Sed profecto gemina hæc nativitas militis fuit in his diebus natalitiis imperatoris, his duabus nativitatibus et duobus his militis diebus natalibus quasi stipantibus et ex æquo mediantibus ipsam imperatoris
C secundum carnem nativitatem, et ipsius quasi medium natalitium diem. Festo quippe Beati Thomæ apostolici miles hic noctu natus a Thoma Thomas est nominatus. Itaque ante imperatoris secundum carnem natalem diem quinto die miles in carne natus, post etiam die quinto iterum, sed in spiritu nascitur. Ecce quomodo gemina nativitas militis ex æquo quasi circumstet et limitet ipsum imperatoris natalem diem, ipsam ejus nativitatem secundum carnem. Quasi in ipso et ex ipso nativitatis suæ imo nativitatum suarum, sicut et imperatoris duæ sunt, et ex ipso, inquam nativitatum suarum tempore imperatoris commilito conformis admodum futurus et sequela consimillima præostensus et ut Thomas Thomæ patrinus filiolo adjungatur, duo isti, patrinus
D videlicet et filiolus, imo verius jam plene adultus filius, duo, inquam, isti Thomæ nativitatis Dominicæ et Domini in carne nati, quasi quædam destinatæ ad hoc cœlestes excubiæ sunt. Quorum dies pro utriusque natalitiis tam celebres, tam solemnes, ipsum Dominicæ nativitatis diem, et ante et post, sic quasi ex æquo circumdant, ut quasi inter duos hos commilitones suos ex directo et æquo medius eorum stare videatur ipse imperator eorum, Jesus Christus. Et quod adhuc novum nec minus auditu delectabile, si tamen ad multorum assertivam relationem pro certo sic, sicut tempus Dominicæ nativitatis, sic quasi ex æquo limitatur a Thoma et Thoma, et locus Dominicæ passionis

Jerusalem, quæ quasi centrum a Thoma in India et a Thoma in Anglia ex æquo distare experto dicitur. Et si ita in mundo hoc, quanto magis in regno illo cummunior, imo unior, imo unus cum Thoma et Thoma Christus Jesus imperator hic.

Cum nemo dubitet hæc quæ in mundo hoc visibili ab Atissimo disponuntur, figuras esse aut velut umbras quasdam et oracula eorum, quæ in mundo invisibili et principali academicorum, videlicet archetypo sub luce indeficienti et vera et veritate geruntur immobili. Ubi omnia quæ facta sunt per ipsum in ipso vita sunt. Sed de his alias. Ad præpositos citharæ melos resonandos revertamur.

—

PRIMUS MELUS FINITUR HIC, ET MODULATUR DEINCEPS NUNC CITHARAM DAVIDICAM AD SECUNDUM.

Ecce quia præmisso historici cantici verbo, mox sicut promisimus hucusque audivimus in humilis et manu fortis regis cithara pugnæ militis ad pugnam Imperatoris, quam sicut concors, quam consona, quam concinens melodia. Ecce quale canticum in nullo absonum, in nullo dissonum, pugnæ videlicet Imperatoris et pugnæ militis quoddam velut alternum canticum. Imperatoris dico præcedentis et præcinentis et militis imperatorem suum, etsi non consequentis, subsequentis tamen, et concorditer respondentis in choro præcentori. Hoc quippe est illud prophetæ canticum pro Melech ad respondendum. Sed melius totus lugubris hic, et velut raucidum et amarum totum canticum hoc, utpote in inferioribus citharæ chordis decantatum. Si quidem juxta musicæ artis legem sunt et in cithara hac sicut graves chordæ et acutæ; et graves quidem quasi raucum et spissum resonant, sed tinniunt acutæ. Graves quidem resonant cum imperatoris et militis pronuntiantur humana, ex quibus dolor et mœror, multiplex videlicet pœna, et crebra et laboriosa in multis pugna et demum ipsa mors. Ecce raucus sonus et spissus. Et de his lugubris in cithara hac melus. Verum acutæ citharæ hujus chordæ tinniunt, cum imperatoris et militis prædicantur divina, ex quibus gaudium, tripudium et jubilatio, palma et palmæ corona, incorruptio ipsa et immortalitas. Ecce clarus sonus et purus, et melus de his jucundissimus in cithara hac. Et unum quidem in cithara hac, prout edocti a rege citharœdo artifice manu citharizavimus melum, mœstum quidem et lugubrem et solum in gravibus citharæ chordis resonantem : utpote de tam varia et multiplici pœna, et tam frequenti quam difficili pugna, et demum de tam dura, tam dira morte imperatoris et morte militis. Lugubris et gravis melus hic. Nam ut alia multa dura gravia et probrosa taceam, quid imperatoris cruce gravius? quid ignominiosius? Et item quid tali militis decalvatione durius? quid profanius? Tolerabilis tamen lugubris melus de his. Siquidem etsi compatiendum pro auditis, congaudendum tamen auditui. Quia postea juxta musicæ artis legem ; post graves citharæ chordas quæ in hujus lugubris meli modulatione inferius resonant, ascenditur et subsequitur in cithara in acutis ipsius chordis suavissimus certe melus et jucundissimus. Adeo etiam ut citharæ quæ, sicut jam audivimus, huc usque resonabat ad luctum, postea convertatur in jubilum : unde et magistri citharœdi ipsius regis veri David in hac cithara sua citharizantis vox hæc: *Ecce*, inquit, *ascendimus Hierosolymam et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum* (*Marc.* x). Ecce luctuosus in hac David cithara melus, ipso David eam in gravioribus chordis tangente et modulante sic. Sed quæ modo sic resonabat ad luctum, mox vertitur in gaudium : *Et tertia*, inquit, *die resurget* (*ibid.*). Pariter et discipulus citharœdus, citharizans in cithara hac et Magistrum sequens, mox postquam doloris et luctus melum in gravioribus et inferioribus citharæ chordis citharizaverat, mox flexo plectro et eo dulciores quo acutiores citharæ chordas superiores tangens, et alterius modi melum in cithara modulans jucunde et velut cum tripudio decantabat in cithara. *Propter quod*, inquiens, *exaltavit illum Deus et donavit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II). Ecce quia post tam luctuosum melum quam dulcis, quam jucundus, quam plenus gaudio et tripudio, mox alter et alterius modi melus ad crucifixi imperatoris gloriam et præconium inauditum mox adnectitur, qui post crucem et per crucem adeo exaltatur, cui nomen et nomen quod est super omne nomen datur, ut per tam ignominiosam pœnam etiam esset sibi gratiæ quod et naturæ. Cui velut omnium monarcho ejusdem pœnæ merito, ut in eodem prætacto discipuli citharœdi melo subsequitur trium seculorum mundorumve trium omne genu curvatur, angelorum videlicet, hominum, dœmonum. Cui et omnium credentium lingua confitetur quod post tantam ignominiam crucis ipse sit in coæqual et coæterna gloria omnipotentis Patris. Et quidem meli hujus notulæ consimiles his imperatoris similiter ad gloriam et laudem militis in hac cithara, ets non in tam altis, tam acutis citharæ chordis resonandæ. Ecce enim quia sicut imperatori post crucem ita et militi post decalvationem nomen maximum per universa orbis climata datur. Cui nec dubitandum a cœlestibus, terrestribus et infernalibus exhibetur reverentia et conclamatur victoria. Cui e omnis lingua confitetur quod post tam duram, tan diram capitis tunsionem ipse sit in gloria Dei Patris in gloria sui imperatoris. Unde et jam ab Oriente e ab Occidente et a finibus terræ veniunt in sepulcr dormientis adhuc adorare vulnera, invocare patrocinia et supplicare suffragia.

Igitur nunc per modicum hic exspectandum, u interim cithara nostra, quæ prius in inferioribus e gravioribus ipsius chordis de pœna et pugna, d sudore imperatoris et sudore militis et mort

melum mæstum et lugubrem, etsi concordem et consonum resonabat deinceps ad superiores et acutiores chordas, quasi plectro reflexo ad alterius modi moduletur melum, ut eo dulcius quo quid altius resonet. Ut juxta promissum nostrum supra post pœnam et pugnam, post sudores et agones, post mortem imperatoris et mortem militis subsequenter nunc visibilis palma mortis militis visibili palmæ mortis imperatoris, etsi non coæquetur, assimiletur tamen. Et erunt sic juxta promissum nostrum meli subsequentis notæ de his. Quas sicut Magister citharœdus rex nos edocuerit, deinceps in cithara sua citharizabimus. Verum melus hic, sicut nec in gravibus, sic nec acutioribus citharæ chordis modulandus, sed duntaxat in mediis. Nam in mediis quo intelligibilius et tutius resonabimus.

Verum unum hic istorum melorum auditores pro-)ter ea quæ sequuntur præmoneo nunc et præmunio quod quemadmodum prior melus in cithara nostra)ræsonuit de imperatoris et militis in carne hac pu-;na visibili, ita et de visibili palma mortis impera-oris et mortis militis totus hic subsequens melus esonabit. Siquidem sicut imperatoris, sic et mortis nilitis duplex palma. Una quæ sub sole in terris ob-netur quæ nobis adhuc in carne militantibus ex arte ostenditur, per quam invitamur ad simile. Et anc visibilem palmam dicimus. Alteram vero pal-iam, quæ supra solem, quæ et omnem excedit sen-ım, cujus gloriam soli qui jam triumphant vident sentiunt, invisibilem imperatoris et militis palmam icimus. Ut igitur ad sequentia declaranda inter uas palmas has, visibilem scilicet et invisibilem, videntissime distinguamus, imperatoris visibilem ılmam mortis dicimus, quidquid sub sole in carne per carnem triumphaliter gessit, sive ab homine)rporaliter visum, sive non, totum tamen id de im-)ratoris visibili palma mortis reputandum, eo quod b sole factum et in carne et per carnem et propter rnem. Et quod dico de hac imperatoris palma vi-)ili, simile dico et de militis : quidquid videlicet se sub sole triumphaliter gesserit, aut potius im-rator propter ipsum similiter, ad visibilem mor-militis palmam pertinere. Verum admiranda illa nexcogitabilis supra omnem solem et supra om-m sensum, in cœlis cœlorum imperatoris gloria, r mortis obedientiam obtenta de imperatoris mor-palma invisibili est. Et quod dico de invisibili pal-ı mortis imperatoris, similiter dico et de militis. i sicut imperator per mortem, et ipse similiter ' mortem imperatoris sui obtinuit gloriam. Sed dem ante alia de visibili palma mortis militis ad ibilem palmam mortis imperatoris, post primum um de pugna visibili eorumdem et consimili, ıt ordo desiderat, subsequenter melus hic in ıara nostra Davidica resonabit.

t profecto consequens et ordo exigeret sic, ut sequenter post melum hunc secundum de visi-et consimili palma mortis militis ad mortem eratoris, de palma mortis eorumdem invisibili et

A consimili melus tertius formaretur. Ut ita in calce post graves et inferiores citharæ chordas, in quibus jam melus primus utcunque formatus est, et post medias ejusdem citharæ nostræ chordas, in quibus secundus melus prout rex magister citharœdus edocebit, jam formabitur, in acutioribus et subtilioribus citharæ chordis melus tertius resonaret. Hoc profecto consequens et ordo exigeret sic : si quis tamen adeo edoctus in supercœlesti musica didicisset, juxta quod ipsius meli consonantia et concors harmonia deposceret in Davidica cithara formare ipsum. Quod quidem, ni fallor, sub sole nemo. De hoc quippe melo sunt arcana illa verba, quæ non licet homini loqui. Etiamsi angelus norit formare hunc nescio. Melus enim adea suavis, adeo dulcis,
B subtilis adeo, quod sensum omnem exsuperat. Verumtamen si verus rex noster David, magister ipse citharista, vel in modico prout dignabitur ipse edocuerit, cum ad hoc ventum fuerit, attentabo movere manus, aptare digitos, cavillas erigere, torquere plectrum ; et sic pro scientiæ datis viribus conabor utcunque pulsare citharam ad resonandum et formandum hunc, illius saltem similis qui, etsi non aliis canat, dulciter canit sibi. Attentabo, inquam, utcunque formare hunc, præsertim cum, ut jam diximus, prætacti ordinis ratio exigat sic. Sed in primis nunc ordine prædisposito procedentis modulata jam cithara nostra sic in mediis citharæ chordis secundum melum hunc pro scientiæ nostræ modulo resonabimus : ante alia decantantes nunc,
C quanta fuerit visibilis palmæ gloria in victoriosa morte imperatoris, et mox similiter quanta in militis, imperatorem suum, etsi non consequentis, e vestigio tamen subsequentis et adorantis.

SEDUNDUS MELUS

HIC INCIPIT CUJUS EST HÆC PRIMA NOTULA

Imperatoris igitur in primis visibilis palma mortis fuit mors mortis. *Ero*, inquit, *mors tua, o mors* (*Ose*. XIII). Similiter et visibilis palma mortis militis mundi jam quasi mortui devotio torpens et fides velut jam mortua per militis mortem triumphalem suscitata, super quo et inimici sunt judices.

2 NOTULA.

Imperatoris visibilis palma mortis salus mundi.
D Similiter et militis salus ecclesiæ. Super quo ut jam dixi et hic præ gaudio non iterare non possum, etiam et inimici sunt judices.

3 NOTULA.

Imperatoris visibilis palma mortis et carne et spiritu mortuorum et resurrectio. Similiter et militis et carne mortuorum et spiritu. Quia et ipse, quod nostris diebus inauditum, per mortis suæ triumphum carne mortuos visibiliter suscitavit.

4 NOTULA.

Imperatoris visibilis palma mortis in victorioso sanguine suo, de lacu in quo non erat aqua eduxit vinctos, in fortitudine obligatos pœnæ. Similiter et

miles in victorioso suo obligatos culpæ. Sed ut audiamus qualiter hoc, meli hujus notula decantanda morosius. De lacu quippe non aquæ sed miseriæ et de luto fæcis eduxit vinctos, sicut imperatoris et militis victoriosus sanguis hic. Nec enim ab inventione protomartyris Stephani tam certa, tam fide præclara plena, tam gloriose, tam miraculose gesta quanta ad laudem et gloriam neomartyris hujus nostri novissimi. Et quidem omnia hæc ad Ecclesiæ roborandam fidem, ad peccatorum agendam pœnitentiam et fidelium suscitandam devotionem; ut ita in victorioso sanguine martyris diruptis peccatorum vinculis educantur vincti in fortudine: similiter et qui exasperant qui habitant in sepulcris. Et vere multa et miraculose gesta, quæ qui nosse desiderat, legat librum signorum editum de his; librum, inquam, signorum de his editum, et his quasi quibusdam recentium virtutum vernantem floribus, virtutibus et prodigiis insignitum.

Deus omnipotens quanta gratia sanitatum, quanta operatio virtutum tam victoriosæ mortis signa sunt: imo triumphi martyris demonstratio oculata. Et hæc quidem ex parte scripta. Nam si omnia quæ per universum Ecclesiarum orbem gesta sunt in scriptum redigerentur per singula juxta quod de magistro discipulus perhibet, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scriberentur libros.

5 DE POENITENTIA SACRILEGORUM MILITUM.

Verumtamen in victoriosæ mortis hujus palma visibili, inter ipsius visibiles virtutes cæteres, magnas quidem et admiratione dignas, una est quam discerno studiosus, intueor attentius et amplector devotius. Una est, inquam, illa utpote præ cæteris miræ, mirificæ et inauditæ pietatis eximie plena. Quam ego jubilans et tacere non debeo, et tamen exprimere non sufficio. Nam cum martyr hic in sanguine suo victorioso diaboli vinctos, ut jam ostendimus, eduxerit, adhuc quod supra quam dici possit aut capi pietatis superabundantis plenum est, virtus effusi sanguinis ipsos suos effusores sacrilegii tam inauditi patratores tetigit et lavit eos virtus sanguinis. Lavit, inquam, eos virtus sanguinis, ut videtur, a sanguine, ipso sanguine loti quo prius adeo maculati. Et in hoc sanguine effuso imperatoris consimilis effusus sanguis militis. Siquidem ut nonnulli tradiderunt effusus sanguis imperatoris crucifixores milites tetigit, lavit et mundavit a crimine. De quorum uno tradentes hoc certius testimonium perhibent de illo qui latus Christi aperuit et continuo sanguis et aqua exivit. Cujus cum fere caligassent oculi, sanguine ab imperatoris latere emanante, casu oculos suos tetigit et clare mox vidit: hunc dicunt nominatum Longinum. Verum non certa in certis præponentes, in hoc quod jam subdemus certissime videmus visibili palmæ mortis imperatoris visibilem palmam mortis militis, etsi non coæquatam, assimilatam tamen: imperator siquidem in victoriosa morte sua principatus et potestates exspoliat, traducens confidenter et palam triumphans illos in semetipso. Similiter et miles in mortis suæ victoria. Nam ut de mundi per triumphalem martyris mortem suscitata fide et devotione, de quo præmissum, nunc taceam, in propriis præcipue occisoribus suis principatus et potestates tenebrarum exspoliat quæ tenebant eos, eos confidenter traducens et a longe trahens. A regione dissimilitudinis quo jam procul abierant ad illam pœnitudinis solitudinem cujus rex pœnitens mansionem obtabat. In qua et regionem dissimilitudinis fugiens elongatus manebat. *Ecce*, inquit, *elongavi fugiens et mansi in solitudine* (*Psal* LIV). Et miles quidem, sicut et imperator, potestates has palam triumphans in semetipso. In semetipso quidem, quia non in alio, sed in sanguine proprio. Et quidem palam hoc sicut et imperator: adeo etiam palam quod cum in sæculo magni et generosi fuissent sacrilegi occisores hi multarum possessionum domini et in ætate illa inter ætates florida magis et lubrica, cito tamen post patratum sacrilegium relictis omnibus Hierosolymam profecti publicam egerunt pœnitentiam. Ecce quia in his, sicut confidenter traducti et palam triumphati principatus et potestates tenebrarum.

6 DE MORTE EORUMDDEM

Et quod quidem nec dubium miraculose accidisse, cum essent, ut diximus, milites strenui probi in militiæ suæ arte edocti et probati, et in ætate sua robustiori, quotquot tamen infra triennium a patrato sacrilegio rebus humanis sunt exempti, in vera et fructuosa, sicut creditur et qui præsentes fuerunt contestantur, pænitentia; præ horrore facti et sceleris immanitate, quod simper et in vita et in mortis suæ articulo ante oculos suos quasi appensum cernentes ponderabant, toto corpore et toto corde semper quasi attoniti, stupidi, dilacerati et convulsi ab illo semper inter peccatorum patronos specialiter et incessanter, et in vita et præsertim in mortis articulo supplicantes veniam et invocantes patrocinium, in quem tantum admiserant sacrilegium.

O quam sanctum, quam verum, et quam eximiæ pietatis plenum illud magni et vera docentis magistri dogma, quod videlicet diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti: adeo ut eis etiam proficiat ad salutem in deteriora profectus et ipsum devium ipso quodam modo ad viam ducat; et quo corruunt profundius, eo ipso multo virtutum conanime resurgunt fortius stant virilius et ascendunt post altius. Quibus, Altissimo mirabiliter disponente, sic ipsa, qua cæteros peccatores longe antecedunt et transcendunt, quanto abominabilior enormitas culpæ, eo ipso ipsis vertitur in majus augmentum coronæ. De talibus enim, non de communibus peccatoribus nobis nunc sermo, qui videlicet peccatores alios quadam enormitate flagitii et quodam quasi singularis peccati horrore excedentes supereminent cæteris. Quales fuerunt quatuor sacrilegi milites hi, pro quibus nunc totus sermo hic. De talibus, inquam, peccato

ribus, non de communibus, nobis nunc sermo, ut in talibus Omnipotentis virtus illustretur gloriosius, amplexetur devotius et mirabilius prædicetur. Nam cum in omnibus sanctis suis sit mirabilis, certe in hujuscemodi peccatoribus suis multo mirabilior Deus, quanto virtuosius et misericordius est tam fortia talium peccatorum dirumpere vincula. Qui profecto dum quotidiana et consueta hominum peccata cæteris peccatoribus similes, etsi gravia et grandia perpetrent, dissimulant tamen, pertranseunt, non advertunt, non ad se redeunt, non se evigilant quasi ea admittentes quæ et cæteri hominum nec ipsi abominantes alios, nec abominati ab aliis; quin potius eo ipso peccatores peccatoribus confœderati magis utpote peccatores peccatoribus similes. Verum cum forte hi, humani generis inimico instigante sic, cæteros peccatores, quibus ante similes fuerant, novi et inusitati alicujus excessu transcendunt, quasi communem et unitatam peccandi regulam spatiosam excedentes ipsis etiam sui prius similibus peccatoribus abominabiles fiunt. Et ita inusitati peccati profana novitas, præ abominatione et horrore flagitii, novis his profanis peccatoribus terrorem pariter incutit et dolorem. Unde et sæpe fit, ut ad se redeant et præ novi horrore et confusione flagitii vitam suam etiam ante actam ante se ponant; ut in his quæ ante, cum cæteris essent peccatoribus similes, ipsi admiserant, quæ tamen, ut diximus, prius dissimulaverant, graviter se offendisse recognoscant, sanguine juxta prophetam tangente sanguinem sic, et Deo quidem divitiarum virtutum Domino in hujuscemodi peccatoribus peccatissimis tam potentialiter quam mirabiliter operante sic ut sanguis sanguinem tangat, et sic novo quodam modo qua velut quadam pietate sæva seu sævitia pia sanguinis abstergat sanguinem, ita in gratia sua admirabili et virtute multa Altissimo qui solus mirabilis, qui solus facit mirabilia, per peccatum peccatum, nunquam regno Satanæ in se diviso, per Satanam Satanam expellente. In quo et in nullo magis a potestate lucis potestas tenebrarum debellata eluditur. Videlicet ut cum prædo ille gentium totam acquisisse videatur sibi prædam tunc perdat totam. Nemo autem subcogitet, submurmuret nemo, a potestate tenebrarum potestatem lucis e diverso debellari interdum et eludi similiter, ex diverso objiciens ipsos inter Domini agmina robustiores milites in charitate radicatos et fundatos, per potestatis adversæ virtutem dolosam seu potius dolum virtuosum, de ipsius Domini Sabaoth exercitu plerumque quasi vi raptos captivos duci et tanquam lucis potestate in his evicta adversæ potestatis transire satellitium. Nemo, inquam, sic cogitet, nemo objiciat hoc, quasi valeat hic in contrario simile, nec enim valet. Longe quippe hic ratio alia reformans judicium aliud. Sed de hoc alias. Interim ad sacrilegos nostros, unde meli nostri jam aliquandiu notulas nescio quot in cithara nostra resonavimus, quasi digitis et plectro citharæ reflexis revertamur. Prætacta quippe ma-

A teria de pugna potestatis lucis et potestatis tenebrarum alium desiderat melum isto forte sicut acutiorem et longiorem. Ad sacrilegos ergo Deo volente et Deus velit sic Deo nunc reconciliatos revertendum. Quorum certe peregrinatio Hierosolymitana, quorum pœnitentia publica quorum et mors tam cita, ut hucusque decantavimus, sic erat.

Quorum tamen unus quorumdam pravorum consiliis moras in dies nectens nec quam cito alii Hierosolymitanum iter arripiens, in cismarinis acturum se pœnitentiam sperans, cum in regno regis Siculi apud præclaram illam civitatem quæ Consentia dicitur in infirmitatem decubuisset extremam, infirmo mox etiam ante mortem cœperunt corporis membra computrescere, ita ut cum tabe caro ipsa quæ nervos
B tegebat et ossa, ab ipso infirmo frustatim dilacerata et convulsa projiceretur in areæ medium nervis sic discoopertis et ossibus. Et præsertim brachiorum et manuum caro ossibus et nervis vix adhærens, et quasi separationem desiderans, de facili ut videbatur et absque difficultate, a funesto illo carnifice milite, utinam tamen vere pœnitente, projiciebatur quasi sponte sua resolvens se sic; ipsa ut videri poterat, quasi gemebunda, quasi indignata et verecunda, quod post tantum nefas manu hominis et brachiorum ministerio perpetratum deinceps in compositione humani corporis foret. Miser tamen ille, dum ita se ipsum vivens discerperet, convelleret, dilaceraret et projiceret sic, pii et gloriosi neomartyris indulgentiam suffragium et patrocinium cum
C summa contritione gemitibus et suspiriis inenarrabilibus incessanter implorabat. Jam supra nominatus in historia hac, Wilelmus de Traci, hic erat, Deo ultionum Domino clamantem ad se militis sui sanguinem justissime ulciscente in isto præsertim sic; utpote qui, sicut supra in libello hos diximus, alios provocare audens primus et ante alios super christi Domini caput gladium vibrans ad ictum tam profane, tam impie ferire nequaquam veritus est: unde et justissimo Omnipotentis judicio factum sic, ut ipsi contra naturæ legem, etiam vivo adhuc, computresceret quæ vibraverat gladium et manus simul et brachium. Et quidem jam supradictæ civitatis episcopus certissime retulit sic, Willelmi illius in hac infirmitate confessor. Et ut ad alios præfatos
D sacrilegii complices, unde cœpimus, revertamur, ipsorum quotquot et talium, ut diximus, miranda, quia certe miraculosa, nec dubium corporum mors per tam modici temporis intervallum, triennii videlicet, sicut jam supra diximus, sic erat in tam brevi, ut nec unus quidem ex eis superfuerit. Altissimi super eos sicut creditur, etsi forte quod ipse velit, miserante clementia, ad terrorem tamen et miraculosam militis sui ultionem justitia omnes in brevi prosternente sic, ut viri hi sanguinum etsi pœnitentes, ut descripsimus, tamen juxta verbum Domini dies suos non dimidiarent. Unde et super his duplex calcantium celeuma in medio hoc citharæ melo concinendum in medio. Juxta quod hi

viri sanguinum et in conversione sunt contriti et in contritione conversi corde, contriti corpore.

O Deus ultionum Dominus! O Domine nihilominus misericordiarum Pater! Quis novit præ timore tuo iram tuam dinumerare? Aut item quis potest pro bonitate tua misericordiam tuam mensurare? Qui sic convertis ut conteras et sic conteris ut convertas, misericordiæ et veritati sic quasi æqua lance servans utrique quod suum est. Et ecce quia per vulnera tui martyris super ipsos vulneratos viscera tuæ miserationis effudisti. Et item propter vulnera tui martyris vulneratos ipsos ira indignationis tuæ confregisti. Hoc est celeuma duplex in cithara nostra concinendum. Hoc profecto modulati nunc in hac cithara meli duæ notulæ concrepandæ. Grata certa melodia super misericordia tua et veritate tua, Domine, gravibus nunc citharæ nostræ chordis et amœnis intermistum alternantibus sonum. Graves quidem resonant propter eam quæ decantatur tibi veritatem justitiæ, acutæ vero et amœnæ propter benignitatem misericordiæ tuæ. Hinc enim in corde conversis ad te miseratio tua pia: inde vero in eisdem corpore contritis a te indignatio tua justa: ut ita in melo hoc misericordiam et judicium cantemus tibi, Domine.

Jam quidem de potestatibus tenebrarum et principatibus per visibilem palmam mortis militis, sicut et per visibilem imperatoris triumphalis, et qualiter melus hic noster propter ipsius hic notas prolixiores aliquandiu productus est, verumtamen de visibili palma mortis militis ad visibilem palmam mortis imperatoris in hoc eodem melo decantemus adhuc expressius quid.

7 NOTULA

Imperatoris certe visibilis palma mortis, sicut potestates aerias et terrenas debellavit, leges et statuta subvertit. Similiter et visibilis palma mortis militis, sicut aerias, ut jam ostendimus, et terrenas debellavit, ut nunc ostendemus. Ecce enim quia reges mundi et principes aut per se ipsos, aut si curis terrarum occupati ipsimet nequeunt, per legatos suos ab universo ecclesiarum orbe circumquaque veniunt, vulneratum sepultum visitant, adorant vulnera, offerunt munera, implorant suffragia, et sperant patrocinia, certissime fidentes quod per aperta vulnera martyris effundantur ipsis viscera divinæ miserationis, aperiatur janua salutis, et omnipotentis protectionis manus non claudatur. Et ut de vulnerati corpore et de occisi vulneribus, et de prætactis etiam ciliciis quæ totum agonothetæ militis corpus obtegebant, nunc prætereram: certe novit mundus et jam videt quia mundi reges et reginæ in sericis suis et holosericis in veste sua peregrina in hyacinthinis suis involucris et polimitis principes et quotquot aulici purpurati et amicti auro primo gaudent, et cum summa etiam suscipiunt devotione, si forte vel de semicinciis viri, sanguine ejus vel etiam sudore infectis modico, seu etiam si corpus quocunque modo tetigerint, sibi

A acquirere valeant. In quarum etiam acquisitione eriguntur altaria in auro et lapidibus pretiosis conflantur scrinia, quinimo et lata et spatiosa fundantur monasteria; dotantur et ditantur oppiparæ per universum ecclesiarum orbem ecclesiæ multæ. Nam quod necdum audivi, nec legi, ego non arbitror aliquem præliantium in toto exercitu Domini Sabaoth, post triumphum suum in mundo hoc, per mundum universum, tantam et tam citam gloriam consecutum. Doceat nos alter qui aliter aut audivit aut legit de his. Adeo quippe cita, imo adeo citissime, mundo gloria neomartyris declarata, ut a penultima orbis insula in occidentali oceano cita per ipsum angelorum concivem, in tam brevi, sicut in historia docuimus, terræ sanctæ nostræ habitabilis, vel, ut

B tradunt, mundi totius umbilico confestum sit evangelizata, mox volans sic super pennas ventorum. Et vere sicut magna et cita gloria. Thomas quippe nudius tertius homo erat similis nobis passibilis; et ecce quia hodie quadam dexteræ Dei mutatione admiranda vulnerati in sepulcro dormientis adhuc mundus adorat vulnera, et etiam in semicinciis gloriatur quæ utcunque occisi corpus tetigerint.

Revera ex sævitia illa inaudita et sacrilegi facti horrore motus Omnipotens et tam fortiter, tam humiliter tolerantis militis ineffabili compassione evictus, et illos tam subito contrivit et istum tam cito exaltavit; nec iram suam, nec in ira sua miserationes suas ultra aut dissimulare valens aut continere, miserator et justus Dominus. Siquidem in

C humana illa supra homines sævitia etiam vindictam et e diverso inaudita illa in homine patientia citam palmæ gloriam accelerabant.

O imperator bone Jesu, quam mirabilis es tu in militantium tibi sanctorum tuorum exercitu, sed adhuc amplius in tuis et tuorum pœnis quas in agone hoc militari tolerasti mirabilior, nisi quia in te ipso et tuis totum tolerasti et adhuc quotidie toleras ob id solum ut sanctifices tuos; adeo etiam sanctifices, ut non solum per tuas et tuorum pœnas similiter tuas sancti tui sanctificati sint, sed etiam ipsa pœna sancta, mors ipsa sancta et pretiosa, quæ interimit sanctum. Sancta quidem mors ipsa et pretiosa quæ tamen et pœna peccati est et peccati stipendium. *Stipendium enim peccati mors* (*Rom.* VI), ait Magister. Verum imperatore in commilitonibus suis mi-

D rabiliter et potentialiter operante sic, hoc peccati stipendium transit in arma suorum militum non quidem carnalia sed potentia Deo. Et fit eis ac palmæ meritum quod propter peccatum humano generi est inflictum supplicium. Pœna culpæ fit eis porta justitiæ. Et hæc quidem porta Domini. Etenim Domini Domini exitus mortis, et justi Domini intrant per eamdem utpote quæ justitiæ porta est per quam justi intrant ad gloriam. *Aperite mihi* inquit, *portas justitiæ, et ingressus in ea confitebor Domino* (*Psal.* CXVII). Et addidit: *Hæc*, inquit, *porta Domini, justi intrabunt in eam* (*ibid.*). Sed imperator tam clemens, in cujus majestate tanta clementia

commendabilis, eo quidem commendabilior quod in tanta potestate sit; quid dico de pœna, quid de morte vel tuorum vel tua, per te sic sancta et sanctificata sic, cum etiam loca ipsa et tempora et ipsa etiam instrumenta malorum ad tuorum gloriam tu una cum tuis sanctifices, sed ut adhuc etiam plus adjiciam quidquid sanctum tetigerit aut fuerit circa sanctum, sit aut vestis aliudve, sanctificatum habeatur? Quod memoro ista sanata probat fimbriæ Dominicæ tactu. Si quidem imperatoris fimbriæ tactus etiam ante exitum suum de mundo sanavit infirmam. Similiter et semicintiarum militis tactu sanati multi et infirmi et infirmæ post excessum suum de mundo. Et quo etiam pro cæteris et gaudium pariter parit et cum jucunditate miraculum, sanctificatur etiam sancti corporis transeuntis umbra transiens. Cujus veritatem dicti transeuntis Petri infirmos obumbrans umbra demonstrative oculo ad oculum probat. Sed de hujuscemodi sanctificationibus et sanctificationum causis plenius alias. Ad potestates terrenas per visibilem palmam mortis militis visibiliter triumphatus revertamur: cœptam meli istius notulam super his consummare desiderantes, plenius videlicet expressius et nominative in aliquibus potestatibus terrenis id ipsum quod cœpimus demonstrando.

Sunt quippe duæ inter cæteras mundi potestates magnæ et præclaræ, duo videlicet reges magni et illustres nominative hic exprimendi.

DE CHRISTIANISSIMO FRANCORUM REGE PEREGRE PROFICISCENTE AD MARTYREM.

Primus inter cæteros et præ cæteris piissimus ille et Christianissimus divæ recordationis rex Francorum Ludovicus, sæpe et sæpius, ut dignum est, in historia nominatus, ex cujus etiam et Deo et mundo tam sancti, tam clari et grati crebra insertione nominis totam historiam sacratiorem reputo, et eo amplius illustratam post futuris etiam sæculis gratiorem futuram non dubito. Qui, ut in libello historico satis supra ostendimus, quod tamen ad tanti regis clementiam et gloriam immortalem satis ostendere non sufficimus, inter reges rex ipse singularis, cum nos jam exsulantes vagos et profugos quasi locum in mundo non habentes mundus non objecisset, solus ipse regia motus clementia in augustali tam magnificentia quam munificentia nos recepit. Demum vero post martyris de mundo excessum, mundo cito post propter signa virtutum et prodigia quæ fiebant tropæum matyris prædicante, rex ille pius exinde motus, mox quod inauditum est, reges videlicet Francorum transisse maria, nisi forte ad exteras seu fidei inimicas nationes debellandas, ipse tamen tam potens rex, solo pietatis amore tractus et evictus, exivit regnum, ventis se commissis et undis et insulam in corde maris sitam intravit: ob id solum ut eum quem exceperat et exhibuerat exsulem adoraret vulneratum in sepulcro dormientem adhuc: et adorans ea quæ talem et tantum regem decebant obtulit munera, vinum videlicet et aurum; aureum scilicet calicem et vini centum modios perpetuo ad natalitium diem martyris singulis annis celebrandum in lætitia, in hic pius ille rex sive in vita sive in morte sua pro se et pro regno suo beato martyri quasi annuum tributum solvens.

Et talem profecto regem talis oblatio decuit, vini dico cum calice aureo. Et revera, ni fallor, mystica oblatio hæc etsi rex ipse qui offerebat forte ignoraret mysterium. Revera mysterium illi offerre vinum et aurum qui propter justitiæ veritatem calicem salutaris accepit. Et in hoc etiam carnis natalitio imperatoris militis martyris spiritus natalitium simile.

8 NOTULA.

Imperatori quippe mox nato in carne aurum, thus et myrrha a regibus offeruntur in mysterio. Et similiter militi jam vere nato in spiritu a regia potestate dona mystica.

9-14 NOTULÆ.

Imperatori offeruntur ad declarandum natalitium suum carnis: et similiter militi ad illustrandum suum natalitium spiritus.

O magna opera Domini! O opera inexquisite exquisita in omnes voluntates ejus! Quis crederet visui nostro, regem videlicet tantum exisse regnum, transisse maria, nescio quorum humilium parentum occisi filii adorans vulnera, offerens munera, et tam humiliter, tam devote pro se et pro regno quærens patrocinia! vere non est similis tui in diis, Domine, non est secundum opera tua, qui solus mirabilis, solus facis mirabilia. Unde et merito in propheta specialiter vindicas ad mirabilis nomen proprium tibi: *Et vocabitur*, inquit, *nomen ejus Admirabilis* (*Isa.* IX): qui humilias lignum sublime et exaltas lignum humile: qui siccas lignum viride, et lignum aridum facis frondere. Tu, Domine, locutus es et facis sic.

DE ILLUSTRI ANGLORUM REGE TRIUMPHATO PER MARTYREM.

Sed quid? De quadam alia mundi potestate inclyta et immensa in victorioso martyris sanguine triumphata, consequens nunc mei nostri notula in cithara nostra resonabit, nisi quia prior illa de mundi potestatibus, de qua in proxime præcedenti meli notula decantavimus, non tam triumphata, quam sponte humiliata prædicatur: verum potestas hæc, de qua nunc meli hujus notula resonabit, ad omnipotentis imperatoris gloriam et commillitonis martyris sui palmam illustrandam, et ab ipsius triumphatæ potestatis Deo favente coronam immarcescibilem per visibilem palma mortis militis palam est triumphata. Quæ profecto potestas mundo tam clara ne silentio meo obumbretur diutius, hæc tanta et tam magna potestas palam, et tam fructuose, quam gloriose triumphata. Henricus illustris rex Anglorum est magni illius Henrici quondam Anglorum regis nepos. Quem quidem et præsens et sæcula post futura perpetuo jubilarent.

et in orbe Britannico regem quasi unicum et singularem et cæteris qui ante ipsum incomparabilem conclamarent, si non tamen nescio quo Dei judicio, ira pessima consultrice et parvis instigantibus sic, ex profano illo facto patrato in martyrem maculam dedisse judicaretur in hanc tantam gloriam suam. Iste quippe Henricus, gentis firmamentum, stabilimentum populi, fulcimentum infirmorum, pauperum tutor, superborum baculus, malleus tyrannorum, rex pacis et columna justitiæ; quem crescere fecit Excelsus quasi terræ pulverem et ut stellas exaltare semen ejus et hæreditari illos a mari usque ad mare; cujus profecto ut novit mundus et contestatur adhuc hic imperatoris excelsi singulariter miles et martyr, dum adhuc in carne, in floridis juventutis suæ annis militaret, tantam, sicut in libello historico supra satis ostendimus, adeptus fuerat familiaris dilectionis gratiam, ut in aulico cancellariæ officio quasi co-Augustus coregnaret Augusto. Sic erat inter duos quasi regnum unum, quia cor unum et anima una. Verum, ut longiora nunc brevius percurram, utpote quæ in historia prolixius præostensa sunt, multis audicorum et aliis multis præsertim nostri officii viris, clericis dico et pontificibus, mutuæ istius dilectionis ei pacis, pacis totius et dilectionis inimico instigante sic; istud quod indissolubile videbatur unitatis vinculum ruptum est, rege tam diligente et tam dilecto adeo adversus tam charum suum, tam dilectum suum, succenso quasi clibano a coquentibus, ut a pravis male consultum animi sui calorem intra se continere non posset; quin potius coram præfatis illis militibus carnificibus et aliis etiam aulicis palam, in vehementi iræ suæ impetu, tam dura, tam aspera adversus tantum dilectum suum et tam charum innotuis, ut auditores milites concussi ex his morte eum tollerent et occiderent, arbitrantes se ex hoc gratum regi obsequium præstitisse; quod tamen ut pervenit ad regem, sicut qui præsentes fuerunt constestantur, non potest excogitare cor, non lingua proferre, non os effari, quantum mox ex horrore facti fuerit stupidus et attonitus, quam perturbatus, quam totis intimis concussus visceribus et excussus, se quasi dilacerans et dilanians, adeo etiam stupidus et attonitus ut qui viderunt secretius et familiarius sic, ne verteretur in maniam aliterve a tristitia absorberetur, vehementer formidarent. Inter alios qui tunc regis familiarius astiterunt, vir omni sanctitate præclarus, venerabilis episcopus Bajocensis Henricus, mihi, qui hæc scripsit, retulit sic:

QUOD PER TOTAM HISTORIAM AUT METU AUT GRATIA NIHIL PRÆTERMITTAT DISCIPULUS QUI SCRIPSIT HÆC.

Et, ut hic semel hoc interserendo dicam, et semel hoc dixisse sufficiat, præsertim cum de rege gentis meæ nunc sermo sit, teste mihi Deo et martyre suo, quibus servire desidero in calamo meo hoc, de tota martyris historia, prout desuper datum, exarata, nihil est quod ut plerisque moris est,

A aut meticulose excurtem, aut metu subticeam, aut gratia demulceam, aut assentatione deliniam. Turpe quippe periculosum et ignominiosum admodum, discipulo præsertim magistri martyris, aut martyri debita veritatis præconia subticere aut ejus inimicis exquisita assentationis blandimenta consuere, quibus suam sævitiam tegant: turpe, inquam, et ignominiosum discipulo martyris consuere hæc, in illa præsertim historia quæ de ipso texitur: ubi relegato omni metu et assentatione fallaci et vana gratia, sola contineri debent veritatis martyria, sicut et ipse pro veritate martyr est. Sed ad regem nostrum revertamur, cujus certe nec per gratiam, etsi rex meus et dominus sit, nec pro martyris itidem domini mei et magistri testimonio subornato, sciens

B et prudens contra conscientiam meam, per totam hanc martyris historiam, aut mendacium profero aut metu veritatem abscondo quod esset sub modio lucernam ponere, quam profecto veritatis lucernam ab initio, cum martyris ordiri cœpissem historiam, non proposui quidem sub modio ponere, sed super candelabrum, ut omnibus luceret qui in domo Ecclesiæ sunt.

Sed ad regem nostrum revertendum adhuc, cujus revera famæ expedit immortali, ut a martyris discipulo scribantur hæc: qui alias forte in sæculis post futuris mortem directo præcepisse judicaretur et super hoc pœnitentiam non egisse. Solent quippe in humano genere detrahentium linguæ toxicatæ ex quocunque mali seminario multum mox per totum

C corpus effundere virus et inficere totum. Sed rex profecto super eo quo excessisse se accusabat, ut jam docebunt sequentia, humiliter et supra omnium fidem devote pœnituit, non, ut ipse rex mihi martyris discipulo qui scripsi hæc confiteri dignatus est quod martyris mortem directo præcepisset, quod absit a tanta mundi potestate et mundo tam clara, sed quia etsi non per ipsum, pro ipso tamen et pro ejus favore mors hæc. Ego quippe discipulus qui scripsi hæc, quadam semel nacta et loci et temporis occasione, zelo justitiæ attrahens spiritum et audens sic, domino regi secreto inter nos tantum prius objeci quod videlicet mors hæc domini mei pro ipso fuisset et per ipsum. Ipse vero, in nullo ut notari posset motus, in omni tranquillitate respon-

D dit, et ut ipsis verbis ejus utar: « Tuum, » inquit *pro* « dolens concedo, sed tuum *per* audacter renuo. » Et mihi quidem rex sic. Solus Deus et ipse novit. Si solum excesserit sic, (et hoc velit Deus, ne amplius!) nimis quidem et proh dolor! quod etiam sic. Et adjecit tamen qui mihi super hoc loqui dignatus est rex, etiam quodammodo per ipsum fuisse mortem hanc, utpote qui in ira sua coram aulicis et concubiculariis militibus suis tam dura tam dir[e] locutus fuerat, ex quibus citæ mortis viri deder[unt] occasionem. Tanta potestas meæ parvitati accusabat se sic, non excusabat: sed intermittamus nunc de hoc, id in primis totis cordis nostri visceribus intimis supplicantes, quod si forte præcipit fieri sic

quod a tanto rege absit nec est credibile, Deus ignoscat. Si vero absque præcepto qualitercunque causam dederit, fructuosam ei pœnitentiam Deus inspiret. Cujus pœnitentiæ actionem, de qua jam cœpimus, amodo juxta superius promissum nostrum, prosequemur.

Et ut jam supra tetigimus, mox ut tam lethalis facti verbum ad regem pervenit, afflictus est afflictione magna. Et in nominatissimo illo Normanniæ oppido, quod Argenteo dicitur, in quo primum accepit hoc, per dies quadraginta sedit mœrens, quo toto illo pœnitentiali dierum numero acerbiorem multo plusquam mortuorum luctum fecit. Lugentium cibos comedit, equum non ascendit, nulla jurgantium causa, nulla agendorum consultatio, nulla pulsantium querela ingrediebatur ad eum, nulla tot terrarum regendarum sibi cura proponebatur, omnia tunc quasi postponenti præ dolore. Sedebat quippe solitarius, super hoc quod acciderat ingemiscens semper et dolens, et sæpe et sæpius iterans heu heu accidisse sic!

DE IRA REGUM.

O quam pestiferum malum et ipsis regibus et toti genti inimica regum ira, non se reprimens, sed mox erumpens in furorem! Cujus concitati sic impetum etsi rex ipse ad se reversus cohibere desideravit, persæpe tamen quasi acceleratim per longas regum manus volans irrevocabilis est, rege etiam jam pœnitente et ut revocaretur volente. Multi quippe et fere quotquot in mundo sive per fas sive nefas, qui regum quasi cujusdam generis deorum terrigenarum non captent gratiam, non vereantur offensam; adeo etiam quod inter hos multi qui etiam non jussi, mox cum regis beneplacitum vel ex modico aliquo suspicionis signo conjectant, sive bonum sive malum, parere accelerant et quisque alterum prævenire in parendo: interdum etiam atrociora non jussi, quasi jussi, committentes, arbitrantes se in his gratum obsequium præstaturos. Verbi causa nimis vicina est. Tales quippe sacrilegi nostri occisores, qui tam temere, tam præspropere, tam præsumptuose et tam perverse regis verba indignabunda interpretantes tantæ et mundo tam claræ potestatis nomini notam tantum ruinæ scandalum et tantam doloris materiam ingesserunt.

REPETIT DE IRA REGUM.

O quam cavendum, quam caute agendum, potissimum regibus, ut tunc maxime cum irati, nec enim est ut non irascantur, eo frequentius quo sublimius positi sunt, tunc, inquam, maxime teneant se, reprimant se, ut qui sunt capita gentium et rectores populorum, tunc præsertim se ipsos regant, ne qui omnium est dominus iræ servus effectus regnet tamen super omnes. Hoc est enim juxta sapientem de tribus unum per quæ terra movetur, quod etiam inter tria quasi pessimum primum ponit: *Per tria*, inquiens, *movetur terra, per servum cum regnaverit, per stultum cum satiatus fuerit cibo, per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta* (*Prov.* xxx) *Per servum*, inquit, *cum regnaverit*, hoc est unum inter tria quod et primum ponit; et ideo primum quia, ut diximus, pessimum, quasi præ cæteris inter gentes pressuræ primatum tenens: *Per servum*, inquiens, *cum regnaverit*: profecto per servum, sed servum dico hic non tam glebæ quam iræ de illa quippe terrena seu nativa glebæ servitute nicurandum, sive regnet sive serviat. *Servus*, inquit Magister, *vocatus es, non sit tibi curæ* (*I Cor* VIII): summo igitur cavendum opere, præsertim regibus, ut tunc maxime cum irati, nec enim in regum potestate est ut non irascantur; tunc, inquam, maxime cum irati, sic irascantur ut non peccent. Unde et regum unus: *Irascimini*, inquit, *et nolite peccare* (*Psal.* IV): ; quasi dicat, quia etiam in regum potestate non est non irasci, sic tamen irasci permittitur, ut iram peccatum non sequatur, videlicet ut interioris illius caloris ex mortis pœna coalescentis et nati non exterius flamma exeat, non furor erumpat.

Æstimet potius rex mox, cum indignationis suæ flamma exierit, mox totum regnum incensum. Et hoc est quod jam tetigimus et hic iterare non superfluit, regis mansueti dogma sæpe et sæpius vim iræ experti: *Irascimini*, inquit, *et nolite peccare*; quasi ne iræ servi efficiamini et sic etiam servi peccati, si peccatis post iram. Quia sic regnabit iræ et peccati servus, si rex peccet post iram. Per quem profecto regem servum terra movetur, ut docet sapiens, et quotidie videmus sic et patimur hoc. Et vere profecto scriptum, quod et ipsa quotidiana experientia docet, quia secundum ligna silvæ sic ignis exardescit, et secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exaltabit iram suam.

O quanta mala ex regis nostri ira, toxicatis invidorum linguis stimulantibus, sicut per totam historiam liquet, et regno et sacerdotio pervenerunt! *Ita enim*, sicut verissime scriptum est: *Justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I) Sed misericors et miserator Dominus ab hac regis servi sui ira suam iram avertat, et iræ illius excessum omnem indulgeat.

DE NUNTIIS AD ROMANAM ECCLESIAM A REGE MISSIS POST MARTYRIUM.

Et quidem pœnitentis regis hæc erat salutis providentia. Rex per totos quadraginta dies solitarius, ut præostendimus, sedens et mœrens sic, confestim in primo sacrilegii auditu viros magnos et industrios ad Romanum pontificem Alexandrum tertium destinavit, ab ipso tanquam summo Ecclesiæ patrono et Patre omnium consulens quid agendum, et sicut credibile, humiliter in quo excesserit confitens. Verum quia confessio, sicut nec per scripta nec per personas interpositas fieri solet aut debet, et viva vox confitentis quo plus auget devotionem, eo plus habet virtutis, vir apostolicus a latere suo duos cardinales direxit, piæ memoriæ magistrum Theodinum Portuensem episcopum cardinalem, et qui adhuc superstes est Albertum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarium, viros certe omni religionis san-

ctitate et scientia præditos; qui et episcopus regni ob supra huic insertas historiæ causas anathematizatos vel suspensos canonice absolverent, et regis postulantis saluti providerent. Itaque ad regis et totius Ecclesiæ consolationem hi missi. In quorum adventu episcopi absolutionem quidem, quam non meruerant, de clementia viri apostilici et eorum qui missi fuerant obtinuerunt. Rex autem id, super quo in morte martyris se excessisse accusabat, devote et humiliter confitens in facie Ecclesiæ emendatus juravit postea se infra triennium crucem facturum et Hierosolymam profecturum, nisi per dominum papam staret aut per ejus catholicos successores. Et quidem regis pœnitentia sic erat tam devota tunc et tam humilis, ut ipsi cardinales videntes sic illius in psalmigrapho veritatem versiculi missis paragromatibus contestarentur: *Qui respicit*, inquit, *terram et facit eam tremere, qui tangit montes et fumigant* (*Psal.* CIII).

DE PRIMA DISSENSIONE ORTA INTER REGEM PATREM ET REGUM FILIUM.

Verum modico exacto tempore, quarto, ni fallor, quintove circiter anno a martyrio et a pœnitentia regis hac, inter regem patrem et regem filium suum, qui, ut supra in historia ostendimus, per regni episcopos in inguriam metropolitati sui tunc exsulantis, rege patre sic volente, in regem unctus est, profana seditio et bellum nimis intestinum est exortum, adeo ut adversus regem patrem et sui fere quotquot, et etiam alieni, Francorum videlicet rex, in potentatu suo magno cum filio rege fœdus jungentes insurrexerint. Regis terræ et regna et nationes et populi tam sui, ut diximus, quam alieni, adversus solum regem patrem arma moverunt.

DE PRIMA PEREGNINATIONE REGIS AD MARTYREM ET CAUSA PEREGNATIONIS.

Igitur rex pater quid faceret? quo se verteret? ad quos declinaret? Nusquam fides tuta imo nulla, quia periit. Et foris pugnæ et intus timores. Quod igitur solum tunc supererat, humano deficiente rex solum ad divinum consilium et auxilium se convertit. Audiens quippe in dies et certissime credens, mundo jam contestante et cum admiratione conclamante virtutes, signa et prodigia quæ Cantuariæ fiebant per martyrem, de mutua inter ipsum et martyrem jam pridem gratia, sicut spero, non immemor, eo etiam fiducialior quod de excessu suo in martyrem gauderet et speraret se pœnitentiam egisse, a Normannia exivit. In qua tamen tunc potissimum quasi totus erat fervor debacchantis rebellionis. A Normannia, inquam, exivit tunc, et illam, sicut et alias dominationes et principatus suos transmarinos, quasi in solius protegentis Dei et martyris sui manu relinquens omnia, confestim sola divinæ protectionis spe adversus hostes suos armatus transivit maria, et, omni occasione et dilatione postposita, Cautuariam venit.

QUALITER REX PEREGRINUS CANTUARIA INTRAVERIT.

Et incredibiliter humiliatus et devotus, mox, antequam civitatem intraret, ut ipsam vidit et metropolitanam ecclesiam in qua martyr requiescit, mox, inquam, se exinanivit, et potestas tanta pauperrimi servi mox formam induit, nudis pedibus et toto etiam nudato corpore, præterquam vili quadam tunica super nudo amictus. Et pedes et nudus sic palam in die et in omnius conspectu civitatem intravit. Et per vicos et plateas civitatis luteas tanquam de plebis villissimorum unus, abjecte sic incessit. Ecce David alter, qui tam dilecto filio suo quasi Absalone altero ob peccatum ipsum persequente, nudis plantis, sicut primus David civitatem exivit, et iste secundus ingreditur. Et ita in suspiriis et gemitibus, tot gentibus et nationibus tremebundus, ipse timens et tremens, martyris adiit sepulturam. Ubi tota illa adventus sui die et nocte sequenti jejunus et pervigil ante martyrem pernoctavit. Ni fallor, nec enim dubito, sicut gemebundas et pias ante martyrem, quem adeo dilexerat et a quo tantum dilectus, orationes effundens, ejus, nec dubium, meritis, orationibus et patrociniis in tam arcto toto cordis affectu se commendans; quo mox rerum exitus demonstrabit. Et ibidem etiam coram martyris sepultura, quasi coram ipso martyre sancto illo et venerabili fratrum cœtu convocato, a singulis fratrum virgæ disciplinalis percussiones singulas velut quasdam secundas quadragenas apostolicas, imo regias, novas et sicut arbritor usque tunc inauditas accepit.

QUOD REX CONSUETUDINES ILLAS MALAS QUI EXSILII ET MARTYRII CAUSA FUERUNT ABDICAVERIT

Consuetudines vero illas in scriptum redactas, quæ inter martyrem et ipsum totius fuerunt dissensionis materia, et postea in exsilio confessoris et demum in morte martyris causa, rex tanquam vere pœnitens et justificatus jam abdicavit malas et iniquas deleto sic pro martyris devotione per virtutem martyrii quod adversum nos erat, clerum dico, chirographo decreti quod erat contrarium nobis. De quo satis supra in historia. Bonas vero solum observandas sanxit in posterum. Quarum tamen abdicatarum sic nonnullæ ab Ecclesia damnatæ per regnum observantur adhuc. Quod si rege sciente et approbante rex ipse viderit; Deus nolit. Hæc autem prima regis ad martyrem peregrinatio et coram martyre humiliatio sic est.

Ad te igitur, Domine, ad te faciem meam nunc converto, ad te oculos meos levo ut eructent labia mea hymnum. In tantum etenim jam plenus sum, quod ultra continere non possum quin laudis tuæ præconia annuntiem et enarrem mirabilia tua. Ecce enim quia Paulum etiam plus quam de Saulo perfecisti. Eo quidem Saulo major, quo rex tantus et ad bonum et ad malum faciendum sit potentior. Et ecce quomodo quasi totius regiæ suæ sublimitatis oblitus humiliaverit se. Et quod accedit, ima quod facit cum jucunditate ex virtute miraculum, imo quod totum illustrat et jucundat tam profundum Dei judicium, rex ille tantus ad illum sic convertitur

revertitur et coram illo sic humiliatur, quem, ut supra in historia descripsimus, adeo in mundo humiliaverat, ut nec ipse nec sui in mundo inter homines quasi locum haberent, verum admiranda quadam vere Dei dexteræ mutatione, rex tam potens, omni nunc regali insigni rejecto, pedes et nudis plantis, totus etiam nudatus præterquam sola vili tunica super nudo amictus, illum abjectus sic adorando adit, quem cum suis paulo ante denudavit et proscripsit, et quoad licuit perpetuavit exsilium. Illius nunc devote petit suffragia, suppliciter invocat merita, et humiliter quærit patrocinia, cui paulo ante oratio fuit interdicta, ne foret ab Ecclesia oratio ad Deum pro eo. Illius etiam rex infantium more gradiens nunc super manus et pedes, et sæpe et sæpius deosculatur nescio quem superpositum Thomæ tumulo lapillum, cujus paulo ante ore ad os pernegaverat osculum.

O quam admiranda in nostra ætate hac tanta rerum mutatio! Vere quam admiranda, Domine, sicut et terribilia et profunda, nihilominus et jucunda judicia tua! Tu vere omnipotens super omnia opera tua. Quantumcunque potuerit homo et enisus fuerit, tu tamen supervalebis. Et quidquid hominis fallax et vana cogitatio ordinans mentiatur sibi, totum ut æterna voluntas tua fiat, in contrarium vertit admirabilis magnificentia tua, Domine. Quod vidimus, quod audivimus, quod non sperabamus, hoc testamur nunc et scribimus. Gratiæ tibi, Omnipotens, quod et Patre meo et Domino et confratribus meis ejusdem oneris comportatoribus jam a rebus humanis exemptis et in Christo quiescentibus, ego jam quasi solus superstes adhuc et exsilii nostri exitum et martyrii gloriam non solum merui videre, sed et scripto ad sæcula post futura transmittere. Unde et laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero. Unde et Domini facta hæc, quæ gaudens recolo, devote itero. O domine, quam magnus es tu, et quam præclarus virtute et quem superare nemo potest! Quin potius juxta quod mulier triumphalis præconizat, montes per te a fundamentis movebantur, cum aquis, et petræ sicut cera liquescent ante faciem tuam. Qui enim timent te, magni erunt apud te per omnia. Et ecce quia juxta quod præconizatum tunc et nunc impletum cernimus, ut præconio præconium nostrum copuletur. Ecce enim regis cor quod vere scriptum quod in manu Dei sit; ecce, inquam, cor regis paulo ante sic pertinacissime obduratum, amaricatum et elevatum sic, quomodo nunc mollitum, quomodo indulcoratum et humiliatum sit. Mons revera a fundamento suo motus et hoc cum aquis populorum multis circa martyris tumulum circumfluentibus et affluentibus toto die. Mons etiam hic noster, hic rex noster, mons mollior cæteris. Qui quoties a transmarinis in regnum revertitur, mox antequam alias divertat, ante alia regni negotia, mox martyris suis amici nunc et domini visitat sepulturam cum propriis equis suis motis similiter. Populi quippe multi et nationes, quibus præest, et ipsius præcipue aulici præ cæteris mundi nationibus, si devotius nescio, Deus scit, sed hoc scio, quia martyris tanquam specialis patris et patroni sui tumulum frequentius adeunt. Benedicentes ergo laudemus Dominum pro regis nostri peregrinatione hac, pro conversione tam devota pro reversione tam grata et pro humiliatione tam gloriose abjecta. Laudemus, inquam, benedicentes quod cor filii conversum est ad patrem et cor patris ad filium, quod reversus est dilectus ad dilectum, quod elatus est humiliatus ad excelsum. Hymnum igitur iterum et iterum in isto citharæ nostræ melo resonemus Domino, hymnum novum resonemus Deo nostro. Hymnum, inquam, novum pro regis nostri hac peregrinatione prima, pro conversione nova, pro reversione tam jucunda et pro humiliatione tam insperata, et pro tam novo tam glorioso et tam pleno per martyrium triumpho. Cujus tam triumphato quam triumphanti communis gloria est; cui vero eorum sit gloriosior nescio; unum scio quod triumphato fructuosior sit. Martyri quippe triumphanti video quod solum sit ad gloriam; sed regi triumphato video quidem quod sit ad gloriam et sperandum quod sit ad coronam, ut de corona transeat ad coronam, de corona regni terreni corruptibili ad cœlestis regni coronam immarcescibilem: solum in eo quod cœperat perseveret. Et de hac quidem tam triumphati quam triumphantis nova gloria hymnum novum cantare bonum quidem ei jucundum. Eo certe tam bonum, tam jucundum, quod tam amplus, tam plenus sit triumphus hic, quod ipse utrique tam martyri videlicet quam regi sit communis; qui et martyri triumphanti gloriam et regi triumphato apud Dominum et homines et gloriam pariter parit et gratiam. De ipsis etiam inimicis suis eo quod sit triumphatus, sic continuo triumphaturus, ut finita peregrinatione hac mox docebitur.

ITERAT HIC SE PER HISTORIAM HANC PROSEQUI VERITATEM OMNI GRATIA ASSENTATIONE ET METU OMNI POSTPOSITO.

Nemo autem arbitretur, aut suspicetur nemo, quodam me assentationis velamento pro regis mei gratia vel favore, eo videlicet quod rex gentis meæ sit, ut supradiximus. et hic iterare non piget; aut pro martyris, eo quod pater et dominus meus sit et fuerit, laude exquisita, laxis aliquando linguæ habenis veritatis excedere metam; cum multi adhuc supersint, qui ex tanta potestate sic triumphata tantam triumphantis gloriam et tantam triumphatæ potestatis, sicut descripsimus humiliationis gloriam pariter et gratiam, quam et viderunt, utpote cui et interfuerunt, ipsi contestentur. Nihil enim per totam martyris historiam, Deus scit, ut jam semel testatus sum et contestor nunc iterum, aut hominis metu de corpore veritatis mutilo aut adversus veritatem propter hominis gratiam amplifico, aut ut homini placeam assentatione veritatis seductrice interverto, aut propter popularis auræ flatum intersero vel

omitto. Sed ad gloriam potestatem nostram nunc certe gloriosiorem, imo quasi nunc primo gloriosam, cum sit gloriose sic triumphata, revertamur adhuc,ut tam gloriosæ, tam devotæ peregrinationis cœptum iter consummetur. De qua meli hujus non jam notula, sed potius nota, in cithara nostra quia dulcius et diutius resonavit, utpote victoriæ hujus tam celebris sicut triumphantis et triumphati communi gloriæ festive et solemniter *Alleluia* reversionis decantantes; reversionis, inquam, perigrini novi ad novum angelorum concivem, filii ad patrem et patris ad filium, et dilecti ad dilectum. Sed circa magnum hunc et insignem peregrinum nostrum immoremur paulisper adhuc ; et exinde ex peregrinationis hujus humilitate et devotione quid cito post acciderit non tacendum.

QUALITER REX PEREGRINATIONE REVERTENS CANTUARIAM EXIERIT.

Omnibus itaque in tanta, ut jam descripsimus, humilitate et devotione consummatis, rex jam vere rex et peregrinus tam devotus, in crastino post missam ante martyris sepulturam celebratam de martyre, maculatis sic pedibus ut humiliter coram martyre venerat, nec etiam refocillatus, in spe multa patrocinii per martyrem in brevi sibi futuri recessit.

DE HOSTIBUS A REGE POST PEREGRINATIONEM SUAM CITO TRIUMPHATIS PER MARTYREM.

Et quod dictu mirum, et ad martyris gloriam et regis pœnitentialem devotionem commendandam non tacendum, spes regem non confudit, siquidem ipso eodem die, quod mundus novit et mihi etiam discipulo qui scripsi hæc rex ipse fateri dignatus est ; ipso, inquam, die quo ante martyris sepulturam missam de martyre humiliter admodum et devote audierat, martyre affectuose salutato et quasi a martyre benigne licentiatus post recedens, erat autem Sabbatum ; eodem, inquam, die, eadem etiam diei hora, qua missæ interfuerat incessanter martyris patrocinia invocans, princeps Scottorum captus est. Magnus profecto princeps hic, et inter multos et magnos regis inimicos ipse tunc maximus aut de maximis. Et a militibus quibusdam et paucis et mediæ manus hominibus, qui inter regis fautores tunc paucos regi favebant adhuc, interceptus, tanquam gladio non extracto nec illato vulnere, sed sicut sine pugna et sine plaga captus est ; sicut accepi, quodam casu fortuito sed nescio quo, ab exercitu suo grandi quem collegerat, parum deflexus, Altissimo quidem, in cujus ditione cuncta sunt posita, volente eum tradi sic.

Sed quid per singula ? Post regis tam humilem, tam devotam supra descriptam peregrinationem, sensim in dies, nec longa mora, et cismarini et transmarini præsertim fideles sui, sed eo ipso jam infideles quo rebelles, in retiaculum quod ipsi domino suo regi tetenderant, ipsimet peccatores ceciderunt. Revera peccatores, domino suo et regi suo fidem non servantes: videntes autem alii cum rege tam subito Domini manum tam validam silu erunt universi : et ita supra mundi assertionem et spem, sicut ex insperato et subito; *siluit omnis terra in conspectu ejus* (*Malach.* XI, 52). Et factum est in pace regnum ejus Domino super iram inimicorum suorum sic manum suam extendente. Et ita ut supra de die breviter tetigimus, rege orante et super inimicis suis exaudito revera Sabbatum erat, Sabbatum revera temporis regi portendens auram in brevi futuræ sibi tranquillitatis et pacis, ut ita ex Sabbato speraret Sabbatum ex Sabbato temporis Sabbatum quietis. Juxta quod Israeli in propheta Dominus pollicetur : *Et erit*, inquit, *mensis ex mense, Sabbatum ex Sabbato* (*Isa.* LXVI). Itaque relinquitur sabbatismus regi humiliato sic. Hunc vero super inimicos suos successum suum et pacem tantam et tam perfectam, eo plus miraculosam qua tam citam, omnium sic animis obfirmatis adversus se, rex totam ascripsit Domino et glorioso martyri sancto ejus, cui certissime ascribenda.

DE SOMNIO MARTYRI ADHUC EXULI PROPHETICE OSTENSO QUASI REBELLIONIS HUJUS ET PACIS PROPHETIA.

Hoc quippe, quod martyri adhuc exsuli super ista de qua jam locuti sumus rebellione et post rebellionem pace tam cita accidit, propheticum quoddam somnium et vere propheticum, evidentissime probat, ipso domino meo tunc exsule, somnium illud mihi discipulo qui hæc scripsi ore proprio indicante sic : « *Aspiciebam*, inquit, *in visione noctis* (*Dan.* VII). Et ecce quia ego super montem valde exclusum eram et dominus rex deorsum in infimo. Et ecce quia subito universæ cœli volucres adversum regem convenerunt, ipsum cum unguibus suis et rostris in subito et cito alarum suarum quasi turbinis vehementis spiritu impetentes. Ibi omnis generis volucres, maximæ quæ ex rapto vivunt : ibi aquilæ, ibi griphes, ibi alieti, ibi vultures ; ibi milvi, ibi accipitres, ibi lari, ibi herodii. Sed quid per singula? Singula mihi visa erant ibi volucrum genera in genere suo regem quotquot impetentes. Cujus vestimentis per volucrum ungues et rostra citissime panniculatim dilaceratis, rex mox solius camisiæ tenui schemate vix opertus, quasi jam nudus volucribus expositus est. Et jam tantum in modum turbinis vehementis volantium, et rostris et unguibus impetentium impetum sustinere non valens, hinc inde impellebatur. Et ipse sensim quod licuit regrediebatur et retrahebat se, ut vim impetus, etsi non declinaret omnino, extenuaret tamen. Erat autem a tergo regis non respicientis, quia nec conclusus sic respicere potuit; erat, inquam, teterrimum præcipitium et profundissimum, a rege utpote a tergo improvisum. Cui cum appropinquasset jam rex, sic retrahens se, et quoad poterat evitans impetentium vim, unus de aulicis regis familiarissimis, de quo tanquam de se altero rex fidebat utpote quem et honoribus et divitiis inter regni primos rex illustraverat ; hic, inquam, torvo torvior, etsi plus quam inhumanus, in volucrum accessit adjutorium

camisia, qua sola super nudo rex vix amictus erat, regem spoliare violenter attentans, et cum volucrum impetu ipse pariter regem cœpit pellere in præcipitium. Rege vero jam ruituro, commota sunt pietatis eximiæ viscera mea super rege, qui in monte sedebam excelso cernens hæc. Et pristinæ gratiæ et familliaritatis mutuæ inter regem et me recolens, etsi mihi modo offensum, non potui tamen in offensa hac miserationem meam continere; quin potius, sicut visum mihi, de montis tam excelsi vertice quo sedebam tam citus descendi, tanquam si in ictu oculi: periculo jam sic imminente et compassione multa quasi alas tribuentibus mihi et ad velocem me succursum impellentibus. Et sic quasi in momento regi astiti. Et mox framea longa et acutissima, nescio tamen quo casu in ea posita, in manu mea refulsit. Qua velut subito et momentanee mihi visus sum universas illas cœli volucres dissipatas dispersisse, dissipasse et dispersas; et regem liberatum sic continuo insignibus suis regiis gloriose et decentissime indui, illum aulicum objurgans acerrime qui, ut diximus, in volucrum adjutorium sic transierat, addens regem ab ipso non meruisse hoc.

Hoc somnium vere futurum vaticinium dominus meus, ut diximus, in exsilio tunc viva voce mihi, qui jam scripsi hoc, retulit sic, et etiam aulici nomen indicavit. Pro quo aulico exire potest in proverbium, cum quivis complices habens male versatur contra domini fidem, ut de eo proverbialiter dicatur, et iste in volucrum adjutorium transiit. Verumtamen cæteris, quæ ad visionem hanc, non omissis, aulicum tamen hunc in historia hac nominare prætermitto, ne forte ejus, qui jam superstes non est, decretam universæ carnis viam ingressi, et præsentibus et post futuris sæculis nomen odiosius fieret, et ne etiam posteri ejus, qui non meruerunt, vel ex suspicione proditionis nota ulla inurantur et paterni delicti confundantur opprobrio. Et quidem relato somnio dominus meus mihi loquens adhuc brevibus sic, quasi somnium interpretans, adjecit se in arcto aliquo regi subventurum adhuc; hac ipsa interpretatione tam brevi somnium vere propheticum indicans. Et ego, qui nunc scripsi, cum semel visionem hanc nacto loco et tempore domino regi, finita, ut diximus, rebellione, et pace sic desuper data, retulissem, rex ipsemet mox interpretatus est super ea rebellione, et super ejusdem rebellionis tam felici, tam glorioso et pacifico et vere miraculoso exitu, cujus visionis veritatem evidentissime completam ... hujus relata visionis occasione adjiciens, qui super hoc loqui mihi dignatus est rex, quod et ego supra non tacui: » Et eodem, inquiens, die, videlicet die Sabbati, eadem etiam hora diei, qua ante martyrem missam audiens devotius martyris patrocinia invocabam, a quibusdam militibus meis, et quidem paucis et etiam hominibus satis mediocribus his, princeps Scottorum, de maximis inimicis meis ipse maximorum unus, captus est ab his qui eum ceperunt, sicut die, ita et hora captionis ejus sic notata. » Et ita rex ipse sic primo et per diem et per diei horam facti me edocuit et prædicavit miraculum. Quod ego quidem eo devotius quo certius huic melorum libello interserui. Et eo etiam jucundius quo in historiæ hujus pericope hac ipsum Augustum magistrum habui facti relatorem certissimum, et miraculi sicut testem et prædicatorem, Factus est enim nobis sic in mira Dei virtute de quondam Saulo nunc Paulus, ipsius potente Dei mutatione modo prædicator, cujus Paulo ante tantus fuerat persecutor. Unde et historiæ hujus pericopa hæc eo amplius inter cæteras illustrata quo ipso Augusto quondam tanto persecutore, nunc vero ad martyris gloriam magistro prædicatore edita est. Verumtamen cum rex dicti aulici, qui, ut prædiximus, in volucrum adjutorium transierat, nomen proprium sæpe et sæpius instanter sciscitaretur, quærens ipsum sibi designari ex nomine, ego tamen propter jam supradictas causas nominatim ipsum exprimere constanter renui.

Ut igitur redeamus ad priora, et singula discutiamus, videamus si non gloriose triumphata tanta potestas hæc, sic quidem triumphata quod humiliata, et sic humiliata quod triumphata. Quam bonus triumphus martyris qui sic humiliat, et quam bona regis humiliato quæ de inimicis suis sic triumphat! Pænitentialem humilitatem hanc regi nostro Deus in dies augeat, Deus perficiat et conservet ut in finem usque perseveret.

QUOD REGUM POENITENTIALIS PERSEVERANTIA RARA SIT ET DIFFICILIS.

Verumtamen in fugitiva vita hac laqueis et tentationibus et aversionibus plena, omni quidem carni sed regibus præsertim difficillimum in pænitentiali humilitate permanere sic. Regibus certe præsertim difficillimum hoc, qui tot terrarum distracti curis, tot occupati causis, tot implicati negotiis vix est ut in cogitatu uno in proposito ullo stare possint immobiles, mente divisa et dilacerata sic: utpote quos omnium mortalium premunt curæ, urgent causæ et querelæ sollicitant. Rex enim velut quidam humani generis currus est, idem ipse et auriga et jaculum. Omnes vehit, omnes regit, premit ipse omnes, idem ipse omnibus timor et stimulus. Omnes erigit, omnes ducit, et agitat ipse omnes. *Et qui gloriatur*, inquit, *in jaculo stimulo boves agitat* (*Eccli.* XXXVIII). Et præter curas has et occupationes et implicamenta hæc quæ mentem dilacerant, dividunt et avertunt, extollit ipsam gloria mundialis. Et inter tot Cresi opes et Sardanapali delicias, in regum thalamis, in stratis hyacinthinis purpuratis et polimitis carnis suave nutritur illecebra, quam nec etiam curæ effugare possunt aut effugere. Ecce cura, ecce gloria, ecce illecebra, tria hæc, quæ alta sine periculo stare non permittunt. Ecce onus, ecce honor, ecce honoris macula, carnis, ut diximus, illecebra, quæ honoris gloriæ insidiatur e latere, ut in eam maculam det, et velut per aliquam auram pestilentem violet, seu quasi per vile lutum contaminet ip-

sam et defœdet. Et in alta nunquam sine periculo quæ semper præ nimia sui altitudine ruinam minantur. Et ipsis quasi in se ipsis ex ipsa sui altitudine nimia fractis nec stant diutius et quanto ab altiori ruunt gravius. Unde, et ut in nostris sanctæ historiæ utamur exemplis, reges Israel, ni fallor, triginta sex quotquot mali. Pariter et reges Judæ viginti et unus, ni fallor, omnes, ut scriptum testatur præter David Ezechiam et Josiam commiserunt peccatum. Nam, ut in ea mox subditur, reliquerunt legem potentes reges Judæ et contempserunt timorem Dei. Ecce quod certissimum est, de tot et tantis regibus et his et illis, qui aut cœperunt aut si cœperunt non perstiterunt. In regnum profecto pœnitentia tam rara est perseverantia, tam difficilis. Quorum, ut de perseverantia taceam, etiam inchoata pœnitentia rara est et si forte est in ipsa rara est mora parva. Igitur, si in exemplaribus scripturæ nostræ regibus sic, quid de tanta qui fuerunt et sunt exemplatorum regum multitudine, quorum nec vita nec gesta nec in annalibus nec etiam in ullis indicibus sunt descripta? pro rege igitur nostro, in cujus manu tot nationum, tot et tantarum gentium et vita et pax est, orandum instantius, ut in quo eum sæpissime jam proxime descripsimus, stet in bono et proficiendo quotidie convalescat in melius et demum, sicut tam gloriosam potestatem decet, in glorioso fine consummetur.

PRÆCEDENTIS MELI NOTULAS HIC BREVITER ITERAT UT ADJICIAT.

Et quoniam de ipso hic rege nostro sic gloriose triumphato meli nostri non tam jam notula quam prolixa nota, quo dulcius et delectabilius eo diutius protracta, in cithara nostra resonavit, consonantiam illam tam consonam, tam concordem visibilis palmæ triumphalis mortis imperatoris et visibilis palmæ triumphalis mortis militis, jam aliquantisper intermissam repetamus, intermissam dico, nisi quia quod interpositum est minime fuit intermissio sed potius cœptæ illi consonantiæ ad decorem adjectio. Unde et, ut adhuc addamus alia, quo visibilis palmæ triumphalis mortis imperatoris ad visibilem palmam triumphalis mortis militis prolixior et concordior consonantiæ cœptus hic melus audiatur, notulas illas, quas supra prolixius citharam nostram pulsantes resonavimus, resonemus adhuc, et sic quo dulcius eo melius, et quo brevius eo ad meli notulas distiguendum recimendumve commodius, quasi sub uno spiritu et velut sub pausa una, sub quadam brevitate compendiosiori resonemus adhuc: ut ita sit succinta sic brevitas, sicut ad innovandum et reparandum auditum melodia melodiæ et consonantia consonantiæ continue nullo intermisso, sed absque omni intervallo copulata: in primis igitur a primo nunc altius repetendum.

PRIMA NOTULA REPETITA.

Imperatoris visibilis palma mortis mors mortis A fuit ut præcinimus: similiter et palma mortis militis, ut ostendimus.

Imperatoris visibilis palma mortis mortuos suscitavit: similiter et palma mortis militis, et hoc docuimus.

Imperatoris visibilis palma mortis salus mundi; similiter et militis salus Ecclesiæ, quod et supra jam dictum quotidie experimur et cernimus.

Imperatoris visibilis palma mortis vinctos eduxit ab inferis: similiter et mortis militis, et hoc probavimus.

Imperatoris visibilis palma mortis crucifixores suos milites salvavit: sicut a multis creditur: similiter et mortis militis milites suos carnifices, quod universi qui viderunt contestantur, et hoc B præmisimus.

Imperatoris visibilis palma mortis principatus et potestates exspoliavit: similiter et mortis militis, quod et præostendimus.

Imperatoris visibilis palma mortis principatus et potestates triumphavit in semetipso: similiter et mortis militis, quod et supra non tacuimus.

Imperatoris visibilis palma mortis confidenter traduxit suos principatibus et potestatibus triumphatis sic similiter: et mortis militis, et hoc prædoctum.

Imperatoris visibilis palma mortis delevit quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: similiter et mortis militis chirographum quod erat nobis, clero dico, contrarium: C et hoc præmisimus.

Imperatoris visibilis palma mortis illud decreti chirographum de medio tollens affixit cruci: similiter et mortis militis affixit illud capiti ut tolleretur illud capite toto exposito et lacerato toto.

Imperatoris visibilis palma mortis sicut aerias et potestates terrenas debellavit: similiter et mortis militis sicut aereas et terrenas, quod et jam proxime fide oculata evidentissime ostensum excidisse non arbitror.

Imperatoris visibilis palma mortis in brevi omnia ad se traxit: similiter et mortis militis citissime ad se mundum convertit: et hoc inter cætera non tacuimus.

Imperatoris visibilis palma mortis est omnis potestas et in cœlo et in terra data: similiter et mili- D tis magna claret potestas data sicut hic et ibi: hoc solum supra tacitum hic superaddimus.

INTERSERIT HIC ADDENDO DE VEXILLO CRUCIS ET DE VEXILLO VASIS, QUOD GESTANT PEREGRINI MILITIS SICUT ILLUD CRUCIS PEREGRINI IMPERATORIS.

Sed istis quas jam audivimus meli hujus imperatoris et militis notulis novas quasdam adjiciemus adhuc quibus ablato fastidio et reparato auditore renovetur auditus.

Imperatoris igitur visibilis palma triumphalis mortis vexillum est crucis quod etiam vitæ suæ in carne signum est et imago: similiter et triumpha-

lis mortis militis vexillum est vas aquæ et sanguinis, et idem ipsum etiam vitæ suæ in carne hac signum et imago pariter : quod et qualiter hoc ut audiamus dulcius in hac quasi ultima meli istius notula cithara nostra nunc pulsanda est, sicut attentius et morosius.

PRIMO DE CRUCIS MYSTERIO QUOD PEREGRINI IMPERATORIS PALAM GESTANT.

Et prius quidem qualiter crucis vexillum imperatoris vitæ in carne imago sit et signum et idem triumphalis mortis suæ vexillum, prout mihi præcentor ipse noster, imperator vocem et vocis mentem ministraverit, decantandum. Et idem ipse imperator, sicut virtutum et omnium scientiarum Dominus, ipsius crucis suæ clavis propositum nunc nobis crucis suæ mysterium reseret. Deinde de vexillo vasis aquæ et sanguinis, qualiter imperatoris instar vitæ militis in carne hac ipsum imago sit et signum, et idem triumphalis mortis suæ vexillum succinendum, prout idem ipse imperator verbum Dei vocem ministrabit et verba.

Ut igitur primo de Dominicæ crucis vexillo, qualiter videlicet ipsum imperatoris vitæ signum sit et imago, audiamus, ecce qui crucis quatuor sunt dimensiones. Lata est et longa, sublimis est et profunda. Harum quatuor dimensionum imperatoris fuit in carne vita quasi vita ejus quadrata, videlicet in charitate latissima, in perseverantia longissima, in contemplatione sublimissima et in Dei timore seu reverentia profundissima. Imperator siquidem in vita sua Deum præ omnibus reveritus est. Unde et magister exauditum eum docet pro sua reverentia, loquens de eo sic : *Qui* inquit, *in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui potuit salvum illum a morte facere cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* v). Ecce imperatoris vita instar crucis, quatuor habens dimensiones et quasi quadrata seu quadripertita vita hæc. Et ita evidentissime quatuor dimensiones crucis sunt in vita crucifixi, imperatoris. Unde, ni fallor, non immerito crucis vexillum vitæ imperatoris vere dicitur et expressive est et imago et signum. Pariter et idem crucis vexillum sive crux eadem vexillaris imperatoris in carne mortem indicat triumphalem. Talem quippe vitam quam crucis instar quatuor dimensionum fecimus, tanquam quadratam seu quadripertitam mors sine dubio sequitur triumphalis. Et ita evidenter una et eadem crux vitæ imperatoris in carne est imago et signum et eadem triumphalis mortis suæ vexillum. Et ut adhuc addamus his quod fuit crux ipsi imperatori Christo, hoc ipsa eadem est commilitonibus suis Christianis, vitæ videlicet ipsorum in carne hac, quatuor habentis dimensiones, imagino prius et signum, et postea mortis triumphalis vexillum, quæ profecto triumphalis mors vitam instar crucis quatuor dimensiones habentem semper sequitur. Et hæc sunt in spirituali vita Christiani commilitonis imperatoris Christi

A quatuor ille spirituales Dominicæ crucis dimensiones ad quas Magister hortatur discipulos : *In charitate*, inquit, *radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo et sublimitas et profundum* (*Ephes.* III). Quarum certe dimensionum, si in vita commilitonis Christi una defuerit, jam mors triumphalis non erit. Ad cujus triumphum denotandum ante fidelium defunctorum corpora præcedit crucis vexillum triumphale, ut partes adversæ per vitam instar crucis velut quadratam quasi per crucis signum triumphatæ sic mox fugiant crucis vexillum triumphale cernentes. Juxta illud : « Ecce, inquit, crux Domini, fugite partes adversæ, » et ita crux, quæ vitæ commilitonum Christi prius fuerat signum, post-
B ea in morte erigitur quasi mortis ipsius triumphalis vexillum, ex vita Christiani, cujus ipsa crux ante fuerat signum, mortem triumphalem subsecutam demonstrans.

ADAPTARE INCIPIT MYSTICE SIGNUM MILITIS SIGNO IMPERATORIS.

Ni fallor, quod de crucis signo vexillove proposuimus, et in imperatore et etiam in imperatoris quovis commilitone jam liquet. Restat ut juxta promissum nostrum doceamus qualiter imperatoris instar [de hoc vase alibi] vas aquæ et sanguinis vitæ militis sit imago et signum et idem triumphalis mortis suæ vexillum ; simile nunc docturi de militis vase et milite quod supra docuimus de imperatore et imperatoris cruce. Verum in primis, nec cui in
C dubium veniat quod sit istud vas quod aquæ et sanguinis, semel jam et nunc iterum nomino, de quo deinceps quasi in ultima meli istius notula decantandum, hoc profecto vas est quod absque omni concione celebrata, non congregatione coadunata, nec etiam conventiculo, nullo promulgato edicto, nec ullo etiam arctatus præcepto, sed solo nec dubium Spiritus sancti instinctu mundus, sicut unanimiter et communiter ad martyris gloriam et in peregrinationis suæ signum quasi se insignivit. Hoc videlicet est vas illud plumbeum gestatorium, quo specialiter beati martyris peregrini se signant. In quo aqua continetur et sanguis, aqua videlicet ex tactu sanguinis sanctificata per sanguinem. Hoc, inquam, vas est, non quidem hominum vanum com-
D mentitium, neque ab homine neque per hominem, sed, sicut qui ulterius vident verius judicant, solo veritatis, non vanitatis spiritu commendatum hominibus. Quo sicut communiter, ut videmus et unanimiter afflati universi bajulant hoc gestatorium vas quo se glorioso martyri devote obnoxios et se speciales ipsius servos peregrinos visibili signo contestantur. Hoc igitur est vas peregrinationis, vos illud videlicet aquæ et sanguinis quod supra nominando tetigimus, et de quo deinceps sermo noster texetur, ut hoc vas militis vitæ signum et mortis vexillum aptemus militi, juxta quod supra crucis signum et vexillum aptavimus imperatori. Utinam imperator etiam nunc clavis suæ crusis

aperire nobis dignetur, et hoc vas ad laudem et gloriam militis sui et martyris, ut ita signo et vexilio imperatoris in hujus vasis apertione consonet et corcordet signum et vexillum sui militis. Dicam igitur de vase hoc, non quidem vase pastoris stulti, sed vere boni; dicam, inquam, quod sentio, et in Domino confido quod non de meo ipso mihi servo suo de suo quantum sibi placuerit multo magis melius revelante.

DE VASIS MYSTERIO QUOD MARTYRIS PEREGRINI GESTANT

Vide igitur et attende, quia in isto vasis signo tria sunt, sicut supra in crucis signo quatuor distinximus. Sed in hoc signo tria plumbum videlicet aqua et sanguis, quia aqua tactu sanguinis sanctificata in sanguine. Tria hæc, tria mystica, in plumbo quippe gravitas, in aqua puritas, in sanguine vero mortis virtus et forma per martyrium. In plumbo itaque vertutas, in aqua puritas, in sanguine vero martyrii fortitudo exprimitur. Ecce vetus homo et gravis, ecce novus homo et purus, ecce martyr fortis et strenuus. Et hæc sunt, sicut ex historiæ præcedentibus aperte liquet, tres viri vitæ, tres videlicet ipsius vivendi modi in vita carnis hac. Primus vitæ modus quasi primus homo vetus in aula; secundus vitæ modus quasi secundus homo novus in Ecclesia; tertius vero vitæ modus jam quasi tertius homo fortis in palæstra. Cujus tertii hominis fortitudo non solum tunc cœpit, quo exiguo illo tempore quod supra descripsimus animam suam exposuit, sed potius ex quo ad exponendum paratus fuit. Ecce viri vitæ tres. Inter quas vita vetus gravis et plumbea sicut prægravat et præponitur cæteris. *Prius siquidem*, ut ait Magister, *non quod spirituale est sed quod animale, deinde quod spirituale est* (*I Cor.* xv). Et vere deinde quod spirituale. Subsequitur quippe mox homo spiritualis, homo novus, aquis videlicet lota vita munda exuta vetustate nova expedita plumbea iniquitatis gravitate deposita. Quæ profecto iniquitas merito in propheta super plumbum talenti sedere legitur. Deinde vero novo homine sensim in dies proficiente, transit in virum perfectum, occurrens in mensuram ætatis plenitudinis Christi jam plenæ ætatis et perfecti roboris. Sicut imperator Christus et quivis miles Christianus ita ut in acie imperatoris Christi etiam usque ad sanguinem resistat, si ut interdum solet accidere expediat sic.

Hæ sunt itaque tres viri vitæ per has ordinate et gradatim quasi de virtute ad virtutem, de vita ad vitam ascendentis. Quarum, sicut ex jam dictis, ni fallor, evidenter liquet, gestatorium peregrinationis vas, de quo nunc totus sermo est, imago et signum evidentissimum est. Solum in vase hoc intueri velis plumbum, aquam et sanguinem, tria hæc. Vas itaque hoc cum per tria hæc triplicis vitæ militis sit imago et signum nihilominus crucis instar idem ipsum triumphalis mortis militis est vexillum. Quam etiam mortem triumphalem ipsius vexillaris vasis cælatura exterior mundo palam præconizat. In qua scriptum est: *Mortui ersurgunt, leprosi mundantur* (*Luc.* vii). Ut quisque quotidie in ea legat, videat, invocet et laudet tantum ecclesiasticæ libertatis assertorem.

Et adhuc, ut inter vexillum imperatoris et vexillum militis similitudo monstretur expressior, quo et meli hujus hæc notula auditui dulcior et consonantior sit quod vas istud est Christi militi, hoc est idem ipsum contubernalibus et commilitonibus suis Christianis, vitæ videlicet ipsorum tripertitæ, ut supra distinximus, signum et postea mortis ipsorum triumphalis vexillum. Quam profecto vitam tripertitam, quemadmodum et supra de quadrata seu quadripertita diximus, cum de crucis mysterio ageretur mors subsequitur triumphalis, ut quod nunc videmus in Christi milite, sperent, hoc ipsum commilitones Christi et desiderent. Hanc quippe nec dubium tripertitam vitam cum triumpho mors sequitur: ita quod sine tripertita hac, sicut et supra de crucis quadripertita ostendimus, nemo imperatoris militum qui cum tripudio moriatur aut triumpho. Ecce enim quia primo vita plumbea, vita onerosa et gravis, sine qua nec unius diei infans. Quin potius ex sola hac incipit. In qua etiam si aquis nostris non lotus moriatur, non triumphans sed potius triumphatus moritur, in partes cedens adversas. Ita post plumbum nostrum aqua nostra quam necessaria. Lotus vero jam aqua et mundatus omni vigilantia, necesse ut circumspiciat se, ne in nocte ambulans offendat, cadat et luto quod sub pedibus maculetur in casu. Unde et oportet et expedit sic, ut in imperatoris sui acie fortiter stet nec cadens, nec cedens, sed usque ad sanguinem resistens, si forte necesse sic. Ecce post plumbum nostrum et aquam nostram, tertio nunc sanguis noster. Et ita quæ vas nostrum signum militis vexillare in se continet quotquot militibus contubernalibus qui post pugnam in fine palmam quærunt, necessaria tria hæc, plumbum videlicet aqua et sanguis. Nec murmuret quis si etiam plumbum nostrum nobis necessarium dixerim. Tanto quippe gloriosus et quidem melius, commodius, si plumbum nostrum in argentum vertatur, aut si ipso expurgato omnino, solum purum argentum examinatum refulgeat, minime alias in magni regis thesauro reponi dignum. Tria igitur nobis necessaria hæc, tam plumbum videlicet quam aqua et sanguis, quæ etiam duo tantum profecto usum non haberent si plumbi omnino fuissemus expertes. Nunc vero manent nobis tria hæc; et commode quidem inter tria hæc plumbum, quia non nisi per plumbum emundatur argentum. Inter quæ, si quis neomartyris nostri instar ordinate et gradatim, ut de vita ad vitam transeat, caute et virtuose incesserit triumphale vas nostri militis quod ipse habet triplicis vitæ suæ signum certissime rehabebit, et ipsum idem ipsum vas; sed spirituale triumphalis mortis suæ vexillum, ut ei de mundo victoriose sublato

ro plumbo suo quo bene usus pro aqua sua, qua nunde lotus et pro sanguine suo, quo in pugna probatus quod triumphale vas militis in figura prædicat ipse apud Deum et apud homines simile ex re psa et in ipsa consequatur præconium.

Jam ex parte audivimus conformitatem ut mihi visum sic multam signi ad signum vexilli ad vexillum, signi et vexilli crucis imperatoris ad signum et vexillum vasis militis.

QUOD MYSTICUM SIT SIGNUM ET VEXILLUM MILITIS SICUT ET IMPERATORIS MONSTRAT.

Nemo autem secum judicet aut cogitet intra se hæc in morte et post mortem militis actitata et ut psius meritis scientiarum Dominus revelare dignaur, a nobis scribuntur sic, quæ et tam celebriter veneratur Ecclesia et tam communiter adorat munus, aut fortuitu accidisse sit aut humani sensus ommento excogitata hæc, et vane et frivole calano nostro sic exarata. Potius cæcæ mentis qui ic judicat aut cogitat a propheta invitatus veniat et ideat opera Domini, prodigia quæ posuit super erram ; et sic non judicet aut cogitet nec submururet, sed clare et aperte cantet in viis Domini uam magna est gloria ejus confiteatur Domino et otas faciat in populis adinventiones ejus. Nam ixta sapientis testimonium nihil sine causa factum si facti mundus ignoret mysterium. *Nec enim*, t ait ipsa, *inveniet homo opus quod operatus est eus ab initio usque ad finem* (*Eccle.* III). Verumamen a propheta invitati veniant huc et videant in is quæ in militis triumphali morte et post mortem cciderunt non casum fortuitum nec vanum vanorum liorum hominum in his fuisse commentum, sed otius illud et illius consilium, sine quo nec etiam e arbore cadit folium. Si igitur absque consilio oc nec folium cadit de arbore, nunquid sine hoc uidquam geritur in Christi corpore ? Alioquin ipum Altissimi consilium quod Christus est curans e arborum foliis proprii coporis sui curam negligeret. Unde et certissime credendum sicut in passone Christi capitis absque causa mysterii nihil stum ita, nec in toto ipsius corpore triumphalem ortem sicut et ipse tolerante nec quidquam sine iqua mysterii causa geri. Inter corporis tamen ujus membra, prout dignum et justum fuerit, in iis plus in aliis minus. Ita ut Christus integer, put videlicet cum membris, totus mysticus sit, si nos ut vani filii hominum et insulsi ignoremus ysterium. Unde et ut ad propositum redeam, inter etera his certe potissimum quæ in morte et post ilitis nostri mortem tam triumphalem quæ unirsus Ecclesiarum orbis tam grate, tam devote et m pie amplexatur, eo quidem operosius intendo, io certissime credam tanto athletæ et viro tam umphali, sive in morte sive post mortem, absque qua causa mysterii etsi abdita nec unum iota cidisse, hoc sentiens de milite quod et de impetore. De cujus in mundo conversatione, quam am mysticam arbitror ut sileam nunc, præsertim quidquid in ipsius passione, resurrectione etiam vel ascensione a se homine vel alio in tempore qualicunque seu loco gestum est, scio quidem gestum, sed et credo aliud significare gerendum. Gesta quippe quasi gravida hæc, sicut corpus extra interius habentia spiritum qui vivificat. Tota quippe hic sicut mirificum et mysterium et mysterium admirabile : adeo etiam quod et loca ipsa et tempora mystica. Sicut ipse imperator non solum homo totus mysticus, sed et ipse verbum et patris sui et omnis creaturæ mysterium est. Quia si consilium, et mysterium. His igitur potissimum quæ sive in morte sive post mortem militis acciderunt, eo libentius intendo et operosius, quo in eis scio hoc quod quæro latere mysterium thesaurum fodientis instar qui ibi libentissime et totis viribus suis fodit ubi certissime thesaurum novit absconditum. Unde et quia mihi pro minimo est ut domini mei neomartyris opus hoc ab homine aut ab humano die judicetur, solum illum in hoc opere quæro habere fautorem, quo intolerabili ardore animi inflammatus operis hujus habui præceptorem, et illum pariter aut per se aut per suos eruditiores me constituo correctorem. Sed ad notulam de signis et vexillis imperatoris et militis inchoatam concordius adhuc terminandum redeamus.

Igitur ut præcecinimus in vase militis triumphali tria sunt. Et hæc quidem tria sunt quæ in terra militi testimonium dant. Plumbum videlicet, aqua et sanguis. Ita quidem tria militi sicut et tria imperatori.

15 NOTULA.

Imperatori quippe tres sunt qui testimonium dant in terra : spiritus, sanguis et aqua. Similiter et tres militi : plumbum sanguis et aqua. Ft vere imperatoris tres testes in terra. In ipso etiam crucis signo vexillari cum adhuc in cruce ipsa penderet ipse, tres ipsius testes hi. Siquidem de ipsius latere lanceato in cruce sua pendentis adhuc continuo exivit sanguis et aqua. Qui prius sicut clamans voce alta, sic et in potestate magna emittens spiritum, ait : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII). Ecce in terra et in ipso etiam crucis patibulo imperatore in ipso pendente adhuc admirandi tres testes hi, spiritus aqua et sanguis. Et inter cæteros testes et præ cæteris, quorum tamen unum fuit consonum et concors testimonium, sed præ cæteris, inquam, spiritus sicut clamose, sic et potestative emissus, sic tradictus, sic in Patris sui manibus commendatus testificatur quam imperator Christus est veritas. Sed longe secus hic in milite quam in imperatore. Unde et melus hic inter imperatorem et militem huc usque tam consonans, tam concordans solum in hac notula discordare videtur plurimum. Siquidem primus testium militis plumbum videlicet testificatur quod imperatoris miles hic fuerit vanitas cum e diverso imperatoris primus testium, spiritus scilicet testificetur pro imperatore quod ipse sit veritas. Longe diversa imo penitus adversa testimonia hæc.

Quantum distat Oriens ab Occidente, veritas a vanitate, Deus ab homine, imperator Christus a Christiano milite. Verumtamen veritas excussit vanitatem et sic imperator suum liberavit militem. Et liberatus sic et aquæ mundantis se habens testimonium et præter hoc per certius adhuc et evidentius testimonium sanguinis obtinuit per sententiam gloriam sui imperatoris. In ore quippe duorum, nec dicam trium cum tamen hic tres sint, nisi quia, ut ostendimus inter tres, primus duobus non consonat, in ore, inquam, duorum stat omnis sententiæ verbum.

Sed adijciamus adhuc quo signum signo, vexillum vexillo, adhuc monstretur conformius, ut de signis his et vexillis meli nostri notula quo concordius eo dulcius resonet. Vexillum imperatoris, non in angulo, non sub tecto, sed palam mundo ostenditur. Et a Hierosolymipetis crucis signum aut coram gestatur in pectore aut in humero utrumque congruit.

QUARE CRUX GESTETUR IN PECTORE.

In pectore quidem, ut quisquis habens quid pectoris incessanter recolat memoriam Dominicæ passionis. Sagaciter etiam attendat quatuor dimensiones habentem imperatoris vitam, cujus crux est signum pariter et triumphalis mortis suæ exitum, cujus ipsa eadem est vexillum, ut ita vitæ quatuor habenti dimensiones se conformet et ex ipsa post ipsam similiter mortem triumphalem speret.

QUARE CRUX AFFIGATUR HUMERO.

Quod etiam crucis signum affigitur humero congruis pariter et causa in evidenti est. Nam juxta prophetam: *Factus est principatus ejus super humerum ejus* (*Isa.* IX), ipso videlicet imperatore cum ad locum passionis duceretur super humeros suos crucem suam in qua triumphando principatum acquisivit bajulante. Debet quippe quisque humeros suos crucis supponere oneri, qui imperatoris quærit se conformare passioni et communicare honori. *Quia*, ut docet Magister, *si compatimur et conregnabimus* (*II Tim.* II). Itaque tum pro exemplo facti, tum pro causa mysterii humero interdum hoc crucis signum affigitur.

QUARE CRUCIS SIGNUM ANTE FACIEM ROMANI PONTIFICIS SIMILITER ET METROPOLITANORUM GESTETUR SEMPER ERECTUM.

Interdum etiam signum hoc non quidem in pectore, non in humero, sed palam ante faciem erigitur. Quod et Romanus pontifex quasi imperator, utpote qui in terris imperatoris vices gerit, tanquam imperialis majestatis suæ vexillum quocunque pergat semper erigit ante se. Et nonnulli pariter quarumdam ecclesiarum principes, metropolitani scilicet quasi contubernales imperatoris milites ante faciem suam erectum sic semper bajulant: ipsis Ecclesiarum principibus potioribus signum illud erigentibus sic, sicut imperatoris vitæ signum, ita ipsis et mortis ejus triumphalis vexillum. Et totum ob id ut præsertim ipse qui imperatoris a mundo sublati primatum quasi primogeniti filii inter alios hæreditate possident et vices in terra gerunt; ipsi, inquam, præsertim sicut ipse pater eorum imperator vixit et ipsi vivant; et sicut ipse in carne adhuc dimicavit, et ipsi dimicent ut postea sicut ipse et ipsi triumphent. Et hoc profecto imperatoris crucis signum et vexillum miles hic noster cum adhuc in terris imperatoris sui vices gereret, et prælia dimicaret, ut supra in historia ostendimus, apud Northamtune pugnaturus ad bestias; hoc, inquam, signum contra partes erexit adversus principatus et potestates in hoc imperatoris sui vexillo tunc triumphans. Ita ut illud antiquum prophetarum de imperatore post imperatorem similiter completum sit, et in milite facto similiter principatu imperatoris super humerum militis. Etenim miles tunc, quod supra in historia relatum hic itero, crucem Christi, sicut et ipse Christus, in propria persona visibiliter bajulavit, principatu crucis facto sic communi sicut imperatori et militi; milite quidem tunc in hoc principatus et potestates triumphante sicut et imperator triumphaverat. Unde et, ut hoc breviter interseram hic, nec in hoc falli me arbitror, eo certe quod miles in terra erexit ex multa fiducia imperatoris in pugna ipsius imperatoris vexillum crucis in præsidium et imperator nunc in terra donat militi vexillum simile suo proprio, vexillum videlicet prædescripti vasis simile, ut jam ostendimus, vexillo crucis et totum hoc in præconium militis. Sed quid? ut ad superiora redeam, hoc crucis signum, sive in humero, sive in pectore, sive coram gestetur in facie, palam semper humani generis exterioribus oculis præponitur, ut vitam quadripertitiam, cujus ipsa signum est, et mortem triumphalem, cujus ipsa eadem est vexillum, homo jugiter interioribus mentis suæ oculis contemplando imitetur.

QUARE VEXILLARE VAS MILITIS SICUT ET VEXILLUM IMPERATORIS PALAM GESTETUR ET IN PECTORE.

Videmus jam cur et quomodo crucis imperatoris signum et vexillum mundo palam semper ostendatur. Similiter et vasis signum et vexillum militis mundo palam semper proponitur, et non in angulo, non sub tecto absconditum nec a tergo, sed coram et in facie gestatur in pectore. In quo tanta est consonantia signi ad signum, vexilli ad vexillum, ut hoc ipsum sub eisdem etiam pene dictionibus aptando sic possimus dicere de signo et vexillo militis, quod jam diximus de signo et vexillo imperatoris; quod militis signum et vexillum, sicut de imperatoris diximus ideo gestatur in pectore, ut quisquis habens quid pectoris recolat jugiter memoriam passionis militis. Sapienter etiam inspiciat primo et attendat tripertitam quam supra distinximus vitam militis, cujus vexillare vas est signum et deinde triumphalis mortis ipsius exitum, cujus idem et vexillum. Ut ita quisquis vitæ hujus tripertitæ militis vigilans æmulator fuerit, ex ipsa post ipsam mortem similiter triumphalem præstoletur. Domino, ut videri potest, hoc præcipiente de duobus his signis et vexillis imperatoris et militis; quod et de verbis ipsius legis: *Ponite*, inquit, *hæc verba mea in cordibus et in ani-*

mis vestris et suspendite in signo in manibus et inter oculos vestros collocate ; quando sederis in domo tua et ambulaveris in via, et accubueris atque surrexeris scribes ea super postes et januas domus tuæ (*Deut.* XI). Similiter et alibi in lege et ob idem præcepit Dominus, ut fimbriæ per palliorum angulos fierent, in quibus vittæ hyacinthinæ ponerentur, quas cum viderent filii Israel, recordarentur mandatorum Domini. Unde et Pharisæi legis præ cæteris æmulatores in pitaciis scribebant Decalogum ut illum semper quasi ante oculos haberent appensum. Sed ad signa nostra et vexilla redeamus.

Ecce enim imperatoris et militis signorum consonantia quasi in una pugna. Ecce vexillorum conjunctio quasi in una palma, unde et in multis ecclesiis sæpe videri potest conjunctio hæc, vas videlicet cum cruce et circa crucem et itidem crux crucifixi imperatoris conjunctim cum vase decalvati pro imperatore militis. Imperatore inter se et militem suum in signis suis et vexillis, etsi per nescientes quid operentur operante mysterium.

O cum video in ecclesia signa et vexilla conjuncta sic quanti se mihi mox gaudii claritas ingerit per omnes fenestras meas mox intrans ex solo visu ! cum video, inquam, præ cæterorum, qui in exercitu Domini Sabaoth militaverunt, triumphantium hujus militis Domini mei signum et vexillum cum imperatoris familiaribus sic conjunctum. Et revera imperatoris et militis in via et vita hac conformiter viventium, et jam in morte conformiter triumphantium, conformem nunc eorum in patria conjunctionem. imo quod eo verius quo expressius unitatem nunc quasi indivisam indicat signorum et vexillorum ipsorum in Ecclesia conjunctio hæc. In superioribus quippe quid agatur invisibiliter nobis in hac lacrymarum valle inferiora hæc indicant. Juxta quod ait supermundanus ille et vere insignis theologus, quam pulchre divina et cœlestia etiam per dissimila symbola manifestari. Et vere manifestantur, etsi pauci sint qui veniant et videant opera Domini quæ posuit prodigia super terram. O quoties cum adhuc in carne militaret imperatoris miles hic Dominus meus ea ipsi ore ad os prædixi de ipso eventura, quæ nunc de ipso cerno completa, si tamen, ut adjiciebam ipsi loquens imperatoris sui prælia fortiter, viriliter et constanter dimicaret! O quoties imperatoris crucis signum et vexillum, quod ut metropolitanæ illius ecclesiæ mos est semper ante ipsum erigebatur, quod et tam assidue corporaliter cernebat! ego tamen nacto loco et tempore etiam mentis suæ oculis ingerere non desistebam, discipulus magistrum erudiens quale et quare signum crucis esset hoc et vexillum; et quare sic et in via et in ecclesia non a tergo quidem, nec in humero, seu etiam in pectore, sed quod majus. semper ante faciem suam portaretur erectum ; semper Deus scit, instanter exhortans ut ipsa potissimum operum virtute recoleret signum illud imperatoris sui et vexillum, quod ita quasi opportune et importune negotiis suis, curis, causis et consiliis tota die se ingerebat. O quoties cum virum ad fortia animarem sic, hanc etsi non tantam pollicebar ipsi gloriam, quam nunc video, imo quam et mundus videt et exhibet, et etiam lapis clamat de pariete ! Unde, ut verum fatear, sub sole gaudium mihi majus non est, sed nec tantum. Non modicam apud Altissimum fiduciam habens per tantum patrem hunc et patronum, per quem et pro quo gaudium meum diatim crescit. Ita ut secundum eam quæ præcessit multitudinem dolorum meorum consolationes hodie multiplices lætificent animam meam. Crescente quippe in dies viri gloria, et ipse mihi gaudium in dies auget. Quo mihi orphano derelicto, et confratribus meis quondam passionis sociis a mundo jam sublatus consolatur et lætificat animam meam ; ut cantem quotidie in misera mea peregrinatione hac quam magna est gloria ejus. Verumtamen, ut paulo ante præmissa repetam, quo jam proxime diximus me peccatorem homuncium tam citum, tam expeditum Christi athletam, dum adhuc certaret inter nos, animasse ad fortia quod, inquam dixi, sic nemo arbitretur ob id dictum quasi multum necesse tam citum, tam strenuum præsentis hujus viæ et vitæ cursorem aliquibus sermonum stimulis urgere ad cursum, vel etiam movere ad currendum, utpote ex quo semel cœpit spiritus semper ferventissimum. Non, inquam, opus sermonum stimulis urgere ad cursum, quemadmodum nec opus balsamum unguentis delinire aut solem facibus adjuvare aut aquilæ ad visam et concupitam prædam aptare pennas. Attamen interdum loquebar ego, quasi mulier loquax ma nens in domo, sed ipse operabatur. Verum ad signa nostra revertamur.

DECURRIT BREVITER QUÆ DE SIGNORUM CONFORMITATE PROLIXIUS DICTA SUNT NOVA QUÆDAM ADJICIENS.

Et quoniam præsentis meli nostri ultimæ de signis et vexillis notulæ adeo jam productæ finem desiderant, ne juxta quod vulgo dicitur etiam amœna cantica vertantur in tædium, quod supra nos fecisse meminimus de aliis et de alterius modi ejusdem istius meli notulis, similiter faciamus et nunc. Videlicet ut notulæ hæc de conformitate vexillarium signorum imperatoris et militis quas ob causam sparsim confuse et ordinate minus in cithara nostra resonavimus, deinceps breviter continue et ordinate absque mora et sine pausa, quæ in psalterio quidem interponi solet, sed in cithara minime, siquidem contra musicæ artis legem hoc ; notulas, inquam, illas breviter continue et ordinate resonemus. Ut quo brevior, eo gratior, et quo distinctior, eo clarior et concordior, harum de vexillaribus signis notularum in auditu auris pateat harmonia. Et quo reparato auditore innovetur auditus illis, quas jam præmisimus novas aliquas notulas de vexillis his adjiciamus adhuc. Quot et similiter supra jam in aliis præsentis hujus meli notulis nos fecisse meminimus. Igitur ut compendiarii repetamus a primo.

14 NOTULA.

A Imperatoris itaque vexillum vexillorum omnium primum et præcipuum et signum pariter est et vexillum . Similiter et vexillum militis rei consimilis signum pariter et vexillum. Et hoc prolixius præostensum nunc pertranseo.

HÆC EST QUASI PARS NOTULÆ PRÆCEDENTIS

Imperatoris vexillum primum signum crucis. Similiter et alterum militis vas sanguinis. Et in hoc a præmisso dissonantiam non audio. Ibi crux hic sanguis.

15 NOTULA.

Imperatori in vexillo suæ crucis tria sunt, quæ testimonium dant in terra : spiritus, sanguis, et aqua. Similiter et militi in vexillo sui vasis tria : plumbum, sanguis et aqua. Et hoc quidem præostensum.

16 NOTULA.

Imperatoris vexillum crucis inventum est Spiritu sancto revelante. Similiter et vexillum vasis militis eodem Spiritu inspirante. Et hoc quidem præmisimus de vase militis, quod constat mundo et palam est de vexillo crucis imperatoris reperto ab augusta Helena sicut istud ab universali matre Ecclesia.

17 NOTULA.

Imperatoris vexillum crucis a servis suis peregrinis aut ante pectus ponitur aut humero affigitur. Similiter et militis vexillum vasis a sui ante pectus. Quod supra etiam mystice ostensum aperuimus.

18 NOTULA.

Imperatoris vexillum crucis ad ædificationem mystice palam mundo semper proponitur. Similiter et militis vexillum alterum ob mysterium simile. Et hoc quidem jam explicavimus.

19 NOTULA.

Imperatoris vexillum crucis in ecclesia supra altare in eminentiori ponitur. Similiter et militis vexillum vasis nunc juxta, nunc subtus vexillum crucis imperatoris ad pugnæ imperatoris et militis et palmæ visibilis similitudinem nobis indicandam vexillis his, mystice, ni fallor, visibiliter sic conjunctis.

20 NOTULA.

Imperatoris per vexillum erucis gratia sanitatum et operatio virtutum. Similiter et per vexillum vasis militis. Lege librum signorum militis editum de his de quo supra tetigimus et liquido videbis quod sic. Et hoc prius minime dictum quasi novum hic adjicimus.

21 NOTULA.

Imperatoris vexillum crucis suos tutatur bajulos. Similiter et vexillum vasis militis, adeo ut natio illa quæ Gualensium nominatur, in inimicos suos inexorabilis et sævissima etiam inimicis vexillaris vasis hujus gestatoribus deferat. Et quo prius omissum hic iterum quasi novum et post alia fere omnium novissimum superaddimus. Et ut ultima præsentis istius meli nostri notula breviter in fine concludatur.

22 NOTULA.

Imperatoris certe vexillum crucis portatur peregre, sed ad imperatoris martyrium. Similiter et vexillum vasis militis portatur peregre, sed a martyrio militis sicut illud ad martyrium imperatoris. In quo, etsi in modico dissonare videatur notula hæc imperatoris et militis, nec tamen certe sine causa hoc. Quæ quia nunc præter rem dicenda minime. Et peregrinationis signum tam hoc quam illud, Hierosolymitanæ hoc ubi sepultura imperatoris, Cantuariensis illud ubi sepultura militis.

RECAPITULAT BREVITER PRÆMISSA, TRANSITURUS AD ALIA.

Satis jam, ni fallor, quanta sit inter signorum et B vexillorum imperatoris et militis consonantiam, quam concors harmonia, citharam nostram morosius pulsantes et attentius resonavimus. Ex quibus quanta inter imperatorem et militem in vita hac militari concordia et quanta in morte triumphali conformitas evidentissime præsumendum. His igitur pro sensus mei tarditate, prout desuper datum exsecutis, spero quia ipsius jam imperatoris viribus sed meis manibus etsi indignis juxta quod supra supplicavimus signiferæ et vexillaris crucis suæ, clavis ad militis sui gloriam vas prius clausum militis signum pariter et vexillum nobis reseratum. Et nos prout permissum de vase hoc effudimus et propinavimus aliis. Propinavimus, inquam, novum quid etsi modicum de vase hoc quod et si C alii, nescio ; ego tamen ipse, qui propinavi, non gustavi prius : hæc quippe ipsius imperatoris eruditio nova sui militis vas clausum et signatum ipsis crucis suæ clavis nobis reserantis. Ut ita quasi per ipsum signum et vexillum imperatoris alterum consonum sibi et concors mundo declaretur signum et vexillum militis. Prius quippe mundus in vase hoc triumphali, quod in peregrinationis suæ signum ad martyris gloriam gestat non ponderabat quod gestabat. Quotidie palam ante oculos in pectore ipso mysterium portabat et tamen quod portabat ignorabat. Nam illud etiom quod inter cætera primum et gravius est, ipsum plumbum poriabat et plumbum non ponderabat. Et quæ similiter ponderosa aquam cum plumbo et in plumbo portabat, sed sic ut nec plumbum nec aquam ponderabat. Portabat, D inquam, non ponderabat, non credens plumbum nisi plumbum, nec aquam nisi aquam. Nonne aliquis aliquando ad se et ad signum quod portabat reversus intra se cogitabat sic. Quare sic porto quod ponderosius est plumbum et non potius qui levior est calculum ? Similiter quare porto aquam et non potius vinum vel siceram quæ peregrinantibus commodiora essent per viam ? Duo ergo illa, quæ mundus portabat, non ponderabat. Sed quid ? Fere a memoria excidit quiddam de vase hoc quod sicut verissime et miraculosissime contigit ? Et quod istius de quo jam aliquandiu locuti vasis mysterium evidentissime probat.

DE PIXIDIBUS PRIUS GESTATIS.

Siquidem commune dicitur et indubium hoc quod inter initia martyris peregrini novelli in peregrinationis suæ signum vacuas quasdam gestabant pixides. Quæ quantumcunque solidatæ aquam dictam martyris sanctificatam sanguine continere non poterant. Quin imo quanto magis infundebant, tanto magis illæ stillatim evacuabantur. Unde et vase illo miraculose reprobato sic successit alterum hoc. Multi qui viderunt de pixidibus sic rejectis contestantur quod dicimus. Etiam et quædam pixides sic rejectæ in signum miraculi super ipsum martyris sepulcrum videri possunt suspensæ adhuc. Unde sicut videtur ad majorem istius quod nunc gestatur vasis peregrinatorii commendationem et ipsius efficacius comprobandum mysterium, prius sic per Spiritum sanctum sicut evidentissimum miraculose rejectum est. Quis tamen hominum primus hoc conflaverit, aut primus bajulaverit, nescitur, nisi quia, sicut videtur, Spiritu sancto sic inspirante, non unus sed simul omnes, omnibus subito ab universo Ecclesiarum orbe in peregrinationis suæ signum hoc consimile bajulantibus. In quo duo sunt, plumbum et aqua, et hæc quidem ut jam aperuimus mystica. Quæ utinam deinceps mundus sicut devote portat in pectore, sic et sapienter et æque ponderet illa in mente! Mistycum quippe tam hoc quam illud, videlicet tam plumbum quam aqua, et tam aqua quam plumbum. De tertio trium taceo, mundo forte inter alia solum pensante sanguinem et mystice interpretante, propter tam evidens quod in sanguine liquet omnibus martyrii signum. Sed mysterium in reliquis duobus occultius. Quæ tamen duo, ut jam ostensum nec aliquem super hoc hæsitare jam arbitror, sicut et illud tertium, mystica sunt. Quare etenim tertium mysticum erit, si non primum et secundum? Aut quare non tertium, si primum et secundum? Sed scientiarum Domino in dictis, in scriptis et factis, sicut mysterii auctore pariter et doctore ordinante sic, ideo, ni fallor, post duo illa plumbi et aquæ tertium illud sanguinis signum positum est, ut per ipsum inter tria evidentius signum in sanctuarium Dei intrantes, quasi per ostium invitaret nos ad quærendum primi et secundi abstrusius mysterium.

Sunt enim quædam in dictis, in scriptis et in factis, in visionibus etiam et in somniis, quæ omnia interdum prophetica sunt; in his, inquam, omnibus quædam interdum sunt, in quibus mox et quasi ante faciem mysticus sensus parum etiam attendenti se ingerit, per quæ quasi quædam mysteriorum ostia intrantes ad alia quæ occultiora sunt invitamur, et per illa sic aperta facilius datur etiam spes et quasi initium intrandi alia etsi difficilius, sed sunt certe alia, in quibus eo subtilius quo profundius mysterium latet. Unde et eo acutiori oculo opus est, quo ipsum subtilius, et eo quasi laboriosiori manu quo ipsum profundius ut erutum extrahatur. Sic quippe est in propheticorum abyssis ut

A extrahatur mysterium, quemadmodum in quibusdam terrarum venis, ut eruatur aurum. Sunt etenim quædam terrarum venæ, in quibus aurum mox in ipsa superficie etiam rudi, ad quærendum continuo et absque ulla difficultate quasi se offerat; sed sunt aliæ, in quibus cum labore multo et sudore terra eversa crebrius et effossa profundius, quasi in ipsius intimis terræ visceribus etiam operose fodienti et exercitato in hoc interius tamen aurum se abscondat. Unde et persæpe accidit, ut etsi operose fodiant, aurum tamen quod ibi latet non extrahant nimis siquidem profundum est; quemadmodum et ipsi patriarchæ non semper aquam quam sitibundi puteos fodientes quærebant invenire poterant, aqua plerumque sicut et auro nimis in profundo: et quod
B in aqua et auro simile et in propheticorum mysterio: hæc quippe est aqua illa prophetica, quæ per viam transeuntis primo venit usque ad talos, exinde usque ad genua, et exinde post usque ad renes, et demum usque in torrentem intumescens a transeunte per viam pertransiri non potuit. Hoc quippe non via, sed patria sibi privilegium vindicat, ut non jam transitor in ea, sed pertransitor torrente voluntatis divinæ epotetur et æternæ cognitionis plenitudine satietur, et quod in templi aquis simile et in templi locis. Unde et in propheticis accidit, ut quædam sint aperta etiam in vulgo, et hæc sunt circa templum quasi vulgi loca, atria videlicet templi communia, alia vero interiora templi quasi solis levitis et sacerdotibus patentia, alio intima quasi
C Sancta sanctorum quæ solus et summus sacerdos intrare permittitur. In primis igitur recurramus ad Moysi tabernaculum; secundo contemplemur Salomonis templum, et tertio illud Ezechielis templum alterum; sed umbratile tot et jam abditis obumbratum miraculis ænigmatice recolamus et hæc certe tam excelsa, tam gloriosa, tam ampla et tam mystica ædificia his per quæ nunc pro tempore breviter tactis strictim ingredior amplum nobis dicendorum permittent ingressum. Et ea quæ de mysteriorum idiomatibus jam tetigimus confirmabunt solus Ezechiel etsi pulsemus, ab ingressu forte nos repellet, cum interius ad templi sui portam venerimus per quam solus princeps ingreditur et egreditur: ad cujus portæ ostium forte cum populo terræ adorare poterimus intrare minime. Sed quorsum tendo?
D Videri jam possum quod per aliquod de sanctuarii Dei ostiis seu atriis templi ingressus exire aut nolim aut nesciam et revera invitus exeo non tamen quasi exire nesciens, sed ut de puero dici solet, et nolens et volens, et quidem nolens verius. Sed tamen ad exeundum tertii meli de ea quam non videmus sed certissime scimus invisibili et consimili palma imperatoris et militis seu palmæ gloria resonandi desiderium pariter et propositum me compellit, quem tamen melum mox cum citharam pulsans inchoavero, oportebit me mox, si tamen ostium templi interius dignatione principis et ipso principe aperiente, apertum sic sanctuarium Dei reintrare et

etiam si tamen princeps primus me post se traxerit, sic adeo procedere necessarium ut ipsa Sancta sanctorum, etsi non intrem, hoc quippe nec auderem, nec dignus sum, quod solius sacerdotis et summi non nisi semel in anno privilegium est, necesse tamen ut sancta illa interiora, etsi nun plene intrem, per aliquam tamen rimam inter ipsa et exteriora sancta, quam mihi dux meus Dominus ostendere dignatus fuerit, quid in interioribus agatur vel tenuiter inspicere.

SECUNDUS MELUS FINITUR HIC ET MODULATUR CITHARAM AD TERTIUM

In primis igitur rememorando tangenda præmissa modicum, ut post præmissa ad hunc melum tertium ab auditoribus ordine congruo judicemur accessisse. Siquidem post primum et ante omnia præmissum de martyre historicum canticum Christo præcentore prout placuit et vocem et verba ministrante, post canticum, inquam, historicum in cithara Davidica prout ab ipso reor citharœdo edocti ipsam pulsantes duos jam in ipsa citharizavimus melos. In primo quidem melo qui fuit de visibili et conformi pugna militis ad pugnam imperatoris, ni fallor, etsi nunc rememoremur, sic clara, magna et manifesta audita est consonantia. In secundo vero melo, qui fuit de visibili et consimili palma triumphalis mortis militis ad visibilem palmam triumphalis mortis imperatoris audita est pariter consonantia et arbitror quod non minor, si major nescio. Unum tamen scio, consonantiam hanc in melo hoc dulcissime resonasse, si manus artificis et in cœlestis musica melius edoctæ longiores et subtiliores digiti pulsassent citharam. Verum ignoscat auditor si offendatur auditus. Siquidem prout edocti et quemadmodum didici, cum manus meæ, etsi grossioribus digitis et minus aptis ad imperatoris et militis visibilis et comsimilis pugnæ, et ad eorumdem visibilis et consimilis palmæ laudem et gloriam pulsavi citharam, ex cithara tamen qualitercunque pulsata sic liquere potest, quanta sit, quam grata, et quam jucunda visibilis pugnæ ad visibilem et palmæ visibilis ad visibilem consonantia quam consona melodia, quam harmonia concors, eo certe dulcior quo concordior.

O quam humanus, quam benignus, quam socialis, quam clemens imperator hic, qui et in pugna sua et in palma milites suos sibimet ipsi assimilat sic ! Assimilat dico, non coæquat : nec enim est quod rivulus fonti, stilla mari, atomus monti, aut lucerna soli, imo, ut dicam expressius, non est quod geminæ naturæ giganti miles homunculus valeat coæquari. Qualiscunque consimilitudo potest esse non coæquatio. Sed et est ipsa consimilitudo admiranda. O quantum nunc credo inter imperatorem et militem post tantam in præsenti visibilis ipsorum pugnæ et visibilis palmæ conformitatem dulcem admodum velut quamdam consonantissimam harmoniam in gloria ipsorum invisibili, ne jam dicam consimili-

A tudinem seu conformitatem, sed potius quasi unitatem indivisam sicut gratiæ sic et naturæ. Quam profecto unitatem hinc dilectionis tam vehementis vinculum nobis in vita hac tam multiplici, tam distracta inexpertum et inde pacis quæ omnem sensum exsuperat perennis securitas nunc in patria solidant. Et profecto sicut meli duo de subsolaris et visibilis pugnæ et de subsolaris et visibilis similiter palmæ imperatoris et militis conformi consimilitudine et conformitate consimili sumt præmissi, ita nunc deinceps dc unitate incomparabiliter plus omnibus admiranda inter imperatorem et militem aut de his quæ unitatem ipsam probant et indicant, totus hic melus tertius resonabit. Si enim in vita hac subsolari, tam multiplici, tam varia, tam diversa

B et adversa in hac subsolari pugna et subsolari palma inter imperatorem et militem tanta fuit conformitas in regno illo dilectionis et pacis, imo quod non nisi pax et dilectio est, quid erit inter imperatorem et militem nisi unitas ? Et si inter ipsos hic tanta conformitas, ubi non nisi distrahens vanitas, ibi quid erit inter ipsos ubi non nisi solidans veritas ? Et certo certius inter imperatorem et quosquos milites suos nulla erit in patria unitas, nisi in via præcesserit inter ipsos conformitas. Nulla ibi capitis et membrorum unio, nisi hic ante fuerit viæ et vitæ similitudo et conjunctio. Debet enim miles, sicut imperator ambulavit, et ipse ambulare. In primis igitur constat et consequens est, et ex superiori promisso teneor sic, ut post subsolarem et visibi-

C lem pugnam militis ad subsolarem similiter et visibilem imperatoris pugnam conformatam quasi post melum primum et post subsolarem et visibilem triumphalis mortis militis ad subsolarem et visibilem imperatoris palmam itidem conformatam, quasi post melum secundum deinceps et subsequenter nunc ad suprasolaris et invisibilis triumphalis mortis palmæ militis ad suprasolarem similiter et invisibilem palmam triumphalis mortis imperatoris audiendam consonantiam hic quasi jam tertius melus formetur. Quæ tamen hujus meli tertii consonantia mira quidem et mortalium auribus inaudita, tam uniformis, imo tam unita est, ut magis quam reddat consonantiam, resonet unitatem. De qua melus hic tertius erit ultimus. Melus revera

D hic magis quam consonantiam resonaturus unitatem. Utpote post sudores et labores, post pressuras et angustias, post persecutiones et contradictiones, post pugnas et palmas, sponso jam in lecto et amica in amplexu. De supra solari igitur et invisibili imperatoris et militis palmæ gloria, quod est tanquam de particulari quodam sponsi et sponsæ epithalamico, melus hic.

Verum nunc stupet animus, tremit manus, obrigescit digitus, revera sicut sentio, multo plus quam prius grossior nunc et rigidior ad modulandum et formandum tertium melum hunc. De quo ante ipsius modulationem, imo mox cum etiam præmeditor et ad quid cithara nostra nunc modulanda sit

recolo et adverto, stupor confestim mihi incutitur. Et ad palmam illam suprasolarem et invisibilem et in ea unitatem indivisam quo nunc sponso in lecto sponsa unitur in amplexu, ad hæc, inquam, mentis meæ attollens oculos nescio quæ umbratilium phantasmatum ænigmata mentis meæ mox oculis se ingerunt, et vicissim densa etiam obscurant caligine. Juxta prophetam tanquam cæcus palpans ad parietem domus. Qua via etiam ad interiorem imperatoris et militis simul jam quiescentium thalamum tendam ignorans. Et hoc est quod jam me in historia testatum memini cum militis certantis adhuc monomachiam describerem, videlicet quod invitus avellerer a certante, eo quod post certantis triumphum, ipso jam in gloria deinceps mutus fierem, de cætero de regno suo nil dicturus *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Verum quidquid dixerim ego, sive in via, sive in patria, sive in morte, sive in vita, sive in pugna, sive in palma, a tanto domino meo et alumno patre avellor invitus. Nec mirum hoc cum ego quasi orphanus relictus solus domino etiam meo et patre tam gloriose in mundo de mundo, sicut et ipse mundus videt et præconizat, triumphante, vix tamen mihi adhuc audeat communicare mundus, etsi mundo etiam jam per patrem meum et dominum triumphato sic. Unde nec mirum si, quemadmodum prius a visibili ipsius pugna et palma quam sermone saltem protraxi ut potui, nunc multo magis ab invisibilis ipsius palmæ gloria invisibili ego nunc sic solus relictus invitus avellar. De qua tamen tam victoriosa gloria eo meticulosius, eo etiam periculosius facio verbum, attollo præconium, indulgeo animum, figo calamum, moveo manum, apto digitum, et formabo melum, quo mihi invisibilor palmæ hujus gloria utpote suprasolari et visibili nemini. Quid igitur dicam mihi peccatori homunculo, jamjam uno levi et brevi flatu in pulviculum tenuem dispergendo invisibilem hanc? Imo patriarchis, prophetis, apostolis etiam et quotquot peregrinantibus adhuc peregrina et hæc ipsis. Quorum unus: *Oculus*, inquit, *Deus*, *non vidit absque te quæ præparasti exspectantibus te* (*Isa.* LXIV). Verumtamen poterit ipse nunc ad citharæ nostræ ingenioli mei plectro torquendos superiores clavos ad modulandas chordas, ad movendum manus, ad aptandos digitos, ad pulsandum citharam, ut melus hic tertius quo acutius formetur et subtilius conatui meo huic interiores sensus mei augere nunc vires fortius, quanto nunc amplius confirmatus est principatus ejus. Et certe ordinis exigeret consequentia et decens admodum, si quis tamen didicisset sic post visibilis pugnæ imperatoris et militis melum primum et post eorumdem visibilis palmæ melum secundum de invisibilis et suprasolaris palmæ ipsorum gloria quasi melum tertium resonare. Cujus profecto meli remedio plenius restitueretur mundo quo dignus non erat mundus et historia libelli hujus. Verum melus hic in citharæ

A chordis acutioribus et subtilioribus terreni et carnalis spiritus sensibus spissis omnino subductus modulationem desiderat. Alioquin totum absonum totum dissonum, consonum nihil, auditui nihil nec etiam ejus ipsius qui pulsaverit citharam delectabile. Cum tamen juxta illud vetus proverbii: « Et qui dulce non canit tamen sibimet dulce canat. » Mei autem, sicut jam supra et hic iterum fateor, ad has citharæ chordas tam acutas, tam subtiles, quæ tamen solæ, ut melus hic dulciter et concorditer resonet in cithara, pulsandæ sunt, digiti certe mei grossi nimis et rigidi, spissi nimis et turgidi. Terreni quippe et carnalis hominis digiti hi, imo terrei et de terra. Quin potius terra ipsa jam jam B in lutum vile et putridum, nec etiam ut pedibus conculcetur dignum, reversura. Cum tamen, ut melus hic in cithara digne et apte formetur, nullius præterquam solius Dei digitus exspectandus. Spiritus quippe sapientiæ, sicut multiplex, ita et ipse solus simplex, acutus, subtilis et mobilis, est omnibus etiam mobilibus mobilior: adeo quod attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. Unde et ipsius solius digitus ad melum hunc formandum aptus est. Et propterea solus hic qui talis spiritus et qui omnia suaviter disponit sic, solus quidem hic novit melum hunc suaviter citharizare, et solus ipse potest suaviter melum hunc citharizantes docere qui videlicet habeant spiritum sui similem, simplicem, acutum, subtilem et mobilem. Ego tamen tanquam gradu testudineo C sequax, ut solem comprehendam Domini mei gloriam de tam profunda hac lacrymarum valle suspiciens, velim nolim, possim non possim, animo utrumque et calamno, prout datum desuper, prosequar. Et qualibuscunque manibus et digitis utramque pulsabo citharam, formabo melum. Urget enim me, ut jam supra tetigi, charitas: verum, quia tanta et tota gloriæ materia hæc quæ quotquot ante nos fuerunt vel sunt quantumcunque præclara ingenia præ nimio sui fulgore, utpote suprasolaris et invisibilis reverberat, de ipsa tamen ipso qui jam in ipsa est, Domino meo juvante aliquantisper locuturus faciam vel quod infantes solent utpote infans hic. Faciam, inquam, quod infantes, qui conantes loqui verba magis præcidunt aut dimi-D diant quam forment. Et ego vel sic formabo melum quasi dans sine mente sonum: jubilans et tamen jubilationem nesciens. Quam non peregrinus in via, sed solus beatus populus sibi in patria vindicat Juxta quod edocti illius citharœdi et id experti vox in cithara: *Beatus*, inquit, *populus qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII).

DE VERBORUM PROTRACTIONE SE EXCUSAT.

Quod autem ad inchoandum melum hunc sic moror, sic traho, sic protraho, sic me retraho, sic differo et me excuso, nemo calumnietur, miretur nemo Nec enim calumniandum mirandumve, si bestia montem tangere, si plebeius Santa sanctorum intrare, aut si plumbeæ gravedinis animal intume-

scentium aquarum torrentem intrare vereatur, quem A nec ipse propheta ipsius Salvatoris effigiata imago primo per aquam transductus usque ad talos, post usque ad genua, demum usque ad renes, verum cum jam profundius usque ad hunc aquarum torrentem pervenisset, pertransire non potuit, quoniam, ut testatur ipse, intumuerant aquæ profundæ torrentis quæ non poterant transvadari. Verumtamen quoniam ex promisso teneor, et ne temere vereor torrentem hunc, etsi transvadare non possim, hoc quippe nemo, intrabo tamen non quidem propheta audacior, sed quod minime dubito, temerarior; nisi quia si minus fidei habens præsumptionis plurimum mergi cœpero, ad imperatorem et triumphatorem militem mox clamabo ne peream. Quoniam etsi præsumptuosus et temerarius propteo ipsorum tamen B gloriæ palmam annuntiandam periclitor. Unde etsi culpetur præsumptio, spero tamen quia apud ipsos subveniet mihi et me excusabit devotio.

Ut igitur superius promissum, devotionis meæ nunc solvam debitum, post duos melos de conformitate simili seu de similitudine conformi visibilis pugnæ imperatoris et militis et visibilis similiter eorumdem palmæ, prout desuper edoctus, præformatis, jam de ipsorum non tam conformitate seu consimilitudine, quam de quasi individua et sempiterna eorumdem unitate melus hic tertius formandus est. Et erunt ita post historicum canticum ad laudem et gloriam imperatoris et militis meli tres. Primus melus fuit de imperatoris et militis consimili pugna; secundus, de imperatoris et militis consimili C palma, sed subsolari et visibili; tertius vero hic itidem erit de imperatoris et militis, non dicam jam consimili, sed quasi una et eadem palmæ gloria sed suprasolari et invisibili. Et primus quidem melus de visibili pugna imperatoris et militis fuit ad luctum propter compassionem; secundus de visibili palma imperatoris et militis fuit ad gaudium propter victoriam; tertius vero hic de invisibili invisibilis palmæ imperatoris et militis gloria quasi de quodam sponsi et sponsæ particulari epithalamico erit ad jubilum propter amoris vehementiam quam tacere non possumus, et tamen exprimere non valemus.

INCIPIT HIC MELUS TERTIUS

SED NONDUM IN SUPERIORIBUS CITHARÆ CHORDIS. D NOTULA.

In primis igitur ad conformis gloriæ imperatoris et militis plenitudinem demonstrandam post signa et vexilla imperatoris et militis non est tacendum de eorumdem coronis.

QUOD DUPLEX SIT CORONA MILITIS SICUT ET IMPERATORIS.

Imperatoris siquidem est corona duplex: similiter et duplex militis. Duplex quidem militis corona, quia duplex victoria. Exspectemus per modicum donec audierimus. Sed de coronis imperatoris prædicendum.

DE PRIMA IMPERATORIS CORONA. — TERTII MELI PRIMA NOTULA.

Imperator ab æterno natus, ab æterno coronatus et ab æterno hæres universorum est constitutus Hæc imperatoris corona æterna illa est quam habet cum Patre et a Patre una majestas et æterna, una potentia, una gloria. Et hæc est imperatoris corona prima, sicut sine fine, ita et quod adhuc magis implicitum fidei involucrum est et absque initio. Hoc profecto mirum supra omne mirum, sed humiliter et devote præbeamus auditum quia fides ex auditu. Et hæc quidem, quam nunc dicimus, corona est prima et æterna corona imperatoris Dei, non ejus hominis corona. Ejus, inquam, non hominis imperatoris, sed ejus imperatoris Dei corona hæc ante omnem creaturam prius quam crearetur homo.

DE SECUNDR IMPERATORIS CORONA. — 2 NOTULA

Hanc tamen coronam suam primam, qua pater suus Adonai coronavit ipsum ante sæcula, propter hominem in fine sæculorum quasi deposuit et aliam incomparabiliter inferiorem assumpsit, tanquam exuens soccum et induens saccum. Unde ipse: *Conscidisti*, inquit, *saccum meum* (*Psal.* XXIX). Qui si in prima illa et æterna corona sua propria et proprio socco mundo apparuisset, non jam rex videor sed potius angelorum, imo etiam plus quam archangelorum imperator cognosceretur, imo nec cognosceretur quem nec totus mundus sustinere sic posset. Quis enim, quæ caro, quod animal, quod corruptibile posset etiam appropinquare, nedum habitare cum illo devorante igne, cum ardoribus sempiternis? Imperator igitur noster ad nos descendens, talem inter nos et ex nobis coronam assumpsit et talem soccum induit, qualem ad Judæos, propter quos specialiter ad nos venit tunc decuit, saccum tamen revera magis quam soccum. Alioquin nisi judicio nobis incomprehensibili talem soccum induisset, non fuisset saccus ejus conscissus nec ipse lætitia circumdatus. Et ne diutius immorer his, ex superiori charitatis promisso ad alia properans de hac secunda imperatoris corona sub brevitate nunc dicendum expressius.

Imperator patris sui sicut unicus et primogenitus quemadmodum a Patre suo primam æternam Dietatis suæ coronam ab æterno habuit, sic et a matre sua Virgine in tempore humanitatis nostræ coronam assumpsit. Hæc profecto corona, diadema illud est quo rex sapiens imperatorem hunc a matre sua coronatum præconizavit: *Egredimini*, inquiens, *filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua* (*Cant.* III). Et ecce Salomon hic, imo etiam plus quam Salomon hic. Et ecce Salomonis corona hæc, qua benedicitur mater sua ipsum coronasse potius quam induisse. In hac quippe nostræ humanitatis et humilitatis carne videmus eum nunc sicut terrenas et aerias potestates triumphasse Nam obedientiæ merito, qua factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, Pater hanc Filii sui coronam exaltavit, quin caro ejus re-

floruit, et sic devicta morte de hostibus triumphavit. Et ita corona hæc in cruce tanquam in fornace per ignem passionis examinata et omni sic vetustatis excocta rubigine tota resplenduit, quia totus homo refloruit. Et ut videri potest in quadam velut sanguinis tinctura presso et calcato sacco et in soccum convesso. Unde propheta : *Quis est ite qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ* (*Isa.* LXIII). Etiam in hac matris suæ corona adeo gloriosus, formosus et fortis ut quem paulo ante vidimus angelis minoratum cernamus nunc adorari ab angelis super angelos et super omnem creaturam exaltatum ; unde et Magister : *Eum qui modico quam angeli minoratus est videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum* (*Hebr.* II). Ecce duplex corona imperatoris : prima qua pater suus ipsum coronavit, et hæc est corona omnipotentiæ ; secunda qua mater sua ipsum magis coronavit quam induerit: et hæc est corona gloriæ sacco sic in soccum converso. Ecce enim quem sacco obvolutum vidimus, in quo quasi absconditus vultus ejus et despectus; unde nec reputavimus eum, ecce, inquam, magnus imperator hic duplicem coronam gestans, tanquam gigas geminæ substantiæ biformisque naturæ, ex prima sui et æterna natura secundum quam patrem habet et non matrem gestans coronam omnipotentiæ : secundam alteram vero sui naturam, secundum quam matrem habet et non patrem, secundum illam gestans coronam gloriæ. Taceo nunc de tertia imperatoris nostri corona, corona videlicet illa spinea qua post patrem suum et matrem coronavit eum noverca sua Synanoga. De illa, inquam, taceo utpote quæ nunc a reliquis imperatoris duabus coronis quasi absorpta nec potentiæ fuit corona, nec gloriæ, sed ignominiæ, per quam tamen secundæ illius quam a matre habuit acquisivit gloriam palmæ. In prima corona imperatoris nostri majestas est incomprehensibilis. In secunda ipsius gloria admirabilis, sicut in tertia ipsius fuerat humilitas despicabilis, in qua nec species ei nec decor. Nec enim decoris sed potius dedecoris corona hæc. Unde post istam sic exaltato imperatore nihil modo imperatori et coronæ illi, sicut nec illis qui imperatorem tunc suum nunc nostrum coronaverunt sic.

DE DUPLICI CORONA MILITIS.

Ecce quia jam audivimus quod duplex sit corona imperatoris. Similiter est et duplex militis. Duplex certe corona, quia duplex victoria. In præmisso quidem de milite historico cantico, si revocemus nunc, nec enim arbitror excidisse hoc, nisi forte totum canticum tam cito jam a memoria exciderit; revocemus, inquam, nunc quod supra cantatum, nunc tangimus de hac militis victoria duplici. Satis quidem supra et cantatum et recantatum, quanta fuerit tolerantis virtus in exsilio. Et iterum quanta fuerit pugnantis constantia in martyrio. Et sic miles hic prius vicit per exsilium et hæc est palma confes-

A soris. Secundo vero per martyrium et hæc est palma martyris. Unde et corona debetur palmæ huic ; debetur et illi : una confessori, sacerdoti, altera vero neomartyri militi. Quas et jam scio redditas a retributore cito et justo debitore. Ut sit super communem auream confessorum et altera corona aureola martyrum juxta ipsius in lege formam exemplarem a summo omnium aurifice et ipsius largitore fabricata. Charismatum videlicet varietate multiplici in terra silis et distincta et quatuor præsertim expressis et impressis virtutibus principalibus, quasi quatuor ipsius Spiritus sancti fabricatoris digitis alta. Aureo quidem dicta non pro parvitate aut diminutione coronæ, sed potius pro perfectorum quibus solis danda est paucitate. Hæc duplex militis

B triumphatoris corona illa, ni fallor, miræ magnitudinis corona est, quam sicut supra in historia interseruimus, frater Hierosolymitanus post mortem angelorum concivis effectus, capiti martyris dilacerato et convulso ab ipso Domino vidit impositam. Rememoremur superiorem historiæ pericopen hanc. Ecce Thomas quem vidimus hominem passibilem, nostri similem, nostri comportorem oneris, et nostræ comparticipem infirmitatis, quam magnus triumphator nunc, duplicem coronam gestans, ut confessor unam, ut martyr alteram, ut ita congruat militi quod et imperatori; et quemadmodum supra de tertia corona imperatoris sic pertransimus, nunc et de tertia militis. Illam vero nunc dico militis coronam tertiam, quam a capite abscisam in agone martyrii perdidit, per quam tamen miles per mar-

C tyrii palmam duas quas ostendimus acquisivit. Ita iste per suam carnis coronam corruptibilem et infirmam obtinens coronam duplicem, sicut et imperator humanitati suæ per suam contemptibilem et ludibricam coronam spineam. Verumtamen, sicut supra de illa ludibrica imperatoris, ita de hac infirma corona militis, pertranseo nunc. Nihil quippe modo coronæ illi et militi triumphatori, utpote quæ sicut marcescibilis versa nunc in corruptionem carnis fuit non spiritus.

O quam magnus triumphator miles hic, imperatoris sui gigantis geminæ substantiæ biformisque naturæ sicut in aliis, etiam et in coronis, suo modo conformis sequela et consimilis! Sicut imperator suus gigas geminam substantiam, et iste duplicem

D personam gerens, confessoris unam, martyris alteram. Sed hæc quæ de coronis imperatoris et militis in tertio melo hoc jam inchoato citharam nostram pulsantes resonavimus de imperatoris et militis invisibilis palmæ conformitate, magis quam de ipsorum proposita et promissa invisibilis palmæ unitate resonata sunt. Verumtamen et de hac inter imperatorem et militem invisibilis palmæ conformitate in patria, sicut et alia multa quæ de ipsorum visibilis pugnæ et visibilis palmæ in via conformitate præmissa sunt, hic tacendum non erat. Siquidem inter imperatorem et militem et in via, et sicut jam ostendimus de coronis et in patria tam evidens et

tam admiranda conformitas, magnam et nobis ineffabilem inter eosdem unitatem nunc in patria et portendunt et probant. Quin potius hæc quæ expressim de imperatore et milite præmissa sunt. totius capitis et corporis unitatis commendant nobis et probant. Nam quod dico et expressim doceo de militis ad imperatorem suum in via conformitate, quasi de uno capitis membro ad caput, sic quidem etsi non sit scripto expressa, et in singulis capitis hujus membris magna est et decentissima ad idem caput suum conformitas, et aliqua cujusque membri ad caput suum conformis gratia, quæ non alterius juxta varia gratiarum dona a capite ad membra descendentia. Juxta quod caput corpori sponsæ videlicet sponsus pollicetur: *Murenulas*, inquit, *aureas faciemus tibi, vermiculatas argento* (*Cant.* I). Et idem aliter: *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis* (*Cant.* VIII). Itaque, etsi non sit scripto expressa quemadmodum nunc de imperatore et milite, nihilominus tamen magna præcessit in via singulorum membrorum corporis ad caput suum conformitas. Alioquin non sequeretur nec esset capitis et corporis sicut nec decens nec conjunctio congrua.

Igitur post imperatoris et militis non solum visibilis pugnæ et visibilis palmæ in via, sed etiam et palmæ invisibilis in coronis ipsorum in patria conformitatem expressim edoctam, quod adhuc multo majus acutius, subtilius et difficilius est, utpote melo hoc tertio admodo in superioribus et auctioribus citharæ chordis formando deinceps sumus de eorumdem quæ jam in patria est unitate dicturi. Et quidem in primis de generali totius capitis et corporis sponsi et sponsæ Christi et Ecclesiæ in patria, unitate ex parte jam inchoata in cithara nostra resonabimus. Quia admodum dulcis consonus et concors melus hic in parte hac; in quo decet maxime nihil audiri dissonum, nihil absonum, utpote non tam de conformitate quam de unitate ipsa. Sed in melo ultimo ad imperatorem et militem reversuri nunc in primis inchoabimus a genere. Quia hoc ipsum sperandum et exspectandum in fine omnium in toto capite et corpore, quod nunc de capitis et corporis unitate in cithara nostra resonabimus pro imperatore et milite. Nisi quod quædam corporis membra quo capiti plus vicina, eo etiam digniora et capiti conjunctiora sunt quasi unum cum capite. Juxta quod magister docet stellam a stella in claritate differre, et magister magistrorum in domo patris sui mansiones multas paratas esse.

HIC PRIMO IN SUPERIORIBUS CITHARÆ CHORDIS MELUS HIC TERTIUS FORMARI INCIPIT. 3 NOTULA.

Igitur de imperatoris et militis per palmam suam invisibilem unitate in patria tertium melum hunc in ipsorum coronis jam inchoatum subtilius deinceps et acutius, prout subtilis ipse et acutus sapientiæ spiritus edocere dignabitur, formaturi in primis et A ante alia tres vanitatum species seu unitates tres nobis sunt distinguendæ; ut ita liquido appareat, quæ sit illa unitatum inter tres quam inter imperatorem et militem tanta in via et prout docuimus tam diligenter ostensa conformitas probat. Juxta quod supra sic argumentando processimus. Quia si inter imperatorem et militem in via, ubi tanta varietas, tanta diversitas et adversitas, tanta distractio, tanta dilaceratio est, tanta fuit conformitas, in patria illa unitatis et pacis imo quæ non nisi pax et unitas est, quid erit nisi admiranda quædam et admirabilis unitas? Ecce quia argumentando sic processimus, donec de conformitate ad unitatem demum nunc pervenimus. Unde et tres hic vanitates distinguimus, ut quæ sit illa imperatoris et B militis nunc in patria unitas, quam prius inter ipsos in via tanta probavit conformitas doceamus.

DISTINGUIT UNITATES TRES. 4 NOTULA.

Sunt itaque, ut jam distinguere cœpimus, tres unitates hæ. Prima unitas est unitas solius naturæ; secunda solius gratiæ; tertia vero unitas est et naturæ et gratiæ. Prima unitas solius naturæ in Deo inter tres; secunda solius gratiæ in Deo inter Dominum et hominem singulariter assumptum in unitatem personæ non naturæ; tertia vero et naturæ et gratiæ inter Dominum sponsum et Ecclesiam sponsam Ecce tres unitates hæ et in Deo hæ tres qui est prima et summa et principalis unitas. Et ita tres unitates hæ in ipsa prima et summa et principali unitate. Prima unitas est trium personarum. Hæc est C illa quam diximus solius naturæ. Secunda unitas duarum est naturatum. Hæc est quam diximus solius gratiæ. Tertia vero est omnium spirituum: omnium dico quotquot ab initio præsciti et prædestinati sunt conformes fieri imaginis Filii sui. Et hæc est illa, quam diximus, unitas et naturæ et gratiæ. Et cum de gratia evidens sit, ideo dico eam et naturæ quia nostra prima et principalis unitas omnium Deus verus et solus, cum ab æterno fuisset solum naturæ suæ nunc per gratiam incomprehensibilem uniendo sibi hominem factus est in tempore naturæ nostræ. Et ita ei unimur, nunc non solum per gratiam sed et per naturam. Et hæc est quam nunc dicimus unitas naturæ et gratiæ inter solum hominem et Deum, non inter Deum et angelum. Nusquam enim, ait Magister, angelos appre- D hendit. Nec etiam dico unitatem hanc inter Deum et hominem assumptum, quæ est solius gratiæ, sed illam quæ est inter Deum et hominem, sponsum videlicet et sponsam, Christum et Ecclesiam, et nunc inter imperatorem et militem triumphatorem, de qua principalis nostra intentio est, et propter quam de aliis nunc interserimus. Hæc quippe nostra unitas specialis et propria, non angelica sed humana. utpote quam nos, qui in corpore mortis hujus peregrinamur adhuc, per patientiam exspectamus, et in qua triumphator miles noster et imperator nunc sunt. Prima unitatis species, quæ est solius naturæ, inter tres imo tres et tres ipsa sicut incom-

prehensibilis et ineffabilis est. De qua tamen propter nostram tertiam quæ est naturæ et gratiæ aliquantisper fari nos oportet. Similiter et post de secunda, quæ est solius gratiæ propter eamdem tertiam. Tertia siquidem hæc nostra quæ et naturæ et gratiæ, quasi de duabus illis est, quarum prima est solius naturæ, altera vero solius gratiæ. Unde et de prima dicendum primo. Præsertim cum hæc tertia sicut et secunda in prima unitate sint, utpote sicut prima et principali. Imo sint hæ unitates tres, quasi una illa prima et principalis unitas, ut docebunt sequentia, et illa prima sit summa causa et prima sicut secundæ unitatis et tertiæ.

PRIMO HIC DE PRIMA ET PRINCIPALI UNITATE AGIT.

De prima igitur et principali unitate hac dicturi, amodo primas et superiores citharæ nostræ chordas nos jam tangere necesse est. Id in primis primæ illi et principali unitati supplicantes, ut pro ipsa et de ipsa citharam ego qualiscunque puer suus citharœdus pulsaturus revelet oculos meos, ut resonare sciam vel aliquid de ipsa quo nobis manifestetur, quod est ipsa et postea secundum analogiæ nostræ possibilitatem, quid sit ipsa. Igitur juxta quod et magister ille citharœdus orabat, revelet oculos nostros ut consideremus de principalis hujus unitatis lege mirabilia. Oculos dicit non oculum : siquidem et oculi hi multi sunt. Est enim oculus corporis, est oculus cordis seu rationis, est et oculus contemplationis. Oculus corporis apertus est et clare videns ; oculus cordis infirmus et lippiens. Oculus vero contemplationis caliginosus et cæcutiens. Primo oculo videt homo quæ extra se ; secundo quæ intra se ; tertio quæ supra se. Primo oculo videt homo corpora et quæ in corporibus, per speciem ; secundo oculo videt homo spiritus et quæ in spiritibus per experientiam ; tertio vero videt homo primam et principalem unitatem, sed in imagine per obscuram ænigmatis similitudinem. Primus corporis oculus jam trahit et quasi dormitantem cordis oculum excitat ; secundus cordis oculus jam viantem ducit et viam monstrat ; tertius vero contemplationis oculus patriam a longe nunc aspicit et salutat. Et videamus quomodo.

PRIMA PRIMÆ ET PRINCIPALIS UNITATIS MANIFESTATIO PER PRIMUM OCULUM CORPORIS ET PER SECUNDUM RATIONIS IN PRIMO EXEMPLARI NATURÆ. 5 NOTULA.

Homine mundum et quæ in mundo corporaliter cernente, et nec mundum nec in mundo quidquam quod non creatum non factum, sicut et ipse homo qui in creaturis præcellit factus est, ipsius excitatur mox cordis seu rationis oculus, ut per corporaliter visam creaturam cogitet mox aliquem ipsius esse quem non videt Creatorem. Et ita per varias creaturarum species nunc visibiles, nunc invisibiles, nunc infimas, nunc medias, nunc supremas mediando currens quasi per scalam aliquam variis distinctam intercalaribus, Creatorem investigando conatur ascendere. Et tandem ductu rationalis oculi eum invenit omnium Creatorem, primam videlicet et principalem unitatem nostram, omnium quæ sunt primam et summam causam, excitato sic oculo cordis per oculum corporis et investigantis ascensiones dirigente. Et hæc est prima primæ et principalis unitatis nostræ manifestatio, ipsius videlicet per creaturas suas prima cognitio. Unde et Magister : *Quod notum*, inquit, *est Dei manifestum est in illis* ; *Deus enim illis manifestavit* (*Rom.* I), unde et cordis hic oculus, etsi infirmus et lippiens, tamen quoad manifestationem hanc ductu suo est sufficiens. Ita quod sicut Magister docet, illi sint excusabiles qui veritatem Dei in injustia detinebant. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Prima igitur primæ unitatis nostræ manifestatio est per opera. Et hoc qui diffiteatur nemo, qui hos duos oculos habeat. Hoc quippe jam quasi oculo ad oculum videri potest, per oculum corporis excitato oculo cordis, et nos peregrinantes adhuc per rectam hanc intelligentiæ viam dirigente. Verum de prima manifestatione hac cursim impræsentiarum pertranseo, utpote quæ non solum a catholicorum theologis, quorum sublimior speculatio est, sed et a philosophis gentium solum naturæ exemplaria sequentium et non gratiæ crebra valde et acerba est quæsita et inventa indagine. Qui et nobis super hoc præ excellentis ingenii sui monumenta reliquerunt et posteris legenda tradiderunt. In quibus super Deo vivo et vero, quidquid veri acutiori humanæ rationis oculo in primo quod diximus naturæ exemplari legentes subtilius inspicere poterant, et profundius, studiosissime sunt prosecuti. Nec enim in parte hac Deus sapientiam mundi hujus stultam fecit, seu sapientiam sapientium perdidit, aut prudentiam prudentium reprobavit. Sed stultam fecit, reprobavit et perdidit, qui in solo naturæ exemplari suo humanæ rationis oculo studiose nimis inspicientes, eo solo plenam sibi posse comparare sapientiam arbitrati sunt, et præter istam quasi visibilem et mundanam sapientiam quæ quidem a Deo Dei nullam absconditam arbitrantes. Unde et visibile naturæ exemplar ad sapientiam sibi sufficere arbitrantes, et nullum etiam esse ad hanc præter hoc alterum, quod jam diximus gratiæ exemplar, quasi vile et humile contempserunt. Et ne cui in dubium veniat quæ sint exemplaria hæc quorum unum nomino sic exemplar naturæ, alterum vero exemplar gratiæ, sicut prius tres distinximus oculos, ita et oculorum trium tria distinguemus exemplaria, in quibus jugiter tres illi inspiciunt oculi. Primum itaque inter tria hæc est exemplar naturæ ; secundum exemplar gratiæ ; tertium vero exemplar vitæ. Quod et alibi in sacro eloquio ab ipsa sapientia liber vitæ nominatur. Primum dico exemplar naturæ mundum et quæ in mundo sunt creationis opera. Secundum gratiæ sacra eloquia et quæ in ipsa a sæculis sunt abscondita humanæ reparationis et divinæ cognitionis secretiora mysteria. Nec enim loquor nunc de sacris eloquiis secundum illam eorum partem, quam capit parvulus, sed

secundum illam quam sapit etiam lux in lege Dei exercitatus et perfectus. De qua Magister: *Sapientiam,* inquam, *loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Sapientiam vero non hujus sæculi neque principium hujus sæculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Quin potius etiam hanc tanquam vilem et humilem sæculi hujus principes contempserunt, philosophi videlicet gentium, qui scientiæ et nominis præeminentia cæteris quasi principari videbantur; tertium vero dico exemplar vitæ librum prædestinationis æternæ. In quo sunt ab æterno scripti hi, qui secundum propositum vocati sunt sancti, quotquot ante sæcula præsciti sunt conformes fieri imaginis Filii sui, verbum videlicet in principio apud Patrem, quamdam velut omnipotentis Dei artem et sapientiam, et quæ cum ipso sunt, et in ipso divinæ suæ incomprehensibilia sapientiæ. Et in primo quidem quod dicitur hic naturæ exemplari duo potissimum inspiciunt oculi. Primo inspicit quem supra primum posuimus, oculus corporis et secundo oculus rationis. Sed oculus corporis sola visibilia, oculus vero rationis per visibilia legit et videt in eo invisibilem in creatura Creatorem. In reliquis vero duobus, quorum unum diximus exemplar gratiæ, alterum vero vitæ, tertius ille et solus quem contemplationis oculum diximus intuetur : utpote quæ in exemplaribus his scripta longe nimis remota ab oculo rationis et multo longius adhuc ab oculo corporis. Nec enim quæ in duobus his exemplaribus sunt Dei nota sunt. In quibus sola invisibilium fides, non visibilis creatura, non ratio tertium hunc nostrum contemplationis osculum juvat. Unde et prima illa primæ et principalis unitatis per opera manifestatio, quæ in primo legitur et videtur naturæ exemplari, etsi sit prima et philosophica, etsi etiam gemino studiose et acute inspecta oculo, ad tam invisibilia tamen et tam incomprehensibilia quæ in reliquis duobus exemplaribus scripta sunt, sicut peregrina et invalida nimis manifestatio hæc : nec etiam quanta si pupilla oculi aut lucerna lychni mundum illuminanti solis claritati comparetur. Et his præsertim quæ in tertio exemplari, quod liber vitæ dicitur, scripta sunt per creaturas est prima ista invalida nimis primæ unitatis manifestatio. Nam ex formationibus et similitudinibus his creatis et naturis sensibilibus, magis quid non sit quam quid sit hæc prima nostra unitas demonstratur. Neque enim dicitur id neque secundum id, sed est totum supra id, et omnimo extra quam id per quod probatur. Unde et si forte hæc ipsa quæ sicut incircumscriptibilis et indescriptibilis est, ut vel aliqua ipsius notitia compareturquoquo modo describitur magis quam per quid sit, per quid non sit necesse ut describatur ; ut ad sciendum de ipsa quid sit ipsa, sufficiat nunc nobis scire quid non sit ipsa. Et removeatur ab ipsa quod non fecit, ut vel sic sciatur hoc solum esse ipsa, quod non fecit. Quasi omnino diversa, omnino alia superessentialis quædam essentia. Nam ut intelligentiæ gratia e multis unum ponamus, hic cum de increata unitate hac dicitur, quod ipsa est, et de quovis creato quod ipsum est, per idem verbum aut idem aut saltem simile commune, quid de increata et creato videtur dici. Sed dicto revera omnino dissidens et prædicationis ratio hic inde omnino incompacta et dissonans, quod etiam parum theologis patens. Prædicatio revera omnino dissonans inter hæc non minus quam et inter hæc alia, ut si diceretur : Aper est ferus, homo est justus. Tanta est essendi distantia inter creatricem unitatem, cui nihil aliud esse quam vitam esse, et inter creaturam, cui nihil aliud est esse quam corruptivam esse. Unde et in cor hominis non ascendit hujus increatæ unitatis superessentialis essentia. Quia neque illa est nec in illis nec secundum illa quæ sapere vel cogitare potest cor humanum. Et ideo sicut nec oculo corporis nec oculo cordis hæc percipitur qui non videt, nisi vel ea quæ novit vel secundum ea quæ novit. De ipsa igitur prima et principali unitate, prout ab ipsa datum, nunc loquens, hoc solum nunc in primis de ipsa demonstrare proposui, quod ipsa est et hoc per primum corporis oculum secundum rationis oculum excitantem. Quia *dixit insipiens in corde suo : Non est Deus* (*Psal.* III). Et maxime quia hoc nostrum propositum juvat. Ut ita præostenso quod ipsa sit, consequenter demonstretur, quod nec in ipsa nec cum ipsa sicut nec aliqua contrarietas sit vel adversitas, sic nec diversitas vel multiplicitas, sed sola unitas. Juxta quod magistrorum unus : *Apud quem,* inquit, *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I). Non dixit quod non in illo, sed quod nec etiam apud illum sit. Hoc etenim pariter si non excidit et ad proprositum attinet, quo juxta superius promissum nostrum post multipliciter supra demonstratam imperatoris et militis conformitatem in via, ipsorum tenemur a modo unitatem demonstrare in patria. Quod tamen paucis explicari non potest. Unde etsi in tertio melo hoc formando fio morosior, non reprehendat auditor, sed indulgeat, qui tam grandes materiæ, et sine quibus propositum non efficitur, brevibus explicari non possunt. Propter hoc ipsum supra distinxi unitates tres, primo ut videbar congruere de prima et principali unitate, nunc loquens de ipsa per ea quæ ab ipsa facta sunt ostendere desiderans, quod ipsa sit, quod potest esse manifestum et ad propositum attinet. Verum licet secundo sic nobis demonstrante cordis oculo per primam creationis suæ revelationem manifestari sic possit, necesse tamen ut post modum eumdem hunc nostrum cordis oculum, etsi, ut diximus, lippum et infirmum conemur aperire adhuc ; quo visus ipsius vis et virtus amplius dilatetur ad videndum aliquid adhuc et manifestandum nobis de prima nostra unitate hac.

PRIMA PRIMÆ UNITATIS MANIFESTATIO.

De prima igitur primæ unitatis nostræ manifestatione, quæ procreata est, hoc præmittimus, quod cum variæ sint species creaturarum, nihil tamen

omnino creatum, quod non manifestando probet et probando manifestet creatricem unitatem hanc: tanquam radii solem, sic creaturæ singulæ hanc suam creatricem. Nec aliquid existimo creatum vel creari posse, quod a creatore suo sicut haberet substantiam, sic aliquam non traheret convenientiam. Convenientiam dico aliquam etsi nobis absconditam, per quam creatura omnis suo in aliquo convenit Creatori. Siquidem omne quod factum est sicut ei, a quo factum, omnino non potest esse æquale, ita et ei, a quo factum, omnino non potest esse dissimile, factura a factore suo aliquam ex necessitate convenientiam contrahente, quemadmodum a radice fructus semper aliquem saporem trahere necesse est. Si enim juxta Scripturæ testimonium *cuncta quæ fecerat Deus, erant valde bona* (*Gen.* I) nihil in universitate est quod sicut a bono summo non habet essentiam, ita non trahat et boni participationem, ac per hec convenientiam et similitudinem. Ex qua boni participatione est quod nihil omnino creatum est, quod non aliquid possit et ad aliquid prosit. Nec etiam arbitror aliquid creari posse, quod ad aliquid prodesse non possit, tanta est bonitas Creatoris. Cum igitur nihil sit quod a summo bono non trahat boni participationem, consequitur mox nihil esse quod cum summo bono non habeat convenientiam et similitudinem aliquam. Ex qua profecto participandi similitudine bonum increatum et summum per bonum creatum et infimum in omni creato aliquatenus intelligi potest et cognosci. Nihil igitur, sicut nec super cœlum, nec sub cœlo creatum quod non aliquatenus manifestet creatricem suam unitatem hanc; ut sic juxta prophetam confessio ejus sicut super cœlum et terram. Nec enim solum hanc confitentur et probant cum omni cœli militia ignis aer, aqua, terra, cameli, elephantes, pardi ursi et leones, sed et muscæ sciniphes, culices et scarabones. Juxta quod egregius ille ex philosopho theologus: « Quam pulchre, inquit, divina et cœlestia etiam per dissimilia symbola manifestantur ». Quod propheta considerans omnia sic tam infima quam et suprema, quasi voce una Creatorem suum conteri et contestari sic admirando ad ipsum omnium Creatorem exclamat: *Mirabilia testimonia tua; ideo scrutata est ea anima mea* (*Psal.* CXVIII). Unde et inter universa in hymnidico cantico etiam minima et quæ contemptibilia ad ipsius Creatoris sui laudem invitat: *Bestiæ*, inquiens, *et universa pecora, serpentes et volucres pennatæ* (*Psal.* CXLVIII). Sic enim non solum cœli gloriam Dei enarrant, sed opus operi dare et manifeste tanquam dies diei verbum illud, per quod omnia facta sunt, eructat, singulis quasi quibusdam verbis hoc unum verbum quod semel loquitur, credens de creatorum plenitudine plene evangelizantibus, ut sic mundus totus verbi illius, per quod omnia in mundo facta sunt, velut quoddam evangelium corporale et visibile omnibus quæ facta sunt sicut festive, ita et varie factorem suum bene nuntiantibus, et quidem varie, nam ex creatorum A perpetuitate æternus, ex magnitudine potens et immensus, ex virtute robustus, ex splendore luminosus, et ex specie speciosus et ipse declaratur. Unde et magister propheta taliter dicit Dei invisibilia per ea quæ facta sunt conspici, et propheta noster omnia hæc considerans: *Dilectasti me*, inquit, *Domine, in factura tua* (*Psal.* XCI). Et his igitur, quæ præmisimus, liquidissimum est quod per creata docemur oculo rationis sic demonstrante quod prima nostra et principalis unitas sit, et nec solum etiam quod ipsa sit, sed et aliquatenus quid ipsa sit.

SECUNDA MANIFESTATIO PER CREATORIS GUBERNATIONEM.

6 NOTULA.

Verum juxta quod supra præmisimus, idem hic noster rationis oculus ad videndum amplius dila- B tetur adhuc, nec enim ex sola creatione, sed ex creatorum gubernatione, quod hæc unitas nostra sit et etiam aliquatenus quid sit ipsa demonstrabile. Unde sicut ea quæ facta sunt invisibilia Dei per sui creationem, ita et eadem ex sui gubernatione Dei ostendunt virtutem; propter quod et Magister mox subdit Sempiterna quoque virtus ejus, id docens quod sicut invisibilia Dei conspiciuntur per ea quæ facta sunt, similiter et virtus ejus per eadem et vera virtus. Est enim virtus Dei hæc admiranda, quod sicut ea quæ facta sunt semel creavit, ita et postquam facta indesinenter regit. Unde ei ex creatione quæ prima et ex gubernatione quæ postea creantis et gubernantis, divinitas quam tertio magister ponit est manifestata. Et multo quidem quam de creatione, C adhuc de gubernatione manifestior: fide enim sola tenemus creationem, nisi quia fides in parte hac aliquantisper oculo rationis adjuvatur. Unde et Magister: *Fide*, inquit, *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent* (*Hebr.* XI): fide itaque tenemus creationem: sed ipsa rerum experientia mundanorum, gubernationem quotidie et sentimus et corporaliter cernimus: ecce enim quia manet solemnis quidam et statutus omnium ordo mundanorum. Labitur enim annus per menses, mensis per septimanas, septimana per dies et noctes, et iisdem vicissitudinibus redit solis et lunæ conversionis lex statuta cunctis scilicet diebus terræ sementis et messis, juxta quod ad Noe Dominus: *Cunctis*, inquit, *diebus terræ sementis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non re-* D *quiescent* (*Gen.* VIII): similiter oceani quotidianus fluxus certus et refluxus, et quidem omnia hæc quotidie cernimus et experimur. Sed quid enumerem singula? omnium quotquot sive viventium seu vitam non habentium lex semel statuta immobilis perseverat et gubernatio pro rerum specie hac varietate competens sibi et indifferens, ut sicut nihil et sine causa, ita et nihil sine gubernationis lege nec sine ordine aliquid, sed a quo gubernatio hæc aut quis hic qui ordinat et gubernat sic: indicibile enim ut quidlibet se ipsum vel a se ipso gubernetur sic: nam ut de creaturis cæteris digniori et præ cæteris rationis judicio prædita exemplum dem,

homine dico nec ipse est in sua cujus manu sit gubernatio, cujus, ut pertranseam cætera, ipsomet nesciente fit conceptio et in conceptione culpa, postea nativitas, et in nascendo pœna ; exinde continue in labore vita et demum ex necessitate mors, qui profecto se aliter gubernaret si ipsimet propria sui gubernatio crederetur : nec enim loquor nunc de illa hominis gubernatione propria quam ob peccatum homo plerumque a Deo dimittatur et in suis adinventionibus ambulat, nec de illa etiam qua dum in præsentis vitæ captivitate homo militat injustus, quotidie adversus justum prævalet et devorat justiorem se ad unius prophetarum querimoniam factis hominibus, quasi piscibus maris et quasi reptilibus non habentibus principem ; nec de hac, inquam nec de illa hominis gubernatione loquor nunc, sed de quadam alia qua creata singula, secundum legem a natura sibi impositam, certum ut prætetigimus ordinem tenent : duæ quippe seu potius tres sunt hominis gubernationes istæ priores quidem ex culpa Deo sic juste permittente, sed ista de qua nunc loquor a natura Deo ipsius ab initio per bonitatem suam auctore. Hujus igitur gubernationis naturæ in omnibus si prima et summa quæratur causa, demum ad aliquod principium, quod totam mundanam molem hanc sicut continet et gubernat, recurrere necessarium, quod est tam nunc per creatorum gubernationem manifestare quærimus, prima et principalis unitas nostra, ut sicut prius ex mundi creatione, sic secundo nunc ex ejusdem gubernatione liquido clareat de hac prima unitate nostra, quod ipsa sit, cujus nihilominus in gubernando fortitudo monstratur, ex tantæ molis continentia, ex dispositione sapientia, ex frequenti quæ accidit mundanorum commotione justitia et ex assidua reparatione misericordia ; quibus tanquam præclarissimis titulis gubernantis virtus indesinens illustratur, pariter et ex ipsis, sicut prius ex creatione, sic et nunc ex gubernatione non solum quod sic sed etiam et quod sit aliquatenus elucescit.

7 NOTULA.

Verum unitatis nostræ adversarius *insipiens*, qui dicit *in corde suo. Non est Deus* (*Psal.* XIII), forte ad omnia quæ præmisimus, et quibus tam quam urgentioribus vinculis ipsum videmur stringere, subsannabit asserens, sicut nec Deum esse, nec creaturam ullam. Nec enim ea quæ corporaliter cernimus, creata, sed asserit potius quod sicut apostolorum Princeps tantæ insipientiæ errorem doctrinæ suæ interserendo tangit, ab initio omnia sic perseverant : et ita sicut nec Creatorem, nec creatum aliquid, et siquidem forte dederit aliqua facta sed creata nulla. Quod et nonnulli inter gentium philosophos præclariores tradiderunt, dicentes tamen non cum insipiente Deum non esse, sed esse unum Deum ; verum illum nequaquam asserentes creatorem sed opificem et de materia Deo coæterna mundum a Deo factum sed non creatum, cum creare sit ex nihilo aliquid facere. Verum insipiens dicit nec etiam esse Deum.

A TERTIA UNITATIS PRIMÆ PER SOLUM RATIONIS OCULUM MANIFESTATIO.

In primis igitur ab isto sciscitor an hujus mundi sensilis, quem sic ab initio perseverasse contendit, aliqua sit prima et summa causa vel nulla. Dicet forte nullam existentiæ ipsius causam ; quia ab æterno est, et a se non aliunde est. Aliis igitur in præsentiarum intermissis, quæram an illa, quæ in ipso vivunt, qualia sunt animata, vitam habeant a se ipsis vel ab ipso mundo. Quod a se ipsis non arbitror tam extremæ insipientiæ quemquam qui dicat. Quare necesse ut ab ipso mundo vitam habeant, quæ in ipso vivunt, quia quod aliunde dici non posset cum ipse mundus non aliunde sed a se ipso sit. Similiter et quæ rationis habent judicium et voluntatis arbitrium, qualia sunt rationalia, cum a se ipsis B non habeant, hæc necesse ut ab ipso mundo. Cum igitur mundus hic sensilis æternus sit, et a se non aliunde sit, dans vitam et cum vita rationis judicium et voluntatis arbitrium, irrefragabiliter secundum insipientem Dei habet naturam. Et ita insipiens qui in corde suo sic fingit etsi deffiteatur nesciens in corde suo Deum, facit et ipsum mundum Deum, cui sic attribuit Divinitatis naturam. Quam quia negat esse, restat ut, etsi dicat mundum æternum, aliquam necesse ut ipsius det causam et ipsam æternam, cum et ipse mundus cujus ipsa est causa sit æternus. Cum igitur causa ista mundi æterna sit et prima ipsius causa et summa, quæro an ista causa sit vita vel vita participans aut penitus vita carens. C Sed quis adeo insipiens ut dicat quod penitus vita careat a qua tot in mundo vitam habent, et cum vita rationis judicium et voluntatis arbitrium. Præterea quod nihil carens vita melius sit seu adeo bonum, ut illud quod est vita vel vitam habens, quia mihil vita carens posset frui beatitudine quare nec beatum posset esse quod carens vita. Hæc vero prima et summa, de qua nunc loquor mundi causa necesse ut omni eo quod vitam habet, sicut potentior, sit etiam et melior, utpote a qua mundus hic sensilis est et quidquid in ipso vivit. Igitur, si causa hæc non caret vita, quod quidem necesse, consequitur ut aut causa ista tam magnifica sit ipsa vita aut vita participans. Quod si vita participans, aliqua erit causa participii. Nihil enim bono ullo participat, cujus non sit causa major, plenior et superior D a qua descendit quod participat. Sed secundum hoc jam non esset hæc prima causa et summa, quod jam datum est, sed adhuc major et superior alia. Et sic etiam in infinitum extenderetur inquisitio donec aliqua reperiretur causa, in qua vitæ non esset participium, sed potius apud ipsum fons vitæ. Restat igitur ut prima nostra et sensilis mundi causa cum nec vita carere possit, nec vita participare, ut ostensum quod ipsa sit vita ipsa. Et cum vita nemo adeo insipiens, qui beatam diffiteatur, et non aliunde beatam sed a se. Quare et hanc Deum esse etiam insipientem confiteri, qui dicit in corde suo non esse Deum, necesse est.

8. NOTULA. QUARTA PRIMÆ UNITATIS MANIFESTATIO.

Præterea cum mundus hic sensilis semper in motu sit, nec aliquid ipsius sit quod non in aliquam motus cadat speciem, quæri ab insipiente nostro potest, a quo sit omnis motus hic. Nec enim motum esse vel esse posse, nisi ab aliquo immobili, a philosophis jam pridem multipliciter et etiam apodeictice esse comprobatum : adeo ut in omni eo quod orbiculariter movetur, centrum semper immobile ab ipsis demonstratum sit. Quare et juxta philosophorum demonstrationem certissimam, necesse ut ab aliquo immobili omnis hic sensilis mundi procedat motus. Quibus et theosophorum nostrorum unus de sapientiæ spiritu loquendo consonnat : « Est, inquit, spiritus intellectus securus, stabilis et qui omnes capiat spiritus subtilis, mobilis, » et mox subdit : « Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia. » Ecce quod quem prius dixerat stabilem, postea dicit mobilem sapientiæ spiritum et etiam omnibus mobilibus mobiliorem. Quod ego maxime ob id dictum æstimo, quod hic sapientiæ spiritus, qui omnes capit spiritus prima et summa causa est sicut omnis actus et omnis motus, juxta quod scriptum alibi quod manens immobilis dat cuncta moveri. Ut ita sit iste tam immensus spiritus, qui omnes spiritus capit, a quo et motus omnis omnium cœlestium, terrestrium et infernorum se moventium velut centrum quoddam immobile omni eo quod immobile videtur immobilius.

9. NOTULA. QUINTA MANIFESTATIO.

Præterea etsi ab æterno nulla fuerit, ut insipiens asserit, futurorum scientia seu præscientia, de futuris tamen vera erunt scibilia et ita sciri tunc poterant et præsciri. Quæro igitur ab insipiente a quo foret sciendi vel præsciendi futura potentia hæc. Tunc enim fuit potentia hæc et ut inesset necessarium. Quæro igitur in quo, et quid illud tunc fuerit, quod futura aut præscire posset vel scire.

10 NOTULA. SEXTA MANIFFSTATIO.

Prætereo multa nunc sicut philosophica et etiam theologica, splendore pariter et acumine sensuum his, quæ pro sensus mei tarditate induxi, incomparabiliter majora. Hæc, inquam, prætereo, eo quod sint aliena magis quam nostra, quæ ad manifestandam primam et principalem unitatem nostram, unum videlicet principium sine principio, induci solent et efficaciter possunt : quibus inter cætera in infinitatis abyssum unius hujus principii contradictores demerguntur; juxta quod argumentari sic solent, aut aliquod est principium sine principio aut nullum. Sed nullum est principium sine principio ; quare nihil fuit primum ante quod aliud prius non fuerit. Et ita recum seu causarum invicem præcedentium se et subsequentium erit infinitas et sine principio, quare et ab æterno. Et ita ex præmissis quasi duo jam tenemus præcedentium et subsequentium infinitatem et ab æterno ipsam, quare jam infinitate æternitatem, et cum æternitate infinitatem jam habemus, et ita aliquod principium

A sine principio, quia æternitatem. Et præterea rerum præcedentium et subsequentium infinitatem. Quod omni etiam parum intendenti sicut absonum videri potest et impossibile. Et cum hujuscemodi multa et circa hæc induci possint, nunquam satis fit humanæ menti, nec quiescit donec unum omnium principium sine principio inveniat, quasi et hoc sit ipsi ex natura insitum, ut tunc primum desinat et quiescat, cum illum ratiocinando repererit, qui suum et omnium sicut finis est et principium.

11 NOTULA SEPTIMA MANIFESTATIO.

Verum hic noster rationis oculus quid tam longe tam late per ætherea et aeria, per cœlestia et terrestria sic evagatur ? In nobismet est quod quæri-
B mus, in nobis ipsis præ cæteris est, unde hæc prima nostra unitas nobis manifestari possit, et quod est et etiam ex parte aliqua quid ipsa sit. In nobis, inquam, qui præ cæteris ad ipsius sumus imaginem et similitudinem conditi. Unde et nobis ex nobis ipsis et in nobis familiarior cognitio hæc. Nostrum igitur rationis oculum retorqueamus in nos ipsos. Ecce enim quia mens nostra rationalis rationis habet judicium ad discernendum, voluntatis arbitrium ad eligendum, et memoriæ thesaurum ad reponendum. Hoc quod nunc dicimus rationis nostræ oculo videmus et experimur in nobis. Nihilominus etiam quod non a nobis hæc nostra nobis sunt sed ab alio Quid enim habes quod non acceperis ? Unde corpus tuum et quæ corporis ? vide et spiritum tuum
C et quæ spiritus, nihil in utraque hac natura te habere quod non aceeperis, et ipsa ratio tua tibi dictat et ipsa docet certissima experientia. Vides ergo jam aperte quod accepisti : vide et exinde a quo acceperis. Dices forte quod a parentibus qui te genuerint. Sed illi a quo ? Revera in infinitatis abyssum jam præcipitaberis, nisi aliquod primum et summum repereris principium, a quo velut prima summa et principalis causa etsi per gradus multos et descensus hæc acceperis. Verumtamen et adhuc sciscitor a quo acceperis omnia hæc, quæ habes et quæ te constat accepisse. Nec enim prius illud responsum tuum approbo, quo te dicis totum a parentibus accepisse. Nunquid enim, etsi a progenitoribus carnis tuæ acceperis carnem, pariter et animam accepisti ? Sed esto quod et animam : pro-
D pter multos hoc dico et magnos, qui animam ex traduce descendisse docuerunt. Nunquid quæ in anima sunt rationis videlicet judicium, voluntatis arbitrium, et memoriæ thesaurum, quæ crebro in filiis quam in parentibus plus vigent, accepistis ab his ? Sed esto quod et hæc sicut animam ab ipsis pariter et ipsius naturales vires seu potentias animæ. Sed nunquid de gratuitis sic. Si a parentibus carnis sunt dona naturæ, nunquid similiter et dona gratiæ ? Nunquid pater infidelis, fornicator, gastrimargus, omnium denique vitiorum sordibus pollutissimus, pio filio contulit fidei gratiam, continentiæ munditiam, sobrietatis mensuram, et totius

denique honestatis et sanctitatis virtutem? Constat A enim iniqui patris pium filium hæc habere. Ut igitur dimittam nunc dona naturæ, dicas mihi : O insipiens, a quo habeat pius iniqui filius hæc dona gratiæ? Non quidem a parentibus, quia hi iniqui non a natura propria, quia de massa iniquitatis hæc, et de radice apostatica fructus hic : de iniquis videlicet parentibus et avis et proavis et adhuc supra iniquis si vis. Sto igitur hic et insipientem pulso, ut me doceat unde hæc tanta gratiarum dona huic. Et quia ille fateri confunditur, ego proferam. Ab illo certe, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, descendens a Patre luminum.

12 NOTULA. OCTAVA MANIFESTATIO.

Et ut nostrum rationis oculum aperiamus adhuc, quo adversus insipientem alia nobis necessaria et B propositum nostrum juvantia documenta demonstremus, quæro ab insipiente an aliquid sit adeo potens quo sit nihil potentius. Quod si non dederit, erit jam potentium et potentiarum infinitas. Si enim cum multa potentia sunt, nihil est adeo potens quo adhuc non sit aliud potentius; ergo potentium invicem se præcedentium et subsequentium erit infinitas, ita quod nullus erit primus, nullus ultimus. Quod quia manifestissime insipientiæ est, restat ut aliquid sit adeo potens quo nihil sit potentius. Et cum nihil sit eo potentius, mox sciscitor an aliquid possit esse eo potentius. Quod si dederit aliquid posse esse eo potentius, quo tamen nunc nihil potentius, hæc mox infero, aliquam esse causam tam validam, tam potentem, quæ hoc possit efficere. Et ita aliqua causa est tam potens, tam valida, quæ possit efficere aliquid potentius eo quo nunc nihil potentius est. Quare et ipsa causa hæc fortior est, validior et potentior, eo ipso quo tu dicis nunc nihil esse potentius. Si enim causa est tam potens, quæ eo quo nunc nihil potentius est possit efficere adhuc potentius, et ipsa procul dubio potentior est eo quo tu dicis nunc potentius nihil esse. Et ita secundum concessionem tuam, jam tuum illud quod dixisti nunc, nihil esse potentius, habebit supra se aliud eo potentius; causam videlicet tam potentem, quæ possit efficere aliquid etiam potentius illo potenti tuo, quo dixisti nunc nihil esse potentius. Et ita illud potens tuum non erit adeo potens ut dixisti. Restat itaque quod si aliquid est, quo nihil est potentius, quod quidem necesse, alioquin potentium se invicem præcedentium et subsequentium sequeretur infinitas, ut jam præmonstratum, restat, inquam, quod si aliquid est quo nihil est potentius, consequenter et illud idem esse quo etiam nihil possit esse potentius juxta proxime præostensum ratiocinationis progressum. Dato itaque quod aliquid sit quo nihil est potentius, consequens mox est ut aliquid sit quo nihil possit esse potentius. Nihil enim posset esse illud potens quo nihil posset esse potentius, nisi per illud quod jam est et quod jam potens est, et quo nihil potentius est.

Cum igitur aliquid sit quo nihil est potentius, nec aliquid eo potentius possit esse, addo adhuc et tertium, et quæro an isto quo nihil est potentius, et quo nihil potest esse potentius, possit esse aliquid aliud quod sit adeo potens. Quod si dederit, isto videlicet quo nihil est potentius, et quo nihil potest esse potentius, nihil etiam posse esse adeo potens consequenter mox videbitur, quod idem ipsum sit omnipotens. Concurrunt enim tria hæc, videlicet quod nihil sit eo potentius et quod nihil possit esse potentius, et tertium hoc quod etiam nihil possit esse adeo potens. Quod si non dederit sed asseveraverit isto quo nihil potentius et quo nihil potest esse potentius, aliquid aliud esse posse quod sit adeo potens, jam ex opposito consequens erit quod isto, quo ut jam dedit nihil est potentius, nec esse potest aliquid potentius sit, causa videlicet tam potens tam valida, quæ potest efficere potestatem aliam isti potestati, qua nihil potest esse potentius, parem. Causa enim quæ potest efficere potestatem aliam isti potestati, qua modo nihil est potentius, nec esse potest, parem illa potestate, quæ si esset huic par, esset major, esset et potentior. Quare et ipsa eadem causa nunc superior est et potentior potestate ista, de qua tamen jam datum quod nihil sit ea potentius nec esse possit. Unde jam liquet quia demonstrato quod aliquid sit, quo nihil sit potentius, et quod ipso nihil possit esse potentius, consequenter habebitur quod nihil possit esse adeo potens. Ex primo enim, videlicet eo quod aliquid sit quo nihil est potentius, quod C supra demonstratum, necessario mox consequitur, ut præostendimus, quod illud idem sit quo nihil possit esse potentius. Et ex hoc secundo, videlicet quod aliquid sit quo nihil possit esse potentius, necessario mox consequitur et hoc tertium, videlicet quod illud idem sit adeo potens quo nihil possit esse adeo potens. Et conformis est in his ratiocinationis progressus: qualis inter primum et secundum talis postea inter secundum et tertium. Cum igitur in uno concurrant tria hæc, videlicet quod aliquid sit quo nihil est potentius, et quod ipsum sit quo nihil potest esse potentius, et adhuc quod idem ipsum sit quod nihil possit esse adeo potens, consequens erit quod idem ipsum sit omnipotens potens super omnia, et ita velit nolit insipiens quod sit Deus.

D BREVITER RECAPITULANDO PRÆMISSA OSTENDIT DEINCEPS, QUALITER UNITAS PRIMA PER TERTIUM CONTEMPLATIONIS OCULUM MANIFESTETUR. 13 NOTULA.

Ex præmissis igitur tum per primum oculum corporis rationis oculum excitantem, tum per solum et secundum rationis oculum aliquantisper jam ostensum, de prima nostra et principali unitate quod ipsa sit. Et hoc quidem multipliciter, primo per rerum creationem, secundo per earumdem gubernationem, et per alia quidem hinc inde inducta varie. Restat amodo et ordo prædispositus exigeret sic, si tamen desuper datum hoc, ut post duos illos corporis et cordis oculos, quibus mentis nostræ gressus dirigentibus in primo naturæ exemplari

quod nos supra dixisse meminimus mundum esse et quæ in mundo, hucusque legimus, per quod et jam aliquatenus manifestatum quod prima nostra unitas sit, deinceps quod sit ipsa et qualiter per tertium contemplationis oculum manifestari. Ad hoc enim, sicut nec ille corporis, nec ille qui cordis est sufficit, sed solus ille qui contemplationis dicitur necessarius. Unde et post primum exemplar naturæ quod mundus est et quæ in mundo, ad secundum exemplar gratiæ, quod supra eloquia sacra esse diximus, et quæ in ipsis sunt divinæ cognitionis mysteria procedendum. Demum vero ad tertium, quod itidem supra nominavimus exemplar vitæ, et quæ in ipso sunt divinæ incomprehensibilia majestatis. In duobus quippe exemplaribus his tertius potissimum, qui contemplationis oculus dicitur, intuetur. De quo contemplationis oculo ad sponsam sponsus : Corde, inquit, me cepisti uno ex oculis uis. Uno, inquit, ex oculis tuis qui in corde tuo sunt me cepisti. Uterque enim oculus, sicut ille cordis, sic et ille contemplationis in corde. Sed unus duntaxat cordis seu rationis, alter vero etsi n corde, non tamen cordis sed contemplationis di-itur, quo sponsus a sponsa capitur, quo incomprehensibilis tenetur, infinitus comprehenditur, et inac-essibilis attingitur. Unde et præexcellenter con-emplationis dicitur oculus hic. Hic enim tanquam ol nubi species ipsa fidei umbræ adjungitur, ra-one solum tanquam attonita et stupente ad tantam isionem hanc omni ipsius in parte hac evacuato fficio.

UOD DUPLEX SIT MANIFESTATIONIS MODUS PER TERTIUM CONTEMPLATIONIS OCULUM DOCET. 14 NOTULA.

verumtamen juxta duo quæ prædistinximus exemplaria, duplex est sanctæ manifestationis hujus modus. Quorum utroque iste quem dicimus contem-lationis oculus intuetur, unus per sacra eloquia ruditio, et hic est per secundum exemplar gratiæ; lter vero per invisibiliter illuminantem spiritum ispiratio, et hic est per tertium exemplar vitæ. i quidem duobus his modis primam unitatem no-ram quis contemplatur ? videlicet aut eruditus ut inspiratus. Habent tamen multa in se sacra oquia, ad quæ tanquam apertiora capienda solus tionis oculus sufficit, et est in his theologiæ pars ima quæ dici potest mundana. Habet et secretiora magis abscondita, in quibus capiendis mox ra-onis oculus deficit. Juxta quod propheta noster : *efecerunt*, inquit, *oculi mei in eloqium tuum* (*Psal.* VIII). Et est in his theologiæ pars secunda, quæ ci potest supercœlestis vel mystica. Unde et ad ec is qui acutior contemplationis oculus nobis inc necessarius. Qui, cum unus sit, duobus modis ntemplatur : aut per Scripturarum eruditionem ysticam aut per inspirationem internam. Contem-atur dico non solum hoc, quod prima et princi-lis unitas nostra est, ad hoc quippe prioris oculi velatio sufficit, sed pro humanæ conditionis ana-

A logia mortali, etiam quid et qualiter ipsa sit. Et de horum primo, qui est per eruditionem, manifestationis modo Propheta noster : *Declaratio*, inquit, *sermonum tuorum illuminat* (*ibid.*). Secundus vero sanctæ manifestationis modus in obedientia est mandatorum, quando non solum sciuntur sed et fiunt mandata. De quo manifestationis modo item Propheta noster : *A mandatis*, inquit, *tuis intellexi* (*ibid.*). Nec enim dixit se intellexisse mandata, sed se intellexisse a mandatis, a custodia scilicet mandatorum. Juxta quod et Sapiens : Concupisti, inquit, sapientiam, serva mandata et Dominus illam præbet tibi (*Eccli.* I). Et prior quidem manifestationis modus per Scripturarum eruditionem a Deo, sed mediate quia per hominem, per theologos vi-

B delicet mysticos, qui nobis sicut Scripturas et Scripturarum eruditionem mysticam ministrarunt. Quorum nonnulli, qui majores, immediate ab ipso sapientiæ spiritu sacra eloquia edocti sunt. Unde et ipsi theodocti sunt appellati, quorum unus quod non ab homine neque per hominem evangelium acceperit gloriatur, sed per revelationem Jesu Christi. Secundus vero manifestationis modus, qui per inspirationem internam semper immediate ab ipso Deo, non ab homine neque per hominem. Unde et multo dignior, multo sublimior et acutior sanctæ manifestationis modus hic, quantum distat a figura veritas, ab umbra claritas, et ab imagine corpus ipsum. Sacra quippe Scriptura ipsa quasi figura veritatis, quasi umbra lucis, et quasi resultantis

C imaginis speculum. Per parabolas enim, per figuras et ænigmata in mysticis Scripturarum eloquiis, quasi imaginibus quibusdam in speculo, veritas nobis resultat. Unde et tanquam imago in speculo, Deus in eloquio sacro, et ipsa sacra eloquia Scripturæ dicuntur imaginariæ, in quibus resultat nobis velut quædam veritatis imago magis quam ipsa veritas. Propterea et nobis, qui in umbra fidei vivimus, et in imagine pertransimus, iste qui per imaginarias scripturas fit manifestationis modus, multo nobis familiarior est, utpote sicut bonis et etiam malis communis, altero illo qui per inspirationem fit bonorum duntaxat non malorum.

PRIMO DE MANIFESTATIONIS MODO QUI FIT PER SCRIPTURAM. 15 NOTULA.

D Ut igitur ad istius manifestationis modum, qui per Scripturas fit, a Scripturis et ab ipsis etiam mandatis Domini sumamus initium, a quibus idem sanctuarium Dominus hujus manifestationis intellectum nobis det : *Audi*, inquit Scriptura, *quia Dominus Deus tuus Deus unus est.* (*Deut.* VI). Ecce quia cœlestium mandatorum initium ab uno inchoat, unum indicat, et unum nobis commendat. *Audi*, inquit, *Dominus Deus tuus Deus unus est.* Et vere unus et ille unus, quem patriarcha omnium pater credentium, videns tres, unum adoravit. Et hic etiam unus est illud unum de quo a patre alius sed unum cum patre : *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joan.* X). In quo uno, etsi sint tres, non tantum

ternarius quia nullus numerus, nec enim quoties nominibus utimur numerabilibus, consequens statim ut ibi numerus. Quemadmodum ipsas unitates numeramus et formas, quæ tamen, quia formæ sunt, subjectæ esse non possunt. Similiter et nomina numeramus et vera vel falsa enuntiabilia et multa in hunc modum, quibus tamen non inest numerus, Ut igitur ab infimis his ascendamus superius, cum de Deo loquentes tres personas dicimus, non ternarius sed trinitas intelligitur, et solitudo removetur. Et est hoc quod dicitur trinitas, tanquam si diceretur trium unitas. Et dicitur tres vel trium propter distinctionem solum, non propter numerum. Unde et orthodoxorum unus: « Hoc, inquit, vere est quod unum est in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præterquam id quod est. » Neque enim subjectum fieri potest, forma enim est, formæ vero subjectæ esse non possunt. De qua forma Magister: *Qui cum* inquit, *in forma Dei esset* (*Philip.* II), nihil ergo in forma ista quod non sit ipsa. Cui nihil adsit, nihil absit, quia accidit nihil. Unde et personales illæ proprietates, quibus inter se distinguuntur personæ tres, non juxta quorumdam dogma fatuum divinæ usiæ adsunt, sed magis insunt. Propter quod et mater nostra catholica, sicut in essentia unitatem et in majestate æqualitatem, ita et in personis proprietatem adorat. Juxta quod in illo speciali orationis genere, quod missa dicitur, celebriter canit. Ut in confessione veræ sempiternæquæ deitatis et in personis proprietas et in essentia unitas et in majestate adoretur æqualitas. Proprietas ergo in personis adoratur, non aliqua tamen quæ sit tribus personis communis: tunc enim jam non esset proprietas sed communio, sed singularum personarum sua proprietas et dividua. Et erit hoc quod dicitur, ut in confessione veræ sempiternæque deitatis in personis adoretur proprietas, in qualibet videlicet personarum proprietas sua. Licet orthodoxorum nonnulli totum quod dicitur interpretentur sic, in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas, id est personæ distinctæ essentia una et majestas æqualis: verum ut revertamur ad nostra, in hac tam superexcellenti essentia, omne quod habet ipsa inest ipsi, nihil adest, nihil abest, cujus omne quod est ipsa est: unde et cum de ipsa participativis nominibus loquimur substantive potius et essentialiter intelligenda sunt etsi participative quid dicatur. Et quæ de ipsa participative dicuntur ipsam esse plenam eorum naturam quæ de ipsa dicuntur, mox significant. Ut juxta illam logicorum regulam talia sint prædicata, qualia subjecta esse permiserint. Unde et cum de hac tanta materia loquimur, mox pro materiæ profunditate omnium dictionum nostrarum absorbetur vis et exhauritur proprietas. De qua etiam semel quid dicere totum quod ipsa est, sub uno verbo dixisse est. Utpote cujus veritas, ipsius est æternitas, æternitas bonitas, cujus et bonitas, ipsius immutabilitas. Et hæc ipsius sapientia et hæc essentia. Cujus similiter quodvis numera, et ita vicissim quodlibet suorum erit alterum, imo nec unum nec alterum, sed simplicissima et individua unitas et non alteritas: adeo etiam quod sicut nec in ipsa similiter nec cum ipsa ulla sit pluralitas vel diversitas, seu multiplicitas ulla. Unde et vigilanter magistrorum unus: *Apud quem*, inquit, *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I). Non dixit in quo, sed quod etiam apud ipsum non sit, eo ipso apertissime indicans, quod in ipso multo minus sit, cum nec etiam apud ipsum esse possit. Unde et in fine sæculorum omnibus ad primam hanc nostram et principalem unitatem redactis et membris adhuc dispersis quotquot tunc unitis capiti et Christo integro jam nulla penitus erit tunc apud ipsum sicut nec adversitas, nec diversitas, sed quam supra tertiam numeravimus, naturæ et gratiæ in æternum indivisa et indissolubilis unitas. Quod melius et suo loco competentius indicabunt sequentia. Liquet igitur ex præmissis quia cum dicitur Deus potens, Deus sapiens, Deus bonus et similia; sic ejusdem quidem repetitio est, non numeratio diversorum tanquam si de una eademque armatura dicatur sic: Hæc armatura est ensis, hæc est gladius, hæc est mucro. Aut si de persona una: Iste homo est Simon, iste Petrus, iste est Cephas. Verumtamen æterna illa natura et omnipotens sic multipliciter dicitur propter varios, quos in rebus visibiliter ostendit effectus, et virtutes effectuum: sicut cum potens dicitur propter suorum quæ cernimus magnitudinem operum. Similiter et misericors propter ea quæ nobis impendit misericordiæ opera. Et in aliis similiter sic: quemadmodum dicitur sol in æstate calidior et in hieme minus calidus, cum tamen in se sol in calore nec intensior si nec remissior, sed propter varios suos quos secundum varietatem temporis videmus et sentimus effectus; similiter et una persona plerumque seu res quævis binomia vel trinomia ex causis variis variis sic nominibus censita, cum tamen non nisi una persona sit. Verum omnis comparatio terrenorum ad Deum impotens valde et dissimilis. Attamen loquendi causa de ineffabilibus, ut aliquo modo fari possimus quod nullo modo effari possumus, ad visibilia nostra et nobis usitata recurrere intelligentiæ nostræ nos cogit infirmitas, ut vel figuris et similitudinibus nobis notis veritatis lux inacessibilis obumbrata nos illuminet; quemadmodum infirmi oculi solis lumen nube tectum liberius conspiciunt quod coruscum intueri non possent.

Deus itaque multipliciter dicitur. Unde et a theosophorum uno describitur inter alia spiritus sapientiæ multiplex et tamen idem ipse simplex quemadmodum ab eodem describitur idem ipse sapientiæ spiritus mobilis et tamen idem ipse stabilis, quod nos supra exposuisse jam meminimus. Dicitur itaque sapientiæ spiritus multiplex, tum quia multiplica sortitur nomina, tum quia dona partitur multiplicia, et præsertim quia multa in s

habere dicitur, ut puta æternitatem, bonitatem, potestatem, sapientiam et alia multa in modum hunc; et tamen idem ipse simplex describitur, quia etsi multa in se habere dicatur, non aliud tamen habet ipse quam quod est ipse. Deo enim non alia est essentia, ut sit et alia potestas, ut possit, seu alia sapientia qua sapit: sed ejus essentia est quidquid ejus est et omne quod ejus est Deus. Unde et sicut vere et ex necessitate consequitur quod sit simplicissima essentia Deus, cum nihil sit ejus quod non sit ipse, nullo enim participat, ecce exemplaris gratiæ quam alta, quam abdita, quam humanæ rationis oculo incomprehensibilia divinæ cognitionis mysteria! ad quæ utcunque intuenda tertius et so-ius contemplationis oculus necessarius: ecce in quam acutis, in quam subtilibus citharæ nostræ chordis cum omni sacrorum eloquiorum consonan-ia moves manum, pulso citharam; nec enim de neo quidquam auditur hic, sed quem a mandatis uis intellexi, Domine, tuorum eloquiorum et ortholoxorum tuorum sonus solum et sensus: qui proecto omnes unanimiter et concorditer juxta sibi da-um sacrorum eloquiorum intellectum de omni reatricis et gubernatricis omni unitate simplicissi-na concinunt, quod nos de ipsa hucusque in cithara ostra resonavimus.

Verumtamen ego peccator homuncio, etsi mo-eam manum, pulsem citharam, et audiam sonum, nihi ipsi tamen qui hoc loquor barbatus sum factus elut æs sonans aut cymbalum tinniens dans sine ente sonum; corpus enim quod corrumpitur de-rimit sensum et contrahit intellectum; sanctæ uidem fidei et sanctorum verba profero, quibus on solum quod prima nostra et principalis unitas t, sed et quid et qualiter sit erudimur; sed qui in is sanæ fidei verbis sanctis et abditis latet intellec-is procul elongatur a me tanquam famelicus por-ns per viam panem infractum in testa nucleum et osse medullam.

O gloriosa unitas, te ipsam testem invoco, quia edo, imo si peregrinus adhuc auderem in via fidem æcedere scio deesse hæc: scio, inquam, te pote-atem in se viventem, quæ nusquam non adsit nec iquam desit: æternitatem quæ nec cæpit nec de-it: veritatem quæ nec falli potest, nec fallit: sa-entiam quæ nec quærit nec minuit; scio te sine ualitate bonam, sine quantitate magnam, absque u præsidentem, et sine motu regentem omnia et ntinentem. Scio item te ante omnia ut princi-um, supra omnia ut fastigium, intra omnia ut medium, sub omnibus ut fundamentum, extra nnia ut non habens consortium, et post omnia ut vissimum, juxta illud de te sacrum eloquium um: *Ego alpha et omega, ego primus et ego no-ssimus* (*Apoc.* xx). Unde et scio te sicut sine ter-rio trinitatem, et sine unico incommunicabilem, ne pondere incomparabilem, et sine mensura estimabilem; cum tamen tu sola sic sine nu-ero, pondere et mensura, in numero, pondere et

A mensura consideras omnia. Hæc secundum Scripturas tuas scio te et hæc de te cio, nihilominus nihil tuum quod non sis tu, utpote sicut superessentialem essentiam et simplicissimam sine gradu, sine differentia, absque diversitate, absque numero nullo participantem, subjectam nulli; hæc, inquam, secundum Scripturarum tuarum eruditionem sanctam scio te esse, hæc de te. Verum in prolongata peregrinatione mea hac multum quasi dilacerata et dissuta hæc etiam mea qui, etsi per Scripturas tuas sciam quod sis hæc, parum aut nihil intelligo quomodo qualiterve sis hæc, imo unum hoc imo domina mea et creatrix qualiter sis prima et principalis et simplicissima unitas hæc; deficiunt enim oculi mei in eloquium hoc quod tuum et de te est: B adeo mirabilis facta est scientia tua ex te supra me. Verum domina mea et creatrix mihi prædulcis et præclara unitas, da mihi qualicunque citharœdo puero tuo de te in hac cithara tua sic audire vocis sonum, ut et sensus vel aliquem tribuas intellectum: tunc erit et mihi, qui prout ipsa dicere dignaris de te ipsa et per te pulso nunc citharam, melius hic dulcior, imo vere dulcissimus sono vocis vel aliquo sensus intellectu concordante et matri meæ Ecclesiæ, si forte et ipsi aliquo tempore audire placuerit, auditui suo melus hic et gratior erit et prædulcior.

Et quidem, ut votum meum hoc assequar, me ipsa sacra eloquia docent quæ mihi quidam in loco loquuntur sic: Fili, concupisti sapientiam, serva mandata et Dominus illam præbet tibi (*Eccl.* I), et C erit ita non per solam et nudam Scripturarum scientiam, de qua jam nonnulla induximus, sed potius per mandatorum obedientiam hæc primæ et principalis unitatis nostræ manifestatio; verum, quia videor mihi jam de exemplari ad exemplar procedendum, de exemplari gratiæ ad exemplar vitæ, in transitu repetendum quod primi simile, constat enim, ni fallor, et ex his quæ induximus patentissimum, quia per exemplar gratiæ non solum quod prima nostra et principalis unitas sit, sed et quid et qualiter sit, aliquatenus pro humanæ conditionis possibilitate erudimur, et quod ad ea quæ in exemplari hoc gratiæ continentur divinæ commendationis mysteria capienda, sicut nec corporis nec etiam rationis sufficiat oculus, sed solius contemplationis D oculi inspectio hæc: nunc itaque de secundo exemplari gratiæ ad tertium exemplar vitæ accedendum, in quo, ut præmisimus, sicut et in exemplari gratiæ, tertius et solus noster contemplationis oculus intuetur.

PRIMÆ ET PRINCIPALIS UNITATIS MANIFESTATIO PER TERTIUM CONTEMPLATIONIS OCCULUM IN TERTIO EXEMPLARI VITÆ. 16 NOTULA

Est autem, ut nos jam supra dixisse meminimus, exemplar vitæ liber prædestinationis æternæ, in quo sicut scripti quicunque sunt ad vitam prædestinati, de quo ipsa Veritas: Gaudete, inquit, inquisita, quia nomina vestra scripta sunt in libro vitæ; et Propheta noster: *Et in libro* inquit, *tuo omnes*

scribentur, dies formabuntur, et nemo in eis (*Psal.* cxxxviii); scribentur dicit, qui tamen ante sæcula scripti sunt; tunc enim videntur quasi primo scribi cum incipiunt operari : et exinde dies formantur, quando de virtute ad virtutem, quasi de claritate ad claritatem sensim ascendentes, a sole justitiæ plene illuminantur, et de corruptæ humanæ tenebris educti efficiuntur lux mundi, transformati in dies qui prius erant filii tenebrarum, filii hominum, homines, de carne caro. Unde et bene sequitur : *Et nemo in eis*, sic quippe in libro vitæ scripti, sic dies formati magis jam dicendi sunt dii vel dies quam homines juxta illud ejusdem Prophetæ nostri : *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes* (*Psal.* lxxxi) : vos autem sicut omnes moriemini : in hoc ergo vitæ exemplari, in quo sunt omnes scripti, quotquot ad vitam præordinati attente legunt, cum salutis suæ operibus jugiter intendunt, et in ipso tunc student, cum intelligere elaborant quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta : et ita in hoc exemplari tertio per tertium contemplationis oculum manifestatur justis prima nostra et principalis unitas per inspirationem internam, sicut edoctis in priori exemplari gratiæ eodem contemplationis oculo demonstrante per eruditionem intellectam ; sed in priori gratiæ exemplari fit manifestatio hæc quasi per solam et nudam mandatorum scientiam, sed in hoc vitæ exemplari fit manifestatio eadem per de super inspiratam mandatorum obedientiam, juxta quod supra posuimus et hic repetimus, paternum sapientis consilium : Concupisti, inquit sapientiam, serva mandata, Dominus illam præbet tibi (*Eccle* i; serva, inquit, mandata, multo quippe quam per sacræ legis scientiam per ipsius obedientiam sanctior, dignior et familiarior cognitio hæc alia, quippe sine hac velut peregrina quædam et remota notitia est. Unde et tanquam qui remoti et qui a longe noscunt et ipsi a longe cognoscuntur, et alta inquit, a longe cognoscit, et ipsi quidem alti per scientiam etsi remoti per inobedientiam. Unde et a longe tanquam advenæ, non tanquam sanctorum concives et domestici Dei, cognoscunt : adeo etiam sine illa quæ obedientia mandatorum est peregrina notitia hæc, ut ipsa sacra eloquia, per quæ noscunt, testentur etiam eos non nosse, juxta quod magistrorum unus : *Qui dicit se nosse eum et mandata ejus non custodit, mendax est* (I *Joan.* ii) ; et illud : *Omnis qui peccat non vidit eum, nec cognovit eum* (I *Joan.* iii), et qui non diligit non novit Deum, cum tamen sacra eloquia Dei haberi notitiam absque mandatorum custodia et Dei dilectione, crebro et aperte contestentur. Unde et magister : *Etsi noverim*, inquit, *omnia mysteria, et omnem scientiam, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens* (*I Cor.* xiii) : ecce quia potest quis Deum nosse et charitatem non habere. Unde inter Dei notitiam et notitiam, de quibus Scriptura sic diverse et ut videtur adverse loquitur distinguendum : quantum enim distant a fructu fo-

A lia, tantum inter notitias Dei has : in illa enim Dei notitia quæ est in exemplari gratiæ per Scripturarum scientiam sunt sapientiæ dicta ; sed in ista quæ est in exemplari vitæ per mandatorum obedientiam sunt ipsa opera : prior illa ad ornatum sed ista ad fructum est. Unde et prior illa sibi non sufficit absque ista sed ista sibi absque illa. Unde et multi in solitudinibus vere et sancte vixerunt, sine codicibus solam habentes charitatem qua legis mandata compleverunt, et ita quo interius eo quidem familiarius Dei notitiam habuerunt, juxta quod ipsa in Evangelio Veritas : *Qui diligit*, inquit, *me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum* (*Joan.* xiv) : nec est enim tam videns, tam efficax, Ecclesiæ veritatis manifestatio quam

B ipsius interius de corde puro et conscientia et fide non ficta radicata dilectio ; ipsum enim diligere velut quidam ignis cælestis radius de corde diligentis ad summum illud quod solum vere diligendum est ascendit, et unit cum eo quod diligit quod profecto absque delectabili quadam manifestatione non est, juxta quod dilectus supra : *Et manifestabo* inquit, *ei me ipsum*, nec enim de futura quam exspectamus manifestatione hoc intelligendum, sicut nec quod præmisit de dilectione in futuro et hanc quidem manifestationem factam quia est per dilectionem interius datam. Unde est et obedientia mandatorum per inspirationem internam fieri diximus et est manifestatio hæc bonorum duntaxat et omnium. Unicuique tamen sicut Deus divisit men-

C suram fidei cum prior illa per scripturarum eruditionem bonorum et malorum sit communis.

Verum tunc est primæ nostræ unitatis manifestatio hæc perfecta scientiæ operatione adjuncta : tunc etenim ad manifestandam hanc duo conveniunt exemplaria, exemplar gratiæ, et exemplar vitæ contemplationis oculo hinc inde factæ mentis gressus dirigente : hinc est enim scientia facta ab exemplari gratiæ, inde vero operatio justa ab exemplari vitæ, et erit hæc tunc primæ unitatis nostræ intellectualis manifestatio : jam enim primo intelligis, quia jam primo in te legis quod nosti magis in tuo corde quam in codice ; scientia tua tunc primo in intellectum transeunte : alioquin si legis in me non in te, non erit in te lectus et ita nec intellectus. Domine, timor : et inde est quod sancti

D in eloquiis sacris intellectum sibi dari tam devote desiderant, tam crebro postulant. Unde est illud Prophetæ nostri in psalmo : *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam et custodiam illam in toto corde meo* (*Psal.* cxviii) ; quasi dicat : Dato mihi intellectu hæc duo consequar, et legis scientiam et mandatorum custodiam ; et alibi : *Da mihi intellectum et vivam (Psal.* lxxiii), quod si in sola scientia intellectus consisteret, non ex ipso jam vita esset, et ita utrumque quia primæ unitatis nostræ manifestationem intellectus comprehendit et illam quæ ex secundo gratiæ exemplari est per scientiam, et illam alteram quæ ex tertio vitæ ex-

emplari est per operationem justam. Et erunt ita primæ et principalis unitatis nostræ, quas ab initio hujusque prosecuti sumus manifestationes tres: prima quasi corporalis ex creaturis, et hæc per primum oculum corporis secundum rationis oculum excitantem; secunda spiritualis ex rationibus menti rationali a natura insertis, et hæc per secundum et solum oculum rationis; tertia vero est manifestatio intellectualis ad cognoscendum scientia et operatione conjunctis; quod si sola scientia fuerit, jam non erit per intellectum manifestatio, sed per solam Scripturarum eruditionem et nudam. Sin autem sola fuerit operatio, itidem jam non erit per intellectum manifestatio, sed per solam et unicam inspirationem internam.

DE ILLO MANIFESTATIONIS GENERE QUOD THEOPHANIA DICITUR TANGIT ET PERTRANSIT.

Prætereo nunc de illo manifestationis genere, quod præexcellenter theophania dicitur, nec enim est ita bonorum omnium sed perfectorum solum et etiam paucorum inter hos. Unde et infelix ego luteam domum inhabitans, de tam suavi tam excellentis manifestationis dulcedine quod ego non gustavi, aliis eructare non possum. Verumtamen de hoc manifestationis genere ab aliis instructus accepi ego phamas has animæ omnino a terrenis suspensæ et æternorum desiderio adeo inflammatæ ut quasi a se deficiat sicut frequentes supervenire et improvisas qualis erit illa perfecta anima quæ per psalmos qui de charitate sunt æstuando sic conqueritur: *Quemadmodum*, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI)? Et in alio itidem decantante Psalmo: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII): talium, ut didici, et solum talium sunt divinæ istæ apparitiones, quæ theophaniæ dicuntur, quæ animam tam vehementi desiderio anxiam crebro refocillant, et adeo etiam ad horam illuminant, ut miro quodam secreto et singulari modo etiam quod ignotum est Dei manifestum sit in illa. Verum, etsi ut talium quos diximus sit hæc frequens gratia sed parva mora, juxta quod in amoris cantico: Sponsa sponsum tam sollicite, tam assidue quærere introducitur, quæ ad sponsum suum quærendum nunc de nocte surgit, nunc civitatem circuit, nunc it, nunc redit, nunc quærit de illo, nunc quærit illum; ille vero nunc se ingerit, nunc se subtrahit, nunc occurrit, nunc salit, nunc transilit, nunc tenetur, nunc elabitur, nunc revertitur, nunc alloquitur. Istæ vero inter sponsum et sponsam inquisitiones, quæstiones, allocutiones, occursus, saltus, discursus et recursus, avolationes, reversiones tot et elapsus, quid inter ipsos sunt nisi quædam suavia suavis et jucundi amoris signa delectabilia quæ quotidie hujuscemodi, quem diximus, perfecta anima delectabiliter experitur in se secundum quod et sponsus ipse quodam loco perhibet delicias suas esse cum filiis hominum et quidem miro modo, sed mihi sicut inexperto et ineffabilis his manifestationibus sponsa delectatur cum adfuit, sed admodum affligitur cum recedunt et ad votum non revertuntur. Verumtamen etsi quævis beata anima quantocunque sibi in via hac indulto divinæ manifestationis privilegio illustretur, multo tamen sublimius, plenius et multo delectabilius, quia beatius in patria lucis in illa infinita luminis abysso istius tantæ manifestationis claritas revelabitur: hujuscemodi enim manifestationis divinas semper per signa aliqua vel per similitudines mediate fieri existimandum: patria illa lucis sibi illam Dei manifestationem quæ solum immediate fit vindicante. Unde et Magister usque ad tertium cœlum raptus qui comprehendisse videri poterat: *Fratres*, inquit, *ego me arbitror comprehendisse* (*Philip.* III), et quid sit illud quod non comprehenderit, mox subjungit: Unum autem; quasi dicat: illud quod me comprehendisse non arbitror, illud est quod unum est quasi hoc illud est, quod sicut singulariter et præexcellenter unum dicitur, prima videlicet nostra et principalis unitas hæc.

Videor mihi jam quod ab initio de prima et principali unitate nostra proposui me exsecutum: primo siquidem per oculum corporis cordis seu rationis oculum excitantem demonstratum est quod ipsa est: quod quia per facta visibilia et ostensum dici potest hæc visibilis seu corporalis primæ unitatis manifestatio; secundo per solum rationis oculum itidem quod ipsa est multipliciter quidem et varie comprobatum, quod quia de moris visibilibus rationibus solum hinc inde conquisitis est ostensum, dici potest hæc spiritualis primæ unitatis manifestatio; præostenso ergo de prima unitate quod ipsa est, subsequenter per tertium contemplationis oculum quatenus datum monstravimus quid et qualiter ipsa sit, et hoc quidem dupliciter: primo per Scripturarum eruditionem, qua docemur de prima et principali unitate, non solum quod sit, sed et quid et qualiter sit, et hanc primæ et principalis unitatis nostræ manifestationi bonis et malis communem diximus; secundo vero per inspirationem internam et manifestationem hanc solum bonorum rem et omnium, sed tunc pleniorem scientiæ Scripturarum sancta operatione adjuncta, tunc enim scientiam in intellectum transire diximus. Unde et, ut præmisimus, dici potest intellectualis manifestatio hæc: adhuc de inspiratione interna diximus esse quasdam primæ et principalis unitatis manifestationes præexcellentes, quæ sicut singulariter et præexcellenter theophaniæ dicuntur, ad tertiam illam manifestationis speciem, quæ intellectualis jam dicta est, recte pertinentes; et ita erunt primæ et principales unitatis nostræ manifestationes tres: prima ipsius manifestatio visibilis vel corporalis, secunda spiritualis, tertia vero naturalis.

Verum etsi principalis hæc unitas a nobis sic sit

pro sensus nostri angustia multipliciter manifestata, eo ut verum fatear, quodammodo cognitione mihi incomprehensibilior facta est : illud prophetæ nostri jam expertus in me quia homine accendente ad cor altum tanto magis exaltatur ab homine Deus, hoc tamen quod fideliter et humiliter homo de Deo dicit, Deus tolerat ut sic de Deo homo loquens in Deo suo delectetur, et gratia fidei figuras verborum, quibus de veritate loquitur homo Deus, pius ac si veras acceptat, cum tamen supra omne et extra omne quod dicitur sit ipse veritas et unitas Deus. Verum, etsi tam gloriosa, tam principalis nostra unitas hæc omnium operatrix virtutum, fides, spes, salus et virtus omnium tamen comprehensibiliter tanta sit, ad ipsius tamen manifestationem tantam et tam sanctam, parva, nostram induximus calumniandus forte ab aliquibus quod per ipsam nunc hæc induxerim. Verum si placet benigne ignoscant hi, nec enim excessisse me arbitror : hæc quippe non deviant, non obviant, imo potius meum juvant et juvabunt propositum, quæ a nobis de hac prima et principali unitate inducta sunt ; de qua ego peccator homuncio, pavide quidem, sed sicut nec contra fidem, quod absit ! nec præter rem loquens propter illas quas supra post eam distinximus unitates duas de ipsa et pro ipsa hæc induximus, et præsertim propter illam imperatoris et militis unitatem tertiam, propter quam et ad primam hanc compulsus a tertia accedere ausus sum et ad secundam. Unde et ego inter tot et tantas et tam varias viæ et vitæ hujus tentationes, et laqueos, et curas distrahentes, incola et peregrinus versans, adhuc nihilominus tamen de ipsa prima et principali unitate etsi catholice temere tamen vereor loqui præsumpsi. Unde et ipsius hic faciens finem quæ infinita est ab ipsamet veniam deprecor, si excessi et de reliquis duabus unitatibus locuturus adhuc ipsi tam gloriose principali et tam principaliter gloriosæ æternæ unitati, quæ fides mea, salus mea et tota spes mea est, me commendo, et ea salutata nunc et adorata ipsamet si placet puerum suum per vias incognitas ducat et doceat, quasi deinceps de sanctuario ad sanctuarium, imo quasi de ipsius creatricis et imperatricis unitatis incomprehensibiliter immenso palatio ad sponsi et sponsæ thalamum transiturum : nam de duabus unitatibus reliquis amodo prout edocti desuper meli nostri notulæ formabuntur : de hujus quidem primæ et principalis unitatis trinitate nihil impræsentiarum in cithara nostra resonantes : tum quia sicut in Testamento Veteri singulis fere paginis commendatur unitas, sic pene singulis Novi Testamenti syllabis prædicatur unitatis trinitas, tum etiam quia multo magis quam in unitate, in unitatis trinitate, fidei magis implicitum involucrum est. Sed præ cæteris de unitatis, a qua certe invitus avellor, trinitate nil hic intersero, quia ne etiam per materiæ granditatem me excusem, nullatenus præsens propositi mei hoc materia exigit qui etsi de unitate quasi dispu-

A tando modicum quid interseruerim, quod et forte quis quasi ad propositum non attinens calumniabitur, sciat pro certo priusquam calumnietur is de ipsa præter alia, ob id maxime ex parte sermonem me fecisse prolixius, et de ipsa disputando probasse et improbasse, ut ego ipse proprius ipsius disputator et probator, etsi non errorem, quod absit ! meam tamen de ipsa et circa ipsam ignorantiam hic confiterer : nam etsi scientiam ipsam et aliquatenus quid sit ipsa, admodum tamen minimum est, quod mihi datum sit scire de ipsa vel circa ipsam : fides quippe cuivis implicitissimo involucro similis tam de unitate quæ commendatur in veteri quam de unitatis trinitate, quæ in nova lege prædicatur, totum quasi involvit et obvolvit et operit totum,

B cujus tamen beneficio omnia certe credo, sed nihil video nisi forte speculariter et in ænigmate, quod tamen ipsum non ego non mei similes usurpamus, sed soli forte in charitate radicati et fundati sibi specialiter vindicant, fide, ut ita diximus, totum operiente et involvente totum. Unde et illud est, quod ego supra sic planxi, ita protraxi, ita distuli, timens et tremens in sanctuarium Dei intrare, quod fidei involucrum totum involvit, totum nobis tegit et operit, hoc quippe fidei tabernaculum circa quod excubamus, dum in deserto militamus adhuc, tot est symbolicis demonstrationibus adumbratum, tot videlicet arietinis pellibus, tot hyacinthinis, tot saccis cilicinis, et tot cortinis opertum totum, verum, ut videtur, nunc militiæ nostræ immemor,

C quasi tabernaculum miliantibus non sufficiat, in ipsum prophetæ templum supercœleste, in quo jam concives sanctorum sunt, præsumo sicut videri potest ascendere, in quo portæ tot, in quo et tot atria, tot atriola, tot gazophylacia, tot vestibula, tot domus, tot ædificia, tot cœnacula, tot ostia, tot ostiola, tot viæ, tot plateæ, tot semitæ, tot loca, tot sanctuaria, et thalami tot, cujus dum recordor, ipsius Salvatoris in Evangelio mox efficior memor. *In domo*, inquit, *Patris mei mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV). Quod tamen propheta in prophetici voluminis sui fine, non jam jam domum vel etiam templum, sed civitatem nominat et nomen inquiens, civitatis ex illa die dictus ibidem mutato sic nomine, totum a se mystice dictum nobis apertissime indicans. Unde et propter templi hujus seu potius civi-

D tatis quæ supra distinximus loca et mansiones tam varias, periculosus ingressus est : quod quis intrans, etsi, quod absit ! non erret in via fidei, errare tamen facile poterit procedendo nimis, et perscrutando investigans abdita sanctuarii. Unde et qui prius primæ et principalis unitatis investigabile intrare præsumpsi sanctuarium, retrahere mihi nunc tutius, ne quo ulterius eo interius procedam incautius, cum tamen de sanctuario ad sanctuarium imo quasi de palatio ad unum de palatii thalamis, mox mihi sit divertendum, de unitate videlicet ad unitatem, de unitate solius naturæ, quæ est in Deo trino inter tres, ad unitatem solius gratiæ quæ solum est inter

verbum et carnem, inter Deum et hominem, de cujus unitatis causa et origine præsentis hujus meli nostri, qui tertius est, XVII jam formabitur notula: nec enim secunda unitas hæc solius gratiæ, ut illa prima et principalis est æterna, sed ab ipsa prima et principali unitate solius naturæ in fine sæculorum in plenitudine temporis facta est ista solius gratiæ et hoc inter se ipsam et primam et principalem et humanitatem nostram: de ipsius itaque causa et origine ante alia cithara nostra prout desuper datum, resonabit.

TERTIUS MELUS DE UNITATE SOLIUS GRATIÆ HIC INCIPIT, ET PRIMO DE IPSIUS CAUSA. 17 NOTULA.

Homine in paradiso per tentatoris violentiam a prima et principali unitate, sicut seditiose et tyrannice separato et avulso, mox ipse homo in se ipso divisus est; divisus, inquam, dilaceratus, distractus et sibi ipsi rebellis, quasi de uno partitus in duos, utpote qui ab eo quod vere unum est, imo sicut in præcedenti melo jam audivimus, quod vera, quod simplex, quod æterna unitas est et indivisa, divisus; quæ sola solum vere est, a qua etiam quod ab ea divisum est habet quidem esse, sed tale quale esse quod est, tale quale dico esse, esse videlicet multiplex quasi habens non unum esse sed multa diversa nter se et adversa homine per spiritus sui afflictioies diversas et dissidentes et per cogitationes varias, vanas, assiduas et importunas et item per corporis ui dispositiones multiplices et contrarias, et per am crebras, tam continuas temporum vicissitudiies et locorum mutationes, quo multiplicius et mierabilius distracto, dilacerato et convulso: ita ut am non Dei imaginem, ad quam fuit conditus, sed otius nescio cujus monstruosi Protei poetice comnentatam effigiem homo sic se unitatis et sic muabilis repræsentaret, adeo etiam, proh dolor! nimis ressus, sic oppressus, et sic divisus, ut crebro ec sui esset memor, nec nosceret se. Sed quid ico crebro? adhuc quippe admodum paucorum est osse se, etsi forte corde, minime tamen opere reolentes quid fuerint, quid sint et quid erunt; juxta uod unus cuidam simul et semel breviter interroanti quid fuisset, quid esset, quid futurum esset, ιox eleganter et simul breviter singulis singula spondisse legitur: « Vile, inquit, sperma, vas ercorum et cibus vermium, » in schismate igitur ominis hoc vix est rarus qui se nosceret; qui iam ad propriam in semetipso unitatem revertetur homine, quidem sic distracto et diviso, et in m duro, tam diro schismate jam non solum inter eum et ipsum, sed et in se ipso homine etiam adrsus se ipsum hominem facto schismate in semetso, imo ut dicam, nunc sic schismaticus sui ipsius ctus, duro profecto et diro schismate confestim ab unitate se divisit inter animam suam proiam et propriam carnem suam exorto, concupiente ista quod non illa et illa quod non ista, sed illa et ista etiam in se ipsis omnino inter se con-

A traria, et sic tota vita hominis schisma erat in homine, et mirum quidem et inauditum schisma hoc homine facto non solum Deo sed et sibi ipsi contrario, et sibimetipsi gravi, juxta illud plangentis hoc hominis dolentis et querentis: *Quare* inquit, *posuisti me contrarium tibi et factus sum mihimetipsi gravis?* (*Job* VII.) Similiter et Propheta interplangens: *Cor.* inquit, *meum dereliquit me* (*Psal.* XXXIX), et item anima mea impleta est illusionibus, nec hoc quidem mirum, si homini sic acciderit, qui se sic tam temere, tam fatue, tam præsumptuose, a prima et principali unitate divisit: certo quippe certius et luce clarius, quod tamen quo familiarius et melius noruntexperti, nullum cor vere jucundum nullum vere quietum, nullum pacificum, imo om-
B nino dilaceratum, divulsum et sibimet contrarium, et schismaticum, nisi fuerit ipsum huic primæ nostræ et principali unitati conjunctum: adeo naturale est humano cordi esse cum unitate naturæ hac, ad cujus imaginem ipsum naturaliter conditum est. Unde apprime expertus hoc et reversus a schismate: *Deus,* inquit, *cordis mei* (*Psal.* LXXII): et iterum: *Mihi,* inquit, *adhærere Deo bonum est* (*ibid.*); hoc est illud sub sole solum et unicum illud unum in quo habitare cui adhærere bonum et jucundum. Verum infelix fatuus et miser homo factus schismaticus, et ab ipsa prima et principali unitate sic divisus, mox ab Ecclesia triumphante, a congregatione justorum, ab angelorum consortio est expulsus, et ita ad partes veteris illius et schismatici
C Luciferi, qui Ecclesiam triumphantem jam perturbaverat et in multorum ruinam jam grande schisma fecerat, quasi inseparabilis et individuus schismatis comes ipsi adjunctus est.

O quam infelix, quam infortunatum, quam vile schisma, prius quidem in cœlo natum inter Deum et angelum, postea vero in paradiso renatum inter Deum et hominem! Sed prius a cœlo, post a paradiso expulsum, nunc in fine ad hoc sterquilinium est devolutum sæpe et sæpius militantem hanc turbans ecclesiam, quod ab initio dilaceravit et conturbavit triumphantem, persæpe etiam domesticam cujusvis privati familiam commovens et perturbans, ubi non nisi duo sunt congregati vel tres, ita quod pace perturbata non secundum Christi Evangelium sed potius secundum Luciferi immissum dissidium
D duo in tres et tres in duo dividantur: adeo est Lucifero amicum schisma et dissensio. O quam maledicta, quam profana, quam viperea soboles hæc, cujus mater est ambitio et Lucifer pater, cujus et inter carnis opera soror pessima hæresis! heu, heu igitur miser homo quid faceret, quo se verteret, quomodo ad unitatem rediret? primum et principale schisma erat inter ipsam primam et principalem unitatem et ipsum et exinde inter ipsam et angelum et etiam inter ipsum et creaturam universam propter ipsum conditam et hoc propter omnium creatricem unitatem, a qua tam fatue, tam temere, tam præsumptuose se sic diviserat, et quod adhuc inau-

ditum, tam durum videlicet, tam dirum schisma, et homo in semetipso schismaticus, sicut irrevocabilis et implacabilis ipsomet facto contrario sibi et sibimetipsi gravi. Quomodo ergo redire, quomodo reverti, quis revocare ad unitatem ab unitate sic divisum vel auderet vel posset : unitas quippe ipsa prima et principalis Deus ipse unus et summus ipsum a consortio justorum, ab Ecclesia triumphante propter schisma expulerat, angelus propter schisma expulso non communicabat, Lucifer, ne conschismaticus suus, quem ad satellitium suum jam allexerat, reconciliationi obstabat, nec etiam homo ipse pro reconciliatione supplicabat, imo magis ac magis efferebatur in dies, tota vita sua de Luciferi satellitio gaudens, donec in fine extrema gaudii luctus occuparet. Sic etiam misero homine multiplicato et adhuc in dies crescente super terram, multis sæculis per invia deserti hujus et avia currebat semper pascens ventos et sequens umbram, et beatum se in desideriis animæ suæ clamans, donec juxta prophetam miser hic, qui tota vita sua ventum seminaverat, turbinem meteret ; sic et juxta illud sapientis ante grandinem præibat coruscatio et ante verecundiam gratia, sic et ante ruinam exaltabatur cor, sed post exaltationem ruina hominis irrevocabilis : quidquid enim de humano genere post fugitivam et umbratilem vitam suam hanc sine miseratione ætatis, sine distinctione sexus, nec conditione æstimata, quotquot sine miseratione, sine patrocinio, sine remedio, sine suffragio in mortis abyssum insatiabilem præcipitabantur, introeuntes hi quotquot in progenies conschismaticorum spirituum angelorum apostatarum, ubi sine fine vita in labore et tenebris, et ita miserum hominum genus ad insignis illius schismatici Luciferi gloriam juxta votum ejus et mandatum conculcabatur in dies, et hoc ipsum quidem, sicut ad creati et seducti hominis miseriam, sic et in ipsius creatricis unitatis injuriam et etiam ignominiam videri poterat redundare : cui seditiosus ille schismaticus sicut creaturam suam sibi injuste et dolose prius subtraxerat, sic eam tunc quasi in creatricis ignominiam et contemptum pro voto suo et desiderio sæve nimis et tyrannice conculcabat.

DE UNITATE MISERANTE HOMINIS OPPRESSIONEM ET COGITANTE DT EREPTIONIS MODO. 18 NOTULA

Prima itaque et principalis et omnipotens ipsa unitas misericordiæ fons nativus et verus, imo revera æternum superabundans et indeficiens pietatis profluvium, quod super omnia opera sua non segniter, sed abunde et indesinenter emanat, videns miseram creaturam suam sic oppressam et miseram, cogitabat de ereptionis modo : verumtamen in miserantis unitatis cogitatione hac, misericordia et veritas sibi invicem visæ sunt obviasse juxta quod rex ille propheta : *Misericordia*, inquit, *et veritas obviaverunt sibi* (*Psal.* LXXXIV) *:* misericordia siquidem pro homine sic damnato supplicabat, sed veritas obviavat pulsanti misericordiæ, nec exaudiretur obstans, eo quod homo juste sic damnatus in veritate non stetisset, cum tamen nihil in eo esset quod ipsum a via veritatis retraheret.

DE SENTENTIA LATA PRO EREPTIONE HOMINIS.

At velut tertia mox justitia se interposuit pro pace et reconciliatione hominis misericordiæ coadjuxtrix, et quidem non jam supplicans, sed manifeste ostendens hominem a tali possessore jure omni tollendum. Unde et justitia, cujus natura sapientia, quæ et genitam habet sapientiam, in primis pacis hominis patrona in causa hac mox et ante alia alligat illum omnimodis injustum fore hominis possessorem, qui hominem sic dolose, sic seditiose circumvenerat et communi, utriusque vero domino servum suum sic subtraxerat. Unde et quem ille vindicaverat sibi per iniquitatem omni jure sibi adimi posse per justitiam et ipsum quondam Domino debere restitui, etiam si servus inscius et improvidus se circumveniri passus sit, et ne, inquam, justitiam rem tam patentem diutius protraham, non jam supplicante misericordia tanquam patronæ pacis fungar officio ; sed quod mihi licet utpote justitiæ sicut præcise indico sic pronuntio, ut servo injusto possessori adempto ab ipso liber et per judicium absolutus ad quondam dominum suum revertatur et quoniam justitia et veritas semper amica sunt, judicio consensit veritas, et quæ prius supplicaverat applaudet misericordia impetrans. Unde et ipsius justitiæ judicio submotis omnino quod ad Deum inimicitiis, quæ inter Deum et hominem præcesserant, justitia et pax osculatæ sunt, et ita illata pro homine sententia, sic quatuor hæc convenerunt, misericordia et veritas, quæ prius obviaverunt sibi et justitia et pax quæ se sunt osculatæ adinvicem. Sed tamen re indicata sic cogitabat mox ipsa quæ sententiam tulerat omnipotens et æterna justitia qualiter et quo tempore commodius sententia sic lata dari posset exsecutioni et mancipari effectui : adhuc enim etiam lata sententia fugiebat verum dominum suum servus, cujus in judicio absentiam misericordiæ replevit præsentia et in ecclesiam, a qua propter schisma expulsus fuerat, minime admittebatur, adhuc Lucifero etiam paci et reconciliationi obstante, nisi quia latam sic sententiam et præsertim latæ sententiæ exsecutionem et exsecutionis modum, de quo jam dicetur, penitus ignorabat. Si enim, ut Magister docet, cognovisset, nunquam Deum gloriæ crucifixisset; cogitabat, inquam, justitia de latæ sententiæ exsecutione et exsecutionis modo ; nec enim placebat illi etsi Omnipotens servum juste quidem damnatum et propter schisma a consortio justorum expulsum, a violento ipsius et injusto possessore potestative auferre, quod tamen, sicut potestative etiam et injuste potuisset : cogitabat ergo vera illa et summa justitia quomodo et qua via sententia pro pace servi a se lata justius, efficacius, servo fructuosius et ad majorem violenti possessoris confusionem exsecutioni daretur.

DE LATÆ SENTENTIÆ EXSECUTIONIS MODO BREVITER HIC TANGIT ET POST DE IPSO EXSECUTORE.

Videns autem in miro illo et incomprehensibili sapientiæ et scientiæ suæ thesauro nihil sic justum, nihil sic efficax commodumve sic nec per aliquid tantam futuram tyranno confusionem, hoc ordinavit, hoc disposuit, ut servus ille fugitivus schismaticus per unitatem ad unitatem revocaretur. Unde et unitatem quamdam novam a sæculis inauditam et incognitam, imo omnium sæculorum sæculis reverentissime admirandam et obstupendam, in fine sæculorum instauravit et opportune quidem et ordinate tunc in fine sæculorum cum temporis plenitudo advenisset, primo quidem data lege naturæ, quæ ad hominis pacem invalida erat et inefficax, quia cum legis naturalis tres partes sint, ex omni parte ad hominis pacem inefficax erat, nec enim sufficiebat Dei Creatoris agnitio, quæ est legis naturalis pars prima, nec secundum Dei agnitionem vita bene instituta, quæ est legis naturalis pars secunda. Unde etiam et qui secundum Dei voluntatem vitam agebant, quotquot tamen ad inferos descendebant, nec sufficiebat etiam, cum vita bona bene vivendi exemplum cæteris dare, quæ est legis naturalis pars tertia ; nulla igitur naturalis legis pars nec ipsa tota ad hominis pacem sufficiens ; quia nec prima quæ potest dici theosebia propter unius Dei cultum, nec secunda quæ potest dici ethica propter vitam bonis moribus institutam, nec tertia qaæ dici potest doctrinalis, propter docendi exemplum ad Dei cultum in operibus bonis, et sicut lex naturæ, ita et quæ postea subintravit, pariter invalida et insufficiens erat, per Moysen data lex litteræ : quin potius lex ista factorum seu litteræ non solum inter Deum et hominem non componebat, sed etiam magis turbabat, imo verius sicut docet Magister, accidebat trangressionem augendo et abundare faciendo supra modum peccans peccatum. Unde primo lege naturæ, et postea lege litteræ, per multa sæculorum sæcula sic currentibus, et utraque inter Deum et hominem ad componendum invalida, in fine temporum successit novissime duabus aliis lex tertia, lex solius misericordiæ post primam illam nuturæ, et post illam secundam litteræ, quam induxit illa, de qua et propter quam totus hic noster sermo est, nova et inaudita hæc solius gratiæ unitas, juxta illud Magistri : *Ad ubi*, inquit, *veni plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Gal.* IV) : ecce plenitudo temporis præstitæ videlicet et præordinatæ a Deo inter Deum et hominem tempus plenæ reconciliationis, et bene tempus plenitudinis tempus inter Dominum et hominem abundantiæ pacis, in hoc tempore plenitudinis completo illo longe ante promisso, orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, et vere juxta prophetæ nostri sicut desiderium et vaticinium, diebus ejus pacis abundantia inter Deum et hominem orta : quis enim audivit unquam tale, aut quis vidit simile ? quis credidit auditui nostro? aut cui vere Omnipotentis et miserantis justitiæ pro pace hominis judicantis

A factum hoc revelatum? Ecce enim novum quod fecit æterna illa et summa justitia, prima et principalis unitas nostra ; ecce, inquam, novum quod fecit super terram : vis audire novum et novum inauditum imo omni virtute, omni signo et prodigio incomparabiliter plus admirandum? Ipsa justitia vera et summa ipsa prima et principalis unitas æterna sic adversum, sic aversum, sic fugitivum univit sibimet schismaticum hominem ; et sic sibi univit ipsum quod fuit ipse : revera non potuit excogitari dulcior pax seu confœderatior inter Deum et hominem, quam ut Deus fieret homo.

O quam admirabilis et vere admirabilis, imo vere plus quam admirabilis unitas hæc primæ et æternæ unitatis et fugitivi et schismatici hominis ? non qui-
B dem naturæ unitas hæc, sed solius et ineffabiliter incomprehensibilis gratiæ, qua lumen in testa, verbum in carne, Deus in homine et homo Deus, interverso sic ordine naturæ, ut liberior via fieret cursui gratiæ, ita ut jam rejecto illo vetustatis cantico qualis terrenus tales et terreni, canticum novum canticum præ bonitate canticum admirabile cantemus admirabili quales cœlestes tales et terreni, quales cœlum talis et terra, quia etiam cœlum terra Verbum caro. Et vere canticum novum, canticum admirabile : nec enim juxta quosdam tantæ unitatis incapacium dogmata a virtute, potestate, vel adoptione, seu habitatione, Verbum in carne, sed quod est præ nimia admiratione obstupescibile et prædignatione incomprehensibili amplexabile, sic est
C Verbum in carne, quod sicut vero et plene et perfecte Verbum caro, idem ipse sicut æternus Deus et temporalis homo, se major et se minor, sui dominus et sui servus, salvis tamen super verbis his orthodoxorum Patrum et sanctorum conciliorum dognatibus. Manens enim quod erat factus est quod non erat, idem ipse et dominus et servus, quod profecto soli commissum est fidei, ipsa per nullam creatorum similitudinem ad hoc adjuta ad manifestandam quippe unitatem hanc omnis similitudo deficit et impossibilis est, ubi sola dominatur fides et cum omni virtute sua tota succumbit ratio.

DE ILLIS QUI DICUNT DEUM HOMINEM FACTUM HABITU

Plerique tamen nostri temporis hujus mentem tantæ unitatis inter Deum assumptum et assumentem
D hominem tam humile et eo magis gratuitum vinculum, velut de morticinio nostro calciatæ divinitatis corrigiam conantes solvere, sola illius habitus ratione, Deum hominem prædicant, de quo Magister dicit quod habitu inventus sit ut homo, et isti quidem non essentialiter Deum tradunt hominem, sed juxta Magistrum habitu duntaxat non essentia : absurdum quippe videtur his et omnino veritati adversum fateri quod Deo esse hominem sit Deo esse, cui nihil aliud est esse quam videre, quam sapere, quam posse, et quam esse beatum, quam esse æternum, et esse Deum. Item detestantur hi aliquid recens ; fateri Deum, et in aliquid credere statu novæ legis, in quod non crediderunt patres veteris, nec

ipse Abraham, qui omnium est credentium pater. Hæc quippe et similia his qui Deum hominem factum solo habitu non essentia docent, objiciunt illis qui essentialiter Deum hominem dogmatizant, ex quorum assertione videntur necessario consequi quæ præmissa sunt.

DE ILLIS QUI DICUNT DEUM HOMINEM FACTUM ESSENTIA.

Sed et e diverso illis qui essentialiter Deum hominem tradunt videntur priores illi per habitus rationem, qua Deum hominem prædicant, sicut nimis insipide et minus gratiose tantæ unitatis inter Deum et hominem extenuare gratiam, laxare vinculum, et huic Altissimi tam miraculoso operi, tam admirabiliter singulari et tam singulariter admirabili derogare simmiste magni illius concionatoris nuntii promisso manifeste adversi installantis sic virgini : *Quod nascetur*, inquit, *ex te sanctum vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Et adjiciunt isti hoc esse illud omnibus sæculis et generationibus admirabile sacramentum et absconditum ad quod omnis similitudo inducta mox repercussa dissidet et impotens est. Hoc, inquam, illud est quod æternus ille Deus omnium Creator et Dominus manens, quod erat sic quiddam temporale, quiddam passibile, quiddam creatum factus est, quod ante non erat ipse, absque omni sui vicissitudine seu vicissitudinis obumbratione ulla.

Verum inpræsentiarum hujuscemodi assertiones varias sicut nec probo, nec improbo, cum eadem incarnationis fides sit apud hos et apud illos, etsi ex causis fidei et circa fidem ipsam varie moveantur forte tanti mysterii scrutatores magis temerarii et curiosi magis quam necesse. Unde ut omissis his ad propositum tam ineffabilis, tam incomprehensibilis, tam incomparabilis unitatis revertamur mysterium hujus certe tantæ unitantis vinculum et tam miræ, tam novæ tam præclaræ unitatis gratiam deridet Judæus, non credit ethnicus, nec capit philosophus. Hic etiam periclitatur et Christianus, qui Scripturas perperam intelligendo errans aut errantem sequens circa hoc veritatis et unitatis gratiæ sacramentum male sentiendo vel in modico deviat. Qui et si forte propter fundamentum salutem consequetur sic tamen salvus erit quasi per ignem. Quales forte illi de quibus paulo ante dictum. Unde et tutissimum sicut nec ab ipsa fide, sic nec a verbis fidei, quæ in orthodoxorum Patrum tractatibus seu sanctorum conciliorum sanctionibus reperiuntur, recedere ; qui nunc astruendo nunc destruendo verbis fidei, competentibus sufficienter satis et commode usi sunt. Ab his ergo recedere periculum, ne sub exquisita aliqua novitate verborum aut sequamur veterem, aut novum gignamus errorem. Quid enim non in periculo, cum reatus hic non solum ex rea mente oriatur, sed et lingua, et non sensus, sed et sermo sit in crimine ? Unum certe audeo, quia non erit plene sancta et sana doctrina, nisi etiam sanctis et authenticis sanctorum verbis fuerit ministrata credentibus. Fides quippe sicut fidelium, ita et scien-

A tia qua erudiuntur ad fidem non horum vel illorum, sed duntaxat scientia sanctorum est nobis jam plene per sanctorum verba ministrata.

Sed ut ad præmissa revertamur, et ad opus illud novum, quo æternum Deum temporale hominem verum et perfectum prædicamus, ecce certe nova illa et inaudita a summa et æterna justitia ante omnia sæcula præcogitata latæ sententiæ pro pace hominis exsecutio. Ecce exsecutor novus, sicut re et nomine admirabilis. Quod profecto nomen juxta prophetam sibi ex re tanquam proprium vindicat. *Et vocabitur*, inquit, *nomen ejus admirabilis* (*Isa.* IX.) Revera sententiæ pro homine latæ exsecutor novus et admirabilis, Deus homo, homo Deus. Nam, ut audacter jam loquar, ne temere avertat Dominus, stupor quippe et B tremor quæ pro facti novitate apprehenderunt me sic compellunt nihil in tam incomprehensibili et tam immensa operum Altissimi potentia, nihil in tam arcanis, tam profundis sapientiæ et scientiæ suæ thesauris, sicut videre mihi videor, posset reperiri, quod ita esset efficax ad servum fugitivum revocandum, quod ita commodum ad servum acquisitum retinendum, quod ita justum ad tyrannum illum triumphandum, quod ita foret idoneum ad triumphatum omnibus sæculis confundendum. Quomodo vero hoc quisquis in sacris litteris, etiam vel mediocriter exercitatus, si simplici et puro inspiciat oculo, cito videbit quod sic ? Quæ tamen ego solum nunc tangens non prosequor. Nec enim esset præsentis operis prosequi omnia hæc quæ singula C propria et singula sua efflagitarent volumina. Unde omissis nunc his, ad illam unitatem qua prima et principalis unitas schismaticum sibi univit hominem, de qua nunc in hujus meli parte tota nostra cithara resonat, revertamur. Quod autem dico unitum schismaticum hominem, hoc dico sic propter schismatici hominis unitam primæ unitati naturam, in ipso quidem homine specialiter et personaliter unito, in unione ipsa omni sedato schismate et nulla jam in ipso spiritus et carnis rebellione. Et sic erat homini spiritus sui et carnis unitas in paradiso pridem perdita in privilegiato homine hoc jam ex parte restituta. Et hoc quidem per ipsam unitatem principalem et primam quæ veteri exuto, sed necdum exstincto, penitus novum hominem univit sibi sic.

D IN HOMINE ASSUMPTO DUAS DISTINGUIT UNITATES.

Et ita in unito sic homine duplex unitas est, una quidem inter ipsam unitatem principalem et unitum sibi sic hominem non quidem naturæ, sed potius contra naturam, imo verius supra naturam, solius gratiæ, cætera vero unitas in unito sibi homine inter spiritum et carnem uniti sibi sic hominis, nec spiritu adversus carnem, nec carne concupiscente adversus spiritum, quale fuit hominis ante peccatum idioma ; et hæc quidem in novo homine novæ gloriæ unitas ; nec enim loquor nunc de naturali illa in assumpto homine spiritus et carnis unione cæteris similiter hominibus ex natura communi, sed de gratuita facta jam plena et perfecta pace absque omni schismate absque rebellione inter carnem assum-

ptam et spiritum. In hoc ergo de genere nostro assumpto homine, tanquam nostri generis privilegio, pax inter Deum et hominem reformata et quasi in scriptum est redacta, cujus libri est membranula pellis ovina et mortuina, caro videlicet a nobis assumpta humano sanguine quasi holocausto, et ossibus et nervis quasi calamo exarata, absque schismate, absque contradictione, sine omni rebellione pacem in se hominis continens, scripta autem est hæc pax hominis in libro et etiam in ipso libri capite. Unde et propheta noster ex persona servi fugitivi sed reversi: In capite, inquit, libri scriptum est de me ut faciam voluntatem tuam, Deus: liber iste est homo assumptus; ipse enim liber est humani generis qui hominem exemplo operis et doctrina instruit veritatis, cujus omnis sermo et omnis actio Christiani est lectio, caput vero libri Deus, non solum igitur in libro, sed in libri capite scriptum est de me dicit generalis homo scriptum dicit, id est firmum et fixum sicut quod in scriptum redigitur, et quid sit de eo scriptum, id est firmum et fixum mox subjungit ut faciam voluntatem tuam, Deus, quod proinde ac si diceret de me ibi est scriptum idem immutabiliter statutum ut fiat pax inter me et te, o Deus, quod profecto erit tunc cum tuam fecero voluntatem, ac si diceret, ut fiat pax inter me et te, Deus: idem igitur est ut faciam voluntatem tuam, Deus, quam profecto Dei voluntatem firmiter fecit et inviolabiliter homo ille beatus quem Deus elegit et assumpsit juxta quod et ipse de se: *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* v), et sic homo Dei voluntatem in ipso fecit postea per ipsum auctus et multiplicatus super numerum; pax itaque hominis multa scripta in hoc capite libri, in libro vitæ et in isto sicut hominis pax multa et multiplex, quia pax hominis ad Deum, pax ad angelum, pax ad proximum, pax et ad se ipsum, ecce iterum pacis abundantis juxta prophetæ nostri vaticinium et desiderium indesiderans diebus desiderati orta et in nostro novo homine Deo tanquam novo quodam privilegio glorioso et insigni confirmata: per istum mediatorem Dei et hominum inter Deum et hominem omni contradictione, omni rebellione et omni procul remoto imo potius exstincto jam schismate, præterquam jam inter solum hominem et Luciferum solum, a quo prius seductus ejus conschismaticus fuerat; pax itaque hominis, sicut multa et multiplex scripta in libri capite, in libro vitæ, in libro sapientiæ.

DE LATÆ SENTENTIÆ EXSECUTIONIS MODO PER UNITATEM SOLIUS GRATIÆ.

Et quoniam latæ sententiæ exsecutorem jam tenemus, sicut re et nomine admirabilem, de exsecutionis modo, quod supra breviter, hic attentius audiamus, qualiter videlicet fugitivum servum ad dominum suum revocaverit, qualiter schismaticum reconciliaverit et exterminato qualiter reformaverit pacem et restituerit patriam; tu igitur, homo, audi et attende præ nimiæ dignationis admirationem A obstupescibilia de hoc exsecutionis modo propter te ut ad unitatem revertaris; audi, inquam, quæ et prophetia et evangelium, duo testes verissimi, contestantur de modo hoc. Mirus vere et vere mirus et novus exsecutionis modus hic quo non solum unum multiplex; sed et ipsa prima et principalis unitas facta est velut misera et misere distracta, dilacerata, et convulsa multiplicitas personaliter sibi uniens formam servi et servi miseri et despecti nec speciem habentis nec decorem; servo quippe huic juxta prophetam nec erat aspectus sed despectus et virorum et novissimus, vir dolorum et sciens infirmitatem; quasi absconditur nec reputatur languores nostros ferens, dolores portans, quasi leprosus B a Deo percussus et humiliatus et super eum pacis nostræ disciplina livorum sanitas et omnis iniquitas oblatus quasi voluit ovis ad occisionem agnus coram tondente de angustia et de judicio sublatus, generationis inenarrabilis, abcisus de terra, propter scelus percussus, dans impios pro sepultura sua pro morte divites, in cujus manu non fuit iniquitas, non dolus in ore, cum sceleratis reputatus, et pro transgressoribus orans: idem ipse prophetice pro me nunc leo, nunc vermis, nunc aper, nunc ovis, nunc taurus, nunc hircus, nunc cervus, nunc hinnulus, nunc capra, nunc capreolus, nunc agnus, nunc vitulus, nunc passer, nunc herodius, nunc turtur, nunc aquila, nunc serpens, nunc columba, nunc petra, nunc vinea, nunc lilium convallium, C nunc campi flos, nunc oliva, nunc palma, nunc rosa, nunc myrrha, nunc candelabrum, nunc lucerna, nunc aqua, nunc arida, nunc mons, nunc fons, nunc sagitta, nunc framea, nunc panis, nunc piscis, nunc ignis, nunc unguentum, nunc lignum, nunc vinum, nunc oleum, nunc aurum, nunc cœlum, nunc dies, nunc sol, nunc fundamentum, nunc templum, nunc columna, nunc corona, nunc dominus, nunc ancillæ filius.

Et ut Evangelium prophetiam contestando declaret quasi basi columna supposita, prima hæc et principalis unitas, ut prophetia jam prænuntiavit, vere sibi univit formam servi, servi passibilis et mortalis, decem mensium fastidia in utero sustinentis et omnium se principium profitentis.

HÆC AD INCARNATIONEM.

D Idem ipse operarii et questuariæ filius et splendor gloriæ et figura substantiæ Dei Patris.

Idem ipse nunc in brutorum præsepio involutus, nunc per astrorum indicia a regibus adoratus.

Idem ipse nunc parentibus se subjiciens nunc et ventis et mari imperans.

Idem ipse nunc quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunans, nunc potator et vorax publicanorum et meretricum conviva.

Idem ipse nunc tentatus a diabolo, nunc angelorum circumvallatus obsequio.

Idem ipse nunc assumptus per diabolum, nunc dæmonum legiones mittens in abyssum.

Idem ipse nunc ubi caput suum reclinet non habens, nunc omnia quæ Patris sunt possidens.

Idem ipse nunc putealia pocula postulans, nunc sitientibus aquæ vivæ meatus perenniter largiens.

Idem ipse nunc rate fragili æquora transiens, nunc eadem sicco vestigio pedes terens.

Idem ipse nunc quidquam a se facere non potens, nunc omnia quæ Pater facit et ipse faciens.

Idem ipse nunc duobus discipulis sedes se dare non posse testans, nunc duodedim sedium cum duodecim judicandi potestatem tribuens.

Idem ipse nunc esuriens, nunc ex paucis panibus millia hominum satians.

Idem ipse nunc sitiens, nunc aquam in vinum convertens.

Idem ipse nunc Sabbatum profanans, nunc in veritate viam Dei docens.

Idem ipse nunc verax, nunc seductor.

Idem ipse nunc diem judicii ignorans, nunc certissime judicii futuri argumenta denuntians.

HÆC AD PASSIONEM.

Idem ipse nunc sanans auriculam, nunc discissus per lanceam.

Idem ipse nunc mortem timens, nunc mordi illudens.

Idcm ipse nunc mortis timore captus, nunc reducens captivos.

Idem ipse nunc cum sceleratis reputatus in morte, nunc mortis victor.

Idem ipse nunc in cruce pendens, nunc in ipsa omnia commovens.

Idem ipse nunc in cruce derelictum se conquerens, nunc in ipsa paradisum deliciarum latroni pandens.

Idem ipse nunc in cruce solaris claritatis vim tenebrosis obducens, nunc tenebrosa inferni pleni lumine corusco illuminans.

Idem ipse nunc suscitator mortuorum, nunc crucis maledictum.

HÆC AD SEPULTURAM.

Idem ipse nunc in monumento sepultus, nunc reserans sepulcra mortuorum.

Idem ipse nunc in tumulo jacens sub lapide pressus, nunc inter mortuos liber a mortuis surrexisse nuntiatus.

HÆC AD RESURRECTIONEM.

Idem ipse nunc inter suorum manus ipsis se palpabilem præbens, nunc subito evanescens.

Idem ipse nunc ad januam pulsans, nunc clausis januis suis inopinatus assistens.

HOC AD ASCENSIONEM.

Idem ipse nunc velut animalis corporis cum suis pisce et mellis favo se reficiens, nunc velut ætherei a suis elevatus, supra sidera scandens. Ecce ipsius, principalis et æternæ unitatis in homine propter hominem schismaticum ad unitatem revocandum, quanta distractio, quanta dilaceratio, multiplicitas et divisio quanta, quanta humiliatio, quanta confusio, et ignominia quanta. Stnpet cœlum, terra miratur, quærit angelus, offenditur Judæus, non credit ethnicus, et rimatur philosophus, et quale et quare opus hoc et qualis et quare pro homine latæ sententiæ exsecutionis modus sit hic.

A O glariosa, o beata, o principalis unitas! O Deus bone, o imperator magne Christe Jesu, quam mirabilis imo juxta nomen proprium tuum quam admirabilis es tu in viæ et vitæ hujus pœnis tuis! Adhuc etiam multo plus quam in sanctis tuis mirabilior, nisi quia solum ut sanctifices tuos hæ pœnæ tuæ; et veræ sicut verendæ et reverendæ et admirandæ hæ pœnæ tuæ. Sic quippe visum quasi non posset dari tuis gloria tua sine pugna, et pœna tua tanquam si militum pœna et pugna non sufficiat ad obtinendam palmam, nisi in ipso campo imperator ipse pugnet et sudet pro suis. Nec aliter posse schismaticum hominem ad unitatem revocari, et tyrannicæ servitutis excutere jugum, nisi ipsa unitate principali exinanita, in forma servi per unitatem solius gratiæ B mediaret sic. Hoc quippe grande spectaculum et mirabile in oculis nostris, quod ne videant synagogæ velantur oculi ethnicorum bruta infatuantur corda in quo etiam philosophorum omnium sensus omnis obtunditur sola sponsa, cui sponsus ob amoris privilegiati signum de nomine suo nomen dedit, a Christo christiana vocata, sponsum suum imperatorem pro se in campo dimicantem recognoscit. Sed ut de hac unitate solius gratiæ de hoc exsecutionis modo tam admirabili hic interseram quid, et utinam non de meo, hoc quippe vereor, certe cum interdnm cogito admirans, et plus quam admirans, inter Deum et hominem reconciliatonis modum hunc et hominem hoc modo liberatum et ereptum de manu fortiorum ejus, suggerere mihi mox solet C conscientia mea aliquid esse nobis tam occultatum adhuc inter potestatem lucis et potestatem tenebrarum. Inter quos homo quasi litigiosa possessio in viæ et vitæ hujus campo ponitur et velut monomachia inter principem cœli et principem mundi hujus instauratur. Hominem quasi prædam suam vindicat hic, vindicat et ille; acquirit hic, acquirit et ille; protegit hic, rapit ille; ita ut etiam humani generis parvuli quotquot a mundi principe tollerentur, nisi ipse cœli princeps pro ipsis solvisset et luisset. Sed quid dico de parvulis! Imo etiam sub potestate tenebrarum totum humanum genus captivum, justus pariter sicut et injustus, nec suis virtutibus nec virtutum operibus liberatum, nisi per ipsius potestatis lucis pœnam et pugnum. Scio tamen et legi quid D orthodoxi nostri scripserint super his. Vera quidem sed si plene de his Deus novit, ipsi viderint. Ego quidem non arbitror sic, certissime tamen arbitrans quod vere sed minime tamen, quod plene, quod perfecte disseruerint super his. Nec enim arbitror eos comprehendisse, adeo occulta sunt hæc. Præsertim cum nec in Veteris nec in Novi instrumenti cantico horum plena causa audiatur, tam Veteris quam Novi Testamenti patribus conclamantibus universis cum Magistro: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* XI.) O si nobis desuper datum scire vehementem illam Dei ad hominem secreti amoris vim. O si da-

tum intelligere quæ esset illa plus quam mors fortis dilectio, qua sic vicit invincibilem etiam ipsum mortis victorem, quæ sic exinanivit Omnipotentem, temporavit æternitatem, infirmavit virtutem, ligavit insuperabilem, vulneravit impassibilem et demum occidit immortalem. O amor, amor, quam fortis es tu et quam vehemens etiam inter homines, non solum in Deo homine. Te dico vehementem et fortem ubi vere tu et non nisi tu, procedens de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. Sed amor hic talis solius Dei est et admodum paucorum hominum et horum tamen non nisi a Deo; sed tanto quidem in Creatore, quam in creatura sincerior, purior et fortior amor hic, quo nihil potest illum amoris fontem turbare quia ipse est Deus; nisi quia ipsemet ex nimia armoris vehementia et ex superabundantia multa tanquam ex superinundatione aliqua videtur semetipsum amoris fontem turbasse, amore sic ipsum compellente ut non solum vellet esse æternus Deus, sed et temporalis homo, homo cum hominibus propter hominem; tot infirma, tot probrosa, tot injurias tot tentationes, tot pressuras, tot angustias, tot difficultates propter hominem sustinens et demum ipsam ignominiam crucis. Hæc in homine sibi unito prima et principalis unitas nostra propter hominem passa, ut ita hominem per varias pœnarum suarum species. quas pro homine pertulit, ad sui dilectionem invitans, ad illam tertiam naturæ et gratiæ unitatem de qua principaliter intendimus et propter quam de duabus aliis interseruimus, post se trahendo revocaret.

TERTII MELI NOTULA 21

TERTIUS MELUS FINITUR HIC DE UNITATE SOLIUS GRATIÆ, QUI ET DEINCEPS DE UNITATE NATURÆ ET GRATIÆ RESONABIT.

Restat igitur amodo, et propositum nostrum et promissum exigit sic, ut de illa unitate tertia cithara nostra Davidica resonet. Primo si quidem præcessit melus hic tertius de unitate solius naturæ. Secundo de unitate solius gratiæ. Tertio vero idem ipse melus erit deinceps de unitate naturæ et gratiæ. Hoc tamen hic nunc præmisso quod cum sermo de unitate solius naturæ præcessisset intra Sancta sanctorum quasi per rimam angustam et visu quasi disgregato propitiatorium super arcam vix discernere potui utpote obumbratum. Deinde cum sermo esset de unitate solius gratiæ intra eadem sancta, quasi per rimam paulominus angustam arcam sanctificationis modicum superficie tenus sum intuitus. At vero nunc tertio cum sermo proponatur de unitate naturæ et gratiæ intra eadem Sancta sanctorum aliquantulum liberius video Cherubin hinc inde stantes circa propitiatorium qui sedato nunc schismate et pace reformata inter Deum et hominem jam concives nostri effecti et domestici liberiorem nobis nunc quantum tamen licet, permittunt nos ad se habere accessum. Et hoc idem est quod etsi verbis aliis supra jam dixisse me memini cum primo de prima et principali omnipotenti et omnia continente unitate loquerer, et postea ad unitatem

A solius gratiæ quæ inter Deum et hominem, descendissem, me quasi de incomprehensibiliter immenso palatio ad sponsi et sponsæ transisse thalamum. Sed angustus admodum thalamus hic utpote in quo solum Patris Verbum et sola et unica Verbi anima cum carne assumpta. Verum cum nunc tertio de tertia unitate naturæ et gratiæ deinceps tertius hic noster formandus et consummandus sic melus, ad ampliorem sponsi et sponsæ thalamum nobis nunc divertendum. In hoc enim sponsa jam plenæ pubertatis cum sponso est in amplexu, regina in vestitu suo deaurato, hominum et angelorum varietate circumdata. De hac itaque unitate naturæ et gratiæ amodo meli nostri sequentia formabuntur; ut ita, quemadmodum supra polliciti sumus, B quæ unitatis species sit hæc quæ non est unitas solius naturæ nec unitas solius gratiæ, sed sicut conjunximus unitas naturæ et gratiæ, liquido manifestetur. Quod ex præmissis de facili etiam tardos comprehensuros non dubito. Siquidem, ut præostensum, prima et principalis illa unitas solius naturæ dignata est consors fieri naturæ nostræ. Et ita nos et illa unius sumus jam communis naturæ. Unde cum nos illi unimur, imaginis Filii Dei conformes effecti, quod solum per ipsius est gratiam, jam cui peruniti eramus per naturam a nobis assumptam postea unimur per gratiam ab ea nobis collatam. Et ita erit, sicut nunc evidentissimum, hæc nostra tertia ad primam illam et principalem unitatem non solum unitas naturæ., ssd et gratiæ. Et hæc est illa C propter quam alias duas induximus et de qua principaliter proposuimus tertia unitatis species seu unitas tertia.

O quanta et quam palam omnibus et angelis et hominibus hominis his sicut gratia et gloria manifestata! Qui profecto quondam tam miser. tam oppressus, adeo obfirmatus in schismate supercœlestibus angelorum spiritibus unitur, solum per gratiam, sed ipsi angelorum, imo omnium Creatori spirituum, non solum nunc per gratiam, sed etiam unitur et per naturam. O felix schisma et votivum post quod ad tam gloriosam unitatem homo schismaticus revocari debuerat. O omnipotentis unitatis quanta cum discretione clementia et seditiosi Luciferi quanta cum fatuitate malitia. Hoc quippe D totum Domino sapienter disponente sic cessit homini ad insperatam gloriam, quod ille machinatus fuerat ad ruinam hominis irreparabilem. Et ita sicut solet mentita est iniquiias sibi, imo mentita est et Deo, mentita est et angelo, mentita est et homini, mentita est etiam et sibi ipsi, et quidem aperte sibi ipsi mentita Deo sapiente et forti et justo iniquitatis semper et malitiæ deprehendente laqueos, retiacula dissipante, eludente tendiculas. et machinamenta frustrante. Ita omnes iniquitatis et malitiæ cogitationes et astutias tam crebro vertente in contrarium, ut merito propheta noster hoc ipsum crebro expertus dicat, quia mentita est iniquitas sibi. Quod quidem et nos in quotidianis operibus, nostris quotidie cernimus, sed in hoc tam

singulariter glorioso et tam gloriose singulari et A tam præclaro opere hoc evidentissimum. Primo quippe per iniquitatem a congregatione justorum, ab angelorum consortio, a triumphante Ecclesia propter schisma homine expulso, justitia opus iniquitatis in contrarium convertente, ipso nunc eo amplius super universos angelorum ordines gloria et honore coronato. Deus enim noster et vere noster nusquam, sicut docer Magister, angelos sed semen Abrahæ quasi fugitivum, quia schismaticum apprehendit, et sicut supra satis ostendimus per solam et incomprehensibilem gratiam personaliter sibi univit. Verum sicut et ex prima solius naturæ, ita et ex hac secunda solius gratiæ processit hæc tertia unitas et naturæ et gratiæ, qua unitur Ecclesia Deo et per naturam, quam ab ea assumpsit et per B gratiam quam ei superabunde donavit. Unde et sicut corpus ad caput, ita et corporis membra singula hac eadem naturæ et gratiæ unitate uniuntur inter se propter eamdem, qua comparticipant, conformitatem naturæ et communionem gratiæ. Hæc itaque tertia unitas naturæ et gratiæ unitas est totius universalis Ecclesiæ, cujus pars adhuc militat in terris, pars vero jam triumphat in cœlis. Verumtamen hœc unitas naturæ et gratiæ, quam et militantis et triumphantis Ecclesiæ communem imo quasi unam et eamdem dicimus in triumphante quidem, quo incomprehensibiliter major, eo melior et jucundior, quia beatior est. Hæc quippe militantis Ecclesiæ unitas sibi ipsi qualis et quanta ipsa eadem in triumphante Ecclesia est comparata, non C jam un tas sed verius quam unitas, talis qualis potest appellari conjunctio, aut si unitas, dilacerata quidem unitas et convulsa. Ut sit hæc quasi peregrina quædam unitas et militaris, illa vero supercœlestis Ecclesiæ vere civis et triumphalis.

TERTIUS MELUS DE UNITATE NATURÆ ET GRATIÆ HIC PLENE RESONAT, QUAM PRIMO BIPERTIT IN UNITATEM MILITAREM ET TRIUMPHALEM ET PRIUS DOCET DE MILITARI 22 NOTULA.

Est itaque jam quasi bipertita unitas hæc naturæ et gratiæ, cum amen non sit nisi velut una Ecclesiæ militantis et triumphantis. Sicut una charitas et una unitas, tamen quasi bipertita hæc eo quod in triumpho plus quam in militia unitas sicut et charitas incomparabiliter major, melior et jucundior sit. D Militans enim Ecclesia hæc in hac sua militia, ubi sic abundat malitia inter tot labores et sudores, inter tam diversa et adversa pericula, cui sicut pœna, sic ei quotidie est et pugna ex corde, ex carne, ex mundo, ex inimico, inter impedimenta, inquam, tot inter tentationes tam varias, inter tot sibi carnis ignitas rebelliones, inter tot sicut carnis et mundi terrena desideria, quomodo potest esse una sic divisa, sic distracta, sic dilacerata, sic convulsa ? Et ut de propheta addam, paupercula tempestate convulsa absque consolatione, quomodo potest stare in unitate ? Et tamen eo quod ad unitatem tendat in patria talem qualem unitatem tenet in via, alioquin, sicut ipsa novit, ad illam patriæ unitatem minime perventura. Cujus in hoc militiæ suæ agone talis et tanta est ejus unitas, qualis et quanta est ejus charitas, vulnerata quidem charitas et vulnerata et quasi diruta, unitas ; semiplena charitas, semiplena et unitas æquis passibus ambulant. Et si tertium addam adhuc, non excedam ; nam sicut quanta charitas, tanta unitas, tanta et pax. Et vicissim convertitur inter tria hæc. Tria æqualia hæc tria similia et coæva tria . Et hæc quidem militaris unitas etsi triumphali unitati comparata, in præsenti militia velut quædam scissura sit, miræ tamen fortitudinis est et virtutis, quæ universum Ecclesiarum orbem per tam varios gradus et ordines tenet et continet. De qua Propheta noster : *Ponite*, inquit, *corda vestra in virtute ejus* (*Psal*, XLVII), in unitate nostra scilicet quæ civitatis Dei de qua ibi propheta loquitur : Virtus est quam nihil vincit, nemo dissuit, tunica enim est Domini inconsutilis. Quantum enim charitas, tantum potest ex charitate et cum charitate hæc charitatis unitas. Amicissimæ quippe inter se sunt hæ duæ, unitas et charitas, imo et tria hæc, pax, unitas, charitas. Quam felix, quam bona, quam jucunda in via, quasi peregrinans adhuc et subsolaris trinitas, trinitas hæc charitatis, unitatis et pacis, quorum singula sunt in singulis, unum in omnibus et unum omnia. Quam desiderabilis, quam utilis quam necessaria Trinitas hæc subsolaris in via, ad viam, ad illam supra solarem via rectissima Trinitatem tendens, quæ est in patria, ubi est æterna unitas, æterna pax et charitas, sicut coomnipotens et coæterna. Pater unitas, pax filius, charitas vero Spiritus sanctus. Et hæc sunt tria illa, quæ magister discipulis orat et exoptat *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus nobis* (*II Cor.* XIII). Gratia ista Jesu Christi, quam primo ponit, pax est quæ præexcellenter gratia dicitur. Omnis enim intentionis et operis finis pax est. Et quia ipse proprie, sicut ipse Magister docet, pax nostra est qui fecit utraque unum. Et charitas Dei, charitas videlicet, qua diligamus Deum et quæ non nisi a Deo. *Et communicatio sancti Spiritus* , id est communio quam facit in nobis charitas sive amor qui proprie Spiritus sanctus est. Hæc communio seu communicatio unitas est, quam sola communiter habita charitas facit, unde et Magister vigilanter dicit : *Communicatio sancti Spiritus*. Alioquin nisi communiter habeatur charitas, ut nos diligamus ad invicem, non erit Spiritus sancti communicatio vel communio, sed potius quasi singularitas vel solitudo, isto diligente et non illo. Et ita in isto qui diligit et in illo qui non diligit, jam non erit opus charitatis unitas, sed erit singularis et solitaria charitas. Propter quod Magister inter fratres desiderans unitatem orat eis et optat Spiritus sancti, id est charitas communionem. Ita verbis suis deprecatoriis tria nostra. pacem videlicet, charitatem et unitatem comprehendens : ecce militaris nostra unitas comites secum habens charitatem et pacem.

Quæ etsi suavis, bona et jucunda, semper tamen dum hic militat in sollicitudine est et pavore: juxta Magistrum de hac secundum animalis corporis similitudinem sic loquentem: *Siquid*, inquit, *patitur unum membrum compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum congaudent omnia membra* (*I Cor.* XII). Ita et in spiritualis corporis Christi membris hoc quotidie experientissimum. Unde et Magister ipse hujus corporis membrum tam robustum, tam forte: *Quis*, inquit, *infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Eo quippe spiritualis hujus corporis membrum compatiens magis et sollicitum, quo ipsum fortius et robustius fuerit. Alioquin, ut idem Magister docet, *schisma erit in corpore, si non id ipsum pro invicem sollicita sint membra* (*I Cor.* XII). Unde et jam non erit unitas membrorum in corpore, nisi, quandiu ipsa hic militaverit, in sollicitudine sit et pavore. Et quoniam propter tertiam hanc naturæ et gratiæ unitatem de charitate et pace interseruimus, ut secundum charitatis mensuram et pacis et unitatis, mensura in hac subsolari Ecclesia monstraretur, amodo omissis aliis solum de hac eadem unitate plenius prosequendum. Et postquam jam ex parte docuimus, qualis et quanta sit hæc unitas naturæ et gratiæ in militante, superest qualis ipsa et quanta sit in triumphante Ecclesia demonstrare. Et hoc magis quam per experientiam nostram secundum Scripturarum testimonia. Hujus quippe unitatis bonum et jucundum, imo et beatum omnem sensum nostrum excedit. De qua tamen prout datum de super dicendum nunc, cum ista sit illa triumphalis Ecclesiæ unitas propter quam universa præmissa inducta sunt. In hac quippe triumphali unitate miles triumphator ad cujus laudem et gloriam, omni jam ex parte cithara nostra resonat cum imperatore suo triumphante est. Quorum quemadmodum præostensa est, et in pugna et in palma in via conformitas sic secundum propositum nostrum et promissum, tandem debet vel nunc eorumdem in patria monstrari unitas.

ITEM MILITAREM UNITATEM BIPERTIT IN COMMUNEM OMNIUM JUSTORUM ET IN PRIVATAM PERFECTORUM ET PRIMO DOCET DE COMMUNI. 23 NOTULA.

Verumtamen antequam procedamus, hoc minime acendum quia hæc militiæ nostræ militaris unitas nter nos hic quasi bipertita est. Est enim una comnuniter omnium imperatoris militum in præsentis itæ agone in fide, spe et charitate solidata. De qua lagister: *Obsecro*, inquit, *vos ego vinctus in Doiino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, um omni humilitate et mansuetudine, cum patientia upportantes invicem in charitate, solliciti servare nitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus et nus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis estræ* (*Ephes.* IV). Et magister magistrorum: *Ubi*, iquit, *duo vel tres congregati fuerint in nomine eo, ibi sum in medio eorum Matth.* XVIII, 20). Et æc quidem unitas omnium fidelium est comunis.

DE PRIVATA UNITATE PERFECTORUM MILITARI, etc.

Est autem alia unitas militaris, imo verius eadem sed quasi altera, eo magis decora et perfectior, quo triumphali unitati et supercœlesti, de qua in sequentibus dicturi principaliter intendimus, est conformior. De qua Propheta noster: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare, fratres, in unum* (*Psal.* CXXXII). Sunt enim quidam imperatores militum, qui omnia sua vendunt, omnia distribuunt, omnia deserunt et omni visibilium proprietati renuntiant, ita spoliantes se ut nudi vitæ hujus viam eo tutius, quo nihil secum portantes currant et eo expeditius quo sola Dei armatura induti certent. Inter milites hos omni proprietate sublata tantas unita, quod nihil meum vel tuum, et tamen totum meum et totum tuum. Vita quippe militum hæc in via, imago est et exemplar supercœlestis vitæ triumphatorum in patria, et unitas hæc militaris unitatis illius triumphalis, prout in via potest, similitudo est effigiatim expressa. Et hæc certe unitatis apostolicæ forma est et illorum primitivorum militum, de quibus scriptum, quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Nec tamen, ut jam diximus, et præsentis Ecclesiæ nostræ militia inter imperatorem et milites duas facimus unitates, sed unam, tamen quasi bipertitam hanc, utpote ipsa a quibusdam illustrium militum eo amplius decorata et illustrata, quod isti in imperatoris acie tanquam cæteris nobiliores et plus insignes et præ cæteris, sicut magnifici et munifici, nihil dignantur habere proprium, sed commune totum.

Taceo inpræsentiarum de illa unitate, quæ inter sæculi homines est. Hæc quippe non semper virtutes comites habet, sed velut sæcularis quædam et terrena unitas, qua sapientes sæculi hujus domibus suis bene præesse norunt, habentes domum disciplinatam, quietam familiam, servos dominum suum sicut verentes et reverentes, ad pugnam vero paratos vel ad jurgium, aut plagis cedunt aut si incorrigibiles tanquam animalia inquieta in junctura a carro, ita et istos a domo sua ejiciunt, ne domus suæ unitatis bonum et jucundum perturbant. Adeo unitas semper et ubique necessaria, sive cum virtutibus sit in Deo et tunc fructuosa et optima, sive etiam absque virtutibus cum quietis moribus in sæculo et tunc etiam sicut utilis et jucunda. Et hæc sæculi unitas breviter tacta sic solum ut reminiscerer, absque unitate sicut nec in Deo nec in sæculo bonum quid vel jucundum.

In illa vero illustrium militum unitate, qui non dignantur habere proprium, sed sunt omnia communia, libenter et devote immorarer de ea, in præsenti meli notula plurima in cithara nostra resonaturus adhuc, nisi quia hæc ipsa eadem naturæ et gratiæ unitas quantumcunque in præsenti militia decora sit, jucunda et perfecta in patria tamen ipsa eadem incomparabiliter major, melior, et jucundior, et perfectior est. Unde et ad hanc ejus perfectionem

et plenitudinem tantam ipsamet festinare me compellit. Hanc quippe peregrinationis nostræ unitatem semiplenam supra jam ostendisse me memini. Unde et quia ipsa hic adeo imperfecta est, de ipsa hic nihil plene docebitur nisi ad alia transeatur. Cum etiam solum et totum ad hoc principalis nostra intentio fuerit, propter quod et præmissa quasi incidenter inducta sunt, ut de hujus tertiæ unitatis plenitudine, prout æterna et principalis unitas, cujus ista est opus nos edocere dignaretur aliquid a nobis diceretur. Etquidem, nisi propter multa interposita propositum et promissum nostrum forte exciderit, de hac tertia triumphali unitate naturæ et gratiæ nostra certe intentio principalis. Si enim, ut supra satis ostendimus et sic argumentando præmisimus, inter imperatorem et militem in via et vita hac tam varia, tam diversa, tam multiplici et invisibili pugna et invisibili palma, tanta fuit conformitas in invisibili palma, quanta erit inter ipsos in patria unitas. Unde et de hac militantis ad triumphantis Ecclesiæ unitatem, quasi de exteriori sanctuario ad interius, et etiam quasi ad interiorem sponsi et sponsæ thalamum, in quo post pœnas et pugnas, post sudores et labores, imperator et miles conquiescunt, prout peregrinis et advenis permissum fuerit, amodo nobis appropinquandum.

Verum antequam versus thalamum moveamus pedem, ne ad thalamum inverecunde pulsantes vel temere turpem patiamur repulsam, sponsi et sponsæ cubiculariam totius amoris prælocutoriam, tanquam concionatricem omnium consciam, et nobis a primis annis aliquantulum familiarem interpellemus, prophetiam nominatam quæ viæ nostræ versus thalamum dux nostra et secreta præambula sit. Ni fallor, ipsa utpote ab annis familiaris mea et amica, etsi liberum non possit vel audeat concedere introitum, tamen prope post se ducendo contiguum quoad licuerit, indulgebit accessum.

DE ILLA TRIUMPHALI UNITATE NATURÆ ET GRATIÆ DE QUA PRINCIPALITER INTENDIT PLENE AGIT TERTIO MELO DE IPSA JAM CLARE ET APERTE RESONANTE. 24. NOTULA.

Et ut de Scripturis propheticis unam eligam sponsi et sponsæ familiariorem cubiculariam, sicut totius amoris concionatricem et consciam, hæc est illa cubicularia per quam sponsus, imo propter unitatem tantam nescio sive sponsus sive sponsa sic loquitur. Sicut sponso alligavit mihi mitram et sicut sponsam ornavit me ornamentis. Ecce quia splendor ille gloriæ et figura paternæ substantiæ et vitæ æternæ candor. Hæres universorum qui sponsus est ob præcipui et incomprehensibilis amoris unitatem se sponsum et etiam se sponsam nominat. Cui etiam in tantæ unitatis et privilegiati amoris signum sponsæ suæ a nomine suo impertit nomen, a Christo vocata Christiana. Et hoc non solum in via, sed in patria in illa mille millium angelorum multitudine non quidem angelica sed Christiana, hoc tanquam nomine proprio agnita et distincta ab angelis summo regis filio sponso suo unita sic, sicut in una carne et in uno corde, et sicut in uno nomine et in una voce: omnibus sanctorum spiritibus tunc quasi uno sancto Spiritu; omnibus quippe ad illum vere sicut ineffabiliter et inexcogitabiliter grandem spiritum per incomprehensibiliter gratam, jucundam et indeficientem naturæ et gratiæ unitatem tunc unitis. Inde jam procul semota omni loci distantia, omni intervallo temporis, omni objectu corporis, omni etiam schismate cogitationis vel operis. Prima et principali unitate simile per hanc naturæ et gratiæ unitatem, tunc inter caput et corpus, inter sponsum et sponsam, Christum et Ecclesiam, operante per gratiam, quod ipsa ab æterno est inter Patrem et Filium et B Spiritum sanctum per naturam; ut sint quasi unum tunc caput et corpus, sponsa et sponsus, Ecclesia et Christus. Huic etiam naturæ et gratiæ unitati prima illa et principalis adeo familiaris, amica, et adeo eam desiderans, quod ut consociaret hanc sibi, semetipsam exinanivit per illam secundam, quam præostendimus, solius gratiæ istam in semetipsa operans et per se ipsam. Unde, ni fallor, forte cogitabit jam quis istam tertiam naturæ et gratiæ inter sponsum et sponsam unitatem aut digniorem aut saltem condignam secundæ illi quæ est solius gratiæ qua Verbum caro factum est, Deus in homine, et homo Deus. Cogitabit, inquam, sic quandoquidem illa propter istam illa videlicet quæ est solius gratiæ propter istam quæ C gratiæ est et naturæ. Verum quis hoc audeat diffinire, quisve discutere, quis audeat præferre aut etiam coæquare sponsi et sponsæ unitatem ipsius Verbi Altissimi unientis et unitæ sibi carnis unitati? Aut e diverso, si non præferre, qui postponere audeat? Quandoquidem illud Verbi et carnis propter istam sponsi et sponsæ unitatem: et etiam cum hoc constet, quod mystica imperatoris caro et invisibilis quæ est fidelium unitas visibili illa Christi carne gravi et corpulenta, quam de Virgine traxit multo sit dignior et multo charior ipsi imperatori. Et inter causas illas hæc ut videtur potissimarum una, quia propter hanc carnem suam mysticam et invisibilem visibilem illam assumpsit et univit sibi. Et propter hanc illam probris, contumeliis, flagellis, sputis et D colaphis, et multiplici miseriæ et ignominiæ exposuit, per totos triginta tres annos hanc invisibilem et propter hanc in carne sua visibili operans et laborans. Et hæc quidem et similia his ad præferendam aut quia præferre forte nemo qui audeat saltem ad coæquandam unitatem unitati induci possunt.

Verum nemo nostrum ad hunc sponsi et sponsæ thalamum appropinquans, ubi sponsus in lecto est et sponsa in tanto unitatis amplexu; nemo, inquam nostrum clamet, nemo obstrepet, nemo procaciter pulset. Amica illa nostra et familiaris prænominata sponsi et sponsæ cubicularia viæ nostræ versus thalamum huc usque dux nostra et præambula hic stare jubet. Hic quiescerere nobis insusurrat: *Secretum*

inquit, *meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV). Et illud etiam quasi comminando instillat: *Qui dat*, inquit, *secretorum scrutatores, quasi non sint, et judices terræ velut inane fecit* (*Isa.* XL) Unde et hoc bonum et decet sic, ut quisque nostrum versus thalamum tendens linguam suam reprimat, verbis parcat, et solum intra se cogitet quid voluerit, et qualiter ad præmissa moveatur: utinam juxta quod principalis unitas utriusque amica unitatis sibi revelare dignita fuerit. Unum tamen est quod quia video audeo quod inter verbum uniens et unitam sibi carnem, cum sit quædam privilegiata nova inaudita et singularis unitas, videri tamen potest quod etsi illa sui singularitate sit admirabilior, tertia tamen hæc pro sui communione sit fructuosior, qua universa capitis membra capiti uniuntur, ut per eam sit Christus integer caput cum membris. Sed quid sic distinguo inter duas unitates has, illam quasi prædicans admirabiliorem, sed istam fructuosiorem videri posse. Nisi amicam illam meam ego versus sponsi et sponsæ thalamum tendens viæ ducem præhaberem et præambulam per facile errare posse in invio et non in via. Prior quippe illa Verbi et carnis unitas solius gratiæ revera sicut admirabilior, sic etiam si quis velit attendere et fructuosior est. Totius quippe istius tertiæ unitatis nostræ fructus per illam est et ex illa. Verum et ut hic ad superiora respondeam, quibus videri poteram, stam unitatem naturæ et gratiæ illi secundæ solius gratiæ unitati præferre velle aut saltem coæquare id, sicut nunc breviter dico et absolute, quia etsi se-cunda illa Verbi et carnis unitas propter hanc tertiam sponsi et sponsæ unitatem sit facta, multo tamen sicut mihi visum dignior illa secunda, quam hæc tertia, quia sic facta est illa secunda propter hanc tertiam, ut et hæc tertia facta sit per secundum. Et ita secunda illa et causa et operatrix est istius tertiæ imo cooperatrix. Prima siquidem et principalis unitas operata est secundam propter tertiam, et postea eadem prima et principalis unitas operata est tertiam per secundam. De mystica tamen Christi carne et illa quidem quam traxit de Virgine, de qua tam hac quam illa supra tetigimus secus. Longe quippe alia ratio hic aliam reformat censuram. Sed de hoc alias. Unde, ut ad proxima redeam, etsi unitatem hanc nostram tertiam illi unitati solius gratiæ similiter nostræ præferre aut etiam coæquare, non audeam tamen pro tertiæ hujus unitatis nostræ dignitate cui etsi in mortalis vitæ hujus via sic multipliciter nunc distractus, dilaceratus sim, et convulsus, saltem per mortem per incinerationem, et per ignem spero me ad jungendum adhuc; prohibus, inquam, tertiæ nostræ unitatis dignitate unum audeo et allegabo nunc unum. Nam id profecto verum et nemo dubitet, hoc quippe jam ostendetur, cujus tertiæ unitatis nostræ secunda illa Verbi et carnis unitas præclarum gloriosum et exquisitissimum exemplar est. Unde et qualis nunc est inter Verbum et carnem, talem in regno illo unitatis et pacis inter sponsum et sponsam unitatem exspectamus. Hoc significante nobis Spiritu sancto per Ver-

A bum Patris sic sibi uniens, hominem consimilem fieri posse, et etiam nos sperare debere unitatem inter dilectum et dilectam Christum dico et Ecclesiam. Unde et quemadmodum pluries cum corde meo meditor, qui ab æterno omnia præscivit, talem hominem condidit cujus natura ut uniretur Divinitati congrueret, et quam Divinitas ipsa non dedignaretur nec abhorreret, sed potius quasi affectaret ad uniendum sibi. Quod tam dignum, tam inauditum naturæ humanæ privilegium nec naturæ angelicæ nec alii omnino naturæ arbitror in ipsa sui creatione insertum, ut Divinitas affectaret naturæ alterius præterquam solius hominis unire sibi naturam. Utrum etiam aliam sicut nec univit an etiam unire sibi posset sicut nec asserere nec negare nunc præ-

B sumo. Unde et omittentes nunc hoc ad gloriosum illud et expressum unitatis nostræ exemplar recurramus. Talem etenim speramus nobis inter sponsum et sponsam naturæ nostræ et gratiæ unitatem futuram, qualem jam videmus præcessisse solius gratiæ unitatem inter Deum solum et solum et unum et unicum hominem Christum Jesum. Talem dico nec tamen omnino talem, sed expressissime quidem talem. Nam quis credet fidei nostræ? Quis nostræ tam novæ tam inauditæ mutationi? Sed quid dico, mutationi: imo transmutationi, imo quid etiam hic de mutatione seu transmutatione vel fiat mentio. Transubstantiatio videtur potius hic quam mutatio ulla vel transmutatio, homine tunc quasi transubstantiato in Deum, et hominis natura quasi in unam

C deitatis naturam. Primis etiam animi motibus in hac velut quadam transubstantiatione absorptis, beata tunc anima præ tanta gratia et gloria, per amoris spiritum vehementem velut in sempiternum transubstantiata ardorem. Ardorem nomino, quia amica mea et familiaris viæ meæ versus thalamum dux et præambula inter viandum suggessit mihi nunc sic. Quæ de thalamo prælocuta hoc ipsum ardoris nomen quodam loco posuerat quærens quis dignus foret habitare in thalamo hoc. *Quis*, inquiens, *poterit habitare ex vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (*Isa.* XXXIII.) Et responsum mox subjicit: *Qui ambulat*, inquit, *in justitiis et loquitur veritatem. Qui projicit avaritiam ex calumnia et excutit manus suas*

D *ab omni munere* (*ibid.*), ecce quia homo justus cum Deo, homo cum igne devorante, homo cum sempiterno ardore, juxta quod et alibi legitur quod *Deus* noster *ignis consumens est* (*Deut.* IV). Sed ignis quidem hic Deus est consumens in via, qui idem ipse est consummans in patria; in via quippe hic ignis Deus noster suos multipliciter probat et examinat, quos ipse in patria vane quidem multisque modis glorificat et illuminat. Deus igitur noster in via est ignis consumens, suos sic probans et examinans ut vetustæ rubiginis, nec aliquid in iis possit deprehendi vestigium et demum sic transferantur ad regnum, quemadmodum oleo purissime eliquato nihil amurcæ residet et ita mittitur in cellarium, et in argento septuplum purgato nihil remanet scoriæ et sic

transfertur in thesaurum, et similiter grano pure eventilato avolant paleæ, et sic reponitur in granarium; et hæc quidem et alia ad id quod proposuimus exempla juvare quidem possunt; sed vultum sufficit: posset siquidem argentum quantumcunque purgatum iterum corrumpi per scoriam, sicut et oleum purissime eliquatum per amurcam. Verum ut semel oorruptibile hoc incorruptionem et mortale hoc immortalitatem induerit, minime de cætero poterit mori deinceps aut corrumpi. Unde et ad plene ostendendum hoc creatum sub sole exemplum, etsi juvat, nec tamen sufficit, solum illud prænominatum suprasolare præclarum gloriosum et incorruptum ad hanc tertiam sponsi et sponsæ unitatem declarandam, Dei videlicet assumentis et humanitatis assumptæ unitatis exemplar valet et sufficit, et etiam sufficiente sufficientius est: homo quippe ille assumptus etiam nostro mortali nostra corruptibili pelle adhuc in via circumdatus, inter tot viæ et vitæ hujus vana et fallacia, quod quidem sicut dictu mirum et grande fidei virtutis meritum est, nec in ulla vel pertranseunte vani alicujus vel otiosi cogitatione aut peccavit aut ėtiam peccare potuit, et hoc profecto magnum fidei meritum nobis ita credere, talem videlicet vestræ naturæ hominem, nec etiam in via peccare posse, cum sicut in nobismet experimur impossibile sit nos similiter homines vix per momentum posse sine peccato pertransire: ad ergo hujus exemplaris formam, quid mirum, etsi morte jam absorpta in victoria, et nobis jam novo immortali et incorruptibili schemate indutis in patria et ab omni vanitate liberatis, et solo et puro post incinerationem et ignem veritatis fonte inebriatis, quid, inquam, mirum, si de cætero, sicut nec peccabimus nec etiam peccare possimus, quid igitur mirum et tamen hoc ipsum sicut miraculosum et mirum, miraculosa quippe Dei potentia hæc in exemplo; sed exemplaris forma multo mirabilior, adeo quidem mirabilior ut ad illius collationem nec hoc videatur mirabile. Unde et exemplaris forma exempli sicut verissima et plenissima certitudo est. Verumtamen hoc in exemplo magis quam in exemplari mirabilius quod etsi anima tot concupiscentias, tot tentationes, tot illecebras, tot otiosa, tot vana sit hic experta, quin potius totis carnis suæ diebus ne dicam experta, sed attrita per hæc, ibi tamen nec ln his, quemadmodum non peccabit, nec peccare volet, nec etiam peccare valebit, nam juxta eruditionem amicæ et familiaris hujus ducis nostræ interiorum thalami consciæ creato cœlo novo et terra nova, jam non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor sponso super sponsam suam in æternum gaudente et spiritus quidem hominis sic stabit in æternum, qui velit nolit homo sine peccato vix hic stare potest vel per momentum. Unde si quis operose inspiciat, revera mox intelliget per gratiam naturæ et gratiæ unitatem hominis velut quamdam transubstantiationem magis quam transfigurationem vel transmutationem in patria tanquam homine in aliquam Deitatis naturam tunc converso, ita ut sermo

A ille tunc quasi primo impleatur, qui per Prophetam prædictus est: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI).

Et quidem Magister, qui usque ad tertium cœlum raptus, cui tanquam cœlestis sponsi et sponsæ paranympho multa interiorum thalami ostensa sunt, qui etiam ad interiora thalami admissus audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui: ipse, inquam, per plura Evangelii sui loca de hac nostra naturæ et gratiæ unitate non tacuit. Verum inter cætera hoc est unum quod discerno, quod præeligo. utpote quod magis ad propositum nostrum est, *cum autem*, inquit, *subjecta illi fuerint omnia, tunc ipse Filius subjectus erit illi qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV), de hac quidem
B subjectione dubius et hæsitans pro sensus mei tarditate invita solebam cogitare, pauca dicere, nihil scribere et modo præsertim nihil de ea scribendum vel dicendum, quia non de subjectione sed de unitate nunc agitur. Unde et Magistri verbis versiculi ultimis quæ ad propositum sunt hæreo, *ut sit*, inquit, *Deus omnia in omnibus*; hæreo quidem hic, quia non hæsito, hanc, de qua nunc totus sermo est, nostram tertiam naturæ et gratiæ unitatem paucis his a Magistro commendatam sic: *Deus*, inquit, *omnia in omnibus*, itaque secundum Magistrum Deus omnia et in omnibus Deus. Notemus Magistri verbum: Qui ad thalami interiora admissus *audivit* etiam *arcana, quæ non licet homini loqui* (*II Cor.* XII). Unde et illud nunc quod nobis hominibus loqui licuit, tha-
C lami verbum notandum est, quod et eo notandum est attentius, quo scimus ipsum quasi thalami paranymphum, si hoc locutum pensemus, inquam, et notemus verbum, ut ita unitatis nostræ vel per ænigma aliquod magis pateat vinculum, et tamen sicut indissolubile unitatis hujus vinculum reputo et hoc tarditati meæ interpretabile verbum, nisi forte si tamen et hoc desuper datum sit, speculanter et ænigmatice videatur et hoc et illud: *Deus*, inquit, *omnia in omnibus*. Igitur per istam vestram ineffabiliter inventam unitatem secundum Magistri doctrinam, omnia tunc quasi una natura quasi unus spiritus, unus Deus tunc primo quasi integro, cum membra, quæ modo per viam quasi frustatim dispersa sunt, demum in patria capiti unita fuerint,
D hæc omnibus nunc in peregrinatione hac ad hanc patriæ unitatem tendentibus, in unitate tunc imo quasi quædam simplex vera et prima et principalis unitas omnia tunc: cum tamen non dicat Magister ut sit Deus quasi omnia sed absque quasi inquit Deus omnia; videtur docere Magister qui usque ad tertium cœlum raptus thalami secretiora noverat; videtur, inquam, docere ex increato et creatis spiritibus qui tamen ab æterno in Dei æterna mente fuerunt æterna quamdam plenam perfectam et consummatam unitatem omnibus tunc quasi transubstantiatis beatorum spiritibus et duabus unitatibus nostris tunc ad unam, secunda videlicet et tertia ad primam illam et principalem redactis, propter quod forte sponsus: *Nemo*, inquit, *ascendit in cœlum*

nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Jam.* III); et item : *Ego prius et* ego novissimus, Alpha tunc ad Omega reverso, et Omega ad Alpha, omnibus videlicet tunc ut jam dicere cœpimus, quæ primam nunc tenent et ad ipsam tendunt redactis unitatem. Sed qualiter redactis audiamus; nec enim arbitror nec credendum, absit hoc, quod secundum essentiam sed secundum incomprehensibilem nobis et inffabilem emphasim, ut quemadmodum est trium personarum Trinitas et tamen earumdem una prima et principalis unitas, ita sit et trium unitatum nostrarum trinitas et tamen earumdem sit una prima et principalis unitas ; non audeo tamen dicere quod illarum sit unitas secundum essentiam sed secundum privilegiatam quamdam emphasim nobis incomprehensivam, cum tamen non emphatice, sed potius substantive videatur Magister docere Deum omnia quasi tunc in Deo omnia sint pertinentiam in patria quæ nunc in ipso per cohærentiam sunt in via, tanquam inentia sit privilegium patriæ quo cives feliciter gaudeant, sicut adhærentia est bonum viæ pro peregrini validius ambulent ne in via deficiant, juxta quod ille Propheta noster : Sed peregrinus adhuc *mihi* inquit *adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII), credo tamen ad ineffabilem et nobis ncomprehensibilem sponsi et sponsæ unitatem insumendam Magistrum locutum sic ut sit inquit Deus omnia. Quasi profecto unitatem tantam, tam gloriosam, tam præcellenten, pariter cum Magistro omnis Scriptura conclamat, ita ut nec velit ipsa vel possit aut intellecta legi vel lecta intelligi, nisi legatur in ea et intelligatur unitas hæc ; sic sponsus t sponsa sicut nunc in carne una, ita etiam dum dhuc in campo necdum in lecto, similiter etiam num sunt et in voce una, adea ut per crebra Scripturæ loca sæpe et sæpius ambiguum sit an hic loquatur an hæc. Hoc etiam in præsenti per sacra loquia sua significante nobis Spiritu sancto tantæ t tam excellentis ad quam nunc tendimus inter ponsum et sponsam in futuri amicæ unitatis hujus rivilegium, nec necesse nunc ad istam inter sponsum et sponsam probandum in eadem voce unitatem de Scriptura exempla subdere, utpote quibus un ingens tam numerosa Scripturarum silva copiose referta est.

Ni fallor, jam ex parte videmus inter sponsum et ponsam in thalamo tantam et tam amicam et tam ncomprehensibilem unitatem, quam præfata viæ ostræ dux et præambula inter viandum primo nobis suggessit, et Magister postea quantum placuit et forte quantum licuit sibi eo certius et fidelius, quo ipse in raptu suo empyrico interiora thalami ingressus fuerat, etsi more suo paucis multa tamen atefecit ex quibus nou solum hic noster melus formari sed et multa et præclara volumina, tanquam ex præclara et quasi gravida et gravi materia, subtiliter et eleganter possent confici.

Et quoniam tertius hic unitatis imo unitatum melus, qui nunc post alias ultimo de tertia unitate nostra formatur, finem desiderat, et quia etiam dum

A qualibuscunque digitis in acutioribus et subtilioribus chordis eam aliquandiu pulsans citharam defatigor, ut melum citius finiam et concordius de præmissis hoc breviter repetam, ut quemadmodum est trium personarum Trinitas, et tamen unitas sic est et suo modo nostrarum tamen unitatum trinitas et tamen trium prima et principalis unitas, nec enim aliud est, ut nos supra docuisse meminimus, trinitas quam trium unitas est itaque trium unitatum trinitas, quia una est trium unitas prima et principalis. Quin potius istæ unitates tres sunt una hæc unitas prima et principalis, quæ in assumpto homine operata est per solam gratiam. Unde et dicta est unitas solius gratiæ. In unione vero sponsi et sponsæ operatur per naturam et gratiam. Unde et dicitur hæc eadem unitas naturæ et gratiæ, et hoc est quod Magister docet

B ut sic, inquit Deus, omia, quia si Deus omnia jam nihil erit quod non sit Deus et sic duæ nostræ unitates : quia una prima et principalis unitas et sic Deus. Videamus et si non sic in homine siquidem assumpto Deus, quia hic etiam Deus homo et homo Deus, et hæc est secunda unitas solius gratiæ et hæc Deus est sic per solam gratiam vivens. Similiter et in corpore capiti unito Deus quia etiam hic integer Christus caput cum corpore plenus et perfectus Deus, et hæc est nostra terna unitas nuturæ et gratiæ, et hæc quidem similiter si quis attendat, prima est et principalis unitas, Deus sic per naturam et gratiam uniens ; nec enim quod unitur sed solum id quod vere et proprie unit hæc unitas est, est tamen forte

C sicut in priori unitate solius gratiæ, ita et in hac unitate naturæ et gratiæ quædam creata unitas seu verius unio. Verum sive ibi unitas seu unio creata sit modo mihi et illi nihil. Sed hoc nunc secundum Scripturas sicut fideliter loquor et fidenter, quod in fine omnium jam consummato judicio Christus integer caput cum corpore plenus erit Deus et perfectus juxta ipsum testem in cœlo fidelem luna tunc in æternum perfeeta; nec enim erit qui diffiteatur caput cum eorpore esse Deum, et etiam plenum tunc et perfectum Deum, nisi forte velit asserere tanquam somnians quod solum caput sit Deus, et non admittens quod caput cum corpore Christus videlicet integer sit verus et perfectus Deus, sed sicut non hæsitandum nec morandum in his, non quidem quod

D capitis corpus sit Deus, sed caput cum corpore Christus videlicet integer plenus sit et non nisi verus et perfectus Deus tunc quasi per unitatem victoriosam absorpta cum schismate omni etiam diversitate et differentia, quæ schismatis semper sequelæ sunt, sic et numero juxta quod ipsum corporis hujus caput : *Nemo*, inquit, *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis qui in cœlo est* (*Joan.* III). Unde et quemadmodum adoratur nunc a nobis unus humanatus Deus, quod facit secunda unitas solius gratiæ similiter cum mundi hujus figura præterit, peracto judicio sine fine laudabitur idem ipse, gloriosa Ecclesia sua quam sine macula et ruga sibi exhibuit, quasi vestitu suo destinato indutus Deus, quod facit hæc tertia nostra unitas

naturæ et gratiæ Domino nostro sicut nunc humanato, ita et tunc non solum humanato, sed et gloriose induto, quando astabit regina a dextris ejus et ipse tunc hominum et angelorum varietate circumdabitur, unitate tamen hac fortius et firmius unitata hominem Deo quasi Deo angelus uniatur aut nunc aut tunc, inter Deum quippe et angelum unitas est gratiæ duntaxat et non naturæ, sed inter Deum et hominem et naturæ et gratiæ eo certe, ni fallor, dulcior, gratior et firmior inter Deum et hominem in patria, quod in via hac per tot labores et dolores, per tentationes tam varias, per tot et tantas tribulationes et agones, et demum per mortem et incarcerationem difficillime ad ipsum sic pervenerit.

INTERSERIT HIC PRIMO DE QUODAM SPONSI NOMINE, QUOD VALET AD UNITATEM HANC TERTIAM COMMENDANDAM, SED PRÆSERTIM IN VIA.

Sed ad Christum nostrum plenum, perfectum et integrum revertamur ; qui quidem necdum plenus dum adhuc nobiscum et propter nos in persecutione est et labore, juxta quod familiaris inest viæ meæ ad thalamum præambula inter viandum de nomine sponsi indicavit mihi sic quasi secreto instillans quod ipse sponsus, etsi non videretur, clam nobiscum in via nos comitaretur : Scis, inquiens, nomen sponsi ad cujus te duco thalamum ; *nomen*, inquit, *ipsius vocatur Emmanuel* (*Matth.* I), et ego mox illi : Gratias tibi, domina mea et amica, nunc primo indicato nomine adverto, nunc scio ; iste quippe vere et proprie noster Emmanuel necdum jugiter cum sponsa in thalamo, sed quotidie adhuc nobiscum in campo et vere in via hac qua ambulamus nobiscum nunc, iste quippe vere noster Emmanuel, vere *nobiscum Deus*, et Deus et nobiscum, Deus et vere nobiscum, sicut in nostra carne et in nostro corde, nobiscum in persecutione, nobiscum et in labore, nobiscum in angustia, nobiscum in pressura, nobiscum in pœna, nobiscum in pugna, nobiscum in tentatione, nobiscum in peregrinatione, nobiscum in via, nobiscum in patria, nobiscum, in morte, nobiscum in consummatione, nobiscum juxta nostrum desiderium, nobiscum juxta suum promissum. Unde et tu, domina mea, familiaris mea et amica bene et proprie vocasti eum sic, quia, ut diximus, nobiscum facit sic et in miseræ peregrinationis solatium promisit se sic facturum : *Ecce*, inquiens, *vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII) ; quotidie quippe adimplet et continue ea quæ desunt adhuc passionum ejus in corpore suo quod nos sumus quod est Ecclesia, et hoc quidem tertiæ hujus unitatis nostræ opus est, quæ Emanuelem nostrum sic etiam nobis unit in via sic et sic laborantem nobiscum usque ad consummationem sæculi. Unde et ante illam consummationem sæculi Christus omni tempore hoc imperfectus et non integer. Sic et similiter in labore in fine omni sicut in consummatione, sic erit ipse tunc in plena et in beatissima requie.

A SECUNDO INTERSERIT DE SPONSÆ NOMINE QUOD SIMILITER AD TERTIÆ HUJUS UNITATIS COMMENDATIONEM EST, SED PRÆSERTIM IN PATRIA.

Sponsæ vero nomine ad hujus unitatis nostræ commendationem juxta votum nostrum sicut præmisimus declarato, continue a duce mea et nomen sponsæ sciscitatus sum, sperans quod et hoc pariter proposito meo proficeret ; et ipsa mox ad me reversa : Vides, inquit, quod hoc dominæ meæ et sponsæ nomen, quod tu quæris, ad id quod intendis spectet admodum.» Verumtamen hoc quod tu nunc quæris sponsæ nomen, novum est quod os ipsius sponsi nominavit et in insigne mutui amoris privilegium donavit ipsi a sponso sic vocata voluntas mea in ea, et ego mox interni duci meæ : » Vere, B inquiens, dux mea et dulcis vere quam novum, quam inauditum nomen hoc ; » revera nomen novum quod satis credibile ipsius sponsi os nominasse et ab ipso sponso sponsam vocatam sic et revera nomen novum et nescio cujus nomen amoris novi mio modo et stupendo et desideratissimo privilegiati ex nomine Deus, bone Deus clemens et misericors quæ prius et re et nomine deserta et derelicta nunc ab ipso Deo, ab ipso domino et sponso vocatur ob inauditi amoris privilegium nomine suo proprio, voluntas mea in ea, indicans revera ex ipso novo nomine et quod ipsum os Domini nominavit quod in re ipsa est, cujus nominis minime nec iota unum nec etiam dimidium iotæ vacare arbitror nihil quippe superfluum, nihil quod vacet a mysteC rio quod careat amoris privilegio in novo nomine hoc, cujus singulos quasi ipso amore ignitos apices sentio. Unde dux mea sponsi et sponsæ cubicularia familiarissima merito ipsum et novum dicit et etiam ipsum os Domini nominasse, quod sponsum sicut dictionum numero exterius ita et interius earumdem dictionum significationibus expressissime indicat. Ut igitur aliis intermissis quæ dici possent, id solum nunc dixerim quod mea nunc interest hoc in primis attendo, quod sint in hoc uno sponsæ nomine plura nomina et hæc plura nomina hoc unum nomen, nomen hoc quasi triplex et tamen unum, tale profecto nomen illi sponsæ conveniens, quæ unius Dei et trini sponsa est et non solum, ut nos supra dixisse meminimus in nomine Christianæ quod D supra diximus sponsæ nomen solus Christus sed in isto novo nomine sponsus sic suus plenius Deus videlicet unus designatur et trinus primo qui loquitur Patri sic dicens : Voluntas mea in ea : ecce Filius voluntas Patris, nisi forte illud Evangelii nobis exciderit : *Hic est*, inquit, *Filius meus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII) : subdens vero in ea amor exprimitur, qui in ipsis cordis medullis est : ecce Spiritus sanctus. Unde et quod attendendum est non dicit : Voluntas mea ex ea vel per eam, sed in ea, ut ipse amor cum omni vi sua sic vocetur expressius et ita ex hoc sponsæ nomine novo quod ipsius sponsi os nominavit totus et plenus verus et æternus sponsæ sponsus declaravit, Pater videlicet et Filius et Spiritus sanctus et quemadmodum spon-

sus trinus, ita et in hoc novo nomine declaratur et A unus, siquidem tria hic nomina unum sponsæ novum nomen.

QUOD PRIMUM SPONSI NOMEN UNITATEM HANC TERTIAM COMMENDET SED IN VIA : SECUNDUM VERO SPONSÆ EAMDEM PARITER COMMENDET, SED IN PATRIA.

Habemus jam duo sponsi et sponsæ nomina, hanc nostram tertiam naturæ et gratiæ unitatem commendantia, et prius quidem sponsæ nomen, quod est Emmanuel, unitatem hanc commendat nobis in via, nomen vero sponsæ eamdem nobis commendat, sed in patria, ut ita sponsa habens sponsum suum in via individuum comitem, quod indicat nomen primum, facilius currat ad unitatem illam in patria quam exprimit nomen secundum : est enim nomen illud sponsi quod est Emmanuel, nomen viæ, nomen B vero sponsæ, quod est voluntas mea in ea, nomen patriæ, ita ut ipsum nomen sponsæ et qualem hanc sponsum sibi in via indicet, et ut ad patriam sicut fortius currat et Deus tuis invitet et primum quidem sponsi nomen quasi in campo quasi in bello, quia, ut jam diximus, hoc est nomen viæ, sed secundum sponsæ quasi in thalamo, quasi in lecto, quia hoc nomen est et patriæ.

DE SECUNDO SPONSI NOMINE QUOD NON HABET IN VIA SED IN PATRIA ET QUANTUM CONSONES HOC SPONTÆ PATRIO NOMINI.

Verumtamen sponsus, sicut habet nomen viæ, habet et nomen patriæ, quod miro modo sponsæ novo et patrio nomini consonat, quod cum quærerem, Magister sponsæ paranymphus mihi nunc in C via hac versus thalamum suggerit, non tamen hoc quasi novum, sed jam supra nominatum, et nunc quia sic expedit repetendum hoc est illud quod Magister nos supra docuit, *Deus*, inquiens, *omnia in omnibus* (*I Cor.* XV), ut scit hoc Deus scilicet omnia in omnibus, quasi unum sponsi nomen in patria sicut et ibidem nomen sponsæ est voluntas mea in ea; attolamus igitur oculos, erigamus aures et toto corde accendamus duo hæc sponsi et sponsæ nomina in patria, quam congrua, quam consona, quam concordia sint; et ipsa etiam nominum compositio exterior, quam concors sit trium duntaxat dictionum, sicut hoc et illud eademque interponitur quasi quædam amoris propositio, et hic et ibi hæc profecto nomina sicut nobis inexperta et inexcogitata, in D amoris expressa, quasi amore inflammata et ignita, tota nobis incomprehensibilem hanc nostram naturæ et gratiæ unitatem commendant, et unum sic consonat alteri quod utrumque infert alterum, nam si Deus in omnibus omnia, jam erit consequens quod Dei voluntas et sola Dei voluntas in ea, proprio quippe nomine ab ipso Deo minime vocaretur, sic scilicet voluntas mea in ea. Si alia præterquam solius Dei voluntas in ea foret nec jam esset Deus omnia in omnibus, quare si solius Dei voluntas in ea, jam nulla sunt ejus propria ; sed omnia in ea Deus et sic Deus omnia in omnibus et vicissim ut jam ostensum, si Deus omnia in omnibus et..... [*Desunt pauca*].

TERTII MELI TRICESIMA NOTULA, QUÆ ET ULTIMA.

.... [*Hic, ut malo casu contigit, explicit codex C.C.C., duobus aut etiam pluribus foliis ad finem libri amissis. Eodem loco et codex Atrabatensis imperfectus est, quocirca hiatus hic sed valde brevis intervenit.*]....... ra præclara magis sunt et decora, quo corporis capiti affiniora et conjunctiora sunt. Differt enim membrum a membro in decore, ut stella a stella in claritate, et in imperatoris discubitu miles a milite. Et similiter in unitatis regno spiritus a spiritu in unitate. O quantam fide certa video nunc inter imperatorem et militem in illo unitatis regno unitatem, quorum in vita hac tam dilacerata, tam discissa, tam dissuta, in conversatione, in opere, in pœna, in pugna, et in palma tantam prius vidi conformitatem. Clamemus ergo pulsando et iterum clamando pulsemus ad imperatorem et militem suum triumphatorem ; ejulantes et post eos clamantes, si forte ipsi vel sic peregrinantibus nobis et periclitantibus inter tot viæ et vitæ hujus tentationes et varietates, inter tot carnis stimulos, tot vitiorum spinas, et tribulationum aculeos, dilaceratis et distractis unitatis, in qua jam ipsi sunt nobis viam hic ostendant et ad ipsam post se trahant, ut, quo tota martyris historia impleta est, curramus in ipsorum odore virtutum ; curramus, inquam, quousque ad illam sponsi et sponsæ, imperatoris et militis unitatem perducamur, in quo sicut nec corporaliter dissolvi, sic nec spiritualiter per operum seu etiam cogitationum schismata poterimus deinceps dilacerari aut distrahi. Et quoniam triumphator miles cum imperatore suo jam in palma est, de imperatoris sui conformitate in via ad ipsius imperatoris præclarissimam unitatem perductus in patria, ubi jam sponsus in lecto est et amica in amplexu, tertius nunc, qui et ultimus, unitatis triplicis finiatur hic melus. Siquidem ad laudem gloriam et imperatoris et militis in cithara Davidica tres utcunque jam formavimus melos. Primus quidem melus de visibili et conformi pugna imperatoris et militis, et hic quidem melus ad luctum. Secundus melus de visibili et conformi palma imperatoris et militis, et hic quidem melus ad gaudium. Tertius vero melus hic, qui et ultimus, de invisibili et conformi palma imperatoris et militis. Et hic quidem melus ad jubilum. Cujus tota quidem materia est de his, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Unde et melus hic bene finitur hic, ad imperatoris et militis triumphatoris gloriosum finem deductus, ubi finis est sine fine.

Et est quidem melus iste tertius, eo productior, quod citharizantis manibus corpulentis nimis et gravibus et digitus ad tam dignam meli materiam resonandam minus aptis, in superioribus et acutioribus citharæ chordis etsi non formose, utcunque tamen vel deformiter formatus sit forma quidem meli citharœdi imperitam peritiam indicante.

Eo etiam, ut verum, fatear, prolixior quod ego a domino meo, sive in via, sive in patria, sive in pugna, sive in palma, sive in campo, sive in lecto,

admodum invitus avellor. Et tamen avelli me jam oportet. Periclitor enim et peregrinor adhuc. Sublato mihi domino meo, sine socio, sine solatio, sine adjutorio in peregrinatione mea hac etiam adeo solus derelictus, ut orbis Britannicus, in quo, dum hanc martyris historiam scriberem, aliquandiu sum moratus, mihi communicare vix velit, nescio si aut dignetur aut audeat. Et de pontificibus terræ mea præsertim querimonia hæc. Nescio si forte ob primam in me regis nostri iram ipsi adhuc exterriti sint, et mihi communicare aut non dignentur aut metuant; aut iterum nescio si suam reputent injuriam, quod patri meo et domino decessori suo per tot labores, per difficultates tot, per tot damna, per tot pericula impenderim tam devotum, sicut mundus novit, et tam fidele obsequium. Et quod mirum admodum, patris mei et domini similiter ut perhibent patris sui et patroni, mortui corporis et in corruptionem descendentis, mortuas quotidie adorant reliquias et vivas spernunt. Mira quidem devotio hæc: si fructuosa, Deus novit, ipsi viderint. Dignius certe videretur et devotius, ut per vulnera mortui corporis super patroni sui vivas adhuc reliquias effunderentur viscera suæ miserationis. Verumtamen de duobus jam domini mei in sede metropolitana successoribus quos ipse vidi, dum adhuc martyris historiam scriberem, nulla mihi nunc quæstio, querimonia nulla. Quibus duntaxat tanquam matris meæ sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ sponsis debeo reverentiam, non quæstionem ullam movere vel querimoniam. Quid deceat norunt ipsi, et quid fecerint ipsi viderint. Ut verum fatear, contemptus hic mihi quidem pro minimo ab his vel illis seu ab humano die. Mea quippe gloria si domino meo et magistro mihi sublato et currum suum ignitum scandente, ego discipulus peregrinans adhuc adimpleam ea quæ desunt passionum ejus in me; cantans illud cum Propheta: *Parvulus sum ego et contemptus, justificationes tuas non sum oblitus* (*Psal.* CXVIII). Et item illud: *Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua* (*ibid.*). Siquidem dominus meus post ipsius de mundo excessum, cito mihi in visione apparens istius versiculi tanquam cujusdam antidoti contra toxicatas calumniantium linguas injunxit memoriam jugem. Adjiciens etiam inter psalmigraphi versus hunc præcellere. Oro igitur et iterum oro ut redimat me Dominus a calumniis hominum, ut custodiam mandata ejus.

EXPLICIT MELUS TERITUS.

Tribus vero melis juxta promissum nostrum ad laudem et gloriam imperatoris et militis in cithara Davidica, prout desuper edocti, jam consummatis, subsequitur juxta superius similiter promissum nostrum qualiscunque homilia nostra de natalitio martyris die, quæ sic incipit: *Cantemus Domino.*

HOMILIA HERBERTI DE BOSEHAM

DISCIPULI HISTORIOGRAPHI MARTYRIS

DE NATALITIO MARTYRIS DIE.

Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* XV).

Novimus, fratres, novimus omnes canticum istud canticum Hebræorum esse; illorum profecto canticum qui per ignem et aquam transierunt. Verum sicut Hebræorum synagoga tunc, ita Hebræorum ecclesia nunc istud sibi usurpat, imo potius mutuat canticum: *Cantemus*, inquiens, *Domino*. Nos quippe qui veri Israelitæ sumus et Dei Ecclesia dicimur, sicut et fratres nostri Hebræi, qui jam nos præcesserunt in via et prævenerunt in patriam, per ignem et aquam transivimus. Sed ubi salvantur filii, pereunt inimici, submerguntur ascensores et equi, pro quo est causa et de quo est materia cantici Cantemus igitur et nos Domino. Verum in primis advertendum quod tria sint filiorum Israel genera canticorum Et hoc, inquam, in primis advertendum, ut ita liquido appareat an ad singula an ad aliquod singulorum trium specialiter hymnizans nos hodie invitet Ecclesia, *Cantemus*, inquiens, *Domino*, Est itaque triplex filiorum Israel canticum. Primum canticum canticum est mœroris; secundum laudis; tertium vero jubilationis. Primum cantatur in Ægypto; secundum in deserto; tertium vero in regno. Primum canticum est in vetustate culpæ; secundum in novitate vitæ; tertium in excessu lætitiæ. Primum quasi sine spe in miseria sæculi; secundum in consolatione spei; tertium in visione speciei. Primi gemendo cantant et manus habent erectas supplicantes pro venia; secundi laborando cantant et manus habent exertas, vigilantes pro pugna; tertii triumphando cantant et manus habent quietas jam securi pro palma. Primum canticum est redeuntium ad se et ad cursum se præparantium: hi jugiter dicunt lamentum et væ. Secundum est jam currentium: in ore istorum jugiter canticum novum carmen Deo nostro. Tertium vero canticum est pervenientium. Sed hujus cantici sonos lingua adhuc moribunda non exprimit, quia in spiritualium gaudiorum apertione vox humana raucescit, quia non sunt æterna gaudia angelorum ut transitoriæ istæ festivitates hominum. Hæc enim sunt quæ non vidit oculus, quia sunt abscondita, nec auris audivit quia sunt in pace quietissima, nec

in cor hominis ascenderunt, quia sunt incomprehensibilia. Primum canticum Deum invocat et indulgentiam postulat; secundum Deum placat et auxilium flagitat; tertium vero Deum lætificat et gaudium monstrat, Istud est enim canticum supercœleste, canticum admirabile, canticum præconiale quod exprimi non valet et taceri non potest. Istud quippe canticum Canticum canticorum est, canticum epithalamicum, quando jam sponsa in lecto est et sponsus in amplexu. Verum, fratres, forte jam aliqui vestrum id notant, quod non legantur filii Israel in Ægypto cantasse Domino sed potius clamasse ad Dominum. Sed profecto clamor ille in auribus Domini Sabaoth canticum erat. Nec solum dicam jam canticum quin potius et sacrificium. Quid enim nisi sacrificium, ubi tanta afflictio carnis et contritio cordis? Cum enim absque afflictione carnis solum cor contritum et humiliatum non despiciat Deus, Cor contritum, inquit, et humiliatum Deus non despicies.

Tria jam, fratres, filiorum Israel distinximus cantica. Verum de primo quod mœroris esse diximus et in Ægypto cantari, advertendum quod triplicem habeat causam et materiam. Celebrem videlicet illam et notissimam triplicem illius triplicis servitutis sub Pharaone inter Ægyptios oppressionem, luti videlicet lateris et paleæ. Et illi quidem fratres nostri Hebræi tunc corporaliter, nos vero nunc, confratres eorum et conservi, eodem sed spiritualiter spirituali spiritualis servitutis opprimimur jugo; tanto certe nunc gravius et molestius quanto in illis tunc sola servitutis figura, in nobis vero nunc significatæ servitutis completio est. Et hoc profecto servitutis vi, servitutis jugo, pariter et exactore tantarum servitutum exstincto. Pro hac pace, fratres, quæ in filiorum salute et inimicorum ultione consummatur, laus est, et de hac pace secundi cantici, quod canticum laudis jam sæpe diximus, est materia: unde et pro hac pace tota militans Ecclesia ad hoc laudis canticum specialiter his dictis nos invitat: *Cantemus*, inquiens, *Domino gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare*. Invitat, inquam, et singulariter ad hoc per quemdam diebus nostris singularem athletam Christi, christum Domini, prius quidem viriliter dimicantem sed nostris diebus feliciter triumphantem. Quin potius ipse christus Domini athleta Christi totam Christi Ecclesiam hoc tempore ad hoc laudis canticum provocat per exemplum et in laude confirmat per triumphum. Et ne cui in dubium veniat, quis iste sit, quem ita tango sed necdum nomino, attendite, fratres, levate manus, attollite oculos, erigite aures, et ducem proprie vestrum, athletam hunc Christi, christum Domini, vestrum specialiter ducem cognoscatis ex nomine. Iste certe athleta Christi, christus Domini, gloriosus Christi neomartyr, Thomas Cantuariorum antistes et totius Angliæ nunc absque contradictione primas est, qui in medio nostrum stat, quem utinam et cognosceremus. Et utique cognoscibilis, quia etsi

A non vultus, vulnus eum discernit. Stat enim martyr pro nobis et inter nos tripudians et triumphans toto lacero capite. Stat, inquam, martyr fortior inter ictus gladiorum in exsilio quam Adam inter poma deliciarum in paradiso. Stat, inquam, martyr inter gladiatores, sicut intrepidus et invictus. Stat, inquam, orans et supplicans non pro se sed pro nobis pro his qui sibi crediti sunt.

O pretiosa, o spectabilis hostia, quo rarior eo spectabilior, ubi idem hostia et sacerdos. In hoc Domini sui martyrum principis titulum gerens. Accedit et spectaculo quod ibi immolatus ubi consecratus; et adhuc quod alias penitus tam sancto sancti intacto corpore, in ipsa summitate, in ipso vertice capitis, in ipso loco pontificalis unctionis,
B cum pæna vulneris martyrii palmam est adeptus, coronam perdens sed coronam recipiens, pro corona coronam, pro carnis corona corruptibili spiritus coronam immarcescibilem: imo mox, ni fallor, pro una et simplici corona recipiens duplicem, auream videlicet et aureolam. O vere salutaris hostia, in natalibus Salvatoris et in Salvatoris Ecclesia pro salute Ecclesiæ immolata. Et quidem immolata non inter templum et altare, nec in angulis templi seu abditis tanquam carnifices fugiens sed inter cornua altaris templi ante beati videlicet Benedicti abbatis aram se exponens: ita Deo ad martyris sui gloriam mirabiliter dispensante, ut et tempus immolationis et locus non solum salutis et benedictionis gratia, sed horum etiam nomina tanquam præclaris et se-
C lectis salutis et benedictionis titulis expressissime insignirentur. Hic enim Salvatoris Ecclesia, hic Salvatoris natalitia. Et ne quid desit ad hostiam, hic beati Benedicti ara. Ecce quia sicut loca et tempora salutis et benedictionis plena, sic etiam et locorum et temporum nomine salutem et benedictionem sunt exprimentia. O si videremus, et si nobis videre datum, in locis et temporibus his pontificem, hostiam vere vivam stantem inter carnifices ferro armatis manibus circumstantes diceremus profecto Phinees zelantem hinc, inde vero Moysen in omni mansuetudine viro Dei assistere. Stat enim ut Phinees fine pontificii sui jam appropinquante nequaquam se pontificem immemor cum omni imperio inter gladios gladiatores ipsos pontificali arguens
D auctoritate, gladio sacerdotali non se defendens, sed suos et se exponens pro suis sub perpetuo anathemate sicut districtissime et imperiosissime inhibens ne quem suorum læderent, ne quem tangerent. Stat et ut alter Moyses orans pro populo et universa sancta civitate; stat, inquam, martyr tanquam alter Moyses orans et supplicans. Orans dico et supplicans tanquam pastor et Anglicanæ Ecclesiæ dux specialis et patronus. Qui propter ipsam proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, magis eligens affligi pro fratibus suis, quam temporalis peccati habere jucunditatem; in hoc etiam certe alterum se nobis Moysen exhibens. Cum esset quippe in regia contubernalis Augustorum, quin potius tanquam coaugustus Augusto,

mox et ex insperato ut a Deo vocatus est, exuit A purpuram, et cilicium induit. Quo quasi novus Christi tiro accingitur ad spirituale certamen pugnaturus ad bestias. Contra quas, sicut mundus novit, dimicans tam viriliter hodie, sicut universus Ecclesiarum orbis celebrat, triumphat tam potenter. Quis enim unquam audivit tale aut quis vidit simile, aut cui revelatum factum hoc? Aliquis martyrum pro persecutoribus suis exoravit se exponens. Sed quis et in simul gladium suum exeruit, non se sed nos tam districte tam imperiose inter gladios sic defensans? Vere in martyre isto novo nostro novum et inauditum hoc. Unde et universum Ecclesiarum orbem ad novum et inauditum præconiale laudis canticum tam singularis, tam novus, tam præclarus triumphator invitat: *Cantemus*, inquiens, B *Domino*. Verum etsi hoc triumphali tempore laus potissimum debeatur triumphanti, non solum ad hoc, sed ad alia quæ jam supra distinximus cantica, istius exemplo provocamur et utinam meritis adjuvemur. Cantica dico quæ prior ipse nobis relinquens exemplum cecinit et fine beato consummavit; quæ ut ipsi hic aptaremus, supra distincta sunt. Primum quod supra ordinavimus, canticum fuit mœroris; hoc iste cecinit in exsilio. Secundum laudis; hoc iste cecinit in martyrio. Tunc enim persecutor victus est eo ipso per quod vicisse videri poterat. Tertium diximus canticum jubilationis: et hoc est præclarum illud et insigne canticum quod nunc canit in regno. Primum quidem canticum grave; secundum forte: sed tertium nunc C suave est, omni profecto delectabili delectabilius.

Et hæc tria, sicut profecto credibile est, cantica quæ prior ipse explevit in se, peregrinorum suorum ad ipsum ex universo ecclesiarum orbe confluentium, quæ gestant in pectore triumphi sui insignia notant, plumbum scilicet, sanguis, et aqua, aqua videlicet sanguine rubricata. Nec enim absque divini provisione consilii, sine quo nec etiam folium cadit ab arbore, factum esse credendum est, ut ita ab omni natione et lingua, uno more et corde, quasi commune inter se edictum fecerint, nova novi martyris vexilla tiumphalia prodeant. Ego mysterium magis puto esse quam casum, et utinam vobis mysterium loquerer. Dicam vero quod sentio, utinam quod revelaverit Dominus. Plumbum vetus D homo est; de hoc est canticum mœroris. Sanguis martyrum est; de hoc est canticum laudis. Nec tunc solum martyrium intelligo, quando animam posuit, sed mox ut exposuit, mox etiam ut ad martyrium paratus fuit. Aqua fluminis impetus est, qui lætificat civitatem Dei, et de hoc est tertium canticum, canticum jubilationis. Signa vero hæc vel vexilla, non in fronte, non in humero, non a tergo, vel a latere, sed palam gestantur in pectore, ut videlicet etiam ipsius triplicem, tanquam triplicem Hebræi nostri viam, secundum datam nobis a Deo sapientiam et gratiam semper habeamus præ oculis et miremur, prout desuper datum fuerit imitantes. Ipsius quippe via et vita mundo sicut admirationi ita et diebus his novissimis imitationi proposita est. Siquidem qui in aliis sanctis suis et mirabilis, in isto sancto suo admirabilis fuit, ducens istum in via non solum mirabili sed et admirabili. Videte si non admirabili. Siquidem in his diebus novissimis, in hoc tempore torporis nostris et teporis, quo olim prædictum nunc impletum est quod abundaret iniquitas et homines forent semetipsos amantes, egressus Hebræi istius et aggressus admirabilis. Videamus egressum. Egressus ejus a purpura ad cilicium, a cilicio ad exsilium, ab exsilio ad martyrium, a martyrio ad regnum. Aggressus vero nihilominus admirabilis. Contra illum quippe se pro Christo accinxit, quo jubente et ipsi secundus, imo quasi comprimus exstiterat in regno et quo cooperante post primatum obtinebat in clero. Et tamen a Christo vocatus, contra istum sé pro Christo erexit fide intelligens Deo nihil præponendum. Ecce breviter insinuati Hebræi nostri aggressus et egressus. Agressus quidem fortis, verum egressus ejus, viæ ejus, et si admirabiles sint, etsi duræ, pulcheræ tamen. Quam pulchri, inquit, gressus tui in calceamentis, filia principis. Istæ tres Hebræi nostri viæ, hæc tria in viis cantica, per tria illa quæ jam distinguere cœpimus, visibiliter figurari conjecto, quæ sunt plumbum, sanguis et aqua. Est enim plumbum, ut jam dicere cœpimus, vetus homo depositus in exsilio: sanguis novus sacerdos immolatus in templo; aqua vero fons vitæ et torrens voluptatis in cœlo. Et Hebræi quidem nostri tres viæ hæ et in viis hæc cantica, nisi quod tertium non jam Hebræus in via, sed angelorum nunc concivis canit in patria.

Verum Ægyptiorum cantica, quæ impræsentiarum non sine causa vel tangere convenit, his quæ jam sæpe diximus Hebræorum canticis multum dissona sunt, utpote ipsis per antithesim ordinatis et compositis. Inchoant quippe Ægyptiorum hæc cantica a voce elationis. Juxta quod ipsorum præcentor et princeps: *Ponam*, inquit, *sedem meam ab aquilone et ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). Descendunt deinde ad vocem voluptatis provocantes se invicem et cantantes: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (*I Cor.* XV). Sed finiunt in voce confusionis illud in fine cum erubescentia et confusione replicantes: Quid, inquiunt, profuit nobis superbia, et jactantia divitiarum quid contulit nobis? Transierunt omnia velut umbra. Ecce istæ sunt tres illæ voces, ex quibus in diaboli musica conficiuntur Ægyptiaca cantica. Quarum prima inchoavit in cœlo; secunda in paradiso; tertia vero in inferno. Sed hæc cantica solum hic tetigisse sufficiat; ob id solum quod dux noster hodiernus et præcentor dulcissimus, quem tria beato fine cantica supra jam diximus consummasse, istos Ægyptiorum melos in diaboli confectos musica virtute mirabili, et Dei voluntate misericordi interrupit: fuit quippe et ipse aliquandi inter Ægyptios adeo gratiosus Augusto quod etiam damnabatur in tota terra Ægypti: in hoc tamen multum a Joseph distans, quod fratres

suos in Ægyptiorum ergastulo laborantes necdum agnosceret. Unde nec compatiebatur super contritione Joseph quin potius præfectis operum erat ipse præfectus. Ad cujus ordinationem et nutum cuncta gerebantur in Ægypto. Et tunc quidem inter Ægyptios ad Ægyptiorum morem Ægyptiorum canticis se conformans inchoaverat in musica diaboli a voce elationis et crebro dissolvebatur ad canticum voluptatis, quod ollas carnium et alia sapiebat et pepones.

Verum cum miserante Domino audiret demum et adverteret tertiam illam, quæ sequitur, vocem confusionis, interrupit mox diabolicæ musicæ melum. Et quod dictu mirabile est et auditu incredibile, nisi quia nos, fratres, qui nunc vobis loquimur quod vidimus hoc testamur, mox ut a Deo vocatus est et illuminatus, ita ut tactu oculi fratres suos agnosceret et videret tempus dimicandi pro fratribus; mox, inquam, et ex insperato, ut jam diximus, et præ novitate et raritate operis crebrius repetendum exivit, aulicam exuit purpuram et cilicium induit. O dextera Domini faciens virtutem tantam, et tam superbum peccatorem convertens, quasi de dracone virgam iterum faciens, et aquam denuo in vinum mutans. O dextera Domini faciens virtutem, superbo inspirans humilitatem, quasi educens mel de petra, oleumque de saxo durissimo. O potentia Domini suscitans de lapide isto filium Abrahæ!

Fratres, plus stupeo ad Thomæ conversionem quam Thomæ creationem. Creatus est enim Thomas ut universi, Quid igitur dico ad Thomæ creationem? Plus quippe stupendum et admiratione dignior Thomæ conversio, imo multo plus quam mundi totius creatio. Quanto fortius est opus gratiæ quam naturæ. In mundi quippe creatione potentia fuit, naturæ creantis naturam, et dixit et factum est. Sed hic virtus gratiæ ne dicam immutantis, imo quodam modo transsubstantiantis naturam dicentis Vive tu, jam non tu, *Vivo*, inquit Magister, *jam non ego* (*Gal.* II). Et hæc quidem verba hic sermo gratiæ in isto et ad istum, quem nunc loquimur, vivus fuit et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: quod veterem in eo hominem concussit adeo et excussit et demum frustatim et minutatim ita concidit, ut perempto veteri novus quidam homo, qui secundum Deum creatus est, reviviscat ex veteri, in tantum ut abnegans semetipsam caro fiat, non caro, sed spiritus, homo non homo, non jam quasi ab humo, sed a cœlo, ut obliti jam et rejecto trito illo vetustatis cantico: *Qualis*, inquit, *terrenus tales et terreni* (*I Cor.* XV), cantemus in hoc solemni, in triumphali hac die tam miræ, tam sanctæ conversionis memores, canticum novum, canticum misericordiæ, canticum gratiæ, canticum præconiale, quales cœlestes, tales et terreni. Nunquid enim carnis, nunquid hominis fuit proposita, imo jam tenta Augustorum relinquere gaudia, et pro fratribus suis damnatorum crucem sustinere confusione contempta? Nunquid, inquam, fuit hoc aut hominis hujus temporis aut hujus temporis opus? Certe nec hujus temporis nec moderni teporis hoc. Verumtamen Thomas hic noster, nostri nec temporis nec teporis sortitus spiritum, in spiritu vehementi omnibus et sæculi et carnis ruptis illecebrarum vinculis, maluit sustinere crucem et pro populo Dei sibi credito affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem in hoc, sicut jam diximus, et hic iterare non displicet, alterum se nobis Moysen exhibens nisi quia plus quam Moyses hic. Moyses quippe aulæ proposita sibi gaudia, sed iste jam habita dereliquit, elongans se et fugiens, et cum David manens in solitudine. In qua juxta prophetæ consilium sedens, ut perseverans, et tacens, ut discens, levavit se supra se. In hac quippe solitudine tanquam debita sibi virtutis schola haud segniter in divinis exercebatur. Et inter alia divinæ pietatis opera præsertim in lege Domini meditabatur, sacras ibi litteras, quas dum adhuc inter Ægyptios sæcularem duceret vitam, nondum didicerat, discens. Discens quidem, non tam doctore homine quam unctione magistra, illius persæpe versiculi agendo gratias recolens: *Bonum mihi*, Domine *quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII). Et ipse quidem et in hoc et in aliis divinæ pietatis se exercebat operibus, et ipsum etiam alii, alieni taman magis dicendi quam alii exercebant. *Filii* inquam, *alieni, qui mentiti sunt ei*; *filii*, inquam, *alieni qui inveteraverunt et claudicaverunt a semitis tuis* (*Psal.* XVIII). Claudicaverunt, dico, volentes partim Manmonæ deservire cum juxta Veritatis dictum nemo possit Deo servire et Mammonæ. Verum filii isti alieni claudicantes et divisi sedentem in solitudine miris et incredibilibus aggressibus exercebant, sedentis in solitudine et salutare Dei cum silentio præstolantis quotidie rumpentes silentium et turbantes quietem. Ipsorum quippe adversus ipsum vere miri aggressus et incredibiles. Quis enim digne exprimat in quantum ab ipsis vexatus sit, quibus sit affectus contumeliis, quibus injuriis lacessitus? O Jesu bone, quanta passus est pro nomine tuo, a filiis alienis, a fratribus sceleratis, quanta sustinuit ab his ipsis, quibus et pro quibus laborabat et operabatur bona. Qui etiam cum per se non possent duriora inferre, faciebant immissiones per angelos malos, orbem sollicitantes ut pelleretur ab orbe, qui propter ipsos pastorale subiit et sustinuit onus.

Certe, fratres, ego ipse qui nunc loquor, alio referente vix crederem, nisi in illo discipulorum et coexsulum suorum comitatu fuissem expertus ipse, vel ex parte, quæ loquor. Unde, quia tunc fui socius passionis, earumdem passionum nunc ego testis sum nec repellar a testimonio. Quod enim vidimus, quod audivimus, quod etiam ex parte sensimus, hoc testamur. Et illi quidem, sicut jam diximus, filii alieni fratres scelerati ita. Attamen is cum his qui oderunt pacem pacificus erat, instans nihilominus opportune et importune. Deus enim, qui juxta prophetam ipsum fortitudine accinxit, pariter et u-

arcum æreum brachia ejus composuit. Et istud quidem primum est canticum mœroris, quod conversus ad Dominum Domino in exsilio in Christi musica præcinit illi Ægyptiorum cantico, quod, sicut jam supra diximus, inter Ægyptios cantare consueverat, per antithesim inchoatum. Illud quippe in musica diaboli a voce elationis, sed istud in Christi musica a gravi sono mœroris inchoat a voce humilitatis. Sic enim et magister in hac musica suos discipulos instituit: *Discite*, inquiens, *a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Et in prædicationis suæ quasi primæ in musica sua cantilenæ initio: *Agite*, inquit, *pœnitentiam, appropinquat enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV). Et ita juxta morem hunc Hebræorum cantica a magistro ordinata sunt et composita, ut primo a cantico mœroris, a voce humili inchoent, B et ita sensim ad altiora procedant, ad cantica videlicet exsultationis et laudis et demum in summo vox altissima et acutissima jubilus. Unde et prima, quæ primo Hebræis proponuntur cantica a gemitu quidem incipiunt, sed in laude terminantur. Vide igitur unum, quia simile in reliquis est, *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me* (*Psal.* VI), et cætera. Et post aliquantis interpositis, quæ gemitus sunt in musica hac, sensim ad sonum dulciorem, ad vocem suaviorem et sublimiorem progredimur *Discedite*, inquit, *a me, omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei* (*ibid*). Sic et in aliis Hebræorum canticis reliquis, videlicet pœnitentialibus psalmis, qui primo Hebræis proponuntur ad cantandum, in quibus omnibus a lacrymis C quidem incipitur, sed in gaudio finis est. Et ista quidem Hebræorum cantica sic cum versa vice Ægyptiorum cantica a voce altissima, ut supra diximus, et acutissima, sed in absona valde et infima voce terminentur. Ante ruinam enim exaltatur cor. Iste igitur Hebræus dux noster et præcentor, dum adhuc Hebræus esset, per ignem et aquam transiens, in musica Christi a cantico mœroris inchoavit et per varios et multiplices hujus meli, qui mœroris dicitur, modos, per tentationes videlicet varias et multiplices, sensim ad canticum sublimius ductus est, ad secundum videlicet quod jam sæpe nominavimus canticum laudis. Ad quod in hoc triumphali die nos invitans: *Cantemus*, inquit, *Domino*.

Et mox causam cantici subjicit: *Gloriose enim magnificatus est*. Et tam gloriosæ magnificentiæ hu- D jus causam mox adnectit: *Quia equum et ascensorem projecit in mare*. Unde in primis standum et pensandum, quod non absolute magnificatum vel magnum, sed gloriose magnificatum dicit. Nam, sicut vehementer, ita et multipliciter ex operibus suis magnificatur Dominus. Aliquando magnificatur per opera potentiæ, ut ex mundi creatione; aliquando per opera misericordiæ, ut ex mundi creati reparatione; aliquando per opera justitiæ, ut ex remuneratione bonorum et damnatione impiorum; aliquando magnificatur miraculose, ut cum aliqua operatur motu iræ seu gratiæ interverso ordine naturæ. Et his quidem et multis modis aliis varie et multipliciter, unde et in hoc triumphali martyris die ecclesia merito agit gratias: *Eripuit me*, inquiens, *de inimicis meis fortissimis et ab his qui oderunt me, cum confortati sunt super me* (*Psal.* XVII). Verumtamen jam pridem Ecclesia in se hoc ipsum experta ex novo novi martyris sui triumpho novas nunc refert gratias Nam eo ipso Ecclesia semper consuevit crescere, unde mundus novit deficere. Quo exinanitur ille, examinatur ista, et quo ille succumbit hæc triumphat. Fossa quippe plagis et putata martyriis eo magis extenditur tanquam cœlestis agricolæ vinea, et tunsa tribulationum flagellis eo magis producitur, tanquam cœlestis opificis tuba. Et tyrannorum persecutionibus tanquam maris elationibus pulsa eo magis levatur in sublime, tanquam refugii cœlestis arca. Et hæc sunt quæ juxta Psalmistam rectores Ecclesiarum vident, *opera Domini et mirabilia ejus in profundo* (*Psal.* CVI). Unde et in Psalmo alibi: *Mirabiles*, inquit, *elationes maris mirabilis in altis Dominus* (*Psal.* XCII). Et ut evangelii adjiciamus quid, hæc quippe mater nostra Ecclesia evangelici illius grani fructus est, quod nisi cadens in terram mortuum fuisset ipsum solum maneret. Quale certe granum et fructus talis. Et aliis nunc omissis, videamus si non sit in evangelici istius grani fructu novo, in martyre videlicet nostro novo nunc sic. In quo plene nunc cernimus adimpleta quæ de Ecclesiæ virtute sunt præmissa. Vivum Thomam sola Anglia habebat, occisum vero nunc omnes gentes. Notus enim in Anglia Thomas, sed nunc in orbe magnum nomen ejus. Dominus enim qui extendit cœlum sicut pellem, versa nunc vice pellem militis sui occisi vulneratam et morticinam extendit, sicut cœlum in tam amplam educens eam latitudinem. Juxta quod post præmissam de ereptione sua gratiarum actionem adjungit mater nostra Ecclesia: *Et eduxit me in latitudinem, salvum me fecit cum voluit me* (*Psal.* XVII).

Erigant se igitur ad istud Ecclesiæ de ereptione sua canticum Ecclesiarum rectores, ut ita spe certissima consolati eo ipso congratulentur se mox ereptos quam viderint inimicos suos fortissimos confortatos super se. Et desuper data Ecclesiæ virtute propria non desperent. Aspiciant et in confratrem suum Ecclesiæ quondam rectorem Thomam ut ipsi in ipso videant opera Domini et mirabilia ejus in profundo. In ipso, inquam, videant ipsi opera Domini et mirabilia ejus, qui in profundo maris istius sæculi creditam sibi Petri naviculam in tanta tempestatis procella, inter tot scopulos et tam periculosas maris voragines, rexit tam fortiter, rexit et tam prudenter; adeo etiam fortiter et viriliter adeo, ut quod inauditum a sæculo, demum ipsomet in medium procellæ ultro se exponent, in proprio sanguine suo navicula sibi credita fluctuaret et curreret. Ut ita sicut tutius et velocius a procella maris sæculi hujus quasi avolando velificaret ad patriam.

Et tu, Domine, igitur qui hodie in tam glorioso martyris tui Ecclesiæ tuæ ducis et patroni exitu ab Ægypto secundum magnitudinem brachii tui tam gloriose magnificatus es, equis et ascensoribus in mare projectis, sicut Hebræorum Synagogam tunc, ita et fidelium tuorum Ecclesiam tuam nunc salva semper et libera ; ut sit salva et libera per te semper liberata a jugo servitutis et oppressione tribuantis ; auxiliante jugiter ipsi ipsius duce speciali et patrono, qui ut ipsam liberaret animam suam posuit, gloriosus martyr tuus Thomas, qui tecum cum gloria venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. Amen.

A EXPLICIT HOMILIA DE MARTYRE.

Huic vero cantico laudis subsequitur mox longe aliud et alterius modi canticum, canticum mœroris, canticum tribulationis et angustiæ : funestum videlicet illud et famosum decreti chirographum, de quo per totam martyris historiam percrebro mentio facta est, continens capitula sedecim.

Quod juxta superius promissum nostrum, ideo in omnium calce hic postponimus, ut legant sæcula post futura, et hinc cognoscant, quam justa, quam perspicua fuerit gloriosi neomartyris nostri, primo exsilii et postea martyrii causa. Quorum capitulorum hoc est primum. De advocationibus, etc.

CAUSA EXSILII ET MARTYRII

BEATI THOMÆ

MARTYRIS ET PONTIFICIS CANTUARIENSIS

RIMUM HOC DAMNAVIT SANCTA ROMANA ECCLESIA SUB PAPA ALEXANDRO TERTIO.

De advocatione et præsentatione Ecclesiarum si ontroversia emerserit inter laicos, vel inter clericos t laicos, vel inter clericos, in curia domini regis ractetur et terminetur.

SECUNDUM HOC TOLERAVIT.

Ecclesiæ de feodo regis non possunt in perpetuum ari absque assensu et concessione ipsius.

HOC TOLERAVIT.

Clerici relati et accusati de quacunque re, subioniti a justitia regis venient in curiam ipsius, esponsuri ibidem de hoc, unde videbitur curiæ egis quid sit ibi respondendum, et in curia eccleastica, unde videbitur quod sit ibi respondendum; a quod justitia regis mittet in curiam sanctæ Ecesiæ ad videndum qua ratione res ibi tractabitur. si clericus convictus vel confessus fuerit de cæro non debet eum Ecclesia tueri.

NOTULA 4. HOC DAMNAVIT.

Archiepiscopis, episcopis et personis regni non et exire de regno absque licentia regis ; et si ierint, si regi placuerit, assecurabunt quod nec eundo nec in moram faciendo perquirent malum l damnum regi vel regno.

NOTULA 5. HOC DAMNAVIT

Excommunicati non debent dare vadium ad reanens, nec præstare juramentum, sed tantum vaum et plegium standi judicio Ecclesiæ ut absolntur.

NOTULA 6. HOC TOLERAVIT.

aici non debent accusari, nisi per certas et leles accusatores et testes in præsentia archiepipi vel episcopi, ita quod archidiaconus non per- B dat jus suum, nec quidquam quod inde habere debeat. Et si tales fuerint qui culpantur, quod non velit vel non audeat eos aliquis accusare, vicecomes requisuitus ad id faciet jurare duodecim legales homines de visneto seu de villa coram episcopo quod inde veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt.

NOTULA 7. HOC DAMNAVIT.

Nullus qui de rege teneat in capite, vel aliquis dominicorum ministrorum ejus excommunicetur nec terræ alicujus eorum sub interdicto ponantur, nisi prius rex, si in terra fuerit, conveniatur, vel justitia ejus, si extra regnum fuerit, ut rectum de ipso faciat, et ita ut quod pertinebat ad curiam regiam ibidem terminetur, et de eo quod spectabit ad C ecclesiasticam curiam ad eamdem mittatur ut ibidem terminetur.

NOTULA 8. HOC DAMNAVIT.

De appellationibus, si emerserint, ab archidiacono debent procedere ad episcopum et ab episcopo ad archiepiscopum ; et si archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda, postremo ad regem est perveniendum, ut præcepto ipsius in curia archiepiscopi controversia terminetur, ita quod non debet ulterius procedere absque assensu regis.

NOTULA 9. HOC DAMNAVIT.

Si calumnia emerserit inter clericum et laicum, vel e converso de ullo tenemento, quod clericus velit ad eleemosynam attrahere, laicus vero ad laicum feodum, recognitione duodecim legalium hominum D per capitalis justitiæ regis consuetudinem terminabunt, utrum tenementum sit pertinens ad eleemosynam sive ad laicum feodum, coram ipsa justitia regis. Et si recognitum fuerit ad eleemosynam per-

tinere, placitum erit in curia ecclesiastica. Si vero ad laicum feodum, nisi ambo de eodem episcopo vel barone advocaverint, in curia regis erit placitum. Sed, si uterque advocaverit de feodo illo eumdem episcopum vel baronem, erit placitum in curia ipsius, ita quod propter factam recognitionem saisinam non amittat, qui prius saisitus fuerat, donec per placitum disratiocinatum fuerit.

NOTULA 10. HOC DAMNAVIT.

Qui de civitate, vel castello, vel burgo, vel dominico manerio regis fuerit, si ab archidiacono vel episcopo de aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eis respondere, et ad citationes eorum satisfacere noluerit, bene licet eum sub interdicto ponere, sed non debet excommunicari, priusquam capitalis minister regis loci illius conveniatur, ut justitiet eum ad satisfactionem venire. Et si minister regis inde defecerit, ipse erit in misericordia regis, et exinde poterit episcopus ipsum accusatum ecclesiastica justitia coercere.

NOTULA 11. HOC TOLERAVIT.

Archiepiscopi, episcopi, et universæ personæ regni, qui de rege tenent in capite, habeant possessiones suas de rege, sicut baroniam, et inde respondeant justitiis regis et ministris, et sequantur et faciant omnes rectitudines et consuetudines regias ; et sicut cæteri barones debent interesse judiciis curiæ regis cum baronibus, usquequo perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum vel ad mortem.

NOTULA 12. HOC DAMNAVIT.

Cum vacaverit archiepiscopatus, vel episcopatus, vel abbatia, vel prioratus de dominio regis, debet esse in manu ejus et inde percipiet omnes reditus et exitus sicut dominicos. Et cum ventum fuerit ad consulendum Ecclesiæ, debet dominus rex mandare potiores personas Ecclesiæ, et in capella ipsius debet electio fieri assensu regis et consilio personarum regni, quas ad hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet electus homagium et fidelitatem domino regi sicut ligio domino de vita sua, et membris, et de honore suo terreno, salvo ordine suo, prius quam sit consecratus.

NOTULA 13. HOC TOLERAVIT.

Si quisquam de proceribus regni diffortiaverit archiepiscopo vel episcopo, vel archidiacono de se vel de suis justitiam exhibere, rex debet justitiare. Et si forte aliquis diffortiaret domino regi rectitudinem suam, archiepiscopi et episcopi [et archidiaconi debent eum justitiare, ut regi satisfaciat.

NOTULA 14. HOC TOLERAVIT.

Catalla eorum, qui sunt in regis forisfacto, non detineat ecclesia vel cœmeterium contra justitiam regis, quia ipsius regis sunt, sive in ecclesiis, sive
B extra fuerint inventa.

NOTULA 15. HOC DAMNAVIT.

Placita de debitis, quæ fide interposita debentur vel absque inteppositione fidei, sint in curia regis.

NOTULA 16. HOC TOLERAVIT.

Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini, de cujus terra nati esse dignoscuntur.

Singulis vero damnatis his mox singulas damnationis suæ causas subjecissem, nisi quia cuivis vel modicam sacrorum canonum habenti experientiam statim in primo auditu notisssimæ sunt.

Facta est autem prædictarum consuetudinum et dignitatum regiarum recordatio ab archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, nobilioribus et
C antiquioribus regni, apud Clarendunam, quarto die ante Purificationem sanctæ Mariæ Virginis, domino Henrico filio regis cum patre suo ibidem præsente.]....

Hæc ultima, uncinis inclusa, ex quadrilogo addidi : nam codex Atrabatensis imperfectus est post voces « archiepiscopi, et episcopi » At codex collegii Corporis Christi ne librum quidem Melorum ad finem perducit, sicut in initio, ita et in fine mutilus et laceratus.

EPISTOLÆ
HERBERTI DE BOSEHAM
IN PERSONA S. THOMÆ CANTUARIENSIS ET ALIORUM SCRIPTÆ.

—

EPISTOLA PRIMA [AD..........]

[*Deest initium, uno aut pluribus foliis e cod. C.C.C. Cantabrig. amissis*]................ [dis]cretio tua, serenissime consul. Detracto igitur huic epistolæ solemni illo rhetoricorum ornatu, in hoc tenui sim-
D plicis eloquii schemate me gloriæ tuæ oculis præsumpsi ingerere, præsertim cum talia referantur, quæ tuum sicut spero delectabunt auditum. Nam, cum sæcularium et maxime divinarum historiarum utriusque legis multam tibi scientiarum

Dominus dederit peritiam, certus sum evangelicæ historiæ veritatem eo devotius te amplexaturum auditam, quo ipsum Evangelium cæteris omnibus Scripturarum scientiis præmineat. Ego tamen recolo, sed dubius an a pectore claritudinis tuæ excederit, me de instituta materia, videlicet super Anna quæ dicitur trinuba et super nomine Salomæ quod Marcus ponit, cum hoc anno tecum facerem iter, nonnulla quidem, sed breviter et intercise ut inter viandum fieri solet contulisse, et quia sensum meum quem interloquebar tibi satis tunc sedere conjeci, ex tunc sacrarum litterarum tractatores, præcipue illos quibus præpositi veritas amplius clarescere debuit conquisivi legi, et ut res dubia patefieret testimoniorum hinc inde carptis prout præsens epistola edocet defloravi. Et præterea veniens ad nos dilectus socius noster magister Joannes Saresberiensis, notus tibi ut arbitror, quamdam schedulam ex parte cujusdam fratris magistri Wilelmi Londoniensis viri ut scitis, litterati, et, ut creditur, religiosi, qui apud Sanctum Dionysium monachus est, detulit, quæ Claudii super Matthæum prætitulabatur ; ubi continebatur Claudium illum juxta Origenis suspicationem opinari illam, quam Matthæus dicit matrem filiorum Zebedæi, a Marco Salome proprio nomine vocitari, quoniam ob id schedulam dictus frater mihi facta operose expositorum indagatione transmisit, quia sciens illum aliquam in litteris habere virtutem, super nomine Salomæ hoc anno sollicitaveram. Cum enim me sedulo interrogante Salomæ juxta nostrorum fabulam tertium fuisse Annæ virum contenderet, ego qua id Scripturæ auctoritate defenderet sæpe et sæpius sicut mos est sciscitabar. Et, ne inter verborum pugnas Hieronymum in epistola contra Heliudium, ut cæteri solent, proclamaret, citius obstruxi viam, rem optime expertam asseverans, quod in tota epistola nulla seu Annæ seu alicujus Annæ viri etiam mentio habeatur, nec etiam novum Salomæ reperiri. Videtur potius in ea epistola Hieronymus non astruere, sed adimere istam de tribus Annæ viris assertionem. Ait enim quod Maria quæ Jacobi minoris scribitur mater, fuerit uxor Alphæi et soror Mariæ matris Domini, quam Mariam Cleophæ Joannes evangelista cognominat: a patre, innuit, sive a gentilitate familiæ aut quacunque alia causa ei nomen imponens. Pariter et Beda cernens ubi vetulus bos scilicet Hieronymus altius pedem figere metuit, titubando sequens articulato incedit gradu, super evanglistas in explanationibus suis dicens Mariam illam uxorem Alphæi ideo a Joanne Mariam Cleophæ cognominatam, quia vel idem Alphæus etiam Cleophas dictus sit, vel quod ipsa Maria defuncto post natum Jacobum Alphæo Cleophæ nupserit. Ecce quia Beda Hieronymum secutus nil præsumit asserere ; alias tamen quam Hieronymus ponens cognominis Cleophæ conjecturas. Et altera quidem quam subjicit opinio assertioni de tribus his Annæ viris invenitur multum adversa. Quoniam

A Cleophas, quem illi asserunt virum Annæ et patrem Mariæ, juxta hanc quam Beda ponit conjecturam, vir ejusdem Mariæ æstimatur. Unde, si vera est contrariorum assertio, non possum admirari quomodo tanti doctores, tanti etiam historiarum indagatores, et qui explanandi studio super evangelistas adeo desudarunt, evangelicam historiam, quam moderni sciunt, veteres ignorarint, quinimo opiniones veritati historiæ tam absurde dissonas perpetuis garrularum litterarum mandaverint monumentis : vix possem credere nos animales et carneos super evangelica præsertim historia didicisse, quod præcipuos illos et primos illos doctores Ecclesiæ latuisset : qui nec etiam legere sufficimus quanta illi scripserunt. Hos igitur Annæ trinubæ asserto-
B res velut aliquorum apocryphorum deliramenta sectantes omittamus: et dilligentius intueamur quod illi præfati doctores Hieronymus et Beda non asserant Mariam Cleophæ sic cognominatam a patre, sed ambigui scilicet et stylo verecunde parcentes, verebantur rem incertam infra certæ definitionis fines concludere. Miror igitur admodum unde tam inverecundus error acciderit, ut ad rei incertæ assertionem librati tanti viri dogmati, Hieronymi dico, calumnia strueretur, et ut Hispanæ neniæ authenticæ fiant ecclesiastici falso provocatur auctoritas. Arbitror tamen quod his diebus erroris maxime invaluerit, occasione magistri mei suavis recordationis Petri Parisiensis episcopi, qui, cum in epistola ad Galatas super locum illum: *Alium*
C *autem apostolorum neminem vidi nisi Jacobum fratrem Domini* (*Gal.* I), vulgatam illam Annulæ (*sic* trinubæ edisserat historiam, seorsim in margine nomen Hieronymi minio colore signavit ; at si illam Annæ historiam Hieronymus in epistola contra Heliudium eisdem verborum filis contexerat, cum tamen illi historiæ Hieronymus, sicut jam diximus et experti novimus, nec in uno apice auctoritatem testimonii conferat ; nunquid igitur magister Petrus, ut Scripturarum calumniator notatus, in causa erit erroris et culpa ? Non fatebor : malo in præsentiarum lubricam scriptoris manum notare et imperitiam quam tantum doctorem calumniæ causari vel erroris. Verum excusatus hinc excusabitur inde, quod super præfatum epistolæ ad Galatas locum cele-
D brem illam Annæ historiæ nullam, ut videtur, Scripturæ secutus auctoritatem non tardo et titubante ambigui sermonis gradu, sed constanti et concito absque ullo hæsitationis scrupulo prosequatur : adeo etiam ut si apocryphorum deliramenta sectaretur, nec ubi sic relatum sit facile reperiatur, cum nec etiam in apocrypho, illo qui de infantia Salvatoris inscribitur, ulla de tribus Annæ viris mentio fiat nisi duntaxat Joathim. Verum nec ob id præfato doctori, qui modernis temporibus in ecclesiasticis dogmatibus parem non habuit, audeo in præsentiarum temeritatis vel ignorantiæ impingere notam, nec in quoquam accusare præsumo : ne quis tamen hinc æstimet me adeo in doctorum meorum laude-

procacem ut ipsorum velim sequi vitia seu penitus ignorantiam tollere vel tueri errantes. Sed scio valce periculosum esse et non facile veniam de servo alterius, nedum de magistro proprio judicare, præsertim cum ille tanta et tam studiose legerit, quæ nos epicura animalia Pelusiotæ et torpore glires vix perfunctorie transcurrimus, imo quorum multa nec etiam vidimus. Semoveatur igitur nunc ab hac præsenti collatione nostra tanti doctoris auctoritas, qui profecto nec dubito, si adviveret, variis et validis Scripturarum testimoniis valde militiæ suæ armis scripta sua fortius contra æmulos suos defenderet, qui tamen impræsentiarum in relatione præfata quem secutus fuerit auctorem ignoratur. Hujus igitur auctoritate remota, quem in præsenti nec penitus excuso, nec ut jam dixi temere accusare præsumo, certa præponamus incertis, et nomen Salomæ quod Marcus ponit mulieris ibi esse nomen non viri, non disputatione lubrica, sed firmis Scripturarum testimoniis defendamus. Accedat primus maximus ille et antiquissimus Scripturarum interpres : Origenem dico, qui sicut historiarum fide celebre est, centum et quinquaginta annis et amplius adhuc ante Ambrosium, Hieronymum, Augustinum et reliquos sacrarum litterarum interpretes, die noctuque in divinarum legum explanationibus desudavit, et primus absque exemplo et solus sine socio quantum litteris illis potuisset edocuit, quem utinam tam Catholicum suscepissemus dogmatisten quam fidum admiramur interpretem. Hic, inquam, accedat primus, qui eo magis veritatem evangelicæ historiæ et Domini in carne conversantis consortes cognoscere debuit, quo et primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus vicinior fuit : prius itaque evangelistæ verba ponamus : *Erant autem* inquit Matthæus, *ibi mulieres videntes a longe, quæ secutæ fuerant Jesum a Galilæa ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene et Maria Jacobi et Joseph mater et mater filiorum Zebedæi* (*Matth.* XXVII). Ecce verba evangelistæ, super quem in commentario suo Origenes inter alia sic edisserit : « Si autem, inquit, oportet opinari et dicere etiam nomen matris filiorum Zebedæi, dico quoniam hæc ipsa fuerat Salome *pacifica* appellata. Opinatus sum autem hoc videns apud Matthæum et Marcum tres præcipuas mulieres nominatas. de quibus præsens sermo habetur ; et duas quidem esse præsens evangelista exponit Mariam Magdalenam et Mariam Jacobi, tertiam autem dicit matrem filiorum Zebedæi ; apud Marcum autem tertia illa Salome appellatur. » Et infra : « Et hoc observa, quoniam superius duæ istæ Mariæ et mater filiorum Zebedæi quam æstimamus Salomen, de longe spectabant mirabilia quæ in passione fiebant, et corpus ejus suspensum in ligno. » Audivimus Origenem ; cui et super eumdem evangelistæ locum in explanatione sua super eumdem evangelistam Claudius consonat, post supraposita evangelistæ verba ita inquiens : « De his mulieribus magna quam sæpe ambiguitas nascitur, sicut in hoc loco, ubi Matthæus dicit matrem filiorum Zebedæi fuisse cum reliquis duabus. » Marcus Salomen illam fuisse commemorat. Nec igitur mirum, cum utrique eorum, licet tres nominaverint, plures fuisse insinuent, quæ fuerant eum secutæ a Galilæa et erant aspicientes de longe, inter quas erant istæ tres, de quibus Matthæus dicit, et Marcus similiter nominat, nisi quia pro matre filiorum Zebedæi Salomen ac si alteram ponit. Poterat enim esse ut illa esset quæ de his multis a Marco tertia poneretur. Nihil enim interest ad veritatem, quas mulieres idem pariter quas singuli ex his omnibus nominaverint. Suspicatur tamen Origenes eamdem Salomen fuisse matrem filiorum Zebedæi quæ mater ita vocatur, et post pauca idem Claudius. Unde liceat opinari et dicere nomen matris filiorum Zebedæi quod ipsa sit quæ a Marco Salome vocatur. Quoniam utrasque præcipuas absque dubio inter cæteras uterque evangelista ex nomine designavit, et ideo forte Salome vocatur, quia Salome *pacifica* interpretatur. Unde, quia reliquæ duæ magni meriti erant, non immerito suspicor et hanc tertiam ipsam esse matrem filiorum Zebedæi, quæ et apud Marcum et ipsa tertia Salome vocatur. Joannes etiam Chrysostomus in homilia quadam de passione Domini super Matthæum nomen Salome, quod Marcus ponit, proprium fuisse filiorum Zebedæi, cæteris fortius et expressius, non lubrico, sed rotundo sermone asseverat. Cujus [verba] huic epistolæ non inserui, quia inter scribendum hæc Senonis reperire non potui. Item in martyrologio quod in Ecclesia Dei per totum anni circulum legitur, in capitulo cui XI Kal. Novemb. inscribitur, sic habetur : « Apud Adrianopolim Thraciæ, natalis sanctorum martyrum Philippi episcopi, Eusebii, Hermetis, » et infra : « item sanctæ Salomæ quæ in Evangelio legitur circa Domini sepulturam sollicita. » Ex his omnibus luce clarius liquet per nomen Salomæ, quod Marcus ponit, mulierem illam quæ a Matthæo mater filiorum Zebedæi dicitur a Marco sic tanquam nomine proprio designari. Item aliunde docemur manifeste quod Salome nomen mulieris sit. Unde Hieronymus in libro Hebraicorum nominum dicit quod Salome *pacifica* interpretatur et in libro antiquitatum Josephi filia Herodis ubique dicitur Salome utpote quæ sic suo nomine appelletur. Cum autem, ut jam dixi, apud Sanctum Dionysium essem et præfatum magistrum Willelmum Londoniensem non quidem procaciter, sed sedulo tamen et instanter super jam sæpe dicto nomine Salomæ convenirem, inter modestas verborum pugnas quidam alius frater magister Willelmus nomine, quondam officio medicus, nunc vero ut speratur sicut habitum monachi et animum gerens, supervenit, qui ut altercationis causam advertit. audientia postulata, aiebat se inter Syros aliquanto tempore conversatum, et ibi esse Ecclesiam in honore trium Mariarum dedicatam quam Syri summa venerantur devotione, adjiciens quod sicut juxta populi terræ traditionem acceperat, una sit Maria Magdalena, secunda Maria Jacobi et Joseph mater,

ertia mater filiorum Zebedæi, quæ et Maria juxta ;yros sit appellata, et tunc ad me verbum specia-iter dirigens: « Potuit, inquit, et hæc eadem, sicut u secundum majorum testimonia probabiliter di-;putas, et Salome appellari. » — « Esto, dixi, in hac arte contentiosum funem non traho, dummodo :onstet nomen Salomæ a Marco in designatione mu-ieris poni. » In hoc, inquam, contentiosus non ero. Siquidem didici Scripturæ consuetudinem eumdem iominem diversis nominibus appellare, quod tamen n feminis multo rarius obtinet. Verumtamen quod nulier illa evangelica, de qua jam multum sermo-iem serui, non solum Salome sed et Maria dicta sit, robabilem hinc sumo conjecturam: solent siquidem nultæ Ecclesiæ ab antiquo per singulos anni cir-:ulos in diluculo resurrectionis Dominicæ ad de-otionis augmentum, trium Mariarum Dominum in epulcro operose et devote cum unguentis quæren-ium, non irreligiosas ostentare præstigias, et quæ unt hæ tres Mariæ, verius, ut arbitror, non inti-nabitur, quam si una dicatur Maria Magdalena, ltera Maria Jacobi et Joseph mater, et tertia laria quæ et Salome, mater filiorum Zebedæi, 'erum, ut jam diximus, in hac parte contentiosus on ero; duntaxat Salome nomen mulieris fuisse in larco obtentum fuerit. Verum ab hac assertione, on dico opinione, poterit nos aliquantisper amo-ere illud quod de his mulieribus in quadam homi-a Paschali legitur, quam vidi Gregorii inscriptam: *laria Magdalene*, inquit Marcus evangelista, *et laria Jacobi emerunt aromata, ut venientes unge-ent Jesum* (*Marc.* XVI, 1), etc. Commendat, inquit regorius, lectio evangelica sanctarum mulierum evotionem, et infra: *Maria Magdalene*, inquit, *ipsa oror Lazari, quæ unxit Dominum unguento* (*Joan.* I, 2). Maria Jacobi mater est Jacobi junioris et Jo-eph et soror matris Domini. Maria Salome a viro el avito dicta est. Tradunt enim eam duos viros abuisse, Cleopham scilicet et Salomam, ipsam uoque volunt esse, quæ alibi Maria Cleophæ ap-ellatur. Ecce verba homiliæ quam Gregorii præ-:riptam legi, cujus tamen procul dubio non est, otius inter apocrypha computatur, quæ tamen, sic-t intitulatur, si esset Gregorii vel cujusvis eccle-astici, nec sic pro Annæ trinubæ assertoribus fa-:eret, sed potius obviat, refert siquidem opinionem :cundum quam Cleophas quem isti novæ historiæ ssertores faciunt virum Annæ et patrem Mariæ, sius Mariæ conjux æstimatur. Sentio, domine in hristo mihi amantissime, dum propere Scripturas nc inde pro viribus meis spoliarem ut ipsarum stimoniis quomodovis propositis veritas magis ac agis ornata claresceret, me subito sermonis im-:tu velut effreni equo evectum, regulares epistolæ etas excessisse, adeo ut nec videar epistolæ nec ultiplicibus occupationibus tuis pepercisse. Sed ad-rtat dominus meus, quia cum sim canis mortuus pulex unus contra magnos et modernos novæ storiæ imo inveteratæ fabulæ assertores novæ su-sceperim disputationis gressum. Unde et necesse fuit singula diligentius prosequi, et non disputatio-nis lubrico, sed evidentibus et irrefragabilibus ma-jorum testimoniis falsitatem convellere. Id autem in calce sermonis adjicio, quod sicut nunc et alias tibi de his, quæ me in Scripturis persæpe torquent, persæpe scriberem, nisi vererer me inquietudinem magis præstare quam officium, inter tam magna et multiplicia negotia quæ tibi rara hora deesse pos-sunt aut desunt, utpote cui totum debeo modicum id quod sum, siquidem præsentem mei et meorum in exsilio quod adhuc tam juste pressuram magni-fica et celebris liberalitas vestra mitigavit. Ad quam sicut celebre est, nemo confugiens confusus abiit, ob id etiam potissimum ascribendum persæpe vix contineo stylum, quod non solum modernos prin-cipes, sed et multos et nominatos hujus officii viros in amore litterarum et adepto ipsarum culmine ex-cesseris. Porro, si Pythagoras adviveret, ob amorem istum præcipuum et ob alias si attendimus naturæ bene institutæ dotes, divæ recordationis Constan-tini magni spiritum in vos descendisse proclama-ret. Sed non pergo nunc gratiarum nostrarum ulte-rius dona prosequi. Sufficit quæ universi norunt tetigisse; præsertim ne videar in præsentiarum non propter propositum, sed potius propter enumeran-dum gratiarum vestrarum catalogum cœptum in-situisse sermonem, id in fine orans, quod si forte nuntii domini regis Anglorum in celsitudinis tuæ conspectu opinionem domini Cantuariensis seu par-vitatis meæ labiis detrahentibus gravare attentave-rint, ne adhibeat fidem prudentia tua. Nam, licet demus pœnas pro meritis, collocati in obscuris sic-ut mortui sæculi, in nos tamen quotidie psallunt qui vinum bibunt, et me præsertim hominem exsu-lem et obscurum quod modo manibus nequeunt linguis suis ubique consectantur, objicientes mihi quod anno præterito domino regi Angliæ nescio quæ Andegavis in superbia et in abusione locutus fuerim, quæ tamen illa fuerint, credo me tibi (ne-scio si prudentia tua nunc recolat) fideliter retu-lisse. Sed esto; David mausuetudinem deprecabor, et Semei non verebor opprobrium; eo ipso potius peccatorum meorum vulnera curabuntur, et ponens interim ori meo custodiam in necessariam miseri-cordiæ vocem erumpam: *Miserere* mei, *Domine, miserere* mei *quia* repletus sum *despectione*, factus *opprobrium abundantibus et despectio superbis* (*Psal* CXXII).

EPISTOLA II

EPISTOLA HERBERTI IN PERSONA THOMÆ CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI EXSULANTIS AD ALEXANDRUM PAPAM CONTRA GILBERTUM LONDONIENSEM EPISCOPUM JAM EXCOMMUNICATUM.

Amantissimo sibi in Christo Patri et domino ALEXANDRO, Dei gratia summo pontifici. THOMAS Can-tuariorum Ecclesiæ exsul miserabilis, debitam cum omni devotione obedientiam.

Quod tam crebris et querulis vocibus tantæ ma-

jestatis me præsentiæ ingero, non quidem irreverentia in causa est, sed et pressura quæ et nunc cogit ut non lenta, sed de more luctuosa currat oratio, et eo nunc luctuosius, quo periclitor gravius a malo utique domestico et intestino. Ecce enim illam justissimi ut creditur anathematis censuram in fratrem, et utinam vere fratrem ! Londoniensem episcopum promulgatam, quam cæteri fratres nostri provinciales episcopi exaudito litterarum nostrarum tenore, ut vere justam approbarunt, solus ipse contemnet, solus et totus in ira et disceptatione positus, totum per contentionem agens furor ei sicut jam dicitur secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, ne vocem sapientis incantantis exaudiat. Et quod adhuc plango locrymosius quia cæteris detestabilius est, B isto furoris sui et impatientiæ spiritu rumpit professionis et obedientiæ vincula, matris suæ latera concutit et se excutit foras. Inter cætera siquidem ad infirmandum in ipsum latam sententiam convocato ad id universo civitatis clero, multis quoque astantibus et audientibus publice attestatus est se neque ratione personæ suæ neque Ecclesiæ nunc sibi creditæ, metropoli Ecclesiæ seu metropolitani personæ ullo professionis aut obedientiæ vinculo astringi. Ratione personæ non teneri se asserit, quia facta est translatio personæ absque nova professionis vel obedientiæ exhibitione. Et inclinavit profecto ex hoc in hoc utinam exinanita fuisset fex ejus. « Pariter et Ecclesia ad quam translatus est ipsum liberat penitus, inquit, quia et ipsa ab antiquis ut refert paganorum temporibus, ab omni Cantuariensis Ecclesiæ subjectione libera fuit. » Unde et se de jure archipræsulem debere fieri publice contendebat et archipræsulatum sibi frontose nimis vindicare non erubuit. Hæc autem non in angulo, sed universo, ut jam dixi, ad id ipsum convocato civitatis clero, multis quoque de populo astantibus et audientibus gesta sunt. Unde, sicut jam diu clamavit mundus, manifeste nunc testantur opera. Prodiit enim quasi ex adipe diu operum iniquitas, nec amplius tegi poterat, ira et impatientia pessimis usa consultoribus. Accedit autem malorum cumulo quod hoc tam detestandam concisionem et tam exsecrabilia manifestæ inobedientiæ verba sub alarum vestrarum velamento coalitura existimat. Qui ut accepit me sacerdotio meo posse libere fungi, mox nescio ad quod ut dicit provocationis non refugium, sed suffugium convolavit, necdum profecto in ullo gravatus sed gravare intendens, nisi quod forte suum reputabat gravamen, si non me in priora conjecto vincula militiæ meæ arma ademisset. Quin potius in nullo gravatus non modicum gravavit appellans. Nam eo ipso pacis ecclesiasticæ auram, quæ etiam a pacis inimicis et ipsam diu desperantibus putabatur, statuit in procellam et fluctus aliquantisper sedatos superbiæ suæ vento amplius excitavit. Evigilet

A se igitur, pater clemens et juste judex, consideratio vestra. Evigilet se ad tam iniquæ appellationis abusionem, ne ad invocationem tanti et tam sancti nominis tui, quasi sub alarum vestrarum umbra exstinguatur obedientia et foveatur iniquitas. Excutiat se potius excussorum filius, moveatur miseratio, moveatur et indignatio vestra : alteram quippe debetis læso, alteram lædenti, ne in potestate tanta periclitetur aut clementiæ pietas aut zeli rectitudo. Non enim erit quis innocens, si aut puniat illum cui parcendum est, aut parcat ei qui fuerat puniendus. Proinde moveat vos, clementissime Pater, hinc censura justitiæ, inde compassio misericordiæ, ut ita in vicario Christi et Christo Domini justitia et pax osculentur se invicem. « Amant enim se duo hæc, ait quidam, ut qui facit justitiam inveniat pacem, et non aliter. » Moveat igitur vos mea meorumque pressura et causa pressuræ et præ cæteris naufragium naviculæ, in qua te jubente ascendi in altum, ut retia laxarem in capturam. Eam siquidem vosmet meo credidistis regimini, quam tamen meis manibus sine vestris viribus præsertim inter tantas seditionum et dissensionum tempestates nequaquam gubernare sufficio. Advertat etiam miseratio vestra quantis fuerit navicula hæc ab antiquis illis parentum nostrorum temporibus jactata fluctibus, tunsa quidem persæpe sed fracta nunquam, quinimo semper liberam de medio petrarum dabat vocem, non ut confracta sed solida. Siquidem quæ nunc in tanta pressura cernitur Cantuariensis Ecclesia, ab apo- C stolicæ sedis obedientia, cui vos nunc Domino Ecclesiam suam miserante præsidetis non dico recessit, sed nec etiam in modico, etsi in corde maris sita, nullo terrenarum potestatum metu seu gratia titubavit. Pro ipsa igitur apostolatui vestro ad hos dies adeo devota et a vobismet mihi credita, totis animi viribus et genibus provolutus ego et passionis meæ socii supplicamus, quatenus rectore ipsius filiis etiam periclitantibus ipsa saltem in singularis vestri primatus fortitudine in statu suo et gradu pristino integra conservetur. In fine autem præsentium intimamus quod circa ipsorum finem accepimus, moveri videlicet quam plurimos plurimum eo quod nuntius domini regis Anglorum Reginaldus Saresberiensis archidiaconus a vobis revertens, et per nostri exsilii civitatem transitum faciens, multa, ut D dicitur, in superbia et in abusione locutus est, addens inter alia et de se loquens, quod etsi ipse non esset Cantuariensis archiepiscopus ipse tamen Cantuariensis archiepiscopi vinctos anathemate solveret et adhuc rerum Cantuariensis Ecclesiæ invasores ab omni ablatorum, tam mobilium quam immobilium, restitutione ex toto liberaret, in verbi sui testimonium nescio quos mercatores secum ductos velut digito ostentans, quibus vestro nomine se pecuniam soluturum divulgabat his aliis aliquid, nihil autem mihi et verbis his : nec confundor enim nec moveor, quia, velit, nolit mundus, si quid possem ad gloriam, verum ad Ecclesiæ ignominiam vel detri-

mentum miserante Domino facturus sum nihil,nec ınquam res sive vasa templi sanguine Christi ela- porata et dicata pauperibus ipsius etiam Christi de- putata obsequiis Balthasar,me assentiente,in lasci- viæ suæ usus convertet : quin potius calamitosæ et exsularis vitæ meæ residuum juvante et jubente te vicario Christi et christo Domini superimpendere paratus sum.

EPISTOLA III

PISTOLA HERBERTI IN PERSONA THOMÆ CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI CONTRA EUMDEM.

Reverendissimo Patri et domino ALEXANDRO,Dei ratia summo pontifici.THOMAS,miseræ Cantuarien- is Ecclesiæ minister humilis et miserabilis exsul,sa- ıtem et omnem cum summa devotione obedientiam.

Cum ego pauper et dolens tantæ majestatis regiam lamoribus querulis ad omnia et sæpe urgentia ræsentis agonis mei pericula crebro nimis et im- ortune pulsaverim, nunc eo instantius quo urgeor ravius, ad solitum præsidium recurrimus. Pulsa gitur verecundia et quodammodo majestatem non ensans, nudum et omni ope destitutum humana antæ majestatis me oculis ingero,qui potius in hoc aupere et tenui membranulæ schemate quotquo- umus coloris et migrationis filii, pietatis tantæ pe ibus advolvimur,regiam illam clementiam quadam acrymarum nostrarum dextra et diuturna jam vitæ ostræ miseria pulsantes, ut misericordiæ vestræ anuas miserabilis ingrediatur oratio nostra : nunc ræsertim cum allophytus ille nunc demum revela- ıs corporis sui mode parvitatem meam despiciens niversum Israelem singulari certamine provocet, t ita in se summam belli et totius prælii pondus xcipiens Philistæa omnis victoria et ipse præ cæ- eris victoriæ gloria ponatur. Sed quid ? Goliam si- nifico, utinam vel solum se Goliam exhibuisset, uin potius periculosior est.Nam sicut clamat mun- us, testantur opera, filium adversus patrem qui- us potest consiliis instruit, ut idem sit nobis achi- phel in abscondito et Golias in aperto.Et attendat aulisper discretio vestra, si non ipsius opera testi- ıonium his quæ de ipso dicuntur perhibeant.

Prima objectia. Primo in Anglia apud Northamp- ıne, cum in tanto versarer discrimine adeo ut ipsi aliis fratribus et coepiscopis nostris a divinis di- ricte præciperem cessare officiis, si propriæ meæ ersonæ violentæ quod multi tunc juste intuεban- ır, mitterentur manus, multis qui tunc aderant oepiscopis nostris audientibus, clericis etiam non- ullis, iste confestim appellavit, quasi ex eo grava- etur, si non mihi vincula fuissent injecta. Quam iiqua fuerit hœc appellatio, et quantam adversus ppellantem faciat præsumptionem, vestra, si pla- eat, consideratio hæc.

Secunda objectio. Præterea Senonis in sublimita- s vestræ præsentia advocans quantum adversus arvitatem meum linguam suam acuerit, et nisi ohibuisset miseratio vestra, quantis probris et con- ımeliis lacerasset ipsum patrem suum jam exsu- lantem et absentem, excidisse non arbitror. Unde et eo solo maledici meruit quod patris sui pudenda revelare attentavit.

Tertia objectio. Præterea me Senonis a vexatio- nibus meis et angustiis ad clementiæ vestræ sinum properante, nec a jam sæpe dicto fratre et utinam vero fratre exspectatum idem tempore in terram re- versus una cum cæteris, nisi quia inter cæteros ma- jor necdum accepto super hoc regis mandato spolia- vit et universa Ecclesiæ bona fecit confiscari.

Quarta objectio. Præterea hoc nulla commentitia et concinnata fraude valebit, seu in tantæ majestatis oculis audebit tegere : quin sciens et prudens ante propriam sui excommunicationem ex nomine meis excommunicatis communicaverit. Illud etiam ana- thematis vinculum quo impræsentiarum innodatus est,ut certissime mei persuasum est, solvit ecclesiam intrans ipsis etiam missarum assistens solemnibus.

Quinta objectio. Qualiter etiam sacros vestræ ex- cellentiæ apices suppresserit et parvitatis meæ man- data contempserit, omnino auditum est.

Sexta objectio. Quoties vero et ob quas causas su- per iisdem negotii articulis appellaverit, et idiotæ et plebeii per vicos et plateas garriunt,sperant quod ad invocationem sancti nominis tui quasi sub ala- rum tuarum regimine persequentium nos iniquitas et injustitia coalescere potuissent.

Septima objectio. Novissime etiam dum consueto hoc non refugio uteretur sed suffugio, quod cæteris omnibus longe cœlestibus judico non clam sed co- ram populo, cubile patris attentavit ascendere, et se de jure metropolitanum esse publice contendere non erubuit ; adjiciens etiam quia inclinavit ex hoc in hoc ex Herefordia Londoniensis factus, Cantua- riensi vero metropolitano nullo astringi professionis seu obedientiæ vinculo, cum in sui translatione hæc exacta non fuerint. De quibus tamen memini me alias vestræ plenius charitati scripsisse.Ipsa igitur Cantuariensis Ecclesia tam multiplices illecebrosæ artis nexus ultra non sustinens, illius caput contri- vit, cujus toties calcaneo fuerat insidiatus. Sed non pergo nunc alterius illius exagitare excessus : suffi- ciat tetigisse. Præteritis enim multis ea duntaxat recolo quæ lapides et marmora clamant. Horum etiam multa ex multorum revelatione ad vos com- meantium effugisse non arbitror. In omnibus enim his coram populo processit in campum armatus ut Philistis bella dimicare. Verum Golias in campo,in conclavi Achitophel erat, adeo etiam ut nuntiis do- mini regis proxime a sanctitate vestra revertenti- bus, Ricardo videlicet Barre et Radulfo archidia- cono, verbum pacis, quod tunc sedulo quidem et officiose tractabatur, una cum archidiabolo illo Gal- frido Ridel concilii sui nisibus ruperit. In cujus etiam spe verbi ego cum coexsulibus meis conscien- tia regis et voluntate Pontiseram jam usque proces- seram, apud Calvum montem cum venerabili fratre nostro domino Rotomagensi habiturus colloquium;

deinde juxta eventum coloquii ad regem qui ob id propius se accessurum disposuerat processurus. Verum in eo articulo jam dicti regis nuntiis adventantibus, sicut a Chusi fideliter accepi, omnis ille apparatus frustratus est consilio Achitophel forsitan a nuntiis aliquo in meæ depressionis augmentum et restitutionis suæ spem certam accipiens. Sed esto: *Dominus mihi adjutor* (*Psal.* CXVII), *non timebo quid faciat mihi caro* (*Psal.* LV). Spero etiam certissime quod, te duce, te rectore, procella mea statuetur in auram et tempestas erumpens super caput impii veniet. Unde ego sicut ipsorum minimus ita hodie et miserrimus et quotquot passionis istius socii sunt, sanctitatis vestræ genibus provolutis et manibus expansis supplicamus et quantas audemus majestati tantæ porrigimus preces: Dissipa, Domine, concilium Achitophel et percute caput de domo impii. Et sicut inde David vice fungeris opus id probet; singulari solertia fortitudine tua Golias alter prosternatur et caput amittat, quod, ut jam supra monstravimus, in tam multas artes vertit et fraudes. Nam tu solus in militia tanto certamini habilis æstimaris. Et tunc profecto in decem millibus juvencularum psallentium testimonio triumphabis. Nam pestilente pereunte alii manus suas lavabunt in sanguine peccatoris, juxta quod unus sanctorum ait: « Melius esse ut paucorum damnatione plurimi liberentur quam eorum absolutione plures periclitentur. » Alioquin certe injusta misericordia est. Consulite ergo. Eliæ zelum et gladius Phinees a cordis vestri ne excidat manibus; et videte quo zelo dignus sit qui operatus est sic, qui patrem suum retrusit in carcerem, nudavit et adhuc tenet in vinculis, et quod plango lacrymosius quia cæteris detestabilius est, patris sui sponsam zelatus est sibi, et non in conclavi hoc, sed, ut supra diximus, publice cubile patris violare attentavit, protestans, populo et clero civitatis suæ audiente, se jure debere metropolim obtinere, nec Cantuariensi ullo astringi professionis seu obedientiæ vinculo. Igitur an absolutionem seu condemnationem meruerit tam malitiosa operatus, tam superba locutus, singularis primatus vestri consideratio hæc. Et, si forsan secundum ecclesiasticum morem anathematis absolutionem impetravit, an in hoc ipso parvitati meæ, quam adeo contumaciter contempsit, quin potius an matri suæ Ecclesiæ, cujus publice et tam impudenter rupit professionis et obedientiæ vincula, debeat reservari auctoritas; vestra itidem consideratio hæc: et ut tantæ majestati non tam temere quam timide hæc loquor, singulis studiose oppressis in hanc spem non esset absonum et pro certo ad Ecclesiæ pacem fieret expeditior via, si qualis accedit talis reverteretur. Alioquin scitote et ego certus sum, quod sicut jam sæpe accidit, curabitur contritio nostra cum ignominia. Dicent enim: *Pax, pax, et non est pax* (*Ezech.* XIII). Hæc idcirco adeo et confidens dixerim, quod ex solo justitiæ metu humiliatio erit et ad pacem accessus, quam sola justitia poterit, juxta quod egregius ille doctor pariter et rector: « Amant, inquit, se hæc duo, » etc., etc., etc. Videar forte in suggillationem personæ Londoniensis nimius, et odio potius quam ex judicio tam dura tam amara scripsisse. Sed testis est mihi is cui omnis voluntas loquitur, et cui nunc sermo in vinculis meis quomodo cupiam eum in visceribus Christi Jesu, qui etsi mihi filialem, ego tamen illi, Dominus scit, affectum patris non subtraxi: id magis et magis inter vincula mea desiderans ut digne ambulassemus vocatione qua vocat sumus, cum omni humilitate et mansuetudine alter alterius onera portantes. Adverto me jam in tanta sermonis longitudine epistolarem omnem brevitatem excess i: vereor tantæ majestatis offendisse auditum, ad alia tam magna et tam multiplicia mortalis vitæ hujus negotia intentum. Sed spero quod qui tam paterno tam materno etiam affectu compatitur meis afflictionibus, facile indulgentiam tribuat verborum excessibus: præsertim cum brevi non potuisset stringi sermone quod sensibus et doloribus dilatatum est. Præterea alias breviores, quas etiam præter has vestræ transmitt sanctitati, jam scripseram litteras, cum ecce subito cursor intraret qui profectionem Londoniensis ad curiam et alia pleraque hic contenta nuntiaret. Unde tantis novis supervenientibus nova scribere necessarium et post priorum litterarum finem harum inchoare principium. Spiritus consilii et scientiæ doceat vos de omnibus, charissime mihi Pater.

EPISTOLA IV.

EPISTOLA HERBERTI IN PERSONA STEPHANI MELDENSIS EPISCOPI AD ALEXANDRUM PAPAM PRO THOMA CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO EXSULANTE.

Etsi tibi, Pater sancte, omnium sollicitudo Ecclesiarum de singularis primatus tui excellentia si commissa, specialius tamen illi Ecclesiæ filii a te consolationem et protectionem demerentur, qui ex adverso ascendere non metuunt et terrenis potestatibus, ne quod Ecclesiæ est usurpent, libere contradicunt. Proinde est quod ego episcoporum minimu pro venerabili fratre nostro filio tuo Thoma Cantuariensi archiepiscopo viro, ut creditur, Deo amabili et matri nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidel genibus provolutus, quantas valeo et audeo majestati tantæ porrigo preces, qui pro tuo nomine e Ecclesiæ tuitione, sicut novit Ecclesiarum orbis, tam gravia passus est, et supra spem omnium, cum esse nutritus in palatiis, contubernalis et condiscipulu Augustorum, contempta principis gratia et univers gloria domus ejus, solus pastorales sudores aggressus est, et ob id torcular calcavit solus, nisi quia effusus est furor juxta planctum prophetæ: *Super parvulum foris et super concilium juvenum simul. Vi etiam cum uxore expulsus est et senes cum plen dierum: transierunt domus eorum ad alteros, agr et uxores pariter* (*Jer.* VI). Respicias igitur, amantissime Pater, super filios tuos, qui cum ipso tam dire tam inhumane proscripti sunt et ejecti. Respicias

pastor bone, super oves pascuæ tuæ : exturba et dissipa, judex sancte, tuam dissipantes hære litatem, ne potestas tanta sine causa gladium portet, nunc præsertim cum in Christum Malchus et in vasa templi Balthasar manus extendit. Et quia Christi vicarius es, opus id probet, leva manus tuas in superbias eorum qui malignantur in sancto. Increpa feras arundinis, confringe in diæ iræ tuæ reges et in nationibus judica, ut quemadmodum es pater misericordiarum, sis et dominus ultionum judex justus et fortis, terribilis et auferens spiritum principum terribilis apud reges terræ, ut sicut Christi te scimus vicarium sic Christi ministerium impleas.

Oro igitur et iterum oro : vicarius Christi christus Domini Christi injuriam amodo ne dissimulet. Verumtamen verbum illud tritum jam et commune nobis scriptum est, quod sapientibus nostris caro revelavit et sanguis : Exspecta, inquiunt, reexspecta, non est tempus vindictæ sed sustinentiæ in anta, inquit, multitudine inimicorum Ecclesiæ. Oro, Pater, sustine paulisper, et supporta me tantæ maestati, non tam temere quam timide hæc loquenem : mira certe ima monstruosa sapientia hæc ut unc sine causa portetur gladius sacerdotii quia nulti sunt adversarii Christi, quasi athletis Christi id tempus cedere, curvare genua, solvere manus, et gladium in vaginam convertere tutius sit adversaiorum multitudine territis. O cæca mundi sapienia supina nimis et crassa, enervans omnem fortituinem fidei, suffocans censuram judicii et quæ luernam justitiæ ponat sub modio. Pro quibus propheta : *Aperi, Domine, oculos eorum, ut videant, uia plures nobiscum sunt* (*IV Reg.* VI). Non diffiteor amen persæpe parendum tempori, interdum aliqua issimulanda, sustinenda multa : dispensanda vero onnulla, at id quidem bene fieri si salva justitia at. Sed ut taceam tam dirum et Christianorum prinpum temporibus inauditum exsilium, ubi unius ercussione tot et tanti mulctantur : quomodo erit alva justitia ubi secundo vinctus ducitur Christus nte præsidem, et Petro adimitur sui apostolatus fficium, Anglorum vero Ecclesiæ sicut jam omnino dditum est exauctorata, passim trahuntur clerici d judicia sæculi, sacerdotes ligandi et solvendi potestatem exercere non audent ? Age igitur, homo ei, quorum tenes hæreditatem, induere fortitudiem : excute te, fili excussorum, ut sis disciplinarum virga, ineruditorum baculus, superborum alleus et oppressorum levamen. Et quia semel epi, loquar ad dominum meum, cum sim pulvis cinis. Non infirmetur in tribulatione virtus tua, loquin verendum ne una scintilla quæ in occidente corde maris exorta est, nisi citius oppressa fue-, totum Ecclesiarum orbem populetur. Angelus agni consilii tecum sit.

EPISTOLA V.

ISTOLA HERBERTI EXSULANTIS AD WILLELMUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM JAM ROMAM PROFECTUM.

Quibus nunc potest vehiculis parvitas mea sublimitatis tuæ se præsentiæ ingerit, quin potius tecum litterarum schemate quotquot sumus migrationis filii pedibus tuæ pietatis advolvimur regiam illam clementiæ tuæ pulsantes ut ostium misericordiæ tuæ ingrediatur oratio nostra, cujus si non audis clamorem vocis exaudias vel clamorem sanguinis : ad te enim clamat sanguis noster, nunc præsertim validius quo tentamur periculosius. Siquidem in specie peregrini absconderunt nunc superbi laqueum nobis. Ille, ille nempe ad nos in specie peregrini accessit. Peregrinus quidem accessit, sed peregrinus diu non latuit. Simulans enim se cogitare cogitationes pacis, pacis nostræ, admittebatur benigne loquens et ipse pariter quæ pacis erant. Unde et speciem tam bonam cernentes, multorum oculi tenebantur, fiducialiter pacifica præstolantes. Sed demum verborum aucupiis oculos suos deprædatos querebantur. Nam, cum jam ab omnibus consummationis totius finis speraretur, peregrinus noster per quosdam sibi bene notos anfractus a via recta deflexerat et deprehensus est devotus ille non quidem cogitationes pacis, sed potius afflictionis cogitasse. Quippe cum prius pacem offerret, postea pacis osculum pernegabat. Quo audito, hærent circumstantes, hæsitant mediatores, stupet populus, admirantur universi, et frustrantur spes omnium. Quibusdam proclamantibus illum non solum eccletiastici, sed et totius humani moris subversorem, quin potius ipsam naturæ legem offendere, quæ dilectionis signum et pacis noscitur homines docuisse ut in illo præcipue membro appareat signum concordiæ, unde rixa et jurgia oiri consueverunt. Alii non istud opertæ in corde seductionis manifeste speciem declarare testabantur, diabolicam etiam excedere præsumptionem, qua non dignaretur homo communicare homini quod homini exhibuerit Dominus, et ipse enim in signum reconciliationis et pacis osculatus est me osculo oris sui. Ego vero ut domino meo secretius loquar, rem tacitus considerans, æstimo non sine causa, quin potius divino nutu pacis osculum nobis fuisse denegatum, quod videlicet illius pax, quam quærimus, et nostra justitia quam fovemus, convenire non possint, illius regnum et sacerdotium nostrum. Alias quippe legimus pacis et justitiæ oculum : *Justitia*, inquit, *et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Utinam tamen juxta quod propheta de se optat essem vir non habens spiritum et mendacium loquerer. Præterea scriptam domini Cantuariensis petitionem pacis nostræ formam continentem et prudentium arbitrio moderate satis et discrete conceptam, oblatam sibi et perlectam primo quidem videbatur admittere : sed postea, ut mos hominis est, nescio quibus utens mollitis sermonibus scriptæ petitionis variavit sententiam, ita ut juxta quod consuevit perfidia nihil faciens, totum fecisse videretur. Et sic frustrati discessimus nihil præter quam nostras angustias reportantes. Age ergo, homo Dei, para te, superborum baculum, tyrannorum malleum et oppressorum levamen, ut quorum

sortitus es ministerium, sortiaris et zelum, et alterum nobis Mattathiam exhibeas adversus Antiochi sacrilegia : ignito eloquio tuo frigida Israelitarum corda excitando sollicite provideas ne flabris leprosorum exstingautur. Nam quod nunc solum residuum est, ad te sunt oculi nostri, quin potius tota Anglicana Ecclesia, cujus tu adhuc parvulus suxisti ubera, ad te suspirat et hostias exspectat pacificas, nunc præsertim cum per temetipsum introieris in sancta. Quod præfatus ille peregrinus noster metuens, miro modo consternatus est, qui ex solo tuæ profectionis metu, dolo et calliditate quadam ut jam diximus, humilitatem prætendit et etiam peregrinum simulavit ; in qua profecto peregrinatione ex tui absentia occasione captata Gallicanos fluvios multa jam ex parte videtur absorbuisse, adeo etiam ut Jordanis ipse in os ejus dicatur influxisse, hac arte et nos absorbere attentans ni fallor : scit quid dicam prudentia tua. Unde necesse est in brevi medicinalis occurrat virtus consilii tui, ne non solum partem terræ quam petit et in spe certa jam obtinere videtur, sed totam, quod absit, terram absorbeat. Id autem in calce sermonis ego et passionis meæ socii provoluti tunc genibus tuæ supplicamus discretioni, ne unquam te volente, te assentiente damna patrimonio Christi sanguine elaborato et viduæ doti illata superiori auctoritate compellamur remittere. Quippe hoc esset exemplum perniciosum inducere et nos ipso de indebito contaminare consensu ; justificare etiam manifesti sacrilegii reum, præsertim cum regula divini juris sit non remitti peccatum, nisi restituatur ablatum, et iterum : Veram pœnitentiam non agi, sed simulari potius, quandiu penes furem raptoremve res ablata constiterit, nisi forte arctatus excusetur inopia. Præterea ne excommunicati nostri præterquam præstita juxta morem ecclesiasticum cautione absolvantur, vestra item sollicitudo et consideratio hæc, ne quod semel bisve secus actum est ad Ecclesiæ læsionem possit converti. Unde expressum super hoc Romani pontificis multum acceptaremus mandatum. Audivimus proxime aliquos in nostri suggillationem pro persona Londoniensi scriptis suis testimonia in curia perhibituros, quorum unus cismarinus in Normannia, ut dicitur, episcopus est, qui tamen an episcopus sit, licet in episcopis jam senuerit, ignorantur, imo quod verius est, si quis Christum bene recogitet, non dico episcopum sed nec etiam Christianum vere profitebimur, nisi forte verba non opera faciant Christianum, cujus profecto omnis virtus in ore est, lingua aurea, et ferreum cor, cujus epistolare eloquium quod proxime vidimus, contra nos operose sed viperee nimis conceptum, nimio candore deforme mentitur idolum, quin potius verum idolum est, quia falsum est quod conflavit, et spiritus non est in eo. Is est qui in ore suo pacem nobiscum loquebatur et nunc occulte ponit insidias, unde periculosior est de quibuslibet propheta dicit, *Sagita vulnerans lingua eorum dolum locutus est* (*Jer*. IX). Verum non pergo

A nunc ulterius istius exagitare ignominaim : sufficit tetigisse, præsertim cum sciam nec dubitem, me tacente, ex jam dictis personæ circumstantiis personam ipsam cum universis idiomatibus suis, menti tuæ mox occurrisse : sed speramus quod hi et horum similes nobis sine causa adversantes tua majestate præsente, præstante Domino, revertentur confusi. Inter quos etiam nonnulli mulcti dicuntur, ut nobis potius quam vobis obsistant cum domino suo somniantes vos in terra ipsorum cismarina nescio quam legationem petiturum. Verum parum eorum somnia curantes cum universa Ecclesia et nos pariter inter monachos et petras delitescentes in nostra oramus pressura, ut veniens venias cum exsultatione prosequentes, de cujus munere venit

B quod tanti pontificis ministerio visitavit plebem suam : qui pro filiis captivitatis legatione fungatur, qui ad justitiam majorum nostrorum nobis corda conciliet et vota intimet miserorum. Angelus magni consilii sit nobiscum, qui aptet nos in omni bono, ut intelligatis quæ recta sunt et opere semper compleatis.

EPISTOLA VI

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS AD EUMDEM CONTRA LONDONIENSEM EPISCOPUM ROMAM JAM PROFICISCENTEM.

Reverendissimo Patri et domino suo in Christo amantissimo W. Dei gratia Senonensi archiepiscopo et apostolicæ sedis legato suus HERBERTUS miserabilis nunc et exsul, modicum id quod nunc potest.

C Etsi tanta cui scribitur jusserit silere auctoritas, rupit tamen silentium charitas ; quæ ut mors valida est et plerumque majestatem pensare non novit, juxta quod etiam ait gentilis ille poeta :

Non bene conveniunt nec in una sede morantur
Majestas et amor :

unde et subjectam membranulam totam jam charitatis igne accenderem, si non me instantium curarum algor premeret et urgens necessitas ad alia calamum detorqueret. Ecce enim draco ille magnus, serpens antiquus, gladio verbi Dei vulneratus, vel demum nunc de fovea lubrici erroris exire cogitur. Scimus vero quod de malo ad malum egreditur, ut qui prius fraudulenter incessit, amodo fiat manifestus fratrum suorum accusator, et induet arma calumniæ multo plus graviora quam pugnæ. Unde

D quam citius sive in solitudine sive in urbe sive viatorum sive stationarium oppressorum clamor clementiæ vestræ aures attigerit, necesse est ut subveniat miseratio vestra, ut militiæ vestræ armis collidas vasa iniquitatis bellantia. Sic enim congregatio hypocritæ sterilis erit, cum ignis vester devoraverit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Illa tamen leprosorum flabra huic sancto inimica igni semper mihi suspecta sunt ; cernunt, domine mi, locutio hæc. Ut autem sublimitati vestræ non tam temere quam timide, quod negotio proficeret, eloquar : si forte nos viatorem reperimus, expedit ut vestrum aliquis una cum nostris remittatur, alioquin

profecto nisi illi dominatores nostri vereantur faciem vestram, veremur nos ne absorbeamur a dracone et illi repleant ventrem suum de teneritudine nostra. Ni fallor, scit et nunc quid verbis propheticis significem prudentia vestra. Verum ne sanctitatis vestræ auditum insipientiæ meæ verbis diutius morer, id in calce sermonis adjicio, quantum omnis Ecclesia in miserationibus domino Cantuariensi, nunc præsertim in hac profectione nostra exhibitis, vestram supra modum charitatem concelebret et pacem nobis opera vestra, favente Domino, redditam seu etiam justitiam, si pacem præcesserit, in miserationum vestrarum catologo audio jam et gaudeo numerari. Unum autem est, quod celare non possum, falsiloquos quosdam regis Anglorum nuntios, revertentes a curia, ventosis verbis totam terram implevisse, qui causam vestræ profectionis et negotii intima cuicunque disseminabant et auditoribus etiam sibilabant invitis. Ricardus autem Barre erat princeps prophetiæ. Unum scio quod iis si consilia vestra credidistis, proditores sunt ; si vero non credidistis, mendaces. Vestrorum tamen nonnulli ad credendum leviores, ad ventum hunc moti sunt. Plurimi vero ut domino meo verum dicens non parcam, justius conqueruntur quod nullam videlicet absentiæ vestræ tam longe per proprios nuntios vestros seu litteras consolationem meruerunt, et ut in hoc audeam justa omnino querimonia hæc. Verum excessus hi veniam facile impetrabunt, si absentiæ desolatio cita præsentiæ vestræ lætitia compensetur, quod nobis præstet magnus ille dux itineris vestri qui sicut operatur, prosperum faciet vobis iter, Deus salutarium nostrorum.

EPISTOLA VII

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS AD EUMDEM PRO EODEM.

Quo verborum facundia quibusve linguæ præconiis tot et tantas miserationes vestras ab initio passionum nobis exhibitas condigne efferamus, invenire non possumus ; sed nunc præsertim cum amplior miserendi præstaretur occasio, ad nostra sananda vulnera omnibus patuerunt viscera misericordiæ vestræ. Omnes a minimo usque maximum cognoverunt, et apostolicum virum prædicant qui onus nostrum tanta charitate supportaverit. Unde divina miseratione tribuente merces erit operi vestro et spes novissimis vestris. Nos autem non solum confratres et amici, sed ego et passionis meæ socii scabellum facti sumus pedum vestrorum. Verum periclitantibus adhuc servis necessarium est, domine mi auxilii vestri porrigere manus, maxime his qui domi manus pessimorum confortavit, conversus sit nunc demum ad cursum suum, et quasi equus impetu vadat ad prælium captate forte David absentia ut libere exprobret Israel, cum non sit qui ejus possit vel audeat ludere impetum. Hic est Londoniensis, qui jam cœpit mendacii conficere iter. Unde nos leonis metuentes violentiam qui draconis jam pridem experti sumus insidias, ad alarum vestrarum suffugimus velamentum : ut si forte vos in diversorio invenerimus, Davidicam adhibeatis solertiam et fortitudinem, ne ad prælium procederetis contra Israelem prævaleat impetus. Potius in hostem retorqueatur totius plebis opprobrium. Spiritus consilii et scientiæ vobiscum sit, qui pro pueris nostris huic certamini minus idoneis, doceat manus ad prælium et digitos nostros ad bellum.

EIPSTOLA VIII

EPISTOLA HÆC IN PERSONA TH. CANT. ARCH. AD UNIVERSOS TOTIUS ANGLIÆ CLERICOS ET LAICOS ABSOLVENS EOS A JURAMENTO QUOD CONTRA DOMINUM PAPAM ET IPSUM FECERANT, VIDELICET QUOD NEC NUNTIUM NEC LITTERAS IPSORUM RECIPERENT ET RECIPIENTES PRODERENT.

Sciatis, charissimi, quod ex multa tribulatione, etc. *Impressa est inter epistolas S. Th. sub num.*78.

EPISTOLA IX.

EPISTOLA HERBERTI IN PERSONA THOMÆ CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI AD UNIVERSOS ANGLIÆ EPISCOPOS ET ABBATES COMMONENS NE FALSIS NUNTIORUM REGIS ANGLIÆ RUMORIBUS CREDANT QUOS DE IPSO CIRCUMQUAQUE DISSEMINABANT ET NE NOVA REGI EXHIBEANT JURAMENTA VEL OBLIGATIONEM ALIAM NOVAM.

Thomas, Dei gratia cant. Ecc. min. hum. et ap. sed. leg. ven. fra. suo H. Winton. ep. et reliquis omn. confr. et coep. suis abba. etiam per prov. constit. nec non et ven. fra. suo Hug. Dunel. ep. viriliter agere et confortari in Domino.

Gratias ago Domino meo cui nunc servio. *Vide inter epp. S. Thomæ*, ep. 79.

EPISTOLA X.

EPISTOLA HÆC IN PERSONA THOMÆ CANT. ARCH. AD ROGIERUM WIGORNIENSEM EPISCOPUM.

Thomas, Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, venerabili fratri suo Rogerio Wigorniensi episcopo, quod bene incœpit meliori fine concludere.

Quid nobis de vestra transfretatione placeat charitati vestræ nos sæpius scripsisse meminimus et de vestra non minimum gaudemus obedientia. Verum, quoniam districtiora credimus tempora imminere, et inimicorum castigationem crudelem, adhuc iteramus mandatum firmiter injungentes et in virtute obedientiæ præcipientes ne ullo modo transfretare attentetis, donec super Ecclesiæ negotio domini papæ et nostrum mandatum receperitis. In eadem etiam virtute obedientiæ præcipimus ne contra matris vestræ Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem ad filium domini regis coronandum ullo unquam tempore metu cujusquam seu gratia præbeatis assensum. Quin potius si tantam Ecclesiæ libertatem periclitari seu etiam vacillare noveritis, sicut decet tantum filium viriliter vos opponatis. Et quia scio nuntios domini regis a curia proxime revertentes, linguas habere latas et in ventum multa seminasse, illum quem non dubito gestarum rerum veri-

tatem quam peroptime novit relaturum fideliter, qui ei ipse posterior a curia recessit, ad vos destinare curavimus, ut consolationes nostræ lætificent quoque animam vestram. Præterea desideramus vos monitum fore ut rescriptum litterarum, quas vobis dirigimus, confratribus et coepiscopis nostris mittere curetis, domino videlicet Wintoniensi et domino Exoniensi, scripto etiam proprio consolans eos et hortans, ut nobis pariter stent Domini prælia strenue dimicando, et tunc præsertim ut Dominici gregis arietes se opponant, si super coronando regis filio nostra auctoritate seclusa convenientur. Angelus magni consilii et nostra benedictio vobiscum sit, fili mi charissime.

EPISTOLA XI.

EPISTOLA HERBERTI IN PERSONA THOMÆ CANT. ARCHIEPISCOPI AD ROBERTUM SANCTI AUDOMARI PRÆPOSITUM.

Thomas, Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, dilecto et dilectori amico suo R. Sancti Audomari præposito, sic transire per bona temporalia, ut non amittat æterna.

Quod nec tanta inæqualitate temporis, nec ullo sortis nostræ lubrico nostræ ille charitatis fervor refriguerit ipsa operum attestatione novimus et tenemus, et totius charitatis largitari devotas gratias agimus de cujus id munere velit ut vel unum mihi adversitatis inter tot prosperitatis amicos reservaverit. Si igitur sub tanti temporis lapsu vobis minime scripserim oblivioni nequaquam imputandum est vel desidiæ. Ob id siquidem intercurrens suspendi mandatum, quia super verbo illo quod conversus noster ad vos destinatus detulit, vestrum in dies exspectabam responsum. Quod ut promoveatis officio adhuc desideramus et postulamus affectu. Quod autem litteris charitatis vestræ inseruistis rumores super negotio nostro non secundum cor vestrum accepisse, quod significare volueritis nequaquam mihi admodum liquet, nam illo miserante qui etiam in ira sua miserationes suas continere non potest, pro rerum conditione et statu temporis prospere erga nos universa geruntur. Adversa etenim nostra sic modificat medicinalis sapientia Dei, ut faciat patienter et æquo animo perpeti per quæ promittitur cœlestis janua aperiri; adeo ut ipsum reputetur Dei medicina, quod est sæculi plaga et quod est persequentis flagellum sit patientis solatium. Verum, dum huc illuc evolverem quid prætacti verbi contineret involucrum, suspicabar forte vos moveri pro litteris quibusdam a Romano pontifice obtentis: quibus videtur dominum Anglorum regem et personas regni et regnum a nostro eximere pontificio. Sed intendere debet prudentia vestra quod hujusmodi valeat in brevi exspirare mandatum. Unde nec nos ipsi in aliquo inpræsentiarum adversus dominum papam moti sumus nec causamur injuriam. Verum, nolit, velit mundus, contra mundum magnum, tribuente Domino, certabimus agonem supernæ vocationis palmam in anteriora sectantes. Sed hæc hactenus. Cæterum, ut cum fiducia diligenti loquar, non possum satis admirari quod in facto istorum regum ad gloriam Domini vestri mihi in Christo amantissime et vestram non intendatis industrius. Nostis siquidem omne consilium fore reprobum quod nota comitatur vel sequitur, quam profecto jam contra nos buccinat orbis et videtur non nova attestatio operis. Unde vos tanquam prædilectis dilectiorem exhortamur in Domino ut videatis quomodo caute ambuletis, nec adeo uni vos præbeatis benevolum, ut gloriæ nominis vestri sustineatis detrimentum et alter vos perpetuo odiat: potius consideratione adhibita ambo obnoxii sint. Intelligenti dictum est satis. Pro causa Ecclesiæ et nostræ jam sæpe rogatum rogamus adhuc, utpote cui post Deum debemus modicum in quod nunc scimus et quidquid unquam poterimus, prout expedire noveritis, diligentem et citam adhibere vos curam. Valeat et vigeat erga nos, charissime mi in Christo, vestra dilectio.

EPISTOLA XII.

EPISTOLA HERBERTI AD NICOLAUM PRIOREM INFIRMORUM DE MONTE ROTOMAGI.

Dilecto sibi in Christo, N. homini Dei, H. Thomæ Cantuariorum archiepiscopi miserabilis nunc et insignis exsulis socius modicum, in quod potest.

Suscepi charitatis tuæ litteras quibus, si bene recolo monuisti, ut ego quibus possem modis efficerem, ne Cantuariensis ille a cœpto fervore desisteret. Sed non est opus unguentis balsamum vel solem facibus adjuvare nec est necesse ad cursum anhelos urgere calcaribus. Cerno athletam Christi dimicare fortiter et quovis hortatore suo fortiorem, nec in cursu certaminis verborum stimulis indigere. Cerno, inquam, unicum diebus nostris ac verum athletam Christi doctum ab illo, unctum de illo, venditum cum illo, fugisse ut ille, sed gloriosum in illo, adversus quem amici sui et proximi appropinquaverunt, fremuerunt gentes, astiterunt reges et principes convenerunt, per omnia illius factus imitator qui fide et patientia hæreditavit promissiones. Unde et contra mundum in theatro hujus mundi spectaculum factus et angelis et hominibus legitime magnum certat agonem et palmam supernæ vocationis in anteriora sectatur, ad quam ut perseverando perveniat non mea hominis peccatoris exhortatione, sed gregis tui potius infirmi corpore et spiritu fortioris et tuæ propriæ orationis fortitudine indiget. Scripsissem plurima nisi ex scripti tui brevitate tuas quotidianas necessitates didicissem. Unde et ego sollicitudinis tuæ circa plurima non immemor et scribendi non vivendi quidem a te ipso formam accipiens, paucis pauca respondi, magis tamen plura scribens tibi quam scripseris, reddens cum fenore quæ accepi, sed id pro certo noveris, mi charissime, pars animæ meæ, et alter Nicolaus, mihi in

præsentis exsilii mei naufragio, quod quæ nunc accipis volo ut tu reddas cum fenore, et quoniam ut æstimo, magnum gestas in pectore inferiorem non sentiam in sermone. Valeat pauper Christi in Domino.

EPISTOLA XIII.

EPISTOLA HERBERTI AD PRIOREM WIBERTUM CANTUARIENSIS ECCLESIÆ ET AD TOTUM CONVENTUM.

Dilectis sibi in Christo priori Sanctæ Trinitatis et reliquis ejusdem loci fratribus Deo devotis, H. Thomæ Cant. archiepiscopi miserabilis nunc et insignis exsulis socius lacrymis et oratione pugnare.

Cum ego arriperem stylum ut præsentis paginæ opus exararem, hæsitavit mox animus, tremuit manus, et revocato dolore, oculi lacrymis implebantur, vestræ admodum desolationi compatiens, quibus jam lugubre illud sponsæ canticum competit: *Percusserunt me et vulneraverunt me; tulerunt vallium meum custodes murorum* (*Cant.* v). Pallium nempe decoris vestri ablatum est et vos confusionem et mœrorem induistis; lugetis Jonam devoratum et Joseph venditum, nec potestis æquo animo patris vestri miserias et matris vestræ injurias tolerare. Nunc autem contra luctum consolationis arma sumenda sunt, ut spes vestra possit habere victoriam Igitur inter nascentis mundi exordia videamus Abel in campo, Noe in diluvio, Job in sterquilinio, Danielem in lacu, et quia longum esset singulas justorum generationes percurrere, quorum profecto tot sunt flagellati quot justi; familiarius et attentius Salvatoris nostri labores, contumelias, et injurias cernimus, cujus civitatem pater hic noster indignus admodum regeret, si imperatoris sui sudores bellicos et militiæ agones recusaret: sumimus itaque nobis exemplum ab homine et auxilium a potente: exeuntes cum eo extra castra et imperium ejus portantes. Adjicitur etiam consolationi, quia peculiare vestrum est patres vestros per miserias hujusmodi et passiones transire et tribulationis igne examinari, exinaniri nequaquam. Unde et ego jam vobis consolationem super consolationem adjiciam, et ut fidenter aliquid eloquar, vocem illam vobis aptare audeo: *Quia transivimus per ignem et aquam, et educti sumus in refrigerium* (*Psal.* LXV). Jonas quidem devoratus jam de visceribus belluæ eductus est, et Joseph a fratribus suis venditus vivit profecto et dominatur. Verumtamen tunicam polymitam cruentam patri suo ostenderunt, dicentes quia fera pessima devoraverit eum. Nam qui fuerant missi nostro Joseph varia crimine objicere attentarunt, vocantes eum hominem flagitiosum, pacis regni et Ecclesiæ turbatorem: sed omnes in astutia sua comprehensi sunt, nec est creditum verbis eorum, quorum unus qui abstemius est, cum sitiret sanguinem innocentis et domini Cantuariensis personam lædere adhuc in pluribus attentaret, imperatum est a summo patrum patre, ut parcius ageret, cujus cum tam brevi interlocutione diu præmeditata intercideretur narratio, non currendo ut prius, sed in narrando gradu

A testudineo incedebat, vix tria verba simul, non enuntians, sed singultiens. Alius vero qui maxime gloriari solet de humanæ sapientiæ verbis, mox ut est locutus, nec vox erat ei nec sensus, sic loquens, ut qui pueriles litteras et primas dictionum juncturas ignoraret. Unde quamplurimi stupebant et mirabantur, totum id illi tribuentes qui linguas prudentum disertas facit et disertorum infatuat. Ego neminem nominabo, arbitror etenim quia ex jam dictis etiam non dicta sitis perfacile percepturi. Adhuc alia et de aliis scriberem, nisi quod singula prosequi angustiam excederet epistolarem et unius lucubratiunculæ opus. Ut igitur brevitate servata omnia semel et in summa dicantur, sicut vidimus et sicut audivimus, cum pudore et confusione re-

B vertuntur qui quærebant animas nostras, et quibus, ut jam diximus, Deus subtraxit vocem, ut vix possent audiri, exauditi non sunt. Consolamini itaque, consolamini in verbis istis, in nullo hæsitantes, sed scientes pro certo quia magnus ille Deus Hebræorum qui Joseph vestrum eduxit de carcere, adhuc modicum et magnum faciet eum in terra.

Vos autem interim viriliter agite et confortetur cor vestrum pro civitate vestra tam sancta et civitatis custode lacrymis dimicate et psalmis, memores quia ad Ezechielis lacrymas centum octoginta quinque millia Assyriorum ab uno angelo una nocte deleta sunt. Joseph itidem laudes concinebat Domino et Dominus pro laudante superabat. Moyses contra Amalech non gladio, sed oratione pugnabat.

C Vigilate itaque nunc et orate eo nunc instantius quo gravius ipsam matrem vestram affligi conspicitis, ab ipsis quidem domesticis ejus et filiis, providentes præ omnibus pauperi Jesu Christi pastori dico vestro et patri, qui ut omnis lingua testatur magni illius prophetæ discipulus reliquit domum suam, dimisit hæreditatem suam, qui amore justitiæ postposuit gratiam principum, minas etiam sprevit et demum exsilii aspera et paupertatis onera non abhorruit, potius amplexatur devotus, nec dubitavit humeros suos supponere virorum oneribus et pastorales sustinere sudores cum fuisset ad hæc tempora in domibus regum nutritus et tot et tantarum ut mundus prædicat filius deliciarum: nunc vero non habet ubi caput suum reclinet, nisi quod

D in ipso principes alieni et gentes, ad quas sumus expulsi, non hominem se putant venerari sed Deum. Decet vero famam sanctitatis vestræ ipsius per omnia et super omnes sollicitudinem gerere, ipsi jugi die ac nocte in spiritualibus, in temporalibus vero frequenter et supra etiam possibilitatis vestræ modum cum omni hilaritate providentes. Valeant orationes vestræ.

EPISTOLA XIV.

EPISTOLA EPISCOPORUM CANTUARIENSIS PROVINCIÆ ET ALIARUM PERSONARUM, QUÆ PER EAMDEM PROVINCIAM VARIIS LOCIS CONSTITUTÆ SUNT, MISSA AD TH. CANT. ARCHIEPISCOPUM, CUM ADHUC IN EXSILIO PONTINIACI

MORARETUR IN QUA ET IPSORUM APPELLATIO INSERITUR.

Ven. Patri et domino, etc.

Quæ, Pater, in longinquo, etc. [*eadem est cum epistola* 436 *inter Epistolas Gil. Fol.*]

EPISTOLA XV.

EPISTOLA HERBERTI AD UNIVERSOS CANTUARIENSIS PROVINCIÆ EPISCOPOS ET RELIQUAS PER EAMDEM PROVINCIAM PERSONAS VARIIS LOCIS CONSTITUTAS, EDITA IN PERSONA TH. CANT. ARCHIEPISCOPI ET CONTINENS RESPONSIONEM AD LIBELLUM EORUMDEM EPISCOPORUM APPELLATORIUM.

THOMAS, Dei gratia Cantuariensis Ecclesiæ minister humilis, dilectis sibi in Christo fratribus ejusdem Ecclesiæ filiis coepiscopis suis et reliquis ecclesiarum Dei ministris per provinciam constitutis, quæ recta sunt intelligere ac novissima providere.

Exspectans exspectavi in dies si quis de amicis meis et notis super me intelligeret, hominem novissimum et tanquam morti destinatum, sperans me a vobis saltem, fratres, aliquam vel sero consolationem recepturum in hoc magno certamine passionum. Et ecce mihi in eremo Pontiniaci commoranti scripta vestra demum perlata sunt quæ videbantur et amorem sonare pariter et querelam : amorem, quia ut longiora percurram brevius scripsistis esse solatio me post discessum meum fama celebri perhibente nil altum sapere, etc. . . .

. . . .

Sed, ut ad appellationem a vobis factam revertamur ex jam dictis liquido vobis constare debet, etsi non ore, conscientia tamen vestra mihi testimonium perhibente, quam iniqua sit appellatio hæc. Præterea, sicut vos ipsi scribitis, jam dudum super eodem in facie Ecclesiæ appellastis, si super alio vos videritis. Sed illius appellationis prosequendæ tempus, quod etiam non nisi urgentissima ratione conceditur, jam fere exactum est. Biennium enim est : quare nec cum infra tantum tempus, quod non nisi urgentissima de causa indultum est, appellationem prosecuti non sitis, appellatio ista vetus nunc innovata nullum appellatoribus remedium pariter, præsertim cum judicis copiam haberetis, etc.....

[*Hæc ex epistola prolixa excerpta sufficiant*: *nam nihil est nisi rhetoricus libellus a bono Herberto nostro concinnatus. Epistola quam revera sanctus Thomas ad episcopos Angliæ remisit, jam inter epistolas S. Thomæ sub n.* 75 *edita est.*]

EPISTOLA XVI.

EPISTOLA LUMBARDI IN PERSONA CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI RESPONSALIS AD APPELLATIOEEM EPISCOPORUM ANGLIÆ SCRIPTO FACTAM.

Vestræ fraternitatis litteras benigne suscepi diligenterque inspexi, in quibus quod injuriis dominum meum regem affecisse, quibus ipsum et ejus regnum turbaverim dicor, me vehementer turbat. Injurias intulisse siquidem mihi conscius non sum, sed atroces me pertulisse scio ac per reges et regna divulgatum plurimum doleo. Nam injuriari nemo dicitur, cui non est injuriandi animus, nisi quis minus prudenter injuriam interpretari velit, quod minis quibus terrebar serpentinis suggestionibus et fraudulentis suasionibus quibus ad renuntiandum Cantuariensis Ecclesiæ administrationi callide inducebar, nequaquam cessi nec acquievi, quod quidem nec debui nec potui. Sicut enim dominari ambientes temere impudenterque ad regiminis locum præpropere festinantes Patrum instituta repellunt, principum quoque edicta severissime puniunt, ita a Domino vocato atque canonica electione promoto susceptum onus recesare eorumdem inhibentibus sanctionibus minime licet, Proinde, si non cessi, juri parui, nemini injuriam intuli. Nemo etenim boni viri arbitratu injuriam fecisse dicetur, quem in facto quo super arguitur canonum mandatis obtemperasse, liquido claret. In discessu quoque meo vel ex eo nulli me injuriam intulisse arbitror. Discessi quidem atque doctorem nostrum Christianæ religionis institutorem, cujus omnis actio nostræ vitæ debet esse institutio ac morum informatio, ejus quoque discipulos doctores nostros imitatus, fratribus filiisque matris meæ persequentibus me fugi ; fugi, inquam, nulla animi facilitate ductus, sed eo metu qui in constantissimum hominem caderet actus, nonnullis quorum consilio talia geri constabat, in faciem dicentibus mihi non modicum gaudendum, si necdum archiepiscopus sed Thomas remanere possem. Horum in me debacchantium furorem et animi domini mei regis motum magis suggestum quam innatum declinare volens discessi. Fuga itaque mea rationabilem, justam, urgentissimam quoque habuit causam. Eapropter non ut pavidi, meticulosi, facilis, levis, et inconstantis hominis, sicut Assur sine causa calumniatus est, fuga mea fuit, sed ut constantis et providi, etsi non constantis et providi. In quo si totius negotii circumstantia et ea quæ probabiliter metuebantur, (nam prudenter timetur quod facile contingere potest,) diligenter attendantur attentiusque considerentur, domini mei regis famæ plurimum fuisse provisum luce clarius constabat. Qui sapiens est intelligat et vos prudentes estis ut quæ loquor facile intelligatis. Et quidem post dicessum meum ne verius dixerim ejectionem, solitudinem petii, mensam quam Dominus in conspectu nostro adversus eos qui tribulant nos paravit ante me proposui, orationi vacans, lectioni insistens ; si quomodo deperdita tempora reparare et diebus quibus vidi et operatus sum mala bona videre et operari valerem. Cumque de proposito in silentio et humilitate perseveranter hæc agerem, Cantuariensis Ecclesiæ filiorumque ejus redemptionem sperans, nuntiatum est Job domum ruisse, in ruina filios oppressos exspirasse : nuntiatum est et mihi Cantuariensis Ecclesiæ et pauperum bona occupata atque invasa, monachos et clericos crudelius quam prius vexari. Silui tamen patientibus compatiens, pro excedentibus gemens, exitus aquarum uberrimos oculis meis

educentibus, quia non custodiebant legem tuam. Domine. Exspectans adhuc eram, spem aliquam habens utque consolationem suscipiens, virga et baculo Domini consolantibus me, sed qui matrem suam persequebantur apposuerunt et adhuc peccare passim omnis ordinis clericos ad sæcularia judicia trahentes. Si quis vero fori præscriptionem opponere velint, vel ad appellationis remedium confugere desiderent, lacerantur quæstionibus, et exquisitis suppliciis, quasi in principis animam cogitaverint, subjiciuntur, ecclesiasticis etiam judicibus sicut fertur id interdum fieri decernentibus. His contingentibus mihi silere jam non licuit, ne in conquestionem illam quandoque prorumpere cogerer: *Vœ mihi, quia tacui et silui a bonis* (*Isa.* VI); *ideoque dolor meus renovatus est* (*Psal.* XXXVIII). Propterea domino meo regi in omni humilitate consilium exhibendo scripsi quatenus tam enormiter delinquentes coerceret. Suggessi quidem suasique, sed, væ mihi, non persuasi; commonitorium emisi, sed non admisit; comminatorium proponendo sibi quam horrendum sit in manus Dei viventis incidere edixi, sed repulit; in quibus salutationis officia non omisi, sed cum omni devotione in viis Domini eum prosperari desideravi.

In his omnibus nihil odiose, nil indevote, et omnino nihil nisi quod fidelis domino, pater filio, mandavi, eo intuitu eoque fine desiderato, ut ab his in quibus deviare dignoscitur revocetur. Cur ergo a spe reconciliationis meæ ac domini mei si tamen eam concepistis decideritis, non intelligo: quave de causa extracto gladio pugna conseri dicatur, ubi fidelis ad dominum tam sincera auditur devotio, non intelligo. Sane magis erat ut me sui æmulum animæ suæ inimicum, atque mei officii contemptorem de silentio conjectaret, cum de optimo probatoque consilio omnino, quod Deus avertat! fidelem suum repelleret pastorem contemneretque. Enimvero si dominum meum ad quod debui fideliter admonui, si divinum judicium sibi verendum beneficiorum collatorum contemplatione atque pro officii mihi injuncti debito proposui, jam non est unde mihi indignetur potius quam gratificetur. In id universa studia mea conferam, laboribus, labores addam, me quoque ipsum si oportuerit superimpendam, quatenus ad meliora dominus meus reformetur. Ad bonum ergo admonitio, a malo ut revocetur correctio, pro pertinacia increpatio, gloriam et famam mihi in Christo comparant, eademque a turpi ingratitudinis nota me pariter tuentur. A quo ne securim et regni inquietationem excipiant etiam si possem frustra quis timeret, cum ne Christi Ecclesiæ statum per quem reges feliciter et in pace regnant, deformari patiantur: sed in melius reformare studeat, opportune et importune instare.

Obsecrabo igitur, arguam, increpabo dominum meum severiter, sed et clementer, quatenus ipsum in Christo magis promerear exinde sibi futurus gratior.

Hæc domino meo, qui me ad digniora erexit, A pro beneficiis collatis ac dignitate mihi concessa ad ejus correctionem non ad confusionem retribuo. Quæ nequaquam retribuerem nisi in Christi visceribus eum amplecti desiderarem. Corripit enim pater filium quem diligit, et juxta Sapientis eloquium: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis* (*Prov.* XXVII). Eli sacerdos quia filios non corripuit, repente interire meruit. Si ingratitudinis reus dominum meum odire possem, ab his omnino silerem, oleo peccatoris ejus caput perungerem. Parietem quem ædificavit, non destruerem, sed linirem. Itaque erga eum mea sincera devotio et mihi credita dispensatio efficiunt alterum, ut eum a viis Domini declinare nolim, alterum, ut in declinantem judicis severitate quandoque fungar. Suadetis mihi, fratres, patientiam, ut in ea obtineam B quod in forti manu, sicut dicitis, obtineri non potest. Scriptum revera quoniam doctrina viri per patientiam dignoscitur. Cæterum Scripturæ sacræ judicio tacere et non pro persona quam quis gerit delinquentium excessus corripere, nullo pacto patientis, sed plectibilis probatur negligentia. Non enim caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare, et error cui non resistitur, approbatur, veritas cum minime defensatur opprimitur: formidandum est nobis, ut multis videtur, ne patientia hæc officium cœlestis prætoris terribiliter contra nos inducat. Quæ autem ad patientiam, sicut plurimorum habet opinio, plectendam magis quam admittendam persuadendum vaC lidiora inducitis, in domini mei regis confusionem et si diligenter advertitis in notam indelebilem, apud graves et maturos viros redundat. Nunquid enim regiæ majestatis vox hæc esse potest, ut apostatet, a lege Dei declinet, ipsamque violet et profanet, seseque schismaticorum hæreticorum sacrilegis cœtibus immisceat, nisi enormiter delinquere et omnino irreligiose excedere patienter feratur. Quos velut schismaticos et hæreticos, Alexandrum papam in patrem et dominum non minus devote quam sponte suscipiens, prorsus abjuravit. Quos oraculis suis insectari debebet severissimis edictis subjugare, in eorum profanum collegium migrabit, si devote admoneatur, si juste corripiatur. Videte quid de paucis multa conjicientibus segregaveritis. D Consultius tacita hæc essent quam publicata scripto: legi atque in conjecturam rei dispendiose retorqueri absit quod in mente domini mei regis illustris discreti ac providi principis, cui regna obediunt et populorum millia obsequuntur, cuique divinitus datum est victoriosissime de hostibus triumphare! Absit, inquam, ut hos conatus hasque minas conceperit! Prope est ut talia prætendere sit in hæresim labi fratres, nolite, quæso, nolite cum dispendio famæ domini nostri regis, et sub prætextu metus, qui in virum probum venire non debet, procurare et quidquam contra religionem sanctamque Romanam Ecclesiam matrem nostram moliri: frustra jacitur recte ante oculos pennatorum. Ab hujus-

modi adinventionum suspicione alios apud nos ita immunes esse vellem, sicut apostasiæ criminis similiumque vos insontes fore religio deposcit et ego desidero. Sin vero justus est conceptus metus, lapsus, et præcipue domini nostri regis, quod Deus sua clementissima pietate avertat, occurrite ut amici, sed Christi, ut judices, sed Moysi vestigiis inhærentes, non palpantes delinquentem, sed divino judicio terrentes resipiscere nolentem. Palpare enim hoc est mortificare, non animas curare. Arguere enim et increpare, id est curare. Hic est labor meus, hæc est gloria, hæc est fama, cujus in Christo cupidus sum, ut dominum meum arguam, increpem, quatenus curare ac sanare ipsamque a proposito minus justo revocare valeam. Quem nedum satisfacientem sed etiam satisfacere volentem mater sua Cantuariensis Ecclesia expansis brachiis suscipere et in sinu suo velut charissimum filium fovere, parata invenitur et ego in ea de cætero ipsius omnes in Christo voluntates secundum scientiam atque possibilitatem meam sequi promptissimus reperiar. Verum, exigentibus peccatis meis, nec satisfactionem obtulisse nec satisfacere voluisse a quoquam accepi. Etenim satisdare aut satisfacere velle nequaquam dicitur, qui ad nutum suum ea exhibere offert. Nempe satisdare dominis sicut satisfacere. Satisfacere vero quis ei dicitur, cujus desiderium legitime implet. Qui ergo eorum judicio cavere atque satisfacere offert, quos jus omne ab ejus judicio contra satisdantem qui agit prorsus coercet aut interveniens causa jure inducta ut suspicio tantisper a judicandi officio suspendit minus legitime satisdare ac satisfacere idcirco quia nec satisdare nec satisfacere desiderat. Nam quoties minus legitime cautum vel satisdatum est, non videtur cautum aut satisdatum ut satisdatio non facti duntaxat, sed et juris nomen sit. Vos siquidem cum Ecclesiæ Cantuariensis et nostri filii sitis, sanctorum Patrum decreta et consiliorum instituta meos judices esse non patiuntur. Quæ prælatos minorum deliberationibus submitti præcise inhibent, eundumque ad superioris judicis examen, quærelis adversus episcopos emergentibus decernunt. Eapropter cum minus canonice objecta reverentia patri debita, me pastorem, etsi peccatorem, prælatum quanquam indignum olim judicare præsumpseritis, alias etiam legitimi judices meritissima causa facti estis suspecti. Quos omnis ratio omniaque jura tam a judicio longe faciunt: quam arbitrio procul repelli permittunt. Ex his attente considerantibus nedum satisfacere voluisse sed contempsisse, præsertim cum in dies manus suas contra Cantuariensem Ecclesiam matrem suam aggregaverit, perspicuum fors haud hæsito. Porro satisdare satisque facere contemnentem, sæpe sæpiusque admonitum diutius quidem exspectatum, nec parentem velut contumacem universa jura condemnari decrevere. Unde dominus justissimus legislator noster eum qui tertio admonitus sacerdoti et Ecclesiæ non paret, sicut ethnicum et publicanum, mandat haberi. Quod Romani pontifices sicut Dei mandatum firmiter observari censuerunt. Principem quoque ternis litteris, aut uno edicto pro omnibus peremptorio citatum, suique præsentiam minime exhibentem condemnari sanxerunt. Ejusmodi comminari qui omni jure posset condemnari non est impetu ferri, sed indulgenti ratione duci. Itaque satisdare satisfacereque contemnentis condemnatio, nedum comminatio omni jure subnixa si procedat firmissime obtinebit. Vos tamen cum sanctum canibus datum, margaritas porcis expositas lapides sanctuarii in platearum capitibus dispersos, cernatis, etiam de comminatione et quod longe minus est de admonitione, adversus me indignamini. Fratres, nolite errare, Deus non irridetur, cujus increpatio super me et super vos dicentis : *Canes muti non valentes latrare* (*Isa.* LVI) : et item prophetæ : *Tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam* (*Thren.* II). Quod quamvis subditis dicatur in prælatorum increpationem retorquetur. Amoveamus ergo silentium ; delinquentibus scelera nuntiemus, ne divinum incurramus judicium et gehennæ æternæ incidamus supplicium. Constituti enim sunt sacerdotes judices super gentes et regna, ut evellant et destruant, disperdant et dissipent et leges iniquas evacuent, quatenus ædificent et plantent, et leges æquiores inducant. *Labia* siquidem *sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirent ex ore ejus* (*Malac.* II) ; non ipsi de ore principis. Legem utique a sacerdote requirunt terrarum populi, principes Christianii. Quorum est ecclesiasticis institutis parere, non leges iniquas sacerdotibus et Dei ministris indicere. Non his dissensit Justinianus, piissimus princeps, dicens : Nostræ leges non dedignantur imitari sacros canones. *Væ his qui condunt leges iniquas* (*Isa.* X) iniquis judiciis suis Dei judicia subvertentes. Væ asseclis et eorum imitatoribus. Legem nobis posuit Dominus, legem sanctam et immaculatam, animas convertentem, Evangelii legem loquor, apostolorum instituta, Romani pontificis decreta : quibus cum ligandi solvendique potestatem tam reges et principes quam populos universos contulerit, condendi quoque leges quibus arctarentur omnes auctoritatem concessit. Quam Romanam Ecclesiam obtinere incunctanter scimus. Cujus institutionibus his qui contrarias sancit non solum ut contumax, sed velut hæreticus si canonis scriptis creditur, justissime coercetur. Proinde ne silentio meo præsumeretur consensus, de consensu procederet reatus, consuetudines quas avitas dicitis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris nostræ sanctionibus contrarias cum auctoribus observatoribus et defensoribus anathematizavit ; quas ut anathematizatas habeatis, vobis præcipiendo mandavi et mando ; alioquin metuendum et vobis ne Dominus accinctus fortitudine apprehensis scuto et armis terribilis exsurgat in adjutorium legis suæ, perdatque universos legem

sibi contrariam statuentes observantes pariter et defendentes. Consuetudines vero regni legitimas observandas omnique devotione amplectendas censeo, quas velit nolit inimicus homo reverenter observabo. Duo quidem judiciorum more solito canonum et legum tramite custodito operatus sum. De utroque me lapidare quæritis, et antequam vobis qualiter quibusve ex causis ea fecerim innotuerit de sententia inique lata et judicio perverso mihi insultastis. Verum justissimo Dei judicio contra vos actum existimo, ut in laqueum quem mihi parabatis, incideritis. Cum enim, quo pacto et quatenus ea fecerim, ignari essetis, sicut vestro significatis scripto dicentes primo mihi fuisse de re cognoscendum, deinde super re cognita ferendam sententiam, nihilominus tamen super eo quod justissime factum est me condemnastis, in eodem vos ipsos condemnantes. Nam in fratrem nostrum Saresberiensem episcopum pro eo quod contra domini papæ mandatum et contra nostram prohibitionem sub excommunicationis pœna emissam, Joannem de Oxenfordia ipso jure excommunicatum in decanum promovit, potius decernentibus canonibus deponendum, suspensionis sententiam ejus inobedientia mihi prius cognita de ipsius confessione non post judicium cognoscenda rationabiliter tuli. Cujus in præsentiarum non prosequimur delictum, ne ipsius cogamur augere supplicium. Joannes vero de Oxenfordia pro vulgatissimo crimine, quod si vellet inficiari patrati sceleris flagrantisque adhuc maleficii evidentia ipsum convincente non auderet, excommunicatum denuntiavi et anathematizavi. Notum est enim et notorium quomodo minister vinculi iniquitatis atque colligationis impietatis fuerit, cujus ministerio ope et consilio schisma fere sopitum excitatum manifestissime cognoscitur. Ex quo non minus hæreticus quam schismaticus esse convincitur. Nam hæretici justissima interpretatione probantur, qui vel levi argumento a tramite catholicæ religionis, vel unitate Romanæ Ecclesiæ deviasse deteguntur. Leve autem non est, sed validissimum argumentum hæreseos criminis in conspectu regis Teutonicorum et in populorum præsentia commissi. Cujus fere per universum orbem distraxerunt programmata iniquitatis vinculum Joannis ministerio colligatum continentia. Quem nec domini mandatum a crimine excusat cum etiam servis in his quæ habent facinoris atrocitatem dominis obsequium præstantibus minime ignoscatur. Commisit ergo Joannes piaculare flagitium quod nulla pœnitentia perpetuo eum comitante infamia obliterari potest. Lapsus est enim in hæresim et schisma damnatum, de participio et damnatorum consortio excommunicatus ideoque Romani pontificis sententia illaqueatus, a cujus vinculo quemquam præter Romanum pontificem, aut circa ejus mandatum eum absolvere posse, non est mihi liquidum. Nam quicunque erroris vel schismatis semel damnati contagio se maculaverit, principis sententia damnationis obstrictum fore canones censuerunt. In quem non nova scita promulgata sed in auctorem jam prolata exercenda sunt: scilicet ne judex eum quasi non damnatum damnet, sed damnatum pronuntiet. Quem ergo jura delicti genere damnatum et excommunicatum declarant, nec non deponendum sanciunt, hunc si excommunicatum denuntiavi et velut anathematizatum abstineri mandare ausus sum, mirando succensetis. Potius de silentio contra me justissime indignaremini qui de canonum observantia in me scandalizari videmini. Cavete a fermento Joannis, ne, quod absit! de ipsius participatione commaculemini cui nostrum nullus communicare debet etiam si inconsulto animi calore ut me calumniamini ipsum excommunicassem. Si forte veneranda consilia nobis observare licet in quibus ei quem episcopus etiam, iracundus cito et aspere commotus excommunicavit, antequam legitime examinetur et plene cognoscatur utrum excommunicari meruerit, neminem communicare debere sancitum perspicue patet, fortius a Joanne cum ipsum jure mandante velut anathematizatum abstineri mandaverim vobis abstinendum est. Ut enim canonica decernit sanctio, excommunicato absque sui ordinis periculo scienter nemo communicat. Hæc si quis studiosius attendat, fratrem nostrum Saresberiensem episcopum ad tempus juste suspensum, Joannem Oxenford, anathematizatum fore et hujusmodi non irrationabiliter denuntiatum esse advertet. Propterea si appellationis obstaculum ne, sicut dictante justitia et jure mandante, in præfatos animadverti vos aut vobis forte subditos procaciter resistentes publice ac pertinaciter delinquentes corripiam, opponitis, videritis vos ipsi utrum appellatio ne contra inobedientes et publice delinquentes judiciarius vigor exerceatur emissa sit admittenda. Profecto ut versuti juris et appellationis subornatæ præstigia delinquentium ultionem excludant, ac sic delinquendi libertatem inducant, periniquum videtur. Sin vero ne vos injuste condemnem, sicut illos nostrum quidam me corripuisse opinantur, quod tamen secus esse sapienti persuasum est, appellando intelligitis more suo et jure optimo, procedit appellatio, eamque, promptus exaudio. Absit a me ut contemptis Patrum institutionibus in vos quidquam statuere præsumam! Quod autem ne in dominum nostrum regem, sicut summa deposcit justitia, animadvertam appellastis, satis mirari nequeo. Cum appellationi a me celebriter exhibitæ reverentia debita omnino contempta, ipsum me exspoliasse eosque quibus Cantuariensis Ecclesiæ et pauperum bona administranda commiseram repulisse, clericis meis ecclesias suas contra omne jus et fas abstulisse senes cum junioribus, lactentes cum lactentibus proscripsisse, nobis, et utinam non universo fere orbi, manifestissime notum sit! Non enim ignoratis, fratres, eum legis beneficio indignum, qui in eam committere non desistit, præsertim ejus legis cujus observantiam in alterius contempsit jacturam. Jure siquidem gentium approbata est æquitas in paribus causis, paria jura desiderans. Sane indignari nemo

debet id in se quandoque pati, quod in alterius persona æquum fore crediderit. Quare prius est ut dominus meus rex ecclesiastica jura observet, non conculcet, ab Ecclesiæ Cantuariensis et mea meorumque injuria desistat, si appellationis remedium imploratum, si tamen imploret, aut sibi ab aliis implorari placeat juste obtinere velit. Incognita est juri jurisque peritis appellatio ne qui ecclesiarum et pauperum bona usurpaverunt, usurpata quo pacto volunt consumunt, corripiantur exhibita. Appellationis enim beneficium non rerum ecclesiasticarum invasoribus aliosque opprimentibus, sed oppressis et injuste gravatis legum et canonum clementia in remedium contulit. Quo jure, qui appellationis jura subvertit, appellat? Quo canone, qui canonicis sanctionibus sua proponit instituta perversa, canonum invocat auxilia? Qua lege, qui leges iniquas in subversionem Ecclesiæ Dei et ministrorum ejus oppressionem condit, legum implorat remedium? Fratres, quæ scribitis quæque ipse mecum sollicitus revolvo et anxius, me adeo angunt, ne quid mihi et Cantuariensis Ecclesiæ magis expediat, plene discernere valeam.

EPISTOLA XVII.

EPISTOLA CANTUARIENSIS THOMÆ ARCHIEPISCOPI EXSULTANTIS, RESPONSALIS AD APPELLATIONEM EPISCOPORUM ANGLIÆ SCRIPTO FACTAM ET AD QUÆDAM ALIA SIBI AB IISDEM OBJECTA.

THOMAS D. g., etc.

Fraternitatis vestræ scriptum quod tamen, etc. [*Vide Epist. S. Thomæ, infra, sub num.* 75.]

EPISTOLA XVIII

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS AD WILLELMUM CARNOTENSEM ELECTUM.

Cum ergo arriperem calamum ut verborum filis epistolaris eloquii talarem fulgidam et polymitam vestem texerem, in quo et charitatis mutuæ præstarem officium, subito cecidit manus, obriguerunt digiti et stylus ipse quasi esset dolentis animi conscius obducitur situ; objurgans et dehortans, ne dictionum solemnia et verborum lenocinia quærerem: nam qui quotidie cogor amara bibere, dulcia mihi amantissime quando possum tibi propinare. Dicit siquidem Scriptura quod musica in luctu importuna narratio est: cithara vero mea in luctum versa est, organum meum in vocem flentium, nam ut reliquam exsulantium multitudinem taceam, quæ tam injusta unius percussione multatur et exsulare compellitur, ubi nulli parcitur sexui, nulli defertur ætati in me tamen præ cæteris confirmatæ sunt iræ et Anglorum regis irruit furor, qui me in meo jam confirmavit exsilio et eo regnum agente omnem mihi spem reversionis ademit, sed benedictus Dominus Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, eo enim ipso me juxta Evangelii vocem beatum pronuntio, siquidem persecutionem patiens et socius propter justitiam patientis. Memor etiam qui tyrannus omnis cœlestis opificis malleus est et modico tempore sinitur malignari. Præterea Dominus mihi in tribulatione hac auxilium dedit certum spei meæ refugium, tu enim solus post Deum refugium meum es a tribulatione quæ circumdedit me, sed hæc cursim et succincte pertranseo, ne in adversitate positus pro præteritæ dilectionis munera tua potius quam te videar quæsivisse. Scias etiam, amantissime mihi in Christo veram esse illam me Romanis sententiam quam condiximus, cum mutuis aliquando et secretis foveremur alloquiis, qui ponunt lucem tenebras et tenebras lucem: quorum dextra repleta est muneribus, et quæstum æstimant pietatem; solum quæ suæ sunt quæritantes, non quæ Jesu Christi, et utinam quæ sua, si ab alienis cor manusque continerent! Fratres est profecto juxta prophetam Ephraim quasi columba non habens cor, arietes non invenientes pascua, abierunt absque fortitudine, ante faciem subsequentis, sapienti dictum est satis. Ut tamen aliquid apertius eloquar, illi qui se faciunt summos Christianæ militiæ duces nullatenus audent ex adverso ascendere, murum se opponere pro domo Dei, sed jam terga præbuerunt et lucernam justitiæ posuerunt sub modio, plus regem illum Anglorum quam angelorum Dominum metuentes, et certe nisi me angustia temporis, etiam styli verecundia prohiberent, tanta de iis modo ingererem, quod ne dicam brevem, sed etiam omnem epistolarem excederim modum. Attamen de ipsorum insuficientia imo potius de consummata malitia disserens cogor finem facere ubi finis non est.

EPISTOLA XIX.

EPISTOLA HERBERTI JAM EXSULANTIS AD GREGORIUM ABBATEM DE MALMESBERIA.

Amantissimo sibi in Christo abbati de Malmesberia, suus H., miserabilis nunc et exsul, gaudere cum gaudentibus et cum flentibus flere.

Quod mihi vel nunc ut tuæ charitatis scripta destinarem, sera sed optata diu occasio obtulit, omne mihi gaudium est. Supplicavit horum bajulus ut aliqui de amicis meis in Anglia scriptas porrigerem preces: annui cito et arripui calamum quo aptato vix formato primi characteris apice mox tremuit manus, hæsitavit animus, dehortans mihi ne scriberem, eo quo vix unus adversitatis amicus cum tam multi prosperatis sint, et ut illum Cant. insignem a nobis vero elongati sunt amici et proximi et noti nostri a miseria. Scio etenim fama celebri divulgante jam ad aures vestras pervenisse, de his quæ his diebus facta sunt, quot et quanta videlicet propter justitiam sustinuerit opprobria Cantuariensis noster, cujus passionum ego socius sum, verum sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Jesum Christum abundat consolatio nostra. Compatiuntur enim nobis et reges et regna compatiuntur etiam nec hæsito, supernæ illius civitatis concives, utpote quorum multi per easdem passiones et miserias transierunt. Siquidem ipsorum in Psalmo vox est: *Transivimus per ignem et aquam* (*Psal.* LXV) et horum permulti transierunt, qui eamdem Salvatoris civitatem, sa-

crosanctam loquor Cantuariensem Ecclesiam, dum adhuc in tabernaculo carnis militarent, inter pericula rexerunt tam prudenter, contra hostes dimicaverunt tam fortiter et triumphaverunt tam potenter, et ut quod dicimus certius doceatur exemplis, inter alios quamplures ex his qui de terra Ægypti sunt et qui civitatem jam dictam inter præsentie vitæ rexerunt pericula, quorum revera omnium enarrare gregatim catalogum epistolaris eloquii brevitatem offenderet : sufficit interim tres in medium revocare, Dunstanum videlicet, Elphegum et Anselmum, quorum memoria in benedictione est et nomina scripta in libro vitæ. Jungamus ergo et tolerantiam earumdem passionum ac miseriarum, in quibus nos adhuc pro tempore versamur, et in quibus et ipsi dum adhuc in carne essent vesrsati sunt, nec est ambiguum inter quot et quanta pericula hanc quam domus Salvatoris ecclesiam rexerint pro qua etiam usque ad sanguinem restiterunt : levemus oculos et respiciamus prænominatos tres vigiles, medium si non vultus vulnus tamen discernit. Medius enim eorum stat quem nos scimus roseus et super dilectos rubicundus, stat enim martyr tripudians et triumphans toto lacero corpore : ni fallor, Elphegus est iste cujus vulnera vestra testantur verba, adeo ut et in ipsius corpore vulnerum adhuc exstent cicatrices crudi, aspersio sanguinis et verberum livor, imperatoris sui characterem gerens et pro civitate sibi credita quæ sustinuerit summo omnium Patri repræsentans, eo ipso Salvatoris sui imago et Crucifixi sequela ; et puto venientes die Domini hujusmodi commilitones Christi una cum Christo tali corporis schemate apparebunt et videbunt tunc in quem pupugerunt, roseum illum martyrum chorum saucium caput cum membris, imperatorem cum suis, illam agni familiam occisi ab origine mundi. Sed transeamus nunc sociam illam ovium occisionis multitudinem ; Elphegus in ore est qui fortior stetit inter ictus lapidum in exsilio, quam Adam inter ligna deliciarum in paradiso, fortior fuit inter lapides quam Adam inter poma. Adam odore pomi olfacto mox cecidit et vincitur. At inter lapide stetit Elphegus immobilis. O quoties, ut arbitror, inter lapides pro suis exsecutoribus exorabat ut et in hoc se alterum nobis Stephanum exhiberet ! Quoties omnis ad ictus prostratus vel genua curvans tam piis precibus tam devotis pulsabat cœlos, et penetrasse non diffido precibus certe sanguine respersis et lacrymis orans et ingeminans : « Pater sancte, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, pro civitate tua sancta quam mihi indigno commisisti ! » Id ipsum etiam in præsentis vitæ naufragio inter tabellas suas, Dunstanum pariter et Anselmum orasse non dubium est, qui, etsi calicem non ex integro cum Elphego, guttas tamen ejusdem amarissimas ebiberunt, quorum uterque proscriptus bis exsulare adactus est, terram in corde maris sitam multa cum difficultate egressi, persæpe etiam urgente principum commotione incerto se navigio commiserunt, sustinuerunt injurias pelagi propter justitiam, nihil secum portantes. Horum præconiis ego totus jam devotus insisterem, nisi quod nec nova referre ignoranti nec tanta materia epistolari angustia pateretur arctari. Ut igitur morem geram epistolæ legentibus auribus parcam, aliquid tamen de præfatis vigilibus addens eo quod ab ipsorum recordatione inter præsentes angustias avellar invitus. Nam potissimum hos tres vigiles in sancta summæ Trinitatis ecclesia, tanquam civitate regis magni cernimus esse constitutos, qui eam speramus protegant die ac nocte, id est in vita et morte sua. Nec enim eos tam inhumanos fore arbitrandum est ut cujus fuerunt in vita rectores ac principes, ejus sint in morte contemptores, quin etiam credibilibus tanto in morte hunc ipsorum potentius protegant, quanto amplius post ipsam confirmatus est principatus eorum. Cui namque posset venire in dubium ipsam, quam adhuc peregrini inter pericula rexerunt tam prudenter, pro qua et inter hostes militaverunt tam fortiter et de hostibus triumphaverunt tam potenter, nunc facti cives et domestici Dei deserant tam crudeliter, prætereant tam ingratanter, pro qua tanquam boni vigiles sæpe in orationibus pernoctantes tam crebras, tam devotas fuderunt orationes, furtivis frequenter respersas lacrymis et ejulatibus interruptas, eo magis lucidas quo magis absconditas et eo puriores quo secretiores. Denique et eorum sepulcra sunt apud nos gloriosa ; in honore corpora et in magnificentia spiritus. Quæro ergo, nihilne nobis amplius miserebuntur ? qui est se per easdem passiones et miserias transisse meminerunt quod Cantuariensi nostro causam suam commiserunt et sedem. Quid ergo, ipsi per ignem transierunt et aquam et nos in mediis ignibus et fluctibus delinquunt nec saltem manum apponent periclitantibus filiis ? Non est ita, bene tecum agitur, o Salvatoris, o magni regis civitas ! O mater nostra Cantuariensis Ecclesia, de cœlo et de terra veniet auxilium tibi : qui custodiunt te non dormitant neque dormiunt, custodes tui angeli sancti : vigiles tui spiritus et animæ justorum sunt : de tuo utero sunt egressi a quibus auxilium flagitas. Vigiles etiam tui sanctum est Ecclesiæ Cantuariensis collegium et quotquot sacri sunt in ecclesia Anglorum conventus, qui die noctuque psalmis et hymnis et canticis instant spiritualibus qui pro nostræ imo Salvatoris domus defensione frequenter in lacrymis et orationibus pernoctantur. In his spem nostram ponentes, celebre nobis inter mala solatium est nec absorbemur a tristitia, potius ut verum fatear lætatur et exsultat anima mea. Lætatur certe et exsultat, quia est nobis auxilium in patria, est et in via, habemus arma a dextris et a sinistris. Lætamur, inquit, et exsultamus, quia cœlestis illa curia ex nobis habet quibus sit cura nostri, qui nos suis protegant meritis informent exemplis et confirment miraculis : lætamur quod

angeli nostri ascenderunt ad cives suos, qui pro filiis A captivitatis legatione fungantur, corda nobis concinent beatorum, vota illis intiment miserorum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui tantorum pontificum ministerio visitavit plebem suam, et nunc assumptus iis in sanctam civitatem nostram non desinunt consolari civitatem captivam.

EPISTOLA XX.

EPISTOLA HERBERTI AD ALEXANDRUM PAPAM IN PERSONA TH. CANT. ARCHIE. IN EXSILIO POSITI.

Domino et Patri suo A. Dei gratia summo pontifici, ejus filius T. Cantuariæ dictus episcopus, abundare fortitudinis spiritu.

Omne gaudium existimo, dilecte Pater, eo quod tribulationum vestrarum ego particeps esse meruerim, sperans quoniam sicut fui socius passionis, B sic ero et consolationis. In Christo namque Jesu cooperante confido et bonam nobiscum spem reporto, quia eo duce perveniemus ad bravium qui nos movit ad cursum, et eo jubente sub regimine vestro perveniemus ad portum qui movit procellæ spiritum. *Dixit enim et stetit spiritus procellæ et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos* (*Psal.* CVI). Sed quid ? Post *usque abyssos descendunt* (*ibid.*) ; nam fluctus maris sunt, et ecce qui ecclesiasticæ pacis auram turbaverunt, *turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est* (*ibid.*) Effusa est contentio super principes et erraverunt in invio et non in via. Nam sicut verborum celebre est et litteris mihi significatum accepi, insignis ille schismaticus qui singularem quærit in C mundo principatum, multos vero in errore consortes, animo mirabiliter consternatus est, conquerens se ab homine, sicut dicit, iniquo et doloso deceptum Anglorum rege, eo quod secum in veritate non steterit, præsertim cum statuerit quod absque occasione post festum Beati Michaelis ad octo dies venire ad colloquium suum et jurare faceret sexaginta episcopos antipapæ illi Guidoni Cremensi : nunc vero occasionem quam amovit prætendat guerram videlicet quam in Wallia habet. Hinc, sicut aiunt, dissolvetur omnino amicitiæ fœdus quod constat in Christi morte contractum. Squama siquidem squamæ conjuncta est, sed spiraculum vitæ non ingredietur per eas. Nam Dominus est qui dissipat consilia gentium et reprobat consilia principum, et D adhuc litteræ multum constanter asserebant, quod Trevensis et Magdeburgensis et Saxeburgensis cum quibusdam suffraganeis suis, et filius regis Conradi, et dux Orientis avunculus ejus, et dux Bertholphus de Ciringia, et dux Welpho et Fredericus frater domini Moguntini, et alii quam plures fautores juraverunt de novo imperatore faciendo, nisi iste de parte Ecclesiæ et libertate Alemanniæ ad eorum arbitrium steterit. Præterea ille alius, qui parvitatem meam imo in me celsitudinem vestram tam pertinaci mente et tam gravi persequitur plaga confusione duntaxat et pudore induitur, eo quod in abundantia virtutis suæ adversus inerme hominum genus exbraccatum et pannosum prævalere non possit, quem et gravant multiplices suorum defectus nec minus sumptus quotidiani, utpote qui in gente inculta et tenui nequaquam alia valeat invenire spolia præterquam hostium capita. Unde est periculosa congressio ubi redemptio corporis non nisi anima est, et grandis sollicitudo ubi dies singuli cum mortibus quotidianis exspectantur et sumptibus. Nudius tertius ad Christianum illum Francorum regem Ludovicum venerabilis frater noster Rotomagensis archiepiscopus destinatus venit. Quem admonitione sedula, crebra prece et persuasione multa de confœderatione facienda cum Anglorum rege in aure sollicitans, convocatis omnibus qui tunc intererant, palam responsum tulit dicente rege quod Anglorum rex satis ei fuerat obligatus, et adjiciens quod de cætero nunquam cum eo novum amicitiæ fœdus contraheret, si non prius quodcunque imperatori juraverat id totum objuraret. Rex ita coram omnibus quasi pro jam facto hominem deridens, et ad perjuria facilem notans ; Rotomagensis vero respondit Anglorum regem imperatori nil contra Francorum regem seu regni ipsius coronam jurasse, et in hunc modum discessit. Hæc omnia mihi ipse rex Francorum significavit. Intimatum etiam mihi est quod jam dictus frater Rotomagensis litteras a rege Angliæ recepit, quibus contineatur regem velle ut revertar in Angliam, si tamen judicio episcoporum terræ et aliorum quos vocaturus sit me super his quæ objiciet supponere velim. Præterea de consuetudinibus, imo de subversionibus illis quas redegit in scriptum, nullam, sicut asserit, arbitratur iniquam seu legi Dei adversam. Si qua tamen fuerit, id quorumdam fratrum nostrorum coepiscoporum, quos jam ipse selegit et designat, committet examini, videlicet Eboracensis archiepiscopi, Londoniensis episcopi, Wigorniensis episcopi, Herefordiensis, aliis citra mare adjunctis Rotomagensi archiepiscopo, et episcopo Baiocensi ; appellationes vero ad vos omnino diffitetur inhibitas ; has etiam regis litteras Rotomagensi cum suis propriis ut mihi relatum est vestræ jam sanctitati transmisit. Quia certe factum præsumitur rege conscio et volente Accepi etiam fratrem nostrum Londoniensem itidem vestræ beatitudini litteras quasdam destinasse, quibus doceatur regem sicut dicit nequaquam me coegisse ut terram exirem, et potius velle nunc reditum meum, si tamen judicio paream super his, sicut jam diximus, quæ mihi objecturus sit. Id etiam demum in litteris supplicat, ne terra sub interdicto ponatur, et ideo nunc, Pater sancte, evigilet discretio vestra, nam singula verba hæc retia sunt, quæ frustra ante oculos pennatorum jaciuntur. Quale est enim quod inter præfatos episcopos, illos iniquarum legum quærit examinatores qui fuerunt auctores, præterea cum non sit minorum judicum discussio hæc, quorum super ecclesiasticis nulla sanctio nullave interpretatio, dispensatio vero in paucis commissa est. At vestra in his singularis conside-

ratio est. Quod vero appellationes diffitetur inhibitas, lingua certe æquitati favet, sed manus multum adversa est. Nec est enim qui auderet ob appellationis suffragium, singularis primatus tui nomen confiteri in terra. Trahuntur passim omnes ad curiam sicut populus ita et sacerdos, et Christus a Pilato judicatur adhuc. Quod vero de reversione mea significat, interposita conditione præfata, oculi ejus in pauperem respiciunt, sed insidiatur quasi leo in spelunca sua. Insidiatur certe ut rapiat pauperem dum attrahit eum. Evigilet se igitur patris mei sapientia ad istos qui mihi tenduntur laqueos, et attendat quanta sit persecutio mea violenta et fraudulenta, ubi vis et dolus comparantur, ubi malitia potentiam sociam habet. Unde et vereor sciens et prudens mihi injicere compedes intercipi laqueis, incidere foveam. Vereor me secundo in flammam mittere. Transivi semel per ignem et aquam; secundo jam opus erit ut pro incerto vel nullo commodo certis me opponam periculis, præsertim cum in illo conventu nequaquam liceret mihi dicere veritatem impune qui pro jam dicta veritate et apostolicæ sedis obedientia, tantam jam sentio se veritatem, ut a filiis Ephrem qui mecum arcum intenderunt sed sine me in die belli conversi sunt, arguar perjurium incurrisse et majestatem regiam minuisse. At satis impudenter militem in prælio dimicantem objurgat mulier manens in domo. Quod vero dicit dominus rex, me minime coegisse ad exitum, spero non esse opus nunc quasi de novo exitus mei astruere causas, allegare metus argumenta et fugæ meæ apologeticum scribere. Nec enim reor, benigne Pater, a memoria vestra excidisse quot et quanta sustinuerim in profundo pericula, ex quo jubente te remigavi in altum ut retia laxarem in capturam, in tam gravi vitæ meæ naufragio, ut relicta sindone nudus vix evaserim, demum in laboribus plurimis, ad sinum misericordiæ vestræ velut ad portum voluntatis deductus. Quod etsi ego siluero, mundus clamat. Forte et dum ista recolo et quæ mundus novit loquenti vestra compatitur mihi clemens paternitas. Qui cum essem nutritus in palatio contubernalis et condiscipulus Augustorum, solus tamen pastorales sudores aggressus sum, solus attentavi resistere, solus Christi injurias propulsare, solus patris mei nomen confiteri in terra, et ideo torcular calcavi solus. Præterea nulla ratione nisi prius præstita impunitate corporis mei reverterer ad gentem quæ quærit animam meam, facta etiam ex integro mihi et spoliatis pro me ablatorum restitutione. Nam recolat, quæso, discretio vestra, quanta rerum damna tempore istius regis sustinuerit Anglorum Ecclesia in episcoporum expulsionibus, prius expulso sanctæ recordationis Joanne Wirgoniensi episcopo post venerabili fratre meo filio vestro Henrico Wintoniensi qui sine omni restitutione plus quam tria marcarum millia perdidit. Unde et usque adhuc facilitas veniæ tribuit securitatem delinquendi. Sed faciant cum domino rege adversus

A parvitatem meam, quantum Deo permittente libuerit et licuerit, includant, excludant, proscribant: ergo certe, Dei gratia inspirante et persequente, decrevi pati pro lege Dei mei, nec, ullo cogente metu seu favore aliquo eorum, unquam ero consentaneus in culpa, quorum nolo esse consors in pœna. Decrevi etiam satius in exsilio mori, quam tribuere hoc exemplum grassandi in dotem viduæ et patrimonium Crucifixi. Tu vero de cætero, sancte Pater, memento quia pater es cujus est misereri, semper et parcere. Nec attendas flagellum meum quia homo valde peccator sum. Sed si manus Domini tetigit me et adhuc extenta est super me, permitte me solum ebibere calicem miseriæ meæ. Respice super filios tuos, qui mecum sine causa tam dire tam B inhumane proscripti sunt et ejecti, quia licet sint feliciter miseri, quos constat non meruisse quæ perferunt, ipsorum tamen tribulatio meam miseriam cumulat. Respicias igitur, pastor bone, super oves pascuæ tuæ. Vestrum enim est oves errantes et dissipatas per nebulas et avia deserti quærere et ad pascua reducere. Quia Christi vicarius es, opus id probet. Leva manus in superbias eorum qui malignantur in sancto. Increpa feras arundinis; dissipa gentes quæ bella volunt; confringe in die iræ tuæ reges et in nationibus judica, ut quemadmodum es Pater misericordiarum, sis et dominus ultionum, judex justus et fortis, terribilis et auferens spiritum principum, terribilis apud reges terræ, ut sicut Christi te scimus vicarium Christi C ministerium impleas. Oro igitur et iterum oro, vicarius Christi, christus Domini, Christi injuriam amodo ne dissimulet. Verum verbum illud tritum jam et commune mihi suspectum est quod sapientibus nostris caro revelavit et sanguis: *Exspecta*, inquit, *reexspecta* (*Isa.* XXVIII), non est tempus vindictæ sed sustinentiæ in tanta, inquiunt, multitudine inimicorum Ecclesiæ. Oro, Pater, sustine paulisper et supporta me tantæ majestati non tam temere quam timide hæc loquentem: mira certe, imo monstruosa sapientia hæc ut tunc sine causa portetur gladius sacerdotii, quia multi sunt adversarii Christi, quasi athletis Christi ad tempus cedere, curvare genua, solvere manus, et gladium in vaginam convertere tutius sit adversariorum mul- D titudine territis. O cæca mundi sapientia supina nimis et crassa, enervans omnem fortitudinem fidei, suffocans censuram judicii et quæ lucernam justitiæ ponat sub modio. Pro quibus propheta: *Aperi, Domine, oculos eorum, ut videant, quia plures nobiscum sunt* (*IV Reg.* VI). Non diffiteor tamen persæpe parendum tempori, interdum aliqua dissimulanda sustinenda multa: dispensanda vero nonnula, at idquidem bene fieri si salva justitia fiat. Sed ut taceam tam dirum et Christianorum principum temporibus inauditum exsilium, ubi unius percussione tot et tanti multantur, et multa alia enormia quæ in Anglorum fiunt Ecclesia, quomodo erit salva justitia, ubi secundo vinctus ducitur Christus ante

præsidem, ubi et Petro adimitur sui apostolatus officium. Nam passim trahuntur clerici ad judicia sæculi, sacerdotes ligandi et solvendi potestatem libere exercere non audent. Age igitur, homo Dei, quorum tenes hæreditatem induere fortitudinem : excute te, fili excussorum, accingere gladio tuo super femur tuum ; exturba et dissipa tuam hæreditatem dissipantes, ne potestas tanta sine causa gladium portet, nunc præsertim cum in Christum Malcus et in vasa templi Balthasar manus extenderit. Nam confido in Domino quia ut viderit gladium venientem super terram buccina insonante, inimicus ille convertetur in fugam, qui eo quod ex adverso non ascenderimus gloriatur nos terga præbuisse et linguas taurorum abscidisse, sicut propheta suus Merlinus inter cætera istud longe ante de eo sicut gloriatur vaticinatus est B et linguas, inquit, taurorum abscidet. Qui tamen nunc ex solo metu, et tuæ majestatis offensa dolo et calliditate quadam se humiliat. Nam viri callidi et dolosi proprium esse solet tunc humilitatem prætendere, cum metus in causa est vel aliquid obtinere voluerit. De qualibus Scriptura dicit : *Est qui humiliatur nequiter et interiora ejus sunt plena dolo* (*Eccli.* XIX). Tu igitur princeps Christianæ militiæ expergiscere, gladium tuum amodo non recondas, sed exseras, præsertim cum alter ejus immineat gladius, non verbi dico sed ferri, ut ita iterque Ecclesiæ serviat. Nam propterea *irritavit te*, Domine, quia *dixit in corde suo* : *Non requiret* (*Psal.* IX), imo quod verius non audebit, inquit, requirere. Sed *exsurge*, Domine, *in ira tua* (*Psal.* VII) et retribue C abundanter facientibus superbiam et murmur universæ terræ pro sanguine meo, adversum te ulterius ne dissimules, aut si murmur terræ non audis exaudias clamorem sanguinis. Clamavit enim sanguis meus ad te de terra. Age ergo, vindica sanguinem servorum tuorum, non unius dico sed multorum. Memento, quia brevis est dies tuus, ideo operare, dum in die es, dum in via es, dum adhuc in pugna es, non differas ultionem quia tempus justitiæ est, Non recondas gladium, quia tempus belli est. Non abjicias sarculum, quia tempus putationis est, ut tanquam prophetarum filius facias opus prophetæ, evellas et destruas et dissipes et ædifices et plantes, si quo minus sanguis meus ab omnium judice de manibus tuis requiretur. Hæc prædico tibi et iterum D prædico, ad justitiæ ostium pulsans, ne si forte ab hac luce ad regnum tuum migraveris, improperetur tibi a cœlesti militia, quod filium tuum in profundo in tam gravi naufragio ad te clamantem dereliqueris, nec periclitanti pro te apposueris manum. Ubi et interrogabit te summus omnium judex cur non posueris animam tuam pro me qui ipsius exemplo meam jam semel posui pro te, ipse vero pro me et te. Ubi etiam interrogabit te summus ille omnium judex quare justitiam et veritatem tuam absconderis vel ad tempus etiam conculcari sustinueris, quasi impotens sit primos et graves adversantium sibi

A impetus sustinere, nisi ipse in primis conculcetur qui et justitia et veritas est. Nisi fallor nullus erit tunc locus dissimulationis in causa liquido judicio veritatis, ubi ipsa veritas judex. Dispensatio quidem seu dissimulatio, in cæteris quidem utilis est si non violetur justitia, alioquiun plurimum timoris habet modicum fidei fortitudinis nihil. Unde et quidam ait : « Agnosce vocem ejus quia de parentibus tuis est. » Verbum Dei non est alligatum, noluit dispensare, noluit dissimulare, donec carcerales evasisset angustias, donec solveretur a catena, sed cum omni fiducia operabatur in vinculis, non dico ne periclitaretur, sed ne etiam minus dilataretur justitia. O quam felicia illa apostolorum tempora, quando nec purpurati nec infulati, nec deaurati incedebant, non micabant gemmis, non florebant sericis, non pennis coronabantur, non auro argentove suffarcinati, non stipati mitratorum corona nec erant examine ministrorum. Tunc absque velamine inde se nudos contemplabantur quod homines nati essent ad laborem, non ad honorem, ad miseriam non ad gloriam. Memor esto, sancte Pater, hujus tam sanctæ cognationis tuæ quæ fuit ab initio. Consideres opera ; opera Adriani, Anastasii, Eugenii, sed præ cæteris Petri et Pauli, et aliorum in istorum catalogo, a quibus tota tua emanavit tam generosa posteritas, ut in auro intextis et sericis agnoscas te excussorum filium et piscatorum hæredem. Puto si isti parentes tui mecum adhuc in carne viverent, adjuvarent et naufraganti filio apponerent manum. Nec ob id ista locutus sum quin sperem te facturum similiter, qui tibi tam nobile genus vindicas constantia animi, fortitudine fidei et præclara morum hæreditate. Spero quidem nec hæsito, quin te duce, te rectore, navicula mihi credita in portu voluptatis deducatur, et procella mea statuetur in auram.

EPISTOLA XXI.

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS AD HENRICUM BAIOCENSEM EPISCOPUM IN NOVITATE PROMOTIONIS EJUS : IN QUA EPISTOLA NONNULLA SUMPTA SUNT EX TRACTATU BERNARDI CLARÆVALLENSIS QUEM FECIT AD PRECES PAPÆ EUGENII.

Inter scribendum hæc, imo priusquam scriberem, mox steti et hæsi et cum stylum et tabulas arripuerim, necdum exaratis aliquibus præsentis eloquii notis suspendi organa mea, dubius admodum quo dictionis genere ego loquerer nunc ad dominum meum. Nam diversos etiam et adversos scribendi characteres imperabant hinc clara et gloriosa mutatio nominis tui, inde vero dura et aspera sors exsilii mei..........

[*Hortatoria, quæ sequuntur usque ad finem epistolæ, nec ad sancti Thomæ historiam spectantia, nec aliter unius assis æstimanda, omitto*].......

EPISTOLA XXII.

EPISTOLA B. ABBATIS SANCTI CRISPINI SUESSIONENSIS AD HERBERTUM.

Charissimo et præcordiali amico suo magistro

H., frater ille sanctorum ecclesiæ martyrum Crispini et Crispiani miuister humilis, viam veritatis eligere.

Exspectans exspectavi promissi terminum et nihil accepi. Quod si tibi a languescenti memoria vel promissum vel promissi terminus fortassis excidit, neutrum in nostra periisse pro certo noveris. De synodis et ad populum sermones termino statuto transmittendos vel a te ipso deferendos mihi promisisti. Terminus præteriit, promissum infra præteritum adhuc languescit. Siue itaque ut quod penes te inclusum est et intra terminum a te valeat promissum egredi et ad me cui promissum debetur ingredi, ne videaris veritatem amplius transgredi. Si a veritatis via scienter aut ignoranter aberrasti, tibi licet adhuc ad eam regredi. Viam ergo veritatis festinanter eligere, dum liceat, libeat, neque quod processit de labiis tuis omnino irritum facias. Et si me ad tempus ab exspectatione mea confusum doleo, latori præsentium secure potes committere quod cum acceptum legero, confusionis dolorem penitus expellit ab animo. Votis itaque meis et precibus, magister optime, magistrorum mihi charissime, satisfacere festina, ita ut nunquam portitorem nostrum vacuum ad nos remittendi occasionem perquiras. Excellentissimum et dilectissimum dominum Cantuariensem archiepiscopum ex parte nostra officiosissime salutare non differas, cujus ad obsequium nostra paratus sum exponere omnia cum corpore simul et anima. Valeas et tu ipse non pro merito, sed ut desidero. Auferet enim a te salutem meritum, eamdem vero mediante Jesu Christo conferet nostrum in bonis desiderium. Quam etiam ut desiderem affectuosius, efficiat precor in suo reditu præsentium bajulus mihi sic inquiens : « Hoc vobis mittit magister Herbertus amicus vester fidelis et veracissimus. » Vale iterum. Suppono vobis et vale tertium. Tu siquidem nosti triplicem difficile rumpi funiculum. Cave ne alii publices quod præsens pagella continet.

EPISTOLA XXIII.

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS AD B. ABBATEM SANCTI CRISPINI MAGNI SUESSONIENSIS.

Domino charissimo et honorando in Christo B. abbati, H., in Domino salutem.

Lectus dignationis tuæ sermo hinc mihi præstitit gratiam hinc incussit timorem : incussat me hinc, blanditur inde. Nam, ut litteræ tuæ sonant, æstimas me juste arguendum tanquam promissi mei immemorem, sed mox velut charitatis consilio tribuis indulgentiam ad illis quod promissum est solutionem invitans. Videris etiam me levitatis arguere quod juxta promissum tempus non venerim. Sed meminisse debueras quia non est hominis via ejus nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos, præsertim cum ego sim homo sub potestate constitutus, cui si dicitur : « Vade, et vado et dominis meis obtempero. » Verum cum essem apud te, sperabam me in modico reversurum et promisi ut

A credidi. Cum ego non venerim nunquid levitate usus sum ut sit apud me. Est et non ? æstimo quia judicio beatitudinis tuæ non solum qui verum sed et is qui falsum dicit quod putat verum, liber a mendacio sit ; alioquin apostolus pariter arguatur qui juxta promissum nequaquam ad Corinthios venerit. At vera amicitia quod sentit dissimulare non debet. Proinde est quod correptionem tuam acceptavi eo ipso indicans, quia trahere velis ut invitum ut veniam et videam te. Speo autem et adhuc quod proficiscens in Flandriam facturus sum transitum per vos et sine dilatatione. Interim vero pollicitationis meæ pignus accipias, aliquas videlicet schedulas vel paucas quas per hunc bajulum destino, quas a nobis elaboratas dignatus es postulare, qui in urbe ut videtur

B similavi fastidiens et pretiosis epulis saturatus cibarii panis nostri et rusticani oleris alimenta desideras: quibus nunc in solitudine Pontiniaci pauper vita mea ne in via deficiat sustentatur. Hæc igitur accipe non tuam sed potius turbæ discumbentis refectionem, in quibus tamen si qua forte fragmenta quæ tuum quærant refocillare spiritum repereris, gratiæ non mihi sed patrifamiliæ referantur, de cujus plenitudine quæ dispensatur accepta sunt. Scripsissem plurima nisi quia me urgebat subita et inopinata profectio, ut vix una lucubratiuncula exaraverim, unde si juxta amantis votum parvæ et incomptæ sint litterulæ hæ, ne mireris. Scis enim ipse non omnino bene fieri quod præpropere vel occupato animo fiat : præterea memento quam

C paucioribus tuis ista redduntur, cum tamen tu totus in libris sis. Nunc omnia super omnia, quæso, ut impensas ad Dominum fundas preces quo possit dominus Cantuariensis et qui tribulationis suæ socii sunt in isto certamine victoriam consequi. Simulque ut omnes fratres qui tecum sunt meo nomine salutentur, impendio precor, et ut memoriam tribulationis nostræ in orationibus suis habeant, moveatis affectuose.

EPISTOLA XXIV.

EPISTOLA HERBERTI AD ALEXANDRUM PAPAM IN PERSONA HENRICI COMITIS TRECENSIS.

Unico et summo Dei gratia Romano pontifici A., filius suus H. Trecarum comes Palatinus, quæ vera sunt intelligere ac novissima providere.

D Quod in præsentiarum aures clementiæ vestræ pulso et filialis dilectio monuit, et generalis quædam Ecclesiæ necessitas compulit ; nam gloria nominis vestri quæ usque ad hos dies toto orbe admirabilis claruit, jam facta est subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt multis in opprobrium versa. Quoniam ecce inimici vestri sonuerunt et qui oderunt vos extulerunt caput, nuntios dico Anglorum regis, qui revertentes de curia ad ignominiam magnifici viri et omni laude digni archiepiscopi Cantuariensis, imo verius ad sanctæ Ecclesiæ depressionem, omnes petitiones suas impletas esse gloriantur et circumquaque divulgant, videlicet quod famosas illas consuetudines, imo verius Ecclesiæ

Dei subversiones, ob quas dominus Cantuariensis exsulare dignoscitur, susceperitis, ut si ab omni episcopali jurisdictione exemptus, ipsum etiam Anglorum regem suis legibus cleri privilegia solventem tanto honoraveritis privilegio, ut si ab omni episcopali jurisdictione exemptus, factus præ cæteris regibus specialiter vester filius qui præ cæteris vestram iram et indignationem promeruit. Adjiciunt etiam quod omnem domini Cantuariensis auctoritatem suspenderitis quousque e latere vestro nescio quos cardinales miseritis, qui plenam jurisdictionem habentes causam quæ inter sæpe dictum archiepiscopum et Anglorum regem vertitur dirimant. Inter hos etiam vulgatissimus ille schismaticus, cujus etsi nomen taceo ex perjurio ad singularis primatus vestri diminutionem tam enormiter perpetrato notissimus est, tanto præ cæteris est elevatus, quanto amplius est exaltatus; quia sicut jactitat vix adhuc absolutus mox vestra manu propria per annulum aureum in decanum restitutus est, et post etiam, quod præ cæteris stuporem auget, ipsum sicut regem suum in specialem filium suscepistis, nulli, sicut gloriatur, juri episcopali subjectos. His auditis, Pater sancte, commota est terra et conturbata; rex ipse noster obstupescit, principes admirantur, irascuntur populi, et sacerdotes confusi sunt: omnes vero compatiuntur et condolent tum propter ecclesiæ subversionem quam metuunt, tum propter etiam viri amabilis Deo et hominibus desolationem præsentem, qui cum esset in domibus regum nutritus et tantam, sicut novit orbis, haberet gloriam sæculi et favorem, non recusavit tamen humeros suos virorum oneribus supponere et omnia mundi pretiosa pro justitia Christi alta mente calcare. Ego etiam, qui non modicum honorem vestrum et gloriam et diligebam et diligo, admodum contristatus sum et conturbatus, anceps tamen et dubius an si ut linguosi illi disseminant confracta sit virga fortis, baculus gloriosus, et terra de qua panis oriebatur tam subito igne subversa sit; necdum tamen plene acquiesco auditis. Proinde, Pater sancte, filii tui non spernatis sermonem prudentiæ et fidelis tuis consilium. Parcite gloriæ vestræ, parcite et famæ, parcite Ecclesiæ Dei, parcite athletæ Christi juxta illius inclyti decessoris vestri formam, quanto infirmior, estote fortior et potentior. Exsurge igitur, Domine, in ira tua, et disperde linguas magniloquas, ut labor labiorum ipsorum operiat eas. Alioquin profecto sciatis, et in brevi est, quod principes terræ super populum vestrum malignabunt consilium et adversus electos vestros cogitabunt.

EPISTOLA XXV.

EPISTOLA HERBERTI AD A. PAPAM IN PERSONA MATHÆI PRÆCENTORIS SENONENSIS.

Unico et summo Dei gratia sanctæ sedis apostolicæ pontifici A. filius suus M. Senonensis Ecclesiæ minimus, in omnibus subjectionem et fidem.

Quia semel cœpi, loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis, nam hinc zelans hæc suasit A charitas, inde vero instans urget necessitas. Vox enim auditionis ecce venit et terra commota est; periit cor regis et cor principum, sacerdotes obstupuerunt et dissolutæ sunt omnium manus; celebris siquidem est et in ore omnium vox, quod inter tot Ecclesiæ inimicos in propria viscera convertitis manus, quia Christi hostibus traditus sit unicus ille et singularis diebus nostris Christi athleta; filius dico vester Cantuariensis archiepiscopus, qui propter gloriam nominis vestri sicut omnis Ecclesiarum orbis prædicat sprevit gratiam principum, confusionem sustinuit et improperium, dimisit denique domum suam, reliquit hæreditatem suam. Auget etiam malorum scandalum quod vulgatissimus ille schismaticus Joannes de Oxenforde vestro quæ omni B præest auctoritate absolutus Saresberiensis decanatus tam facile restitutionem meruerit, quasi sit ei in justitiam reputatum publicum illud perjurium schismatis quod, sicut mundus novit clamat, tam enormiter in Alemannia perpetravit, cujus occasione insignem illum schismaticum qui singularem quærit in mundo principatum: multos vero in errore consortes ad gloriæ vestræ depressionem suscitavit. Quin et Joannes iste et alii regis Anglorum nuntii a curia revertentes dilataverunt os suum et adversus Cantuariensem nostrum, vel ut interpretemur verius ad Ecclesiæ Dei oppressionem, cuncta se impetrasse gloriantur, et ex hoc, ut multi nomini vestro sancto detrahant, multam causam viri isti linguosi præbuerunt. Et hinc est quod universam Ecclesiæ fa- C ciem confusio operit. Timor enim et tremor venerunt super nos, quoniam in auditu hoc dii fortes terræ vehementer elevati sunt, exspectantes in dies quod si in stadio præfatus Christi athleta defecerit, ipsi sint bravium accepturi vestrum humiliando populum et patrum vestrorum se immiscendo hæreditati. Quia igitur semel cœpi, loquar ad dominum meum cum sim pulvis et cinis. Non infirmetur in tribulatione virtus vestra, sed præcipita, Domine, et divide linguas eorum, ut sciat universa terra quia locuti sunt adversus justum iniquitatem in superbia et in abusione, et fiat manus tua super filium dexteræ tuæ et muta fiant labia dolosa. Alioquin tanta jam præsens est turbatio quantam his scripto horrui credere, et tamen devotus vester et fidelis vestræ sanctitati non debuit penitus subticere. Tribuat vobis D Deus, summe Pater, secundum cor vestrum et omne consilium vestrum confirmet.

EPISTOLA XXVI.

EPISTOLA HERBERTI AD REIMUNDUM DIACONUM CARDINALEM ROMANÆ ECCLESIÆ IN PERSONA TH. CANTUARIENSIS.

Ven. Patri suo et fratri in Christo charissimo magistro REIMUNDO Romanæ Ecclesiæ Dei gratia diacono cardinali de Sancta Maria inviolata, T. Cant. Ecclesiæ minister humilis miserabilis nunc et exsul, modicum id quod nunc potest.

Qui quotidie cogor amara bibere, dulcia vobis, sancte Pater et amantissime mihi frater in Christo,

propinare non possum. Superstitiosi potius est inter A ejulatus et lacrymarum sordes velle sibi comparare gloriam de specie exquisiti sermonis. Et idem est, chare mihi in Christo, quod in præsentiarum nolui me de potestate labiorum jactare qui in præsentibus miseriis vix subsisto, nolui, inquam, me loquacitate extollere, quem pro facinoribus suis sicut mortuum sæculi in obscuris collocavit Altissimus. Venio igitur ad vos non indoctis humanæ sapientiæ verbis sed in verbo crucis, quod quidem pereuntibus stultitia est; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est, nos etenim sumus qui Christum crucifixum prædicamus. Qui proposito vobis gaudio, etc...... Audivimus enim famam et inimici Ecclesiæ missi ad curiam in omni loco jactitant, quod contempserunt nos principes vestri, quinimo tradiderunt nos in manum inimicorum nostrorum, etc...... B .... oro ut pro præsenti tribulatione nostra et Ecclesiæ causa precibus et exhortationibus scripto directis, sicut optime nosti, apud Romanum pontificem et confratres vestros intercedatis, etc...........

EPISTOLA XXVII.

EPISTOLA HERBERTI AD CHRISTIANUM FRANCORUM REGEM LUDOVICUM IN PERSONA TH. CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Christianissimo et illustri Francorum regi L., T. Cant. Eccles. minister humilis miserabilis nunc et exsul insignis, coronam vitæ immarcescibilis.

Gloria in excelsis Deo qui in istis diebus tam fortem, tam excisam columnam in domo sua constituit, qui et inter tenebrosas procellas Ecclesiæ suæ naufragantis, fecit luminare magnum in firmamento C cœli, etc....... inter cætera quia memor nostri Pontiniaci in solicitudine exsulantis, etc......

EPISTOLA XXVIII.

EPISTOLA HERBERTI AD WALDEMARUM REGEM DACORUM IN PERSONA THOMÆ CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Nobili et illustri Dei gratia Dacorum regi WALDEMARO, T. eadem gratia Cant. archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus, sic uti bonis transitoriis frui ut mereatur æternis.

Ex aliorum relatione gloriæ vestræ credidimus intimatum quanta et nobis et nostris rex Anglorum intulerit mala ex eo tempore quo ad pontificii dignitatem vocavit nos Deus, ira et inclementia quæ nequaquam regem decent, pessimis usus consultori- D bus, qui etiam nos adhuc persequi non desistit, sed benedictus Deus quia non habet tantas vires ad nocendum, quantos habet conatus. His siquidem in cujus manu corda sunt regum Christianum Francorum regem Ludovicum et principes regni sui et magnates ut omnem nobis honorem et reverentiam summam exhibeant convertit. Verum quoniam magnitudo nominis vestri et æquitas regia qua vos Rex regum decoravit ex fama celebri nobis innotuit, volumus quoque ut excellentiæ vestræ ex proprio mandato nostro nostra innotescat persecutio, quatenus majorem in oculis vestris inveniamus gratiam. Et si ita fortassis decreverit Deus, consilii et auxilii vestri munimine contra inimicos nostros roborati felicitatis vestræ et pacis in Christo mereamur participes fieri pro cujus gloria nunc opprobria, delicta omnia sustinemus. Nam me tacente satis novit mundus quam fideliter, quam magnifice jam dicto Anglorum regi servierimus ante promotionem nostram, cum adhuc mundo militaremus. Supplicamus igitur excellentiæ vestræ, rex illustris, ut nobis vestrum significetis beneplacitum, et his quæ hic non scripsimus sed per venerabilem fratrem nostrum intimamus, aures clementiæ vestræ benigne accommodetis, et tanquam a nobismet dictis fidem omnem adhibeatis. Ille vos custodiat et augeat qui regibus salutem dat.

EPISTOLA XXIX.

EPISTOLA HERBERTI AD WILLELMUM VIZELIACENSEM ABBATEM CONSULTANTEM SUPER QUIBUSDAM HERETICIS DEPREHENSIS QUI VULGO DICUNTUR DAGENEIS SEU DEONAS

Litteras charitatis vestræ gratanter suscepimus: nunc itaque super ea quibus consuluistis, ut charissimo fratri benigne consilium dare utinam tantæ foret discretionis quantæ charitatis est! Delegavit nobis pia mansuetudo vestra quid de his hæreticis qui apud vos Deonas appellantur, deprehensis et palam etiam convictis agendum sit. Ad hæc nos divinum jus consulentes in hujuscemodi hæreticos pœnam expressim scripto jure latam nequaquam reperire valuimus. Siquidem inimicæ potestatis soboles nuper exortæ sunt et in Angelis Christum lacerant et quos possunt labe occulta inficiunt: negotium enim in tenebris perambulans est. Verum quoniam totum hujus capitis corpus, etsi diversæ facies, in posterioribus tamen non discrepat, sed igne corrumpente quem omnes concorditer caudis trahunt, alienigenarum messes incendunt. Unde quorum est vanitas una, pœna dispar non erit. Similis enim culpæ et pœnæ individua contubernia sunt. Proinde per juris consequentiam quia pœna in alios prodita est ordinaria et canonica et in hos similis juris rigor exercendus. De pœna vero hæreticorum Liberius papa indistincte loquens sic ait: « Qui contra pacem Ecclesiæ, etc., si dignitatem aut cingulum militiæ habent nudetur iis; si autem privati, si quidem nobiles sunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur, si autem ignobiles, non solum corpore verberentur, sed exsilio perpetuo castigentur. » Sunt et multa alia juris vincula, quibus hujuscemodi vesanæ bestiæ ne terræ et mari noceant constringuntur, ne lubrici evolvant, rerum damnis coerciti et exsiliis. Sed est admodum lubricum draconem in ancistro tenere ne effugere valeat. Unde isti super quibus requisistis angulosi veritatis exsufflatores et ipsius corporis quietem sibilis suis et aculeis perturbantes tuendi solius capitis causa reliquum forte corpus concisioni et injuriæ exponunt vel etiam jam exposuerunt in rerum proscriptione, nihil damni arbitrantes potius ob hoc etsi non apostolico gaudio, apo-

stolorum tamen more gaudentes ea duntaxat parte A sui a periculo libera quæ venenatas in se continet linguas. Quibus igitur sunt stringendi vinculis, qualiter serpentes isti proterendi ne halitu suo pestifero temperatum fidei nostræ inficiant aerem? Quid juris est? nudi sunt et exui non possunt, præterea Ecclesia carcerem exsiliorum non habet, potius totus hic mundus corporis Christi carcer est exsulantis adhuc, exsiliorum insulæ Augusti sunt, non crucifixi. Præterea si veteris legis quæreremus censuram, jus quæstionem non haberet, nam cadunt in ore gladii. Item si jus Romanum accedat, et ipsum erit in expedito, nam supplicium ultimum sequitur. Sed nos qui novis supervenientibus projecimus vetera, quibus et novus rex et nova lex est, zizania prohibemur colligere, ne simul cum iis eradicemus et triticum, B in hos serpentes novos quosdam juris novos aculeos dirigemus quibus mitis ac mansueti Domini mortis sacramenta dispensantibus judicium sanguinis agitare non licet, nec etiam truncationes membrorum quibuslibet personis aut per nos inferre aut inferendas præcipere, præsertim cum corporali pœnæ veteris successerit spiritualis in novo cujus nos ministri sumus, nisi quod quædam modica corporalis coercitio nobis credita est, modica adeo ut non queat dicti ultio delicti sed disciplima magistri: hoc est per verbera sola castigatio corporis, mortis corporalis seu cujuslibet membri truncatione semota. Igitur isti, qnia præterquam in ipsis forte in quo puniantur non habent restat ut velut infames cædibus publicis deputentur. Verum quoniam in villa vestra sæculare vos habere jurisdictionem allegatis, non C arbitror vos juris ordinem convertere si jam dictos vestro tradatis defensori, non dico ut corporaliter puniat sed ut coram se eos audiri faciat et terminum causæ legibus suis humanis consentaneum imponat. Præ cæteris tamen mihi videtur consultius ut ad clementissimum principem Christianissimum videlicet Francorum regem sub digna custodia dirigantur, præsertim si in errore permanserint incorrigibiles. Utpote qui de communi jure ecclesiarum omnium regni defensor sit jure et præsummus et præcipuus custos, quod sicut recolo non negatis et ne istud quod dico meo afferre videar, audiamus quid Pelagius papa Narsæ patricio scripserit. Noli, inquit, dubitare hujuscemodi homines principali auctoritate deprimere, quia Regulæ Patrum hoc spe- D cialiter constituerunt, ut si qua ecclesiastici officii persona cui subjectus restiterit, vel seorsum collegerit aut aliud altare erexit seu schisma fecerit, iste excommunicetur atque damnetur. Quod si forte et hic contempserit et permanserit divisiones et schismata faciendo, per potestates publicas opprimatur. Ecce verba patris nostri sanctæ memoriæ Pelagii. Quare si ecclesiasticæ personæ in errore permanentes et incorrigibiles, per publicas potestates debent opprimi certius et privari. Angelus magni consilii sit vobiscum ut intelligatis quæ recta sunt et opere faciatis.

EPISTOLA XXX.

EPISTOLA HERBERTI AD BARTHOLOMÆUM EXONIENSEM EPISCOPUM.

Dilecto et dilectori magistro et patri suo Exoniensi episcopo, suus H. miserabilis nunc et exsul, modicum id quod nunc potest.

Qui quotidie cogor amara bibere dulcia vobis, Pater sancte, propinare non possum. Superstitiosi potius est inter ejulatus et lacrymarum sordes velle sibi gloriam comparare de specie exquisiti sermonis. Inde est quod in præsentiarum nolui me de potestate labiorum jactare qui in præsentibus miseriis vix subsisto; nolui, inquam, me loquacitate extollere, quem pro suis facinoribus sicut mortuum sæculi in obscuris collocavit Altissimus. Sed sanctitati vestræ inde absque fucati tinctione eloquii perpaucis mentem meam expono. Hæsitans tamen et dubius, nam sicut clamat mundus testamur opera quod urna videlicet sortis nostræ sinistra quotquot nobis erant ad dextram prostrati sunt. Consideramus enim ad dextram et videmus sed non cognoscimus. Verum pristinæ charitatis non immemor, quæ nec vetustate temporis nec sortis lubrico solet excidere, confortatus sum et confirmatus. Bajulus horum juvenis probus et discretus, et tam domino meo archiepiscopo quam mihi charus admodum et acceptus, ad nos de Anglia veniens sollicitavit me ut pro ipso alicui amicorum meorum in Anglia scriberem, cui instanti dum sæpe et sæpius me in terra illa oblivionis amicum non habere replicarem, secus sperans de vobis vestri demum recordatus est, cum omni instantia rogans ut vobis pro ipso scriberem, cujus tandem misertus ut nostri aliquando misereatur Deus, preces quantas in præsentiarum audeo et valeo sanctitati vestræ porrigo: quatenus ipsum pietatis intuitu et precum mearum interventu in vestro retineatis obsequio saltem ad modicum tempus, vel si hoc nullo modo placet alicui de amicis vestris officiose et cum affectu commendetis et id profecto discretio vestra noverit quod minister officiosus est et alicujus probi obsequio vehementer idoneus, cui nisi provideatis, revertetur ad nos, nec enim nostræ esset onerosus paupertati nisi quia dulcedine natalis soli attrahitur. De his quæ geruntur circa nos istorum lator plene vos instruere poterit. Siquidem satius judicavi celanda hinc in aure quam oculis in scriptura committere, quæ quibuscunque loquatur quidquid in se habuerit sub ipsa oculorum luce manifestat.

EPISTOLA XXXI.

EPISTOLA HERBERTI AD BALDEWINUM EXONIENSEM ARCHIDIACONUM.

Dilecto sibi in Christo et, ut spero, diligenti socio suo magistro B. Exoniensi archidiacono suus, H. miserabilis nunc et exsul, modicum id quod nunc potest.

Charissime mihi in Christo, venio ad vos non in sublimitate sermonis aut in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in verbo crucis, quod quidem pereuntibus stultitia est, his autem qui salvi fiunt,

id est nobis, virtus Dei. Nos etenim sumus qui Christum crucifixum prædicamus, qui proposito nobis gaudio sustinemus crucem, confusione contempta, malentes cum populo Dei affligi quam temporalis peccati habere jucunditatem. Unde et inculta oratio duram scribentis sortem absque ulla elegantia et dictionum solemnibus indicat. Satic namque indecens inter ructus et singultus fletuum festivis rhetoricorum membris et articulis in dictionibus lascivire. Verum inter uberes et sæcularium et divinarum litterarum divitias tuas, in hoc tenui schemate amicum tuum de longinquo venientem excipias, virum certe dolorum, qui non habet decorem nec faciem. Verumtamen non ut te contristem hæc scribo, sed ne his diebus nubis et caliginis oblivionis me umbra operiat : facti enim sumus tanquam vas perditum et oblivioni dati tanquam mortui a corde.

EPISTOLA XXXII.

EPISTOLA HERBERTI AD ALEXANDRUM PAPAM IN PERSONA A. SILVANECTENSIS EPISCOPI.

ALEXANDRO summo Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifici, A. Silvanectensis dictus episcopus, salutem in Christo et debitam patri obedientiam.

Etsi vobis, Pater sancte, omnium Ecclesiarum sollicitudo commissa sit, specialius tamen illi Ecclesiæ filii a vobis consolationem et protectionis auxilium demerentur, qui ex adverso ascendere non metuunt, et terrenis potestatibus, ne quod ecclesiæ est usurpent, libere contradicunt. Proinde est quod ego pro filio vestro fratre nostro T. Cantuariensi archiepiscopo, viro, sicut scitur, religioso et matri nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideli, ego episcoporum minimus quantas audeo et valeo sanctitati, etc., etc., etc........

[*Cætera hujus epistolæ in epp.* 24, 25, *non iisdem verbis sed in eumdem modum expressa invenio.*]

EPISTOLA XXXIII.

EPISTOLA HERBERTI IN PERSONA WILLELMI SENONENSIS ARCHIEPISCOPI AD ALEXANDRUM PAPAM CONTRA INTERFECTORES SANCTI THOMÆ CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS

[*Vide Epistol. S. Thom.*]

EPISTOLA XXIV.

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS POST SANCTI TH. MARTYRIUM AD ALEXANDRUM PAPAM CONQUERENS QUOD DOMINO SUO IN GLORIA ET SOCIIS IN PACE SOLUS ESSET IN CERTAMINE.

Quod tantæ majestatis oculis parvitas mea non minus impudenter quam irreverenter se ingerit, quæso, Pater, ne causemini præsumptionem quia urget pressura. Pudor sane reclamat et reverentia, sed dolor superat, cujus plerumque vis nec præstolari judicium nec temperare consilio, nec pudore frenari, nec rationi subjici solet. Vim ergo patiens, Domine, ad te vocifero. Ecce enim Robertus ille in conspectu Domini venator, qui proprium patrem suum in mortem venatus est et ipsius sanguine incrassatus, extendit adhuc rete suum ut reliquias etiam interfecti patris congreget, et incorporetur sibi. Illos siquidem qui tam fortis athletæ prius exsulis, nunc vero martyris in exsilio onera tam fortiter quidem sicut mundus novit comportarunt, nunc quærit in spiritu interficere forte postea in carne peremptvrus. Nam qui hostes reputari noluerint, compellit ad juramenta, si licita, vos videritis. Juramenti vero forma hæc est : « Ego enim juro domino regi Anglorum, tam patri quam filio, quod pacem ipius servabo, et quod nullus detrimentum suorum regalium per me sustinebit et quod non egrediar de terra ipsius absque ipsius licentia. neque litteras ultra mare mittam. » Et, ut cætera taceam, quid in hoc juramento regalium nomine intelligere velit etiam tardioribus manifestum. Ad tale juramentum plerosque jam de nostris compulit ; magistrum videlicet Joannes de Saresberia, dominum Gunterium et alios. Verum si ita jurantes celsitudini vestræ in aliquo videntur excessisse, profecto non modicam habent excusationem de peccato, qui inter crudelissimas manus et in corde maris sunt inclusi. At certe longe aliud esset de parvitate mea judicium si, quod absit! proprio ductus arbitrio ita juraturus accederem : præsertim cum proxima ante excessum martyris die nobis nihil tam horrendum suspicari audentibus, volente ipso martyre Dei et jubente, una cum dilecto socio nostro magistro Alexandro terram egressus sim et ita favens Dominus, cujus oculi semper prospiciunt super fidem, me incontaminatum huic negotio per gratiam suam reservavit, nec exsilii mei gloriam ignominiæ infici nævo sustinuit. Sed quid nomino exsilii gloriam qui martyrii palmam videre non merui ? Quin potius torcular calcavit solus et de gentibus non erat nisi cum eo. Hinc est quod quoties ipsius ante mentis meæ oculos exsilium pono, meum toties exsilium plango. Vereor nempe cum forti illo athleta frustra me in tentationibus suis laborasse, perseverasse non dico, cum consummationi interesse fuerit denegatum. Unde et mihi nunc est duplex incendium tribulationis. Me quippe lugeo discessisse, decessisse illum. Verum in discessu meo video infirmitati meæ Domino miserante prospectum, quia in tanto malorum metu fugissem forsitan et abscondissem me ab eo. Sed nec etiam sic consolationem recipio, quin potius ingemisco, sicut homo sine adjutorio. En enim imbecillitatis meæ innixus baculo currebam ut potui, cum Issachar illo forti pro viribus portabam onera et cum altero Jeroboal communia Israelis pericula prout datum erat propulsabam. Sed præcessit velocior et fortior jam bravium apprehendit : ego vero jam sensim in cursu deficio utpote imbecillitatis meæ baculo distitutus. Gemo nunc sub sarcina illius humeris subdictis, qui totus totum portabat, et qui mihi totum erat. Quæso, Pater sancte, ne indignetur majestas tanta, si paululum ante ipsam tribulationem meam pronuntio. Pudet certe præ sumptio-

nis quam altum sapere videor et audere plus forte quam expediat. Audeo sane pietatis memor, immemor majestatis. Præterea doloris vis edicit spiritum meum et alternatim nunc verborum, nunc lacrymarum fila extrahit ab invito. Exeat enim foras necesse est ignis flamma quo intus triste pectus adurit et interiora depascitur. Exeat sane necesse est ad oculos tam pii patris qui sciens quam injustus sit dolor meus planctum humanius æstimet, dulcius consoletur. Recordabitur forte filii sui domini mei et mihi multus erit ad miserandum nunc præsertim cum ipso vero Christi martyre post pugnam tam gloriose triumphante, in me, adhuc ipsum affligant in me, etc., etc. Oro igitur, clementissime Pater, oro tam litteris quam lacrymis et a tanta majestate non quidem tam temere quam timide supplico, quid liceat expediatve parvitati meæ significare non indignemini, ne si forte diutius exsulare contigerit errori, id verius quam prudentiæ, et superbiæ potius quam justitiæ imputetur, etc. Super hoc ipso etiam adjectis si placet gratiarum actionibus domino Senonensi scribatis necesse est : ipsius enim charitatis viscera mihi per filii vestri vulnera patuerunt, etc.......... Juxta quod uni ex fratribus de Pontiniaco, sicut pro certo creditur tam affectu quam habitu monacho, rubris indutus et crucem suam bajulans, sciscitanti quomodo se haberet, respondit : « Dic fratribus meis quod ego vici mundum, » et deinde vulnerum ei monstravit cicatrices, etc. [*Sequuntur pauca de virtute miraculosa S. Thomæ, inutilia.*]

EPISTOLA XXXV.

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS POST SANCTI THOMÆ MARTYRIUM AD JOANNEM SARESBERIENSEM

Quoties vel membranula litterarum vestrarum ad me usque pervenerit, sic et mihi ipsa in hoc tribulationis tempore quasi nubes in tempore siccitatis. Siquidem in æstu præsentis hujus meæ pressuræ grande mihi præstat refrigerium litteratoria confabulatio tua, ubi absentum corpere spiritu intueor præsentissimum, etc., etc., etc. Nec enim sicut scribis dominum archiediaconum Cantuariensem asserere, absentia mea propriæ voluntati debet ascribi ut cætero non debeam exsulem gerere. Cujus profecto assertio nequaquam malevolentis sicut reor calumniam, sed sicut certissime scio, veritatis ignorantiam habet. Exsilii quippe mei causa justa est, quæ etiam etsi in se justa non fuisset, justificata est superioris auctoritatis accedente mandato. Hoc tamen in brevi scribo, non tam totum proferens quam ex modico ostendens quid taceam. Sic enim arbitror expedire adhuc, præsertim cum sapiens ex paucis multa conjiciat.

EPISTOLA XXXVI.

EPISTOLA HERBERTI POST SANCTI TH. MARTYRIUM AD GUNTHARIUM QUEMDAM SOCIUM SUUM.

Gloria in excelsis, Deo, cujus dono inenarrabili tristitia vestra incredibilis in totius mundi gaudium versa est, adeo quod eam persecutionis auctores consolationis nostræ sint participes, quia aperuit Dominus manum suam et implet omne animal ubertate, vulnerati cujusdam et in sepulcro dormientis odore suavi et vivifico trahens et attrahens universos. Unde et jam præsentialiter et visibiliter sententiæ illius veritatem experimur, quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quia stultus factus est omnis homo a scientia. Verum circa hoc immorari non oportet, quæ tu fidelius et, etc., etc...

EPISTOLA XXXVII.

EPISTOLA IN PERSONA WILLELMI ARCHIEPISCOPI AD VIZELIACENSEM ABBATEM.

Willelmus D. gra. Senon. arch apost. sedis legatus, venerabili fratri G. Vizel. abbati et dilectis filiis suis ejusdem loci conventui, salutem et gloriam quam dabit Dominus.

Nos qui teneros humeros virorum oneribus supposuimus, pastorali sarcinæ in nullo commodius possumus prævidere quam si ad comportandam Ecclesiæ fabricam tales in ea instituamus personas, quæ scientia litterarum et morum honestate præfulgeant, quarum virtutes eidem ecclesiæ magis videantur conferre quam sibi de collato beneficio accrevisse. Tunc enim domus Domini procul dubio decoratur, cum in ordinatione illius ab eo qui præest secundum scientiam zelus Dei accenditur, quod non caro, aut sanguis, aut triplex illa munerum famosa acceptio aut generis nobilitas, sed potius merita personaliter pensantur. Proinde est quod nos inspirante Domino personæ duntaxat causam judicantes et dilecti filii vestri fratris nostri domini G. prioris de Vilmustir scientiam commendantes vitam, monasterio sanctæ Columbæ senis in abbatem et Patrem Domino, sicut credimus, revelante fratrum quoque loci omnium unanimiter accedentibus votis decrevimus præferendum. Et ut invocatione ista eo sancta quo consona sanctorum canonum limitemur et formam, rogamus et dominum abbatem et exhortamur in Domino quatenus illum ad nos cum omni celeritate mittatis, ab omni quo non tibi tenetur professionis et obedientiæ vinculo absolutum et liberum, ut ita emancipato filio et converso in multarum gentium patrem primogenitorum jure benedictionem hæreditet. Unde et patri dabit gloriam et confratribus gratiam super gratiam cumulabit.

EPISTOLA XXXVIII.

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS POST SANCTI THOMÆ MARTYRIUM AD JOANNEM PICTAVIENSEM EPISCOPUM.

Omnes novimus quod omnes vidimus, veram in adversis charitatem non deseri. Hujus veritas sententiæ visibiliter quidem in te et sensualiter experta est. Quod et ego inter adversa mea sæpe et sæpius recolens calamum adhuc reprimere volui, sed nequaquam diutius valui. Unde et tetros hos atramenti tramites et inclytos litterularum præsentium sulcos me quodammodo invito et reclamante exaravit. Verebar quippe me tam multis occupationibus tuis importunum ingerere. Verumtamen vel nunc silentium rumpere hinc suasit charitas, inde vero præ-

sentis infirmitatis meæ necessitas compulit. Existimo enim tanto te nunc mihi affectuosius compati quanto nunc amplius his diligitur pro quo patior adhuc. Quanto etiam plaga mea crudelior. Videre q., etc., etc., etc.... Fortis ille athleta, etc..... astitit mihi in visu et confortavit me et consolatione quidem plusquam dici queat perfecta. Multa quidem et alia sæpe et sæpius referuntur, quæ si cognovisses et tu, gaudium pariter præberent et miraculum, etc.... viri etiam mihi pacifici mandant et remandant, scribunt et consulunt ut revertar ; adjiciunt fatue me gerere exsulem cum mihi pax regis et patriæ cinis offeratur .....

Dominos etiam cardinales, sicut spero, multum mihi benignos vivi sermonis tui hortatus faciat, si placet, benigniores.

Proxime venit ad nos serviens quidam Cantia oriundus in domo domini mei aliquanto tempore conversatus, homo certe peccati et totius mendacii et dolositatis habitaculum, qui hoc anno et totam Franciam circuivit, et de sanguine gloriosi martyris nostri partem non modicam, pileum etiam in quo noster passus est habere se undique disseminavit, volens sic sibi hominum gratiam et pecuniam comparare, cujus nomen indicabit præsentium portitor si forte ad vos venerit, quia sic se dicebat venturum, talem sicut talem excipite, et quia novi vos nostris satis benignum, volo vos esse præmunitum et ab ipsius cavere fermento. Dominos etiam cardinales super hoc ipso præmuniatis si placet. Scio enim quod ad ipsos cum plena falsitatum crumena sit accessurus.

EPISTOLA XXXIX.

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS POST SANCTI THOMÆ MARTYRIUM AD DUOS CARDINALES ALBERTUM ET THEODWINUM AD CURANDAM TANTÆ ECCLESIÆ PLAGAM MISSOS, QUO TEMPORE REX ANGLORUM IN HIBERNIAM PROFECTUS EST, SE UT DICEBATUR ABSENTANS.

Id in primis scribo quod nocte et die in cavernula mea latitans abundantius oro et desidero, videlicet ut de exspectatione vestra tam diutina multam et diutinam sentiat Ecclesia commoditatem. Quod tamen, sicut videtur, nequaquam ille desiderat qui ad mundi extima a facie Ecclesiæ fugisse dicitur, vestram sanctam sicut adhuc indicio est, volens sic frustrare intentionem et Ecclesiæ laborantis protelare pressuram. Nescio tamen an faciem Dei ita fugiens manus Dei omnino evaserit qui ibidem dicitur variis et crebris angustiis subjacere, etc.....

Sunt per vicos et plateas garrientes quod uterini vestri vobiscum fraudulenter incedant et multa super dorsum vestrum fabricet, quibus causam Ecclesiæ quam fovendam suscepistis, tam contentiose quam invidiose omnino quærunt exstinguere, ut ita negotium inter manus vestras pereat, etc..... Unde et, sicut aiunt ut in his regionibus amplius vos odibiles et in legationis vestræ partibus magis contemptibiles redderent, Aquilonaris ille Satanas sui

A consilii viribus solutus est ex quo certe omnium inimicorum Ecclesiæ cornua non parum sunt exaltata, et illi præsertim unicorni nostro omnis nec dubito pœnitentiæ excidit timor. Quis enim teneri in vinculis metuat vel vinciri cum ille ita a vinculis sit solutus ? Hoc certe opus est, unde sancti regis nostri cor, sicut ipse mihi secreto testatus est, omnino sicut dicit Romano pontifici periit. Hoc est unde obstupescunt sacerdotes, consternantur principes et dissolutæ sunt omnium manus. Et hoc certe est unde apud nos et minus estis amabiles, et in legationis vestræ partibus minus terribiles credo. Qualiter tamen et per quos id actum sit existimo sancti Patres prudentiam vestram me multo verius nosse. Unum autem scio, quod ego latere vos nolo.

B Quidam proxime a curia rediens mihi olim familiaris vir testimonii boni et in litteris etiam potens, inter cætera mihi retulit se a famosissimo illo sacrilego parricida Willelmo videlicet de Tracy, sicut dicitur pænitentiæ causa in hoc anno ad dominum papam profecto, secretissima legationis verba accepisse duntaxat domino regi Angliæ intimata. Ego vero horum sollicitus indagator cum multa hinc inde, sicut mos est, arcana scrutantium volverem et revolverem, demum a detestando illo regi significatum conjeci ne aliquo modo contra honorem suum seu etiam animum vestris obsecundet mandatis, significans dominum papam et cardinales omnes domino regi multum et supra quam credi possit propitios, adjiciens inter signum quod in oppido quo-

C dam Normanniæ quod Argentium dicitur, in domo regia pileum super caput suum rex posuerit. Subjecit etiam his qui mecum loquebatur mandatum hoc de aliquibus fratrum nostrorum processisse, qui sicut jam multi buccinant Ecclesiæ negotium ut supra tetigimus nollent in manibus vestris prosperari. Adhuc sacrilegus ille insignis super mandato illo flagitio regem quantum poterat excusare nitebatur. Unde a multis de industria missus et subornatus ad curiam venisse æstimatur. Videte igitur Patres sancti et discreti, videte quomodo caute ambuletis, intelligentes tempus pessimum esse, quia omnis frater fratrem supplantans supplantabitur, et omnis amicus fraudulenter incedet. A minimo enim usque ad maximum omnes avaritiæ student, et

D a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum. Unde et sanant contritionem Ecclesiæ ad ignominiam vivificantes animas quæ non vivunt et mortificantes quæ non moriuntur. Ego vero in obscuris sicut mortuus sæculi collocatus et ea quæ desunt passionum domini mei Christi martyris in me ipso adimplens, in calce sermonis oro et opto vos spiritu consilii et scientiæ abundare in omnibus, et cum acceperitis tempus pressuræ meæ memores fore. Volo autem prudentiam vestram scire quod proxime audivi auditum a domino, cujus mandato arctatus sum, ne regredi valeam etsi velim, quod et dilecto socio meo Gunthario nuper reverso ut vestræ id indicet sanctitati injunctum est.

EPISTOLA XL.

PETITIO EXSULANTIS HERBERTI POST DOMINI SUI SANCTI THOMÆ MARTYRIUM AD ALEXANDRUM PAPAM POSTULANS UT ILLIUS SANCTI MARTYRIS SOLEMNITATEM OMNI ECCELSIARUM ORBE MANDET CELEBRARI, COMPROBANS QUOD NEQUAQUAM MARTYRIUM, SICUT A ROMANO DEBERI CANONIZARI PONTIFICE, SED NULLO EXPECTATO MANDATO MOX MARTYRIS PALMAM GLORIA SEQUI DEBEAT.

Ego Herbertus sanctitatis vestræ servus vinctus Jesu Christi totis mentis meæ genibus majestatis tantæ pedibus advolvor, orans, etc.....

Præsertim cum jam nonnuli de latere vestro revertentes vestrum super me bene placitum varie testificati sint. Alia vero præsenti scripto non inserta quæ per dominum Meldensem electum sanctitati vestræ eo commodius quo secretius necessarium duxi intimare, etc., etc.....

EPISTOLA XLI.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ CONSOLATORIA AD HERBERTUM POST DOMINI SUI SANCTI THOMÆ MARTYRIUM EXSULANTEM.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro HERBERTO, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionis tuæ litteras paterna benignitate recepimus, et intellectis anxietatibus et angustiis, molestiis et pressuris, quas æquo animo toleras, tibi tanquam devoto et speciali Ecclesiæ filio sincera mentis affectione compatimur et libenter in quibus possumus gratæ consolationis solatium impertimur. Sane quod sanctæ recordationis Thomæ, quondam Cantuariensi archiepiscopo, ita constanti animo adhæsisti ut eum in exsilio suæ persecutionis nolueris dimittere, et nunc tenaciter verbo et opere memoriam ejus observes, gratum gerimus et acceptum, et devotionis tuæ constantiam in hac parte prout convenit dignis in Domino laudibus commendamus, firmum gerentes propositum et voluntatem te sicut honestum et litteratum virum arctiori charitate diligere; et de incremento et utilitate tua vigili studio et sollicitudine cogitare. Unde pro statu tuo vigiles admodum et solliciti existentes, dilectis filiis nostris Alberto titulo Sancti Laurentii in Lucina et Theodwino titulo Sancti Vitalis, presbyteris cardinalibus apostolicæ sedis legatis, firmiter dedimus in mandatis, ut tibi et aliis clericis ac laicis præfati archiepiscopi gratiam et pacem regis Anglorum acquirant et nos in terra faciant reduci et ibidem secure manere. Si autem forte secundum desiderium nostrum non potuerint apud præfatum proficere regem et tibi ejus pacem et gratiam invenire, tua intererit nobis significare, qualiter tuæ possimus provisioni commodius intendere et in quo tibi honeste valeamus et utiliter providere. Nos enim necessitatibus tuis libenti animo intendere cupimus, et tibi tanquam speciali et devoto Ecclesiæ filio efficaciter in eo quod nos decuerit et expedire viderimus, auctore Domino curabimus providere. Tu ergo confortare in Domino et in eo spem tuam et fiduciam ponas, qui non derelinquit sperantes in se, sed et post nubilum faciat tranquillum et cum tentatione proventum.

Datum Tusculani VIII Kal. Julii.

EPISTOLA XLII.

EPISTOLA HERBERTI EXSULANTIS POST SANCTI THOMÆ MARTYRIUM AD HUGONEM DUNELMENSEM EPISCOPUM.

Venerabili Patri et domino in Christo amantissimo H. Dei gratia Dunelmensi episcopo, HERBERTUS suus exsul adhuc miserabilis, modicum id quod nunc potest.

Cognito quod horum bajulus ad vos usque haberet profectionem, per tenue hoc litterularum nuntium intercurrens parvitatis meæ memoriam excellentiæ me vestræ ingerere duxi necessarium, ne me in obscuris sicut mortuum sæculi collocatum et ea quæ desunt passionum gloriosi nunc martyris Christi in me ipso adimplentem, in his diebus nubis et caliginis oblivionis verbum operiat, præsertim cum noverim vos præ cæteris nostræ tam diutinæ condoluisse afflictioni, et adhuc certi sumus quod quemadmodum martyris nostri gaudetis gloriæ ita et compatimini vinculis. Vinctus est enim adhuc, vinctus revera, cum nec Ecclesia in sanguine pro ipsa fuso servitutis adhuc evaserit jugum nec ullum libertatis redemptæ consecuta sit præmium. Unde qualiter nunc licet et audet inter pressuras et suspiria novi redemptoris sui gloriam præconizat hymnizans pariter et plorans; vacuis etiam adhuc sedibus quas translati de sæculo qui præcesserunt nos patres reliquerunt, Balthasar omnibus templi utensilibus abutente. In me ipso etiam qui loquor, imo corporis hujus membro eo miserabilius quo innocentius afflictus videbitur adhuc et proscriptus, si Scripturæ testimonium et pii Patris pensemus affectum, etc. etc.

EPISTOLA XLIII

EPISTOLA CARDINALIUM MISSORUM A LATERE DOMINI PAPÆ AD REGEM ANGLIÆ CONTINENS FORMAM PACIS INTER ECCLESIAM ET IPSUM FACTAM POST MORTEM SANCTI THOMÆ CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS.

HENRICO Dei gratia illustri Anglorum regi, duci Normanniæ et Aquitaniæ et comiti Andegaviæ, ALBERTUS dignatione divina titulo Sancti Laurentii in Lucina et Theodwinus titulo Sancti Vitalis presbyteri cardinales, apostolicæ sedis legati, salutem in eo qui dat salutem regibus,

Ne in dubium, etc. [*Hæc epistola inter Epp. Gil. Fol. No.* 385 *impressa est, sed hæc pauca, quæ sequuntur, ad finem adjecta habet.*]

Hoc sane coram multitudine personarum juravistis vos pro divinæ reverentia majestatis. Juravit et filius vester, excepto eo quod personam vestram specialiter contingebat. Et juravistis ambo quod a domino papa Alexandro et catholicis ejus successoribus...

[*Post vocem dimidiam* cath. *quæ ad imam paginam est, videtur excidisse folium, nam quæ sequuntur et finem epistolæ faciunt, minime cohærent cum*

superioribus.] . . . .
•...vobis velitis quam citius exhibere, nam per ipsam ab adversitatis nostræ crebris anxietatibus procul dubio nos possetis liberare. Teste me ipso apud Turre. XXIII die Julii.

EPISTOLA XLIV.

EPISTOLA RESPONSALIS AD EUMDEM.

Domino suo suus. Celsitudinis vestræ qua debuit devotione parvitas mea suscepit litteras. Quibus inspectis et perlectis anima mea sicut ex susceptione est exhilarata, ita et mox ex perlectis est perturbata. Scribitis enim vos non posse non mirari quod «in persecutionibus nostris litteras nostræ consolationis » postquam ultimam mihi rescripsistis non receperitis» «quæ nostræ severitatem fortunæ delinirent.» Ita scriptum vidi, legi et relegi. Et eo ipso in me ipso magis ac magis conturbabar, suspicatus ex hoc et veritus nullas penitus litteras parvitatis meæ nomine ad beatitudinem vestram devenisse, præsertim cum nec in prioribus nec in posterioribus dignationis vestræ litteris ullam de receptis meis feceritis mentionem. Quod quidem necessarium propter bajulorum negligentias qui de facili spondent bajulandi officium sed eadem levitate calce averso flocci pendunt. Scio, certe scio me omne dignationis vestræ scriptum, nisi forte bajuli incuria fuerit, litteratorio officio prævenisse et sicut justum erat necdum salutatum salutasse ; et sanctitati vestræ sicut in hac forma et in hæc verba scripsisse : « *Domino suo suus.* Inter scribendum hæc, imo priusquam scriberem, mox steti et hæsi, dubius admodum quo dictionis genere vestram alloquerer paternitatem. Verum si interioris hominis vestri statum cognoscerem, nec hæsitantis fluctuaret animus, nec scribentis erraret calamus. » Et cætera quæ in eodem scripto continentur. Quod si scriptum tale in sanctitatis vestræ manus devenerit, gaudeo. Sin autem, non meæ tarditati seu negligentiæ, sed bajuli culpæ ascribendum ; et earum bajulum charissimi mei thesauri vestri servientem Gaufridum nomine de suppressione, quin potius de suffocatione interpello. Et quod de mentione litterarum per longa terrarum et maris spatia destinatarum omissa supra tetigimus, magis quam reprehensione deinceps, correctione propter bajulorum incuriam indiget. De his igitur hactenus. Et amodo beatitudinis vestræ litteris respondendum. Quibus verbum insertum est quod inter legendum plus notavi, in quo plus steti et hæsi. Siquidem in eo et verbum persecutionis insertum reperi et vestræ severitatem fortunæ, etc., etc. . . . .

A . . . . paternitatis vestræ scripto mihi nescio quo in aure quasi dulci quodam susurrio instillante

Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.

Super quo celsitudini vestræ genibus advolutis gratias et item gratias ago. Et quidem opusculo super psalmos ab Hebraica veritate a Patre Hieronymo translatos completo, in quo jam per annos desudavi, spero me volente Domino vos visurum et vel in transitu tam desiderato vestro colloquio frui.

EPISTOLA XLV.

EPISTOLA WILLELMI ELIENSIS AD HERBERTUM.

WILLELMUS Dei gratia Eliensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, et domini regis cancellarius, dilectissimo suo magistro H. DE BOSEHAM, salutem et absentis amici memoria non carere.

B Gratissima vestræ consolationis verba animo gratulanti suscepimus, quæ tanto fortiorem nobis in adversitatibus vestris animum recrearunt, quanto vos cognovimus incommoda fortunæ temporalis virilius superasse. Quis enim tam dulce solatium in tanta sortis tempestate nobis præbere potuisset, nisi qui ejusdem sortis modum et exitum cognovisset ? Epistolaris igitur dulcedo vestræ magnitudinis mentem nobis hilarem reddit, spem tribuit resurgendi, et materiam doloris et tristitiæ, quæ non meritis nostris sed sola malignantium invidia nos oppressit, pro parte maxima moderatur. Unde gratias quantas possumus et sufficimus vestræ referimus dilectioni. Cæterum favente Deo noviter venturum esse credimus, quem exspectamus, quem
C desideramus, cujus adventus nobis et omnibus amicis nostris plenum sed plenissimum gaudium propinabit, pro quo et tanta et tam gravia sustinuisse ad gloriam nostram magis quam ad dispendium reputamus. Nec vos gravat conscientia quam sanam esse cognovimus, nisi tantummodo quod tanta inhumanitas, tanta etiam immoderata persecutio et crudelitas, quæ contra dominum regem et nos factæ sunt, tam lento pede debitum sibi finem sortiuntur. Et præterea noveritis quod desiderio intimo desideravimus ut opusculum super psalmos ab Hebraica veritate a Patre Hieronymo translatos vestra discretio complevisset, ut impedimento non esset quidquam ulterius, quin vestra præsentia et optatis colloquiis uteremur.

EPISTOLA XLVI.

D
EPISTOLA HERNULFI LUXOVIENSIS EPISCOPI AD THOMAM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM EXSULANTEM.

Magnam mihi, etc. *Exstat subnum. 34 inter epistolas Arnulfi Luxoviensis mox edendi.*

GLOSSA IN PSALTERIUM.

[*Glossa in primam partem periisse videtur.*]

GLOSSA IN PSALTERII SECUNDAM ET TERTIAM PARTES.

PRÆFATIO HERBERTI AD WILLELMUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Cum liber Psalmorum unus sit et non plures, ipsum tamen præter morem quidem sed non præter causam, in duos secavimus tomos. Idipsum etiam et in libro fecimus epistolarum, quem, cum non nisi unus sit, partiti sumus in duos, hoc facientes in libris quod in oneribus fieri solet. Ad continendum quippe et contrectandum habiliora et aptiora fiunt singula, quam si simul omnia uno sint pressa volumine. Et etiam quia simul et sæpe plus A plurium poterit lectioni prodesse hujuscemodi in libris partialis divisio. Tu igitur, beatissime præsul, sectiones has quatuor simul suscipe, divisim lege; et si forte ad transcribendas has librarii vestri apposuerint manum, ut concordantiæ et notulæ extravagantes suis decenter aptentur locis, curiose observetur: ne, ut sæpe fit, per librariorum imperitiam seu negligentiam opus emendare quam scribere sit difficilius, præsertim cum novi corruptor operis non alius quam frater sit destructoris.

ALANI PRIORIS CANTUARIENSIS

POSTEA ABBATIS TEWKESBERIENSIS

EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA

AD PHILIPPUM REGEM FRANCIÆ

Philippo, Dei gratia illustri Francorum regi, cum ætatis incremento augmentum gloriæ et gratiæ apud Altissimum.

Piæ recordationis Ludovici, patris vestri et nostri benefactoris, nec debemus nec volumus ullo unquam tempore esse immemores; sed magis ut tenemur in nostro est voto et affectu, ut ejus beneficiis et honori, quæ beato martyri Thomæ in suo exsilio, et post gloriosam ejus victoriam in propria persona Cantuariæ exhibuit, possimus vel in aliquo respondere. Ipsius itaque animam, quod nunc licet, devotis prosequimur orationibus, ut qui, dum vixit, id apud Ecclesiam Cantuariensem plene promeruit, jam sentiat ipsius martyris et suorum devotionem sibi prodesse, qui eidem martyri et suis in tribulationibus et angustiis exstitit tam devotus. In hoc etiam excellentiæ vestræ sumus obligati, ut non minus pro vestra salute quam sua simus solliciti. Nimirum vestram magnificentiam nobis, sicut et multis, ad profectum non solum coronæ et regni, sed etiam fidei et devotionis reliquit hæredem, ut, B sicut ipse præcessit in spiritu mansuetudinis ad dirigendos sibi subditos in viam pacis et tranquillitatis, ita et vestra serenitas ejus sequatur vestigia, superadjiciens, quod et ipse superadjecit, hoc ad coronam regiæ dignitatis jure hæreditario spectare præcipue, quod omnes afflicti, et maxime pro justitia exsulantes, ad se summum debeant habere refugium. In quo et nos indubitatam spem concepimus, si ea tamen necessitas nobis ingruerit, quod debeamus et nos in nostra parvitate invenire apud clementiam vestram, quod majores nostri in eodem vel consimili casu dicuntur promeruisse. Cum vero regiæ celsitudini vestræ placuerit super his nos certiores fieri, tunc demum firmiores erimus ad id quod quidam minantur acrius, fortius proferendum. C Si vero sublimitatis vestræ rescriptum super his de gratia vestra ad nos reverteretur, in angustiis ipsis quibus urgemur non modicum, maximum nobis credimus et optamus conferri solatium.

EPISTOLA II.

AD PRIOREM WINTONIÆ

Alanus prior Ecclesiæ Christi Cantuariæ prior Wintoniæ, quam sibi salutem.

Mutuæ societatis affectus, quo sub ipsa paupertate sed tolerabili pridem fuimus ad invicem connexi, nos pro certo docet qualiter sub ipsis hujus mundi deliciis et rerum affluentia debeamus conversari ; dum patenter perpendi potest, si plenius id inquiratur, qualiter nobis illa rei familiaris inopia tunc dederit notitiam de temporalium abundantia, cujus possessores credebamus plurimum felices, quos jam constat denudata vanitate et discussa, vacuos esse et inanes. Quid tibi, amice, videtur, si præteritas illas scholares angustiam cum his quas nunc patimur compares anxietatibus ? Nunquid amaritudinem illam amariorem dices isto melle, quod in ardore et æstu tribulationis dierum istorum nunc de spinis et tribulis elicimus ? Tunc quidem aliquatenus suffecit diei malitia sua, nunc autem miseriarum cumulus, qui ex ipsa nascitur opulentia, suam ita demum aggravat acerbitatem, quod etiam vita ipsa quandoque vertitur in tædium. Unde a sollicitudine et cura suffocati, cum temporum damno quæ retrorsum non habent recurrere, omnibus modis incurrimus salutis dispendium. Nec est aliquid in quo reperitur solatium sine graviori discrimine. Quacunque enim te verteris, occurrit salutis obstaculum. His in me ipso repertis, anxietas animi motum mentis non sinit esse securum, donec aspiraverit dies quam daturus est Dominus in utriusque nostrorum consolationem, ut possimus revera pro nobis dicere quia *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* (*Matth.* v) Ex mea vero tuam tribulationem dimetior, et idcirco tibi sicut mihi ex cordis affectu hactenus hæc aggressus sum loqui, votum et desiderium habens non modicum de statu domini episcopi et tuo pleniorem habere notitiam, quia si quid penes conscientiam tuam movetur, unde debeat amicus tuus pro te moveri, id securius mihi tanquam tibi committere poteris, quoniam tuum profectum sicut et meum omnino affectat anima mea. Valeat amicus meus et vivat in Christo.

EPISTOLA III.

AD BALDWINUM ARCHIEPISCOPUM.

Reverendo Patri et domino B. Dei gratia Cant. archiepiscopo totius Angliæ primati, A. prior et conventus Ecclesiæ Christi Cant., debitam et devotam in Domino reverentiam.

Vobiscum quam plurimum congratulamur in Domino, cujus misericordia regiam excitavit excellentiam, ut pronior fieret ad ea quæ vestræ novit placuisse voluntati. Oblata itaque, si placet, utendum est occasione, ne si omissa fuerit quæ præ manibus est opportunitas, sera sit pœnitentia, si alias id fieri non potuerit, cujus præsto est et præsens facultas ad affectum. Roffensis igitur Ecclesia, si ad cor rediret, utique recognosceret in quibus offendit; nunc autem superest ut vestra discretio manum apponat, quatenus quod præsumptum est in Cantuariensis Ecclesiæ dispendium, in pristinum debiti honoris statum reformetur. In Cantuariensis Ecclesiæ capitulo ex antiqua consuetudine Roffensis Ecclesiæ electio solet celebrari, ibique electus consuevit de manu archiepiscopi sui et spiritualia et temporalia recipere, fidelitatem proinde jurare, quod plene observatum est usque ad tempus Waleranni, et quod de eo secus actum fuit, eo redeunte a Normannia ubi et consecratus est, in melius est reformatum. In hujusmodi vero dignitatis signum Roffensis Ecclesia, obeunte pastore suo, baculum pastoralem debet ad Ecclesiam Cantuariensem portare, et super altare Christi deponere. Hunc autem baculum per subreptionem cum Walterio bonæ memoriæ quondam Roffensi episcopo consepultum, et inde per manum piæ recordationis Ricardi tunc temporis archiepiscopi extractum, monachi Roffenses denuo cum Waleranno episcopo sepelierunt. Quocirca paternitatem vestram rogamus attentius, ut vestra velit discretio his et aliis mentem apponere, et quæ præsumpta sunt ita demum reformare, quatenus commissarum vobis ovium universitas debeat et possit pariter nobiscum in operibus vestris Deum glorificare.

Sane de Landaviensi electo id adjicimus, quia primus est per vos consecrandus, hujus consecratio in ipsa sede celebrari, si fieri posset, gratum esset nobis et acceptum. Verum ubi necessitas ipsa inducit dispensationem, vestræ erit discretionis id prospicere.

Porro super translatione beati martyris Thomæ et ejus termino, certius quid determinari oporteret, ut nationibus universis quæ id desiderant possit innotescere, qualiter et quando ad gloriam illius solemnitatis valeant pervenire. Ad hæc quia undique pulsamur et plurimis vexamur angustiis, præcipuumque ad vestram paternitatem speramus nos habere refugium ; idcirco priorem nostrum ad vestram benignitatem quantocius Deo auctore destinabimus, obnixius supplicantes, quatenus in his quæ ipse ex sua parte et nostra vobis suggesserit, vestra velit pietas benigniorem aurem inclinare. Et pro certo, si in his temporibus sub vestra potestate cogamur per quoscunque humiliari : his qui etiam bona sinistre solent interpretari dabitur apertior nobis insultandi occasio. Sed et qui capiti nostro congessit contumelias nisi invenerit obviantem, a læsione membrorum non desistet. Modicum quidem vos honorat qui nos spernit, nisi forte et in hoc crediderit se quis vobis præstare obsequium. Et procul dubio, ut credimus, reverentiæ vestræ et honestati non modicum conferet, si manifestis appareat indiciis, quod injuria filiis illata patri omnino displiceat. Valete.

EPISTOLA IV.

AD HENRICUM REGEM.

Henrico regi Anglorum, Alanus prior Ecclesiæ Christi Cantuariæ, salutem.

Quanto desiderio nobiscum universus desiderat orbis, ut corpus beati martyris Thomæ decentiori loco cum debito honore collocetur, etiam barbaræ

nationes non ignorant. Præmatura vero mors quondam Patris nostri Ricardi id ipsum impedivit ad tempus, cum ad hoc pridem vestram promptiorem invenissemus voluntatem. Nunc autem per Dei gratiam parata sunt ea, quibus res ipsa videbatur maxime indigere : si tamen id sederit vestro beneplacito, ut sequenti anno (1) circa medium Maii tantum negotium possit terminari. Oportet enim ad ejus exsecutionem plurima præparari. Nihilominus expedit his, qui longius absunt, hujus festivitatis tempus ita denuntiari, quod ad id, sicut desiderant, possint competentius pervenire. Placeat itaque serenitati vestræ domino et Patri nostro Baldwino Cantuariensi archiepiscopo et nobis voluntatem vestram significare. Id namque exspectamus ut de consilio et auxilio vestro desiderium nostrum, imo omnium Christianorum, in hac parte possit compleri. Valete.

A B

EPISTOLA V.

AD BENEDICTUM ABBATEM DE BURGO.

Benedicto abbati de Burgo, Alanus prior Ecclesiæ Christi Cantuariensi, salutem.

Licet is qui præest ex hominibus assumptus sit a Domino in correctionem subditorum, nihilominus tamen cum aliorum errata corripit, habet sibi prospicere, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate : et cum innotuerit ei quoniam et ipse cum cæteris infirmatur, pro certo in hoc admonetur aliorum compati infirmitati, cum ipsa pœna docente, discat in propriis qualiter alienis debeat mederi vulneribus. Noluit itaque divina dispensatio infirmitatis expertem quemquam inveniri, ut in eo quod infirmius præfertur infirmis nullus glorietur, sed magis qui suo prægravatur pondere, in se humiliatus subditorum sarcinas ferventiori affectu studeat humiliter supportare, et dum errantem respicit, meminerit se ipsum quandoque errasse. Errans erravit ovis de grege vestro, et in deserto solitudinis perierat, sed inventa est, et revertitur ad ovile ; aperite ei, si placet, ostium, ne amplius erret, et error ejus ei imputetur, qui noluit eam ab errore redeuntem recipere. Non excusat, sed fatetur se errasse ; promittit emendationem, expostulat non judicium sed misericordiam. Date veniam et recreate dolentem : forte cecidit ut fortior resurgat, et qui de se amplius quam oportuit confidebat docetur in se humiliari, ne amplius evagetur ; et sic qui factus fuit indomitus et effrenis, dabit manum correctioni et fiet docibilis, quatenus ejus saluti pastoralis sollicitudo debeat congratulari, cujus perditionem prius potuit et debuit deplorare. Hæc ad instantiam et postulationem confratrum nostrorum, qui vestrum utique affectant honorem, ad vos duximus exarare, ut quali et pro quo in hac parte movemur affectu, harum tenore inspecto plenius innotescat. Et si bene meminimus, vestra bonitate docente didicimus, præsentium latoris excessum et recessum vestræ pietati omnino displicuisse. Valete.

C

EPISTOLA VI.

AD ROBERTUM DE HARDRES.

Alanus prior Ecclesiæ Christi Cantuariensis, Roberto de Hardres, salutem et in futura sibi prospicere.

Eo usque divina et me et te extulit gratia, et in id ætatis jam devenimus, quod de cætero debemus, si sapimus, ei uberiores gratiarum actiones referre, qui utrumque nostrum, supra quam aliquis de genere nostro ausus est sperare, dignatus est provehere. Quocirca tenemur propensiori studio præcavere, ne ingratitudinis nota insigniti videamur saltim velle matrem nostram aliquatenus impugnare, a cujus uberibus coaluimus et tantam recepimus sub extrema ignominia et ultima paupertate consolationem, ut tot et tantis viris non merito nostro, sed gratia Dei id agente præferamur, quorum si ad genus vel vitam et conversationem respicias, nec digni erimus corrigiam calceamenti solvere. Si ergo eo admonente qui dedit affluenter finem cupiditati non imponimus, quo certo timendum est ne culpis exigentibus permittamur eatenus pervagari, donec dicatur : *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum et prævaluit in vanitate sua* (*Psal.* LI), qui *cum in honore esset non intellexit : idcirco comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Memento insuper quia cum interieris, non sumes omnia, neque descendet tecum gloria tua. Vita nostra brevis est et ad instar puncti. Unde quod reliquum est si perdiderimus, quod Deus avertat, quis nobis in die illa et ætatis et temporis damna

D

(1) In margine codicis C.C.C. adnotatum est : « Sequens annus erat 1182 : sed translatus non est usque ad annum Domini 1208 per Stephanum Langton. » In transcriptio ejusdem codicis, quod fecit James, [Bodl. *James* 17, p. 134] habetur adnotatio hæc : « Hic annus, inquit nota marginis, erat 1182, sed translatus non est usque ad annum Domini 1208, per Stephanum Langton. De festivitate autem ejus sic Giraldus in Vita Baldewini, ad quem etiam super translatione Thomæ scribunt iidem prior et conventus. Cum, inquit, festo Beati Thomæ primo quod apud Cantuariam publice celebratum fuerat, biennio videlicet post martyrium jam elapso, cui et Deo dante intereram, multi barones regni illuc pia devotione confluxissent, in audientia communi, cum post prandium in cameram intrassent, conquestus est archiepiscopus de publicæ potestatis officialibus et ministris sibi et suis contra Ecclesiæ suæ dignitatem nimis præter solitum nuper injuriantibus, dicens et jurans se nullatenus hæc passurum, manum quoque ad caput extendens, se prius hoc gladiis expondituram, quam hoc pateretur juramento firmavit. Respondens autem vir nobilis et magnanimus, qui cum aliis advenerat, Hugo de Laci. Non oportet, inquit, o archiepiscope, quod caput ad hoc vel etiam pedem ponatis : secure jus vestrum tueri et ecclesiasticam justitiam exercere potestis : tantum operatus est Deus pro martyre sancto decessore vestro, quod non inveniret rex ribaldum aliquem in terra sua, etiam si vellet, qui ausus esset in vos manum extendere. Finitum est bellum : manutenete si vultis, quod martyr evicit. »

restituet ? Ad hæc si veritati etiam niteretur querela quam proponis, et recenter posses probare tibi in hac parte debitum jus competere, citius eligeres. me tibi fideliter consulente, hujusmodi querelæ ad tempus supersedere, quam tot sanctos quibus astrictus es fide et devotione molestare. Nunc autem occasione tantum rotulæ Wintoniæ possessionem nostram antiquam ad te niteris revocare : in quo procul dubio, quantum in te est, statum Anglicanæ Ecclesiæ exempli pernicie omnino subvertis, quia si omnia jura illius antiquitatis juxta rotulam illam debeant ad pristinum statum revocari, necesse erit munimenta, privilegia totius Anglicanæ Ecclesiæ a sua stabilitate turbari. Sane si nec devotione sanctorum nec dilectione conventus nostri moveris. saltem id tibi in mentem subeat, ne occasione familiaritatis tuæ suspectus habear, quasi de consensu meo id agas quod cœpisti. Id autem tibi certum sit, quia dum vitalis spiritus in meo duraverit corpore, quantum in me erit, mater mea non amittet vel passum pedis de omnibus his possessionibus quas inveni eo tempore quo credita est mihi, quam gero, administratio, maxime ubi ipsa se potest de jure tueri et defendere. Et cum hactenus jura illius integra et illæsa servaverim, acriter insistam, ne vel te ipso auctore mater mea debeat in aliqua sui parte pati diminutionem. Valete.

EPISTOLA VII.

AD BENEDICTUM ABBATEM DE BURGO.

BENEDICTO abbati de Burgo, ALANUS prior Ecclesiæ Christi Cantuariensis, salutem et se ipsum.

Sicut vestræ plenius innotuit discretioni longe aliud et corripere, aliud deprimere. Et pro certo qui nimis emungit, ipsum aliquando elicit sanguinem : nec bene sibi consulit, qui ex impetu vel obstinacia damna multiplicat. Hoc tamen non dicimus quod velimus cujusque errorem fovere, sed ne eum, cui tenemini ex debito naturæ et officii prospicere, immoderata castigatio debeat vel possit in ultimum desperationis vel erroris calculum detrudere. Castigans denique castigat Dominus quem diligit, sed quem castigat, nunquid morti tradit vel errori deputat ? Sane qui verbera patris habet matris uberibus carere non debet. Et licet caro propria nobis continuam indicat pugnam, nunquid propterea potestis eam abjicere ? Imo tenemini ei vel necessaria ministrare. Qui igitur de se hujusmodi non potest habere victoriam, non habet ultra modum molestari super alieno excessu. Se ipsum enim habet exemplum qualiter debeat se habere circa proximum. Ad hæc frater utique vester, licet inconsultius hactenus egerit, tamen in hoc aliquatenus vestram debuit gratiam promeruisse, quod studio et disciplinæ cum familiari angustia diligentius vacavit, ne cum damnis rerum incurreret et damna temporum. Non ergo totam subsantiam suam cum meretricibus dissipavit, qui non solum alteram, sed et multo meliorem patrem sibi retinuit. Verum si permiseritis fratrem vestrum discurrere et usuras

A procurare, cum demum necessario oportebit eidem consulere, et damna rerum accrescent, et non minuentur damna temporum. Denique reditus quos habet citra auctoritate vestram nemini poterit obligare : quia nemo credet quidquam, et si id fecerit compelleretur iterato mendicare. Sustinete igitur, si placet, vos vel semel vinci, ut idem frater vester, quia jam ætatem habet, ex abundantiori gratia vestra teneatur se ipsum vincere. Quid, cui et a quali amico dictum sit intelligenti satis innotescet. Valete.

EPISTOLA VII.

AD EUMDEM.

BENEDICTO abbati de Burgo, ALANUS prior Ecclesiæ Christi Cantuariensis, salutem et se ipsum.

B Ab incœptis non duximus subsistendum, licet desiderio nostro, utinam non honori vestro, hactenus restiterit vestræ dilectionis ut plerisque videtur minus benigna severitas. Et pro certo, ubi id persuaserit mansueta discretio : ad tutelam non solum conscientiæ, sed etiam famæ conservandæ plurimum detrahendum est severitati pro tempore, ne si curam domesticorum abjecerimus, quibus utique pro naturæ debito tenemur prospicere, videamur hominem exuisse et legibus naturæ quantum in nobis abrogare vigorem. De his autem qui suorum et maxime domesticorum curam non habent, quæ sit Apostoli sententia vos nec potest nec debet latere. Alias hæc scripsimus, sed eo usque non exauditi, quod non promeruimus inde vel responsum recipere, unde satius
C nobis esset subsistere pro rubore. Sed procul dubio ipsum ruborem vicit affectio, qua astringimur vobis et vestris contra omnem fortunam assistere, ne per nos videatur stetisse quo minus paternitati vestræ debitus honor ubique integer permaneat. Denique vester sed et noster in Christo frater Ricardus in mœrore et angustia affligit animam suam, nec in se vel modicam recipit consolationem, fatetur errorem; promittit correctionem, inclinat se et suam ad vestram voluntatem. Desideratis eum monachari. acquiescit ipse, tantummodo de loco non sit contentio. Cantuariensem Ecclesiam sibi eligit in locum habitationis et requiem, quantum ad nos pertinet, patet ingressus. Superest igitur, quia sic expedit, ut per vos domini archiepiscopi requiratur assensus,
D familiares et amicos vestros in ecclesia nostra conveniatis, si placet, ut nos quasi ignaros inde sollicitent, et nos partes nostras interponemus, ut res sortiatur effectum. Revertatur etiam præsentium lator cum litteris vestram voluntatem continentibus ante synodum nostram, ut per vos instruamur et amici vestri qualiter debeat res ipsa procedere. Verumtamen si visum vobis fuerit, per idoneum nuntium ex parte vestra expediret hæc fieri : vel quod magis affectamus per vestram personam si hujus rei gratia seu ut visitetis dominum archiepiscopum placet vobis ad nos usque descendere, et hoc ipsum credimus, si fieri posset et vobis et nobis utiliter profuturum. Quo affectu, qua intentione hæc agi-

mus qui inspector est cordium ipse novit. Valeat in Christo vestra mihi prædilecta paternitas.

EPISTOLA IX.

JOANNIS PRIORIS S. SWITHINI WINTON. AD ALANUM

Domino et amico in Christo charissimo Alano Cantuariensi priori venerabili, suus Joannes Ecclesiæ Sancti Swithini Wintoniæ dictus prior salutem in omnium salutari.

Ad litteras consolationis vestræ revisit spiritus meus, et ex iis mihi duplex eliciens remedium dilectioni vestræ gratias retulit. Ex earum procul dubio sinceritate duo mihi humilitatis ac patientiæ promanarunt documenta. Quorum unum ad custodiam, alterum ad virtutis ornatum mihi vestri gratiam procurastis : unum a superbo Moab declinandum, alterum percussum Job induendum commo- B nuit. Præcipuum,ut æstimo,humilitatis mercamentum est præteritæ paupertatis reminisci : quod etiam inter ipsas delicias laudem præcinit earum largitori ; cujus tam extollenda quam admiranda est dispensatio. Nihil enim præsentium numerum tam efficit ingratum quam conditionem sui non agnoscere, præteritorum oblivisci. Nihil interea adeo mentem roborat quam in hujus vitæ procellis amplecti patientiam ; quam non immerito prolem humilitatis nominaverim. Et ipsa quidem optimæ genitricis partus non deterior. Ad istarum itaque considerationum virtutum amicum provocastis,pigrum suscitastis,de communi non tam sollicitus quam perturbatus naufragio. Quidquid animo turbulentum insederat,quidquid desperationis præcipitium minitave- C rat,sic aura consolationis vestræ funditus abegit ut mihi videretur aspirasse dies et umbra declinasse. Quid certe serenius verborum sinceritate ? Quid efficacius dilecti et domini consolatione ? Quid jucundius in adversorum torculari posito, quam a doloris compendio æternitatis repromissio ? Itaque non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in *his qui secundum propositum vocati sunt sancti,* ut ait Apostolus (*Rom.* VIII) : nullatenus igitur murmurandum si secat aut urat Dominus,quia sive morimur sive vivimus Domini sumus, per quem omnia nobis cooperantur in bonum. Tantum fides non dormiat,sustinentia non deficiat. Memoria sanctorum in cordibus vestris vigeat. Ad quorum nimirum exemplum caro D cum suis desideriis, mundus cum suis illecebris calcantur. Denique quidquid ingeritur eliditur. Et si sint qui Sabbatum vestrum inquietent, impossibile tamen est ut exturbent : et hoc quidem salubriter provisum ut nunquam desit pugnandi materia : quibus restat evincentibus corona. Stemus igitur simul in Domino mutuam observantes charitatem, malitiam dierum istorum patienter tolerantes. Transeant dies et dies anni et anni :

..... *dabit Deus his quoque finem.*

Certe quod honoris mihi est oneri est, non tamen abjiciendum credo : cum melior dicatur vir malefaciens quam mulier domi sedens et nens, et in A pauco fidelem servum super multa legimus constituendum. Obedientiam igitur prælatis, subditis famulatum exhibentes; pacem cum omnibus habentes. studeamus insimul,domine charissime, cordis Sabbatum observare, culices undecunque venientes, discretionis flagello propellere, et crebris, si placet, epularum consolationibus alterutrum confortare. Salutatus ex parte vestra dominus meus Wintoniensis vos per me ut suum dilectissimum resalutat, quem noveritis auctore Deo quoad salutem animæ et corporis melioratum et confortatum ; et in summo positum desiderio, beati Thomæ martyris vestris adeundi memoriam. Valete semper in Domino.

EPISTOLA X.

ALANI AD ASINUM DE BURGO

Asino illi Sancti Petri de Burgo, suus ille sibi in agone consimilis, salutem in tribus rasoriis, hoc est in patientia, discretione et charitate quibus radi oportet et eradicari non solum superflua, sed etiam quæ imminent omnino adversa.

O beate Asine, si tamen sub Petri indumento, id est mentis puritate et operis exhibitione, ad crucis ignominiam in corpore tuo Christum portaveris,ubi sub vexillo fidei parum tibi nocere poterit Neronis immanitas. Insurgat scilicet ad tempus invidorum malitia et perversitatis procella altius intumescat. Navicula Petri concutitur, sed etiam portæ inferi non prævalent adversus eam ; multo minus Neronis audacia, etsi innovaretur cum eo Herodis versutia. Liquet itaque quod usque ad hæc tempora destinavit et Judas proditorem Pilatus judicem, sed et Nero malignitatis hæredem, ita quod nunc etiam iterato postuletur Christus crucifigi, ut dimittantur qui rei sunt seditionis et homicidii. Simon ille :

...... *adhuc magicas sub Nerone edocet artes.*

Sunt et qui sequuntur ejus doctrinam, nec tamen Petrus asinam synagogæ vel pullum gentilium timide reliquit, sed cum suis instat fortius, ne vel sub gladio pereat libertas spiritus qui diffunditur in cordibus nostris. Igitur ut expeditius in stadio currens citius et certius apprehendas et bravium, novacula patientiæ rade penitus inconsultos animi calores,in virga directionis sub examine pende et præpondera quid juris rigor dictet, quid suadeat æquitas, quid inducat iniquitas. Dirime et dirumpe impietas, fasciculos ; quo magis plana per te via progrediatur ipsa justitia,cujus acumine peracuto possis radere si quid æruginis conscientiæ intrinsecus adhæserit, seu deforis in ambiguis quid contigerit discutiendum. Ferventiori vero charitatis affectu sicubi inveneris odium vel invidiam, zelum et contentionem, protinus id ipsum erue et longius projice : quatenus invenieris paratus ad onera tritici, si quando de asino dominus opus habuerit,ut cum eductus fueris e vinculis et castello tribulationis quo detineris,animam tuam asinam subjugalem ad vitem ligans et pullum suum carnem indomitam ad vineam, laves cum Christo in vino stolam tuam,

et in sanguine uvæ pallium tuum. Tibi itaque asino onus et virga, ut si tepescis sub onere te excitet virga comminationis. Ne æmuleris pigritiam asini sed mansuetudinem, quia non nisi in mansueto sedet ille mansuetus. O quam leve jugum et onus suave quod oneratum exonerat, depressum sublevat; tristitiam mutat et vertit in gaudium, quod nemo tollet! Libenter igitur ad horam sustine insipientes, quibus ad purgationem eorum qui hæreditatem capient filiorum Dei permissa est potestas tenebrarum, ut ambulent in circuitu non habentes requiem; donec lætatus fuerit justus, cum viderit vindictam et laverit manus suas in sanguine peccatorum. Eia, bone asine, confortare et esto robustus et noli ponere firmamentum tuum formidinem, ne timeas a facie eorum qui exsultant in rebus pessimis, quorum gaudium quasi nebula. et ad instar puncti descendunt ad inferos. Vir insipiens non agnoscet, et stultus non intelliget hæc. Verumtamen cum exorti fuerint peccatores et apparuerint sicut fenum ut intereant in sæculum sæculi, tunc demum eructabit cor justi verbum bonum, quia si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra. Interim expedit sub silentio exspectare salutare Dei et ambulare simpliciter in semitis justitiæ, quia vir ingrediens duas vias non habebit requiem. Idcirco pone super Dominum curam tuam et ipse te enutriet, nec cum cecideris, collideris, dum ipse supposuerit manum suam. Ne graveris ergo sub onere tibi imposito, dum ambulaveris in semita recta, quia in æternum non dabit Dominus fluctuationem justo. Rade itaque mordaces mortalium curas cum earum matre ambitione vel avaritia, et ne dederis locum tineæ vel ærugini in arca conscientiæ tuæ, et parum pertimescas ne fures fodiant vel furentur depositum tibi repositæ coronæ, quia non accedet ad te malum, cum apud Altissimum fuerit refugium tuum. Hæc tecum loquere et ad hæc te ipsum exhortare in Christo Jesu, quo auctore et teste in patientia tua possidebis animam tuam. Amen. Denique suggestionem istam non tam ad doctrinam quam ad utriusque nostrum consolationem spectare credideris, cum eas, quas de utriusque nostrum sorte intus patior animi angustias, unico amico communicans vel ex parte possim securius eructare, ne si suppressa fauce ab hujusmodi amaritudine amplius intumescat, dirumpantur ab his quibus conglutinatus est venter meus. Idcirco tibi singulari amico ego tuus ut credo singularis amicus singulariter sum locutus, ne videar de uno inter tot millia vix invento vero amico plures confingere, secundum quod adulatrix lingua consuevit ad quemvis unum cujus velit sibi favorem allicere, non simplicem sed pluralem sermonem dirigere. Valete!

EPISTOLA XI.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM LUGDUNENSEM.

Joanni Dei gratia Lugdunensi archiepiscopo, Alanus prior Cant. Eccl., salutem.

A Inter eos quos adhuc superstites filios enutrivit et exaltavit, Lugdunensem archiepiscopum præcipuum habet et reputat mater Britanniarum sancta Cantuariensis Ecclesia. In suis quidem angustiis et perturbationibus, quibus continue affligi compellitur, hujus filii toties experta fidem, devotionem et efficacem industriam, de cætero habet certiorari talem et tantum filium immemorem esse non posse illius dulcedinis quam a maternis diutius suxit uberibus, inter quæ etiam a cunis coaluit. Absit igitur, absit a fide et devotione tanti alumni, qui se toties certis objecit periculis pro defensione matris suæ, ut vel suspicetur de eo quod velit patrem ponere cum his, qui ipsa a quibus egressi sunt materna perturbant viscera, præcipue ubi id permodica suadet occasio, B quod etsi a quoquo modo licuerit minus tamen expedit, omnino autem non decet. Quamvis enim is apud quem summa rerum consistit, quasi licite auctoritate qua præminet sub titulo adhuc ignoto et a canonum forma aliquatenus alieno possit non solum assignare, sed potius tranferre beneficium Cantuariensis Ecclesiæ ad episcopum alienæ provinciæ et minus egentem, id tamen viderit benigna filii discretio, utrum expediat in matris confusionem ecclesiam de Einisford tanto tempore injuste ablatam et demum non sine multo labore et angustia mediante justitia evictam, a debito sui statu perturbari. Quam utique ecclesiam mater vestra monachorum deliciis non applicuit, sed usibus pauperum pio deputavit affectu. In subversione itaque pauperum Christi C quos ipsa suscepit alendos, si contigerit matrem filii improbitate, quod Deus avertat, acerbius molestari, ex hujusmodi arboris radice qualis poterit fructus exoriri, perpendet citius si advertere voluerit discreta, filii devotio, cum ea sola proponitur causa, quare debeant pauperes Christi spoliari, quatenus præpotens filius matrem pertransiens, cum id evenerit, quod vix semel in ista ætate, poterit contingere, proprium habeat domicilium, ubi forte non plus una nocte seorsim a matre caput inclinet. Et certa pia mater vestra nondum eousque vestram dilectionem emancipatam habet. Quod nec velit nec debeat eam quam admodum charam habet et acceptam, vestri reverentiam in paratiores materni pectoris sinus recipere, cum suum sit votum et desiderium diem illum videro, quo vestri præsentia per- D fruens et consilio possit ab his quibus arctatur angustiis aliquatenus respirare. Sane opinionem vestram quid deceat non minus inspiciendum, cum id quod vir tantæ auctoritatis posteris in exemplum reliquerit, de jure debeat ad consimilia vires resumere. Utrum vero deceat Lugdunensem archiepiscopum Cantuariensis Ecclesiæ filium et alumnum pro tantillo beneficio et tali titulo vel intentione acquirendo, seu matri suæ seu Christi pauperibus et infirmis hujusmodi molestiam inferre, id videat et provideat vestræ sanctitatis prudentia, cujus interest et suam apud Deum conscientiam et apud homines famam conservare illæsam. Plane nec

id ignoramus sed plenius recognoscimus, quia et A vobis et vestris meritis exigentibus constituimur debitores. Et licet hæc quæ ad præsens inter nos agitatur quæstio abierit in abyssum, non minus tamen tenemur his adesse quibus et vos tenemini, vel debito naturæ vel gratia obsequii. Idcirco ut in aliquo et affectui et operi vestro respondeamus, in proposito habemus alicui de vestris sicut vobis placuerit, dare annuatim de thesauraria nostra centum solidos, donec eidem in æque valens vel amplius alias possimus providere. Qui autem super hic vobis placuerit fieri, nobis significate.

EPISTOLA XII.

AD EUMDEM.

JOANNI Lugdunensi archiepiscopo, A. prior Cantuariensis Ecclesiæ, salutem.

Si charissima mihi est vestræ sanctitatis reverentia, id agitur apud me in quo debitor sum vobis obligatus, qui pro ea quæ in vobis est sanctitate et gratia communiter cum cæteris, specialiter autem pro liberalitate illa quam apud vos egens et extraneus non modicam inveni, teneor pro viribus honori vestro debitum et devotum præstare obsequium. In quo quidem magis sollicitor si quo modo daretur opportunitas, ut juxta illum quem gero affectum possim benignitati vestræ vel in aliquo respondere. Si quo minus autem id videatur factum quoad ecclesiam de Einesford, ignoscat filio si placet paternitas vestra, si tamen in hac parte debeam de jure argui negligentiæ, qui unus et solus sum inter multos, quorum sicut voluntas varia est et diversa, ita et sententia, maxime ubi juri et rationi videtur inniti quod intendunt. Loquor intelligenti quid sit multorum moribus deservire. Quid prætendunt quominus fieri debeat quod per vos ab iis repetitur, conventus nostri litterarum tenore inspecto, facilius poterit perpendi. Si vero parvitatis meæ consilium acceptaverit vestra prudentia, cum saniori dixerim conscientia, satius esse et honestius aut eo modo qui vobis significatur, aut alio probatiori si inveniri poterit cum conventu nostro pacifice convenire, quam populo scandalum generari et matrem vestram plus quam creditur, contristari. Insuper si verbis domini regis Angliæ creditur, in vita sua non sustinebit quod Lugdunensis archiepiscopus ecclesiam de Einesford quoquo modo possideat. Provideat igitur, si placet, discretio vestra, qualiter res ipsa planius et melius ad debitum possit finem pertingere, et quantum in me erit, nulla exsecutionis erit retractatio. Valete.

EPISTOLA XIII.

AD MAGISTRUM G. CARDINALEM

Magistro G. cardinali, A. prior Ecclesiæ Christi Cant., salutem.

Quam nobis admodum utilem et necessariam in curia Romana consuevimus habere vestram dilectionem, in tribulationibus et angustiis quibus urgemur non modicum doluimus et dolemus nimis esse remotam. Et licet locorum distantia separemur ab invicem, animi tamen nostri affectus quo individue vestræ adhæremus reverentiæ, a vobis nullatenus potest separari. Sane pro nepote vestro in partibus nostris quoad potuimus fecimus, inde magis anxii quod in causa sua juxta quod desideravimus, non est magis profectum. Quoniam excepta etiam ea affectione qua vobis astringimur, idem ipse suo nomine promeruit et in dies promeretur, ut qui viderit ejus vitam et conversationem, debeat affectuosius ejus profectibus invigilare. Placeat ergo paternitati B vestræ ipsum clementiori oculo respicere, quatenus in stadio quo in agone contendit possit expeditius currere et ad ejus cui addictus est disciplinæ provectum debeat alacriori animo pervenire. Quantum vero in nobis erit et opportunitas data fuerit, ejus necessitatibus propensiorem curam inpendemus.

EPISTOLA XIV.

AD CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM

Domino Cantuariensi, suus A., salutem.

Innotuit nobis vestræ placuisse paternitati talem in cellerarii officium subrogari, in quem omnium nostrum vota communiter concurrissent. Unde, sicut tenemur, ita et affectuose vestræ bonitati uberiores proinde agimus gratiarum actiones. Vestræ itaque si placet innotescat benignitati quod nostra C communis est postulatio, ut frater Honorius vobis utique ex sua conversatione interim notus hujus officii in se pondus suscipiat. Hujus siquidem prudentiam et fidelitatem et in confratres suos compassionem aliquatenus experti scimus, de cujus benevolentia quoad officium illud non modicum speramus. Et licet ejus obsequio sine molestia ad præsens non possitis carere, experimento tamen didicimus vestram prudentiam plus velle publicæ quam privatæ consulere utilitati. Quocirca eum confidentius reposcimus, id tamen adjicientes ut si in hac parte aliquatenus moleste fuerimus de eo substituendo qui huic debeat succedere, voluntati vestræ, sicut placuerit, ita fiet. Præsentium igitur latorem dilectum in Christo fratrem nostrum R. eleemosynarium in id negotii duximus destinandum, ut ejus D præsentia sub litterarum nostrarum testimonio apud vos impetret, quod vestra intentis communiter postulare ad communem utilitatem propensius studuit. Valete.

Hucusque dedi omnia quæ in codice C.C.C. Cantab. inveniuntur, octodecim paginis comprehensa. Utrum plura olim fuerint folia in isto codice quibus aliæ epistolæ Alani continerentur, difficile est dictu.

ALANI VITA S. THOMÆ.

(*Vide supra col.* 194.)

TABULA EPISTOLARUM GILBERTI FOLIOT.

Secundum litteram initialem ordinata.

Quæ in hoc tomo sub nomine Gilberti continentur epistolæ, partim ipsius sunt Gilberti, partim aliæ quæ ad eamdem historiam, scilicet vel ad ipsum Gilbertum vel ad sanctum Thomam, spectant. At lectori, si recte scire velit de iis quæ in his epistolis describuntur, adire necesse est epistolas sancti Thomæ, Arnulfi Lexoviensis et Joannis Saresberiensis. Cæterum hujus editionis Gilberti Foliot fons et fundamentum est eximius ille codex qui in bibliotheca Bodleiana sub siglo e Mus. 249 continetur, quique circiter 440 epistolas habet; quæ omnes vel in hac editione vel in aliis istis tomis de quibus mentio supra facta est, continentur. Hoc factum est quia scriptoris in singulis collectionibus, non codicis, ratio habita est. Quod iterum atque iterum lectorem monendum duximus, ne editiones nostræ imperfectæ quodammodo censerentur.

Tabula quæ sequitur ordinem epistolarum explicabit.

Litteræ et numeri suffixi indicant illæ codices hi ordinem epistolarum quæ in codicibus occurrunt. Codicum ipsorum plenior notitia in tabula ad epistolas S. Thomæ invenitur.

Primus numerus, nulla littera præfixa, editionis nostræ ordinem indicat.

A^1, A^2, cod. MS. Bodl. [Douce 287] in 2 par. div.
B cod. Bodl. secundi [509].
C^1, C^2, C^3, C^4, cod Bodl. tertii [937].
D. Cod. Bold. quarti a Caveo donati [e Mus. 249].
E epist. S. Thomæ a Lupo edit.
F epist. J. Saresb. édit. Paris.
G cod. Lambethiani.
H cod. Paris [5320].
I cod. Paris, secundi, [5372].
K cod. Paris. tertii, [8562] epist. Jo. Sares
L cod. Paris. quarti, [8625] ejusdem Jo. Sares.
M cod. Mus. Brit. Cott. Claud B. H.
N Arnulfi epp. in coll. S. J. Bap. Ox. serv.
O Whartoni Angliæ sacræ.
P Cotton. Vesp. E IV.
Q Bouquet, *Hist. de France.*
R Lambeth No. 577.
S Bodl. 603.
T Stapletoni, *Tres Thomæ.*
U Arundel, 27.
V. cod. C. C. C. Cant.
W cod. Coll. Trin. Cant. 5 tomis
X cod. Bodl. 868.
Y Arund. 219.
Z cod. Reg. 2. D XXXII
AA Vesp. E, X.
BB Vitel. C. XII.
CC Reg. 2 E, VII

—

(2) Nota quod tres quatuorve epistolarum, quæ in hac tabula occurrunt, nullum numerum affixum habent. Hoc inde factum est, quod casibus fortuitis, quibus omnes res humanæ subjacent, numerus intercidit. At certum est omnes has epistolas, nullis exceptis, in istis codicibus inesse.

TABULA SECUNDA IN EPIST. S. THOMÆ,

Secundum editionem Lupi, quæ in quinque libros distributa est, ordinata.

Primus numerus indicat ordinem epistolarum Lupi, secundus ordinem nostrum : ubi interseruntur litteræ A. GF. JS. intelligas epistolas Arnulfi, Gil. Foliot, et Joannis Saresb. necesse est. At quoniam epistolas hujus Joannis nondum edidimus, numeros inserere impossibile prorsus fuit. Asteriscus indicat non recte epistolam vocari, et proinde in alio libro, quem de Vita S. Thomæ edimus, inter historica documenta collocatam esse.

—

I, GF, 462. — II, GF, 463. — III, 368. — IV, 198. — V, 199. — VI, 369. — VII, 370. — VIII, 371. — IX, 365. — X, 241. — XI, 242, XII, *. — XIII, GF, 481 — XIV, 372. — XV, GF, 482. — XVI, *. — XVII, 200. — XVIII, 1. — XIX, 44. — XX, 34. — XXI, 30. — XXII, 49. — XXIII, 375. — XXIV, JS. — XXV, GF, 464. — XXVI, 201. — XXVII, 238. — XXVIII, A, 35. — XXIX, 376. — XXX, 2. — XXXI, JS. — XXXII, 281. — XXXIII, JS. — XXXIV, 194 — XXXV, GF. 465. — XXXVI, 377. — XXXVII, 271. — XXXVIII, GF, 174. — XXXIX, 279. — XL, 123. — XLI, 283. — XLII, 298. — XLIII, 202. — XLIV, 378. — XLV, 344. — XLVI, 345. — XLVII, 102. — XLVIII 177. — XLIX, 203. — L, 366. — LI, GF, 397. — LII, 188 — LIII, 346. — LIV, 204. — LV, 316. — LVI, 193. — LVII, 192. — LVIII, 150. — LIX, 314. — LX, 274. — LXI, 315. — LXII, 296 — LXIII, 178. — LXIV, 179. — LXV, 180. — LVI, 181, — LXVII, GF, 365. — LXVIII, 129*. — LXIX, GF, 483. — LXX, GF, 511. — LXXI, GF, 512. — LXXII, 379. — LXXIII, JS. — LXXIV 284. — LXXV, 89. — LXXVI, 90. — LXXVII, 3. — LXXVIII, 243. — LXXIX, 205. — LXXX, 292. — LXXXI, 293. — LXXXII, 294. — LXXXIII, 236. — LXXXIV, GF, 506. — LXXXV, A, 34. — LXXXVI, A, 36. — LXXXVII, 367. — LXXXVIII, JS. — LXXXIX, GF. 455. — XC, 251. — XCI, 206. — XCII, 295. — XCIII, JS. — XCIV, JS. — XCV, JS. — XCVI, 73. — XCVII, 74. — XCVII, 86. — XCIX, 87. — C, 146. — CI, 149. — CII, 320, et GF, 430. — CIII, JS. — CIV, GF, 470. CV, GF, 472. — CVI, GF. 273. — CVII, JS. — CVIII, 130. — CIX, JS — CX, JS. — CXI, JS. — CXII, 286. — CXIII, 156. — CXIV, 207. — CXV, 208. — CXVI, 270. — CXVII, 124. — CXVIII, 209. — CXIX, 210. — CXX, 239. — CXXI, 131. — CXXII, 132. — CXXIII, GF, 274. — CXXIV, GF, 195. — CXXV, GF, 175. — CXXVI, GF, 436. — CXXVII, 74. — CXXVIII, GF, 437. — CXXIX, 4. — CXXX, JS. — CXXXI, GF, 275. — CXXXII, GF, 410. — CXXXIII, JS. — CXXXIV, GF, 394. — CXXXV, 50. — CXXXVI, 37. — CXXXVII, 168. — CXXXVIII, 5. — CXXXIX, 97. — CXL, JS. — CXLI, JS. — CXLII, 211. — CXLIII, 104. — CXLIV, 125. — CXLV, 117. — CXLVI, 347. — CXLVII, JS. — CXLVIII, 212. — CXLIX, 213. — CL, JS. — CLI, JS. — CLII, JS. — CLIII, JS. — CLIV, JS. — CLV, 169. — CLVI, JS. — CLVII, JS. — CLVIII, 380. — CLIX, JS. — CLX, 267. CLXI, JS. — CLXII, 351. — CLXIII, JS. — CLXIV, GF, 466. — CLXV, 90. — CLXVI, 355. — CLXVII, JS. — CLXVIII, JS. — CLXIX, JS. — CLXX, JS. — CLXXI, JS. — CLXXII, JS. — CLXXIII, JS. — CLXXIV, 174. — CLXXV, 214. — CLXXVI, *— CLXXVII, 310. — CLXXVIII, A, 37. — CLXXIX, JS.

LIB. II.

I, 215. — II, 299. — III, 268. — IV, GF, 398. — V, GF, 445. — VI, 381. — VII 216. — VIII, JS — IX, GF, 406. — X, 64. — XI, 65. — XII, 66. — XIII, 60. — XIV, 51. — XV,. — JS. — XVI, JS. — XVII, JS. — XVIII, 61. — XIX, 67. — XX, JS. — XXI, 99. — XXII, 6. — XXIII, GF, 331 — XXIV, GF, 407. — XXV. JS. — XXVI, JS. — XXVII, 382. — XXVIII, GF, 404. — XXIX, GF, 408. — XXX, 7. — XXXI, JS. — XXXII, JS. — XXXIII, GF, 438. — XXXIV, GF, 333. — XXXV, 8. — XXXVI. JS. — XXXVII, JS. — XXXVIII, JS. — XXXIX, JS. — XL, JS. — XLI, GF, 484. — XLII, GF, 499. — XLIII, 311. — XLIV, GF, 431. — XLV, 9. — XLVI, 29. — XLVII, 10. — XLVIII, JS. XLIX, JS. — L, JS. — LI, JS. — LII, JS. — LIII, JS. — LIV, 11. — LV, 59. — LVI, 151. — LVII, 35. — LVIII, 45. — LIX, GF, 502. — LX, JS. — LXI, JS. — LXII, GF, 446. — LXIII, JS. — LXIV, JS. — LXV, JS. — LXVI, JS. — LXVII, JS. — LXVIII, GF, 354. — LXIX, 171. — LXX, GF, 476. — LXXI, 54. — LXXII, 170. — LXXIII, 42. — LXXIV, GF, 447. — LXXV, 300. — LXXVI, JS. — LXXVII, JS. — LXXVIII, JS. — LXXIX, GF. 500. — LXXX, 189. — LXXXI, 113. — LXXXII, 165. — LXXXIII, 114. — LXXXIV, GF, 485. — LXXXV, JS. — LXXXVI, 162. — LXXXVII, 103. — LXXXVIII, 152. — LXXXIX, JS. — XC, JS. — CXI, JS — XCII, JS. — XCIII, JS. — XCIV, 217 — XCV, JS. — XCVI, JS. — XCVII, GF, 403. — XCVIII, GF, 396. — XCIX, 55 — C, 336. — CI, GF, 411, CII, JS. — CIII, JS. — CIV, GF, 332. — CV, JS. — CVI, JS. — CVII, JS. — CVIII, JS. — CIX, 91. — CX, JS. — CXI, 218.

LIB. III.

I, 219. — II, 301. — III, 302. — IV, 358. — V, JS. — VI, 383. — VII, 384. — VIII, GF. 486. — IX, 359. — X, 173. — XI, 303. — XII, JS. — XIII, 321, et GF, 335. — XIV, 145. — XV, 138, — XVI, GF, 454. — XVII, 83. — XVIII, 176. — XIX, JS. — XX, GF, 490. — XXI, 322, et GF, 428. — XXII, GF, 455. — XXIII, GF, 439. — XXIV, 220. — XXV, 221. — XXVI. GF, 487. — XXVII, 360. — XXVIII, GF, 460. — XXIX, GF, 494. — XXX, 324. — XXXI, 325. — XXXII, 385. — XXXIII, 81. — XXXIV, 84 et 166. — XXXV, 138. — XXXVI, 105. — XXXVII, GF, 390. — XXXVIII, 163 — XXXIX, 133. — XL, 134. — XLI, 364. — XLII, GF, 268 et 276. — XLIII, 137. — XLIV, 141. — XLV, 122. — XLVI, GF, 277. — XLVII, GF, 493. — XLVIII, GF, 491. — XLIX, GF, 429. — L, 363. — LI, 342. — LII, 157. — LIII, 386. — LIV, 12. — LV, 46. — LVI,

In his duobus tomis 59 epistolæ sunt, quæ in editione Lupi non occurrunt : eæ sunt 21, 23, 28, 62, 77, 98, 101, 112, 115, 119, 121, 126, 127, 128*, 129, 143, 147, 172, 184, 185, 186, 187, 190, 191, 197, 232, 233, 235, 244, 245, 250, 261, 276, 277, 278, 280, 281, 288, 289, 291, 309, 317, 318, 333, 334, 335, 337, 340, 341, 343, 348, 349, 350, 353, 354 357, 373, 374.

In aliis istis tomis, qui epist. Gil. Fol. continent, 426 epistolæ novæ insunt, quæ apud Lupum non habentur.

TABULA EPISTOLARUM S. THOMÆ CANTUAR.

Secundum litteram initialem ordinata

Epistolarum sancti Thomæ Cantuariensis editio a Lupo vulgata, Brux. 2 tomis 4. 1682, epistolas omnino 536 habet, inter quas circiter 110 sunt quæ Arnulfum Lexoviensem et Joannem Saresberiensem habent auctores. Eas nunc omnino ab epistolis sancti Thomæ separavimus, Arnulfi quidem, quia nuper omnia ejus opera in vol. 35 hujus editionis Patrum Ecclesiæ Anglicanæ edidimus, Joannis vero Saresberiensis, quia ejus quoque opera omnia quæ exstant, Deo volente, brevi sumus in lucem daturi. Restant circiter 426, quas damus vel in his qui sancti Thomæ vel in illis qui Gilberti Foliot epistolas continent. Nam in duas partes melius visum est hæc documenta partiri, eo quod exstant in bibliotheca Bodleiana epistolæ tot et tantæ quæ Gilberti Foliot præ se nomen ferunt, ut illi locum separatum ascribere et in sua sibi editione vulgare melius videretur. Ex eadem causa factum est ut pro 426 epistolis, quas præter Arnulfum et Joh. Saresb. editio Lupi habet, nos jam in editione hac usque ad mille (!), majorem partem ineditas, publici juris faciamus. Quod quomodo factum sit, quibusque præsidiis usi simus, ex inspectione tabulæ quæ sequitur, lectori manifestum fiet.

Numerus qui nullam litteram præfixam habet ordinem designat epistolarem in hac nostra editione servatum.

A cod. ms. qui in Bibl. Bodl. servatur, sub numero 287 in collectione Douciana. Iste liber in duas partes divisus est, quarum prior Vitam S. Thomæ, auctoribus Wil. fil. Stephani et Joanne Saresb. continet, intersertis paucis epistolis, sex aut septem, fortasse non amplius, quas minoribus numeris (1) litteræ postpositis indicavimus. Altera pars (2) codicis epistolas circiter 93 habet, quarum triginta amplius hactenus ineditæ aut in his tomis aut in Gil. Fol. nunc primum prodeunt. Codex iste circiter annum 1200 scriptus fuit.

B cod. ms. Bodl. 509, circiter A. D. 1200 scriptus, epistolas 80 habet, necnon alia quæ ad epistolas S. Thomæ non spectant.

C cod. ms. Bodl, 937, præcedentibus non recentior, liber cujusvis pretii, nam quasi index est libelli Alani de Vita S. Thomæ et tractatus Joannis Saresberiensis de eadem re recte inter se ordinandorum. In quatuor partes distributas epistolas habet circiter 600 : quocirca notulas affiximus 1 2 3 4 ut sciat lector in qua parte voluminis singulæ epistolæ requirendæ sint.

D cod. ms. Bodl. e Mus. 249 qui epistolas amplius 400 habet. Quarum non multas in his tomis damus: multo majorem partem in aliis istis tomis antedictis, qui epistolas Gilberti Foliot habet, daturi.

E indicat editionem Lupi in 5 libros distributam.

F epistolas Joannis Saresberiensis, Parisiis editas anno 1611.

G cod. ms. Lambeth. sec. XIII-IV, circiter 350 epistolas habet.

H cod. ms. Paris. num. 5320.

I cod ms. Paris. num. 5372 qui epistolas habet circ. 270 in Vita S. Thomæ (auctore Rogerio Croyland.) insertas.

K cod. ms. epistol. Joan. Saresb. Paris. num. 8562.

L cod. ms. epistol. Joan. Saresb. Paris. num. 8625. Isti duo codices easdem habent epistolas quæ in editis continentur, eodem quoque ordine servato, sed ta-

men ut ubi alter terminetur alter incipiat, et ita una efficiunt eumdem numerum epistolarum : quod posthac, cum de Joanne Saresberiensi edendo agetur, clarius videbimus. Nam in præsenti paucas admodum ex istis codicibus epistolas excerpsimus.

M cod. ms. magnificum et omni prætio æstimandum, qui in Museo Britannico sub siglo Cott. Claud, B. II, servatur. Codex iste circiter 400 epistolas habet, in 5 libros distributas. Ordo plerumque idem est quem Lupus habet, additis paucis epistolis, quas omnes excerpsimus et nunc in lucem damus. Non multarum istius codicis epistolarum numerum dedimus, quia editio nostra, jam tot codicum ope innisa, novorum librorum ope indigere haud adeo videbatur.

Q Bouquet, *Hist. de France.*

W cod. ms. Coll. S. Trin. Cant. 5 tomis.

X cod. Bodl. 868.

AA Vesp. F. XIII

EE Galba A. III.

FF Galba A. IV.

A

B

C

D

E

F

P

Q

R

S

T

U

V

ORDO CHRONOLOGICUS

EPISTOLARUM S. THOMÆ, GILBERTI FOLIOT,

ET ALIORUM.

N.B. Plurimæ sunt epistolæ quas in ordinem secundum chonologiam redigere prorsus impossibile est. Sunt etiam pleræque quæ ad historiam S. Thomæ omnino non spectant. Sed nec gloriari licet illas quidem quæ revera de Sancto Thoma scriptæ fuerunt, epistolas ordinando me scopum semper attigisse ; hoc enim etiam post Baronium, Bouquet et Froudium omnino difficile manet. GF indicat tomos qui Gilb. Fol. epistolas continent.

Epistolæ Theobaldi ante annum 1161, scriptæ. GF 413, GF 414, GF 415. GF 416, GF 417, GF 418, GF 419.

1159 vel 1160.

Petri Cellensis epistola 333.

1163.

128, 129, 241 *O.* 44, 34, 30, 49. GF 462, GF 464, 375, 243. *N.* 89, 90, 3, 242.

1164.

J. 205, 185, 186. *F.* 198, 199, 206. *A.* 201, 371, 365. *J.* GF 463, 368, 369, 370. *O.* 200. *D.* GF 481, 372. GF 482, 376, 2.

1165.

J. 102, 177, 203, 250, 316, 193, 192, 150, 367, 314, 274, 315, 73, 296, 366, 194. GF 483. GF 511. *J.* GF 512, 379. GF 465, 377, 292, 282. GF 174, 283. *A* GF 365, 187, 298, 284, 202. *O.* 208.

1166.

J. 267. GF 397, 188, 346, 367, GF 459, 178, 180, 179, 129 *, 232. *F* 233. *A.* 270. *M.* 281, 251, 74. *J.* 168, 5, 97, 73, 146, 149, 320. GF 470. GF 272, 211, 104, 125, 117. *J.* 347, 212, 213, 123. GF 436, 437, 74. GF 194, 130. GF 274, 286, 156, 207, 351, 279, 124, 132, 209, 210, 239, 131, 86, 87, 162, 378, 344. GF 484. GF 500. GF 504, 189, 113, 165, 114, 293, 294. GF 485, 295, 236. GF 506. *O.* 4, 42, 50, 37. GF 447, 300. GF 410, 380. GF 394, 309. GF 395. *D,* 215, 299, 268, 311. GF 499, 341, 217, 166. GF 273, 171, 172.

1167.

J. GF 275. *F.* GF 466, 90, 9, 29. 99. GF 476, 54, 355. GF 505. *M.* GF 331. GF 480, 135, 152. GF 398. GF 445. 61. GF 406, 64, 65, 51, 6. GF 333, 66, 60. *D.* 7, 382, 381, et GF 435. GF 404. GF 438, 10, 62, 67, 336.

1168.

276. GF 411. GF 332. GF 407, 91, 238. GF 403. GF 396, 218. *A.* GF 354, 151. GF 502, 587. GF 509. GF 452, 332, 175, 11, 59, 35, 45, 304, 290, 223, 204. GF 389, 312, 297, 306, 384, 144. GF 427. GF 426, 303. GF 493, 338, 167, 182, 17. *F.* 339, 340, 16. GF 486, 328, 70, 269, 352, 319. GF 195. GF 175, 302, 133. *A.* 134, 386, 137, 141, 122. 170, 80, 88, 106, 120, 153, 39, 14, 33, 326, 219 *M.* 301, 363, 342. GF 268 et 276. GF 277. GF 493. GF 491, 364, GF 429. *J.* 220, 47, 69. GF 457, 58, 43. GF 443 GF 461, 154, 327. GF 473. GF 454. GF 422. GF 474, 15, 158, 159, 79, 223 GF 505. GF 509, 55. GF 487, 324, 325, 383, 385, 360. GF 490, 322 et GF 428. GF 455. GF 439. GF, 493, 138, 81, 84 et 166, 188, 105. GF 390, 163, 157, 116 et 118 et 128, 12, 46, 32 et 52 et 63, 28, 277.

1169.

62, 68, 56, 36, 57, 337, 341, 343, 348, 349, 350, 353 357, 359, 173, 181. *N.* 109, 361, 362, 38, 92, 13, 93, 139. GF 451. GF 391, 176. GF 458, 111, 145, 133, 8.

1170.

J. 253, 307, 252, 287, 255. *F.* 280, 240, 248, 264, 155, 246, 247, 224, 76, 160, 94, 19, 140, 225, 78, 388, 256. *A.* 323, 107, 244, 245, 31, 40. 390, 391, 25, 254. *J.* 389. *J.* 392, 329, 262, 313, 228, 95, 138 et 148, 161, 85, 82, 164. GF 497, 25, 393, 41, 110, 48, 71, 53, 195, 142, 30, 265. GF 402. GF 384. GF 401. GF 400. GF 393. GF 392, 228, 258. *S.* 230, 272, 249.

1171.

O. 257, 229, 226, 263, 394. GF 402, 227, 271, 273, 285. GF 498, 196, 27. GF 456. GF 448. GF 503, 330, 356, 331. GF 440. GF 469, 259, 260. GF 385. GF 422.

1172.

GF 424, 237, 261, 266, 275. GF 334, GF 386.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

GILBERTUS FOLIOT EX ABBATE EPISCOPUS PRIMUS HEREFORDIENSIS, DEINDE LONDONIENSIS.

EPISTOLÆ GILBERTI FOLIOT.

EPISTOLÆ VARIORUM AD GILBERTUM ET ALIOS.

FINIS TOMI CENTESIMI NONAGESIMI.

Ex typis JAMIN, Laval.